F. LUCII FERRARIS

PROMPTA

BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

F. LUCII FERRARIS

SOLER-ALEXANDRINI, ORD. MIN. REG. OBS. S. FRANCISCI, LECTORIS JUBILATI, EXPROVINCIALIS
EXAMIN. SYNODALIS AC S. O. CONSULTORIS,

PROMPTA

BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA,

NEC NON

ASCETICA, POLEMICA, RUBRICISTICA, HISTORICA.

EDITIO NOVISSIMA, MENDIS EXPURGATA,

NOVIS AD SINGULAS FERE VOCES ADDITAMENTIS NOVISQUE ARTICULIS LOCUPLETATA,
TUM PECULIARIBUS SUMMARIIS, TUM GENERALI MATERIARUM INDICE INSTRUCTA,
ADJECTA AD CALCEM CUJUSCUNQUE VOLUMINIS ABSOLUTISSIMA APPENDICE EX OMNIUM SS. CONGREGATIONUM DECRETIS
QUÆ VEL IN ANTEACTIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR, VEL DEINCEPS USQUE AD PRÆSENS LATA SUNT,
JUXTA VOCUM HUJUSCE BIBLIOTHECÆ SERIEM DIGESTIS;

OPERA ET STUDIO MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

ABBATIÆ MONTIS CASINI,

PATRONO ET AUSPICE VIRO EMINENTISSIMO

ALOISIO S. E. R. CARDINALI LAMBRUSCHINI

EPISCOPO SABINORUM,

SANCTISSIMI D. N. GREGORII XVI P. M.

A PUBLICIS NEGOTIIS ET A BREVIBUS, ETC., ETC.;

ACCURANTE RURSUM ET INNUMERIS NOTIS LOCUPLETANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS SEPTIMUS.

VENEUNT 8 VOL. 60 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1858

Digitized by Google

Rec. July 25, 1901.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA

F. LUCII FERRARIS

R

RESTRICTIO MENTALIS.

SUMMARIUM.

1. Restrictio mentalis est duplex, una pure mentalis, et alia non pure mentalis, et quæ sit utraque, *remissive*. — 2. Amphibologia, seu æquivocatio quid sit? — 3. Restrictio pure mentalis, et amphibologia, seu æquivocatio facta per restrictionem pure mentalem, non excusat a mendacio et perjurio. — 4. Restrictio non pure mentalis, sed aliquo sufficienti modo externata, et amphibologia, seu æquivocatio per verba, aut signa externa per se æquivoca excusat a mendacio et perjurio in omnibus casibus, in quibus ex justa causa habet quis jus, seu debitum ad occultandam veritatem. — 5. Hinc confessarius, quamvis interrogetur a tyranno, an aliquid sciat ut confessarius, et scientia sacramentali de peccato pœnitentis? poterit etiam cum juramento asserere, se nil scire, etiam spectata tali scientia sacramentali, retinendo in mente *ad dicendum*. — 6. Sic secretarius regni, ad occultandam veritatem, et servandum sibi impositum sigillum, poterit uti amphibologia, aut æquivocatione, vel restrictione non pure mentali etiam cum juramento. Idem dicendum est de uxore adultera a marito interrogata ad necem, an commiserit adulterium? Et sic de aliis similibus casibus. — 7. Ita qui ex præsumptione falsa interrogatur a judice, non tenetur confiteri propositionem veram, ubi, ista confessa, condemnandus esset in foro externo de crimine, vel debito, ad quod revera in foro conscientiæ non tenetur, nec negando cum juramento pejerat. — 8. Item qui juramento interrogatur, an veniat ex tali loco, qui falso existimatur peste infectus, jurare potest, se inde non venire, subintelligendo *eo loco, qualis existimatur, nimirum peste infecto*; imo secundum multos, etiamsi talis locus esset vere infectus, si tamen celeriter transiens certo crederet, se nihil inde luis contraxisse, adhuc jurare posset non transisse, utendo eadem restrictione. — 9. Item si clericus, vel religiosus sit coram judice sæculari conventus, non solum ipse pro se, sed etiam alii pro ipso jurare possunt eum nihil deliquisse, utendo hac restrictione, *ut coram tali incompetente judice deponi debeat*; item si clericus, vel religiosus, aut alia persona exempta a gabellis solvendis interrogetur a gabellario, an habeat, seu portet aliquod gabellæ obstrictum? jurare potest, se nihil habere, seu portare, utendo hac restrictione, *Nihil habeo, seu porto, ex quo gabellam solvere debeam*. — 10. Affertur aliud notabile exemplum cum sua licita restrictione. — 11. Quomodo excusentur mercatores, qui dicunt, vel etiam jurant, se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, vel sibi pluris constare, licet in rigore hoc verum non sit? — 12. Reus an, et quando teneatur, vel non fateri veritatem judici ipsum interroganti cum juramento? ad n. 14.

(1. Restrictio mentalis est duplex : una *pure mentalis*, et alia *non pure mentalis*, et quæ sit utraque? *Vide* verb. JURAMENTUM, art. 1, num. 14.

(2. Amphibologia, seu æquivocatio proprie est locutio, quæ sua significatione generat in audiente conceptum diversum ab eo, quem loquens retinet in mente. Est in re communis.

(3. Restrictio pure mentalis, et amphibologia, seu æquivocatio facta per restrictionem pure mentalem, non excusat a mendacio, seu perjurio. Comm., et habetur clare ex tribus sequentibus propositionibus, 26, 27, 28, in ordine justissime damnatis ab Innocent. XI, die 2 Martii 1679. Propositio 26 : « Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. » Propositio 27 : « Causa justa utendi amphibologia est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa. » Propositio 28 : « Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. »

(4. Restrictio non pure mentalis, sed aliquo sufficienti modo externata, et amphibologia, seu æquivocatio per verba, aut signa externa per se æquivoca excusat a menda-

Digitized by Google

cio et perjurio in omnibus casibus, in quibus ex justa causa habet quis jus, seu debitum ad occultandum secretum. *Vide* verb. JURAMENTUM, art. 1, n. 13, verb. MENDACIUM. D 21 et 22.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Nihil unquam excusat a perjurio; quare nec etiam admitterem, posse secretarium regni juramento uti in casu proposito n. 6. Idem dicito de casibus n. 7, 8 et 9, enodatis.

RESPONSIO AUCTORIS.

Sed hic recurret pro me responsio mox n. 56 data, ut videantur scilicet pro dictis meis assertionibus allata solida fundamenta sub verb. ACCUSATUS, a n. 10 ad 43, et sub verb. JURAMENTUM, a n. 13 ad 26; et Scotus, in 4, dist. 15, q. 4, art. 3, et cum aliis Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 10, in q. 9, art. 1, n. 171 et 172, et disp. 6, qu. 2, art. 3. * Atqui fundamenta, quæ Ferraris pro usu restrictionum mentalium affert, solida non esse et a Romano theologo, et a nobis sæpe, ac præsertim ad *verb. cit.* animadversum fuit. * V. *Addit. Casin.*, v. JURAMENTUM.

(5. Hinc confessarius, quamvis interrogetur a tyranno, an aliquid sciat ut confessarius, et scientia sacramentali de peccato pœnitentis, poterit etiam cum juramento asserere, se nihil scire, etiam spectata tali scientia sacramentali, retinendo in mente *ad dicendum*. V. verb. JURAMENTUM, art. 1, n. 15.

(6. Sic secretarius regni, ad occultandam veritatem, et servandum sibi impositum sigillum, poterit uti amphibologia, aut æquivocatione, vel restrictione mentali etiam cum juramento. Idem dicendum est de uxore adultera a marito interrogata ad necem, an commiserit adulterium, et sic de aliis similibus casibus. Vide, *ibid.*, n. 16.

(7. Ita qui ex præsumptione falsa interrogatur a judice, non tenetur confiteri propositionem veram, ubi, ista confessa, condemnandus esset in foro externo de crimine, vel debito, ad quod revera in foro conscientiæ non tenetur, nec negando cum juramento pejerat. Vide, *ib.*, n. 17.

(8. Item qui juramento interrogatus, an veniat ex tali loco? qui falso existimatur infectus, jurare potest, se inde non venire, subintelligendo *eo loco, qualis existimatur, nimirum peste infecto*. Imo secundum multos, etiamsi talis locus esset vere infectus, si tamen celeriter transiens certo crederet, se nihil inde luis contraxisse, adhuc jurare posset, non transisse, utendo eadem restrictione. Vide, *ibid.*, n. 18.

(9. Item si clericus, vel religiosus sit coram sæculari judice conventus, non solum ipse pro se, sed etiam alii pro ipso jurare possunt, eum nihil deliquisse, utendo hac restrictione, *ut coram tali incompetente judice deponi debeat*. Item si clericus, vel religiosus, aut alia persona exempta a gabellis solvendis interrogetur a gabellario, an habeat, seu portet aliquid gabellæ obstrictum? jurare potest se nihil habere, seu portare, utendo hac restrictione: *Nihil habeo, seu porto, ex quo gabellam solvere debeam*. Vide, *ib.*, n. 19.

(10. Affertur aliud notabile exemplum cum sua licita restrictione. Vide, *ib.*, n. 20.

(11. Quomodo excusentur mercatores, qui dicunt, vel etiam jurant, se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, vel sibi pluris constare, licet in rigore hoc verum non sit? Vide, *ib.*, n. 21.

(12. Reus an et quando teneatur, vel non, fateri veritatem judici ipsum interroganti sub juramento? *Vide* verb. ACCUSATUS, a n. 10 ad 43.

(13. Affertur et solvitur instantia. *Vide* d. verb. JURAMENTUM, art. 1, n. 23.

(14. Affertur et solvitur alia instantia. V., *ib.*, n. 24 et 25.

MONITUM ROMANI CENSORIS.

Facilem se præbere auctorem nostrum in æquivocationibus, restrictionibusque mentalibus indulgendis, mediis quibusdam distinctiunculis eo duntaxat tendentibus, ut propositionum hac de re damnatarum censura eludatur, ex variis locis hujusce Bibliothecæ ingenuo lectori plane constabit. Nos ne muneri nostro deesse videremur, ubicunque hanc doctrinam Christianæ simplicitati minime consentaneam tradi perspeximus, illis debitis animadversionibus occurrere studuimus, ut verbo ACCUSATUS, a n. 18 ad n. 24, ac in notis ad n. 28, et ad calcem articuli, necnon verbo JURAMENTUM, in not. ad n. 26, itemque verb. MENDACIUM, in not. ad n. 21. Eamdem doctrinam astruere conatur idem auctor in universo fere hoc articulo, quem si emendare aggrederemur, totum illum reformaremus oporteret, opus sane supervacaneum. Lectores itaque duntaxat præmonemus, ut caveant a sententiis ibi expositis a num. 4 ad n. 9, nec minori cautela legendum esse sciant sequentem articulum REUS. — Sed V. *Add. Cas.*, v. JURAMENTUM, n. 19 et seqq.

RETRACTUS GENTILITIUS.

Vide verb. CONTRACTUS EMPTIONIS, *art.* 4, *a n.* 26 *ad* 42.

REUS.

SUMMARIUM.

1. Reus unde dicatur? — 2. Reus non tenetur probare quod negat, sed accusator. — 3. Reo potius favendum est, quam actori, si jura sunt obscura. — 4. Reus non tenetur dare actori suas scripturas contra se. — 5. Reus non est, qui non ex voluntate, sed ex necessitate peccavit. — 6. Reus in suo foro audiendus est, et hunc sequi debet actor. — 7. Si reus non potest inveniri, sufficit ponere citationem in ecclesia rei. — 8. Reo convicto de delicto, non admittitur probatio negativa. — 9. Reus non potest alium accusare, nisi prius se purget. — 10. Reus

Digitized by Google

accusatus, et non sufficienter convictus damnari non potest, nec pœna ordinaria affici. — 11. Reus, si juste damnatus sit, ut fame vel siti pereat, potest victum aut potum oblatum rejicere. — 12. Reus licite fugit ante et post sententiam mortis, aut triremium, vel carceris perpetui. — 13. Imo regulariter potest reus licite fugere, quamvis custos carceris grave damnum inde passurus sit, nisi juraverit se mansurum. — 14. Reus potest licite saltem in foro conscientiæ (præcisa vi et injuria) custodes decipere, vincula et carceres effringere. — 15. Reus, qui carcerem effregit, probabiliter non tenetur de damno, quamvis etiam per effractum carcerem fugiant alii carcerati. — 16. Adducitur et solvitur instantia. — 17. Qui non sunt ministri justitiæ, possunt licite non solum consilio, sed etiam instrumentis reum juvare, ut fugiat. Alia notanda ad n. 58.

(1. Reus dicitur a re, quæ petitur, textu expresso in cap. *Forus* 10, De verbor. significatione, ibi : « Reus a re, quæ petitur, nuncupatur, quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur, quandiu in judicium pro re aliqua petitur. »

(2. Reus non tenetur probare quod negat, sed accusator. Cap. *Quod autem* 1, cap. *Accusator* 2, caus. 6, quæst. 5, cap. *Bonæ memoriæ* 22, De electione, l. *Et incumbit* 2, ff. *De probationibus*, l. *Actor* 23, cod. *De probationibus*, cum similibus.

(3. Reo potius favendum est, quam actori, si jura sunt obscura, textu expresso in cap. *Cum sunt* 11, De regul. juris in 6, ibi : « Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori. » L. *Favorabiliores* 125, ff. *De diversis regulis juris*, ibi : « Favorabiliores rei potius, quam actores habentur. »

(4. Reus non tenetur dare actori suas scripturas contra se, textu expresso in cap. 1 *De probationibus*, l. *Qui accusare* 4, c. *De edendo*. Non enim juris aut æquitatis ratio permittit, ut quis invitus arma, quibus impugnatur, adversario suo tradere, eumque contra se adjuvare cogatur. L. *Nimis grave*, cod. *De testibus*. Vide *verb.* PROBATIO, a num. 61.

(5. Reus non est, qui non ex voluntate, sed ex necessitate peccavit. Cap. *Aliquos* 5, et cap. *Illa cavenda* 6, caus. 15, quæst. 1, cum similibus.

(6. Reus in foro audiendus est, et hunc sequi debet actor. Cap. *Si quis* 2, et cap. *Pulsatus* 3, qu. 6, cap. *Sane* 3, De foro competenti, cum similibus.

(7. Si reus non potest inveniri, sufficit ponere citationem in ecclesia rei. Cap. *Venerabilis* 10. De dolo et contumacia.

(8. Reo convicto de delicto non admittitur probatio negativa; seu reo probante, quod non deliquit, si probatum sit deliquisse, ei non creditur. Cap. *Ad nostram* 12, De probationibus.

(9. Reus non potest alium accusare, nisi prius se purget, cap. *Neganda* 1, cap. *Non est credendum* 3, q. 11, cum similibus.

(10. Reus accusatus et non sufficienter convictus damnari non potest, nec pœna ordinaria affici. Lugo, *De justitia*, disp. 37, sect. 12; La Croix, lib. IV, n. 1496; Lessius, Sanchez, et alii passim; nec indiget probatione, cum de se pateat. Unde reus accusatus, et non sufficienter convictus absolvitur a nota infamiæ. Concil. *Lateranens.* III, in *Appendic.*, part. I, c. 65.

(11. Reus, si juste damnatus sit, ut fame vel siti pereat, potest victum aut potum oblatum rejicere. Layman, lib. I, tract. 5, cap. 8, n. 9; Lessius, *De justitia*, lib. II, cap. 9, n. 25; Gobat, in *Quin.*, tract. 5, cap. 1, n. 68; La Croix, lib. III, part. I, n. 779, et alii contra alios. Et ratio nostra est, quia, si sententia sit justa, non tenetur reus cibum et potum oblatum sumere, cum reus possit exsecutionem justæ sententiæ in se admittere, v. g. venenum bibere, venam sibi aperire, in ignem se injicere, scalas ascendere, funem collo circumligare, et hujusmodi, si illa præcipiantur; uti potest non fugere ex carcere, quamvis sciat se morte afficiendum, ut docent Azorius, Sotus, Malderus, Lessius, et alii apud Dianam, part. V, tract. 4, resolut. 41.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Falsum est, posse reum oblatum cibum rejicere, licet morti sit damnatus.

RESPONSIO AUCTORIS.

Ast mea conclusio non dicit generice, licet morti sit damnatus, sed specifice, *si juste damnatus sit, ut fame vel siti pereat*, quod certe non est falsum, ut falso asserit theologus. Si enim reus damnatus ad mortem, potest ex amore justitiæ permittere illius in se exsecutionem, uti potest non fugere ex carcere, quamvis sciat se morte afficiendum, ut tradunt passim auctores, et inter alios etiam clarissimus P. Antoine, tract. *De obligationibus*, § 4 *De reo*, quæst. 2, resp. 5, expresse dicens : « Reo ad mortem damnato licet non fugere ex amore justitiæ : imo mortem commerito licet se judici ultro sistere, et occasionem justitiæ offerre; » et celeberrimus Colet, tom. III, tract. *De Decalogo*, cap. 5, art. 1, concl. 2, ubi expresse sic asserit : « Quartus casus est, cum quis, ut Deo et justitiæ faciat satis, non arripit media, quibus incolumem se præstet; sic licet ei, qui juste ad mortem condemnatus est, ea, quæ ad mortem præambula sunt, facere; ut 1. se offerre judici, secundum S. Thomam; 2. non egredi e carcere, etiamsi se offerat opportunitas, et noverit paratam sibi esse mortem. Et reipsa martyres non crediti sunt sibimetipsis mortem inferre, cum, patentibus portis, e carceribus non exierunt. » Eccur igitur non poterit reus juste damnatus, ut fame vel siti pereat, victum aut potum sibi oblatum rejicere, ut Deo et justitiæ faciat satis, cum talis ad mortem suam non concurrat active, sed passive tantum se habens, ut justitiæ amore eam fortiter tanquam perferat? Nonne in tali casu potest reus ex zelo et amore justitiæ, et ad justam punitionem suorum scelerum se velle conformare judicis justæ sententiæ, fame vel

Digitized by Google

siti pereundo, sicut potest velle non conservare vitam ex motivo alterius virtutis v. g. pro charitate amicorum, et hujusmodi? Videatur ad rem inter alios Roncaglia, tom. II, tract. 15, quæst. 9; Alphonsus de Ligorio, lib. IV, dub. 7, art. 2, num. 283; Sporer, tom. I, tract. 5, cap. 3, n. 29, et ultra *ibi* citatos, alii plurimi in sensu meæ conclusionis. * Cæterum Antoine, *loc. cit.*, in resp. ad quæst. 2, ubi statuit licere reo ponere actiones necessarias saltem moraliter ad exsecutionem pœnæ justæ, quæ aliunde sunt de se indifferentes, nec ex natura sua connexæ cum morte, subdit : « Non licet tamen reo exsequi pœnam mortis aut mutilationis, v. gr. venenum haurire, pectus gladio transfigere, suspendio se præfocare, se projicere e scala; quia seipsum directe occideret, quod nemini licet, sicuti nec se mutilare; et ista crudelitatem in seipsum sapiunt, ac repugnant juri naturali. » Colet etiam, *loc. cit.*, cum sibi objecisset : « Non magis reus venenum ex judicis imperio hauriens, se ipsum occidere censetur, quam cum scalas ascendit, aut collum extendit abscindendum : atqui in posteriori casu semet-ipsum occidere non censetur; ergo nec in priori. Resp. neg. maj. Actiones enim, quæ mortem violentam præcedunt duplicis sunt generis; alia per se, et directe mortem procreant, ut se ex scalis dejicere, bibere venenum, venas abscindere, cum eas statim occludere non licet; aliæ licet ad mortem facilius recipiendam disponant, eam tamen per se, et immediate non pariunt, unde non ex ipsis, sed ex actione ministri consequitur mors : in hoc ordine sunt scalam ascendere, linguam extrahere amputandam, etc. Actus prioris generis a judice non possunt imperari reo; alioqui poterit etiam homo atrocis sceleris reus, jubente judice sclopum in se explodere; quod nemo admiserit : nihil vero obstat, quominus judex actus secundi generis præcipiat, quia nec naturæ repugnant, nec ex se mortem inferunt. Ita ferme Sylvius ubi *supra*. »

(12. Reus licite fugit ante et post sententiam v. gr. mortis, vel triremium, aut carceris perpetui. Quilibet enim habet tam magnum jus ad suam vitam conservandam, ut nulla humana potestate possit præpediri, cum commode conservari potest; nisi bonum publicum aliud postulet. Lessius, lib. II, cap. 31, dub. 5; Busemb., lib. IV, cap. 4, dub. 8, art. 2; La Croix, *ibid.*, n. 1525, et alii passim. (13. Imo regulariter potest reus licite fugere, quamvis custos carceris grave damnum inde passurus sit, nisi juraverit se mansurum : reus enim utitur jure suo, et nulli facit injuriam. Lessius, *loc. cit.*, n. 31; Busemb. et La Croix, *locis cit.*, Filliucius, tract. 40, n. 274, et alii plures.

(14. Reus potest licite saltem in foro conscientiæ (præcisa vi et injuria) custodes decipere, vincula et carceres effringere. Cum enim sit licitus finis, licita debent esse etiam media; quia concesso fine, etiam media, quibus ad eum pervenitur, concessa intelliguntur. Cap. *Præterea* 5, et c. *Suspicionis* 39, De offic. delegati, l. *Cui jurisdictio* 2. Sic doctores citati, et alii plures.

(15. Reus, qui carcerem effregit, probabiliter non tenetur de damno, quamvis etiam per effractum parietem fugiant alii carcerati, quia ipse utitur jure suo, et solum per accidens est causa talis damni. Sic citati doctores, et Bannes, Valer., Reginald., et alii contra alios; ipse enim non tenetur ex re accepta, neque ex injusta acceptione, cum licite id fecerit utendo jure suo.

(16. Nec valet objicere, quod, l. *De his* 1, ff. *De effractoribus et expilatoribus*, expresse statuitur graviter puniendos esse illos, qui, effractis carceribus, aufugiunt, ibi : « De his, qui, effracto carcere, evaserunt, sumendum supplicium divi fratres Æmilio Tironi rescripserunt. Saturninus etiam probat eos, qui de carcere eruperunt, sive effractis foribus, sive conspiratione cum cæteris, qui in eadem custodia erant, capite puniendos. » Non valet, inquam, quia vel id fit, ex quo ibi jurisconsultus secutus sit contrariam sententiam, quam defendunt etiam aliqui theologi, vel ea præsumptione, quod rei carcerati vim intulerint custodibus; vel ex quo propter bonum publicum ea pœna statuta sit. Filliucius, *loc. cit.*; Busemb. et La Croix, *loco cit.*; Tanner, d. 4, qu. 4, dub. 5, ex aliis multis Merbesius, *Summ. Christian.*, t. II, qu. 763, concl. 6; Henno, tom. II, tr. 2, qu. 5, conclus. 5; Cajetanus, Sotus, Bann., Salon., Azor. citati et secuti a Sylvio, in 2-2, quæst. 69, art. 3, qu. 2, ubi sic habet : « Quia reus carcerem effringens utitur jure, quod habet ad fugiendum, et nulli fecit injuriam, neque enim carceres, neque compedes sunt injuriæ capaces, ipsis autem justitiæ ministris nihil injuriæ, ut supponitur, facit. »

(17. Qui non sunt ministri justitiæ possunt licite, non solum consilio, sed etiam instrumentis, v. g. funibus, lima, et hujusmodi, reum juvare, ut fugiat, quia licet suadere alteri finem ipsi licitum, et ad eumdem finem media applicare. Arg. cit. *Juribus*, supra sub n. 13; Tanner., *loc. cit.*; Henno, *loc. cit.*; Lessius, *loc. cit.*, n. 40; Turrian., Vasquez, et alii cum Busemb. et La Croix, *loco cit.* (18. Non possunt tamen licite ipsum juvare ad effringendum carcerem, quia exsecutio ipsa effractionis est licita soli reo propter jus vitæ conservandæ. Sic doctores citati, et alii passim. (19. Dicastillus autem, l. II, tit. 1, d. 6, n. 88, et alii tenent, quod liceat etiam proximis consanguineis, ut patri, conjugi, fratri rei ipsum juvare ad effringendum carcerem, quia censentur una cum ipso persona. Et idem licere dicunt illi, qui certissime timet, ne a reo prodatur, et similiter incarceretur; quia sic liberando reum, censetur liberare seipsum.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Nullo modo est licitum; et si quis id faceret, justa pœna mulctaretur.

RESPONSIO AUCTORIS.

Ast esse licitum, ultra auctores a me alle-

Digitized by Google

gatos, sustinent doctiss. P. Fulgentius Cuniliati tr. 11, in 7 *Decal. præcept.*, De ordine judiciali, n. 10, sic expresse dicens : « Respondeo, Cajetanum, Bannez, Salonium, Sylvium docere, non esse illicitum consanguineis rei consulere fugam, et ministrare instrumenta ad illa exsequenda, etc. : » et dict. clariss. P. Antoine, *loco cit.*, resp. 3; Roncaglia, tract. 15, *De* 8 *Decal. præcept.*, cap. 2, qu. 16, resp. 4, et alii passim. Neque per hoc, quod si quis id faceret, pœna mulctaretur, infertur, quod mortaliter peccaret, ut de reo infringente carceres tradunt Antoine, et Cuniliati, *locis cit.*, et alii passim, quia leges id vetantes sunt mere pœnales, obligantes solummodo in foro fori, et non in foro Poli. * Antoine tamen, et Cuniliati ex aliorum tantum sententia loquuntur. Referunt enim quid hac de re Cajetanus, aliique censeant. Quanquam, cum horum opinionem proponant, nec improbent, eamdem approbasse censeri possint. Illorum autem sententiam, qui putant fas esse aliis adjuvare reum sua opera, suoque facto ad carcerem effringendum, plane rejiciunt. Sic enim Antoine : « Negant omnes, teste Delugo, licere aliis reum juvare effringendo exterius carceres, seu portas, effodiendo parietes, vel alia similia faciendo, quia custodiam publicam violarent; et alias nihil posset esse satis firmum ac tutum ad custodiam reorum, quod cederet in maximum reipublicæ detrimentum. Si enim non licet effringere portas, vel parietes domus privatæ, minus licebit domus publicæ, per quod publica potestas offenderetur. Et quamvis id liceret reo ipsi, propter naturale jus conservandi vitam, non tamen hoc licebit aliis, quibus id non est necessarium ad sui conservationem. » Cuniliati vero : « Respondeo, Cajetanum, Bannez, Salonium, Sylvium docere, non esse illicitum consanguineis rei consulere fugam, et ministrare instrumenta ad illam exsequendam : nemini autem licere adjuvare reum suo facto, suaque opera ad effringendum, aut ad fugiendum, puta funibus extrahendo, scalas sustentando, etc., quia id, quod licet reo ex juris naturalis indulgentia, idem jus aliis vetat; nam perturbaretur omnis ordo justitiæ, et judicum jura nimis offenderentur : si enim non licet effringere fores domus privatæ ulli, qui non sit in necessitate salvandi propriam vitam, multo minus licebit præstare operam ad effringendas fores domus publicæ potestatis, quod idcirco a publica justitia dissimulatur in condemnato ad mortem, ob vim urgentissimam inclinationis naturalis ad propriam vitam tuendam; quod motivum aliis deest. »

(20. Reus emissus ad tempus e carcere, si juravit ad ipsum redire, tenetur stare juramento, si carcer sit justus, etiamsi esset periculum mortis. Suarez, Vasquez, Sanchez, Castropal., Tambur., Gob., aliique passim cum La Croix, lib. III, part. II, n. 334. Si autem carcer sit injustus, Vasquez, et alii multi apud Dianam, part. IX, tract. 8, resolut. 64, et alii apud Castrop., d. 2, punct. 4, n. 24, et apud Sanchez, in *Decalog.* lib. III, c. 11, n. 26, negant teneri stare juramento : imo alii dicunt, posse etiam fugere, licet juravit, se non fugiturum, quia temerarium est se sine causa morti objicere, eo vel maxime, quod status rerum mutatus sit, cum pro illo tempore, quo juravit, non fuerit præsens, et commoda occasio sic mortem fugiendi et evitandi, quæ postea talis est. Suar. vero, Layman, Lessius, Bonac., Gob., et alii dicunt, teneri non fugere, et etiam redire, si sic juravit, quia juramentum est causa gravissima, ne dicatur temere vitam morti exponere, cum exponat in reverentiam juramenti facti : placet tamen limitatio Sanch., *loc. cit.*, n. 34; Castropal., *loc. cit.*, n. 16; Tamb., lib. III, § 5, num. 53, et plurium aliorum, quod scilicet possit fugere, seu non teneatur redire, si quando juravit, non prævidit mortem, vel alia gravia pericula, quæ postea prævidet, quando est occasio fugiendi, aut non redeundi; imo Covarruv. et alii absolute tenent peccare tunc reum, si non fugiat, vel si redeat in talia pericula.

(21. Reo non licet occidere ministros justitiæ, nec illis vim inferre vulnerando, percutiendo, ut se ab illis liberet, quia non sunt iniqui aggressores. Layman, lib. III, tract. 3, pag. 3, cap. 2, et communis aliorum.

(22. Reus non tenetur veritatem fateri judici, etiamsi interrogetur sub juramento, quando non servato juris ordine interrogat *Vide* verb. ACCUSATUS, n. 10 *.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Si interrogetur juris ordine haud servato, non tenetur verum fateri, haudquaquam dicere falsum.

RESPONSIO AUCTORIS.

Ast hæc est ipsissima mea conclusio, qui insuper ibidem n. 23 seq., assigno modum ad evitandum perjurium in occultanda veritate judici interroganti, juris ordine non servato.

(23. Assignatur conveniens modus ad evitandum perjurium in occultanda veritate judici non legitimo, seu non servanti juris ordinem. Vide, *ibid.*, n. 11*. Confer Romani theologi ad art. illum animadversionem, et novas Addit. * V. *Add. Cas.*, v. JURAMENTUM.

(24. Reus tenetur fateri crimen judici legitimo, et servato juris ordine interroganti, et præcipienti sub juramento de dicenda veritate, maxime loquendo de confessione delictorum non inferentium pœnam capitalem, et alias similes gravissimas pœnas, alias non excusabitur a peccato mortali et perjurio. Vide, *ibid.*, n. 12, 13 et 14.

(25. Loquendo vero de confessione et manifestatione delictorum inferentium pœnam capitalem, vel alias gravissimas pœnas, sunt duæ extremæ sententiæ. Prima sententia absolute sustinet, teneri semper sub mortali reum legitime interrogatum fateri veritatem, etiamsi propter talem confessionem esset morte plectendus, et sine tali

Digitized by Google

confessione haberet fundatam spem mortem evadendi. Vide, *ibid.*, n. 15 et 16.

(26. Secunda sententia sustinet, non teneri reum fateri suum delictum, si propter illud plectendus sit pœna capitali, vel triremium, aut alia simili, si nullum grave damnum reipublicæ timeatur, et dicit excusari a perjurio celando veritatem per restrictionem, aut æquivocationem externam. Vide, *ibid.*, n. 17 ad 23.

(27. Advertendum tamen est, quod tunc judex non potest a reis criminaliter inquisitis exigere juramentum, dum judicialiter uti principales examinantur, alias examen, et acta omnia nulla sunt eo ipso, et irrita, omnique carent contra reos effectu. Sic novissime statuit Benedictus XIII, in concilio *Romano*, tit. 13, *De jurejurando*, cap. 2, præcisis iis verbis : « Reprehensibile judicari non debet, si secundum temporum varietates, ubi id necessitas, vel utilitas exposcat, consuetudines et leges quandoque varientur humanæ ; ipse enim Deus, et Dominus, æternus legifer noster, ex iis, quæ Veteri in Testamento statuerat, multa postmodum mutavit in Novo. Stylum itaque in quibusdam curiis sæcularibus et ecclesiasticis nullo unquam jure præceptum, inolevisse perpendimus, ut judices, sive eorum notarii aut scribæ, reos criminali facinore accusatos, examinaturi, juramentum ab his præstari jubeant de veritate dicenda. Quia tamen ex hoc, quotidiana sicuti est experientia compertum, nec in fisci favorem, nec contra reos ipsos, qui ut plurimum patrata a se negant delicta, utilitatis aliquid elici non ignoratur : adeo ut peculiari in hac facti contingentia, nedum talia deinceps juramenta exigendi necessitas non adesse probetur, imo potius, ne illa penitus exigantur, sacri ipsa juramenti ratio postulet, ac suadeat : hinc est, quod Nos, rationibus utrinque perpensis, et quamplurium inhærentes insignium tribunalium praxi, juramentum ipsum, per reos sic criminaliter inquisitos, præstandum, consulto, dum uti principales tantummodo constituuntur, tollendum et submovendum ducimus : prout sacro etiam approbante concilio, præsenti hac constitutione omnino tollimus, ac submovemus ; nec juramentum hujusmodi ullatenus a reis eisdem, nisi tamen ut testes quoad alios examinentur, in futurum per quoscunque judices et ministros sub quovis prætextu, causa et quæsito colore volumus, exigatur ; alias examen, sive constitutum, et omnia nulla sint eo ipso, et irrita, omnique careant contra reos effectu. »

(28. Reus, qui crimen semel negavit injuste, et cum juramento, non tenetur illud confiteri post latam sententiam. *Vide* verb. Accusatus n. 24.

(29. Imo probabile est, nec ante sententiam ad id teneri, donec iterum interrogetur, nisi immineat damnum tertio. Vide, *ibid.*, n. 25.

(30. Quinimo probabilius est, nec teneri ad se publice retractandum, nec posse ad id obligari a confessario in articulo mortis, quando, non obstante delicti negatione, reus convictus est, et damnatus ducitur ad patibulum, vel jam in ipso patibulo moriturus exsistit. Vide, *ibid.*, n. 26 ad 28.

(31. Reus, qui metu vel vi tormentorum mentitus sibi falsum crimen imposuit, ob quod sit morte plectendus, tenetur se retractare, si tali retractatione impediri possit mors ipsius, vel infamia, aut quodlibet aliorum damnum, ob quod negare tenebatur ; secus vero si ad hæc nihil prodesset sua retractatio. Vide, *ibid.*, n. 29.

(32. In tali casu quid esset reo consulendum. Vide, *ibid.*, n. 30.

(33. Præsumptus reus ex præsumptione falsa a judice interrogatus non tenetur confiteri propositionem veram, ubi, ista confessa, condemnandus esset in foro externo de crimine, aut debito, ad quod revera in foro conscientiæ non tenetur. Vide, *ibid.*, n. 31 ad 42, ubi adducuntur rationes, et exempla, et solvuntur instantiæ.

(34. Reus interrogatus a judice, ut sub juramento dicat quantum mercis v. g. apud se retineat, excusatur a perjurio, etiamsi cum juramento neget partem mercis, ne solvat gabellam evidenter injustam, supposito quod in iis circumstantiis non interrogetur legitime. Vide, *ibid.*, n. 43.

(35. Non potest reus falsum crimen testi imponere, ut ejus testimonium eludat, quia ultra mendacium, injuste famam alterius destruit. Unde Innocentius XI, die 2 Martii 1679, merito damnavit sequentem propositionem 44, in ordine : « Probabile est non peccare, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia. »

(36. Reus ultimo supplicio afficiendus tenetur sumere Viaticum. Unde dari ei debet tempus, et commoditas sumendi communionem pro Viatico. *Communis*, per text. in cap. *Quæsitum* 30, et c. *Fures* 31, caus. 13, q. 2.

(37. Hinc ab episcopis per excommunicationem cogendi sunt judices, ut permittant communicari ultimo supplicio afficiendos. Sic statuisse S. Pium V, testatur La Croix, lib. VI, part. I, n. 607. (38. Et tali reo debet dari Viaticum, non solum si una hora post sit occidendus, sed etiam licet statim post sit occidendus. Sic La Croix, *loco cit.*, cum Diana, Pace Jordan., Gobat, Lonher, *ibi citatis* per text. in cap. *Is qui* 8, caus. 26, quæst. 6, ibi : « Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia. »

(39. Potestque illi dari Viaticum, quamvis non sit jejunus, nec judex tenetur differre exsecutionem, ut reus jejunus communicet. La Croix, *loc. cit.*, n. 607, et alii communiter. (40. Reus associans sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, seu ad illum confugiens gaudet Immunitate Ecclesiæ. Sacr. congreg. Immun., *in Beneventana*, 30 Septemb. 1638, lib. III *Decr.* Pauluc., fol. 14.

(41. Reo ultimo supplicio afficiendo non est administranda unctio, quia non est infirmus, ut vult textus *Epistolæ canonicæ divi Jacobi* cap. V, n. 14, ibi : *Infirmatur*

Digitized by Google

quis in vobis, etc. Sic communis doctorum.

(42. Reus an et quando teneatur, ac possit fateri seu revelare complicem? *Vide verb.* COMPLEX PECCATI, a n. 10 ad 12.

(43. Reus capi dicitur in fragranti crimine, quando in ipso actu delinquendi deprehenditur. Ursaya, *Institut. crimin.*, lib. 1, tit. 4, n. 35.

(44. *Reus juridice interrogatus in judicio criminali tenetur veritatem manifestare, ut innuit Benedictus XIV, tom. III, constitut. 34, incip. *Paterna charitas*.

(45. De favore rei in jure, *vid.* Jacob. Gothofred., in *Commentar.* ad l. 125, ff. *De regul. juris*.

Novæ Additiones.

(46. * Ut lector, quæ sibi in hoc articulo maxime a num. 22 ad 35, cavenda sint, facile intelligat, quid de quæstionibus his numeris ab auctore propositis probatiores theologi statuant, summatim indicabimus.

(47. Si reus non interrogetur legitime, seu juridice, non tenetur fateri suum crimen; sed potest judicem eludere absque tamen mendacio. Antoine, tract. *De obligationibus* cap. 5, § 4, quæst. 1, resp. 1.

(48. Reus a legitimo judice juridice interrogatus tenetur sub mortali aperte veritatem et crimen suum fateri, etiamsi morte plectendus sit, alioqui eam vitaturus. *Ib.*, resp. 2. V. *Addit. Cas.*, v. JURAM. n. 23.

(49. Non potest absolvi reus, nisi veritatem aperuerit saltem ante sententiam; nam quandiu judicium durat, censetur eadem interrogatio judicis durare, ideoque eadem fatendæ veritatis obligatio, et negatione illa injusta causam injustam tuetur. *Ibid.*

(50. Reus interrogatus tenetur etiam complices seu socios sui criminis patefacere, si contra eos stent indicia sufficientia, vel unius testimonium, aut infamia, vel si ejus crimen ex se sine sociis fieri nequeat, et bonum commune exigat ut detegantur; nam tunc legitime interrogatur de illis. Secus, si ista omnia desint, quia tunc non interrogatur legitime, ex l. ult. cod. *De accusat.*, et cap. 1 *De confessis*, nisi crimen exceptum sit, et in publicam perniciem tendens, ut hæresis, crimen læsæ majestatis, proditio, publicum latrocinium, veneficium, falsatio monetæ, vel committendum sit in privatæ personæ perniciem. Tunc enim tenetur complices patefacere, saltem quos non scit esse emendatos, alioqui non absolvendus; quia hoc saltem charitas exigit. Item tenetur complices detegere, dum legitima consuetudo obtinuit, ut etiam in privatis criminibus occultis quæ detegi reipublicæ interest, reus de complicibus interrogetur. Quæst. ead. resp. 2, pag. 374 seq.

(51. Reus, qui ad vitanda tormenta falsum crimen sibi imponit, ob quod sit morte plectendus, peccat mortaliter. Quia est directe, et positiva causa moralis injustæ suæ mortis, cum falsa sui infamatione directe moveat judicem ad injustam sui occisionem, estque tam sui homicida, quam qui alteri

falso testimonio mortem infert, est illius homicida. Cum autem homo non sit dominus suæ vitæ ac membrorum, ei nunquam licet dare injuste causam destructionis ejus. Quare non potest absolvi, nisi dicta revocet, etiam cum periculo quævis tormenta patiendi. Quæst. ead., resp. 4.

(52. Innocenti injuste, seu contra ordinem juris damnato licet resistere, sicut licet resistere latronibus, nisi propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis perturbatio timeretur. *Ibid.*

(53. Innocens vero damnatus per sententiam justam in foro exteriori, utpote latam secundum allegata et probata, licet carentem veritate, tenetur pœnam patienter tolerare, si non potest eam vitare sine resistentia publica et scandalo: nam semper talis resistentia est illicita, quando sententia justa est secundum allegata et probata: tunc enim judex utitur legitime potestate legitima, cui non licet resistere, et habet jus exsequendi sententiam. Ita Sot., Malder., Covarr., Vasquez, Sanchez, Lessius dicens esse fere communem sententiam. Quod si damnatus posset sine violenta resistentia et scandalo pœnam effugere, tunc non tenetur ad illam sustinendam, cum sit vere innocens, § cit., quæst. 3, resp. 4.

(54. Ex communi sententia damnatus ad exsilium, vel ad pœnam carceris saltem non valde molesti, tenetur eo se conferre et manere in exsilio, vel in carcere. Ita S. Thomas, Sanchez, Suarez asserens esse communem sententiam. Et proinde non licet aliis suppeditare ei instrumenta ad effringendum carcerem. Item damnatus ad mulctam pecuniariam, tenetur eam solvere, etiam antequam exigatur, si judex expresse jubeat, ut sine alia monitione reus eam solvat. Quia hæ pœnæ non habent injustitiam, nec crudelitatem ex hoc præcise quod a reo exsecutioni mandentur. Reus autem tenetur per seipsum exsequi pœnam justam non nimis acerbam, ad quam a judice damnatus est, præsertim cum talis pœna, ut est carceris, exsilii et mulctæ, non egeat exsecutione alterius; nam quisque tenetur parere justæ sententiæ et obedire superiori justa, et moraliter possibilia præcipienti. Quæst. citat., resp. 6.

(55. Porro si reus ante solutam pecuniam moriatur, tenetur hæres eam solvere; nam succedit in eodem onere bonis affixo. Cum autem jura dicunt pœnam non transire ad hæredem, loquuntur vel de pœna corporali, vel de pœna quæ nondum fuit debita vivente reo. *Ibid.*

(56. Non pauci censent damnato ad triremes licere fugere, nisi data fuerit fides, præsertim jurata, remanendi. Quia non tam damnatur, ut ibi maneat, quam ut detineatur; et quia nimis esset grave reum obligari in conscientia ad sponte manendum, quando fugere potest, cum in triremibus manere sit res durissima, quod extendunt ad perpetuum carcerem valde molestum. Nisi sit religiosus: nam is ex communi sententia tenetur manere, quia ex voto obedientiæ te-

Digitized by Google

netur parere præ.ato in hac pœna justa ibi præcepta. *Ibid.*

(57. Non potest licite reus juste condemnatus petere a custodibus, et multo minus illos pecunia inducere, ut illum fugere permittant, quia cooperaretur peccato lethali eorumdem contra strictam obligationem, qua tenentur ad custodiam inclusorum. Quod diximus de carceri mancipato, dicendum ducimus de perpetuo triremibus condemnato, cum hæc pœna forte superet pœnam perpetui carceris. Cuniliati, tract. 11, *De* 8 *Decal. præcepto*, cap. unic., § 3, n. 11.

(58. Quod autem attinet ad Eucharistiam damnatis capitali supplicio impertiendam, Benedictus XIV, *De synodo diœcesana* lib. VII, c. 11, n. 3, scribit : « In hac eadem materia, nimirum administrationis sanctissimæ Eucharistiæ, non abs re erit aliquid dicere de eo quod alicubi in dubium revocatur, an scilicet concedenda vel deneganda sit communio corporis Christi iis qui ob grave delictum ultimo supplicio damnati sunt. De hac quæstione fuse egimus in nostro tractatu *De sacrificio missæ*, sect. 2, § 175, ubi, indicatis variis locorum consuetudinibus, eam sequendam esse insinuavimus, quæ in unoquoque loco respective obtinere dignoscitur, tametsi innuere non omisimus, Christianæ pietati magis conforme esse, ut vivifici sacramenti participatio iis etiam qui ob grave delictum sententia capitali damnati sunt, petentibus et alioquin recte dispositis, non denegetur. Nunc autem addendum merito censemus, episcoporum partes esse, hanc disciplinam in suis diœcesibus invehendam curare, ut delinquentibus ultimo supplicio afficiendis Eucharistia præbeatur, idque in synodalibus constitutionibus inserere ; auctore nimirum immortalis memoriæ Pontifice S. Pio V, qui in epistola ad archiepiscopum Rossanensem, suum in Hispaniis nuntium, quam videre licet inter collectas a Francisco Goubau, lib. II, n. 2, id ipsum ab eo cum catholico rege agendum, eique suadendum mandat. Quodque earum regionum judices prohibere solebant, ne graviorum criminum reis capite damnatis communio ministraretur, id aperte improbat sequentibus verbis : « (Id nos) sacramentum nempe Eucharistiæ minime esse denegandum censemus, cum Christianæ charitati magis conveniat, eos, ad resistendum tali tempore fortius diabolicis tentationibus, sacra communione muniri, ut, perituro corpore, saluti animæ, quantum fieri potest, subveniatur*. »

RITUS.

Super ritibus Ecclesiæ, eorumque observantia hæc, quæ sequuntur, præstat adnotare.

(1. Super ritibus Ecclesiæ eorumque observantia, nemini licet dispensationem concedere, inconsulta S. Sede. Benedict. XIV, tom. I, const. incip. *Omnium sollicitudinum*, § 14. (2. Ritus paganorum permittere seu convertere in ritus et consuetudines Christianæ religionis, inconsulta S. Sede, nemini licet. Idem, *ibid.*

(3. Conjuges catholici diversi ritus, unusquisque proprium sequi possunt, idem constitut. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 8. (4. Conjux Latinus ritum conjugis Græcæ sequi non potest. (5. At econtra conjux Græcus sequi potest ritum conjugis Latinæ. Idem, *ibid.* Matrimonia inter conjuges diversi ritus, quomodo et coram quibus contrahi debeant? Vide in *supplem.* ad verb. MATRIMONIUM.

(6. Ritus Latinus semel a quocunque susceptus deseri amplius non potest. Idem, *ibid.*, § 7 et 8. (7. Dispensatur cum Græcis de præterito ordinatis ab episcopis Latinis animo retinendi Græcum ritum, ut in hoc permanere valeant. Et, ut id fiat, requiritur dispensatio Apostolica. Idem, *ibid.*, § 7.

(8. Ritus Latinus suscipi non intelligitur per baptismum susceptum a Latinis in casu necessitatis. Idem const. 88, incip. *Demandatam*, § 18. (9. Græco-Melchitis Latino ritu baptizatis de præterito, permittitur electio ritus. Idem, *ibid.*, § 16. (10. Ritus Ecclesiæ Orientalis, qui fidei et bonis moribus non adversantur, conservandi sunt et ab omnibus tolerandi. Idem, cit. constit. *Etsi pastoralis*, § 8 (11. Ritus Ecclesiæ Orientalis observari debent a monachis Ruthenis ordinis S. Basilii. Idem, constit. 89, incip. *Inter plures*, § 24. (12. Sublata cuilibet dispensandi facultate. Idem, *ibid.*

(13. Ritum Græcum sequi tenentur ii ex Græcis, qui in casu necessitatis Latino ritu baptizati fuerint. Idem, citat. constitutione *Demandatam*, § 18. (14. Ritus Græcus in missis et divinis officiis observari debet a Græcis Italiæ, et insularum adjacentium. Idem, citat. constit. *Etsi pastoralis*, § 9. (15. Functiones solemnes Latino ritu in Ecclesiis Græcorum fieri prohibentur absque licentia ordinarii, et vice versa. Idem, *ibid.*, § 9.

(16. Ritus Græco-Latinus in ecclesia Sanctæ Mariæ *del Grafeo* vigens perpetuo servari jubetur. Idem, constitution. 81, incip. *Romana Ecclesia*, § 1 et 2. (17. Ritus Græcorum Melchitarum conservari jubentur, et innovationes in illis inductæ reprobantur et annullantur. Idem, cit. constit. *Demandatam*, § 3. (18. A ritu Græcorum Melchitarum transitus non permittitur ad ritum Latinum inconsulta Sede Apostolica. Idem, *ibid.*, § 15. (19. Item nec ad ritum Maroniticum. Idem, *ibid.*, § 12.

(20. Ritus Malabarici in nuptiis et matrimoniis, in gestatione *Taly*, et funiculorum ex certo filorum numero, croco delibutorum, in fractione fructus cocco, in separatione mulierum menstruatarum et plebeiarum, vulgo *Pareas*, in celebratione primæ puellarum purgationis, in lavacris et ablutionibus, in usu cinerum præter modum et

Digitized by Google

tempus ab Ecclesia receptum, et omnia signa superstitiosa damnantur et prohibentur. Idem, citat. constitution. *Omnium sollicitudinum*, § 13 et 14.

(21. Ritus Sinenses sæpe ad examen fuerunt vocati, et præsertim a sacra congregatione de Propaganda Fide, an. 1645, sub Innocentio X, a congregatione S. Inquisitionis 1656, sub Alexandro VII, 1669, sub Clemente IX, ac sub Innocentio XII, quo interim mortuo, Clemens XI, ejus successor, reassumpto examine omnium dubiorum coram se anno 1704, confirmavit, et Apostolica auctoritate comprobavit congregationis responsiones ad omnia et singula quæsita proposita, quibus ritus Sinenses, utpote superstitione imbuti, prohibebantur, mandavitque, præfatas responsiones ad Carolum Thomam de Tournon Antiochiæ patriarcham commissarium, et in Sinarum regno visitatorem Apostolicum transmitti, ut nimirum exactam earumdem observantiam omnibus et singulis missionariis, pœnis quoque canonicis in refractarios indictis, præciperet.

(22. Clemens XI, anno 1714, iterum omnia confirmat et mandat servari decretum editum a cardinali de Tournon; rejicit appellationes ad S. Sedem interpositas. Declarat eo decreto nihil additum vel detractum responsionibus datis anno 1704. Vetat publicari scripta super ritibus Sinensibus absque licentia S. Sedis. Publicata vero prohibet sub pœnis et censuris in regulis indicis librorum prohibitorum contentis. (23. Idem Clemens XI, præfatas responsiones edita constitutione incip. *Ex illa die*, confirmat, et præcepto arctissimo sub censuris, et pœnis mandat ejusdem decreti exsecutionem, de qua missionarii juramentum præstare jubentur, et donec illud præstiterint. eisdem suspenduntur facultates, et juramenti præstiti exempla authentica ad S. Sedem statuit transmitti, demandata superioribus regularibus, cujusvis ordinis et instituti, eorum omnium plenissima exsecutione.

(24. Carolus Ambrosius Mediobarbus patriarcha Alexandrinus, et in Indiis Orientalibus, ac Sinarum imperio, finitimisque regnis, et insulis commissarius et visitator generalis Apostolicus cum facultate legati de Latere, vix Sinarum regnum ingressus, in iis angustiis se positum intellexit, ut coactus fuerit in publicum emittere permissiones octo circa ritus Sinenses, prohibita tamen eorum promulgatione, et versione in linguam Tartaram, aut Sinicam, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quibus permissionibus nihilominus contra expressam adeo patriarchæ ipsius voluntatem evulgatis per binas suas pastorales ab episcopo Pekinensi mandante universis diœcesis suæ missionariis, ut observarent et observari præciperent constitutionem Clementis XI, incip. *Ex illa die* juxta dictas permissiones, quas ipse contendebat, ad ea potissimum referri, quæ in præcitata constitutione fuerant solemniter interdicta, hinc Clemens XII, anno 1735, binas illas epistolas Apostolico promulgato brevi damnavit ac reprobavit, commisso interim examine dictarum permissionum congregationi S. Inquisitionis, auditis missionariis, aliisque.

(25. Deinde Benedictus XIV, die 11 Julii 1741, auditis cardinalibus et sacræ Inquisitionis consultoribus, examen hujusmodi coram se, et respective per se ipsum absolvit et declarat permissiones illas nunquam a S. Sede approbatas fuisse, imo ejus decisionibus adversari, ac easdem permissiones reprobat et annullat, earumque praxim damnat; quæcunque a Clemente XI, definita sunt, aliter explicari vetat; præsentium observantiam et exsecutionem omnibus et singulis injungit atque demandat sub gravissimis pœnis, missionarios inobedientes in Europam revocari jubet, comminatis in superiores Ordinum pœnis, si huic præcepto minus obtemperaverint, aut in eo desides fuerint; præscribit novam juramenti formulam ab omnibus missionariis omnino observandam, ipsamque tradit in tom. I, const. 19, incip. *Ex quo*, in qua plurima ad rem merito observanda.

(26. De ritibus Sinensibus constitutio, non obstantibus quibuslibet rationibus aut subterfugiis observari debet, ut expresse mandat, ac præcipit idem Benedictus constit. 114, incip. *Redditæ Nobis*.

(27. Sacrorum Rituum congregatio distinguitur in generalem et ordinariam. Generali intervenit Summus Pontifex una cum cardinalibus quotquot eidem congregationi ascripti sunt, omnibusque ipsius congregationis consultoribus, atque in ea agitur de servorum Dei virtutibus, martyrio aut miraculis recognoscendis et approbandis. Ordinariam vero constituunt soli cardinales cum ipsius congregationis secretario, cum protonotario Apostolico et promotore fidei; atque in hac, præter cætera, agitur etiam de revisione Operum conscriptorum a servis Dei, quorum beatificatio promovetur. Benedict. XIV, tom. II, constitution. incip. *Postulatum*.

(28. In congregatione sacrorum Rituum unus consultoris locus perpetuo tribuitur presbyteris Societatis Jesu. Idem, tom. II, constitut. 29, incip. *Constantem*.

(29. Idem in eadem congregatione unus consultoris locus perpetuo tribuitur ordini clericorum regularium Theatinorum. Idem, tom. I, const. 125, incip. *Insignem*.

(30. Consultores congregationis sacrorum Rituum eliguntur a Summo Pontifice ex cœtu prælatorum Romanæ Curiæ, et ex clero sæculari et regulari. Bened. XIV, *De servorum Dei beatificat. et beator. canonization.* lib. I, c. 16, n. 13. (31. Consultores congregat. sacr. Rituum aliqui dicuntur nati, quia statim ac quoddam determinatum officium assequuntur, intelliguntur etiam facti consultores dictæ congregationis; et isti sunt episcopus Apostolici sacrarii, vulgo sacrista, protonotarius congregationis sacrorum Rituum, tres antiquiores Rotæ auditores, auditor Summi Pontificis, assessor sanctissimæ

Digitized by Google

Inquisitionis, magister Sacri Palatii, secretarius congregationis et fidei promotor. Idem, *ibid.*

(32. Item licet electio consultorum regularium ex una potius, quam ex alia familia assumendorum a Summi Pontificis arbitrio dependeat, ex quo tamen electio prædicta fieri consuevit, semper aliquis assumptus est ex familia Patrum Dominicanorum, ex familia Minorum Observantium, et ex familia Patrum Societatis Jesu; (33. Præter quos Summus Pontifex Benedictus XIII, *per suas litteras Apostolicas in forma Brevis expeditas die 7 Augusti, et die 1 Octobris* 1725, *et die 8 Augusti* 1726, statuit perpetuis futuris temporibus, unum consultorem congregationis sacrorum Rituum esse assumendum ex familia Minorum S. Francisci conventualium, alterum ex congregatione clericorum regularium Barnabitarum, et alium ex ordine servorum B. M. V. Idem, *ibid.*, n. 14.

(34. Consultores regulares ex decreto Clementis XIII, edito 11 Maii 1733, exceptis personis in dignitate episcopali constitutis et magistro Sacri Palatii, non possunt interesse congregationibus, quando agitur de causis servorum Dei ejusdem Instituti regularis. Idem, *ibid.*, n. 14.

(35. Consultores congregationis sacrorum Rituum non possunt esse postulatores in quibuscunque causis beatificationis et canonizationis ex citato decreto Clementis XII, 11 Maii 1743. Idem, *ibid.*, n. 24.

(36. Officium consultorum est: primo, diligenter legere informationes omnes, summaria, scripturas tum facti, tum juris, animadversiones fidei promotoris, responsiones et replicationes, quæ in causis exhibentur; (37. secundo, tenentur verbales audire informationes procuratorum, advocatorum et postulatorum; (38. tertio, tenentur accedere statutis diebus ad congregationes, quando coguntur et in illis ferre suffragium; (39. quarto, tenentur inviolabile servare secretum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, a qua absolvi nequeunt, nisi a Summo Pontifice, excluso quoque majori pœnitentiario, præterquam in mortis articulo; (40. quinto, debent manifestare, an oretenus, vel in scriptis, sibi fuerint causæ beatificationum et canonizationum commendatæ. Sic expresse idem, cit. c. 16, n. 15, ubi n. 16, tradit formulam juramenti ad id ab ipsis præstandi.

(41. Dicti consultores uti non possunt adjutorio alicujus familiaris pro studio causarum, nisi id eis a Summo Pontifice concedatur ex gratia, quæ sæpe sæpius ratione veræ Indulgentiæ concessa est, ita tamen, ut nec ils, nec quotquot aliis, qui uti possunt consimili adjutorio, licitum sit adhibere operam alicujus, qui sit advocatus, procurator aut postulator causarum beatificationis et canonizationis, ex cit. decreto Clementis XII, die 11 Maii 1733 edito. Idem, *ibid.*, n. 18.

(42. Consultores possunt procuratoribus et advocatis in verbali informatione proponere difficultates absque timore violandi secretum. Idem, *ibid.*, n. 19.

(43. Debent, si absunt a congregatione, suum suffragium in scriptis transmittere in eadem sacra congregatione legendum. Idem, *ibid.*, num. 21, et rursus in lib. IV Addition. ad caput 16 libri primi ex *Decreto Clementis XII*, edito 7 Septemb. 1735.

(44. Consultores sedent, cum suffragium præstant in congregationibus antepræparatoria et præparatoria; stant autem, cum suffragium ferunt in congregatione generali coram Summo Pontifice, et postquam omnes suffragati sunt, exeunt ex aula congregationis, remanentibus in ea Summo Pontifice, cardinalibus sacræ congregationis, secretario ejusdem, fidei promotore et magistris Cæremoniarum. Idem, *ibid.*, n. 22.

(45. Rituale Romanum illud tantum habendum, quod jussu Pauli V editum, et ad patriarchas, archiepiscopos et episcopos directum est. Bened. XIV, constit. incip. *Cum ut recte*, § 24.

(46. Ritus Orientales non modo convellere nunquam studuerunt Romani Pontifices, sed tueri ac servare pro viribus allaborarunt. Benedict. XIV, const. incip. *Allatæ sunt*, § 6. Unde missionarii relaxare non possunt præscripta ritu Orientalium. Idem, *ibid.*, § 3. Ritus enim tam in Latina quam in Orientali Ecclesia corrigere, permittere vel interdicere Apostolicæ Sedis est; et proinde ritus in Ecclesia recepti, ab inferioribus, inconsulta Apostolica Sede, non modo tolli penitus, sed nec ex parte quidem immutari possunt. Idem, *ibidem*, § 27.

(47. Ritus confusio non inducitur, ex quo Græcus in Latina, vel Latinus in Græca Ecclesia, retento proprio ritu, sacra peragat. Idem, *ibid.*, § 33 et 35. Id vero contingeret, si Græcus modo Græco ritu, modo Latino, vel Latinus nunc Latino, nunc Græco ritu, sacra perageret. Idem, *ibid.*, § 34.

(48. Purificationis præceptum *Levitici* cap. XII propositum, brevius, longiusque tempus præfinivit, prout mulier masculum, vel fœminam enixa esset. Benedict. XIV, constit. incip. *Ex quo primum*, § 69.

(49. Similis lex viguit quoque primis sæculis in Ecclesia, licet jamdiu in Latina abrogata fuerit. Idem, *ibid.*, § 70. Voluntarius ideo plane est ritus, hactenus a pauperibus in Latina Ecclesia servari solitus, et in Rituali Romano descriptus; hæc enim benedictio mulieris post partum in Ecclesia Latina nullo jure præcipitur, eamque prætermittens minime peccat, nisi forte id ageret per spretum atque contemptum. Idem, *ibid.*, § 70. Ista tamen lex de puerperio vim coactivi præcepti adhuc obtinet apud Græcos, et exacte custoditur. Idem, *ibid.*, § 71 et 72, qui subinde § 73, licitam ipsis ejusmodi observationem demonstrat.

Digitized by Google

RIXA.

Vide verb. BELLUM, *num.* 2, *et verb.* VIRTUS, *num.* 86.

ROGATIONES

SUMMARIUM.

1. Rogationes secundum Sidonium Apollinarem, et alios, fuerunt primo inventæ et institutæ a S. Mamerto episcopo Viennensi in Delphinatu. — 2. Secundum alios S. Leo ductus consilio ipsius S. Mamerti jussit, ut pius ille usus servaretur, qui jam invaluerat in quibusdam Ecclesiis Gallicanis eadem ratione, qua Roma servabatur. — 3. Unde quamvis S. Mamertus dicatur Rogationum auctor, verisimile tamen est, non tam fuisse auctorem, quam instauratorem et reparatorem. — 4. Rogationes per triduum ante Ascensionem cum jejunio celebrandas esse olim statuit concilium Aurelian. I. — 5. Nunc vero in tribus diebus Rogationum jejunandum non est, nisi Mediolani. — 6. In triduo Rogationum post Laudes recitandæ sunt de præcepto, etiam extra chorum, litaniæ Sanctorum. — 7. Et quidem recitandæ sunt proprio respective mane, nec possunt recitari Vesperi pridie statim post Matutinum et Laudes officii diei etiam pridie recitatas. — 8. Triduanæ Rogationes cur ab Ecclesia universali præcipiantur quotannis celebrari. — 9. Alia ad rem, *remissive*.

(1. Rogationes, ut vult Sidonius Apollinaris, l. v, epist. 41, relat. in *Theatro vitæ humanæ*, t. VI, verb. *Rogation.*, lit. *B*, fuerunt primo inventæ et institutæ a S. Mamerto seu Mamerco episcopo Viennensi in Delphinatu, qui easdem eo fine induxit, ut quæ dictæ civitati videbantur portendi ex horribili ac sæpius iterato terræmotu, ex ululatibus atque nimium horrificis vociferationibus, et ex spectris, quæ omnibus ac singulis oppidanis terrorem incutiebant, ac trepidationem, precibus iracundia divina flecteretur.

(2. Alii autem, quos tacito nomine refert Pontas, tom. III, verb. *Rogationes*, volunt S. Leonem ductum consilio dicti S. Mamerti jussisse anno 442, ut pius ille usus servaretur, qui jam invaluerat in quibusdam Ecclesiis Gallicanis, eadem ratione, qua Romæ servabatur; atque eidem adnecteretur parvarum Litaniarum cantus, atque tandem voluisse S. Gregorium Magnum, ut in istis supplicationibus magnæ Litaniæ cantarentur, atque sacra effigies S. Lucæ in iisdem deferretur propter gravem pestilentiam, qua tunc temporis urbs Roma opprimebatur. Et revera S. Avitus Viennensis episcopus in Delphinatu homilia *De Rogationibus*, quæ exstat in tomo tertio *Bibliothec. SS. Patrum*, ut refertur in *Theatro vitæ humanæ*, *loc. cit.*, sub litteris *E*, *S*; Cæsarius Arelatensis, serm. 37, et S. Gregorius Turonensis, lib. II *Histor.*, c. 34, testantur, jam labente quinto sæculo in omnibus fere Ecclesiis obtinuisse usum prædictarum supplicationum atque solemnium obsecrationum (1).

(3. Quamvis autem S. Mamertus dicatur Rogationum auctor, verisimile tamen est, non tam fuisse auctorem, quam instauratorem et reparatorem; hoc enim manifeste patet ex his citati Sidonii Apollinaris verbis : « Erant quidem prius (quod salva fidei pace dictum sit) vagæ, tepentes, frequentesque, utque sic dixerim, oscitabundæ supplicationes, etc. In his, quas supradictus summus sacerdos nobis, et protulit, et contulit, jejunatur, oratur, psallitur, flatur. » Ex his Sidonii verbis apparet, inquit cardinalis Baronius in notis *Martyrologii* ad 25 Aprilis, sanctum Mamertum episcopum non tam instituisse, quam restituisse, et in meliorem formam reduxisse sacras Rogationes. Sane quidem S. Augustinus, qui tempore præcessit S. Mamertum, de iisdem Rogationibus, quæ præcedunt celebritatem Ascensionis Dominicæ, non obscure meminit serm. 174 *De Temp. in Vigilia Ascens.*, tom. X, pag. 338, edition. Lovan. Est ejus exordium hujusmodi : « Scire debemus et intelligere, fratres charissimi, quia dies compunctionis et pœnitentiæ celebramus, etc. » Circa finem autem sic : « Nullus sibi de industria aliquas occupationes inquirat, per quas se de ecclesiæ conventu subducat; sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus, jejunando, orando et psallendo medicamenta sibi spiritualia non inquirit, etc. » Quibus quidem eumdem de sacris Rogationibus verba facere nullum est dubium. Hæc Baronius, *loc. cit.*, et *Theatrum vitæ humanæ*, *loc. cit.*, sub. litt. *G* (2).

(4. Rogationes per triduum ante Ascen-

(1) Vide quam hæc falsa sint. Rogationes Romæ ante pontificatum Leonis III, qui non nisi anno 795 sedere cœpit, receptas non fuisse, testis adest Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita, ubi ait : « Ipse vero constituit, ut ante tres dies Ascensionis Dominicæ litaniæ celebrentur, scilicet feria II egrediente Pontifice cum omni clero et cuncto populo cum hymnis et canticis spiritualibus ab ecclesia Dei Genitricis *ad Præsepe*, pergendo ad Ecclesiam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana; feria tertia vero exeuntes ab ecclesia Sanctæ Sabinæ martyris, et pergentes ad B. Paulum apostolum; feria quarta exeuntes ab ecclesia Hierusalem, et pergentes ad ecclesiam B. Laurentii martyris. »

(2) Frustra hæc sunt, ut Mamertus solum Rogationum *instaurator* dici debeat; neque enim, inquit Zaccaria *Onomast. Ritual.*, t. XI, p. 124, quæstio est, an is primus litaniarum usum in Ecclesiam invexerit, quem constat multo antiquiorem fuisse; sed an eas instituerit, quæ ante Ascensionem Domini celebrantur, Rogationesque propria jam voce nuncupantur : in quo consentiunt fere omnes, et Sidonii ep. 14, lib. v, verba *invenit*, *instituit*, *invexit*, dubitari non sinunt. Sermo autem ille 174, *de tempore* supposititius est, atque in appendicem sermonum, qui Augustini non sunt, a Patribus S. Mauri cum serm. 175, rejectus, idque vel ista Rogationum Augustini tempore nondum institutarum mentio suadet.

Digitized by Google

sionem cum jejunio celebrandas esse olim statuit concilium *Aurelianense* I triginta trium episcoporum anno Christi 511, sub Symmacho Papa, tempore Clodovei I, Francorum regis Christiani cap. 29, præcisis his verbis, quæ referuntur etiam in cap. *Rogationes* 2, dist. 3, De consecrat., ibi: « Rogationes, id est litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari: ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis solemnitate solvatur, per quod triduum servi et ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat. Qui triduo omnes abstineant, et Quadragesimalibus cibis utantur. »

(5. Nunc vero in tribus diebus Rogationum jejunandum non est, nisi Mediolani, quia Mediolanenses Quadragesimam incipiunt triduo post quam alii; et alii fideles in illo triduo non jejunant pro Rogationibus, quia tempore Paschali non jejunatur. Concil. *Mediol.* I (3).

(6. In triduo Rogationum post Laudes recitandæ sunt de præcepto; etiam extra chorum, litaniæ Sanctorum, quæ non duplicantur cum suis precibus. *Communis.* Sunt enim pars officii. *Vide* verb. Litaniæ, n. 16.

(7. Et quidem recitandæ sunt proprio respective mane, nec possunt recitari Vesperi pridie statim post Matutinum et Laudes officii diei etiam pridie recitatas, ut colligitur a simili de officio Defunctorum die commemorationis omnium fidelium defunctorum, quod recitandum est de præcepto etiam extra chorum mane illius secundæ diei Novembris, nec potest anticipari in Vesperis, ex decreto sac. congregat. Rituum, 1 Septembris 1607. (Nota tamen, decretum hoc revocatum fuisse ab ead. sac. congr. Rituum a lio decreto in una *Ratisbonen.* 4 Septembr. 1745. Quare nunc licet privatim recitare officium Defunctorum die antecedenti commemorationem omn. fidel. defunctorum; atque hinc ruit fundamentum a simili hic allatum.) Et sic docent Tamburin., in *Decalog.*, lib. II, capit. 5, § 5, n. 7; Stoz, lib. I, part. III, n. 417; Merati, t. II, sect. 6, cap. 16, n. 5, cum pluribus ibi adductis, et alii; unde caute legendi sunt doctores contrarium sentientes, ignorantes fortasse prædictum decretum sacræ congregationis; tum quia ipsæ litaniæ sunt loco assistentiæ ad processionem, quæ assistentia non potest anticipari, sed ipso proprio respective die Rogationum observari debet.

(8. Triduanæ Rogationes ab universali Ecclesia quotannis celebrari præcipiuntur, ut propitietur Deus peccatis nostris, et a nobis flagella iræ suæ dignetur avertere, pacem, et aeris salubritatem concedat, ut fructus terræ dare, et conservare dignetur, et omnibus nostris necessitatibus benigne prospiciat, ut constat ex Ordin. Romano titul. *De Rogationibus*, et confirmant Amalarius, lib. I, cap. 57; Gemma, lib. III, cap. 139; Cæsarius Arelatensis, homil. 37, et alii passim.

(9. Quid circa commemorationes Rogationum, si in diebus hujusmodi officium occurrat primæ classis, puta titularis, patroni, vel dedicationis Ecclesiæ? *Vide* verb. Vigilia

ROMANI PONTIFICES.

* De Romano Pontifice plura quidem exstant in hac Bibliotheca, tum ex auctore, verb. *Ecclesia*, verb. *Papa*, verb. *Regimen*, tum *ex aliena manu*, sed quoniam desiderari adhuc videbatur Romanorum Pontificum completa series; idcirco hic adducitur ex celebriorum chronologorum tabulis deprompta.

Sæculum I.

(1. Anno Æræ vulg. 33. S. Petrus primus Christi in terris vicarius, Jerosolymis primum, deinde Antiochiæ ad an. usque 41 diversatus, inde Romæ sedit annos 25. Martyrii palmam sub Nerone consecutus die 29 Junii an. Chr. 66.

(2. 66. S. Linus Etruscus, jam Petro coadjutor ab an. 55, post ipsum Ecclesiam rexit per annum circ. martyr occubuit 23 Sept., an. Chr. 67.

(3. 67. S. Clemens I Rom. Ecclesiam rexit ad an. usque 76. Cessit pontificatui, et martyr obiit 23 Nov. an. 100.

(4. 77. S. Cletus Rom. Ob. martyr 23 Apr. an. 83.

(5. 83. S. Anacletus Græcus. Ob. martyr 13 Julii an. 96.

(6. 96. S. Evaristus Græcus. Ob. martyr 26 Octobris an. 108.

Sæculum II.

(7. 108. S. Alexander I Roman. Obiit martyr 3 Maii an. 117.

(8. 117. S. Sixtus I Roman. Ob. martyr 3 Aprilis an. 127.

(9. 127. S. Telesphorus Græcus. Ob. martyr 5 Januar. an. 138.

(10. 138. S. Hyginus Græcus. Ob. martyr 8 Januar. an. 142.

(11. 142. S. Pius I Aquileiensis. Ob. martyr 11 Julii an. 150.

(12. 150. S. Anicetus Syrus. Ob. martyr 17 Aprilis an. 161.

(13. 162. S. Soter Campanus. Ob. 22 Apr. an. 171.

(14. 171. S. Eleutherus Græcus. Ob. 20 Maii an. 185.

(15. 185. S. Victor I Afer. Ob. 28 Julii 197.

(16. 197. S. Zephyrinus Roman. Ob. martyr 26 Julii an. 217.

Sæculum III.

(17. 217. S. Calistus I Roman. Ob. martyr 14 Octobris 222.

(18. 222. S. Urbanus I Roman. Ob. martyr 25 Maii 230.

(3) Idem mos in Melitensi insula viget.

Digitized by Google

(19. 230. S. Pontianus Roman. Ob. martyr 30 Octobris 235.

(20. 235. S. Anterus Græcus. Ob. martyr 3 Januarii 236.

(21. 236. S. Fabianus Roman. Ob. martyr Kal. Martii 250.

(22. 250. S. Cornelius Roman. Ob. martyr 14 Septembr. 252.

Schisma I. Novatianus antipapa.

(23. 252. S. Lucius I Roman. Ob. martyr 3 Martii 254.

(24. 254. S. Stephanus I Roman. Ob. martyr 2 Augusti 257.

(25. 257. S. Sixtus II Græcus. Ob. martyr 6 Augusti 259.

(26. 259. S. Dionysius. Ob. martyr 29 Decembris 268.

(27. 269. S. Felix I Roman. Ob. martyr Kal. Januarii 274.

(28. 274. S. Eutychianus Etruscus. Ob. martyr 8 Decemb. 283.

(29. 283. S. Caius Dalmata. Ob. martyr 22 Aprilis 295.

(30. 295. S. Marcellinus Roman. Ob. martyr 26 Aprilis 304.

Sæculum IV.

(31. 304. S. Marcellus Roman. Ob. martyr 16 Januar. 310.

(32. 310. S. Eusebius Græcus. Ob. martyr 17 Augusti 310.

(33. 310. S. Miltiades Afer. Ob. martyr 15 Januarii 314.

(34. 314. S. Silvester I Roman. Sub ipso pax reddita Ecclesiæ a Constantino M. celebratumque concilium *Nicænum* I, *œcumenicum* I, contra Arianos an. 325. Rexit Ecclesiam an. 21, m. 11. Ob. die 31 Decemb. 335.

(35. 336. Sanctus Marcus Roman. Obiit 7 Octobris 336.

(36. 337. S. Julius I Roman. Ob. 12 Apr. 352.

(37. 352. S. Liberius Rom. Ob. 24 Septemb. 366. Vide *Hist. Eccles.*

(38. 358. S. Felix II Rom. a Constantio imperatore Ariano in locum Liberii jam in exsilium acti subrogatus fuerat, qui tamen Pontifex factus catholicam fidem propugnavit, et martyrium passus est, dum adhuc Liberius Sedem Romanam obtineret.

(39. 366. S. Damasus Hispanus post obitum Liberii Pontifex electus, contra quem schisma II in Ecclesia conflavit Ursicinus. An. 381, habitum est concilium *Constantinopolitanum* I, *œcumenicum* II, contra Macedonianos. S. Damasus ob. die 11 Decembris 384.

(40. 385. S. Siricius Roman. (cujus sanctitatem novissime asseruit Benedictus XIV. Vide *Epistol. de nova Martyrol. editione* ad regem Portugalliæ, quæ exstat in *Bullar.* tom. II, n. 54.) Ob. 19 Septembr. 399.

(41. 399. S. Anastasius I Roman. Ob. 3 Novembr. 401.

Sæculum V.

(42. 401. S. Innocentius I Albanus. Pelagium, Cœlestium et Julianum hæreticos proscripsit sanctissimus Pontifex. Ob. 14 Febr. 417.

(43. 417. S. Zosimus Græcus. Ob. 13 Decemb. 418.

(44. 418. S. Bonifacius I Roman. Ob. 4 Sept. 422.

Schisma III. Eulalius antipapa.

(45. 422. S. Cœlestinus I Campanus, sub quo an. 341, habitum est concilium *Ephesinum* I, *œcumenicum* III, contra Nestorium. Obiit SS. Pontifex 21 Julii 432.

(46. 432. S. Sixtus II Roman. Ob. 22 Julii 440.

(47. 440. S. Leo I Etruscus cognomento Magnus, sub quo an. 451, celebratum est concilium *Chalcedonense œcumenicum* IV, contra Dioscorum et Eutychem. Ob. doctissimus æque ac sanctissimus Pontifex 3 Novemb. 461.

(48. 461. S. Hilarius Sardus. Ob. 21 Februar. 468.

(49. 468. S. Simplicius, Tiburtin. Ob. 2 Mart. 483.

(50. 483. S. Felix III Roman. Ob. 25 Febr. 492.

(51. 492. S. Gelasius I Afer. Ob. 19 Novembr. 496.

(52. 496. S. Anastasius II Roman. Ob. 17 Novembris 498.

(53. 498. S. Symmachus Sardus, contra quem schisma in Ecclesia IV conflavit Laurentius Roman. antipapa. Ob. 19 Jun. 514.

Sæculum VI.

(54. 514. S. Hormisda Campanus. Ob. 9 August. 523.

(55. 523. S. Joannes I Etruscus Ravennæ martyr occubuit die 27 Maii 526.

(56. 526. S. Felix IV. . . . . Ob. 25 Septembr. 530.

(57. 530. Bonifacius II Roman. Ob. 8 Novembr. 532. Schisma V. Dioscorus antipapa.

(58. 533. Joannes II Roman. Ob. 28 Maii 535.

(59. 536. S. Agapetus Roman. Ob. 22 April. 536.

(60. 536. S. Silverius Campanus, Hormisdæ filius, martyr occubuit 20 Junii 538.

Schisma VI. Vigilius Sedem invadit.

(61. 538. Vigilius Roman. qui in Sedem Silverii legitimi Pontificis favente Bellisario irrepserat, mortuo Silverio agnitus est et ipse legitimus Pontifex. Ob. 11 Januar. 555, sub ipso habitus est an. 553, concilium *Constantinopolitanum* II, *œcumenicum* V, contra Origenistas, etc.

(62. 555. Pelagius I Roman. Ob. 2 Mart. 560.

(63. 560. Joannes III Roman. Ob. 13 Jul. 573.

(64. 574. S. Benedictus I Roman. Ob. 25 Jul. 578.

(65. 578. Pelagius II Roman. Ob. 12 Febr. 590.

(66. 590. S. Gregorius Magnus, Roman. post interpontificium ab obitu Pelagii II mensium sex et dierum 25, electus est Pontifex. Donatistas in Africa coercuit, et Joannis patriarchæ Constantinop. se *œcumenicum*

Digitized by Google

episcopum inscribentis fastum cohibuit. Angliam ad fidem convertit, et Ecclesiæ Latinæ sanctissimus doctor habetur. Sedit annos 23, m. 6, dies 10, migravit ad Dominum die 12 Martii an. 604.

Sæculum VII.

(67. 604. Sabinianus Volater. Ob. 2 Febr. 606.

(68. 607. S. Bonifacius III Roman. electus post interpontificium mensium 11 et dier. 17. Ob. 20 Octobris 607.

(69. 608. Bonifacius IV Marsus. Obtinuit a Phoca imperat. templum Pantheon, illudque, eliminatis ethnicorum superstitionibus dicavit B. Mariæ semper Virgini, et sanctis omnibus martyribus. Ob. 7 Maii 615.

(70. 615. Deusdedit Roman. Ob. 7 Novemb. 618.

(71. 618. S. Bonifacius V Campanus, post interpontificium anni unius, mens. 1, d. 17, electus Pontifex. Ob. 24 Octob. 624.

(72. 625. Honorius I Capuanus. Ob. 12 Octob. 638. Hic Pontifex, perperam ab hæreticis Monothelitarum hæreseos insimulatur, et ab ea tam vere quam pie vindicatur.

(73. 640. Severinus Roman. post interpontificium mensium circiter 20 creatus Pontifex, sedit tantum menses duos.

(74. Joannes IV Dalmata. Ob. 12 Octobris 642.

(75. 642. S. Theodorus Græcus. Ob. 13 Maii 649.

(76. 649. S. Martinus I Tudertinus. an. 4 sui pontificatus missus est in exsilium ab imperatore Constante hæretico Monothelita, ibique morbis et ærumnis confectus migravit martyr ad Christum, 16 Septemb. 653.

(77. 654. S. Eugenius I Roman. vivente adhuc in exsilio Martino I, eoque, ad præcavendas hæretici imperatoris Constantis insidias, consentiente, a clero Roman. electus Pontifex. Ob. 2 Junii 657.

(78. 657. S. Vitalianus Signin. Ob. Jan. 672.

(79. 673. Adeodatus Roman. Ob. 17 Jun. 676.

(80. 676. Donus I Roman. Ob. 11 April. 679.

(81. 679. S. Agatho Siculus. Præfuit per suos legatos sextæ synodo œcumenicæ, Constantinop. III, contra Monothelitas celebratæ an. 680. Ob. 10 Jan. 682.

(82. 682. Sanctus Leo II Siculus. Ob. 3 Jul. 683.

(83. 684. S. Benedictus II Roman. Ob. 8 Maii 685.

(84. 685. Joannes V Antiochen. Ob. 2 August. 686.

(85. 686. Conon Thrax. Ob. 21 Septemb. 687.

Schisma VII. Petrus et Theodorus antipapæ.

(86. 687. S. Sergius I Antiochen. Ob. 8 Septemb. 701.

Schisma VIII. Theodorus archipresbyter et Paschalis archidiaconus, antipapæ.

Sæculum VIII.

(87. 701. Joannes VI Græcus. Obiit 11 Jan. 705.

(88. 705. Joannes VII Græcus. Ob. 18 Octobr. 707.

(89. 708. Sisinnius Syrus. Ob. 7 Febr. 708, post dies 20 pontificatus.

(90. 708. Constantinus Syrus. Ob. 9 Apr. 715.

(91. 715. S. Gregorius II Roman. Ob. 12 Febr. 731.

(92. 731. S. Gregorius III Syrus. Ob. 28 Nov. 741.

(93. 741. S. Zacharias Græcus. Ob. 15 Mart. 752.

Nota. Post obitum Zachariæ electus est Pontifex Stephanus hujus nominis II, qui subita morte quarta die ab electione interceptus, ordinari ac consecrari non potuit: atque idcirco a quibusdam inter Pontifices non recensetur. Post ipsum vero electus est.

(94. 752. Stephanus III Roman. Ob. 26 April. 757.

(95. 757. S. Paulus I Roman. Prædefuncti Stephani III germanus frater. Ob. 29 Jun. 767.

Schisma IX. Theophylactus antipapa.

(96. 768. Stephanus IV Siculus electus post interpontificium 13 mensium. Ob. 1 Feb. 772.

Schisma X. Philippus et Constantinus antipapæ.

(97. 772. Adrianus I Roman. cujus pontificatus diuturnissimus omnium hucusque fuit; rexit enim Ecclesiam an. 23, mens. 10, dies 18. Anno 787, habitum est concilium *œcumenicum* VII, *Nicænum* II, contra Iconomachos. Ob. die 26 Decembris 795.

(98. 795. S. Leo III Rom. Ob. 18 Jun. an. 816.

Sæculum IX.

(99. 816. Stephanus V Rom. Obiit 22 Jan. 817.

(100. 817. S. Paschalis I Rom. Ob. 11 Maii 824.

(101. 824. Eugenius II Rom. Ob. 27 Aug. 827.

Schisma XI. Zinzinius antipapa.

(102. 827. Valentinus Rom. Ob. die 40 ab electione.

(103. 828. Gregorius IV Rom. Ob. 11 Jan. 844.

(104. 844. Sergius II Rom. Ob. 27 Jan. 847.

(105. 847. S. Leo IV Rom. Ob. 17 Jul. 855.

(106. 855. Benedictus III Rom. Ob. 10 Mart. 858.

Schisma XII. Anastasius antipapa.

(107. 858. Nicolaus I Rom. Ob. 12 Nov. 867.

(108. 867. Adrianus II Rom. Ob. 25 Novembr. 872.

Anno 869 habitum est concilium *œcumenicum* VIII, *Constantinopol.* IV, contra Photium schismaticum patriarcham C. P.

(109. 872. Joannes VIII Rom. Ob 15 Dec. 882.

Digitized by Google

(110. 882. Martinus II seu potius Marinus, patria Gallesinus. Ob. 23 Februar. 884.

(111. 884. Adrianus III Rom. Ob. 8 Jul. 885.

(112. 885. Stephanus VI Rom. Ob. 7. Aug. 891.

Schisma XIII. Anastasius antipapa.

(113. 891. Formosus, episc. Portuen. Ob. 4 Apr. 896.

Schisma XIV. Sergius antipapa.

(114. 896. Bonifacius VI Etruscus. Sede pulsus quintodecimo ab invasione die. A quibusdam ceu legitimus Pontifex non computatur.

(115. 896. Stephanus VII Rom., post tres menses Pontificatus in carcere exstinctus.

(116. 897. Romanus Gallesin. Ob. 8 Febr. 898.

(117. 898. Theodorus II Rom. Ob. vicesimo die P.

(118. 898. Joannes IX Rom. Ob. 26 Mart. 900.

Sæculum X.

(119. 900. Benedictus IV Rom. Obiit 20 Octobr. 904.

(120. 904. Leo V Ardeat. Ob. quadragesimo die P. Schisma XV contra Leonem conflavit Christophorus Rom., qui post illius obitum Sedem invasit ac retinuit per 7 menses, inde abrenuntiare coactus.

(121. 905. Sergius III Rom. Ob. an. 912.

(122. 913. Anastasius III Rom. Ob. 914.

(123. 914. Lando Sabinus. Ob. 915.

(124. 915. Joannes X Roman. Ob. 928.

(125. 928. Leo VI Rom. Ob. 929.

(126. 929. Stephanus VIII Rom. Ob. 931.

(127. 931. Joannes XI Rom. Ob. 936.

(128. 936. Leo VII Rom. Ob. 939.

(129. 939. Stephanus IX Rom. Ob. 943.

(130. 943. Martinus III Rom. Ob. 946.

(131. 946. Agapetus II Rom. Ob. 956.

(132. 956. Joannes XII Rom. Ob. 963.

Schisma XVI. Leo antipapa.

(133. 964. Benedictus V Rom. ejectus paucis diebus ab electione.

(134. 964. Leo VIII Rom. Ob. April. 965. post cujus obitum revocatus est Benedictus V, qui tamen e vivis excessit mense Julio 965.

(135. 965. Joannes XIII Rom. Ob. Sept. 972.

(136. 972. Benedictus VI Rom. Ob. 974.

Schisma XVII. Bonifacius antipapa.

(137. 974. Donus II Rom. Ob. 975.

(138. 975. Benedictus VII Rom. Ob. 984.

(139. 984. Joannes XIV Roman. aut Papien. Ob. 985.

Schisma XVIII. Joannes, a quibusdam dictus XV.

(140. 986. Joannes XVI Rom. Ob. 996.

(141. 996. Gregorius V Saxo. Ob 999.

Schisma XIX. Joannes episcopus Placentinus antipapa.

(142. 999. Silvester II Gallus. Obiit 12 Maii 1003.

Sæculum XI.

(143. 1003. Joannes XVII Rom. Ob. 31 Octobr. 1008.

(144. 1004. Joannes XVIII Rom. Ob. 28 Jul. 1009.

(145. 1009. Sergius IV Rom. Ob. 13 Jul. 1012.

(146. 1012. Benedictus VIII Tuscul. Ob. 10 Jul. 1024.

Schisma XX. Gregorius antipapa.

(147. 1024. Joannes XIX Tuscul. Antecessoris germanus frater. Obiit 6 Novemb. 1033.

(148. 1033. Benedictus IX Tuscul. puer decennis, e Sede deturbatus a Romanis ann. 1044.

Schisma XXI. Silvester III et Joannes antipapæ.

(149. 1045. Gregorius VI Rom. Pontificatum dimisit 19 Decembr. 1046.

(150. 1046. Clemens II Saxo. Ob. 9 Octob. 1047. Benedictus IX qui supra, revocatus. Obiit 17 Julii 1048.

(151. 1048. Damasus II Bavarus. Ob. die 22 P.

(152. 1049. S. Leo IX German. Ob. 19 Aprilis 1054.

(153. 1055. Victor II Bavarus. Obiit 28 Julii 1057.

(154. 1057. Stephanus IX Lotharingus. Obiit 29 Mart. 1058.

Schisma XXII. Benedictus antipapa.

(155. 1058. Nicolaus II Burgundus. Ob. 24 Jun. 1061.

(156. 1061. Alexander II Mediolanens. Obiit 20 Aprilis 1073.

Schisma XXIII. Cadalous dictus Honorius II antipapa.

(157. 1073. S. Gregorius VII Soanen. Obiit 25 Maii 1085.

Schisma XXIV. Guibertus Parmen. dictus Clemens III antipapa.

(158. 1086. Victor III Benevent. Ob. 15 Sept. 1087.

(159. 1088. Urbanus II Gallus. Obiit 29 Julii 1099.

Sæculum XII.

(160. 1099. Paschalis II Etruscus. Ob. Jan. 1118.

Schismatis continuatio; Albertus et Theodorus antipapæ.

(161. 1118. Gelasius II Cajetan. Obiit 29 Jan. 1119.

Schisma XXV. Mauritius Burdinus antipapa.

(162. 1119. Calistus II Burgundus. Ob. 12 Dec. 1124.

Anno 1122 habitum est concilium *œcumenicum* IX, *Lateranense* I.

(163. 1124. Honorius II Forocornel. Ob. 26 Febr. 1130.

Schisma XXVI. Clemens IV antipapa.

(164. 1130. Innocentius II Rom. Ob. 24 Sept. 1143.

Schisma XXVII. Petrus Leonis dictus Anacletus II antipapa.

Anno 1139 habitum est concilium *œcumenicum* X, *Lateranense* II.

(165. 1143. Cœlestinus II Etruscus. Obiit 9 Martii 1144.

(166. 1144. Lucius II Bononien. Obiit 25 Febr. 1145.

Digitized by Google

(167. 1145. Eugenius III Pisanus. Obiit 6 Julii 1153.

(168. 1153. Anastasius IV Rom. Ob. Decembri 1154.

(169. 1154. Adrianus IV Anglus. Ob. 1 Sept. 1159.

(170. 1159. Alexander III Senen. Obiit 21 Aug. 1181.

Schisma XXVIII. Victor, Paschalis, Calistus, Innocentius successive antipapæ contra Alexandrum.

Anno 1179 habitum est concilium *œcumenicum* XI, *Lateranense* III, contra Waldenses, Albigenses, etc.

(171. 1181. Lucius III Lucen. Ob. 25 Novembr. 1185.

(172. 1185. Urbanus III Mediol. Obiit 18 Octobris 1187.

(173. 1187. Gregorius VIII Benev. Ob. 15 Dec. 1187.

(174. 1187. Clemens III Roman. Ob. 25 Mart. 1191.

(175. 1191. Cœlestinus III Roman. Ob. 7 Jan. 1198.

(176. 1198. Innocentius III ex comitibus Ananiens.

An. 1215 habuit magnum concilium *Lateranense* IV, *œcumenicum* XII, contra Albigenses, etc. Obiit doctissimus Pontifex 20 Julii 1216.

Sæculum XIII.

(177. 1216. Honorius III Rom. Obiit 18 Mart. 1227.

(178. 1227. Gregorius IX Ananien. Ob. 22 Aug. 1241.

(179. 1241. Cœlestinus IV Mediolan. Ob. die 19 Pont. Sedes vacat annum unum, menses octo, dies quindecim.

(180. 1243. Innocentius IV Genuen. Ob. 13 Dec. 1254. Anno 1245 habitum est concilium *œcumenicum* XIII, *Lugdunense* I.

(181. 1254. Alexander IV Ananien. Ob. 25 Maii 1261.

(182. 1261. Urbanus IV Gallus. Ob. 2 Octob. 1264.

(183. 1265. Clemens IV Gallus. Ob. 29 Novembris 1268. Sedes vacat ann. 2, menses 9, dies 2.

(184. 1271. Gregorius X Placentin. Ob. 11 Jan. 1276.

Anno 1274 habitum est concilium *œcumenicum* XIV, *Lugdunense* II, pro reunione Græcorum, etc.

(185. 1276. Innocentius V Burgund. Ob. mens. 5 Pont.

(186. 1276. Adrianus V Genuen. Ob. 40 die pontificatus.

(187. 1276. Joannes XX dict. XXI Lusitan. Obiit 16 Maii 1277.

Sedes vacat menses 6, dies 8.

(188. 1277. Nicolaus III Rom. Ob. 22 Aug. 1280.

Sedes vacat menses sex.

(189. 1281. Martinus IV Gallus. Ob. 29 Mart. 1285.

(190. 1285. Honorius IV Roman. Ob. 3 Aprilis 1287.

Sedes vacat menses 10, dies 18.

(191. 1288. Nicolaus IV Asculan. Ob. 4 Aprilis 1292.

Sedes vacat an. 2, mens. 3, dies 2.

(192. 1294. S. Cœlestinus V Aprut. Cessit pontificatui die 13 Decembris ejusdem anni.

(193. 1294. Bonifacius VIII Ananien. Obiit 11 Octobris 1303.

Sæculum XIV.

(194. 1303. B. Benedictus XI Tarvisinus. Obiit 6 Jul. 1303. Sedes vacat ultra annum.

(195. 1305. Clemens V Gallus. Sedem transtulit Avenionem.; an. 1311 celebravit concilium *œcumenicum* XV, *Viennæ*, in causa Templariorum, etc. Ob. 20 Apr. 1314.

(196. 1316. Joannes XXI, d. XXII, Gallus. Ob. 5 Dec. 1334.

Schisma XXIX. Petrus de Corbaria antipapa.

(197. 1334. Benedictus XII Gallus. Ob. 25 Apr. 1342.

(198. 1342. Clemens VI Gallus. Ob. 1 Dec. 1352.

(199. 1352. Innocentius VI Gallus. Ob. 11 Sept. 1362.

(200. 1362. Urbanus V Gallus. Ob. 19 Dec. 1370.

(201. 1370. Gregorius XI Gallus. Sedem Romæ restituit 17 Januar. 1377. Ob. 28 Mart. 1378.

(202. 1378. Urbanus VI Neapolitanus. Ob. 15 Octobr. 1399.

Schisma XXX, omnium teterrimum quod ad annum usque 1429, fœdissime dilaceravit Ecclesiam. Siquidem contra Urbanum VI, quarto ab ejus electione mense recedentes ab ipso cardinales crearunt Pontificem Robertum Gebennensem, qui sedem fixit Avenione, et assumpto Clementis VII nomine vitam protraxit ad an. usque 1394. Ipsi suffectus est die 28 Septemb. ejusdem anni Petrus de Luna Hispanus, qui sub nomine Benedicti XIII, etsi depositus in conciliis Pisano, et Constantiensi, umbratilem dignitatem ad obitum usque retinuit; ob. autem die 23 Maii 1423. Post ipsum denique Clemens VIII pseudo-Pontifex electus, cessione schisma exstinxit an. 1429.

(203. 1399. Bonifacius IX Neapolit. creatus 2 Nov. Ob. 1 Octob. 1404.

Sæculum XV.

(204. 1404. Innocentius VII Sulmonen., el. 17 Octob. Obiit 6 Nov. 1406.

(205. 1406. Gregorius XII Venetus, el. 30 Nov., depositus in concilio *Pisano* 5 Jun. 1409. Cessit in concilio *Constantiensi*, 4 Jul. 1417. Ob. 18 Octobr. ejusd. anni.

(206. 1409. Alexander V Cretensis, deposito Gregorio XII, electus est die 39 Jun. Ob. 3 Maii 1410.

(207. 1410. Joannes XXII, dict. XXIII, Neapolit. Pontificatu abdicatus est, ipso tandem consentiente, in concilio *Constantiensi* ann. 1415. Ob. 22 Dec. 1419.

(208. 1417. Martinus V Roman. electus in concilio *Constantiensi* die 11 Nov. Ob. 20 Feb. 1431.

(209. 1431. Eugenius IV Venetus, el. 2

Digitized by Google

Mart. ann. 1439 celebravit concilium *œcumenicum* XVII, Ferrariæ quidem biennio ante inceptum, sed Florentiæ ipso præside absolutum, ubi de unione Græcorum, Armenorum, etc., actum est. Eodem simul tempore Basileæ acephalum concilium contra ipsum legitimum Pontificem stetit, et schisma conflavit in creatione Amadei Sabaudi, qui nomen assumpsit Felicis V. Ob. Eugenius die 23 Febr. 1447.

(210. 1447. Nicolaus V Sarzanen., el. 6 Mart. Gavisus est Ecclesiæ redditam pacem in voluntaria antipapæ Felicis cessione an. 1449. Ob. Nicolaus 24 Mart. 1455.

(211. 1455. Calistus III Hispan., el. 8 April. Ob. 6 Aug. 1458.

(212. 1458. Pius II Senensis, el. 19 Aug. Ob. 16 Aug. 1464.

(213. 1464. Paulus II Venetus, el. 31 Aug. Ob. 28 Jul. 1471.

(214. 1471. Sixtus IV Savonen., el. 9 Aug. Ob. 12 Aug. 1484.

(215. 1484. Innocentius VIII Genuen., el. 24 Aug. Ob. 25 Jul. 1492.

(216. 1492. Alexander VI Hispanus, el. 11 Aug. Ob. 18 Aug. 1503.

Sæculum XVI.

(217. 1503. Pius III Senen., el. 23 Sept. Obiit 18 Octob. ejusd. anni, 26 die Pont.

(218. 1503. Julius II Savonen., el. 1 Nov. Ob. 21 Febr. 1513.

An. 1512 incepit concilium *œcumenicum* XVII, *Lateranense* V, quod anno tantum 1517 absolvit successor, nempe.

(219. 1513. Leo X Florent., el. 15 Mart. Ob. 1 Dec. 1521.

(220. 1522. Adrianus VI Belga, el. 9 Joan. Ob. 24 Sept. 1523.

(221. 1523. Clemens VII Florentin., el. 19 Nov. Ob. 25 Sept. 1534.

(222. 1534. Paulus III, Roman., el. 3 Octobr. Ob. 10 Nov. 1549.

(223. 1550. Julius III Aretin., el. 8 Febr. Ob. 23 Mart. 1555.

(224. 1555. Marcellus II Politianus, el. 9 April. Ob. die 22 pontificatus sui, nempe 30 April. ejusd. anni.

(225. 1555. Paulus IV Neapol., el. 23 Maii. Ob. 18 Aug. 1559.

(226. 1556. Pius IV Mediolan., el. 26 Decembr. Ob. 9 Decembr. 1565.

Concilium *œcumenicum* XVIII, convocatum jam ab an. usque 1542 a Paulo III, Mantuæ, dein Vicentiæ, ac inceptum Tridentini an. 1545, Bononiam an. 1547 translatum, tandem Tridentini revocatum, finem habuit an. 1563, sub Pio IV.

(227. 1566. Pius V Alexandrin., el. 7 Jan. Ob. 1 Maii 1572.

(228. 1572. Gregorius XIII Bononien., el. 13 Maji. Ob. 10 Ap. 1585.

(229. 1585. Sixtus V e Montealto, el. 24 Apr. Ob. 27 Aug. 1590.

(230. 1590. Urbanus VII Roman., el. 15 Sept. Ob. 14 sui pontificatus die.

(231. 1590. Gregorius XIV Mediolan., el. 5 Dec. Ob. 15 Octob. 1591.

(232. 1591. Innocentius IX Bononien., el. 30 Octobr. Obiit 31 Decembris ejusdem anni, pontific. m. 2.

(233. 1592. Clemens VIII Florent., el. 30 Jan. Ob. 5 Mart. 1605.

Sæculum XVII.

(234. 1605. Leo XI Florent., el. 1 Apr. Obiit 26 pontificatus die, nempe 27 ejusdem m. et ann.

(235. 1605. Paulus V Senen., el. 16 Maii. Ob. 28 Jan. 1621.

(236. 1621. Gregorius XV Bonon., el. 9 Februar. Ob. 8 Jul. 1623.

(237. 1623. Urbanus VIII Florent., el. 6 August. Ob. 29 Jul. 1644.

(238. 1644. Innocentius X Roman., el. 14 Sept. Ob. 7 Jan. 1665.

(239. 1655. Alexander VII Senen., el. 7 April. Ob. 22 Maii 1667.

(240. 1667. Clemens IX Pistorien., el. 20 Jun. Ob. 9 Dec. 1669.

(241. 1970. Clemens X Roman., el. 29 Apr. Ob. 22 Jul. 1676.

(242. 1676. Innocentius XI Novocomen., el. 21 Sept. Ob. 12 Aug. 1689.

(243. 1689. Alexander VIII Venetus, el. 6 Oct. Ob. 1 Febr. 1691.

(244. 1691. Innocentius XII Neap., el. 12 Jul. Ob. 27 Sept. 1700.

Sæculum XVIII.

(245. 1700. Clemens XI Urbinas, el. 23 Nov. Ob. 19 Mart. 1721.

(246. 1721. Innocentius XIII Roman., el. 8 Maii. Ob. 7 Mart. 1724.

(247. Benedictus XIII Rom., el. 29 Maii. Ob. 21 Febr. 1730.

(248. 1730. Clemens XII Florent., el. 12 Jul. Ob. 6 Febr. 1740.

(249. 1740. Benedictus XIV Bononien., el. 17 Aug. Ob. 3 Maii 1758.

(250. 1758. Clemens XIII Venetus, el. 6 Jul. Ob. 2 Febr. 1769.

(251. 1769. Clemens XIV Arimin., el. 19 Maii. Ob. 23 Septemb. 1774.

(252. 1775. Pius VI Cæsenas, el. 15 Febr. Obiit Valentiæ in Delphinatu, in Gallia, an. 1799.

Sæculum XIX.

(253. 1800. Pius VII electus die 14 Martii, obiit anno 1823.

(254. 1823. Leo XII obiit anno 1829.

(255. 1829. Pius VIII obiit anno 1830.

(256. 1831. Gregorius XVI obiit anno 1846.

(257. 1846. Pius IX, electus die 16 Junii, quem Deus Ecclesiæ suæ diu sospitem servet.

RUBRICÆ.

SUMMARIUM.

1. Rubricæ unde sint dictæ? — 2. Rubricæ quid sint? — 3. Rubricæ aliæ sunt præceptivæ, et aliæ directivæ, et quæ sint utræque? tum de earum observantia ad n. 17. — 18. Assignantur quædam omissiones, quæ sunt solum peccatum veniale. — 19. Item veniale tantum est omittere orationes dicl solitas inter induendas sacras vestes. — 20. Omit-

Digitized by Google

tere preces ante missam legi solitas nullum est peccatum; dummodo sacerdos sit aliunde præparatus. — 21. Manuum lotionem omittere ante celebrationem missæ est peccatum veniale, si ipsæ manus sint immundæ. Imo etiam mortale, si sint notabiliter immundæ et sordidæ. — 22. An et quale sit peccatum celebrare missam nondum recitato matutino? *remissive.* — 23. Veniale tantum est omittere aliquas benedictiones, cruces, deosculationes altaris, genuflexiones, inclinationes, manuum et oculorum elevationes, et hujusmodi. — 24. Quodnam sit peccatum omittere ablutionem calicis faciendam cum vino, et ipsam facere cum sola aqua, et in secunda purificatione, et digitorum ablutione uti sola aqua vel solo vino? — 25. Addere in sacrificio missæ aliquid valde notabile ultra ea quæ in Rubricis præscribuntur, ex genere suo est peccatum mortale. — 26. Addere aliquid, quo mutetur sensus formæ consecrationis, est grave sacrilegium: et tunc non conficitur sacramentum. — 27. Si vero addatur aliquid non destruens significatum formæ, quod tamen sit contra ritum Ecclesiæ, tunc conficitur quidem sacramentum, sed sacerdos graviter peccat. — 28. Addere aliquid animo et intentione inducendi novum ritum in sacrificio missæ est peccatum mortale. — 29. Addere aliquid etiam sine animo et intentione mutandi ritum, si additio sit in notabili quantitate, et circa ea, quæ publice recitantur, est peccatum mortale. — 30. Si additio sit in notabili quantitate, et solum circa ea, quæ secreto recitantur, adhuc probabilius est gravis culpa. — 31. Si vero additio fiat in modica quantitate, et verba, seu gesta addita sint secundum se pia, honesta et salutaria, tunc, secluso animo inducendi novum ritum, nullum est peccatum. — 32. Addere in missa unam collectam seu orationem ultra præscriptas, an sit peccatum? — 33. Addere in missa *Gloria in excelsis*, aut *Credo*, cum omittendum sit, est solum peccatum veniale, nisi tamen hoc fiat cum magna deformitate et scandalo, ut si addatur in missa *de Requiem.* — 34. Addere sub longo cantu ad *Gloria in excelsis*, aut *Credo* aliquam piam orationem, aut etiam recitare parvas Horas memoria retentas nullum est peccatum, cum aliis notandis ad n. 42.

(1. Rubricæ quoad vim nominis, ideo sic dicuntur, quia rubro colore sæpius scribi solent. Sic doctores communiter; indeque prodiit notabile illud, quod circumfertur effatum: *Lege rubrum, si vis intelligere nigrum.* (2. Rubricæ sunt quædam regulæ communes continentes ritus, tum in celebratione officii, tum in sacramentorum administratione servandos. Sic in re communis.

(3. Rubricæ aliæ sunt præceptivæ et aliæ directivæ. *Præceptivæ* sunt quæ obligant in conscientia, et sub peccato ad servandos ritus in eis præscriptos. *Directivæ* sunt, quæ non imponunt obligationem, sed proponunt, quid sit agendum, et dicendum, vel non, per modum consilii et instructionis. Sic in re doctores communiter.

(4. Sub mortali obligant rubricæ præceptivæ, quæ continent seu notant aliquid, quod alias ex jure vel ex legitima consuetudine graviter jubetur vel ipsæ Rubricæ expresse sub mortali præcipiunt. Unde earum transgressio est mortalis, nisi excuset levitas seu parvitas materiæ aut inadvertentia et indeliberatio, ut contingit communiter in aliis præceptis. *Communis.*

(5. Hinc omnis notabilis et gravis voluntaria mutatio, additio et detractio circa missam, divinum officium et sacramentorum administrationem, est peccaminosa lethaliter. Colligitur aperte ex duplici constitutione sancti Pii V, una incip. *Quo primum*, et in principio Missalis exposita, et alia incip. *Quod a nobis*, pro reformatione Breviarii Romani edita, et in ejus principio impressa, in quibus, ut eas legenti patet, omnis notabilis et gravis voluntaria mutatio, additio et detractio circa missam et divinum officium graviter respective prohibetur, ut ex concilio *Tridentino*, sess. VII, *De sacramentis in genere*, canon. 13, ubi id graviter prohibetur sub pœna anathematis circa administrationem sacramentorum, ibi: « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit. »

(6. Transgressio Rubricarum præceptivarum ex suo genere mortalis, potest esse venialis ex duplici capite, scilicet ratione parvitatis materiæ, et ratione indeliberationis, seu inadvertentiæ. *Communis.* Et quod ratione *parvitatis materiæ*, stat clarum, quia ubi est parvitas materiæ, modica reperitur offensio, seu violatio præcepti, adeoque non excedit culpam venialem: ratione *indeliberationis seu inadvertentiæ*, est etiam evidens, quia culpa mortalis non contrahitur, nisi cum plena deliberatione seu plena advertentia; adeoque sicuti, si nulla sit deliberatio, nullaque advertentia, nulla contrahitur culpa, ita si non sit plena, sed modica deliberatio seu advertentia, solum modica et levis culpa contrahitur.

(7. Transgressio Rubricarum præceptivarum ex suo genere levis seu venialis potest transire in mortalem quatuor præcipue modis. Primo scilicet ratione pravi finis adjuncti; secundo ratione contemptus; tertio ratione scandali; et quarto ratione periculi. Sic doctores communiter.

(8. Et quidem *ratione pravi finis* transgressio Rubricarum ex suo genere venialis potest transire in mortalem, si finis transgressionis sit mortalis, ut v. gr. si sacerdos partes leves missæ omittat, ut placeat concubinæ quæ petiit missam brevem. Si faciat aliquid contra Rubricas animo, seu fine introducendi novum ritum, et hujusmodi; actus enim peccaminosus contrahit malitiam, nedum ex objecto, sed etiam ex aliis circumstantiis, et præsertim ex fine, adeoque si finis transgressionis Rubricarum sit mortaliter malus, etiam ipsa transgressio, quamvis ex suo genere levis seu venialis, evadet gravis seu mortalis.

(9. *Ratione contemptus* transgressio Rubricarum ex suo genere venialis transit sine dubio in mortalem, si fiat expresse et absolute contemnendo potestatem Ecclesiæ vel Papæ, aut alterius superioris sic disponentis, quia talis contemptus, cum de se

Digitized by Google

destruat auctoritatem superiorum, et subjectionem subditor. erga illos, est grave peccatum. *Qui* enim *resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt;* ut scribit Apostolus ad *Romanos*, cap. XIII, n. 2.

(10. *Ratione scandali* transgressio Rubricarum ex suo genere levis seu venialis, evadit gravis seu mortalis, quoties scandalum grave seu mortale est, uti est, si sacerdos, qui missam celebrat, frequenter se vertat, et curiose mulieres astantes aspiciat, unde oriatur in aliis occasio peccandi. Vel si in usu cæremoniarum ita irreverenter et incomposite se gerat, ut apud populum notabiliter vilescant sacra mysteria, et sic de similibus : quamvis enim aspectus curiosi secundum se, vel irreverentia et incompositio in sacris functionibus sit solum culpa venialis, evadit tamen mortalis ratione gravis damni, quod per tale scandalum causatur in aliis.

(11. *Ratione periculi* transgressio Rubricarum ex suo genere venialis evadit mortalis quoties grave periculum est incedendi inde in peccatum mortale, uti est, si quis velit celebrare sine Missali cum periculo errandi in re gravi, seu celebrare velit in mari, aut in loco ventis exposito cum periculo subversionis sacramenti, et hujusmodi. Temere enim se exponens proximo periculo peccandi mortaliter, aperte demonstrat se esse paratum tale mortale peccatum committere, et non curare de æterna sua morte, quæ inde sequitur, juxta illud *Ecclesiastici* III, num. 21 : *Qui amat periculum, in illo peribit.*

(12. Transgressio Rubricarum mere directivarum, per se loquendo nullum est peccatum. Tambur., lib. I, cap. 7, § 2; Gobat., tom. I, tract. 3, nu. 737, et alii passim; hoc enim vertit discrimen inter consilium et præceptum, quia nempe consilium non obligat ad culpam, præceptum vero obligat ad ipsam; adeoque, cum Rubricæ directivæ non contineant præceptum, sed solum consilium, earum transgressio per se loquendo nullum est peccatum.

(13. Dicitur autem notanter per se loquendo, quia in transgressione hujusmodi Rubricarum mere directivarum solet intervenire culpa venialis ratione finis seu motivi, quod inducit ad earum transgressionem, et communiter solet esse vel negligentia, vel torpor animi, vel nimia propensio ad alias occupationes vanas, et contra rectam rationem; finis enim rectus, et rationi conformis non retrahit ab observantia Rubricarum seu regularum ecclesiasticarum, sed potius ad ipsam conducit; unde si sine rationabili causa negliguntur, seu non observentur, quamvis sint solum directivæ, peccatur saltem venialiter. Sic communior doctorum.

(14. Omittere in Rubricis missam concernentibus quemcunque ritum vel partem missæ essentialem, vel accidentalem valde notabilem, est peccatum mortale. *Communis.* Hinc mortaliter peccaret, qui omitteret oblationem panis aut vini, consecrationem in utraque specie, elevationem hostiæ et calicis, mistionem particulæ cum sanguine, aquæ cum vino, totam epistolam, totum evangelium, totam præfationem, totum canonem et totam orationem *Communicantes*, vel *Hanc igitur*, totam postcommunionem, et hujusmodi. Item peccatum mortale est omittere in eadem missa, sicuti in eodem divino officio, tot modicas partes, seu tot versiculos, ut simul constituant materiam notabilem, quæ materia notabilis erit extra canonem, si tot verba aut versiculi omittantur, ut adæquent quantitatem integræ epistolæ, integri evangelii, et hujusmodi. Intra canonem autem secundum aliquos omissio cujuslibet verbi, etiam unius solius, censetur materia notabilis et culpa mortalis, ut vult Nugnus, in part. III, quæst. 83, articul. 1, dub. 2, et alii, quod tacito nomine citat Suarez, tom. III *De sacramentis*, disputat. 83, section. 3. Et huic sententiæ dicunt favere quamdam declarationem sacræ Rituum congregationis 12 Novembris 1615; qua decretum fuit regulares peccare mortaliter, si in canone missæ omittant nomen episcopi, et ejus loco proferant nomen sui generalis, ut referunt plures doctores apud Dianam part. II, tract. 14, resolut. 24.

(15. Ast dicta sacræ congregationis declaratio intelligitur passim a doctoribus in casu, quo a regularibus omittatur nomen episcopi ex contemptu, et ponatur nomen sui generalis animo inducendi novum ritum; unde si aliquis regularis bona fide proferret nomen sui generalis, et omitteret nomen episcopi absque contemptu, et sine prædicto animo inducendi novum ritum, non peccaret nisi venialiter. Sic Tamburin., *Opuscul. de sacrific.* lib. II, cap. 5, § 3, n. 7; Garcias, *De sacerd.*, tract. 3, difficult. 8, dub. 6, punct. 2; Quarti, in *Rubricas Quæstion. proœmial.*, sect. 3, punct. 3, vers. *Ad declarationem;* Sporer, tom. III, part. II, cap. 6, sect. 4, n. 428, et alii plures, qui insuper dubitant, an revera authentice extet talis sacræ congregationis declaratio. * In *Indice decretorum* ad tom. I *Thesauri sacrorum Rituum* Bartholomæi Gavanti cum *Additionibus* Cajetani Merati num. 149, pag. 1457 : « Non debent regulares in canone nominare superiores suos, ut antistites; S. R. C. 14 Novembris 1615.

« Hoc decretum affertur a Gavanto in suo *Indice;* sed in *Regest. sac. congregationis* non reperitur, saltem sub ante dictis die, mense et anno. »

(16. Unde concludendum est cum probabiliori sententia, quod in canone, si non destruatur sensus, vel non minuatur notabiliter significatio, vel repræsentatio mysterii, omissio quatuor vel quinque verborum non excedat culpam venialem; si autem plura, quam quinque advertenter et deliberate omittantur, erit peccatum mortale. Garcias, *loco cit.*, dub. 6, punct. 3; Quarti, *loco cit.*, vers. *Dico quarto*, et alii plures. (17. Si autem destruatur sensus, vel notabiliter minuatur significatio vel repræsentatio mysterii, quodlibet volun-

Digitized by Google

tarie et deliberate sic omissum verbum in canone, vel quælibet sic omissa actio erit peccatum grave, quia perinde est, ac omittere integram orationem et notabilem actionem. Certa et communis.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Unius etiam verbi omissio, si fiat advertenter et deliberate, a culpa gravi non excusat; in hoc enim non consideranda est parvitas materiæ, sed contemptus.

RESPONSIO AUCTORIS.

Ast ego jam *supra* n. 9 tradidi, quod transgressio Rubricarum ex suo genere venialis transit sine dubio in mortalem, si fiat expresse et absolute ex contemptu, ut *ibi*, et hic sub cit. n. 16, nequaquam dico quod dicta omissio fiat advertenter et deliberate, sicque excludit formalem perfectum et absolutum contemptum, qui certe, ubi adesset, etiam omissio unius verbi esset mortalis, ut ego ipse subjungo immediate sub n. 17. Ast ubi adsit solum quidam levis imperfectus, et secundum quid contemptus non tendens absolute in destructionem potestatis legislativæ, nec minuens significationem mysterii, omissio v. gr. solum nominis unius, vel alterius sancti, certe non debet dici gravis, quia hic habetur nedum levitas materiæ, sed etiam levitas contemptus. Ita Cajetanus, in *Summa*, verb. *Contemptus;* Armilla, eod. verb., n. 3; Sotus, Corduba, Valentia, et alii, quos citat, et sequitur Sanchez, cap. 1, n. 11; Lessius, lib. *De justitia*, cap. 46 circa fin.; Quart., in *Rubric. Missalis quæst. proœmial.*, sect. 2, punct. 5, verb. *Secunda sententia*, et alii passim.

(18. Peccatum autem veniale tantum erit in canone omittere speciale *Communicantes*, vel *Hanc igitur*, quæ in certis specialibus tantum diebus leguntur, dummodo legantur ordinaria seu communia. Item veniale tantum erit omittere Præfationem propriam in certis anni solemnitatibus, dummodo legatur communis, et ordinaria. Item veniale tantum erit omittere partem non notabilem, verb. gr. psalmum *Judica me, Deus*, in principio missæ, collectam, seu commemorationem aliquam, *Gloria in excelsis*, *Credo*, sequentias: *Lauda, Sion, Salvatorem, Victimæ Paschali*, *Veni, Creator Spiritus*, *Stabat Mater*, *Dies iræ;* et hujusmodi. Item veniale tantum erit omittere aliquam prophetiam, seu epistolam in Feriis quatuor Temporum, quando plures legendæ occurrunt, cum sint partes missæ valde extraordinariæ et accidentales. Item omittere evangelium ultimum speciale loco Evangelii sancti Joannis in fine legendum. Quinimo Tamburin., opuscul. *De sacrificio*, lib. II, cap. 5, n. 5; La Croix, lib. VI, part. II, n. 424; et alii volunt, quod omittere Evangelium sancti Joannis, aut aliud speciale, ejus loco legendum, sit tantum peccatum veniale, quia, vel non est stricta pars missæ cum ipsa denotetur completa per verba: *Ite, missa est*, vel non est pars ordinaria aut notabilis. At vero Suarez, *De sacrament.*, tom. III, disputat. 86, sect. 2; Quarti, *loc. cit.*, sect. tertia, punct. quinto in fine, et alii probabilius docent hoc tempore vere pertinere ad integritatem missæ, quia licet olim non fuerit in usu, facta tamen ea introductione, est vere pars missæ æque ac aliæ, adeoque, etc.

(19. Item veniale tantum est omittere orationes dici solitas inter induendas sacras vestes. Henno, tom. II, tract. *De Eucharist. sacrament.*, disput. 11, quæst. 15, conclus. 2, resolut. 4; Henriquez, Aversa, Rodriguez, Castropalao, Gobat citati et secuti a La Croix, lib. VI, part. II, n. 415, ubi dicit hanc esse communem sententiam contra Navarrum, Azorium, Gavant., Silvestr. et alios dicentes esse mortale. Quin imo Quarti, in *Rubricas Missalis*, part. II, titul. 1, sect. 4, dub. 8, cum aliis ibi citatis; Pasqualig., quæst. 819, et alii nullum per se loquendo in hoc agnoscunt peccatum, quia dicunt se nullum invenire præceptum, cum Rubrica quoad hoc sit tantum directiva.

(20. Omittere preces ante missam legi solitas, quæ in Missali dicuntur *Præparatio*, nullum est peccatum; dummodo sacerdos sit aliunde sufficienter præparatus, quia de his precibus recitandis nullum est præceptum, et a Rubrica signan urdicendæ arbitrio sacerdotis, videlicet *Pro temporis opportunitate dicat;* Henno, *loco cit.*, resolut. 4; Aversa, d. 11, sect. 12, § *Septimo;* Gastald., in *Praxi*, lib. II, section. 7, cap. 1; Quarti, *loco cit.*, part. II, titul. 1, section. 1, dub. 4, et, ipso teste, alii communiter. Id. dicendum est de hymno *Benedicite*, et psal. *Laudate*, et aliis precibus pro gratiarum actione post missam recitari solitis. Bonart., *De missa*, lib. II, c. 34; La Croix, *l. c.*, n. 414; Quarti, *l. c.*, part. II, titul. 12, dub. 3, et alii passim, qui omnes tamen concludunt, consultum esse, ipsas recitare tam ante quam post celebrationem missæ, aliasque similes pro devotione sacerdotum.

(21. Manuum lotionem omittere ante celebrationem missæ peccatum veniale est, si ipsæ manus sint immundæ, cum id faciat singulariter ad reverentiam sacrificii. Sic docent multi apud Dianam, p. I, tract. resolut. 19; Gobat, t. I, tract. 3, n. 828, et alii. Imo Quarti, *loco cit.*, part. II, sect. I, titul. 1, dub. 5, dicit esse mortale omittere dictam lotionem, si manus sint notabiliter immundæ et sordidæ, quia id vergeret in magnam sacramenti irreverentiam. Post missam autem omittere lotionem manuum nequidem veniale est. Quarti, *loco cit.*, part. II, tit. 12, dub. 14; La Croix, *loc. c.*, n. 413, et alii contra alios.

(22. An et quale sit peccatum celebrare missam nondum recitato Matutino. *Vide* verb. MATUTINUM, a n. 19 ad n. 23.

(23. Veniale tantum est omittere aliquas benedictiones, cruces, deosculationes altaris, genuflexiones, inclinationes, manuum et oculorum elevationes, et hujusmodi, quia non sunt ritus graves, dummodo tamen non omittantur plures simul quantitatem notabilem constituentes, quia in tali casu ipsa

Digitized by Google

notabilis quantitas omissa esset peccatum grave. Sic, pluribus citatis, Quarti, *loco cit.*, quæst. proœmial. sect. 3, punct. 6, vers. *Quoad reliquas cæremonias;* La Croix, *loco citat.*, n. 422, et alii.

(24. Omittere primam ablutionem calicis faciendam cum vino, et ipsam facere cum sola aqua, secluso contemptu, et animo inducendi novum ritum, est solum peccatum veniale, quia non videtur materia tam gravis, sicuti si omitteretur simpliciter et absolute purificatio. Quarti, *loco cit.*, vers. *Respondeo;* Tamburin., *De sacrific.*, lib. IV, cap. 9, num. 4; La Croix, *loco citat.*, num. 432, et alii. Imo nullum esset peccatum, si celebrans esset abstemius vinum abhorrens, et solum illud modicum consecratum bibens. Sic doctores citati, et alii. In secunda autem purificatione et digitorum ablutione uti sola aqua vel solo vino, probabiliter ne quidem peccatum veniale est, quia Rubrica non videtur præceptiva circa purificationem et ablutionem cum vino et aqua, quamvis enim præcipiatur purificatio et ablutio, non tamen præcipitur illius modus. Sic doctores citati et alii contra alios probabiliter tenentes esse peccatum veniale.

(25. Addere in sacrificio missæ aliquid valde notabile ultra ea, quæ in Rubricis præscribuntur, ex genere suo est peccatum mortale, et quidem gravius, quam aliquid notabile omittere, quia id expressius prohibetur in Bulla sancti Pii V, incipien. *Quo primum*, in principio Missalis impressa, et in concilio *Tridentino*, sess. XXII, in decret. *De observand. et evitand. in celebratione missæ;* tum quia culpa commissionis ex genere suo gravior est quam culpa omissionis, quia in commissione plus concipitur de voluntario, quam in omissione, et additio est magis exposita periculo erroris et superstitionis, quam omissio.

(26. Addere aliquid, quo mutetur sensus formæ consecrationis, est grave sacrilegium, et tunc non conficitur sacramentum, ut si dicatur: *Hoc est corpus meum fantasticum seu aereum;* talis enim additio falsum continet, et sensum destruit. *Communis.* (27. Si vero addatur aliquid non destruens significationem formæ, quod tamen sit contra ritum Ecclesiæ, tunc conficitur sacramentum, sed sacerdos graviter peccat, ut si dicatur: *Hoc est corpus meum formatum de virgine;* licet enim per hanc formam conficiatur adhuc sacramentum, cum sit solum mutatio accidentalis, et perseveret essentia veræ formæ, tamen sacerdos peccat mortaliter, quia in re tam gravi et sacrosancta addere vel verbum, vel ritum præter Ecclesiæ consuetudinem, est summa temeritas, et abusus intolerabilis. *Communis.*

(28. Addere aliquid animo et intentione inducendi novum ritum in sacrificio missæ est peccatum mortale, hoc enim sub gravi prohibetur a S. Pio V, in cit. constitut. incip. *Quo primum*, et a concilio *Tridentino* cit., sess. XXII, in decr. *De observ. et evitandis in celebratione missæ.*

(29. Addere aliquid etiam sine animo et intentione mutandi ritum, si additio sit in notabili quantitate, et circa ea, quæ publice recitantur, est peccatum mortale. *Communis.* (30. Si additio sit in notabili quantitate, et solum circa ea, quæ secreto recitantur, adhuc probabilius est gravis culpa; quia sic sacerdos sacrum ministerium secretis precibus omnino ab illo distinctis interrumperet; et quamvis scandalum non ingereret, se exponeret periculo errandi, cum notabilis additio multum distrahat. Sic communior doctorum.

(31. Si vero additio fiat in modica quantitate, et verba seu gesta addita, sint secundum se pia, honesta et salutaria, ut si in elevatione hostiæ sacerdos dicat *Adoro te, Jesu Christe*, et hujusmodi, in depositione calicis ejus pedem deosculetur, et hujusmodi, tunc secluso animo inducendi novum ritum, nullum est peccatum, cum sit parvitas materiæ, et modica, privata, pia et salutaris devotio. Sic doctores magis communiter.

(32. Addere in missa unam collectam seu orationem ultra præscriptas, secundum Pasqualig. q. 215, La Croix, *loc. cit.*, n. 419, et alios nullum est peccatum; excusat enim propria devotio vel alia quævis rationabilis causa contra Gobat, tom. I, tr. 3, n. 748, ubi dicit id facientem sine peculiari causa damnari peccati venialis.

(33. Addere in missa *Gloria in excelsis*, aut *Credo*, cum omittendum sit, est solum peccatum veniale; nisi tamen hoc fiat cum magna deformitate et scandalo, ut si addatur in missa *de Requiem*. Aversa, quæst. 11, sect. 11, § *Sexto;* La Croix, *l. cit.*, n. 319, et alii.

(34. Addere sub longo cantu ad *Gloria in excelsis*, aut *Credo* aliquam piam orationem, aut etiam recitare parvas Horas memoriæ retentas nullum est peccatum. Gobat, *loc. cit.*, n. 763; Cajetanus, in *Summa*, verb. in *Festo prohibita*, n. 6; La Croix, *loco cit.*, n. 430, et alii contra Tamburin. et alios volentes esse peccatum veniale.

(35. Mutare ritum missæ in Rubricis designatum, v. g. in festo duplici, seu infra octavas privilegiatas recitare missam votivam, seu *de Requiem*, si hoc fiat sine ulla rationabili causa, et ex mera propria voluntate, semper est peccatum; mortale quidem, si hoc fiat cum contemptu et scandalo; veniale autem, si sine contemptu (4) et scandalo. *Communis.* (36. Nec enim locorum ordinarii tam sæculares, quam regulares possunt propria auctoritate, quovis prætextu mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu in Rubricis Breviarii in altiorem ritum. Sic expresse decrevit

(4) Cum Rubricæ, quibus id cavetur, præceptivæ sint; Rubricæ autem præceptivæ, si materia sit gravis, sub mortali obstringant, iis non assentior, qui illis diebus missam votivam recitare, etiam præciso contemptu et scandalo, veniale tantum esse peccatum defendunt. Nam Rubricæ in gravi materia violari videntur.

Digitized by Google

sacra Rituum congregatio de mandato Urbani VIII, ut patet ex decreto ad litteram dato sub verb. *Officium divinum*, art. 3, n. 88.

(37. Mutare propria auctoritate, et voluntate præscriptas preces in alias, v. gr. unam epistolam in aliam, unum evangelium in aliud, et hujusmodi, si hoc fiat cum magna deformitate et scandalo, uti esset in missa Nativitatis, Paschatis seu Pentecostes recitare epistolam et evangelium missæ Defunctorum, est grave peccatum; si autem consimilis mutatio fiat cum parva deformitate et sine scandalo, est solum peccatum veniale. *Communis.*

(38. Mutare imperfecte aliquas actiones, v. g. breviores facere cruces, non perfectas genuflexiones, non rectas inclinationes, et hujusmodi, seclusо scandalo et contemptu, est ad summum veniale peccatum. *Communis.*

(39. Invertere partes ejusdem rationis, v. g. recitare unam orationem ante aliam, unam prophetiam seu epistolam ante aliam, et hujusmodi, est solum peccatum veniale. Invertere autem voluntarie partes diversæ rationis, seu dissimiles, ut legere evangelium ante epistolam, et hujusmodi, est peccatum mortale, quia hic intervenit magna deformitas, contemptus et scandalum. Sic doctores passim.

(40. Alia ad rem. *Vide* verb. MINISTER SACRAMENTORUM, verb. MISSA, verb. OFFICIUM DIVINUM.

(41. Quæ auctor in hoc articulo est complexus, exigenda sunt ad illa, quæ de Rubricis tradunt Gavantus, in *Thesauro sacr. Rit.*, præsertim part. III, tit. 11, *De Rubricis præceptivis et directivis*, et Meratus, in *Observationibus et additionibus* ad eumdem titulum, ex quibus hæc subjicere libet, quæ leguntur num. 1 et 2. Igitur Meratus, num. 1, sic habet : « Non solum reperitur auctor, qui distinguit Rubricas in præceptivas sub mortali, et præceptivas sub veniali, sed etiam legitur sententia Fagundez, in *Præcepta Ecclesiæ*, præcept. 1, lib. III, cap. 1, part. XXI, n. 7, qui sustinet Rubricas Missalis communiter non obligare sub peccato mortali, imo addit n. 9, Rubricas Missalis non præcipere, sed consulere et instruere : quibus verbis, ut notat Quarti, in *Quæst. proœmial.*, sect. 2, punct. 1, jam excludit etiam peccatum veniale in transgressionibus Rubricarum, quia consilia nullam obligationem inducunt; sed hæc sententia, ut optime ostendit idem Quarti, est procul dubio falsa, et plus quam falsa, et contra communem DD. sententiam. Victorianus vero Premoli, in *Memor. cler.*, part. III, cap. 9, asserit prædictam opinionem Fagundez se refutasse, ut damnatam; ex Bulla enim Pii V Missali apposita, et ex concilio *Tridentino*, sess. VII, can. 13, et sess. XXII, aperte constat adesse præceptum, et non mere consilium servandi Rubricas, et sacros ritus ab Ecclesia præscriptos; hæc secunda sententia ex diametro opposita docet) omnes Rubricas habere vim obligandi sub peccato mortali ex genere suo, sed ratione parvitatis materiæ posse transgressionem talium Rubricarum esse tantum peccatum veniale. Ita Suarez, t. III, in III partem, disp. 83, sect. 3; Molfesius, tract. 1, cap. 7, n. 22; Aversa, *De sacrific.* qu. 11, sec. 12; Coninch., Puteobonellus, *De sacrific. missæ*, quæst. 5, art. 9, n. 8, pag. 419, edit. Mediolanen. 1710, ejusdem congregationis cum Gavanto, Lezana, Bonacina, et alii, quorum sententia, ait Quarti, si recte intelligatur de ritibus adhibendis in ipsa missæ recitatione, est absolute vera. Tertia sententia media distinguit, cum Gavanto *supra*, Rubricas, in præceptivas et directivas, docetque Rubricas præceptivas obligare sub peccato mortali ad servandos ritus in eis præscriptos; Rubricas vero directivas nullam imponere obligationem, sed esse consilia et instructiones. Ita Gavantus, *sup.*; Marchinus, *De sacram. Ordinis*, tract. 3, part. III, cap. 6; Tamburinus, in opusc. *De sacrif. missæ*, lib. II, cap. 5, § 1; Premulus, *loc. supra cit.*, part. III, cap. 1. Auctores, qui adhærent huic sententiæ, censent præceptum contentum in Bulla Pii V servandi Rubricas, non extendi indifferenter ad omnia, quæ in Rubricis continentur, cum plura sint minutissima, nec materia apta præcepti. Hinc card. de Lugo, disput. 20 *De Euch.*, sect. 2, n. 7, ait, *Certum est, non omnia, quæ in Rubricis Missalis exiguntur, afferre obligationem gravem*, et sect. 4, n. 105, docet cum aliis, nonnulla esse materiam instructionis et directionis, non vero præcepti, quapropter communiter Rubricæ sunt præceptivæ, sed multæ etiam sunt directivæ. Noster tamen Quarti supra in *Quæstionibus proœmialibus*, sect. 2, punct. 2, sustinet, omnes Rubricas seu Regulas Missalis præscribentes ritus servandos a sacerdote in ipso actu celebrationis missæ, esse præceptivas; et in materia gravi obligare sub mortali : solumque ratione parvitatis materiæ vel inadvertentiæ, earum transgressionem esse culpam venialem; et hanc astruit esse mentem DD. qui secundam ex allatis sententiis tuentur, et præter auctores ibi allegatos, addit etiam Henrich., lib IX, c. 26, n. 3; Nugnum, part. III, quæst. 83, art. 4, dub. 2; Reginaldum lib. XXXIII, num. 210; Peyrinum, in *Formul.*, litt. *M*, cap. 1, n. 1, probatque hanc sententiam, ex eo, quod præceptum contentum in Bulla Pii V, expresse loquitur de ritibus servandis in ipso actu legendi vel decantandi missam, absque ulla exceptione; ergo extenditur ad omnia verba et actiones, ex quibus missa componitur, unde sequitur sacerdotem sub peccato mortali ex genere suo nihil omittere posse eorum, quæ recitanda præscribuntur in missa : ita ut cujuslibet partis omissio sit peccatum, vel mortale, si materia gravis sit, et notabilis, vel veniale, si materia sit levis, et modica, et ita etiam docet noster Diana, part. V, tract. 5, resol. 63, ubi alios citat auctores, quos ipse sequitur. Nihil pariter est addendum precibus, quæ in missali præscribuntur, quia etiam id expresse cavetur præcepto Pii V, in bulla sæpius ci-

Digitized by Google

tata. Idem omnino dicendum est de ritibus et cæremoniis, quæ in actione consistunt, nempe teneri sacerdotes sub peccato mortali ex genere suo, nihil eorum omittere et nihil eis addere ob eamdem rationem. Monet autem cit. Quarti, non esse hanc obligationem accipiendam in rigore metaphysico, cum simus in moralibus, sed morali et humano modo, ita ut satis sit, eam diligentiam adhibere, quam timorati sacerdotes, et sui muneris studiosi adhibere solent. Idem Quarti tenet, Rubricas continentes ea, quæ recitari vel fieri debent a sacerdote, ante missæ celebrationem, vel immediate post missam, esse non præceptivas sed directivas secundum se et sub consilio : quare nisi aliunde constet de præcepto, tales Rubricæ non imponunt obligationem, in quo sensu fatetur se adhærere tertiæ sententiæ supra relatæ. Docet præterea Regulas Missalis de ritibus servandis, non ab ipso sacerdote, sed a ministris et ab aliis circumstantibus et choro assistentibus, communiter esse directivas, quia præceptum sæpius replicatum Pii V, ad illas minime extenditur, unde non obligant ad culpam, nisi aliunde, vel ex consuetudine, vel ex vi juris naturalis vitandi scandali ea obligatio nascatur. Turr. tamen part. 1, sect. 1, cap. 1, refragatur prædictæ Quarti sententiæ, quoad hanc ultimam partem, et contendit prædictum præceptum Pii V æque obligare sacerdotem et sacros ministros, cum et ille, et isti requirantur ad celebrandam missam juxta præscriptum prædicti S. Pii V et aliorum Pontificum, qui sacras Rubricas condiderunt et approbarunt. »

(42. Num. autem 2 : « Quærit, inquit, Gavantus quænam ex Rubricis sint præceptivæ et quænam directivæ tantum; et statuit tunc Rubricas censendas esse præceptivas, quando habetur hæc vox, *gravissime* seu *graviter peccare eum*, qui tales regulas transgreditur; sic etiam 2-2 docet Rubricas esse præceptivas, quando earumdem materia pertinet ad integritatem sacramenti seu sacrificii. Quarti tamen *supra* sect. 2, § *Prima regula*, astruit hanc Gavanti regulam esse valde diminutam, ex eo quod Rubricæ, quibus præscribuntur ea, quæ sunt legenda in missa, ex. gr. epistola, evangelium, aliæ orationes et partes notabiles canonis, non exprimunt omittentem peccare mortaliter, nec spectant ad integritatem sacrificii; et similiter ritus, qui actione consistunt, ut oblatio hostiæ et calicis post offertorium; et tamen revocari non potest in dubium, tales ritus, alios quidem in verbis, alios vero in actione consistentes, esse præceptivos, et eorumdem transgressores peccare mortaliter; hinc infert prædictam regulam a Gavanto traditam, esse insufficientem, quam ipsemet Gavantus videtur destruere *supra* n. 14 in fine, ubi docet indefinite, Rubricas esse præceptivas, neque oppositum esse probabile. Quapropter sententia Suarez, Quarti, Puteobonelli, et aliorum supra, aliis sententiis est præferenda. »

RUMOR.

Vide verb. Fama, n. 13, 33.

S

SABBATUM.

SUMMARIUM.

1. Sabbatum est ultimus hebdomadæ dies. — 2. Sabbati nomen non solum indicat septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam significat hebdomadam.—3. Sabbatum in Testamento Veteri erat dies festus designatus divino cultui. — 4. In Novo autem Testamento fuit abrogatus dies Sabbati, et pro eo ab Ecclesia institutus dies Dominicæ.— 5. Dies Dominicæ fuit semper celebris ex tempore apostolorum. — 6. Unde modo non est cessandum Sabbato a labore, sed die Dominico, et aliter facientes excommunicantur.— 7. Dies Dominicæ fuit pro die Sabbati institutus variis de causis et mysteriis, quæ assignantur.—8. Quidquid sit de aliis, certum est principale motivum et mysterium esse gloriosam resurrectionem Domini Nostri Jesu Christi, intuitu cujus SS. Apostoli cœperunt celebrare Pascha die Dominico.— 9. Sabbato olim, et feria vi jejunabatur, quia in utroque die mœsti fuerunt Apostoli.—10. Item Sabbato olim jejunandum erat ob reverentiam Sepulturæ Domini. — 11. Sabbato magno, id est Sabbato sancto ordinari, seu consecrari potest episcopus. — 12. Sabbato sancto campanæ non possunt pulsari in aliqua Ecclesia, etiamsi regulari, ante pulsationem in Ecclesia cathedrali, vel matrice, sub pœna ducatorum centum. — 13. Tam in Ecclesiis regularibus, quam sæcularibus.—14. Etiam in Ecclesiis S. Joannis Hierosolymitani, etiam prope et extra muros exsistentibus, et etiam in Ecclesiis confratrum. — 15. Etiamsi adsit Ecclesia collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam supra matricem. — 16. Regulares ratione hujusmodi pulsationis in Sabbato sancto possunt conveniri coram loci ordinario. — 17. Nisi consuetudo in contrarium esset legitima, vel Ecclesiæ multum distarent.—18. Sabbato præsertim prohibitum est Christianis inservire Hebræis accendendo eis ignem et lumina, præparando comestibilia, et hujusmodi. — 19. Sabbato sancto, sicuti et feria quinta in Cœna Domini non potest ullo modo, et a quocunque dici missa privata. — 20. Alia ad rem ad num. 30.

(1. Sabbatum est ultimus hebdomadæ dies significans diem illum septimum, quo Deus Creator, completa sex diebus mundi creatione, quievit. *Gen.* II, 2, ibi : *Et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.*

(2. Sabbati nomen non solum indicat septimum hebdomadæ diem, sed insuper to-

Digitized by Google

tam significat hebdomadam, ut clare colligitur ex pluribus evangelicis textibus, et signanter ex *Lucæ* XVIII, 12, ubi Pharisæus jactantiam, et vanam gloriam præferens dicebat : *Jejuno bis in Sabbato*, non quod bis jejunaret in uno solo eodem die Sabbati, sed quia, ut explicant sacri interpretes, pro *Sabbato* intelligebat totam hebdomadam, uti communiter nomine *Sabbati* totam integram hebdomadam intelligebant Hebræi, qui sua pro devotione et voluntaria pœnitentia bis in hebdomada, nempe die lunæ et die Jovis jejunare solebant, et sic in praxi habebat Pharisæus, unde dicebat : *Jejuno bis in Sabbato*, id est bis in hebdomada. Id ipsum clare demonstrant verba sanctorum evangelistarum Marci, Lucæ et Joannis narrantium magnum pietatis opus illarum sanctarum mulierum, quæ, emptis pretiosis aromatibus, die Resurrectionis Dominicæ valde mane iverunt ad monumentum, ut ungerent sacratissimum corpus Jesu. *Marci* XVI, 2, ibi : *Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole;* Lucæ XXIV, 2, ibi : *Una autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum portantes, quæ paraverant, aromata; Joan.* XX, 1, ibi : *Una autem Sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum;* quæ verba dictorum sanctorum evangelistarum non denotant diem Sabbati septimi hebdomadæ diei, sed intelligunt et designant primum hebdomadæ diem, qui erat *Dominica*, in qua resurrexerat Dominus noster Jesus Christus : dies enim Sabbati jam plene transierat, ut expresse habetur *Marci* XVI, 1, ibi : *Et cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Et statim sequitur : *Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole.* Hinc clarum stat, quod nomen Sabbati pro tunc non indicabat solum ultimum, seu septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam significabat hebdomadam, seu quemlibet hebdomadæ diem.

(3. Sabbatum in Testamento Veteri erat dies festus designatus divino cultui, ut patet ex *Exodi* XVI, 13; *ibid.*, cap. XX, 8, 10 et 11; *ibid.*, XXXI, 13, 14, 15 et 16, et *Levitici* cap. XVI, 21; *ibid.*, XIX, 3 et 30; *ibid.*, c. XXIII, 3, 11, 15, 24, 32, 38, 39; *ibid.*, cap. XXVI, 2. (4. In Novo autem Testamento fuit abrogatus dies Sabbati, et pro eo ab Ecclesia institutus dies Dominicæ (5) : concil. *Laodicense*, cap. 29, cap. *Pervenit* 11, dist. 3, De consecration., cap. *Omnes dies Dominicos* 1, De feriis. (5. Dies enim Dominicæ fuit semper celebris ex tempore apostolorum. Concil. *Colonien.* II, part. IX, c. 9, ibi : « Diligenter quoque populus admonendus est, cur feriæ, et potissimum dies Dominicus, qui a temporibus apostolorum in Ecclesia Dei semper celebris fuit, institutæ sint. Nempe ut tum in unum omnes pariter convenirent ad audiendum verbum Domini, ad audiendum quoque sacrum, et communicandum, breviter, ad vacandum Deo soli, ut dies illa tantum orationibus, hymnis, psalmis et canticis spiritualibus transigatur. Hoc est enim sanctificare Sabbatum. »

ADDITIONES CASINENSES.

Dominica dies, seu dies Domini, utique Jesu Christi innuit resurrectionem (præter alia mysteria, de quibus auctor hic infra), quæ una Sabbati, seu prima die post Sabbatum contigit. Porro hujusmodi resurrectionis diem sanctam, festamque ab ipso Ecclesiæ exordio fideles habuerunt : utque ejus celebritas et cultus augerentur, visum est apostolis requiem die Sabbati Judæis præscriptam ad *Dominicam* transferre. Unde Cornelius a Lapide ex illo loco *Joannis* in *Apocal.* cap. I, v. 10, *fui in spiritu in Dominica die*, « Ergo, ait, a tempore Joannis et apostolorum cultus Sabbati fuit translatus in *Dominicam*, in honorem resurrectionis Christi, quæ in Dominica contigit. » *Comment. in Apocal.* ad cap. et vers. cit.

Id quidem ex aliis Scripturæ locis luculenter evincitur. Sane *Act.* cap. XX, vers. 7, habetur : *Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem;* id est (ut idem a Lapide *ibi* commentatur) prima die post Sabbatum, puta Dominica; in ea Paulus celebravit Eucharistiam, ad quam fideles de more convenerunt : ita Chrysost., Beda et Augustinus... Nota hic (prosequitur a Lapide) primævum morem celebrandi missam in Dominica, ad quam conveniébant omnes fideles, in eaque communicabant. »

Amplius Apostolus *I ad Corinth.* cap. XVI, v. 2 : *Per unam Sabbati*, inquit, *unusquisque vestrum apud se seponat, recondens, quod ei bene placuerit;* ad quem text. sic Calmet : « Prima hebdomadæ, ait, dies Dominica est, nunquam non religioni habita, sacrisque cœtibus destinata apud Christianos obsequio resurrectionis Christi, quæ eam diem consecravit. » Hinc (subjungit a Lapide ad cit. Apostoli locum) « rursum patet tempore apostolorum mutatum esse Sabbatum in Dominicam; » indeque Dominica pro Sabbato sanctificari cœpta est.

Id quoque ex Patrum testimonio conciliorumque auctoritate plenissime liquet. Et revera S. Barnabas Jesu Christi discipulus, Pauloque comes in apostolicis laboribus, in epistola, quæ sub ejus nomine exstat (ut ut ab Eusebio et D. Hieronymo tanquam apocrypha habeatur, certum tamen est eam vetustissimam esse, et apostolorum temporibus exaratam), tradit, nos *octavam diem* (diem primam post Sabbatum seu diem Dominicam) in memoriam resurrectionis Christi celebrare.

Porro sanctus Ignatius Martyr, D. Joannis evangelistæ discipulus, in epistola *ad Magnesios* sic habet : « Omnis Christi amator Dominicum celebrat diem resurrectioni

(5) Idque ab ipsorum apostolorum tempore. Hinc S. Joannes in Apocalypsi : *Fui in spiritu die Dominico.*

Digitized by Google

consecratum Dominicæ, reginam ac principem omnium dierum. »

Et ibidem n. 9 : « Qui in vetustis rebus versati fuerant, ad novitatem spei venerunt, non amplius Sabbatum colentes, sed juxta *Dominicam* viventes, in qua et vita nostra exorta est per Jesum, quem quidam negant. »

Pari modo S. Justinus, in *Apolog.* 1, diserte testatur, eadem die Christianos solemnes habere cœtus, quod mundus hac die creatus sit, ac Christus resurrexerit. « Die solis (6), (sic ille) ut dicitur, die omnium, sive urbes, sive agros incolentium, in eumdem locum fit conventus, et commentaria apostolorum aut scripta prophetarum leguntur... Postea omnes simul consurgimus et preces emittimus; atque ubi desiimus precari, panis offertur, et vinum, et aqua.... distributio fit, et communicatio unicuique præsentium, et absentibus per diaconos mittitur.... Die autem solis (prosequitur Justinus) omnes simul convenimus, tum quia hæc dies est, qua Deus, cum tenebras et materiam vertisset, mundum creavit, tum quia Jesus Christus Salvator noster eadem die ex mortuis resurrexit. » N. 67.

Dionysius Corinthi episcopus, apud Euseb., *Hist. eccles.*, lib. IV : « Hodie, inquit, sacrum diem Dominicum transegimus. »

De die Dominica mentio quoque occurrit apud Tertullianum, lib. *De corona*, cap. 3, nec non apud Origenem, *contra Celsum*, et hom. 6 *in Exod.*

In canonibus sic dictis Apostolicis celebratio dictæ diei Dominicæ penes Christianos aperte inquitur, ibi : « Si quis clericus inventus fuerit die Dominica jejunare, deponatur; sin autem laicus, segregetur. » Can. 65.

Id ipsum ex concil. *Gangrensi* (habito an. 305) habetur, per hæc verba : « Si quis propter continentiam aut contumaciam in die Dominica jejunet, anathema sit. » Can. 18.

Conc. *Nicænum*, prim. *œcumenicum*, *Dominicæ* cultum penes univer. Eccles. clare ostendit Can. ult. tenoris sequentis : « Quoniam sunt quidam in *die Dominico* genuflectentes, et in diebus Pentecostes; ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto concilio, stantes Domino vota persolvere : » nimirum a generali et solito ritu orandi *flexis genibus* (idque ad exemplum Christi, qui *positis genibus* orabat) habemus exceptionem ex hoc canone, diebus *Dominicis*, et toto tempore inter Pascha et Pentecosten, quippe hisce præfinitis temporibus, *stando*, et non genibus flexis orandum erat.

Et ut cætera PP. ac conciliorum monumenta omittam, lubet sequentem afferre S. Augustini locum : « Domini resuscitatio (sic ille) promisit nobis æternum diem, et consecravit nobis Dominicum diem, qui *Dominicus* vocatur, quia hoc die Dominus resurrexit. » *De verb. apost.*, serm. 15.

Principes supremi, quamprimum Christianam religionem amplexi sunt, hujusmodi cultus observantiam latis legibus indixerunt. Et quidem Constantinus Magnus an. 321, diei Dominicæ venerationem, officiorum ac operum omnium cessatione, agricultura tantum excepta, generatim imperavit. Hic porro tenor legis, prout legitur in codice Justinianeo, lib. IV, tit. 12, *De feriis* l. 2, ibi : « Omnes judices, urbanaque plebes, et cunctarum artium officia venerabili die solis (7) quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturæ libere licenterque serviant : quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa. Datum Non. Mart. Crisp. 2 et Constant. 2 Coss. 321. »

Item leg. edita V. Non. Junii 321, omnes lites ac repetitiones quiescere jussit, excepta manumissione, favore scilicet humanitatis. En verba legis : « Sicut indignissimum videbatur diem solis venerationis suæ celebrem, altercantibus jurgiis, et noxiis partium contentionibus occupari, ita gratum ac jucundum est, eo die, quæ sunt maxime votiva compleri. Atque ideo emancipandi, et manumittendi die festo cuncti licentiam habeant, et super his rebus actus non prohibeantur. V. Non. Junii Crispo 2, et Constantino 2, Coss. 321. Exstat in *Codic. Theodos.*, lib. II, tit. 8, *De feriis* l. 1. »

Pari modo Valentinianus Senior an. 386, omnes omnino lites, omniaque negotia die Dominica quiescere debere constituit; en verba legis : « Solis die, quem *Dominicum* rite dixere majores, omnium omnino litium, negotiorum, conventionum quiescat intentio : debitum publicum, privatumque nullus efflagitet. Ne apud ipsos quidem arbitros (vel in judiciis flagitatos, vel sponte deductos) ulla sit agnitio jurgiorum. Et non modo notabilis, verum etiam sacrilegus judicetur, qui a sanctæ religionis instituto rituve deflexerit. » Exstat in anted. *Cod. Theodos.*, lib. VIII, tit. *De executoribus*, etc., 3.

Tandem Theodosius M. spectacula die *Dominica* edi prohibuit, ut ex l. 2, inserta in cit. *Cod. Theodos.* lib. XIX, tit. 5, *De spectaculis*; ibi : « Nullus solis die populo spectacula præbeat, nec divinam venerationem confecta solemnitate confundat. Dat. XII Kalend. Jun. Hieraclïæ, Honor. et Evod. V. C. Coss. (an.) 386. »

Id ipsum Theodosius, ac Valentinianus

(6) Dies solis uti vocabatur apud paganos, eadem est ac dies Dominica; siquidem significat diem octavam, id est primam post Sabbatum. Unde Patres aliquando *diem Dominicum*, diem solis dixerunt, ut hic supra S. Justinus, pariterque Tertullianus, in *Apologet.*, cap. 16. Quam eamdem denominationem imperatores Christiani in suis legibus retinuerunt.

(7) Id est die Dominica. V. superiorem notam.

Digitized by Google

juniores firmarunt, an. 425, prout constat ex l. ult. cit. tit. *De spectaculis*, ibi : « Dominico et Natali, atque Epiphaniorum Christi, et Quinquagesimæ diebus... omni theatrorum atque circensium voluptate per universas urbes earumdem populis denegata. »

(6. Unde modo non est cessandum Sabbato a labore, sed die Dominico, et aliter facientes excommunicantur, concil. Laodicens. cap. 29, ibi : « Quod non oporteat Christianos judaizare et otiari in Sabbato, sed operari eos in eodem die. Præferentes autem in veneratione Dominicum diem (si vacare voluerint) ut Christiani hoc faciant. Quod si reperti fuerint judaizare, anathema sint a Christo : » et concordat c. *Pervenit* 11, dist. 3. *De consecr.* ex Greg. I, lib. XI, epist. 3.

(7. Nec sine rationibus et mysteriis fuit ab Ecclesia pro die Sabbati institutus dies Dominicæ, pro quindecim enim rationibus et mysteriis a Deo operatis in tali die, dies Dominicus est institutus dies festus de præcepto, ut notavit eminentissimus cardinalis Ursinus, archiepiscopus Beneventanus, deinde Summus Pontifex sub nomine Bened. XIII, in suis doctissimis *Lectionibus supra Exod.*, lect. 29, n. 7, pag. 321, ut ex ipso Clericato in suis *Spicis*, tom. I, verb. *Dominica*, n. 81. Primum igitur mysterium est, quia ipso die Dominico incepit mundi creatio. Secundum est, quia arca Noe ipsa die se stetit supra montes Armeniæ. Tertium est, quia ipsa die Hebræi a Pharaone fugientes mare Rubrum siccis pedibus transierunt. Quartum est, quia ipsa die manna e cœlo cecidit in deserto pro Hebræorum victu. Quintum est, quia ipsa die natus est Christus Dominus mundi redemptor. Sextum est, quia ipsa die stella tribus magis apparuit. Septimum est, quia tali die Christus Jesus baptizatus est in Jordane. Octavum est, quia dicta die Christus aquam in vinum convertit in nuptiis Canæ Galilææ. Nonum est, quia ipsa die Christus Jesus satiavit quinque millia hominum quinque panibus, et duobus piscibus in deserto. Decimum est, quia dicta die Christus a turbis cum psalmis summo honore exceptus est in Jerusalem. Undecimum est, quia Christus Jesus tali die gloriose a mortuis resurrexit. Duodecimum est, quia ipsa die apparuit apostolis, quando ipsos in episcopos ordinavit. Tertium decimum est, quia dicta die Christus Dominus misit apostolos prædicare fidem in universum mundum. Quartum decimum est, quia Spiritus sanctus descendit supra apostolos Dominica Pentecostes. Quintum decimum est, quia æternus judex in fine mundi die Dominico veniet judicaturus vivos et mortuos. Hæc sunt motiva et mysteria propter quæ, dicunt supra laudati auctores, sancta Ecclesia diem Dominicum pro die festo haberi voluit. Multi tamen alii doctores expresse negant varia ex prædictis occurrisse die Dominico.

(8. Quidquid igitur sit de aliis, certum est principale motivum et mysterium esse gloriosam resurrectionem Domini nostri Jesu Christi (8), intuitu cujus sancti apostoli cœperunt celebrare Pascha die Dominico, uti celebrandum semper esse in concilio *Romano* sub Victore I, sic fuit statutum : « Decretum est Pascha non decima quarta luna primi mensis, sed potius die Dominico post quartam decimam lunam, et vernale æquinoctium occurrente, prout ab apostolis traditum est, celebrandum esse. » *Vid.* verb. PASCHA, a n. 2 ad 3.

(9 Sabbato, olim, et feria 6 jejunabatur, quia in utroque die mœsti fuerunt apostoli. Innocent. I, epistol. 1, cap. 4, c. *Sabbato* 12, dist. 3, *De consec.* (10. Item Sabbato olim jejunandum erat ob reverentiam sepulturæ Domini, *ibid.*

(11. Sabbato magno, id est Sabbato sancto ordinari, seu consecrari potest episcopus; cap. *Dilectionis* 22, dist. 76.

(12. Sabbato sancto Campanæ non possunt pulsari in aliqua Ecclesia, etiamsi regulari, ante pulsationem in Ecclesia cathedrali vel matrice, sub pœna ducatorum centum, Leo X, in concilio *Lateranens.* V, sess. XI, constit. 4, incip. *Deum intra*, § 12, ibi : « Et ut debitus honor matrici Ecclesiæ reddatur, tam ipsi fratres, quam alii clerici sæculares etiam super hoc Apostolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam Campanæ cathedralis vel matricis Ecclesiæ pulsaverint, Campanam in Ecclesiis suis pulsare minime possint : contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant. » S. congr. Rit., *in Oriolen.* 11 April. 1601, *in Marsicana* 21 Mart. 1609, *in Venusina* 30 Decemb. 1614 et 14 Novemb. 1615, *in Syracusana* 3 Junii 1617, et *in alia Syracusana Modicæ* 13 Febr. 1619. (13. Tam in Ecclesiis regularibus quam sæcularibus, ex cit. *Constit. Leonis X*, et *citatis decretis.* (14. Etiam in Ecclesiis S. Joannis Hierosolymitani, etiam prope et extra muros exsistentibus, et etiam in Ecclesiis Confratrum. Sacra Rituum congreg., *in Placentina* 21 Augusti 1604, et *in Melitен.* 6 Dec. 1621. (15. Etiamsi adsit Ecclesia collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam supra matricem. Eadem sacr. congreg. Rit., *in Syracusana Modicæ* 23 Februarii 1619.

(16. Regulares, ratione hujusmodi pulsationis in Sabbato sancto, posse conveniri coram loci ordinario decrevit sacr. congreg. Concilii, *in Capuana* 13 April. 1591. Nisi consuetudo in contrarium esset legitima vel Ecclesiæ multum distarent. Sac. congr. Episcop. et Regul., *in Surrentina* 16 Julii 1601, et postea *in Thelesina* 15 Febr. 1622.

(8) « *Domini resuscitatio* (inquit S. Augustinus, serm. 169, *De verb. Dom.*) consecravit nobis diem Dominicum, qui vocatur Dominicus, quia eo die Dominus resurrexit. » Orientales tamen olim in Ecclesia, etiam Sabbatis, perinde ac Dominicis feriari, conventusque sacros agere solitos fuisse constat : quam ob causam Asterius Amasenus episcopus in homilia *De repudio* Sabbatum diebus Dominicis jungit.

Digitized by Google

(17. Sabbato præsertim prohibitum est Christianis inservire Hebræis accendendo eis ignem et lumina, præparando comestibilia, aptando lecta, mundando eorum domos, et hujusmodi. *Vide* verb. HEBRÆUS, n. 19, 123, 184.

(18. Sabbato sancto, sicut et feria v in Cœna Domini non potest ullo modo, et a quocunque dici missa privata, ex decreto sac. Rit. congr. et Clem. XI, die 20 April. 1707, ac ejusdem Pontificis vivæ vocis oraculo 8 Augusti 1713, ac ultimo de mandato ejusdem 1719.

(19. Sabbati diebus abstinentia a carnibus non semper ubique fuit de præcepto. Benedictus XIV, tom. I, constit. 118, incipient. *Jampridem*, § 3, ubi refert exemplum sancti Gregorii VII, qui potius admonens, quam præcipiens hortatus est Christianos, ut Sabbati diebus a carnibus abstinerent. (20. In quo attendenda est consuetudo, ut tradit idem *De synodo diœcesana*, lib. VII, c. 56, n. 7, ex cap. *Consilium*, De observat. jejunior., (21. ubi Innocentius III ab episcopo Bracarensi de illis interrogatus, « qui propter debilitatem in Sabbato carnes sumunt; » rescripsit : « Respondemus, quod super hoc consuetudinem tuæ regionis facias observare. » (22. Et de facto in pluribus Hispaniarum, præcipue Castellæ, Gallæciæ et Majoricæ regnis, ex antiqua consuetudine, cujus originem difficile est divinare, homines vescuntur interioribus extremisque animalium partibus, et in quibusdam Galliæ diœcesibus, veteri instituto, carnis esus permittitur in Sabbatis, quæ inter diem Natalem Domini ac festum Purificationis B. M. V. interjiciuntur. Idem, in cit. cap. 16, n. 9, et in cit. constit. *Jampridem*, § 3.

(23. Sabbati diebus per annum permittitur esus carnium in regnis Castellæ, Legionis et Indiarum. Idem in d. constit. *Jampridem*, § 5. (24. Sabbati jejunium in jubilæis vel alias indictum, in alium diem transferri conceditur pro Græcis. Idem constit. 75 incip. *Etsi pastoralis*, § 9. (25. Sabbatis Quadragesimæ, excepto Sabbato sancto, Græci non tenentur jejunare, sed tantummodo a carnibus abstinere. Idem, *ibid.*

(26. Sabbatum unicum post Parasceven Ecclesia Orientalis olim jejunio consecrabat, cætera per annum solemniter sine jejunio celebrat propter hæresim Marcionis, aliorumque docentium, jejunandum esse Sabbato in odium Dei Judæorum. Idem, *De synodo diœcesana*, lib. VII, cap. 56, n. 3. (27. In Ecclesia Romana jejunium Sabbati a S. Silvestro stabili lege firmatum fuit. Idem, *ibid.*, n. 4 (9). Hanc autem legem non omnes Ecclesiæ Occidentales secutæ sunt, ideo Bulgaris ad fidem conversis jejunium Sabbati non fuit indictum a Nicolao I, ex quo multæ etiam Ecclesiæ Occidentales talem legem subire detrectaverint. Hispaniam hæc Romanæ Ecclesiæ disciplina probabiliter nunquam pervasit. Idem, *ibidem*, n. 6. Imo pedetentim in toto Occidente defecit; quare S. Gregorius VII, abstinentiam a carnibus die Sabbati potius commendavit, quam præceperit in concilio *Romano* anni 1078, can. 7, relat. *De consecrat.*, dist. 5, can. 31. Idem, *ibid.*, n. 7, et in cit. constitut. *Jampridem*, c. 3.

SACERDOTIUM, SACERDOS.

SUMMARIUM.

1. Sacerdotium fuit in omni lege. — 2. Tempore legis naturæ, id est ab Adam usque ad Moysen, sacerdotes erant filii primogeniti. — 3. Tempore legis scriptæ, seu Mosaicæ, constituit Deus summum sacerdotem Aaron fratrem majorem Moysis, et medio Aaron transtulit Deus sacerdotium in tribum Levi. Hinc sacerdotes Hebræi vocabantur levitæ. — 4. Tempore legis gratiæ sacerdotes sunt omnes, et soli illi, qui ab episcopis rite ordinati characterem sacerdotalem receperunt, quo habent potestatem consecrandi verum corpus, et sanguinem Christi, ac remittendi, et retinendi peccata. — 5. Sacerdotium legis veteris commutatum est in novum. — 6. Sacerdotium novæ legis a Christo est institutum. — 7. Sacerdotium in lege nova est visibile, et externum signum. — 8. Sacerdotium non est nudum ministerium, sed dicit potestatem consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Christi, et dimittendi peccata. — 9. Sacerdotalis ordo per Christum cœpit a S. Petro. — 10. Sacerdos unde dicatur? — 11. Sacerdos non potest iterum fieri laicus per ablationem characteris. — 12. Sacerdos malus non perdit ordinem. — 13. Sacerdos malus adhuc valide conficit sacramenta. — 14. Sacerdotum officia in sacramentorum confectione, non merita, considerat Deus. — 15. Unde sacramenta sunt bona, etiamsi ministri sint mali. — 16. Boni et mali sacerdotes æque corpus Christi conficiunt. — 17. Sacerdotes tamen quanto apud Deum sunt meritis digniores, tanto facilius a Deo exaudiuntur. — 18. Unde serio attendere debent sacerdotes, quod de ipsis habetur in c. *Vasa* 44, dist. 1, De consecr., ibi : *Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc econtrario lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus;* alia notanda ad n. 152.

(1. Sacerdotium fuit in omni lege. Concil. *Trid.*, sess. XXIII, cap. 1, ibi : (2. « Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. » Tempore legis naturæ, id est ab Adam usque ad Moysen, sacerdotes erant omnes filii primogeniti, qui virtute eorum *Primogenituræ* gaudebant hac commendabili prærogativa et facultate offerendi victimas in sacrificium Domino, ut docent S. Thomas,

(9) S. Augustino vivente (confer ejus epistolam *ad Casulanum*, n. 21) aliqui hoc Sabbati jejunium a jejunio repetebant, quod S. Petrus cum Simone Mago certaturus pridie toti Ecclesiæ Romanæ indixisse perhibebatur. Adi Thomassinum in libro *De jejuniis*, et *D. de l'Isle* in *Gallica jejunii historia*. Utut est, Adrianus I, in epistola *ad Carolum regem*, *Cod. Carol.*, t. I, p. 591, *ex Apostolica Regula* Sabbati jejunium accersit.

Digitized by Google

2-2, q. 85, art. 2, atque passim doctores citati et secuti a Clericato, *De sacrificio missæ*, dec. 7, n. 10, quamvis tamen, ut observat Peyrinus in *Genesim*, XXV, 76, et citatus Clericatus in suis *Spicis*, verb. *Sacerdos*, n. 786, solerent sæpe sæpius genitores concedere sacerdotium et prærogativam offerendi sacrificia Deo etiam filiis non primogenitis bonæ indolis et operibus devotionis, et sanctitati deditis, uti cœpit facere ipse Adam cum secundo filio suo Abel intuitu ejus eximiæ innocentiæ et pietatis erga Deum, ob quam Dominus respexit ad Abel, et ad victimas ejus sibi in sacrificium oblatas, ad Cain autem, et ad ejus munera non respexit, *Genes.* IV, 4 et 5, ibi : *Et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus; ad Cain vero, et ad munera illius non respexit.*

(3. Tempore legis scriptæ, seu Mosaicæ, constituit Deus summum sacerdotem Aaron fratrem majorem Moysis; erat enim Aaron major Moyse tribus annis; nam cum educti sunt filii Israel de Ægypto, erat Moyses annorum octoginta, et Aaron annorum octoginta trium, ut habetur *Exodi* VII, 7, ibi : *Erat autem Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium.* Et ista fuit una de causis, quare Aaron assumpsit summum sacerdotium, et non Moyses : nam summum sacerdotium conveniebat primogenitis, et Aaron erat primogenitus Aram, ut habetur *Exodi* VI : sic expresse Abulensis in *Leviticum*, XVI, 3, vers. *Loquere*. Et medio Aaron transtulit Deus sacerdotium in tribum Levi, jubendo, quod solum illi de dicta tribu *Levitica* essent sui ministri, seu sacerdotes sacrificiis addicti, ut habetur *Num.* III, 5, ibi : *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei;* hinc sacerdotes Hebræi vocabantur levitæ,* quatenus a Levi originem ducebant, non vero proprie : « Levitæ, inquit Calmet in *Dictionar. Bibl.*, verb. *Levitæ*, quo nomine omnes quidem posteri Levi censentur, potissimum tamen ii, qui vilioribus templi ministeriis destinati sunt, ut a sacerdotibus ex familia Aaronis, per Caath genus a Levi deducentibus, amplissimis templi muneribus destinatis, distinguerentur *. »

(4. Tempore legis gratiæ sacerdotes sunt omnes, et soli illi, qui ab episcopis rite ordinati characterem sacerdotalem receperunt, quo habent potestatem consecrandi verum corpus et sanguinem Christi, ac remittendi et retinendi peccata. Cap. *Firmiter credimus* 1, De summa Trinitate et fide catholica · conc. *Trid.*, sess. XXIII, cap. et canon. 1.

(5. Sacerdotium legis veteris commutatum est in novum. Lib. VI *Constit. Apostol.*, cap. 23; concil. *Trid.*, sess. XXIII, cap. 1.

(6. Sacerdotium novæ legis a Christo est institutum, conc. *Trid.*, sess. XXII, cap. 1, et canon. 2, et sess. XXIII, cap. 1, et canon. 3.

(7. Sacerdotium in lege nova est visibile, et externum signum (id est ordinatio) : concil. *Trident.*, sess. XXIII, cap. et canon. 1.

(8. Sacerdotium non est nudum ministerium, sed dicit potestatem consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Christi et dimittendi, et retinendi peccata : conc. *Trid.*, sess. XXII, cap. et canon. 1.

(9. Sacerdotalis ordo per Christum cœpit a S. Petro. Cap. *In novo* 2, dist. 21.

(10. Sacerdos ita dicitur, quia sacrum dat. Cap. *Cleros* 1, dist. 21, ibi : « Sacerdos autem nomen habet compositum ex Græco et Latino, quasi sacrum dans : sicut enim rex a *regendi*, ita sacerdos a *sacrificando* vocatus est, consecrat enim, et sacrificat. » Et Clericatus, in suis *Spicis*, *loc. cit.*, num. 801, notat ex Macr., in suo *Hierolexico*, verb. *Sacerdos*, quod hoc verbum *sacerdos* dicitur quasi *sacra dicens*, seu *sacra faciens*, vel *sacra dans*, aut *sacra docens*.

(11. Sacerdos non potest iterum fieri laicus per ablationem characteris. Concil. *Trid.*, sess. XXIII, c. 9 et canon. 4.

(12. Sacerdos malus non perdit ordinem, id est characterem; quantumvis enim peccet graviter, remanet sacerdos cum eadem sua sacerdotali potestate. Concil. *Constantiens.*, *contra art.* 15 *Wicleff. et contra ultim. Joann. Huss* ; conc. *Trid.*, sess. XIV, cap. 6, canon. 10.

(13. Sacerdos malus adhuc valide conficit sacramenta : malitia enim et immunditia sacerdotum non vitiat sacramenta. Cap. *Nonne Sodomitæ* 37, cap. *Dominus declaravit* 87, c. *Christus* 88, et cap. *Non nocet* 89, caus. 1. q. 1, cum similibus.

(14. Sacerdotum officia in sacramentorum confectione, non merita considerat Deus. Cap. *Cum scriptura* 83, caus. 1, quæst. 1.

(15. Unde sacramenta sunt bona, etiamsi ministri sint mali. Cap. *Si justus* 30, cap. *Ex catholicæ* 31, cap. *Sic autem* 82, et cap. *Nec foris* 33, caus. 1, qu. 1. (16. Boni enim et mali sacerdotes æque corpus Christi conficiunt. Cap. *Intra catholicam* 77, c. *Omnia sacramenta* 78, caus. 1, qu. 1, cum similibus.

(17. Sacerdotes tamen, quanto apud Deum sunt meritis digniores, tanto facilius a Deo exaudiuntur, textu expresso in cap. *Ipsi sacerdotes* 91, caus. 1, q. 1. (18. Unde serio attendere debent sacerdotes, quod de ipsis habetur, in cap. *Vasa* 44, dist. 1, De consecratione, ibi : « Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc econtrario lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus. »

(19. Hinc sacerdotes, si sint in mortali, debent confiteri, antequam celebrent : concil. *Maguntin.* IV, c. 36; concil. *Trident.*, sess. XIII, c. 7. Quod si desit confessarius, et urgeat necessitas celebrandi, debent elicere actum contritionis, et postea quamprimum confiteri, textu expresso in ipso concilio *Trid.*, cit. sess. XIII, cap. 7.

(20. Sacerdos pollutionem patiens in nocte, debet in mane abstinere a sacrificando, si causata sit a turpi cogitatione ante somnum, vel ab ingluvie, vel si habuit animi concussionem, nisi adsit necessitas celebrandi, textu expresso in c. *Testamentum* 1, dist. 6.

Digitized by Google

* Audiatur S. Thomas qui part. III, qu. 80, art. 7, ubi quærit, utrum nocturna pollutio aliquem impediat a sumptione sacramenti Eucharistiæ, inquit : « Circa pollutionem nocturnam duo possunt considerari : unum quidem, ratione cujus ex necessitate impedit hominem a sumptione hujus sacramenti ; aliud autem, ratione cujus non ex necessitate impedit hominem ab hujusmodi sacramenti perceptione, sed ex quadam congruentia : ex necessitate quidem impedit hominem ab hujus sacramenti perceptione solum peccatum mortale : et quamvis nocturna ipsa pollutio secundum se considerata, peccatum mortale esse non possit, nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale ei adnexum : et ideo considerandæ est causa pollutionis nocturnæ : quandoque enim provenit a causa extrinseca spirituali, scilicet ex dæmonum illusione ; qui, sicut in prima parte habitum est (qu. 3, art. 3) phantasmata commovere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur. Quandoque vero provenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet ex præcedentibus cogitationibus : aliquando autem ex causa intrinseca corporali, vel ex superfluitate, sive debilitate naturæ, sive etiam ex superfluitate cibi vel potus : quælibet autem harum trium causarum potest et sine peccato et cum peccato veniali vel mortali exsistere : et si quidem sit sine peccato vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem hujus sacramenti ; ita scilicet, quod homo sumendo sit reus corporis et sanguinis Domini : si vero sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate. Illusio enim dæmonum quandoque provenit ex præcedenti negligentia præparationis ad devotionem, quæ potest esse et mortale, et veniale peccatum ; quandoque vero provenit ex sola nequitia dæmonum, volentium impedire hominem a sumptione hujus sacramenti. Unde legitur in collationibus Patrum, quod cum quidam Frater pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum ; seniores, comperto quod nulla causa ab ipso præcesserat, decreverunt, quod propter hoc a communione non cessaret, et ita cessavit illusio dæmonum. Similiter etiam præcedentes cogitationes lasciviæ, quandoque possunt esse omnino sine peccato ; puta, cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare : et si hoc sit sine concupiscentia et delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestæ ; ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex auctoritate August. supra inducta. Quandoque vero præcedentes cogitationes sunt ex concupiscentia et delectatione, et si adsit consensus, erit peccatum mortale ; si autem desit, erit veniale. Similiter etiam et causa corporalis quandoque est sine peccato ; puta, cum est ex infirmitate naturæ : unde quidam, etiam in vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur : vel etiam si sit ex superfluitate naturæ : sicut enim contigit sanguinem fluere absque peccato, ita et semen quod est superfluitas sanguinis, secundum philosophum (lib. I *De generat. animalium* cap. 8 et 19). Quandoque vero est cum peccato ; puta, cum provenit ex superfluitate cibi vel potus : et hoc etiam potest esse peccatum veniale, vel mortale ; licet frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem consensus, quam circa sumptionem cibi et potus : unde et Greg. (*ubi supra*) scribens August. Anglorum episcopo, dicit cessandum esse a communione, quando ex turpibus cogitationibus provenit ; non autem quando provenit ex superfluitate cibi vel potus, præsertim si necessitas adsit. Sic igitur ex causa pollutionis considerari potest, utrum nocturna pollutio impediat ex necessitate sumptionem hujus sacramenti : ex quadam vero congruentia impedit quantum, ad duo ; quorum unum semper accidit, scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam sacramenti, non decet ad altare accedere (unde et volentes tangere aliquid sacrum, manus lavant), nisi forte talis immunditia sit perpetua vel diuturna, sicut est lepra vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi ; aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contigit : hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, puta, ut Greg. dicit (*ubi supra*) cum fortasse aut festus dies exiget, aut exhibere ministerium pro eo quod sacerdos alius deest ipsa necessitas competit *. »

(21. Sacerdos dicens missam, stolam supra utrumque humerum tenere debet : sic etiam quando missam non dicit, et communicat. Concil. *Bracarens.* II, cap. 4 et cap. *Ecclesiastica* 9, dist. 34.

(22. Sacerdos a semetipso sumit Eucharistiam, si celebrat. Concil. *Trid.*, sess. XIII, c. 8, et canon. 20. (23. Item si non celebret, potest extra missam non tantum pro viatico, aut in necessitate, sed etiam devotionis causa sibi ministrare communionem, si non adsit alius sacerdos, et scandalum absit. Ita Suarez, Vasquez, Fagund., Silvest., Homobon., Boss., Bonacin., Vivald., Diana, Dicastill., Bosco, et alii citati et secuti a La Croix, lib. VI, part. I, n. 481, *contra Cajetan.* ; Armill., Filliucc., Avers. Et ratio est, quia nulla lex id prohibet sacerdoti, imo concilium *Nicænum* II, id concedit diacono, uti notat Dicastill. d. 11, n. 95.

(24. Sacerdos non consecrans, sub una tantum specie communicat. Conc. *Colonien.* III, pag. 7, c. 15.

(25. Si sacerdos in missa post consecratam majorem hostiam, ante consecrationem calicis advertat fuisse appositas minores hostias, seu particulas consecrandas, de quibus intentionem non habuerit, non potest super has minores formam consecrationis repetere. Et ratio est, quia sic poneret duo sacrificia, et eadem die bis celebraret, minores enim hostiæ non haberent se per modum unius hostiæ, vel unius materiæ totalis consecran-

Digitized by Google

tæ, quia prior consecratio fuisset completa in majore hostia, et minores hostiæ, seu particulæ terminarent unam totalem consecrationem, neque una harum consecrationum de se esset referibilis ad alteram. Si autem ante consecrationem majoris hostiæ aliquid sciverit de appositis minoribus hostiis, seu particulis, et post dubitet, an intentionem sufficienter ad eas extenderit, et si, dum in corporali ponerentur, eas consecrare intenderit, censentur consecratæ ratione intentionis virtualis, absque eo quod repetat formam consecrationis, ut tenent doctores communiter cum Dicastill., d. 2, num. 216; Castropal., part. VI, num. 3; La Croix, lib. VI, part. I, num. 458, et part. II, num. 243. Si vero minores hostiæ, seu particulæ, advertente sacerdote, fuerint a sacrista positæ in altari extra corporale et sacerdos dubitet, an habuerit sufficientem intentionem eas consecrandi? debent ipsæ sub conditione consecrari in alia missa, nec potest repeti forma consecrationis in eadem missa propter rationem supra adductam. Sic citati doctores, et alii.

(26. Sacerdos obligatus ad celebrandam missam pro commodo monialium vel confratrum, non potest aliud stipendium recipere applicando alteri eamdem missam. Sac. congreg. Concilii, *in Alexandrina* 18 Martii 1719, apud Ursayam, in 1 *Miscellaneo sacro et profano*, litt. *S*, n. 7.

(27. Sacerdos faciens ab altero celebrari missam cum minori eleemosyna, ac sit illa, quam ipse habuit, peccat mortaliter, non satisfacit suæ obligationi, et tenetur ad restitutionem. Sacra congreg. Concil., *in Anconitana* 5 Julii 1614, lib. XXIV *Decretor.*, fol. 196; apud Ursayam, *loc. cit.*, num. 8, et tom. IV, part. II, discept. 22, num. 63, ubi subdit hanc sacræ congregat. resolutionem approbatam fuisse ab Alexandro VII. Insuper incurrit suspensionem Papæ reservatam: Benedict. XIV, constitut. incipient. *Quanta cura*. Vide *verb.* ELEEMOSYNA, n. 64, et magis verb. MISSA, art. 2, num. 16.

(28. Sacerdos, cui fuit data eleemosyna pro missa, non potest illam alteri sacerdoti celebrandam dare, aliqua eleemosynæ parte sibi retenta, etiamsi secundus sacerdos id sciat, et contentus sit. Sacr. congregat. Concilii, *in Romana Eleemosynæ* 23 Augusti 1664; apud Ursayam, *loc. cit.*, num. 10, et tom IV, part. II, disceptat. 22, num. 62. Benedictus XIV, *loco cit.*, sub pœna dictæ suspensionis. Vide, *loc. cit.*, in priori num.

(29. Sacerdos episcopo inferior non potest in missa adhibere ministrum assistentem, folia Missalis vertentem, calicem tegentem et detegentem, etc. Sacra congreg. Rit., *in Fulginaten.* 29 Julii 1720; apud Ursayam, *loc. cit.*, num. 6.

(30. Sacerdos inservire non debet laicis in vilibus officiis, et præcipue mulieribus. Sacra congregat. Episc., *in Epistol. Encycl.*, 19 Martii 1607; apud Ursayam, *loco cit.*, num. 14.

(31. Sacerdotes inservientes alicui ecclesiæ sunt præferendi in funeribus. Rota, *in Compostellana Præeminentiarum* 14 Junii 1717, § *Agnoscebant, coram Crispo*, apud Ursayam, *loco cit.*, num. 16.

(32. Sacerdos constitutus in ætate annorum XXX, est capax legati relicti pro studiis legalibus. Sacra congreg. Concilii, *in Romana, seu Nicoteren.* 14 Februarii 1609; apud Ursayam, *loco cit.*, num. 3.

(33. Sacerdos non potest obtinere lecturam juris civilis sine Apostolica dispensatione. Sacr. congreg. Concilii, *in Neapolitana* 19 Mar. 1644; apud Ursayam, *loco cit.*, n. 9. V. *Addit. Casin.* in fine h. artic.

(34. Sacerdos ordinatus a Papa præfertur sacerdoti ordinato ab episcopo. Fagnan., in c. 1, num. 14, *De majorit. et obedient.*

(35. Sacerdoti, quamvis unico testi, plena fides adhibenda est. Rota, *in Romana officii notariatus* 22 Junii 1722, § *Quod autem, coram Ratto*, apud Ursayam, in 2 *Miscellaneo sacro et profano*, litt. *S*, num. 2. * Sacerdos sine causa ad multum tempus non celebrans, imo etiam nunquam celebrans, nequit rationabiliter præsumi malæ vitæ sacerdos, perinde quasi ordinis sacerdotalis exercitium contemneret, adeoque admittendus ab episcopis, tanquam legitimus testis, in foro episcopali, Maraviglia, leg. 339, *Prudentiæ episcopalis* *.

* Peccat tamen sacerdos, qui omnino a consecratione abstineat, etiamsi ipsi animarum cura non immineat. « Quidam dixerunt, inquit S. Thomas, part. III, quæst. 82, art. 10, quod sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare, et populo sacramenta præbere: sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud 2 ad cod. 5: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Opportunitas autem sacrificium offerendi, non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur: unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare; sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis festis, et maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt. Et hinc est quod *II Machab.* IV, contra quosdam sacerdotes dicitur, quod *jam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo, et sacrificiis neglectis.* Confer. Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, lib. III, c. 1, qui num. 1 hæc habet: Concludendum.... non posse sustineri sententiam eorum, qui statuunt venialiter tantum peccare sacerdotem, qui non habens curam animarum, nec aliter astrictus ad missam celebrandam, nunquam per annum celebret. Quapropter S. Pius V ab operibus cardinalis Cajetani propositionem illam jussit expungi, non nisi venialiter peccare sacerdotem non habentem curam animarum, qui nunquam per annum missæ sacrificium offerat, ut ipsi etiam monuimus

Digitized by Google

edicto 55, et *De canonizat. sanctor.* lib. III, cap. 27, num. 6. Dicendum etiam non posse cum sacramento confessionis absolvi, qui constituisset animo nunquam per annum missam celebrare; etiamsi id constituisset, propterea quod sæpe in peccatum consuevisset incidere, voluntarium enim peccatum est, et tenetur illud vitare, ut sacrificium missæ possit celebrare, ut docet Azorius, part. I, lib. X, cap. 24, quæst. 1, ubi hæc scribit : « Nec absolverem eum, qui statueret nunquam per totum anni cursum missæ sacrificium facere, nec excusarem eum, qui nunquam per annum sacrificat, quia frequenter peccare solet; peccatum enim est voluntarium, et proinde id cavere et evitare debet, ut digne missæ sacrificium facere et offerre queat : nec etiam eum, qui commode ab excommunicatione absolvi, aut ab irregularitate, qua tenetur, sive impeditur, liberari potest, et id non curat, sive nullam in eo diligentiam ponit. » Dicendum, corruptæ vitæ esse indicium, et parere scandalum, si quis abstineat per totum annum a missa celebranda; ac sacerdotem, qui nunquam per annum sacrificet, gravi se peccato obstringere, ut statuit card. de Lugo, *De sacram. Euchar.*, disp. 20, sect. 1 : « Hodie vix posse excusari a gravi sacerd. non celebrantem per totum annum, quia scandalum grave generat, et indicium est corruptissimæ vitæ. » Denique dicendum circumstantias quasdam posse occurrere, in quibus sub mortali teneatur sacerdos celebrare per annum, etiamsi Dominicis et festis diebus celebret, puta si celebranda missa opus esset, ut infirmo viaticum deferretur *. »

(36. Simplex sacerdos non approbatus non potest absolvere, neque a peccatis venialibus, aut mortalibus alias confessis. *Vide* verb. CONFESSARIUS, art. 1, num. 11 et 12.

(37. Possunt tamen simplices sacerdotes in articulo mortis absolvere, nedum a venialibus, et mortalibus alias confessis, sed insuper a quibusvis casibus et censuris etiam reservatis. Vide, *ib.*, n. 13.

(38. Pro tali casu Ecclesia dat jurisdictionem omnibus sacerdotibus, etiam degradatis, excommunicatis vitandis, irregularibus, apostatis seu hæreticis. Vide, *ibid.*, num. 14. Fagnanus tamen cum multis aliis lib. IV *Decretal.*, capite *Non est vobis* 11, De sponsalibus, num. 1 et sequent., defendit excommunicatum vitandum non posse absolvere, neque in articulo mortis, et ad id adducit declarationem sacræ congregationis Concilii. Unde si ipsa esset authentica, non esset ab ea recedendum. *Vide* ipsum *ibi*, ubi multa habet ad rem. *Vide* etiam omnino, quæ recte adducit Albizi apud Tersagum, in *Instruct. confessariorum*, pag. 20, 21 *, et quæ ex Francisci Mariæ Campioni instructione ad confessarios referunt verb. *Moribundus*, num. 39 et 40, nostramque ad num. 40 *Additionem.*

(39. Talis ampla potestas extenditur ad probabile periculum mortis. Vide, *ibid.*, num. 15.

(40. Simplex sacerdos non potest in tali articulo absolvere, præsente sacerdote approbato. Vide, *ibid.*, num. 16 et 17.

(41. Sacerdotes superiores sunt sæcularibus. S. Clemens (10), epist. 1, cap. 5, lib. II *Constitut. Apostolic.*, c. 33.

(42. Imo sacerdotes sunt præstantiores regibus; lib. I *Constitut. Apost.*, cap. 34, ibi : « Hos existimate vestros præsides, hos putate reges, his quasi regibus vectigalia afferte, eos enim, eorumque domesticos bonis vestris alere debetis. Ut enim Samuel in primo de Regibus libro de rege alendo sanxit populo, et Moyses de sacerdotibus in *Levitico* : sic nos vobis de episcopis sancimus . . . . Siquidem ille militaria tantum administrabat, bello et pace ad custodiam corporis susceptis, hic vero sacerdotium ad honorem Dei administrat, ut pericula ab anima et corpore propulset; quanto ergo anima corpore præstantior est, tanto est sacerdotium regno excellentius, ligat enim aut solvit supplicio, vel remissione dignos. »

(43. Et quod imperium non præsit sacerdotio, sed subsit, et ei obedire teneatur, habetur expresse in cap. *Solitæ* 6, De majoritat. et obedient., ibi : « Potuisses autem prærogativam sacerdotii ex eo potius intelligere, quod dictum est non a quolibet, sed a Deo, non regi, sed sacerdoti, non de regali stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti, de sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot : *Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas, et dissipes, et ædifices, et plantes. . . .* et infra : *Præterea nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli : luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti; utrumque magnum, sed alterum majus.* Ad firmamentum igitur cœli, hoc est universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas et regalis potestas; sed illa, quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est : quæ vero carnalibus, minor, ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter Pontifices et reges differentia cognoscatur. »

(44. Sacerdotes enim sunt patres et magistri regum et principum, textu expresso in cap. *Quis dubitet* 6, dist. 96, ubi ex Gregorio VII, lib. VIII, epistol. 21, habentur præcisa hæc verba : « Quis dubitet sacerdotes Christi, regum et principum, omniumque fidelium patres et magistros censeri ? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et iniquis obligationibus illum potestati suæ subjicere; a quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse et solvi ? » Et concordant cap. *Bene quidem* 1, cap. *Satis evidenter* 7, cap. *In Scripturis* 8, cap. *Duo sunt* 9, cap. *Si impe-*

(10) Sive auctor Epistolarum S. Clementi I, suppositarum in Mercatoris collectione, auctorque *Constitut. Apostol.*, sub ejusdem S. Pontificis nomine vulgatarum.

Digitized by Google

rator 11, cap. *Nunquam* 12, et cap. *Constantinus* 15, dist. 96, cum similibus.

(45. Sacerdotalis potestas cum regia semper rexerunt genus humanum, et si istæ duæ non conveniunt, male regitur. Concil. *Coloniens.* II, p. II, cap. 2, cap. *Duo sunt dist.*, cum similibus.

(46. Sacerdotes exercere nequeunt procuratoris officium. Martin. V constitution. 3 incip. *In Apostolicæ.*

(47. Sacerdos abjurans de levi, non est impeditus exercere omnes ordines et sacramenta ministrare, ac fidelium etiam sæcularium confessiones audire, secus in abjurante de vehementi. Sac. congregat. generalis, *in Inquisitione* 6 Martii 1596.

(48. Sacerdos curam animarum gerens, si diebus Dominicis et aliis solemnitatibus non celebret, prius est monendus, postea procedendum per subtractionem fructuum, demum excommunicandus, si non est legitime impeditus, et tunc per alium celebrare debet. Sac. congreg. Concilii, die 21 Augusti 1690.

(49. Sacerdos delinquens in sua diœcesi, si in alio loco reperiatur, ad suum ordinarium remitti debet. Sacra congreg. Concilii, apud Sellium, in *Selectis canonicis*, cap. 2, n. 21; et apud Barbos., in *Summa Apostolicarum decisionum*, verb. *Sacerdos*, num. 6.

(50. Sacerdotes exteri sæculares celebrantes absque licentia ordinarii in ecclesiis regularium incurrunt pœnas inflictas in synodo diœcesana. Sac. congreg. Concilii, *in Neapolitana* 17 Aug. 1630.

(51. Et sacristæ seu præfecti Ecclesiarum regularium astringi possunt ad non permittendam celebrationem prædictam, nisi exhibita licentia ordinarii. Sac. cong. Concil., *in eadem Neapolitana* 17 Aug. 1630.

(52. Sacerdotes deferre non debent manutergium super calicem eundo vel redeundo ab altari. Sacra cong. Rit. 1 Septembris 1703. Quod est etiam contra Rubricas generales Missalis, ex Comment. Gavant. in easdem Rubricas, part. I, tit. 10.

(53. In missa solemni, dum canitur *Credo*, non debent pulsari organa, nec sacerdos celebrans potest prosequi missam. Sacr. Rit. congr. 17 Dec. 1695. Vide *Decreta S. R. C.*, n. 664.

(54. Sacerdos prius ordinatus præferendus est presbytero postea ordinato, licet capellaniæ possessionem prius acceperit, qui postea ordinatus est. Sacra congreg. Rit., *in Novarien.* 16 Junii 1606, *in Lycien.* 19 Jan. 1613.

(55. Sacerdos assistens, licet non sit prima dignitas, thurificandus est ante archidiaconum assistentem episcopo a dextris, licet archidiaconus sit prima dignitas. Sacr. congreg. Rit., *in Vercellen.* 23 Junii 1667.

(56. Sacerdos simplex sine licentia Sedis Apostolicæ non potest benedicere novam ecclesiam, vel oratorium, nec reconciliare ecclesiam pollutam. Sacra congr. Rituum, *in Placentina* 19 Maii 1607, in responsione ad dubium 10.

(57. Sacerdos celebrans solemniter coram episcopo, debet cum suis ministris exspectare benedictionem episcopi, antequam descendat. Sacr. congr. Rit., *in Alexandr.* 19 Maii 1608, in respons. ad 7 dub.

(58. Sacerdos, diaconus et subdiaconus solemniter celebrantes possunt et debent sedere in bancho, dum cantatur *Gloria* et *Credo*, etiamsi sint beneficiati vel capellani, prout sedent canonici, non obstante qualibet consuetudine. Sacr. congreg. Rit., *in Perusina* 15 Jan. 1611.

(59. Sacerdotes et clericos ascriptos Ecclesiis non potest episcopus ob necessitatem Ecclesiæ cogere, ne discedant ab ea, causa studii: imo tenetur illis dimissorias seu commendatitias litteras dare. Sacra congreg. Concil., die 11 Maii 1617.

(60. Sacerdotes nullum officium aut beneficium ecclesiasticum obtinentes, cogi non possunt ab episcopo ad publicas processiones accedere. Sacra congr. Conc., *in Messanen.* 7 Februarii 1632.

(61. Sacerdotes tenentur scire decreta Sedis Apostolicæ. Siricius Papa, epist. 1, cap. ultim. (62. Item tenentur scire canones. Cœlestin. I, epist. 3, cap. 1, cap. *Nullis* 4, dist. 38, cum similibus.

(63. Sacerdotes tenentur litteris vacare et fugere ignorantiam. Concil. *Arelaten.* IV, cap. 3, cap. *Ignorantia* 1, dist. 37. (64. Sacerdos enim ignorans non excusatur. Cap. *Si in laicis* 3, dist. 38.

(65. Sacerdotes non possunt uti vestibus pomposis, variatis, etc., vel ab ordine alienis. Concil. *Nicæn.* II, cap. 16, cap. *Omnis jactantia* 1, caus. 21, q. 1, cum similibus.

(66. Sacerdotes extra domum non debent comparere sine veste sacerdotali. Cap. *Sine ornatu* 4, caus. 21, qu. 4, cum similibus.

(67. Sacerdos contrahens matrimonium de facto incurrit excommunicationem. Facta pœnitentia, ab episcopo dispensatur, ut ministret, sed matrimonium est nullum textu expresso in cap. *Sine sacerdotes* 4, De clericis conjugatis. (68. Quibus autem pœnis puniatur sacerdos seu clericus in sacris constitutus, vel regularis castitatem solemniter professus, matrimonium contrahens; notat Pignatell., tom. VIII, consult. 63, n. 32, quod ex concilio Neocæsariensi relato in cap. *Presbyter.* 9, dist. 28, ab ordine deponi debeat, quod glossa explicat de depositione officii, quemadmodum et exuitur ecclesiasticis beneficiis, cap. *Decernimus* 2, dist. 29, ibi: « Decernimus, ut hi, qui in ordine subdiaconatus, et supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, atque ecclesiastico beneficio careant. » *Vide* Pignat., *loco citat.*, cum aliis ibi adductis.

(69. Sacerdotum defunctorum manibus aptari non debet Calix. Clericat., *De sacrific. missæ*, dec. 50, n. 49; Bassi, tract. *De sodalitiis*, quæst. 5, n. 14; concil. provinc. *Beneventan.*, 1693, pag. 61, cap. 18, cap. *Nemo* 36, De consecrat., dist. 1; Ursaya, tom. VII, part. II, discep. 31, cap. 23, *De funerib.*

Digitized by Google

cum Ritual. Roman. Cæremonial. Episcop. et Act. Eccles. Mediolanen. ibi citatis. Vide *ibi* in fine, ubi a sac. congreg. approbatur synodus Fulginatens. ubi inter alia fuerat id statutum.

(70. Sacerdotes sæculares nequeunt prætendere candelam majorem illa, quæ datur regularibus associantibus funus. Sic expresse defendit Ursaya, tom. I, pag. 2, discept. 15, n. 13, ubi ad id plura adducit decreta et doctores, et decrevit in fortioribus terminis de parocho respectu superioris regularis sacra congreg. Concil., *in Novarien.* 15 Martii 1704 ; apud Monacell., tom. II, tit. 13, formul. 1, sub. n. 92 ; apud *Thesaurum Resolutionum sac. cong. Concil.*, tom. IX, fol. 25, in d. *Novarien.*, Funerum et jurisdictionis, in respons. ad 4. *Vide* verb. Parocus, art. 3 circa finem.

(71. Episcopus statuere potest, ne sacerdotes recipiant quid minus eleemosyna taxata. Sacra cong. Concil., *in S. Severini eleemosynæ missarum* 16 Julii 1696, et *in Alexanen.* 27 Januarii 1743.

(72. Institutionem beneficii sacerdotalis deberi presbytero, posthabito clerico, respondit sac. cong. Concil., *in Montis Regalis, Capellaniæ* 19 Novembr., 1740

(73. Cum sacerdos non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc (quantum in se est) privat sanctissimam Trinitatem laude et gloria, angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in purgatorio exsistentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates. S. Bonavent., in opusc. *De præparatione ad missam*, cap. 5, ex Vener. Beda, et sequitur Amostaz, *De causis piis*, lib. III, cap. 5, n. 45 ; Ursaya, tom. V, part. I, discept. 4, n. 142, et alii passim.

(74. Sacerdotes novi testamenti non parentum nobilitate, sed pro vitæ suæ merito sunt eligendi, nec attendendum quos parentes habuerint, sed cujus meriti sint. S. Anselmus, in *Epist. S. Pauli ad Hebræos*, cap. VII. Nobilitas enim morum plus ornat, quam genitorum. Arg. cap. *Nos qui* 3, dist. 40, cap. *Recurrat* 3, § *His ita*, caus. 32, quæst. 4, et cap. *Venerabilis* 47, De præbend., ubi expresse dicitur : « Non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum Deo faciunt, et idoneum servitorem ; » in cujus summario sic præcise habetur : « Clerici ignobiles, et non eminentis scientiæ propter hoc non debent a præbendis repelli, etiam in Ecclesia quæ tales admittere non consuevit. »

(75. Grandis dignitas (11) sacerdotum, sed grandis eorum ruina, si peccant. S. Hieronymus, lib. XVI, in c. XLIV *Exech.*

(76. Si sacerdos, qui est unctus, peccaverit, faciet delinquere populum. Cap. *Magnæ* 7, De voto, et *Levit.* c. IV

(77. Nullum majus præjudicium, quam a sacerdotibus, tolerat Deus. S. Greg., homil. 17, in *Evang.*

(78. Malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquiret, non dignitatem. S. Ambros. (12), homil. 43, in c. XXIII *Matthæi.*

(79. Nulla re Deus magis offenditur, quam quod indigni et peccatores sacerdotii dignitate præfulgeant. S. Joann. Chrysost., homil. 41, in *Matth.*

(80. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via et scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum, propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles, omnibus populis. Malach.* II, 7, 8 et 9.

(81. Quis aliquando vidit clericum cito pœnitentiam agentem ? S. Joan. Chrys., homil. 40, in c. XXI *Matth.* Laici delinquentes facile emendantur ; clerici si mali fuerint, inemendabiles sunt. Auctor *Oper. imperf.*, hom. 41.

(82. Nulla certe in mundo tam crudelis bestia quam malus sacerdos ; nam corrigi non patitur. S. Eusebius, Epist. *ad Damas.*

(83. *Separavi vos a cæteris, ut essetis mei ; Levit.*, XX. Ut integritas sacerdotis demonstraretur, qui non aliquatenus, sed plane totum se Deo dicaverit. Theodor., quæst. 3 in *Levit.*

(84. Officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. S. Gregor., homil. 17, in *Evang.*

(85. Ad stipendia duntaxat oculos habent. S. Isidor. Pelusiota, lib. I, epistol. 142. Non virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt. S. Gregor., lib. XXIII *Moral.*, cap. 17. Non ut meliores, sed ut honoratiores sint. S. Prosper (13), lib. I *De vit. contempl.*, cap. 21.

(86. Dignitas sacerdotalis prius noscatur a vobis, ut deinde servetur a vobis. S. Ambros. (14), *De dignitat. sacerd.*, cap. 5.

(87. Prætulit nos Deus angelis et archangelis, prætulit dominationibus. S. Bernard., *Serm. ad Past.* Sacerdotium ipsi quoque angeli venerantur. S. Greg. Nazian., orat. 12, *ad Levit.*

(88. Excusa me apud te, Virgo gloriosa... Sacerdotium ipse prætulit super te.... Potestas sacerdotis superat potestatem Virginis gloriosæ. S. Bernardin. Senens., tom. I, serm. 20, art. 1, c. 7.

(89. Beata Virgo solum semel aperuit

(11) Quæ n. hoc, et proximis Lucius noster affert testimonia, ea, nisi me omnia fallant, ex *Polyanthea* aliqua, vel *Silva* ejusmodi locorum accepit. Quare lectores monemus, ut, si forte ipsis uti velint, fontes adeant.

(12) Nullas S. Ambrosii in C. Matthæi Evangelium homilias habemus.

(13) Sive Julianus Pomerius. *Vide* Admonitionem in libros de vita contemplativa iisdem libris in Appendice ad Opera S. Prosperi in novis editionibus præmissam.

(14) Nempe incertus auctor libri *De dignitate sacerdotali*, S. Ambrosio olim tributi. Vide admonitionem in eumdem libellum in *Append. ad Opera S. Ambrosii*, edit. Ven. 1751, p. 453.

Digitized by Google

cœlum, sacerdos qualibet missa. S. Vincent. (15) Ferrer., serm. 1, in *Festo corporis Christi*.

(90. Vere veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius, velut in utero Virginis incarnatur. S. Aug. (16), lib. *De dignitate Eccl. Apol.* 3, tract. *De sacerd.*

(91. Pater omnifariam potestatem dedit Filio; cæterum video eamdem ipsam potestatem a Deo Filio sacerdotibus esse concessam. S. Joan. Chrysost., homil. 5.

(92. Deos etiam ipse Deus appellat; S. Gregor., lib. 4, epist. 9.

(93. Nihil omnino prodest nomen sanctum habere sine moribus, quia vita a professione discordans abrogat illustris tituli honorem per indignam actuum vilitatem. Salvian., *De provid.*, lib. III ad fin.

(94. Honor sublimis et vita deformis. S. Ambros.; lib. *De dignit. sacerd.* Professio deifica et actio illicita. Idem, *ibid.*

(95. Ornamenta in luto, dignitas in indigno. Salvian., *ad Eccles. cath.*

(96. Non ita corruptis moribus vivunt sæculares, ut ecclesiastici. S. Bernardus, *Serm. in convers. S. Pauli.*

(97. Inique agunt cæteri contra Christum, crudeliorem tamen eam censet persecutionem, quam a propriis sustinet ministris. S. Bernard., *ibid.*

(98. Tales sacerdotes non sunt mei sacerdotes, sed veri proditores, ipsi enim, quasi Judas, me vendunt, et produnt. S. Brigitta, lib. I, *Revelat.*, c. 47.

(99. Adam peccavit in terra, et veniam consecutus est; Lucifer in cœlo, et diabolus factus est: sic differunt peccata laicorum et clericorum. Hugo de S. Caro in illud psalmi CXVIII, 119: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* Sæculares vocantur peccatores terræ, ad differentiam sacerdotum, qui debent vocari peccatores cœli, uti angeli. Unde S. Brigitta, lib. I *Revelat.*, cap. 47. Sacerdotes mali sunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer: nunc etiam dico tibi judicium eorum, et cui sunt similes.

(100. Si peccas in sacerdotio, periisti. S. Joan. Chrysost., hom. 41, in *Matth.*

(101. Sic enim Deus irascitur peccantibus sacerdotibus, ut etiam sacratis locis, vasisque non parcat. *I Reg.* IV. S. Prosper (17), *De prom. et præd.*, part. II, cap. 24.

(102. Ante omnia sacerdotes castitate debent accingi. S. Joan. Chrys., hom. 4, in *Levit.*

(103. Ut in his niveus pudicitiæ candor efflloreat, qui sacris mysteriis familiarius appropinquant. S. Petrus Damian., opusc. 18, *contra cler. intem.*, dissert. 1, cap. 1.

(104. *Sacerdos... Ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei super eum est. Levit.* XXI, 12.

(105. *Sacerdotes polluerunt sanctuaria mea. Ezechiel.* XXII, 26, id est, explicat ibi Hugo card. per vitæ immunditiam.

(106. Audent Agni immaculati sacras contingere carnes, et intingere de sanguine Salvatoris carnes nefarias, quibus paulo ante (proh dolor!) carnes meretricis attrectaverunt. S. Bernardus, in *Declamat.*

(107. Pudicitia sacerdotalis non solum ab opere se immundo abstineat, sed etiam a jactu oculi et cogitationis errore mens Christi corpus confectura, sit libera. S. Hieron., in c. *Epist. ad Titum.*

(108. Quis adeo impius erit, qui lutosis manibus sacratissimum sacramentum tractare præsumat? Sanctus Aug., serm. 134 *De tempor.*

(109. Polluimus corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare. S. Hieron., in cap. I *Malachiæ.*

(110. Cum in os immundum sanctissimam carnem ponit, eam quasi in lutum projicit. Petrus Blesensis, serm. 38.

(111. Quantum flagitium in spurcissimam tui corporis cloacam sacratum Christi sanguinem profundere! S. Thomas de Villanova, concion. 3, *De corpor. Christi.*

(112. Gravius peccant indigne offerentes Christum regnantem in cœlis, quam qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. S. Aug. cit. a Mol., tract. 2, cap. 17.

(113. Auctores mortis existimus, qui esse debemus duces ad vitam. S. Gregor., homil. 17, in *Evang.*

(114. Si sacerdotium corruptum fuerit, omnis fides marcida est. S. Joan. Chrysost., homil. 38, in *Matth.*

(115. Populum videmus nugacem, eo quod tales habeat sacerdotes. S. Ambros., *De dignit. sacerd.*, c. 5.

(116. Causæ sunt ruinæ populi sacerdotes mali. S. Greg., lib. IV, epist. 64.

(117. Tantum inter sacerdotem, et quemlibet probum interesse debet, quantum inter cœlum et terram discriminis est. S. Isid. Pelusiota, lib. II, epist. 107.

(118. Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium. S. Petrus Chrysol., serm. 26.

(119. Provide, ne lingua, quæ vocat de cœlo Filium Dei, contra ipsum Dominum loquatur. S. Aug. (18), serm. 37, *ad Fratres de erem.*

(120. Inter sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore vero sacerdotis blasphemiæ. S. Bernard., lib. II, *De considerat.*

(121. *Labia sacerdotis custodient scientiam;*

(15) Hujus sermones, qui exstant, typisque impressi sunt, non ab ipso litteris mandatos, sed ab aliis ex dicentis ore exceptos, ac in scriptum redactos alibi monuimus.

(16) Nullum inter S. Augustini opera aut genuina, aut supposititia, opus hoc titulo occurrit.

(17) Sive incertus auctor libri *De promissionibus et vrædictionibus Dei.* Legito admonitionem in hunc librum in Append. *Operum S. Prosperi* tom. II, edit. Venet., anno 1744, pag. 57 seqq.

(18) Sermones istos ad Fratres in eremo Maurini editores in Appendicem ad tom. VI *Opp. S. doctoris* rejecerunt. Vide admonitionem iisdem sermonibus præfixam, in qua ipsos S. Augustino suppositos fuisse demonstrant.

Digitized by Google

discamus sacerdotem doctum esse debere. S. Hieron., in c. II *Malachiæ*.

(122. Manus sacerdotum modo inunctæ sunt pice cupiditatis ad retinendum, quæ deberent esse inunctæ unctione charitatis ad largiendum. Hugo card., in illud *psalm.* XXV : *Dextera eorum repleta est muneribus.*

(123. Si pro se unusquisque in die judicii vix poterit rationem reddere, quid de sacerdotibus futurum est, a quibus sunt omnium animæ requirendæ? S. Aug., lib. L, homil. 7.

(124. Pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non corrigant. Sanctus Isidorus, lib. III *Sententiar.*

(125. Sacerdotes, pensemus negotium nostrum, pensemus pondus, quod suscipimus, faciamus nobiscum quotidie rationes, quas cum judice nostro habebimus. S. Gregor., homil. 17, in *Evang.*

(126. Vere magna confusio sacerdotum et omnium clericorum, quando laici inveniuntur fideliores et justiores. S. Joannes Chrysost., hom. 40, *Oper. imperfect.*, aut quis alius ejus auctor.

(127. Quomodo non sit confusio esse illos inferiores laicis, quos etiam esse æquales magna confusio est? Idem, *ibid.*

(128. Erubescant sacerdotes, si sacratioris vitæ inveniantur laici, qui vitæ fluctibus sunt immersi. S. Gregor., part. II, *Pastor.*, admon. 39, et Petrus Blesensis, serm. 12.

(129. In die judicii sacerdos spoliabitur sacerdotii dignitate, et erit inter infideles. S. Joan. Chrysost., homil. 40, in cap. XXI *Matth.*, juxta illud *Ezechiel.* XXIII: *Denudabunt te vestimentis tuis, tollent vasa gloriæ tuæ, et demittent te nudum ignominia plenum.*

(130. Sacerdotes mali præ omnibus diabolis profundius submergentur in infernum. S. Brigitta, lib. IV *Revelat.*, c. 35.

(131. Quo majus est auctoritas, eo majus est eorum, qui peccant, supplicium. S. Joann. Chrysost., in *psal.* VI.

(132. Ingrediuntur electi sacerdotum manibus expiati cœlestem patriam; et sacerdotes ipsi per vitam reprobam in inferni supplicia festinant. S. Gregor., homil. 17, in *Evang.*

(133. Non temere dico, sed ut affectus sum et sentio : non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant. S. Joan. Chrysost., homil. 3, in cap. I *Act. apostol.*

(134. Clerici et religiosi quando Christo adhærent, optimi sunt, et optimum, et multum fructum faciunt; quando autem a Christo separati sunt, nutrimentum sunt ignis peccati in præsenti et in futuro ignis infernalis. Hugo card., in cap. XV *Evang. S. Joan.*

(135. Miror, an fieri possit, ut aliquis ex

rectoribus sit salvus. S. Joan. Chrysost., homil. 34, *in Epist. ad Hebræos.*

(136. Sacerdos si vitam suam disposuerit, tuam autem non diligenter curaverit, cum impiis in gehennam detrudetur. S. Joan. Chrysost., homil. 85, in *Joan.*

(137. Quidam religiosus, qui noluit acceptare episcopatum, neque ad preces sui superioris, apparens post mortem cuidam suo amico et ab ipso interrogatus, an quidquam mali passus fuisset ob talem resistentiam factam superiori ad nolendum episcopatum, respondit : *Minime : imo si episcopatum recepissem, essem æternaliter damnatus.* Sic refert Carthus., *De vita et Reg. episc.*, cap. 42: Et de alio, qui ad consilium sui patrui recusavit sibi oblatum episcopatum, refert S. Hieronymus (19), in *Regul. monac.*, cap. 5, et idem Carthus., *loc. cit.*, quod post mortem ipsi suo patruo apparens, eique gratias referens de optimo consilio, dixit : « Nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero episcoporum. »

(138. Turpe est ignorare artem, quam profitemur, et intolerabilis ignorantia in iis, qui præsunt. S. Leo relatus, in cap. *Si in laicis* 3, dist. 38.

(139. Verecundum est ex aliorum manibus quærere, quod apud se inveniri debet, Cap. *Cum in cunctis* 7, De elect., et Gloss., *ibid.*, citans multos alios canones. Unde non sufficit, quod prælatus habeat apud se viros doctos, nisi et ipse sit doctus, vel curet fieri doctus. Caveant super hoc prælati.

(140. Sacerdotes privantur facultate excipiendi confessiones complicum in peccato turpi. Benedict. XIV, tom. I, constitut. 20, incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, § 4. *Vide* dicta ad verb. CONFESSARIUS, et verb. COMPLEX. (141. Sacerdos etiam ad confessiones non approbatus, præferendus est confessario complici, in peccato turpi pro excipienda confessione ipsius complicis in articulo mortis constituti. Idem, constitut. 120, incip. *Apostolici muneris*, § 2.

(142. Sacerdos simplex benedictionem super populum impertiri nequit, præterquam in fine missæ, nisi forte id ipsi demandetur jure delegato. Idem, tom. II, constitut. 48, incip. *Exemplis.* (143. Præsente episcopo diœcesano sacerdos in fine missæ debet prius ad eum se convertere, eique caput inclinare, veluti facultatem populo benedicendi postulans; quod a sacerdote prætermittitur, si episcopus missæ intersit, sed extra suam diœcesim exsistat, prout desumitur ex Rubricis Missalis. T. *De benedictione missæ et evangelio S. Joan.* Idem, *ibid.*

(144. Sacerdos abutens sacrificio missæ ad sortilegia, vel in sacramentali confessione sollicitans ad turpia, præter alias pœnas, incurrit perpetuam inhabilitatem ad missæ celebrationem, ex decreto sanctæ universalis Inquisitionis de mandato Benedict. XIV,

(19) Nec monachorum, nec monacharum Regula, olim sub S. Hieronymi nomine vulgata, illi tribui debet. *Vide* edit. Veron. Opp. S. doctoris, tom. IX.

Digitized by Google

edito die 5 Augusti 1745, ut in ejus *Bullario*, tom. II, in Appendic. n. 8, p. 46.

(145. Sacerdoti simplici per Pontificem ex suprema auctoritate delegari possunt ea, quæ ad mysticum Christi corpus pertinent; quod tamen diaconis, *qui non habent perficere corpus Domini verum*, jure ac merito denegatur. Benedict. XIV, in Appendice ad tom. IV, sui *Bullarii*, constitut. incip. *Ex tuis*, § 9.

(146. Sacerdotes tam in Latina quam in Græca Ecclesia, juxta veterem disciplinam, cum episcopo celebrant. Bened. XIV, const. inc. *Allatæ sunt*, § 28.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(147. Sacerdotes exteri, tum et maxime peregrini, non sunt admittendi ad missas celebrandas et sacramenta administranda sine litteris commendatitiis suorum ordinarior. ut, innovatis antiquis canonibus, statuit concilium *Tridentin.*, sess. XXII, decret. *De observ. et evitand.*, etc., et sess. XXIII, c. 16, *De reformat.*, et post ipsum D. Carolus Borromæus, in *Act. Eccles. Mediol.*, part. III, concil. provincial. I, p. 9, et concil. provincial. III, p. 96.

(148. Quinimo fas est episcopo prohibere ne regulares in eorum Ecclesiis sacerdotes exteros celebrare permittant divina officia, nisi prius ab ipso episcopo, visis litteris commendatitiis, admissi fuerint; ut decisum referunt Ventrigl., in *Prax.*, tom. I, adnotat. 24, § unic., n. 5, et adnotat 48, § unic., n. 125; Passerin., *De stat. homin.*, tom. IV, quæst. 189, articul. 10, n. 991; Nicol., *Lucubrat. canonic.*, lib. III, tit. 31, n. 15; Frass., *De jurepatron. reg.*, tom. II, cap. 73, n. 36.

(149. Idque verum adeo est, ut sacerdotes exteri celebrantes in Ecclesiis Regularium, non visis prius litteris commendatitiis ab episcopo; tum etiam ipsi superiores Ecclesiarum regular. incurrant in pœnas in synodo diœcesana inflictas. Fermosin., in *Rubric. de cleric. Peregrin.*, n. 9; Romaguer., *ad synodal. Gerund.*, lib. I, tit. 4, cap. unic., n. 6.

(150. Cæterum si sacerdos aliquis exterus per longum tempus in loco aliquo celebraverit, ejusque mores jam sint noti, non est cogendus litteras commendatitias sui ordinarii ostendere, ut relata resolutione S. congregationis Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ firmant. Fermosin., in d. *Rubric. de cleric. peregrin.*, n. 11; Barbos., *Jur. ecclesiast. univers.*, lib. I, cap. 11, n. 31; Romaguer., *ad constit. synodal. Gerund.*, lib. I, tit. 4, cap. unic., n. 6, ubi n. 7 et sequent., (151. tradit quas solemnitates requirant litteræ commendatitiæ clericorum ultramarinorum. Sed v. *Addit. Casin.* V. TESTIMONIALES ET COMMENDAT. LITTERÆ.

(152. Reliquum est ut discutiatur, an episcopus prohibere valeat, ne sacerdotes regulares peregrini celebrent in Ecclesiis regularium? Obtinuit autem hæc distinctio, ut prohibere nequeat, si sacerdotes illi peregrini in loco illo habeant ecclesias sui ordinis, possit vero prohibere, si ecclesias inibi sui ordinis minime habeant; ita definisse S. congregationem de Propaganda fide coram sanctissimo habitam die 18 Julii 1626, refert Romaguer., *ad constit. synodal. Gerund.*, lib. I, tit. 4, cap. unic., n. 4.

ANIMADVERSIONES AUCTORIS.

Quæ in his additionibus a n. 1 ad 3 producuntur, jam ego prius tradideram sub num. 50 et 51, adducens ad id decretum S. cong. Conc. et jam etiam tradideram in verb. MISSA, art. 6, n. 7 et 8, allegans ad id conc. *Mediolan.* I, et decreta S. cong. Conc., *in Bononien. et in Neapolit.*, et sæpe alibi. Vide, *ibid.*

ADDITIONES CASINENSES.

(153. Agit equidem auctor sub num. 33, hujus articuli de presbyteris, qui juri civili operam dare volentes, dispensatione Apostolica opus habent. Sed, ut plenius res intelligatur, præter dicta in addit. nostris sub v. MAGISTER, num. 10, lubet hic eamdem rem fusius evolvere, tam quoad ejusmodi clericos dictam scientiam docentes, quam quoad illos eidem facultati incumbentes.

(154. Clariss. Barbosa, in lib. III *Vot. decis. et consultat. canonic.*, vot. 88, dub. 1, hanc materiam magistraliter pertractat; ejusque doctrinam (quoad cler. docentes) operæ pretium ducimus hic per extensum referre, per hæc sane verba:

(155. « *An presbyteris liceat jus civile publice legere, et interpretari?*

« Pro parte negativa primo adducitur text. in cap. *Non magnopere* 3, Ne clerici vel monachi, etc., in illis verbis, ibi: *Statuimus, ut nulli omnino post votum religionis, et post factam in aliquo loco religioso professionem, ad physicam, legesve mundanas legendas permittantur exire*, etc.

« Secundo allegatur text. in cap. *Super specula*, fin. eod. tit. *Ne clerici vel monachi*, quo loco prohibitio cit. cap. *Non magnopere*, quæ tantum loquitur de religiosis, extenditur ad presbyteros sæculares, et ad alios clericos dignitates vel personatum habentes...

« Tertio ponderatur text. in cap. *Super specula*, De privileg. ibi: *Ne Parisiis vel in civitatibus, seu aliis locis vicinis, quisquam docere vel audire jus civile præsumat*, etc., ex quo colligunt nonnulli, esse prohibitum in ordine presbyterali et ecclesiastica dignitate constitutis, non solum audire, sed etiam publice interpretari jus civile legendo....

(156. Verum, his non obstantibus, contraria opinio affirmativa, quod scilicet liceat presbyteris jus civile publice legere, *verior et receptior est*, a pluribus non contemnendæ auctoritatis doctoribus....

« Suarez vir (prosequitur Barbosa) usque ad miraculum doctus, tom. V, *De censur.*, disput. 23, sect. 3, ex n. 17, tenet quod docentes, non comprehenduntur, et quod verbum *legendi*, de quo supra, (nempe in allatis text.) intelligendum est, ut non sit idem quod do-

Digitized by Google

cere, sed quod studere hujusmodi doctrinis.

« Tanto magis, (sic idem Barb.) quia nullibi in jure reperitur prohibitum presbyteris publice jus civile legere... et sic intrat vulgaris regula, et notum juris axioma, *permissum censetur, quod non invenitur prohibitum*....

« Non obstat (ita Barb.) text in d. c. *Non magnopere*, supra cit. n. 1, quia respondetur, in eo religiosis minime prohiberi tanquam magistris leges interpretari, docendo illas alios secrete aut publice, sed solum vetari illis velùti discipulis legere, studendo vel discendo de novo leges. Cui intelligendi modo non contradicit verbum *legendas*, quia... ex mente et verbis ipsius (textus) particulam lectionis accipi pro lectione *discipuit*, (respondent DD. non pauci) inquantum discit. Et sic concludens dico, quod d. cap. *Non magnopere*, minime loquitur de *legentibus*, sed de addiscentibus, quia ponitur ibi *legere* largo modo, omnis enim, qui studet, ut proficiat, legit....

« Nec obstat (proseq. Barb.) text. secundo loco allegatus supra n. 2, in d. cap. *Super specula*, fin. eod. tit. *Ne clerici*, etc., quia respondetur, per illum, si recte inspiciatur, non prohiberi clericis sæcularibus tanquam magistris legere, et alios docere privatim, aut publice jus civile, sed solum prohiberi eis tanquam discipulis illud audire et addiscere, intendo verba *audire*, quod proprie ad discipulum refertur. » (Sed de discentibus d. jus civile infra dicemus, cit. textum explicando.)

« Minus obstat text. tertio loco citat. supra n. 3, in d. cap. *Super specula*, De privilegiis, respondetur, illud non esse constitutionem generalem, sed solum continere prohibitionem specialem circa civitatem Parisiensem, et alias vicinas, in quibus Pontifex absolute prohibuit, ne quisquam docere audireve jus civile præsumeret. Cum ergo sit constitutio et prohibitio localis, extra ejus limites egredi non potest. » Hæc in terminis apud Barbosam, *loc. cit.*, num. 1, 2, 3, 7, 18, 21, 23, 24.

(157. Huic doctrinæ cohærent, quæ a doctissimo cardinali Petra ad rem traduntur, tenoris sequentis : « Non incongruum est quærere, an regulares et presbyteri, aliique clerici valeant in publicis universitatibus cathedras juris Cæsarei, et medicinæ moderari, adeo ut dispositio cap. *Non magnopere*, et cap. *Super specula* (*superius cit.*) sit duntaxat restricta ad *studentes*, non autem comprehendat docentes.

(158. « In hoc sane Theoremate (prosequitur Petra) duas quasi contrarias efformant sectas Hostien. et abbas. Siquidem Hostiensis cum suis sectatoribus satis superque clare ex contextu d. cap. *Non magnopere*, pro negativa resultare autumat hujus quæsiti decisionem; ibi enim dicitur: *Ad legendas leges;* et infra, *ad physicam legesve mundanas legendas non permittantur exire.* Quapropter non tantum ibidem prohibetur dictas scientias audire, verum et legere, sive docere...

(159. « Verum abbas... ait, (sic idem Petra), quod ex casu dicti textus evidenter colligitur, ibidem duntaxat *studere* non *docere* esse prohibitum. Hujus namque prohibitionis causa fuit, quod nonnulli religiosi, ad *proficiendum*, non ad *docendum* e claustris exibant, ut apti se redderent (ibi) *languentium fratrum consulendi corporibus, et ecclesiastica negotia fidelius pertractandi :* verbum autem *legere* ibidem, non pro *docere*, sed pro *addiscere*, usurpatur, cum omnis, qui studet, ut proficiat, legat... unde idem abbas concludit, quod præfati textus solum loquuntur de audientibus sive legentibus studendo, ideoque, tanquam pœnales ad docentes non sunt extendendi.

(160. « Ab hac (prosequitur idem clariss. Petra) opinione abbatis, tanquam veriori et communiori, non est recedendum, ut dicunt Fagn., Gonzalez, Barbosa, Suarez . . . et pro ejusdem sententiæ probabilitate, magnam vim faciunt declarationes d. cap *Non magnopere* subsequenter factæ ab Honor. III, in cit. cap. *Super specula*, et Bonifac. VIII, in cap. *Statutum*, Ne clerici, etc., in quibus duntaxat prohibetur, dictas scientias audire et studere : unde, ut bene notat idem Fagnanus, nimis præsumptuosum esset, quod ipsi Pontifices non expresserunt, asserere. Unde concludendum est cum abbat. et DD. proxime citatis, quod presbyteri et regulares, nisi ex particularibus constitutionibus prohibeantur, possunt docere, et cathedram juris civilis, et medicinæ in publica universitate moderari, cum eisdem de jure communi hoc censeatur permissum, dum in d. textibus, nec alibi invenitur prohibitum. » *Comment. ad constit. Apost.*, tom. IV, const. 2, Bonifac. IX, num. 18 et seqq. (20).

(161. Quoad vero studentes attinet, si de religiosis agatur, hi quidem, non debent extra claustrum in scholis publicis audire leges, seu jus civile et physicam, seu medicinam sub pœna excommunicationis, nisi intra spatium duorum mensium redeant. Cap. 3, titul. cit. *Ne clerici*, etc.; Maschat, *Institut. canonic. ad dict.*, titul. *Ne clerici*, etc., num. 7, q. 6.

Quantum vero ad clericos spectat, ex d. cap. fin. *Super specula*, tit. cit. *Ne clerici*, etc. Archidiaconi, decani, plebani, præpositi, cantores, et alii clerici personatum habentes, nec non presbyteri, prohibentur studere juri civili, vel medicinæ, sub eadem pœna excommunicationis latæ sententiæ, si

(20) « In communi autem loquendo, id videtur saltem consuetudine prohibitum, ut religiosi medicinam, et jus civile doceant, nec cathedras in his scientiis moderentur, cum eorum non sit proprium ejusmodi studium, nec aptum ad finem, qui in religionibus intenditur; et aliquam indecentiæ speciem respectu habitus religiosi præseferat, quod quis hujusmodi scientiis, maxime medicinæ, et chirurgiæ docendis incumbat. » Schmalzgrueber, ad tit. ex. *Ne clerici*, etc., n. 78

Digitized by Google

infra duos menses a tali studio non destiterint. Quæ dispositio utpote pœnalis, non extenditur ad diaconos, subdiaconos et minoristas, nullam dignitatem, aut personatum obtinentes; Maschat, *loc. et n. cit.*

(162. Audiamus insuper prælaud. card. Petra in hæc verba: « Presbyteri, aliique minores clerici personatum, sive in titulum, sive in commendam habentes, ubivis leges, vel physicam, vel medicinam audiant, sive private in propriis domibus, sive publice in Universalibus, post duos menses computandos a quo die inceperunt audire, in censuras ipso facto incurrunt, et fiunt inhabiles ad ordines et beneficia absque Summi Pontificis dispensatione... ut firmant Fagn., in cap. *Super specula*, ad tit. *Ne clerici*, etc. Graff. Conrad., in *Præx. dispensat.*, lib. v, cap. 5, n. 3 et 7, vers. *Porro*. Diaconi vero et subdiaconi, aliique inferiores clerici, quamvis obtineant beneficia, dummodo non personatus (21), sub censura hujus textus non comprehenduntur ... » *Loc. cit.*, n. 8.

(163. Verum, cum hujusmodi prohibitio non eo sane dirigatur ad improbandum studium talium scientiarum: « Idcirco dicendum, quod duntaxat studium principale, quod scilicet sic terminet ad solum oblectamentum, vel ut quis efficiatur causidius, vel physicus (professiones quippe alienissimæ a sorte clericali), a sacris canonibus et conciliis prohibetur; qui enim ad eruditionem sæculares scientias addiscunt, ut utilia, quæ in eis inveniunt, ad usum sacræ eruditionis devoti vertant, tales laudabiliter sæcularibus incumbunt litteris... (Hinc est) quod studium legum civilium, ad majorem sacrorum canonum intelligentiam, regularibus et presbyteris, aliisque clericis personatum habentibus non prohibeatur, dummodo fiat private in camera, ne cadat sub prohibitione auditus, communiter firmant DD. » Idem card. Petra, *ibid.*, n. 10 et 11.

(164. « In publicis autem Universitatibus regulares, et clerici prædicti (nempe presbyteri, aliique personatum habentes, etc.) indistincte nequeunt juri civili et medicinæ studere, cum sive studium fiat principaliter, sive obiter, locum sibi vindicaret dispositio dicti cap. *Non magnopere*, ratione auditus, ubi nulla distinctio reperitur. » Petra, *l. c.*, n. 12.

(165. Plures tamen Academiæ peculiaribus privilegiis a Summis Pontificibus ab hujusmodi sanctione exemptæ fuerunt, adeo ut non tantum clerici, quibus leges, et physic. sub censuris (addiscere) est prohibitum in eisdem libere incumbere possint, verum ut fructus suarum præbendarum tanquam præsentes lucrari valeant, ac si juri canonico vel theologiæ studerent, ut de archigymnasio Sapientiæ Romæ expresse elicitur ex constitut. Leonis X, incip. *Dum suavissimos*, § 3. In cujus quidem constitut. sequelam firmavit Panimolle, in Universitate Sapientiæ urbis Romæ posse presbyteros, aliosque clericos, legibus et medicinæ incumbere, et censuit S. congr. Conc., *in Romana, seu Nicoter. legati* 14 Febr. et 30 Maii 1699, lib. XLIX *Decret.* a tergo, pag. 55 et 207 a tergo; Petra, *l. c.*, n. 13.

Simili privilegio decoratum fuit Studium Patavinum et Senarum, ut notat Lotter., *De re beneficiar.*, lib. III, q. 27, n. 207, utpote etiam Studium Pisanum ex constitutione Innocentii VIII, et Universitas Pictaviensis, ut memorat Gonzalez, in cit. cap. *Non magnopere*, n. 4; Petra, *ibid.*, n. 14.

(166. Præstat quoque audire, quæ habet Schmalzgrueber, hoc sane pacto: « Quidquid sit de jure scripto, summa legum utilitas, vel necessitas ad rite intelligendos sacros canones occasio fuit pluribus Universitatibus concessi privilegii Apostolici: et tale privilegium habet archigymnasium Sapientiæ (*aliasque ponit universitates a Petra enumeratas*), Salisburgensis quoque Universitas, et nostra (prosequitur anted. scriptor) Ingolstadiensis, et aliæ (Universitates) apud alios. Quæ (vero) Universitates (sic idem exim. Canonista) privilegium istud non habent Indulto Apostolico, istud in Germania nostra acquisivisse videntur consuetudine, cum in hac clerici et religiosi ad utriusque juris studium passim admittantur. » Ad cap. cit. tit. *Ne clerici*, etc., n. 85 (22).

(167. « Hodie (sic pariter Maschat) ex privilegiis aut consuetudine, clericis et religiosis cum licentia prælatorum licitum est audire jus civile in scholis publicis, et multo magis intra claustrum: quia non audiuntur leges, ut clerici causas forenses in tribunali laico tractent, sed ut melius intelligant sac. canones et theologiam moralem, magisque idonei fiant ad exercenda judicia ecclesiastica. » Maschat, *loc. et n. supr. cit.*

(168. Restat denique inquirendum, an clerici prædicti, qui jurisprudentiæ operam navant, non quidem principaliter, sed ob majorem canonum intelligentiam, fructus beneficiorum, dum in publicis Universitatibus student, æque lucrentur, ac discentes in iisdem Universitatibus theologiam ac sacrorum canonum scientiam: affirmativam tuetur sæpe memoratus cardinalis Petra, allegans ad id, S. cong. Concil. decretum (quod mox afferemus) sub die 31 Maii 1607, sed *limitate* pro clericis *personatum*, etc., non habentibus, item pro non presbyteris,

(21) Personatus est administratio perpetua rerum ecclesiasticarum cum aliqua prærogativa, estque quid minus quam dignitas, sed quid plus quam officium, et inter beneficia ecclesiastica recensetur.

(22) « In provinciis et regnis, in quibus similis consuetudo non viget, ut in Universitatibus, clerici et religiosi cuivis studiorum facultati libere vacare possint, necessarie petitur licentia a S. congregatione, quæ tamen difficulter eam concedit. Certe Petra (*Comment. ad const. Bonifac. IX*, tom. IV, n. 16) testatur, ejusmodi supplicationes, se secretario, semper fuisse rejectas, præsertim quoad religiosos, eodem teste, nunquam dispensari solet, ut in publicis Universitatibus leges, aut physicam, seu medicinam audire possint. » Schmalzgrueber ad tit. *Ne clerici*, etc., n. 86.

Digitized by Google

idque ex cit. cap. *Super specula*, quo presbyteris, etc., hujusmodi studium generatim interdicitur. *Comment. ad const. Apost.*, const. 10, *Bonif. VIII*, n. 5; tom. III.

(169. Objicies, cum civilis sapientia pro majori S. canonum intelligentia, ut per se clarum est, vel maxime conducat, admisso, quod in hac, aut illa Universitate, ex privilegio Apostolico vel consuetudine, clericis personatum, etc., habentibus, nec non et presbyteris haud sit interdictum jurisprudentiæ, nempe ut profundius doctrinam canonum assequantur, operam dare, nulla ratio subesse videtur, cur æquali concessione, non secus ac cæteri clerici non presbyteri, frui non debeant. Ubi enim eadem ratio, idem jus procedere ex utriusque juris regul. compertum est. Cumque in presbyteris, etc., præmissis ejusmodi indulto Apostolico vel consuetudine, cesset prohibitio, de qua supra, jus civile addiscendi, concludi sane posset, eorum conditionem cæteris clericis non presbyteris, aut personatum, etc., non habentibus, deteriorem haud esse oportere.

(170. Verum scias oportet, quod cum a S. cong. Concilii quæsitum fuisset, 3. An *iisdem*, nempe *sacerdoti* et *diacono* (de quibus sermo erat) *debeantur fructus*, etc., *si juri civili studuerint, non canonico, aut theologiæ* : eadem sac. congregatio die 31 Maii 1607 ad 3. Respondit : *Itidem deberi* ei, *qui tricesimum non excedit, dummodo juri civili operam dederit*, causa *addiscendi* postea *jus canonicum* : nempe *deberi fructus*, etc., duntaxat *diacono*, sicque *presbyterum* exclusit.

(171. « Quæ posterior resolutio, ut vides (verba sunt Fagnani ad cit. caput *Super specula*, ex. tit. *Ne clerici*, etc., num. 33) restringitur *ad diaconum*, quia ipse non cadit sub prohibitione hujus decretalis (*Super specula*), ac proinde percipit fructos præbendæ in absentia, dum studet juri civili ad intelligentiam canonum, quos non perciperet, si juri civili studeret principaliter. »

(172. Unde concludit supra laudatus Petra : « Pro comperto est quod nullus, præter Papam, dispensare potest, vel quod presbyteri, aliique comprehensi in cit. cap. *Super specula*, incumbere possint legibus, vel medicinæ, etiam transeundi causa ad jus canonicum, et theologiam, vel quod alii clerici hujusmodi sæcularibus scientiis incumbere non prohibiti, valeant interim fructus beneficiorum suorum lucrari, ac si juri canonico, vel theologiæ studerent. » *Comment. ad cit. constit* 2 *Bonifac. IX*, n. 17, tom. IV.

SACRAMENTALIA.

Vide verb. PECCATUM, *a n.* 47 *ad n.* 55.

SACRAMENTUM.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt sacramentorum naturam, institutionem, numerum, materiam, formam, ministrum et intentionem.

SUMMARIUM.

1. Sacramenti a *sacro* derivati, variæ sed præcipuæ tres sunt acceptiones, quæ assignantur. — 2. Sacramentum, prout in proposito accipitur, definitur. — 3. Sacramenta novæ legis fuerunt omnia a Christo Domino instituta, et ea nec plura, nec pauciora, quam septem, quæ assignantur. — 4. Sacramenta novæ legis differunt a sacramentis antiquæ legis, quia antiqua figurabant gratiam dandam per Christi passionem ; nostra vero eam continent, et ipsam digne suscipientibus conferunt. — 5. Unde sacramenta novæ legis non differunt ab antiquis solum, quia sunt aliæ cæremoniæ, et alii ritus externi. — 6. Ea, quæ concernunt ad longum sacramenta antiquæ legis, brevitatis gratia relinquuntur videnda apud scholasticos. — 7. Sacramenta novæ legis varie differunt etiam inter se. — 8. Quædam dicuntur, et sunt sacramenta *mortuorum*, et quædam alia sacramenta *vivorum*, et quæ sint utraque ? — 9. Item quædam sunt iterabilia, et non characteristica, et quædam initerabilia, et characteristica ; et quæ sint utraque ? — 10. Item quædam sunt *formata*, et quædam *informia*, et quæ sint utraque ? — 11. Non potest dari sacramentum Pœnitentiæ validum quoad essentiam, et informe quoad effectum gratiæ. — 12. Item quædam sunt *permanentia*, et quædam *transeuntia* ; et quæ sunt utraque ? — 13. Item quædam sunt *omnibus necessaria*, et quædam *non necessaria omnibus* ; et quæ sint utraque ? — 14. Sacramenta novæ legis sunt necessaria ad salutem, vel in re, vel in voto, licet non omnia omnibus. — 15. Sacramenta non sunt paria, sed unum alio dignius. — 16. Sacramenta non sunt sola signa, seu notæ Christianitatis. — 17. Sacramenta non sunt instituta propter solam fidem nutriendam. — 18. Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet rebus, verbis, et ministro cum intentione. — 19. Hinc ad essentiam cujuslibet sacramenti tria necessario requiruntur, scilicet materia, et forma, et intentio. — 20. Materia in quolibet sacramenti est res aliqua sensibilis applicata suscipienti per actionem externam ministri. — 21. Forma in quolibet sacramento sunt verba certa una cum applicatione materiæ proferenda a ministro, aut signum aliquod externum æquivalens, et faciens id quod facerent certa verba. — 22. Materia in quolibet sacramento est duplex, scilicet remota et proxima ; et quæ sit utraque ? — 23. Quænam sit materia remota, et proxima cujuslibet specialis sacramenti ? *remissive*. — 24. Item forma in quolibet sacramento est duplex, scilicet remota, et proxima ; et quæ fit utraque ? — 25. Ad valorem sacramentorum quænam requiratur simultas inter eorum materiam, et formam ? — 26. Consultissimum est ut ministri sacramentorum curent majorem, quam possunt facere simultatem, materiæ, et formæ. — 27. Materiæ et formæ sacramentorum fuerunt omnes a Christo institutæ et determinatæ quoad substantiam ; at non omnes et singulæ uniformiter et æqualiter in particulari et in specie, ad n. 28. — 29. Omnis mutatio substantialis facta in materia, vel forma sacramentorum irritat, et invalidat sacramentum ; secus autem si sit solum mutatio accidentalis. — 30. Mutatio materiæ et formæ quando censeatur substantialis vel accidentalis ? — 31. Quoad materiam et formam propriam cujuslibet specialis sacramenti, eorumque mutationem substantialem, vel accidentalem : *remissive*. — 32. Quamvis ministri

Digitized by Google

sacramentorum mali sint, sacramenta non cessant esse bona. — 33. Sacramenta valide fiunt etiam a malis ministris in peccato mortali exsistentibus. — 34. Sacramenta ministrata a malis ministris, iis nocent, non autem sumentibus. — 35. Sacramenta non possunt ministrari ab omnibus Christianis. — 36. Sacramenta fieri non possunt, nisi a ministro habente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. — 37. Quoad plurima alia, quæ concernunt ministrum sacramentorum, *remissive*. — 38. Quoad ea, quæ concernunt intentionem requisitam ad valida conficienda seu ministranda, vel recipienda sacramenta, *remissive*. — 39. Alia ad rem ad n. 48. V. *Additiones Casinenses* in fine.

(1. Sacramenti a *sacro* derivati variæ sed præcipuæ tres sunt acceptiones. Primo, igitur in sacra Scriptura sumitur interdum pro sacro mysterio, seu pro re sacra abscondita et arcana, ut Tobiæ cap. XII, v. 7, ibi : *Etenim sacramentum regis abscondere bonum est. Sapientiæ* cap. II, v. 22, ibi : *Et nescierunt sacramenta Dei.* Item *Sapientiæ*, c. VI, v. 24, ibi : *Et non abscondam a vobis sacramenta Dei. Daniel.* cap. II, v. 18, ibi : *Super sacramento isto. Ibid.* v. 30 : *Sacramentum hoc revelatum est. Ibid.* v. 47 : *Quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum.* Ad *Ephes.* cap. I, v. 9, ibi : *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ :* item ad *Ephes.*, c. III, v. 3, ibi : *Quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum. Apocalyps.* cap. I, v. 20, ibi : *Sacramentum septem stellarum.* Item *Apocalyps.* cap. XVII, v. 7, ibi : *Ego dicam tibi sacramentum mulieris.* Secundo, sumitur a juristis aliquando pro juramento ; eo quod per illud sacrum Dei nomen invocetur. L. *Sacramenta puberum*, cod. *Si adversus venditionem*, ibi : « Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur. » Cap. *Qui sacramento* 11, caus. 22, quæst. 4, ibi : « Qui sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno a communione corporis et sanguinis Domini segregatus reatum suum eleemosynis, fletibus et quantis potuerit jejuniis, absolvat. » Tertio, sumitur a Patribus et theologis, et magis ad propositum pro signo rei sacræ, id est pro eo quod sacrat et sanctificat. Et de sacramento sic sumpto in præsentiarum est sermo.

(2. Unde sacramentum, prout in proposito accipitur : « Est signum sensibile gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum ex institutione divina efficaciter significans ordinatum ad salutem hominis viatoris. » Sic Scotus, in 4, dist. 1, qu. 2, num. 9. Quæ definitio in re ipsa convenit cum illa, quæ colligitur ex concilio *Tridentino*, sess. XIII, cap. 3, quod nempe « Sacramentum sit symbolum rei sacræ et invisibilis gratiæ forma visibilis sanctificandi vim habens : » et cum illa catechismi ejusdem concilii, scilicet : « Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, et justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet ; » et cum illa tradita a Canisio in suo parvo Catechismo, quam sequuntur alii theologi : « Sacramentum novæ legis est signum invisibilis gratiæ ad hominem sanctificandum divinitus institutum. »

(3. Sacramenta novæ legis fuerunt omnia a Christo Domino instituta, et ea nec plura, nec pauciora quam septem, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Sic definitum fuit in concilio *Florentino* in decreto Eugenii IV pro instructione Armenorum, et in concilio *Tridentino*, sess. VII, canon. 1, ibi : « Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, aut pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium ; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, anathema sit. »

(4. Sacramenta novæ legis differunt a sacramentis antiquæ legis, quia antiqua figurabant gratiam dandam per Christi passionem : nova vero eam continent, et ipsam digne suscipientibus conferunt : concil. *Florent.*, sess. ult. in decreto Eugenii IV, ibi : « Quæ multum a sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant ; hæc vero nostra, et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. » (5. Unde sacramenta novæ legis non differunt ab antiquis solum, quia sunt aliæ cæremoniæ, et alii ritus externi ; est definitum in concilio *Tridentino*, sess. VII, canon. 2, ibi : « Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis sacramenta a sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi, anathema sit. » *Vide* tamen dicta sub verb. CIRCUMCISIO per tot, ubi multa ad rem.

(6. Ea autem, quæ concernunt ad longum sacramenta antiquæ legis brevitatis gratia relinquuntur videnda apud scholasticos.

(7. Sacramenta novæ legis varie differunt etiam inter se. *Communis.* Quædam enim dicuntur sacramenta *mortuorum*, et quædam alia sacramenta *vivorum*. (8. Sacramenta *mortuorum* sunt illa, quæ per se conferunt primam gratiam justificantem seu remissionem peccati mortalis actualis, vel originalis, et dicuntur sacramenta *mortuorum*, quia a Christo sunt per se, et primario instituta, ut homini ratione peccati mortalis spiritualiter *mortuo* gratiæ, rite ministrata restituant vitam spiritualem gratiæ ; et hæc sacramenta sunt duo, nempe Baptismus et Pœnitentia. Baptismus quidem institutus in remissionem peccati originalis, ac etiam actualium ante baptismum commissorum. Pœnitentia autem instituta in remissionem peccatorum actualium post baptismum commissorum. Sacramenta *vivorum* sunt illa, quæ per se conferunt tantum gratiam secundam, adeoque præsupponunt in suscipiente gratiam primam, seu statum gratiæ et dicuntur sacramenta *vivorum*, quia a Christo sunt pro

Digitized by Google

se et primario instituta, ut ministrentur hominibus jam viventibus vitæ spirituali gratiæ, eosque nova gratia adaugeant; et hæc sacramenta sunt reliqua alia quinque, nempe Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium. *Communis.*

(9. Item ex sacramentis novæ legis quædam sunt *iterabilia*, et quædam *initerabilia*. Sacramenta *iterabilia*, seu *non characteristica* sunt illa, quæ sæpius suscipi possunt, quia non imprimunt characterem indelebilem in anima suscipientis sed solum conferunt gratiam sanctificantem per peccatum mortale amissibilem, et reiteratione sacramenti recuperabilem; et illa sacramenta sunt quatuor, scilicet Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio et Matrimonium. Sacramenta *initerabilia*, seu *characteristica* sunt illa, quæ semel valide suscepta iterato suscipi nequeunt, quia imprimunt characterem indelebilem in anima suscipientis; et talia sacramenta sunt tria, nempe Baptismus, Confirmatio et Ordo. *Communis* ex concilio *Florentino*, sess. ult. in decreto Eugenii IV, ibi: « Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile; unde in eadem persona non reiterantur; reliqua vero quatuor characterem non imprimunt; et reiterationem admittunt. » Et concil. *Tridentin.*, sess. VII, canon. 9, ibi: « Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit. »

(10. Item quædam ex sacramentis sunt *formata*, et quædam *informia*. Sacramenta *formata* sunt illa, quæ et valide et licite, ac fructuose suscepta, statim, dum suscipiuntur, habent suum effectum in suscipiente, id est statim causant gratiam, ad quam causandam suscipiuntur: quæ gratia per antonomasiam vocatur *forma*, decor et pulchritudo animæ, et qua proinde deficiente, manet anima informis ac deformis in conspectu Dei. Sacramenta *informia* sunt illa, quæ quamvis valide suscipiantur concurrentibus scilicet omnibus essentialiter requisitis ad valorem talium sacramentorum, debita nempe materia, forma et intentione; tamen non habent effectum suum, eo quod ponatur obex peccati mortalis gratiæ, alioquin per talia sacramenta causandæ, et sic sacramenta remanent informia, animamque informem relinquunt. Et talia possunt esse omnia sacramenta, excepto solo sacramento Pœnitentiæ. Docent communiter doctores, posse hominem adultum valide baptizari, confirmari, Eucharistiam sumere, ordinari, extreme ungi, et Matrimonium contrahere in statu peccati mortalis, at non licite, et sic sacrilege, adeoque infructuose, et informiter.

(11. Dicitur autem notanter, *Excepto solo sacramento Pœnitentiæ*, quia non potest dari sacramentum pœnitentiæ validum quoad essentiam, et informe quoad effectum gratiæ, ut docuimus sub verb. PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM, art. 2, a n. 16 ad 29. Vide, *ibi*.

(12. Item quædam ex sacramentis sunt *permanentia*, et quædam *transeuntia*. Sacramenta *permanentia* sunt illa, quæ sunt sacramenta non tantum in fieri, seu cum fiunt, sed etiam sunt sacramenta in facto esse, seu sunt factum permanens, ut per omnes Catholicos est sacramentum Eucharistiæ, et secundum aliquos cum Sporer, tom. III. *Theolog. sacram.*, part. IV, n. 351, etiam Matrimonium, de quo ibi dicit, quod, quatenus præcise est signum practicum efficax gratiæ sanctificantis Matrimonialis, est sacramentum in fieri; quatenus vero simul est sacramentum mysticum, seu sacrum signum conjunctionis spiritualis Christi cum Ecclesia, aut Verbi divini cum natura humana, est sacramentum in facto esse, ac permanens. Sacramenta *transeuntia* sunt illa, quæ præcipue consistunt in actione, quæ physice transit, uti ablutio in sacramento Baptismi, unctio in sacramento Extremæ Unctionis, et hujusmodi.

(13. Item quædam ex sacramentis sunt *omnibus necessaria*, et quædam *non necessaria omnibus*. Sacramenta *omnibus necessaria* sunt Baptismus, qui est omnibus hominibus necessarius ad salutem, et Pœnitentia, quæ est necessaria omnibus, et solis in peccatum mortale post Baptismum lapsis; et hæc duo sacramenta in re vel in voto sunt necessaria necessitate medii, in re ipsa autem necessitate præcepti. Eucharistia est necessaria omnibus adultis necessitate præcepti. Sacramenta *non necessaria omnibus* sunt Ordo et Matrimonium, ut de se patet, et Confirmatio, et Extrema Unctio, quæ duo sacramenta non sunt sub præcepto saltem gravi necessaria, ut cum D. Thoma, part. III, quæst. 71, art. 8 ad 4, tradunt doctores communiter.

(14. Quod sacramenta sint necessaria ad salutem vel in re, vel in voto, licet non omnia omnibus, habetur expresse definitum in concil. *Trident.*, sess. VII, can. 4, ibi: « Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit. »

(15. Sacramenta non sunt paria, sed unum alio dignius. Concil. *Trid.*, cit. sess. VII, canon. 3, ibi: « Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit. »

(16. Sacramenta non sunt sola signa, seu notæ Christianitatis. Concil. *Trident.*, cit. sess. VII, can. 6, ibi: « Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discer-

Digitized by Google

nuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. »

(17. Sacramenta non sunt instituta propter solam fidem nutriendam. Concil. *Trid.*, cit. sess. VII, canon. 6, ibi : « Si quis dixerit, hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit. »

(18. Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet rebus, verbis et ministro cum intentione; rebus, ut materia; verbis autem, ut forma. Concil. *Florent.*, sess. ultim. in decret. Eugenii IV, § quinto Ecclesiasticorum, ibi : « Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. »

(19. Hinc clare constat quod ad essentiam cujuslibet sacramenti tria necessario requiruntur, scilicet materia, forma et intentio. Communis Catholicorum per citat. textum concilii *Florentini*. Unde ex verbis S. Augustini relat. in cap. *Detrahe* 55, caus. 1, qu. 1 : *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.*

(20. Materia in quolibet sacramento est res aliqua sensibilis applicata suscipienti per actionem externam ministri. *Communis.*

(21. Forma in quolibet sacramento sunt verba certa una cum applicatione materiæ, proferenda a ministro; aut signum aliquod externum æquivalens et faciens id quod facerent certa verba, uti sunt nutus annuentis in Matrimonio, quibus nutibus æque bene ac verbis animus contrahentium declaratur. *Communis.*

(22. Materia in quolibet sacramento est duplex, scilicet remota et proxima. Materia *remota* est illa res sensibilis, quæ per actionem ministri applicatur suscipienti. Materia *proxima* est ipsamet debita applicatio dictæ materiæ remotæ, quæ scilicet una cum forma sibi correspondente simul prolata a ministro proxime constituit sacramentum. *Communis.*

(23. Quænam sit materia remota, et proxima cujuslibet specialis sacramenti? *Vide* in suis propriis locis, ut sub verb. BAPTISMUS, CONFIRMATIO, EUCHARISTIA, etc.

(24. Item forma in quolibet sacramento est duplex, scilicet remota et proxima. Forma *remota* sunt dicta certa verba una cum applicatione materiæ a ministro proferenda, seu aliud signum æquivalens externe exhibendum. Forma *proxima* est dictorum certorum verborum una cum applicatione materiæ actualis a ministro facta prolatio, seu dicti signi externi æquivalentis actualis exhibitio. *Communis.*

(25. Ad valorem sacramentorum requiritur simultas inter eorum materiam et formam, quæ simultas sufficit, quod sit moralis, et tanta, quanta requiritur in actibus humanis; nam cum sacramentum sit compositum morale, requiritur et sufficit talis simultas, sive unio inter materiam et formam, ut unum moraliter, ac secundum communem hominum æstimationem censeatur afficere alterum, considerata et attenta natura cujuslibet specialis sacramenti. Sic Scotus, in. 4, dist. 6, q. 3, litt. *B.* Et in re communis aliorum.

(26. Consulunt tamen doctores communiter, ut ministri sacramentorum curent majorem, quam possunt, facere simultatem materiæ et formæ, quia cum materia et forma debeant constituere unum signum sacramentale, semper optimum est, eas meliori, quo potest, modo esse conjunctas. Unde consultissimum est, quod ministri in Baptismo vere simul proferant formam totam, dum abluunt; in Confirmatione et Extrema Unctione, dum inungunt; in Ordinatione, dum instrumentum Ordinis tradunt; in sacramento Pœnitentiæ statim absoluta confessione dolorosa, pœnitentiaque injuncta et acceptata, verba absolutionis proferant; in Matrimonio post expressum consensum unius, statim exprimat et alter sponsorum. In confectione vero Eucharistiæ materia debet esse præsens, quia hoc indicant illa pronomina demonstrativa : *Hoc, hic.*

(27. Materiæ et formæ sacramentorum fuerunt omnes a Christo institutæ et determinatæ quoad substantiam. At non omnes et singulæ uniformiter, et æqualiter in particulari et in specie. Prima pars conclusionis est communis omnium theologorum. Cum enim Christus instituerit immediate omnia sacramenta novæ legis, debuit etiam omnium eorum materias et formas instituere et determinare quoad substantiam; alias si apostoli, aut Ecclesia aliquas sacramentorum materias, aut formas determinassent quoad substantiam, Christus non instituisset illa immediate, sed tantum mediantibus hominibus materias et formas determinantibus. V. *Additiones Casin.* in fin. h. art.

(28. Secunda pars conclusionis defenditur passim a doctoribus cum Mastrio, in 4, disp. 36 et 45; Suarez, part. III, tom. III, disp. 1, sect. 3; Gonet, *De sacrament. in man.*, tract. 2, cap. 2; et tract. 6, cap. 3; Gobat, tom. I, tract. 8, n. 55; Reiffenstuel, *Theolog. moralis*, tract. 14, dist. 1, qu. 1, n. 21; La Croix, lib. VI, p. I, n. 18. Aliquæ enim materiæ et formæ fuerunt a Christo institutæ solum in genere, determinandæ in particulari et in specie ab apostolis, vel Ecclesia, quæ in particulari adhiberet res sensibiles, et verba apta ad exprimendam significationem illam, ad quam exprimendam fuerunt sacramenta illa ab ipso Christo Domino instituta; sic in sacramento Ordinis determinatum solum fuit a Christo aliquid in genere significativum potestatis, quæ confertur, relinquendo Ecclesiæ potestatem determinandi in particulari juxta exigentiam temporum, locorum et personarum, materiam et formam aptam ad significandam et exprimendam potestatem illam, quæ ordinatis confertur; unde de facto patet ex praxi primitivæ Ecclesiæ, quæ ante scriptionem et impressionem Evangeliorum

Digitized by Google

et Epistolarum non potuit, uti modo, diaconis et subdiaconis, in eorum ordinatione tradere librum Evangeliorum et Epistolarum. Item patet ex praxi Ecclesiæ Græcæ et Latinæ, quarum quælibet valide conficit sacramentum Ordinis, quamvis non conveniant in materia et forma particulari quoad speciem, sed solum in genere, quatenus utraque Ecclesia utitur certa materia et forma apta ad significandam et exprimendam potestatem, quæ ex intento Christi Domini traditur ordinatis. Sic etiam in sacramento Pœnitentiæ determinata est solum in genere materia remota, quæ sunt peccata actualia post Baptismum commissa, sive sint mortalia, sive venialia, sive hujus, sive illius speciei, et etiam solum in genere determinata est materia proxima, nempe dolor communis contritioni et attritioni. Et solum in genere determinata est ejus forma, dummodo concipiatur et proferatur verbis actum judicialem sententiæ vere absolventis, sufficienter exprimentibus. Ita etiam in Matrimonio determinatus est pro materia contractus in genere legitimus, quo tradatur mutuum jus ad usum corporum, et pro forma determinatum est solum in genere signum externum, cum ejus forma possint esse verba, vel formalia, vel tantum æquipollentia, uti sunt scriptio et nutus, quæ inter se specie distinguuntur, et sic de aliis proportionate discurrendo; unde clare constat, quod materiæ et formæ sacramentorum fuerunt omnes a Christo institutæ et determinatæ quoad substantiam; at non omnes et singulæ uniformiter et æqualiter in particulari et in specie. Ad quod facit concilium *Tridentinum*, sess. XXI, cap. 2, ubi sic expresse habet: « Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret. »

(29. Omnis mutatio substantialis facta in materia, vel forma sacramentorum irritat et invalidat sacramentum; secus autem si sit solum mutatio accidentalis. Communissima omnium theologorum, qui ad hoc communiter tradunt has duas regulas: « I. Si mutatio materiæ, vel formæ sit substantialis, non fit sacramentum. II. Si mutatio materiæ, vel formæ sit tantum accidentalis, fit sacramentum. »

(30. Mutatio autem tunc censetur substantialis, quando juxta communem usum et existimationem prudentum non manet amplius eadem res in nomine et substantia cum illa, quam Christus instituit et determinavit pro materia sacramenti: seu, loquendo de forma, quando non manet amplius in verbis idem sensus per verba intentus a Christo; tunc vero censetur solum mutatio accidentalis in materia, quando juxta communem usum et existimationem prudentum res adhuc remanet eadem in substantia; et tunc censetur solum mutatio accidentalis in forma, quando remanet adhuc in verbis idem sensus per verba intentus a Christo. Sic doctores communiter.

(31. Quoad materiam et formam propriam cujuslibet specialis sacramenti, earumque mutationem substantialem vel accidentalem, *vide* in suis propriis locis, et signanter sub verb. BAPTISMUS, etc.

(32. Quamvis ministri sacramentorum mali sint, sacramenta non cessant esse bona. Cap. *Si justus* 30, cap. *Ex catholica* 31, cap. *Sic autem* 32, cap. *Non foris* 33, cap. *Nonne Sodomitæ* 37, cap. *Dominus declararit* 87, cap. *Christus* 88, et cap. *Non nocet*] 99, caus. 1, q. 1.

(33. Sacramenta enim valide fiunt etiam a malis ministris in peccato mortali exsistentibus. Conc. *Trid.*, sess. VII, canon. 12, ibi: « Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anathema sit. »

(34. Unde sacramenta ministrata a malis ministris eis nocent, non autem sumentibus. Cap. *Omnia sacramenta* 78, cap. *Christus* 88, et cap. *Non nocet* 89, caus. 1, q. 1, cum similibus.

(35. Sacramenta non possunt ministrari ab omnibus Christianis. Conc. *Trid.*, sess. VII, canon. 10, ibi: « Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit. »

(36. Sacramenta fieri non possunt nisi a ministro habente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Conc. *Trid.*, cit. sess. VII, canon. 11, ibi: « Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit. »

(37. Quoad plurima alia, quæ concernunt ministrum sacramentorum. *Vide*, verb. MINISTER SACRAMENTORUM per tot, a n. 1 ad n. 54.

(38. Quoad ea, quæ concernunt intentionem requisitam ad valide conficienda, seu ministranda, vel recipienda sacramenta. *Vide* verb. INTENTIO, a n. 14 ad n. 43, et a n. 57 ad 61. V. *Addit. Cas.*, ibi.

(39. * Sententia asserens in sacramentis conferendis non requiri in ministro intentionem aliquam faciendi quod facit Ecclesia, sed tantum præstandi ritum externum, nulla censura ab episcopis configenda est. *De synod. diœces*, lib. VII, capit. 4, § 9.

(40. Verum contraria tutior, et omnino servanda in praxi. Quare si quid ejusmodi contigerit, et necessitas urgeat, sacramentum Baptismi sic collatum, sub conditione iterum perfici oportet. Quod si res hujusmodi sit, ut moram patiatur, consulenda est Sedes Apostolica, *ibid.* *.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. Quæstiones, quas circa materiam et formam sacramentorum movent scholastici, et inter hos auctor, præcipue sub sæculum

Digitized by Google

XII aut XIII, exortæ sunt. Ab eo enim tempore sacramenta per materias et formas explicari cœperunt. (42. « Et primus *Scholasticorum* (ut inquit Morin., *De SS. ordinat.*, part. III, exercit. cap. 3, nu. 6), quem legi, qui hanc sacramenta explicandi methodum amplexus est, et docuit, Gulielmus est Antissiodorensis, qui scribebat paulo post annum 1215. » (43. Additque n. 10, ante hæc tempora theologos totam hanc sacramentorum materiam explicasse « per verba signi et rei sacræ seu invisibilis, dicentes sacramentum constare signo et re sacra seu invisibili. Per signum intelligebant, quod postea per materiam significatum est, atque etiam quod per formam, quidquid scilicet sensibus percipitur. Per rem sacram seu invisibilem effectum sacramenti, gratiam scilicet sanctificantem. Hic est apud antiquos frequentissimus explicandi modus. Unde illa definitio, sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma. Formam vocant speciem, quæ sensibus percipitur (23). »

(44. E philosophia vero Peripatetica nata est ratio hæc explicandi sacramenta per materiam et formam. (45. Ea enim rerum naturas sub nominibus hisce materiæ et formæ inquirere et examinare solebat. (46. Hac igitur philosophia, quæ jam sæculo XII, radices agere cœperat, imbuti theologi, eamdem philosophandi rationem in theologiam, atque potissimum in sacramentorum doctrinam introduxerunt, ut recte observavit Morinus, *loco mox citato*, numer. 3, ubi, « quod potissima cura fuit definire, quæ fuerint sacramentorum materiæ, quæ formæ, et sub horum nominum insigniis principales de sacramentis quæstiones efformare et protendere (24). »

(47. De quæstionibus hisce circa sacramenta in generali, tum singula in particulari, qui instrui cupit, adeat scholasticos, qui integros de sacramentis tractatus edidere. (48. Meo vero judicio recte Vanespen, omissis dictis quæstionibus, quæ nec ad externam sacramenta administrandi rationem, neque ad canonicam disciplinam spectant, id sibi proposuit, ut circa sacramenta proponeret et discuteret disciplinam, quam sacri canones, synodalia decreta et ritualia in eorum administratione servandam præscripserunt. Consule igitur ipsum, ubi res postulat part. II *Juris eccl. univers.*, a titul. 1 ad plur. seq. Confer etiam erudita pro more commentaria clarissimi viri, et nunquam satis pro merito commendati Josephi Catalani, in *Rituale Romanum*.

ADDITIONES CASINENSES

Ad num. 27 h. art.

Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? ait Ambrosius lib. IV *De sacram.*, cap. 4, cum quo Patres omnes, nemine prorsus excepto, consentiunt. Hoc et protestantes fatentur; sed quia negant sacramenta esse septem, negant etiam omnia hæc septem sacramenta a Christo fuisse instituta.

Catholici contra, sacramenta omnia esse a Christo instituta docent: sed utrum ipse per se *immediate* omnia instituerit, an *mediate*; hoc est an fecerit Ecclesiæ potestatem *nonnulla* instituendi, inter se disputant. *Nonnulla*, inquam, nam ex Evangelio utique perspicuum est, Christum *immediate* instituisse Baptismum et Eucharistiam. Porro magister *Sententiarum* lib. IV, dist. 23; Hugo Victorinus, lib. II *De sacram.*, cap. 2, Confirmationem et Extremam Unctionem institutam esse contendunt ab apostolis: imo Alexander Halensis, part. IV, *Sum.*, q. 24, membr. 2, et S. Bonaventura, in 4, dist. 7, art. 1, q. 1, putant Confirmationem institutam esse in concilio quodam Meldensi, longe post apostolos. Econtrario nonnulli cum Bellarmino, lib. I *De sacram.*, cap. 23, sentiunt, definitum esse ut dogma fidei a concilio *Tridentino*, Christum omnia sacramenta *immediate* instituisse. Alii denique cum Soto, in 4, dist. 1, q. 5, art. 2, q. 3; Estio, in 4, dist. 1, § 16, et aliis, mediam ineuntes viam, docent, id quidem esse certum, non tamen dogma fidei.

Cumque nemo post concilium *Tridentinum* negaverit, Christum *immediate* omnia sacramenta novæ legis instituisse, res evasit utique inter theologos certissima, ut sine temeritate negari non possit. « Sed modo (concludit Gazzanica) tanto consensu omnes docent theologi, omnia sacramenta fuisse a Servatore nostro *immediate* instituta, ut id negare, sin minus hæreticum, saltem temerarium putetur. » *Prælect. theolog.*, De sacram. in gener., dissert. 1, cap. 8, n. 283.

Non æque tamen est exploratum, utrum Christus in *specie*, an in *genere* materiam et formam omnium sacramentorum definiverit sive determinaverit. Determinatur porro *in genere* materia et forma, cum rem ex materia et forma constare debere statuitur; sed nulla certa aut materiæ aut formæ species designatur, ut cum simpliciter artificem jubes, *exsculpere statuam*; determinatur vero *in specie*, cum certa materiæ et formæ species eligitur, ut si quis artifici diceret, *elabora mihi statuam Caii ex auro*.

Jam vero dogma fidei est, Christum *in specie*, materiam et formam Baptismi et Eucharistiæ definivisse. De reliquis autem sacramentis controversia est. Magister *Sententiarum* lib. IV, dist. 23; Petrus Cantor, *Sum. de sacr.*; Alexander Halensis, *Sum.*, part. IV; S. Bonaventura, in 4, dist. 23, art. 1, q. 2, imo e recentioribus Bellarminus,

(23) Addendum tamen, sacramentorum quam dicimus materiam, olim dictam fuisse *elementum*, formam *verba*: quo spectat illud Augustini tract. 80 *in Joannem*: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*.

(24) Cave hinc cum Sarpio *Tridentinum* concilium propterea irrideas, quod philosophorum sui temporis phraseologiam in canones fidei transtulerit. Id ante *Tridentinum* alia quoque concilia usurpaverant; quin mos ita loquendi etiam ad Orientales ipsos penetravit, ut ex responso Jeremiæ patriarchæ Constantinopolitani ad Wittembergenses dato c. 7 constat.

Digitized by Google

Lib. de sacr. Ord.; Joannes Marinus, lib. VIII *De administr. sacr. Pœnit.*, aliique viri doctissimi opinantur, Christum eorum sacramentorum materiam et formam *in genere* tantum definivisse. Estius, Juvenin, aliique tenent, Christum utrumque definivisse in specie. Docet Habert, materiam quidem a Christo *in specie* definitam, formam vero *in genere*.

Cæterum illud profecto concludi potest, non esse certum, Christum *in specie* determinasse materiam et formam omnium sacramentorum, cum post concilium *Tridentinum* theologi doctissimi contrarium teneant. Sed *vide* auctorem hic *supra* num. 28.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt sacramentorum effectus.

SUMMARIUM.

1. Effectus sacramentorum novæ legis est duplex, scilicet unus generalis omnium, et alter particularis aliquorum. — 2. Effectus generalis omnium sacramentorum est gratia sanctificans.—3. Omnia sacramenta novæ legis sine obice suscepta conferunt ex opere operato gratiam digne sumentibus. — 4. Effectus particularis aliquorum sacramentorum proprius est character. — 5. Sola tria sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio et Ordo imprimunt characterem. — 6. Quoad ea, quæ concernunt gratiam generatim et gratiam sanctificantem, *remissive*. — 7. Præter gratiam sanctificantem habitualem per quodlibet sacramentum digne susceptum, conferuntur hominibus digne suscipientibus etiam aliæ speciales gratiæ actuales opportunæ ad consequendos proprios fines singulorum sacramentorum cum aliis notandis ad n. 23. — 24. Ad recipienda fructuosa sacramenta mortuorum requiritur in adultis in lethali exsistentibus contritio vel saltem attritio. — 25. Ad recipienda rite et fructuose sacramenta vivorum requiritur per se loquendo status Gratiæ. — 26. Imo ad digne et fructuose recipiendum sacramentum Eucharistiæ requiritur, ut scienter exsistens in peccato mortali præmittat de ipso sacramentalem confessionem, nec sufficit contritio. — 27. Sublata seu recedente fictione suscipientis, reviviscit Baptismus ficte susceptus. — 28. Etiam alia duo sacramenta imprimentia characterem, si ficte recepta sint, recedente postea fictione, reviviscunt. — 29. Etiam extrema Unctio et Matrimonium probabilius reviviscunt recedente fictione. — 30. Pœnitentia autem probabilius non reviviscit recedente fictione. — 31. Eucharistia vero probabilius reviviscit recedente obice, si obex removeatur, antequam consumptæ sint species: Secus tamen si obex removeatur solum, postquam jam totaliter consumptæ sunt species, et Christus jam desiit esse præsens. — 32. Sacramenta non causant gratiam physice sed moraliter. — 33. Character sacramentalis, qui est effectus particularis aliquorum sacramentorum proprius, imprimitur solum in tribus sacramentis, scilicet Baptismo, Confirmatione et Ordine. — 34. Cur sola dicta tria sacramenta, et non alia quatuor imprimant characterem? — 35. Character definitur. — 36. Character non est pura relatio rationis, aut denominatio extrinseca. — 37. Character neque est relatio realis, sed entitas absoluta.—38. Character sacramentalis non subjectatur in anima sub ratione formali.— 39. Sed subjectatur in anima sub ratione formali voluntatis. — 40. Character sacramentalis de potentia Dei ordinaria est indelebilis tum in hac, tum in alia vita. — 41. Potest tamen deleri de potentia Dei absoluta tam in hac quam in altera vita. — 42. Alia ad rem *cum addit. ex alien. manu* ad n. 65.

(1. Effectus sacramentorum novæ legis est duplex, scilicet unus generalis omnium, et alter particularis aliquorum. *Communis.*

(2. Effectus generalis omnium sacramentorum est gratia sanctificans. *Communis.*

(3. Omnia enim sacramenta novæ legis sine obice suscepta conferunt ex opere operato gratiam digne sumentibus. Communis inter Catholicos, et sic expresse habetur ex conc. *Florent.*, sess. ultim. in decret. Eugenii IV, § 5 *Ecclesiasticorum*, ibi: « Novæ legis septem sunt sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium. Quæ multum a sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra, et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt; » et novissime sic est definitum in conc. *Trident.*, sess. VII, canon. 6, ibi: « Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre..... anathema sit: » et canon. 7, ibi: « Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus, anathema sit. »

(4. Effectus particularis aliquorum sacramentorum proprius est character. *Communis.* (5. Sola enim tria sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio et Ordo imprimunt characterem. Communis inter Catholicos, et habetur ex conc. *Flor.*, *loc. cit.*, ibi: « Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile; unde in eadem persona non reiterantur; reliqua vero quatuor characterem non imprimunt et reiterationem admittunt. » Et ex concil. *Trid.*, cit. sess. VII, canon. 9, ibi: « Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit. »

(6. Quoad ea quæ concernunt gratiam generatim, et gratiam sanctificantem. *Vide* verb. GRATIA UT EST DONUM DEI per tot.

(7. Præter gratiam sanctificantem habitualem, per quodlibet sacramentum digne susceptum conferuntur hominibus digne suscipientibus etiam aliæ speciales gratiæ actuales opportunæ ad consequendos proprios fines singulorum sacramentorum. Communis omnium conciliorum, Patrum et doctorum sic intelligentium et significantium, quando dicunt, quodlibet sacramentum conferre gratiam specialem sibi propriam. Et ratio clara est, quia cum singula sacramenta sint a Deo instituta ob speciales suos fines, oportet etiam, ut conferant speciales gratias actuales, quibus ea digne suscipientes juventur ad fines illos consequendos.

Digitized by Google

(8. Sacramenta novæ legis causant gratiam sanctificantem *ex opere operato*, et non *ex opere operantis* tantum, est de fide ex concil. *Trid.*, sess. VII, can. 6, ibi : « Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non conferre gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre..... anathema sit; » et can. 8, ibi : « Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit. » *Vide* infra n. 21 et 22.

(9. Sacramenta autem causare gratiam *ex opere operato*, est conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis exhibitæ suscipienti, consideratæ scilicet secundum dignitatem et efficaciam, quam habet ex institutione facta a Christo sine ullo respectu vel dependentia ad merita, vel dignitatem illius, qui eam actionem exercet. Et dicitur *ex opere operato*, quia ob infallibilem promissionem divinam ea gratia confertur ex meritis Christi ac virtute passionis suæ, quæ jam sunt opus operatum. Econtra causare gratiam *ex opere operantis*, est solum ratione meriti et dispositionis illius, qui talem actionem exercet, conferre gratiam; et dicitur *ex opere operantis*, quia ea gratia confertur propter propria merita, devotionem, actusque virtuosos ipsius hominis operantis, sive ut ministri, sive ut suscipientis. Sic doctores communiter. *Vide* infra n. 21 et 22.

(10. Sacramenta mortuorum, per se ac ex vi suæ primariæ institutionis, conferunt primam gratiam sanctificantem; per accidens autem quandoque secundam. *Communis*.

(11. Et ratio primæ partis est clara, quia sacramenta mortuorum, per se, ac ex primaria sua institutione, instituta sunt a Christo Domino ad spiritualiter vivificandos; atqui si non conferrent per se, ac ex primaria sua institutione primam gratiam, non essent instituta ad vivificandos spiritualiter mortuos, sed ad nutriendum et corroborandum viventes in vita spirituali, ergo, etc.

(12. Ratio item secundæ partis est clara, quia omnia sacramenta rite et digne recepta nunquam carent suo effectu, qui est gratia: ergo si sacramenta mortuorum rite ministrentur homini jam constituto in gratia per contritionem perfectam, ne suo careant effectu, debent conferre gratiam, non primam, ut patet, cum ipse recipiens sit jam in gratia constitutus per contritionem perfectam, ut supponitur, ergo per accidens secundam, seu augmentum gratiæ primæ.

(13. Sacramenta vivorum per se, ac ex vi suæ primariæ institutionis conferunt gratiam secundam. Per accidens autem quandoque primam. *Communis*.

(14. Et ratio primæ partis est de se clara, quia sacramenta vivorum sic appellantur, eo quod ministrari debeant solum vivis membris Christi per jam sibi inexsistentem gratiam primam sanctificantem, ergo cum non possint conferre gratiam primam, quæ jam inesse supponitur, ne careant suo effectu, debent conferre gratiam secundam, seu augmentum primæ.

(15. Ratio item secundæ partis est de se clara, quia juxta concilium *Tridentinum*, sess. VII, can. 6 et 7, per text. cit. supra n 3, omnia sacramenta novæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem; atqui dum quis se bona fide existimans in statu gratiæ, cum tamen revera habeat occultum mortale peccatum, cujus non recordatur, seu ex malitia confessoris non sit absolutus a peccato mortali, ut ipse bona fide credit, et cum sola attritione recipit aliquod sacramentum vivorum, nullum ex se ponit obicem, ergo tunc ipse vi talis sacramenti recipit gratiam, non secundam, cum nulla prior infuerit, nec attritio de se conferat gratiam, ergo recipit primam per accidens causatam a sacramento vivorum recepto; sic probabiliter aliqui.

(16. Quænam autem sint sacramenta mortuorum et vivorum, et cur ita dicantur? *Vide* art. anteced. n. 8.

(17. Quænam autem sit prima, et secunda gratia, et cur ita dicatur? *Vide* verb. GRATIA n. 5.

(18. Sacramenta specie distincta, ut Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, etc., non conferunt omnia æqualem gratiam, sed digniora et perfectiora sacramenta majorem ac perfectiorem gratiam conferunt. *Communis*, et colligitur ex conc. *Trident.*, sess. VII, can. 3, ibi : « Si quis dixerit, hæc septem sacramenta inter se ita esse paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit; » ubi, ut vides, definit concilium, aliud sacramentum esse alio dignius; dignior, autem, et perfectior causa digniorem et perfectiorem producit effectum, adeoque, etc., et consequenter sacramentum Eucharistiæ, quia omnibus aliis dignius et perfectius est, cum sit sacramentum permanens, in se realiter Christum continens, cæteris paribus majorem et perfectiorem, quam alia sacramenta, confert gratiam.

(19. Sacramenta ejusdem speciei solo numero distincta, ut plures baptismi, plures confirmationes, etc., per se, et de lege ordinaria semper æqualem conferunt gratiam, ubi æqualis est dispositio recipientis; inæqualem autem gratiam, ubi inæqualis est dispositio recipientis. *Communis*.

(20. Et ratio primæ partis est de se clara, quia ex *Tridentino*, sess. VII, canon. 6, per text. cit. *supra* n. 8. Sacramenta, secluso obice, conferunt gratiam, quam significant; sed duo baptismi ver. gr. per se eamdem omnino gratiam significant, ergo per se eamdem et æqualem gratiam conferunt, ubi æqualis est dispositio recipientis; tunc enim sacramenta operantur ut causæ naturales. In naturalibus autem ab eadem causa circa passum æqualiter dispositum semper producitur idem, seu æqualis effectus: unde omnes parvuli in Baptismo per se et de

Digitized by Google

lege ordinaria semper accipiunt æqualem gratiam, cum eorum omnium æqualis, vel potius nulla sit dispositio, cum careant usu rationis.

(21. Dicitur autem notanter *per se et de lege ordinaria*, quia, ut inquit Scotus, in 4, quæst. 7, n. 3, « Posset Deus... conferre majorem illi, quem prædestinavit ad majorem gloriam, sed ille uberior gradus non conferretur virtute baptismi, sed de speciali benevolentia divina. » Et ut dicit. S. Thomas, qu. 64, art. 1 ad 2 : « Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per devotionem ministri. » Cui conformis est Scotus, *loc. cit.*, num. 5, ibi : «Propter quorum (id est parentum aut ministrorum), merita Deus uni parvulo potest conferre majorem gratiam, quam alteri. » (22. Ex quibus patet, quod licet sacramenta ejusdem speciei solo numero distincta, per se et de lege ordinaria semper æqualem conferant gratiam, ubi æqualis est dispositio recipientis, ut propterea ad augmentum vel detrimentum gratiæ sacramentalis per se nihil conferat sanctitas vel improbitas ministri, ut patet ex sacris canonibus et textibus citatis articulo antecedenti sub n. 52, 53 et 54, per accidens tamen potest conferre ministri probitas seu sanctitas, si videlicet suis meritis, precibus vel industriis impetret suscepturo sacramentum gratiam efficacem ad ferventiorem dispositionem, ratione cujus major conferretur gratia. Arg. cap. *Ipsi sacerdotes* 19, caus. 1, cum similibus.

(23. Ratio secundæ partis conclusionis, quod scilicet sacramenta solo numero distincta inæqualem conferant gratiam, ubi inæqualis est dispositio recipientis, est etiam de se clara, quia sicut causæ omnes naturales perfectius agunt in subjecto magis, seu melius disposito, ita etiam sacramenta, quæ operantur ut causæ naturales, perfectiorem et majorem conferunt gratiam, ubi magis seu melius erit recipiens dispositus ; unde concil. *Trid.*, sess. VI, cap. 7, loquens de justificatione adultorum per baptismum docet, baptizatis conferri gratiam juxta mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis ; « et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. » Et S. Thom., qu. 69, art. 8, dicit : « Quidam cum majori, quidam cum minori devotione accedunt et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt. » Et cum ipso concordat Scotus, in 4, dist. 4, q. 7, n. 5.

(24. Ad recipienda fructuose sacramenta mortuorum, scilicet Baptismum et Pœnitentiam, requiritur in adultis in lethali exsistentibus contritio vel saltem attritio. *Communis*, et desumitur ex concilio *Tridentino*, sess. XIV, c. 4, ubi sic expresse habetur : « Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum (Pœnitentiæ) actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse ascribendam ; illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat.... Donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. »

(25. Ad recipienda rite et fructuose sacramenta vivorum, scilicet Confirmationem, Eucharistiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, requiritur, per se loquendo, status gratiæ. *Communissima*. Si quis enim in mortali peccato scienter exsistens velit aliquod vivorum sacramentum suscipere, tenetur prius vel per contritionem perfectam vel per attritionem una cum sacramento Pœnitentiæ se in statum gratiæ restituere, alias, si in peccato mortali scienter exsistens cum sola attritione cognita aliquid vivorum sacramentum recipiat, non solum infructuose, seu sine gratia sanctificante illud recipit, sed potius de novo gravissime et sacrilege peccat.

(26. Imo ad digne et fructuose recipiendum sacramentum Eucharistiæ requiritur, ut scienter exsistens in peccato mortali præmittat de ipso sacramentali confessionem, nec sufficit contritio. *Communissima* per text. Apostol. *II ad Corinth.* II, 28, ibi : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat ; qui enim manducat, et bibit non dijudicans corpus Domini.* Et per textum concilii *Tridentini*, sess. XIII, cap. 7, ibi : « Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus, scilicet Apostoli præceptum : *Probet se ipsum homo :* ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. » Et, *ibid.*, canon. 21, sic expresse habet : « Et ne tantum sacramentum indigne, atque adeo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem ; si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus exsistat. »

Digitized by Google

(27. Sublata seu recedente fictione, id est indignitate vel indispositione suscipientis, reviviscit Baptismus ficte, id est cum obice peccati mortalis susceptus : unde effectus gratiæ sanctificantis, qui propter obicem peccati mortalis, seu indispositionem adulti suscipientis tempore suscepti Baptismi impeditus fuit, remoto tali obice per veram pœnitentiam, statim confertur. *Communis* cum S. Th., q. 69, art. 10, ubi sic habet : *Oportet, quod remota ea per pœnitentiam*, nempe fictione, *Baptismus statim consequatur suum effectum*. Cui conformis est Scotus in 4, q. 5, n. 4, ubi sic expresse ait : « Potest dici, quod illa fictio non dimittitur, nisi per veram pœnitentiam, sed, ea dimissa, habet baptismus effectum suum. » Et, *ibid.*, n. 8, loquens de eo, qui accedit cum fictione, subjungit : *Recipit ergo effectum baptismi, quando pœnitet*. Unde immerito et falso in contrarium eum citat Gonet, disput. 4, *De baptismo*, art. 2. Et conclusio habetur tota expresse ex verbis S. Augustini, lib. 1 *De baptismo*, cap. 12, relat. in cap. *Tunc valere* 42, dist. 4, De consecrat., ibi : « Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri : » et ratio est, quia baptismus semel valide susceptus ob impressum characterem est initerabilis, ex conc. *Florent.*, sess. ultim. in decr. Eugenii IV, et concil. *Trid.*, sess. VII, canon. 9, cit. art. antecedent., n. 9, et ejus effectus, scilicet regeneratio spiritualis, est simpliciter necessarius ad salutem, *Joann.* IV, n. 1, ibi : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Et peccata ante baptismum commissa per nullum aliud sacramentum remitti possunt, sed per ipsum solum baptismum in re vel in voto, ut patet ex dictis sur verb. PECCATUM, n. 36, ergo necesse est ut Baptismus, semel valide receptus, sine effectu ratione obicis, recedente postea obice, operetur suum effectum, quem antea operari nequit.

(28. Etiam alia duo sacramenta imprimentia characterem, scilicet Confirmatio et Ordo, si ficte seu indisposite cum obice peccati mortalis recepta sint, recedente postea per veram pœnitentiam fictione seu obice peccati mortalis, reviviscunt seu conferunt suum proprium effectum gratiæ sacramentalis. Sic expresse S. Th., in 4, dist. 4, q. 3, art. 2; S. Bonav., dist. 1, par. 1, art. 13, quibus consonat Scotus in 4, dist. 1, q. 5, n. 7, his verbis : « In quibuscunque sacramentis imprimitur dispositio ad effectum principalem; si propter obicem in suscipiente non causatur tunc effectus principalis, cessante obice, sufficit dispositio ad illum effectum principalem, ut apparet in sacramentis imprimentibus characterem, quæ propter hoc non sunt iterabilia. » Et sic communior doctorum; et ratio est, quia etiam ista duo sacramenta sunt simpliciter irreiterabilia, et habent effectum suum sibi proprium; scilicet Confirmatio gratiam in fide Christi roborantem, Ordo gratiam ad digne et sancte adimplenda ministeria sacra cuilibet ordini annexa, qui effectus ab aliis sacramentis conferri nequeunt, adeoque hæc duo quoque sacramenta semel valide suscepta sine effectu ratione obicis, postea, amoto obice, effectum suum causare seu conferre debent, ne recipiens teneatur carere effectu ipsorum in perpetuum.

(29. Etiam Extrema Unctio et Matrimonium probabilius reviviscunt recedente fictione. Sic S. Thom., *loc. cit.*, et dist. 17, qu. 3, art. 4, cum dixisset, confessionem reviviscere sublata fictione, addit, idem esse in aliis sacramentis, et colligitur ex Scoto, *loc. cit.*, et tenet communior doctorum. Et ratio est, quia cum etiam hæc duo sacramenta secundum quid sint irreiterabilia, nempe durante eadem infirmitate et durante vita utriusque conjugis, et habeant effectus aliquos speciales sibi proprios, scilicet Extrema Unctio gratiam delentem peccatorum reliquias, et in extremo conflictu roborantem; Matrimonium gratiam mutuæ concordiæ conjugum conciliativam, et ad ferenda onera Matrimonii auxiliativam, nec hi effectus per alia sacramenta conferantur, hinc congruum est, etiam hæc duo sacramenta valide suscepta sine fructu, postea amoto obice, reviviscere, et dictos suos peculiares effectus causare, dummodo obex removeatur intra tempus ejusdem morbi vel conjugii, ut tenent Suarez, Lugo, Coninch, Castropal. cum La Croix, lib. VI, part. 1, n. 202, et plurimi alii.

(30. Pœnitentia autem non reviviscit recedente fictione seu obice. Sic Scotus, in 4, dist. 1, q. 2, § *Contra istam opinionem*; ubi sic expresse habet : « In ficte pœnitente, cessante fictione, nihil est quod sufficiat ad effectum veræ pœnitentiæ, alioquin non oportet talem ficte confessum de eisdem peccatis alias confiteri. » Scotum sequuntur passim Scotistæ et varii alii exteri contra divum Thomam, et alios; et sic videtur tenere praxis fere universalis confessariorum, qui omnes solent exigere a pœnitentibus confessionum ficte factarum repetitionem; eo vel maxime, quod non datur sacramentum Pœnitentiæ validum et informe, ut jam probavimus sub verb. POENITENTIÆ SACRAMENTUM, art. 2. a n. 16 ad 29. Vide, *ibi*.

(31. Eucharistia vero probabilius revivi-scit recedente obice, si obex removeatur, antequam consumptæ sint species; secus tamen, si obex removeatur solum, postquam jam totaliter consumptæ sunt species, et Christus jam desiit esse præsens. Sic communior doctorum cum Aversa, *De Eucharistia*, q. 7, sect. 1; Suarez, d. 63, sect. 8; La Croix, l. 6, part. 1, n. 250. Et ratio primæ partis est, quia cum in tali casu subjectum jam sit dispositum ad gratiam, et cum sacramento permanente adsit auctor omnis gratiæ, dicendum est, quod tunc causet gratiam. Ratio autem secundæ partis est, quia, si Eucharistia reviviscerat, quando obex removetur solum, postquam sunt consum-

Digitized by Google

ptæ totaliter species, et Christus jam desiit esse præsens, sequeretur quod sacerdos, qui toto tempore vitæ suæ quotidie communicasset sacrilege, si in fine vitæ pœniteret, acciperet ex opere operato vi tot communionum sacrilegarum plus gratiæ quam sacerdos, qui quotidie semper digne communicasset, quod nemo dixerit.

(32. Sacramenta non causant gratiam physice, sed moraliter, id est sacramenta non producunt gratiam ut causæ physicæ, sed ut causæ morales, quatenus efficaciter movent Deum ad producendam gratiam, quam significant, et quam ipsemet Deus statuit dare infallibiliter, quotiescunque rite conficerentur et digne sumerentur. Sic Scotus, in 4, dist. 1, quæst. 3 et 5, cum omnibus suis Scotistis, S. Bonaventura, Richardus, Halensis, Aureolus, Vasquez, et plurimi alii contra Thomistas et alios; et ratio est, quia modus operandi sequitur modum essendi; sacramenta autem, ut sacramenta, sunt quid morale, cum dependeant solum ex institutione Christi, a qua, et meritis ejusdem Christi Domini totam suam vim atque efficaciam causandi habent, adeoque et illorum modus operandi erit moralis et non physicus; tum quia ex divo Thoma p. 1, q. 45, art. 5, creatura non potest creare, neque principaliter, neque instrumentaliter saltem physice, quia creare est potentiæ infinitæ: sacramenta autem sunt creaturæ, adeoque non possunt producere gratiam ut causæ physicæ, quoniam gratia habet esse per creationem: dum etiam quia nulla causa producit physice effectum, nisi physice actu exsistat; sacramenta autem conferunt gratiam aliquando pro eo tempore, quo non amplius exsistunt, cum, ut diximus *supra* n. 27, ex S. Thoma, S. Augustino, Scoto, et communi aliorum, Baptismus, ficte seu cum obice receptus, non causet gratiam pro tempore quo cum tali obice peccati mortalis recipitur, sed solum pro tempore quo per veram pœnitentiam removetur talis obex, et sic si quis hodie cum obice reciperet Baptismum, et cras obicem removeret, reciperet cras gratiam virtute Baptismi hodie suscepti, quod cum non possit competere causis physicis, dicendum est sacramenta esse tantum causas morales, adeoque, etc.

(33. Character sacramentalis, qui, ut diximus *supra* n. 4, est effectus particularis aliquorum sacramentorum proprius, imprimitur solum in tribus sacramentis, scilicet Baptismo, Confirmatione et Ordine. Communis inter Catholicos, ex conc. *Florent.*, sess. ult. in Decreto Eugenii IV, et concilio *Tridentino*, sess. VII, canon. 9, per textus, *loco citato*, adductos.

(34. Cur autem sola dicta tria sacramenta, et non alia quatuor imprimant characterem? Ratio a priori non est nisi voluntas Christi Domini ita instituentis, quæ nobis sufficienter constat ex perpetua traditione et auctoritate Ecclesiæ; ratio autem congruentiæ desumitur ex Scoto, in 4, dist. 6, quæst. 10, quia sicut in politia civili tres tantum sunt gradus determinati et

speciales; primus scilicet dum admittitur quis in familiam principis; secundus, cum constituitur miles ad defendendam rempublicam; tertius, dum constituitur officialis principis: ita tres solum gradus determinati et speciales, adeoque dignitatem aut characterem imprimentes, reperiuntur in politia ecclesiastica: primus scilicet dum quis recipitur in familiam Christi, quod fit in Baptismo; secundus, dum fit Christi miles ad defensionem fidei Christianæ, quod fit in Confirmatione; tertius, dum constituitur dux aut unus ex magistratu familiæ Christi et dispensator mysteriorum Dei, quod fit in Ordine.

(35. Character est « signum spirituale indelebile animæ impressum in susceptione sacramenti irreiterabilis, significans potestatem quamdam spiritualem eo sacramento acquisitam. » Est in re communis, et desumitur ex concilio *Florentino*, sess. ultim. in Decreto Eugen. IV, et concilio *Trid.*, sess. VII, canon. 9.

(36. Character non est pura relatio rationis, aut denominatio extrinseca. *Communis*, ex concilio *Florentino*, *loc. cit.*, ubi character vocatur *spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum* impressum in anima, indelebile, et ex concilio *Trident.*, *loc. cit.*, ubi character appellatur *signum spirituale et indelebile impressum in anima.*

(37. Character neque est relatio realis, sed entitas absoluta. Sic tenent communius doctores, et signanter celebriores Scotistæ, ut Bassolius, Mayronius, Rubionus, Vorillon, Nicolaus de Orbellis, Cavellus, Aretinus, Hyquæus, Pontius, Mastrius, Frassen, Coen, Dupasquer, et alii plures; nec contrarium Scotus, ut falso aliqui prætendunt, cum ipse in 4, dist. 6, quæst. 10, n. 13, resolvat characterem esse aliquid reale; sed an relativum sit vel absolutum, nihil determinat, cum utrumque problematice defendat, et sic plenam suis relinquat opinandi libertatem, ut patet ex sequentibus suis præcisis verbis: « Utrumque salvari potest, quod sit scilicet forma respectiva, sicuti jam ostensum est, vel quod sit forma realis absolute. »

(38. Character sacramentalis non subjectatur in anima sub ratione formali animæ. *Communis*, cum S. Thoma, quæst. 63, art. 4, et Scoto, in 4, dist. 6, quæst. 11, n. 3 et 4. Character igitur subjectatur in anima sub ratione formali voluntatis. (39. Sic Scotus, *loc. cit.*, cum omnibus suis contra Thomistas, qui dicunt subjectari in intellectu; ratio autem nostra est, quia in ea potentia poni debet signum obligationis, in qua ponitur obligatio; obligatio autem animæ ad Christum, quæ contrahitur per Baptismum, etc., ponitur in voluntate et non in intellectu, cum intellectus, utpote potentia necessaria, et ad unum determinata, non sit capax præcepti vel obligationis, adeoque, etc. Tum quia character debet poni in illa potentia quæ omnes alias potentias movet et dirigit ad actiones ad quas conferuntur sacramenta; hoc autem competit vo-

Digitized by Google

luntati instar reginæ omnibus potentiis imperanti, adeoque, etc.

(40. Character sacramentalis, de potentia Dei ordinaria est indelebilis, tum in hac, tum in altera vita. *Communis.* Et ratio est, quia alioquin a concilio *Florentino* et *Tridentino, locis citatis,* non posset dici absolute esse *signum indelebile.* (41. Potest tamen deleri de potentia Dei absoluta, tam in hac quam in altera vita. *Communis.* Unde Scotus, in 4, dist. 6, q. 9, n. 20, sic expresse habet: « Nulla forma potest esse in anima, quam non possit Deus de potentia absoluta delere, quia in hoc nulla inveniri potest contradictio. »

(42. Sacramenta denegari nequeunt mulieribus menstruatis. Benedict. XIV, tom. I, constit. 107, incip. *Omnium sollicitudinum,* § 3, 14, 39. (43. Sacramentorum participatio denegatur occultantibus fidei Christianæ professionem cum simulatione Mahumetismi. Idem, constitut. 89, incip. *Inter omnigenas,* § 6. (44. Item mulieribus Christianis in Turcarum contuberniis viventibus absque religionis exercitio. Idem, *ibid.,* § 7. (45. Item mulieribus nulliter nuptis cum infidelibus, donec in concubinatu permanserint. Idem, *ibid.,* § 13. (46. Item iis qui, uxore ad Turcas confugiente, aliam ducere præsumpserint. Idem, *ibid,* § 12.

(47. Sacramenta administrantes, etiam in Ecclesiis regularium, subsunt visitationi et correctioni episcopi, in his quæ spectant ad ipsam administrationem. Idem, constitut. 109, incip. *Firmandis,* § 2. (48. Amplia, etiamsi ipsi non sint parochi. Idem, *ibid.,* § 3.

(49. Sacramentorum simulatio licita non est, etiam ad evitandum mortis periculum. Idem, tom. II, constitut. 18, incip. *Postremo mense,* § 20 et 21.

(50. SS. sacramentum Eucharistiæ publicæ fidelium venerationi exponendum non est sine licentia episcopi seu ordinarii loci. Idem, constitut. 5, incip. *Accepimus.*

(51. Sacramentorum materiam et formam adhibere circa subjectum capax, absque intentione conficiendi sacramentum, est omnino illicitum. Idem, constitut. incip. *Ex quo primum,* § 56. (52. Sacramentum, si partes subjecti sejunctæ sint, valide et licite conferri potest a pluribus comministris, materiam et formam seorsim et diversis partibus applicantibus. Idem in d. Appendice, constit. incip. *Peracta,* § 15, ubi asserit quod, legitima concurrente causa, ut instans periculum vitæ infirmi, etsi ritualia obstent, nedum valide, sed etiam licite hodie in Ecclesia Occidentali sacramentum Extremæ Unctionis administretur a pluribus sacerdotibus, quorum unus unum organum sensus inungat, proferatque formam, aliique idem præstent super aliis sensuum organis. *Vide* ad id jam tradita a nobis in tomo VI, verb. EXTREMA UNCTIO, a n. 29 ad 33

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(53. E philosophia etiam Peripatetica desumpta sunt, quæ scholastici disputant de effectibus sacramentorum, tum et maxime de eo, quomodo et quando sacramenta producant gratiam. Confer. Vanespen, *Jur. eccl. univ.,* part. II, tit. 1, cap. 1, § 6.

(54. Inter effectus sacramentorum recensetur et *character;* isque effectus tribus tantum sacramentis tribuitur, *Baptismo, Confirmationi et Ordini.* Concilium *Tridentinum,* sess. VII, *De sacram. in gener.,* can. 9.

(55. In quo vero consistat characteris essentia, non conveniunt inter se theologi et canonistæ. (56. Dixit utique concilium *Tridentinum, loco mox citato,* imprimi per dicta tria sacramenta *characterem in anima, hoc est signum spirituale et indelebile.* Sed quid sit signum hoc, magna est dissensio. (57. « Verisimilius est (ait Vanespen *ubi supra,* § 11) aliud dicere noluisse synodum, nisi quod per hæc sacramenta imprimatur in anima ens quoddam morale, quale solet imprimi, dum quis ad dignitatem aut ad conditionem aliquam stabilem et permanentem assumitur, ut ex. gr. ad dignitatem doctoralem, regalem, etc. In horum enim adeptione et collatione accedit ipsi accipienti hujusmodi dignitatem vel conditionem quoddam ens morale, ratione cujus perpetuo reputatur rex, doctor, etc. »

(58. At, si dicendum quod res est, nec ipse Vanespen satis explicat, quid sit signum hoc spirituale et indelebile. (59. Retineamus autem eum, qui ex charactere fluit, effectum, quod scilicet tria hæc sacramenta non sint reiterabilia, et non curemus de explicatione mox dicti signi *spiritualis et indelebilis.*

(60. Cæterum tametsi dicta tria sacramenta haud reiterentur, tamen si rationabiliter de eorum valida collatione dubitetur, reiterari possunt. (61. Et quod notandum est, antiquitus sine ulla conditionis expressione reiterabantur, ut Vanespen, *eodem loco,* § 15, monstrat ex canon. 1 concilii *Carthaginensis* V. (62. Invaluit vero postmodum, ut reiterarentur sub expressa conditione *si suscepta non sint.* Sed nescitur quo tempore reiterari dd. tria sacramenta cœperint sub dicta conditione. (63 Haud improbabile vero est, ea ita reiterari cœpisse ex quo responsum *Alexandri III,* de quo in cap. 2 *De Baptismo,* decretalibus Gregorii IX insertum fuit. (64. In eo enim habetur: « De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo. »

(65. Recte vero monet Rituale Romanum sub titulo *De forma Baptismi:* « Hac tamen conditionali forma non passim, aut leviter uti licet, sed prudenter, et ubi re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum. »

SACRA SCRIPTURA.

Vide infra SCRIPTURA SACRA.

Digitized by Google

SACRIFICIUM.

SUMMARIUM.

1. Sacrificium in genere sumitur dupliciter, scilicet late seu improprie, et stricte seu proprie. — 2. Sacrificium late seu improprie sumptum, quid sit? — 3. Sacrificium stricte seu proprie sumptum, quid sit? — 4. Sacrificium stricte et proprie sumptum, de quo hic est sermo, definitur. — 5. Explicatur per singulas particulas, usque ad n. 10. — 11. Sacrificium varie dividitur. Primo, ratione materiæ, dividitur in *victimam*, seu *hostiam*, in *immolationem* et in *libamen*, quæ omnia declarantur. — 12. Secundo, ratione formæ seu modi, dividitur in *holocaustum*, *hostiam pacificam* et *hostiam pro peccato*, quæ omnia declarantur. — 13. Tertio, ratione finis, dividitur in *latreuticum*, *eucharisticum*, *impetratorium* et *satisfactorium*, quæ omnia declarantur. — 14. Omnia dicta sacrificia modo coadunata sunt in uno tremendo et incruento missæ sacrificio. — 15. Quamvis unicum tantum sit sacrificium novæ legis seu missæ, ratione unius tantum rei oblatæ, quæ est ipse Christus, ratione tamen modi offerendi est duplex, scilicet *cruentum* et *incruentum*, et quid sit utrumque. — 16. Sacrificium missæ penes diversos fines, dividitur in *latreuticum*, *eucharisticum*, *satisfactorium* et *impetratorium*, quæ omnia declarantur. — 17. Penes autem solos diversos fructus et effectus suos sacrificium missæ dividitur in *propitiatorium* seu *meritorium*, in *satisfactorium* et *impetratorium*, de quibus *remissive*. — 18. Sacrificium unde dicatur? — 19. Missa unde dicatur? — 20. Sacrificium missæ a Christo est institutum, et hoc in nocte Cœnæ. — 21. In sacrificio missæ est eadem hostia quæ in cruce. — 22. In sacrificio missæ continetur Christus incruente, et immolatur. — 23. Sacrificii missæ oblatio non præjudicat sacrificio facto a Christo in cruce. — 24. Sacrificium in pane et vino consecratis obtulit etiam Christus, et sic faciendum præcepit apostolis et successoribus. — 25. Sacrificium missæ a D. Jacobo apostolo fuit ordinatum quoad ritum et celebrationem. — 26. Ad rite perficiendum sacrificium missæ canon fuit ab Ecclesia institutus ex Christi verbis et apostolorum traditione. — 27. Cæremoniæ, quæ in sacrificio missæ fiunt, ex apostolorum traditione habentur. — 28. Sic vestes, benedictiones, thymiamata, etc. — 29. Sacrificium missæ non potest fieri vulgari lingua. — 30. In sacrificio missæ quædam dicenda sunt clara et alta voce, et quædam submissa. — 31. Sacrificium missæ ab apostolis cœpit fieri post Ascensionem Christi in cœlum. — 32. Missa olim dividebatur in duas partes, scilicet in missam catechumenorum, et missam fidelium; et quomodo. — 33. Missa quid vere sit? — 34. Principalis offerens missæ sacrificium est Christus Dominus, quamvis illud offerat sacerdotum ministerio. — 35. Minus principalis offerens missæ sacrificium est sacerdos celebrans ut proximus et immediatus Christi minister et vicarius. — 36. Etiam cæteri alii fideles non sacerdotes, aliquo modo, licet minus proprio, hoc sacrificium offerunt. — 37. Hostia et res oblata principalis, seu id quod proprie et principaliter offertur in sacrificio missæ, est corpus et sanguis Christi, atque ipse Christus, ut constitutus sub speciebus panis et vini, vi actionis consecrativæ. Alia notanda ad n. 61.

(1. Sacrificium in genere sumitur dupliciter, scilicet late seu improprie, et stricte seu proprie. *Communis.* (2. Sacrificium late seu improprie sumptum, est quodlibet opus bonum in Dei honorem et cultum relatum, ut sunt orationes, laudes, adorationes cæleriique actus virtutum, præsertim religionis, et in hoc sensu sacrificium complectitur justitiam, juxta illud psalm. IV, n. 2: *Sacrificate sacrificium justitiæ.* Item internum animi dolorem propter Dei offensam, juxta illud psalm. L, n. 9: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Item externam laudem in Deum relatam, juxta illud psalm. XLIX, n. 3: *Sacrificium laudis honorificabit me.* In simili casu loquitur *ad Hebræos* cap. XIII, n. 15: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus.* (3. Sacrificium stricte seu proprie sumptum est peculiaris actus virtutis religionis, quo speciali quodam modo recognoscimus summam Dei excellentiam, supremumque ejus dominium, et nostram ad ipsum subjectionem per oblationem et destructionem alicujus rei sensibilis. (4. Et sacrificium hoc modo sumptum, de quo hic est sermo, sic definitur: « Sacrificium stricte seu proprie sumptum est oblatio externa rei sensibilis legitime instituta, et a ministro legitimo facta soli Deo per destructionem vel notabilem ipsius rei oblatæ immutationem in recognitionem nostræ totalis ad ipsum subjectionis, supremique ipsius in nos, et res omnes dominii. » Est in re communis.

(5. Dicitur primo, *oblatio externa rei sensibilis*, quia sacrificium est cultus Dei exterior protestativus supremi ejus dominii etiam coram hominibus, qui nonnisi sensibilibus communicant inter se.

(6. Dicitur secundo, *legitime instituta*, quia, cum sacrificium sit signum publicum protestativum supremi Dei dominii, et specialis Dei cultus nomine totius communitatis Deo exhibendus, et signa communia et cultus publici per publicam et legitimam auctoritatem institui debeant; ideo et ipsum sacrificium debet esse institutum publica et legitima auctoritate, et per hoc sacrificium differt a martyrio, quod non est publica auctoritate institutum.

(7. Dicitur tertio, *et a ministro legitimo*, quia cum sacrificium sit specialis Dei cultus, nomine totius communitatis ei exhibendus, requiritur quod ad hoc sit aliquis specialiter deputatus tanquam legitimus minister; unde non solum in lege evangelica sunt ad id deputati speciales ministri, nempe sacerdotes ex cap. *Firmiter credimus* 1, De summa Trinitat. et fide catholica, et concil. *Trident.*, sess. XXIII, capit. et can. 1, sed etiam in lege scripta sacrificia offerebantur a ministris ad hoc specialiter deputatis, ut patet *Numer.* III, et qui sine tali deputatione sacrificia offerre tentarunt, divinitus sunt puniti, ut patet de Saule *I Reg.* XIII, et Ozia *II Paralipom.* XXVI. Et etiam in lege naturæ fuisse aliquos specialiter deputatos colligitur ex *Genesi* XIV, ubi Melchisedech dicitur obtulisse panem et vinum, et ratio additur: *Erat enim sacerdos Dei summi.* Et tales sacerdotes pro tunc secundum com-

Digitized by Google

munem opinionem erant principes familiarum et filii primogeniti, et aliqui alii qui ex inspiratione divina sacrificia obtulerunt, ut de Abel legitur *Genes.* IV.

(8. Dicitur quarto, *facta soli Deo*, quia, cum sacrificium sit actus virtutis religionis, et quidem supremæ ejus speciei, quæ dicitur *latria*, ideo soli Deo offerri potest. Unde quamvis celebrentur missæ in honorem beatissimæ Virginis et sanctorum, non tamen illis sacrificium offerri potest, ut docet concilium *Tridentinum*, sess. XXII, c. 3, ibi : « Quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec sacerdos dicere solet : Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. »

(9. Dicitur quinto : « Per destructionem vel notabilem ipsius rei oblatæ immutationem ; » quia ad rationem sacrificii proprie dicti requiritur, vel quod res oblata physice destruatur, vel saltem moraliter notabiliter immutetur, ita ut res oblata accipiat alium statum, et reddatur omnino inutilis ad priores usus seu functiones naturales; sic olim ab Hebræis oves verissime sacrificabantur, quando realiter percussæ destruebantur ; et in libaminibus vinum et oleum vere ab ipsis sacrificabantur, quando effundebantur in terram circa altare Domini ; nam tunc ponebantur in statu corruptionis, et notabilis immutationis, et licet non statim substantialiter corrumperentur, donec siccarentur, tamen acquirebant statum inutilem ad suum usum naturalem et humanum.

(10. Dicitur sexto et ultimo : « In recognitionem nostræ totalis ad ipsum subjectionis, supremique ipsius in nos, et res omnes dominii ; » quia ideo per sacrificium res sensibilis destruitur, vel notabiliter immutatur, ut contestemur nostram totalem ad Deum subjectionem et supremam ipsius potestatem super nos et res omnes, plenumque ipsius dominium vitæ et mortis, ita ut tam facile possit nos et omnia immutare vel destruere, quam facile nos rem aliquam nostram immutamus et destruimus.

(11. Sacrificium varie dividitur : Primo, ratione materiæ, dividitur in *victimam*, seu *hostiam*, in *immolationem*, et in *libamen*. *Victima*, seu *hostia* dicebatur sacrificium, quo in veteri lege Deo offerebantur animalia, sive fuerint quadrupedia, sive volatilia, et inter volatilia præcipue offerebantur columbæ, turtures et passeres; inter quadrupedia vero boves, oves et capræ. *Immolatio* dicebatur sacrificium, quo Deo offerebantur res inanimes, sed solidæ, ut fruges terræ, thura, et hujusmodi. *Libamen* dicebatur sacrificium, quo Deo offerebantur res inanimes, sed liquidæ, ut vinum, oleum, sanguis, et hujusmodi.

(12. Secundo, ratione formæ seu modi, quo fiebat, dividitur in *holocaustum*, *hostiam pacificam*, et *hostiam pro peccato*. *Holocaustum* dicebatur sacrificium in quo tota res oblata destruebatur seu comburebatur, et in fumum resoluta rursum ad Deum ascendebat, ut nihil inde cederet in usus hominum. *Hostia pacifica* dicebatur sacrificium in quo una pars rei oblatæ comburebatur in honorem Dei, altera cedebat in usum sacerdotum, et tertia in usum ipsum offerentium. *Hostia pro peccato* dicebatur sacrificium in quo una pars rei oblatæ comburebatur, et altera cedebat in usum sacerdotum tantum, eo in atrio templi vescentium.

(13. Tertio, ratione finis, quo fiebat, dividitur in *latreuticum*, *eucharisticum*, *impetratorium* et *satisfactorium*. Sacrificium *latreuticum* dicebatur illud, quod per se totum in Dei cultum et honorem exhibebatur. *Eucharisticum* dicebatur illud, quod fiebat in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. *Impetratorium* dicebatur illud quod fiebat pro beneficiis obtinendis, scilicet pro obtinendis bonis et avertendis malis. *Satisfactorium* dicebatur illud, quod offerebatur Deo in satisfactionem pro peccatis.

(14. Omnia dicta sacrificia modo coadunata sunt in uno tremendo et incruento missæ sacrificio. Communis inter Catholicos. Unde sanctus Leo serm. VIII *De passione* sic ait : « Carnalium sacrificiorum varietate cessante omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis implet oblatio. » Et Ecclesia in secreta missæ post Dominicam VII Pentecostes sic orat : *Deus, qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti ;* et expressius idipsum docet concil. *Trid.*, sess. XXII, cap. 1, ibi : « Hæc denique illa munda oblatio est, quæ per varias sacrificiorum naturæ et legis tempore similitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia per illa significata veluti illorum omnium consummatio et perfectio complectitur. »

(15. Quamvis unicum tantum sit sacrificium novæ legis seu missæ, ratione unius tantum rei oblatæ, quæ est ipse Christus, ratione tamen modi offerendi est duplex, scilicet *cruentum* et *incruentum*. Sacrificium *cruentum* dicitur, quo Christus in cruce seipsum obtulit Deo cum reali effusione sanguinis, mactatione et morte violenta. Sacrificium *incruentum* dicitur, quo Christus offertur Deo absque reali effusione sanguinis et morte violenta, sed modo incruento et mystico, seu repræsentativo in omnibus missæ sacrificiis. *Communis*, ex *Trid.*, sess. XXII, cap. 2, ibi : « In divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit. »

(16. Sacrificium missæ penes diversos fines dividitur in *latreuticum*, *eucharisticum*, *satisfactorium* et *impetratorium*. *Latreuticum* dicitur, quatenus per se offertur in Dei cultum et honorem, et in contestationem ejus supremi dominii tanquam finem principalem sacrificii. *Eucharisticum* dicitur, quatenus offertur Deo in gratiarum actionem pro beneficiis receptis. *Satisfactorium*, quatenus

Digitized by Google

offertur Deo in satisfactionem pro peccatis. *Impetratorium* dicitur, quatenus offertur Deo pro beneficiis impetrandis seu obtinendis, id est pro obtinendis bonis et avertendis malis. (17. Penes autem solos diversos fructus et effectus suos sacrificium missæ dividitur in *propitiatorium*, seu *meritorium*, in *satisfactorium* et *impetratorium*, de quibus sub verb. Missa, art. 1, num. 4, ad 7. Vide *ibi*.

(18. Sacrificium dicitur *quasi sacrum factum*, c. *Multi sæcularium* 84, caus. 1, q. 1, ibi : « Sacrificium autem (dicitur) quasi sacrum factum, quia consecratur pro nobis in memoriam Dominicæ Passionis. »

(19. Missa dicitur a verbo *mitto*, quia in illa preces, supplicationes, vota, imo et ipsum Christi corpus et sanguis mittuntur ad Deum. Unde S. Gregorius, lib. IV *Dialogorum*, cap. 58, sic expresse habet : « Dicitur missa quasi transmissio, eo quod populus fidelis per ministerium sacerdotis, qui fungitur vice mediatoris inter Deum et homines, preces et supplicationes, et vota transmittat Altissimo; ipsum vero sacrificium, id est hostia, missa vocatur, quasi transmissa (25). »

(20. Sacrificium missæ a Christo est institutum, et hoc in nocte Cœnæ, et est Deo gratissimum. Concil. *Senonens.*, cap. 11, et concil. *Trid.*, sess. XXII, cap. 2.

(21. In sacrificio missæ est eadem hostia quæ in cruce. Conc *Trid.*, sess. XXII, cap. 2.

(22. In sacrificio missæ continetur Christus incruente, et immolatur. Concil. *Trid.*, sess. XXII, cap. 2.

(23. Sacrificii missæ oblatio non præjudicat sacrificio facto a Christo in cruce. Concil. *Trident.*, cit. sess. XXII, cap. 2, et can. 4, ibi : « Si quis dixerit blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit. »

(24. Sacrificium in pane et vino consecratis obtulit etiam Christus. Concil. *Senonens.*, cap. 11, et concil. *Trid.*, sess. XXII, cap. 1. Et sic faciendum præcepit apostolis et successoribus, *ibidem*, cap. 1.

(25. Sacrificium missæ a D. Jacobo apostolo fuit ordinatum seu dispositum quoad ritum et celebrationem, cap. *Jacobus* 47, dist. 1, De consecrat., et habetur per extensum in *Constitution. apostol.*, lib. VIII, cap. 12 et sequent.

(26. Ad rite perficiendum sacrificium missæ canon fuit ab Ecclesia institutus ex Christi verbis et apostolorum traditione. Concil. *Trid.*, sess. XXII, c. 4.

(27. Cæremoniæ, quæ in sacrificio missæ fiunt, ex apostolorum traditione habentur. C. *Ecclesiasticum* 5, dist. 11, concil. *Trid.*, sess. XXII, c. 5. (28. Sic vestes, benedictiones, thymiamata. Concil. *Trid.*, *ib.*, c. 5.

(29. Sacrificium missæ non potest fieri vulgari lingua. Concil. *Tridentin.*, sess. XXII, cap. 8, et canon. 9 (26). (30. In sacrificio missæ quædam dicenda sunt clara et alta voce, et quædam submissa. Concil. *Trident.*, sess. XXII, cap. 5, et canon 9.

(31. Sacrificium missæ ab apostolis cœpit fieri post Ascensionem Christi in cœlum. Lib. IX *Constitut. Apostol.*, cap. ultim., ibi : « Nos vero post Assumptionem ejus offerentes, ut idem constituit, sacrificium mundum et incruentum, elegimus episcopos, presbyteros et diaconos septem. »

(32. Missa olim dividebatur in duas partes, scilicet in missam catechumenorum et missam fidelium. *Missa catechumenorum* durabat a principio missæ usque ad offertorium exclusive, et fuit sic dicta, quia tandiu, et non ultra catechumenis interesse licebat. Post evangelium enim ante offertorium, quo incipiebat missa sacra, diaconus publica voce clamabat *Ite, missa est*, quibus auditis, ab ecclesia excludebantur catechumeni, energumeni, publice pœnitentes, quibus non licebat interesse consecrationi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi. *Missa fidelium* incipiebat ab offertorio, et durabat usque in finem. Unde ad hanc veterem missæ divisionem etiam nunc tota sacra actio solet quandoque dici in plurali *missarum solemnia*, quamvis etiam missa in singulari pro nostro jam communi usu intelligendi sufficienter significet et denotet totam illam actionem sacram quæ in missa a principio usque in finem peragitur; et hinc post totam illam sacram actionem in fine celebrans, aut diaconus dicit : *Ite, missa est*, quibus insinuatur et significatur, hostiam sacram jam esse plene oblatam, missam seu transmissam ad Patrem, et ideo omnibus esse jam liberam missionem seu dimissionem, ac licentiam abeundi.

(33. Missa est « verum et unicum novæ legis sacrificium, quo a sacerdote rite ordinato corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi sub speciebus panis et vini, ex ejus institutione certo ritu pro salute vivorum et defunctorum Deo offertur, immolatur et sumitur. » Sic in re communis theologorum, et desumitur ex conc. *Trid.*, sess. XXII, cap. 1, et canon. 1, 2 et 3.

(34. Principalis offerens missæ sacrificium

(25) Non improbarim mysticam hanc S. Gregorii etymologiam. Malim tamen cum plerisque liturgicis scriptoribus, id nominis sacrificio datum asserere a duplici populi missione, quæ in veteri Ecclesia fuit; altera post evangelium, et sermonem, dum catechumeni, infideles, pœnitentes, cæterique, quibus sacramentorum participationi interesse non licebat, a diacono dimittebantur; et hæc *missa*, seu *missio catechumenorum* dicebatur; altera initiatorum, dum re divina perfecta, a diacono et ipsi dimittebantur, dicente : *Ite, missa est*, hæcque missa *fidelium* vocabatur. *Vide* auctorem ipsum nostrum paulo post num. 32.

(26) Vide collectionem *quorumdam gravium auctorum, qui ex professo, vel ex occasione sacræ Scripturæ, aut divinorum officiorum in vulgarem linguam translationes damnarunt*, jussu cleri Gallicani editam Lutetiæ per Antonium Vitré 1661, et constitutionem, qua VII Februarii ejusdem anni 1661 Missale Romanum a Josepho de Voisin Gallice versum, impressumque superiore anno Alexander VII, clero Gallicano urgente, damnavit. Confer etiam Benedictum XIV, *De sacrific. missæ*, lib. II, cap. 2.

Digitized by Google

est Christus Dominus, quamvis illud offerat sacerdotum ministerio. *Communis* Catholicorum, et habetur clare ex concilio *Florent.*, sess. ult. in Decreto Eugenii IV, et *Trident.*, sess. XXII, c. 2, ubi expresse dicit : « Una est eademque hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. » Et id ipsum clare demonstrant verba consecrationis, ubi sacerdos non nomine proprio, sed in persona Christi loquens dicit : *Hoc est corpus meum : hic est sanguis meus*, etc.

(35. Minus principalis offerens missæ sacrificium est sacerdos celebrans, ut proximus et immediatus Christi minister et vicarius. *Communis*, et clare constat ex adductis verbis concilii *Tridentini*, *Idem nunc offerens sacerdotum ministerio*, et ex eo quod sacerdos per ordinationem accepit potestatem a Christo, ut in ejus persona hoc sacrificium offerret; unde Christus apostolis eorumque in sacerdotio successoribus juxta *Trid.*, sess. XXII, cap. 1, præcepit ut sacrificium offerrent, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Cum autem sacerdos in persona Christi loquens hoc conficiat sacramentum et sacrificium, ut patet ex verbis consecrationis : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus;* hinc non est principalis offerens, sed post Christum qui est offerens principalis, immediatus et proximus ejus minister et vicarius.

(36. Etiam cæteri alii fideles non sacerdotes aliquo modo, licet minus proprio, hoc sacrificium offerunt. *Communis*, et habetur expresse ex verbis Innocentii III, lib. III *De myster. missæ*, cap. 6, ibi : « Non solum offerunt sacerdotes, sed et universi fideles; nam quod specialiter adimpletur ministerio sacerdotum, hoc universaliter agitur voto fidelium. » Unde in canone missæ dicitur : *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Et infra : *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ.* Unde fideles dicuntur offerre hoc sacrificium dupliciter; primo, ratione quadam generalissima, tanquam membra Ecclesiæ, cujus nomine sacerdos offert Deo hoc sacrificium; secundo, ratione quadam magis speciali et particulari, quatenus speciali quadam cooperatione ad ejus oblationem concurrunt, vel dando pro tali sacrificio eleemosynam seu honorarium, vel necessaria suppeditando, vel sacrificanti inserviendo, et hujusmodi (27).

(37. Hostia et res oblata principalis, seu id, quod proprie et principaliter offertur in sacrificio missæ est corpus et sanguis Christi, atque ipse Christus, ut constitutus sub speciebus panis et vini vi actionis consecrativæ. Communis inter Catholicos. Et expresse habetur ex concilio *Trid.*, sess. XXII, c. 1, ubi expresse dicit, quod Christus « corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, apostolis quos tunc novi testamenti sacerdotes constituit, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque successoribus in sacerdotio, ut offerrent, præcepit per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit. » Et *ibidem*, canon. 2, expresse definitur : « Si quis dixerit, illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, anathema sit. »

(38. Substantia panis et vini in sacrificio missæ est hostia minus principalis, seu materia, ex qua fit hostia principalis hujus sacrificii. *Communis.* Panis enim et vinum, cum destruantur, ut in testimonium divinæ excellentiæ Christi corpus et sanguis ponantur sub speciebus, vere possunt dici destrui in honorem Dei et in testimonium divinæ excellentiæ saltem mediate; unde Ecclesia volens designare quod etiam panis et vinum aliquo modo in missa offerantur, sicque pertineant ad rem quæ sacrificatur, in missæ offertorio sic orat : *Suscipe, sancte Pater, hanc immaculatam hostiam*, præsentando simul panem consecrandum. Et infra : *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris*, elevando vinum consecrandum.

(39. Quamvis variæ actiones interveniant in missæ sacrificio, ut oblatio panis et vini, consecratio, oblatio corporis Christi post consecrationem, quando sacerdos dicit : *Unde et memores, Domine.., offerimus præclaræ majestati tuæ*, etc., specierum mistio, fractio, distributio, sacerdotis communio. (40. Et tres communiter assignentur partes missæ, scilicet prima pars ab introitu usque ad offertorium exclusive, quæ olim dicebatur missa catechumenorum, secunda pars ab offertorio, totus canon usque ad sumptionem inclusive, tertia pars a postcommunione usque in finem : (41. tamen sola consecratio est essentialis pars, imo tota essentia hujus sacrificii missæ consistit in sola consecratione. Sic Sporer, tom. III, part. II, n. 84, ubi vocat hanc conclusionem communissimam theologorum et sanctorum Patrum; Henno, tom. II, disp. 11, q. 3, conclus. 4, ubi asserit esse communiorem cum D. Thoma, qu. 82, art. 4, ad 1, et art. 10, ad 1; Sannig., dist. 5, *De missa*, qu. 4, n. 5; Herincx, disp. 8, *De Eucharistia*, qu. 3, n. 42; Reiffenstuel, *Theol. mor.*, tract. 14, dist. 5, quæst. 3, n. 34, cum communiori theologorum contra Bonacinam; disp. 4 *De Eucharistia*, qu. ult. punct. 2, n. 1; dicentem quod partes essentiales sacrificii missæ sint consecratio, oblatio et sumptio,

(27) Novatores quidam, ut fideles omnes cum sacerdote sacrificium concelebrare suadeant, canonem missæ universum elata voce dicendum statuunt. Hos enimvero reddita Italice, notisque superiore anno illustrata præstantissimi episcopi Suessionensis Langueti dissertatione confutatos vide a Francisco Antonio Mondollio.

Digitized by Google

et contra aliquos tenentes etiam sumptionem a celebrante peractam spectare ad essentiam sacrificii missæ.

(42. Probatur ex sanctis Patribus, et primo ex S. Irenæo lib. IV *Contra hæreses*, cap. 32, ubi dicit : « Christum docuisse novi testamenti novam oblationem, quando dixit *Hoc est corpus meum ;* » deinde ex S. Chrys., *Homilia de proditione Judæ*, ubi dicit : « verba Domini, *Hoc est corpus meum*, usque in finem mundi præstare sacrificio firmitatem. » Item ex divo Ambrosio, lib. IV *De sacrament.*, cap. 4, ubi ait : *Sermo Christi*, id est consecratio, *hoc conficit sacramentum.* Item ex D. Thoma, quæst. 81, art. 4, ad 1, ubi expresse dicit : « Consecratio chrismatis, vel cujuscunque alterius materiæ, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ, » et *ibidem*, art. 10, ad 1 : « Hoc sacramentum in consecratione Eucharistiæ, in qua offertur sacrificium ; » et consimiliter loquuntur passim alii sancti Patres, adeoque, etc.

(43. Probatur ratione, quia sacrificium missæ fieri debet, et de facto fit ac perficitur a sacerdote in persona Christi, qui est principalis offerens, ut dictum est *supra* num. 34. Atqui consecratio, eaque sola, fit in persona Christi, in qua sacerdos loquitur, tanquam ipse sit Christus dicens : *Hoc est corpus meum : hic est sanguis meus*, ergo, etc. Tum quia in sola consecratione perfecte reperitur immutatio hostiæ in Dei cultum, quatenus corpus et sanguis Christi succedunt in locum panis et vini tanquam hostiæ minus principalis destructæ, atque in ipsa sola consecratione fit immutatio seu destructio hostiæ principalis mystica, et repræsentativa sacrificii cruenti, ac mortis Christi, quatenus in ipsa consecratione per diversas species per se et vi verborum corpus velut mortuum, et sanguis velut effusus incruente repræsentatur, adeoque, etc. Unde feria VI Parasceves proprie non fit sacrificium, quia ibi non fit hostiæ consecratio, sed sumitur solum hostia pridie consecrata.

(44. Hinc essentia sacrificii missæ non consistit in oblatione sive panis et vini ante consecrationem, sive corporis et sanguinis post eamdem. Communior doctorum. Imo *Communis* teste Sporer, *l. cit.*, n. 85. Et ratio est, quia neutra oblatio est hostiæ immutativa, neutra a Christo, qui tamen hoc sacrificium obtulit, adhibita est, adeoque neutra spectat ad veram essentiam sacrificii missæ, cum utraque instituta sit ab Ecclesia, quæ non potest aliquid instituere et mutare quoad essentiam sacramentorum, ex concilio *Trid.*, sess. XXI, cap. 2, et consequenter neque ad essentiam hujus sacrificii.

(45. Neque sumptio hostiæ, seu sacramenti, quæ fit a sacerdote celebrante, spectat ad veram essentiam sacrificii missæ. Quamvis tamen aliquo modo sit de ejus integritate. Sic Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 36 ; Henno, *loc. cit.*, conclus. 3 ; Sporer, *loc. cit.*, n. 86, ubi dicit hanc esse communiorem et veriorem sententiam doctorum contra Bellarminum, Lugonem, et alios non paucos. Et ratio primæ partis est, quia sacrificium essentialiter, seu quoad sua essentialia, fit in persona Christi ; sumptio autem non fit in persona Christi : sicut consecratio ; ut de se patet, adeoque, etc. Tum quia sumptio seu manducatio est solum participatio sacrificii jam peracti, adeoque non est ipsum sacrificium. (46. Tum etiam, quia certum est de fide ex *Trid.*, sess. XXII, cap. 1, Christum in ultima Cœna sacrificasse, et tamen valde incertum est an communicaverit, adeoque ex concilio colligitur communionem sacerdotis non esse de essentia hujus sacrificii, cum aliquid incertum non possit esse de fide. (47. Secunda autem conclusionis pars colligitur ex cap. *Relatum* 10, dist. 2, De consecratione, ubi ex concilio *Toletano* VII, reprehenduntur sacerdotes, qui non communicabant semper, quando sacrificabant, et expresse dicitur : « Quale erit illud sacrificium, cui non ipse sacrificans particeps esse cognoscitur ? » Quibus verbis non utique insinuatur sacrificium sine communione non esse verum sacrificium (alias conficiens non vocaretur ibi *sacrificans*) ; sed solum insinuatur non habere sacrificium complementum ultimatum, ad quod res sacrificata ordinatur, adeoque communio sacerdotis est aliquo modo de integritate sacrificii missæ, quamvis non spectet ad veram ejus essentiam.

(48. Neque aliæ omnes sacræ actiones, quæ in missa peraguntur, pertinent ad essentiam sacrificii. *Communis.* Et colligitur ex concilio *Trident.*, sess. XXII, cap. 5, ubi dicit quod pleræque sunt piæ quidem, sed solum accidentales cæremoniæ, ritusque sacri ab Ecclesia instituti : « Ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacramento latent, contemplationem excitarentur. »

(49. Consecratio utriusque speciei non est de essentia sacrificii missæ, ut sacramentum est præcise ; seu consecratio utriusque speciei, panis et vini non est de necessitate sacramenti. Communis ac certa. Et ratio est clara, quia formæ consecrationis panis et vini sunt a se invicem independentes in significando, et consequenter etiam in causando verum sacramentum : adeoque quomodocunque alterutra species solum consecretur, sive per oblivionem, sive per ignorantiam, vel malitiam, sive per impossibilitatem alterius speciei, valide consecratur, si verum sacramentum efficitur essentialiter in ratione sacramenti, quamvis non integrum sit in ratione convivii spiritualis. Tum quia panis valide consecratur, et sub ejus speciebus realiter, et vere continetur Christus, exhibeturque populo adorandus, antequam consecretur vinum, adeoque, etc.

* Consecratio utriusque speciei, licet non sit de essentia sacramenti, quia in alterutra

Digitized by Google

specie confici potest Eucharistiæ sacramentum, est tamen de essentia sacrificii missæ, ut sacrificium est præcise. *Vid.* quæ idem P. Ferraris adducit n. 54 et n. 58 *.

(50. Consecratio utriusque speciei panis et vini est de necessitate præcepti divini. *Communis.* Constat enim ex facto ipso Christi utramque speciem consecrantis et adjuncto præcepto : *Hoc facite in meam commemorationem ;* unde concilium *Tridentinum*, sess. XXII, cap. 1, satis indicat consecrationem utriusque speciei esse de jure divino, dum dicit « quod Deus et Dominus noster... Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit. »

(51. Unde per se nunquam licitum est consecrare unam tantum speciem panis v. g. et non vini, etiam in gravi necessitate communicandi infirmum, alioquin sine Viatico moriturum. Communissima doctorum, teste Sporer, tom. III, part. II, cap. 3, n. 132. (52. Ac proinde, ut prosequitur, *ibidem*, Sporer, juxta communiorem et veriorem sententiam doctorum, neque Summus Pontifex potest dispensare et concedere ut una tantum species consecretur. Et sic tenet Lugo, tom. V, disp. 19, sect. 8, n. 105, dicens ita necessariam utriusque speciei consecrationem ad valorem sacrificii, ut neque ex dispensatione Pontificis possit licite una species absque altera consecrari, testaturque hanc sententiam tenere communiter recentiores theologos, Suarez, disp. 43, sect. 4; Vasquez, disp. 223, cap. 3, et alios fere omnes. Ita etiam tenet Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, tract. 14, dist. 5, quæst. 2, n. 39, testans de probabiliori et communiori, et sic plurimi alii. Et constat ex tali perpetuo et communi usu Ecclesiæ, quem aliquando fuisse immutatum, nullo sufficienti testimonio probari potest.

(53. Hinc falsum et fabulosum est, quod scribit Raphael Volaterranus, lib. VII *Geographiæ*, cap. 4, nempe Innocentium VIII, cum Norvegis dispensasse, *ut sine vino calicem consecrarent;* seu ut in una tantum specie panis consecrarent, quod idem refert Onuphrius Panvinius, in *Chron.*, anno 1490. Et Claudius Sainctes ex eodem Volaterrano, repert. 10 *De Eucharist.*, cap. 3, refert Innocentium IV dispensasse; falsitatis enim aperte convincitur ipse Volaterranus ex ipsamet sua historia, quæ manifeste falsitatem suam prodit, cum dicat concessum fuisse Norvegis, ut *sine vino calicem consecrarent*, quod absque manifesto errore concedi non potuit, ut constat et recte advertit Lugo, *loco cit.*, n. 119. Item falsitatis convincitur Volaterranus, ut recte notat Amat de Graveson, tom. VI *Histor. ecclesiast.*, fol. 143, Romanæ impressionis anno 1720, ex eo potissimum, quod nulla illius concessionis apud alios auctores memoria vel minimum exstet vestigium, et falsa sit ratio, ob quam hujusmodi dispensationem concessam Volaterranus scribit, quia scilicet vinum in eam regionem importatum statim acescat, cum tamen ibi vina generosissima conservari experientia compertum sit; tum quia, ut recte observat Bellarminus, lib. IV *De Summo Pontifice*, cap. 14 in fine, mirum videtur quod Norvegi eo tempore vini usum non habuerint, ne quidem pro sacrificando, cum hoc tempore adeo sit frequens, ut sine illo ne communicare quidem velint. Si autem aliquod talis dispensationis Pontificium diploma alicubi fuerit publicatum, dicendum est cum Bozvio, in *Annalibus ecclesiasticis* ad annum 1490, et Graveson, *loc. cit.*, exstitisse circa illud tempus nonnullos male feriatos sacerdotes, qui postea combusti sunt propter adulterata Pontificia diplomata, a quibus falsam illam dispensationem publicari potuisse verisimile est. Quod autem Claudius Sainctes, *loco citat.*, dicit Innocentium IV cum Norvegis dispensasse, constat fuisse errorem, dum pro Innocentio VIII, quem Volaterranus refert, scribit Innocentium IV, de quo nullus unquam historicus talem dispositionem retulit.

(54. Et ratio fundamentalis nostræ conclusionis est, quia, ut constat ex *Tridentino*, sess. XXII, cap. 1, et fatentur omnes Catholici, Christus instituit et præcepit offerri sub utraque specie sacrificium incruentum missæ ad repræsentandum suum sacrificium cruentum crucis, in quo corpus et sanguis ipsius Christi fuerunt separata; atqui hæc separatio sanguinis a corpore Christi in ejus passione et morte nequit exprimi et repræsentari per consecrationem unius solius speciei, sed tantum per consecrationem utriusque speciei, quia nimirum sub specie vini per se et vi verborum constituitur in altari sanguis in calice, et per se et vi verborum corpus sub specie panis, quæ est quasi pictura exprimens, quomodo in cruce separatus fuerit sanguis a corpore, et sic corpus velut mortuum, et sanguis velut effusus incruente repræsentatur, ergo, etc., et consequenter, etc. Tum quia Ecclesia in nullo casu permittit sacrificium mutilum sub una tantum specie, et ut hoc caveat, dispensat, ut patet in *Rubricis Missalis*, titul. *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus* in strictissimo præcepto jejunii naturalis, ut si sacerdos post consecrationem unius speciei recordetur se non esse jejunum, nihilominus consecraret aliam speciem, ut compleat sacrificium ; et si moreretur post consecrationem corporis, præcipit compleri ab alio sacerdote etiam non jejuno, ne videlicet maneat sacrificium mutilum sub una tantum specie ; ex quibus colligitur Ecclesiam satis velle declarare se non posse dispensare, quod sacrificetur in una tantum specie.

(55. Non est tamen omnino improbabile,

Digitized by Google

quod in aliquo urgentissimo casu posset Papa dispensare, ut sacrificium missæ fieret sub una tantum specie, seu potius ex rationabili interpretatione declarare tunc cessare obligationem præcepti divini de integritate sacrificii sub utraque specie. Sic notant Herincx, *De Eucharistia*, disp. 2, qu. 7 in fine; Sporer, *loco cit.*, n. 132, et alii. Et posse Papam ex causa urgenti concedere, ut consecratio Eucharistiæ et sacrificium missæ in una specie fiat, tenent Turrecremata, S. Antonin., Gabriel, Alan., Azorius, et alii citati et secuti a Barbosa, in conc. *Trident.*, sess. XXII, cap. 1, n. 26, et aliqui apud La Croix, lib. VI, part. II, n. 145.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Si verum est, quod P. Ferraris n. 51, cum Sporer dicit, ut est verum, non video, quomodo hæc opinio possit non esse omnino improbabilis.

RESPONSIO AUCTORIS.

Posse Papam ex urgentissima causa concedere, ut consecratio Eucharistiæ et sacrificium missæ in una specie fiat, non ego ex sensu meo asserui, sed tenent Turrecremata, S. Antonin., Alan., Azor., et alii citati, et secuti a Barbosa, *l. ibi cit.*, et alii classici doctores apud La Croix, *ibi, cit.*, quorum opinionem ad eruditionem tantummodo eo loci protuli.

(56. Sacrificium missæ differt a sacrificio crucis solum ratione modi offerendi cruenti et incruenti, quia nimirum in cruce Christus se obtulit Deo cum reali effusione sanguinis, mactatione et morte violenta : in missâ vero Christus offertur Deo absque reali effusione sanguinis, et morte violenta, sed modo incruento et mystico, seu repræsentativo.

(57. Sacrificium missæ differt a sacrificio ultimæ Cœnæ solum in qualitate rei oblatæ, quia nimirum in ultima Cœna Christus offerebatur adhuc mortalis et passibilis; in missa vero offertur nunc Christus immortalis et impassibilis.

(58. Sacrificium missæ differt essentialiter a sacramento Eucharistiæ in hoc, quia nimirum essentia sacrificii consistit in actione transeunte sacrificativa, scilicet consecratione, et necessario requirit utramque speciem : essentia autem sacramenti Eucharistiæ tanquam ejus effectus, in facto esse permanet, et in una specie sola salvatur; insuper differt sacrificium missæ a sacramento Eucharistiæ ratione diversi finis, quia sacrificium missæ principaliter ordinatur ad Deo debitum cultum exhibendum in recognitionem ejus supremi dominii; sacramentum vero Eucharistiæ ordinatur ad hominem justificandum, seu spiritualiter nutriendum. (59. Unde ratione finis perfectius est sacrificium quam sacramentum, quia sacrificium habet finem proximum nobiliorem, nempe cultum Dei, et recognitionem ejus supremi dominii; sacramentum autem habet finem minus nobilem, nempe hominem justificare.

(60. Hinc generaliter loquendo, sacramenta et sacrificia differunt : primo in institutione, quia sacrificia institui possunt etiam publica auctoritate humana; sacramenta autem sola auctoritate divina. Secundo differunt ratione finis; quia sacrificia principaliter ordinantur ad cultum Dei in recognitionem ejus supremi dominii : sacramenta vero ordinantur ad salutem et justificationem hominum. Tertio differunt ratione materiæ, quia materia sacrificii consistit solum in rebus; materia autem sacramentorum in rebus simul et verbis.

(61. Alia ad rem, *vide* verb. EUCHARISTIA, et verb. MISSA.

SACRILEGIUM

SUMMARIUM.

1. Sacrilegium unde dicatur? — 2. Sacrilegium quid sit? — 3. Sacrilegium est triplex, scilicet personale, reale et locale. — 4. Quodnam sit sacrilegium personale, quodnam reale, et quodnam locale? — 5. Sacrilegium *personale* quandonam committatur? — 6. Sacrilegium *reale* quandonam committatur? — 7. Sacrilegium *locale* quandonam committatur? — 8. Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale, nisi excuset parvitas seu levitas materiæ, aut inadvertentia et indeliberata voluntas. — 9. Alia ad rem ad num. 13.

(1. Sacrilegium sic dicitur a *sacris legendis*, id est *furandis*. Unde *sacrilegus* est, qui *sacra legit*, id est *furatur*, ut dicit S. Isidorus Hispalensis lib. X *Etymolog.*, cap. 18, et colligitur etiam ex cap. *Sacrilegium* 4, caus. 17, qu. 4, ubi ex verbis S. Gregorii Magni sic habetur : « Sacrilegium et contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studio suis tentaverit compendiis retinere. »

(2. Sacrilegium est violatio rei sacræ sive in se, sive in aliis. Sic in re communis.

(3. Sacrilegium est triplex, scilicet personale, reale et locale. *Communis.*

(4. Sacrilegium *personale* est, quo violatur sacra persona. Sacrilegium *reale* est, quo violatur sacra res. Sacrilegium *locale* est, quo violatur sacer locus. *Communis.*

(5. Sacrilegium *personale* committitur per omnem violentam manuum injectionem in personam sacram, scilicet in clericum sive religiosum, aut monialem, per usurpatam jurisdictionem in personas ecclesiasticas, ipsas ad tribunalia sæcularia trahendo, incarcerando et hujusmodi, vel easdem ad vectigalia obligando : item per luxuriosam violationem personæ Deo per votum castitatis sacratæ, et hujusmodi.

(6. Sacrilegium *reale* committitur, cum violantur, seu injuriose tractantur, aut ministrantur sacramenta, vasa sacra, reliquiæ sanctorum, Dei et B. V. M. ac sanctorum imagines, instrumenta, seu ornamenta sacra. Item sacrilegium reale committitur per rapturam bonorum Ecclesiæ, per suppressionem piorum legatorum, per fraudationem

Digitized by Google

jurium Ecclesiæ, per abusum sacrarum vestium, sacrarum cæremoniarum et sententiarum sacræ Scripturæ ad stabiliendas hæreses, ad sortilegia, ad incantationes, ad divinationes, ad res turpes, ad adulationes, ad detractiones, ad libellos famosos, ad amatoria, ad fabulosa, ad scurrilia, et hujusmodi, imo hunc temerarium sacræ Scripturæ abusum rigorose, sub arbitrariis pœnis ab episcopis infligendis, interdicit concil. *Trid.*, sess. IV, in decret. *De editione et usu sacrorum librorum.*

(7. Sacrilegium *locale* committitur per omnia quæ fiunt contra sanctitatem loci sacri, ut sunt destructio malitiosa templi vel altaris, occisio hominis, injuriosa effusio sanguinis vel seminis humani, illicita et notoria sepultura excommunicati vel non baptizati in loco sacro. Item sacrilegium locale committitur per violentam extractionem reorum e loco sacro, per actus profanos et illicitos, et repugnantes immunitati ecclesiasticæ exercitos in locis sacris, ut sunt negotiationes, seditiones, illiciti concubitus et spurcities, consilia sæcularia, stabulationes equorum, incendia, effractiones, spoliationes, mercaturæ, et hujusmodi. Item sacrilegium locale committitur per furtum, quod sacrilegum evadit tribus modis. Primo nempe, cum quis furatur *sacrum de sacro*, id est rem sacram, ut calicem, planetam, pyxidem, et hujusmodi in loco sacro. Secundo, cum quis furatur *non sacrum de sacro*, id est rem profanam non sacram, ut pecuniam, aut aliam rem in loco sacro repositam. Tertio, cum quis furatur *sacrum de non sacro*, id est rem sacram, ut pyxidem, calicem, et hujusmodi in loco non sacro, scilicet extra ecclesiam, textu expresso in cap. *Quisquis* 21, caus. 17, quæst. 4, ubi ex verbis Summi Pontificis Joannis VIII, sic præcise habetur: « Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro. »

(8. Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale, nisi excuset parvitas seu levitas materiæ, aut inadvertentia et indeliberata voluntas. *Communis.* Et quoad primam partem clare patet, quia sacrilegium ex genere suo opponitur graviter excellentissimæ virtuti religionis; unde nemo dubitat esse peccatum mortale, cum sacrilegium sit in gravem contemptum personæ seu rei aut loci sacri. Quoad secundam etiam partem clare constat, quia sicuti parvitas et levitas materiæ, aut inadvertentia, et indeliberata voluntas excusat a mortali in aliis actionibus peccaminosis, ita etiam in actionibus sacrilegis; unde apud omnes certum est sacrilegium esse solum peccatum veniale, cum, secluso contemptu aut scandalo, fit aliqua levis injuria, irreverentia aut inhonoratio personæ, seu rei aut loci sacri, et hoc propter parvitatem materiæ, seu irreverentiæ et injuriæ commissæ; sicuti pariter omnes concedunt esse solum peccatum veniale, et quandoque nullum, si injuria et irreverentia facta personæ, rei aut loco sacro, sit ex inadvertentia, indeliberatione aut ignorantia invincibili.

(9. Alia ad rem, *vide* verb. ECCLESIA, art. 4, et verb. LUXURIA, a n. 29 ad 32.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(10. Si violetur per peccatum carnis persona specialiter consecrata Deo, habet peccatum hoc rationem sacrilegii, in quantum est violatio rei sacræ, scilicet specialiter consecratæ Deo.

(11. Hujusmodi est fornicatio cum moniali, quæ jure etiam civili, uti gravissimum delictum, pœna mortis punitur. Hujusmodi quoque est fornicatio commissa ab eo qui ordine sacro sit initiatus, quæ jure antiquorum canonum puniebatur pœna perpetuæ depositionis ab omni ministerio Ecclesiæ. Quomodo vero hodie puniatur, petendum ex concilio *Tridentino*, sess. XXV, c. 14, *De reformat.*, et alibi etiam dictum a nobis est.

(12. Illud vero hic non omittendum, adhuc hodie deponendum sacerdotem cognoscentem filiam suam spiritualem, vel eam, quæ propter pœnitentiam effecta fuit filia spiritualis, vel parochianam suam, ut probe monuit Zypœus in jure novo *De cohabitat. cleric.*, n. 10, ubi quod idem procedat in religiosis fornicantibus. (13. Ratio est, quod pœna inflicta a concilio *Tridentino* locum haud habeat quoad fornicationem clerici adjunctam habentem aliquam circumstantiam aggravantem.

SACRISTA SACRISTIA.

SUMMARIUM.

1. Sacristæ officium quodnam sit? — 2. Sacrista capellæ Palatii Apostolici debet esse aliquis ex fratribus Eremitarum S. Augustini. — 3. Sacrista conclavis gaudet gratiis et privilegiis conclavistarum. — 4. Sacristæ seu præfecti Ecclesiarum regularium astringi possunt ad non permittendum eis celebrationem sacerdotum sæcularium, nisi exhibita ordinarii licentia. — 5. Sacristæ munus per simplices sacerdotes exerceri solitum, non cogitur suscipere cantor, qui sit una ex dignitatibus Ecclesiæ. — 6. Sacristæ nihil exigere debent pro benedictione sponsi et sponsæ. — 7. Sacristanatum obtinens cum obligatione inserviendi in divinis officiis potest deservire per substitutum. — 8. Sacrista in Ecclesia cathedrali est dignitas, et requirit sacerdotium. — 9. Interveniente funeribus capitulo Ecclesiæ cathedralis, curatus et sacrista illius cathedralis, licet sint amovibiles, debent præcedere parocho defuncti. — 10. Determinatis horis pulsandi divina officia, et pulsata campana per sacristam, divina officia differri non valent ad alicujus instantiam, et hebdomadario absente, archidiaconus jubere debet alteri, ut incipiat. — 11. Quod præscribitur in cæremoniali, ut canonici de sacristia egrediantur bini, intelligitur in solemnitatibus. — 12. Tolerandum est quod canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus matutinum in sacristia. — 13. Non potest episcopus in aliquo casu astringere canonicos, ut domi suæ capitulum convocent, si fuerit solitum, ut fiat in sacristia. — 14. Sedes archiepiscopi, non ex sacristiæ sacris vestibus est ornanda. — 15. Episcopus non potest

Digitized by Google

uti sacristiæ vasis argenteis, vel alia supellectili, in sua mensa, vel ad alios usus profanos.—16. Solium archiepiscopale fieri et manuteneri debet sumptibus archiepiscopi, et non sumptibus sacrarii metropolitanæ. — 17. Non potest episcopus compellere regulares ad ei exhibendos libros sacristiæ, in quibus

(1. Ad sacristæ officium pertinet custodia sacrorum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, seu totius thesauri ecclesiastici, nec non quæ ad luminaria pertinent, sive in cera sive in oleo, textu expresso, in cap. *Ut sciat*, unico, De officio sacristæ.

(2. Sacristæ capellæ Palatii Apostolici officium ab immemoriali tempore citra alicui ex fratribus Eremitarum S. Augustini committi consuevit, et deinceps committi debere concedit, commissionesque aliter factas irritat Alexander VI, const. 5, incip. *Ad sacram*.

(3. Sacrista conclavis gaudet gratiis et privilegiis conclavistarum. Clemens VIII, constitut. 16, § 14.

(4. Sacristæ seu præfecti Ecclesiarum regularium astringi possunt ad non permittendum in eis celebrationem sacerdotum sæcularium, nisi exhibita ordinarii licentia. Sacra congregatio Concil., *in Neapolitana* 17 Augusti 1630.

(5. Sacristæ munus per simplices sacerdotes Ecclesiæ exerceri solitum, non cogitur suscipere cantor, qui sit una ex dignitatibus Ecclesiæ. Sacra Rituum congreg., *in Adrien.* 2 Martii 1782.

(6. Sacristæ nihil exigere debent pro benedictione sponsi et sponsæ. Sac. cong. Rit., *in Neriton.* 25 Februarii 1606.

(7. Sacristanatum obtinens in parochiali erectum cum unione simplicis beneficii pro uno clerico, qui in divinis officiis et cura exercenda, ac aliis oneribus adjuvare teneatur, potest deservire per substitutum, et fructus eidem debentur. Sacra cong. Conc., *in Spoletana* 21 Julii 1626.

(8. Sacrista in Ecclesia cathedrali est dignitas, et requiritur sacerdotium. Sacra Rot. recent., part. XIV, decis. 169, n. 8.

(9. Si intervenerit funeribus capitulum Ecclesiæ cathedralis, in hoc casu curatus et sacrista illius cathedralis, licet sint amovibiles, debent præcedere parocho defuncti. Sac. Rit. cong. 22 Mart. 1631.

(10. Determinatis horis pulsandi matutinum, et alias Horas canonicas, et pulsata campana per sacristam aut ejus deputatum, ac in ecclesia accensis luminibus, divina officia differri non valent ad alicujus instantiam; et hebdomadario absente, archidiaconus jubere debet alteri ut incipiat. Sac. cong. Episc., *in Theatina* 18 Aprilis 1617.

(11. Quod præscribitur in cæremoniali, ut canonici de sacristia egrediantur bini, intelligitur in solemnitatibus. Sacra cong. Rituum 12 Julii 1628.

(12. Tolerandum est quod canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus matutinum in sacristia. Sac. cong. Episc., *in una S. Severini* 13 Septembris 1641.

adnotantur celebrationes missarum. — 18. Sacristia contingua choro alicujus monasterii religiosorum est sub clausura comprehensa. — 19. Sacristiæ expensæ spectant ad episcopum, non autem ad capitulum.

(13. Non potest episcopus in aliquo casu astringere canonicos ut domi suæ capitulum convocent, si fuerit solitum, ut fiat in sacristia. Sacr. congreg. Episcop. 1 Februarii 1583.

(14. Sedes archiepiscopalis ære proprio archiepiscopi, non ex sacristiæ sacris vestibus est ornanda. Sacra congreg. Concilii, *in Messanen.* 4 Septembris 1586.

(15. Episcopus vasis argenteis, vel alia sacristiæ supellectili non utatur in mensa, vel in alios profanos usus, imo nec ad sacros extra cathedralem, sed ea ibi pro Ecclesiæ servitio relinquat. Sacra congreg. Episc., *in Tullen.* 10 Martii 1597 et *in Castellanetan.* 16 Maii 1642.

(16. Cum solium archiepiscopale pertineat ad officium archiepiscopi, sequitur id suis sumptibus fieri ac manuteneri debere, et non sumptibus sacrarii metropolitanæ. Sac. cong. Concilii, *in Urbinaten.* 10 Martii 1663.

(17. Non potest episcopus, nisi habeat privilegium speciale, compellere regulares ad exhibendos libros sacristiæ, in quibus adnotantur celebrationes missarum ad hoc, ut ex iis constare possit de satisfactione obligationis debitæ ex legato pio. Sacra congreg. Concilii, *in Urbinaten.*, ad cap. 7, sess. XXII, *De reformat.*, 10 Maii 1663.

(18. Sacristia contigua choro alicujus monasterii religiosorum est sub clausura comprehensa. Sacr. congr. Episc. et Regul. *in Sulmonen.* 10 August. 1615. *Vide* verb. CONVENTUS, art. 3, n. 14.

(19. Sacristiæ expensæ spectant ad episcopum, non autem ad capitulum. Sacr. congr. Episc., *in Melphien.* 4 April. 1704; apud Ursayam, tom. II, part. I, discept. 34.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(20. Ex quo ecclesiæ cathedrales abundare cœperunt thesauro magni pretii, constituti sunt *sacristæ*, qui habeant custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, seu totius thesauri ecclesiastici, nec non eorum quæ ad luminaria pertinent; cap. unic. *De offic. sacrist.* Dicti propterea et *thesaurarii* sunt. (21. Primitus officium simplex sine dignitate ecclesiastica gerebant: progressu vero temporis in pluribus cathedralibus ecclesiis honore dignitatis decorati sunt. Confer Corvin., *De person. et benefic. eccles.*, lib. I, tit. 22, num. 3.

(22. De culpa, quam præstare debent sacristæ circa custodiam thesauri ecclesiastici, non inutilis hic disquisitio est. Levissimam culpam ab iis exigit Brucknerus, *De custodia templor.*, artic. 3, § 12, et jure quidem meritoque. (23. Præficiuntur enim ejusmodi negotiis, quæ non *vulgarem*, sed *peritiorem* curam, et sollicitudinem *singu-*

Digitized by Google

larem desiderant. (24. Quapropter natura ipsa negotiorum ipsos obligat ad exactissimam diligentiam. Reque ipsa Romani quoque jurisconsulti, in hujusmodi quæstionibus decidendis, potissimum respexere ad naturam negotiorum, et ex gravitate et indole eorum æstimarunt, qualis industria ab administratore desideretur. Confer Jacobum Gothofredum, in *Commentar. ad leg.* 24, ff. *De regulis juris.*

SALUTATIO ANGELICA.

Vere dictum a Ven. P. Petro Canisio, *De Maria Deip.*, lib. III, cap. 5 : « Novatoribus usitatum esse adversus Angelicam Salutationem insurgere. » Certe Urbanus Regius, aliique id genus Deiparæ osores eam penitus abolitam voluere. Alii, eam in varias linguas vertentes, mire depravarunt; cujus rei exempla dabit p. 37, præclarus auctor Italicæ epistolæ proximo anno 1788 editæ inscriptæque : « Lettera del primicerio di Mondorbopoli a Mons. Scipione de Ricci vescovo di Pistoia e Prato, » qui verba illa : *Benedictus fructus* VENTRIS TUI nec vulgatæ editionis Biblicæ auctoritate, neque Ecclesiarum omnium a tot sæculis usu deterritus immutavit *. Notandum quod in Salutatione Angelica additionem illam *Sancta Maria*, etc., in nulla precum formula ante annum 1508 reperiri inquit Grancolas, in *Breviarium Romanum*, cap. 25. Sed tunc temporis usurpari cœpisse *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Amen.* Fratresque Minores addidisse postea verba illa : *nunc, et in hora mortis nostræ*; ut legitur in eorum Breviario edito anno 1515. Sic ad litteram eruditissimus D. Joseph Catalanus, in *Pontifical. Roman.*, tom. II, tit. 15, § 2, n. 2.

* *Vide* vero cum primis D. Joannis Chrysostomi Trombellii præstantissimi viri de Salutatione Angelica dissertationem in *Vita B. M. Virginis*, p. II, diss. 4 et Franciscum Antonium Zaccaria, t. II *Dissertationum* suarum *Italicarum* ad historiam Ecclesiasticam pertinentium, Romæ excus. 1780, diss. 6 ; ubi de omnibus, quæ ad Angelicam Salutationem spectant, copiose agit. Huic tamen videre non licuit dissertationem de hujus salutationis additamento, *Sancta Maria*, ab eruditissimo P. M. Antonio Vermeio a 1779 conscriptam illatamque p. 301 seqq., in suam historiam *Devoti sanctuarii B. F. vulgo de Texeda* Conchensis apud Hispanos diœcesis, Matriti evulgatam. Hic enim auctor Trinitarios suos primos fuisse docet, qui Salutationi Angelicæ verba *Sancta Maria*, etc., omissis tamen illis, *nunc et in hora mortis*, addiderint. Franciscani enim anno primum 1515, Carthusiani vero solum anno 1521, suis in Breviariis Salutationem eo auctam additamento ediderunt. At Trinitarii jam anno 1514 Breviario eamdem præmiserant in Parisiensi editione, quam Mabillonius memorat *Præfat. ad Acta sanctor. ord. S. Benedicti*, sæc. V, n. 123. Eadem quoque exstat in eorumdem Trinitariorum Breviario, quod curante P. Petro de Aponte Valentiæ a. 1519 emissum in lucem Nicolaus Antonius docet in *Bibliotheca Hispanica*, t. II. Meum tamen non est tantas componere lites ; præsertim cum eadem legatur in Camaldulensium Breviario, quod illo ipso anno 1514 Venetiis prodiit, generali illustrium monachorum præside celeberrimo Petro Delphino Veneto. Cæterum de sacris cæremoniis circa Salutationem Angelicam, præter Zacchariam cum in laudata Italica dissertatione, tum in *Onomastico Rituali*, t. I, pag. 38, consule Francisci Mariæ Magii e clericis regularibus Commentarium, Panormi impressum 1664, iterumque 1665*.

SAMARITANA A CHRISTO CONVERSA.

Samaritana, quæ Christum ad puteum Jacob patriarchæ excepit, et ibi a Christo ipso conversa fuit, Photina communiter nuncupatur, et ab Ecclesia sub tali nomine, ut vera martyr, una cum duabus filiis suis, et aliis martyribus colitur die 20 Martii, ut canit Martyrologium Romanum his verbis : « Eodem die sanctorum Photinæ Samaritanæ, Joseph et Victoris filiorum, itemque Sebastiani ducis, Anatolii, Photis, Photidis, Parasceves et Cyriacæ germanorum, qui omnes Christum confessi martyrium sunt assecuti. De hac Samaritana Photina traditur, quod post Christi Ascensionem a Deo inspirata una cum dictis duobus suis filiis, et quinque suis germanis et consobrinis Carthaginem petierit, ibique omnes fidem Christianorum prædicantes, plurimosque gentiles, inter quos celebrem ducem Sebastianum convertentes, ob id fuerint omnes ad crudelissimum martyrium condemnati. » *Vide* omne acerbissimi martyrii genus apud Bollandistas ad diem 20 Martii, et apud Clericatum, *Nelle Spiche*, verb. *Samaritana*, a. n. 821 ad 823. Ubi vero asserventur eorum reliquiæ, *vide* Bolland., *loc. cit.*, n. 8. Plura alia ad rem de Samaritana Photina, *vide* apud Calmet, in *Dictionario*, verb. *Photina*, et verb. *Samaritana*.

SANCTITAS, SANCTI.

Præstat sequentia adnotare : ubi etiam de SS. Patribus.

(1. Sanctitas non in una vel altera virtutum specie, sed in complexu omnium in gradu heroico usque ad obitum exercitarum, consistit. Benedict. XIV, tom. II, constitut. 54, incip. *Postquam intelleximus*, § 26. (2. Sanctitati alioquin probatæ non officiunt erro-

Digitized by Google

res circa dogmata nondum ab Ecclesia definita. Idem, *ibid.*, § 31.

(3. Sancti vocabulum in primæva Ecclesia, nec vitæ sanctitatem, nec martyrium pro Christi nomine toleratum indicabat, sed Christianæ religionis, quæ cuique fidelium communis erat, integritatem declarat: *Qui olim Christiani* (inquit Spontanus in *Epit. Annal. Baron.*), *iidem nominabantur sancti.** *Omnes fideles*, inquit Chysost., hom. 1, in *Epist. ad Rom.*, n. 4 (Apostolus) *vocat sanctos*, non alia certe de causa, nisi quod *sanctificati in sanguine Christi* essent, atque ad sanctitatem vocati. Hinc Paulus ipse eos *I Cor.* XI, *sanctificatos* dixit, quo deinde nomine usos novimus Clementem Romanum in *Epistola ad Corinthios*, et Chrysostomum, hom. 1, in *I ad Cor. Epistolam*, n. 1. (4. *Hinc unus *sancti* titulus par non est, ut corpora, quæ ex catacumbis afferuntur, sacro cultu donentur. (5. Successu vero temporis *sancti* titulus ad peculiarem vitæ sanctimoniam significandam translatus est: demum obtinuit usus (Spond., *loc. cit.*) ut illi tantummodo *sancti* in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatiorique fulgerent morum sanctitudine.» Idem, *ibid.*, § 32.

(6. Sanctorum nomina et elogia in Martyrologium inferri nequeunt sine auctoritate congregationis sacrorum Rituum. Idem, *ibid.*, § 3. (7. Sanctorum nomina in Martyrologio inferenda non sunt, nisi publicus cultus per solemnem canonizationem decretus, aut saltem ab antiquis temporibus universalis Ecclesiæ consensione præstitus fuerit. Idem, *ibid.*, § 15 et 16.

(8. Sanctorum nomina quæ in novissima Martyrologii Romani editione Benedicti XIV jussu inserta fuerunt, enumerantur ab eodem, *ibid.*, § 7, 8 et 9, nempe sub § 6, sic: « Sexta decima die Februarii, *beatus Gregorius X*. Die vicesima septima Aprilis, *beata Zita*. Die decima Maii *beatus Nicolaus Albergatus*. Die vicesima quarta Maii, *beatus Joannes de Prado*. Prima die Junii, *sanctus Eneco abbas*. Die septima Julii, *beatus Benedictus XI*. Die vicesima Decembris, *S. Dominicus de Sylo*. (9. Et sub § 7, tradita ratione ob quam possint in Martyrologio inseri etiam nomina aliquorum beatorum, et adducto ex theologo Raynaudo, tom. XVIII suorum *Operum*, pag. 500, quod « Nomen quoque Martyrologii, quod olim sonabat duntaxat indiculum sanctorum martyrum, nunc extensum est ad syllabum plurimorum aliorum sanctorum confessorum ac sanctarum virginum. » Pergit sub § 8, enumerare aliquos beatos martyres Martyrologio de novo additos, videlicet die quinta Februarii, *Commemoratio viginti sex martyrum Japonensium*. Die nona Julii, *Commemoratio novemdecim martyrum Gorcomiensium*. Die decima septima Septembris, *beati Petri de Arbues*. Die duodecima Novembris, *Commemoratio beati Josaphat Polocensis*. Et tandem sub § 9, addit nomina aliorum sanctorum in præteritis editionibus omissorum. Nempe die decima Januarii nomen *sancti Wilhelmi episcopi Bituricensis*. Die decima nona Januarii nomen *sancti Wistani Vigorniensis*. Die quarta Februarii nomen *sancti Josephi a Leonissa*. Die decima tertia Februarii nomen *sanctæ Catharinæ de Ricciis*. Die decima septima Aprilis nomen *sancti Roberti abbatis Casæ Dei*. Die quarta Maii nomen *sancti Godebardi episcopi Hildesheimensis*. Die tertia decima Maii nomen *sancti Petri Regalati*. Die secunda Junii nomen *sancti Nicolai Peregrini Tranensis*. Die octava Junii nomen *sancti Wilhelmi archiepiscopi Eboracensis*. Die sexta decima Junii nomen *sancti Joannis Francisci Regis*. Die prima Julii nomen *sancti Theobaldi Eremitæ*. Die quarta decima Julii nomen *sancti Camilli de Lellis*. Die vicesima quarta Julii nomen *sancti Francisci Solani*. Die decima quinta Augusti nomen *sancti Stanislai Kostkæ*. Die vicesima sexta Octobris nomen *sancti Bernardi Hildesheimensis episcopi*. Die vicesima septima Novembris nomen *sancti Virgilii episcopi Salisburgensis*. (10. Die vicesima octava Novembris nomen *sancti Jacobi Piceni*. Die decima septima Decembris nomen *sancti Sturmii abbatis Fuldensis*. Idem, in cit. constitut., incip. *Postquam intelleximus*, in qua plurima ad rem traduntur scitu dignissima. * Addendus his omnibus S. Siricius Romanus Pontifex, quem idem Benedictus XIV, primus in Martyrologium Romanum in præmissa ad idem Martyrologium epistola strenue a se vindicatum intulit 26 Novembris*.

(11. Sanctorum Patrum unanimis consensus in explicatione sacræ Scripturæ in re pertinente ad fidem et bonos mores, est infallibile testimonium divinæ revelationis; ad differentiam unius, vel alterius, aut aliquorum, reliquis contradicentibus. Idem, *De servorum Dei beatificat. et beatorum canonizatione*, lib. I, cap. 33, sub n. 12. Quamobrem verissime S. Augustinus, lib. I *Contra Julian.*, dixit eum, qui ab unanimi Patrum consensione discedit, ab universa Ecclesia recedere; hos enim, ut Vincentius Lirinensis scitissime aiebat, « in Ecclesia Dei divinitus per tempora et loca dispensatos, quisquis in sensu catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum*.»

SAPIENS ERROREM PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, *num.* 34.

SAPIENS HÆRESIM PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, *n.* 23.

SAPIENTIA.

Vide verb. THEOLOGIA, *n.* 15.

Digitized by Google

SATISFACTIO, SIVE POENITENTIA SACRAMENTALIS.

Vide verb. POENITENTIÆ SACRAMENTUM, *art.* 3 *per tot.*

SCANDALUM.

SUMMARIUM.

1. Scandalum quid importet, et sit physice? — 2. Item quid sit moraliter? — 3. Explicatur definitio scandali per singulas ejus particulas. — 4. Scandalum dividitur in activum, seu datum, et in passivum seu acceptum. — 5. Scandalum activum quid sit? — 6. Scandalum passivum quid sit? — 7. Scandalum activum est duplex, directum et indirectum. — 8. Scandalum activum directum quid sit? — 9. Scandalum activum indirectum quid sit? — 10. Scandalum passivum item est duplex, scilicet datum et acceptum. — 11. Scandalum passivum datum quid sit? — 12. Scandalum passivum acceptum quid sit? — 13. Scandalum passivum acceptum subdividitur in scandalum pusillorum, et in scandalum Pharisaicum, et quid sit utrumque? — 14. Scandalum activum, sive directum, sive indirectum, est peccatum mortale vel etiam veniale pro ratione peccati gravis vel levis, ad quod inducit. — 15. Scandalum activum, nedum directum, sed etiam indirectum contrahit malitiam specie distinctam contra charitatem in confessione explicandum. — 16. Scandalum mere passivum est evitandum seu impediendum, quotiescunque nulla ratio necessitatis vel utilitatis propriæ vel alienæ cogit nos dicere vel facere aut omittere aliquid, ex quo prævidemus proximum esse scandalizandum. — 17. Non est tamen obligatio impediendi scandalum mere passivum, quoties urget necessitas vel utilitas propria dicendi vel faciendi automittendi aliquid cæteroquin non malum, quamvis exinde alii sumpturi sint occasionem peccandi. — 18. Ob evitandum præcise scandalum aliorum probabilius omittenda non sunt opera præcepti, sive naturalis, sive divini, sive humani. — 19. Hinc quamvis multi velint feminam scientem aliquem in particulari se turpiter amare, quoties eam aspicit, posse et debere sacro abstinere die festo semel, atque iterum ad peccatum illud evitandum : alii tamen universaliter sustinent, quod ob evitandum præcise scandalum non sint omittenda ulla opera præcepta. — 20. Opera tantum consilii omittenda sunt, vel ad aliquod tempus differenda ob evitandum scandalum pusillorum inde secuturum. — 21. Nullimode tamen omittenda sunt opera consilii ob evitandum scandalum Pharisaicum. — 22. Ob evitandum scandalum pusillorum, et a fortiori Pharisaicum, raro vel nunquam adest obligatio subeundi gravem et magnam jacturam in propriis bonis temporalibus. — 23. Adest tamen obligatio subeundi leve et modicum damnum in propriis bonis temporalibus ad evitandum scandalum pusillorum. — 24. Potest esse scandalum activum sine passivo, et econtra passivum sine activo. — 25. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

(1. Scandalum proprie et physice importat, et significat, seu declarat aliquid in via positum, in quod ambulans impingat et corruat. Et idem etiam est offendiculum. Sic Joannes Kahl, alias Calvinus, in suo magno *Lexico*, verb. *Scandalum*. Unde scandalum physice « est offendiculum in via præbens itinerantibus occasionem lapsus. » Sic in re communis.

(2. Moraliter autem, « scandalum est offendiculum spirituale, quo quis offendit, et in peccatum ruit. » Seu expressius et clarius: « Scandalum est dictum, vel factum, seu omissum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis, seu peccandi. » Sic in re communis.

(3. Dicitur primo, quod scandalum sit *dictum*, vel *factum*, quia solum loquendo vel agendo possumus esse proximo occasio ruinæ spiritualis, non autem cogitando, ut de se patet, cum cogitatio tanquam mere interna et occulta in corde non possit extrinsece proximum scandalizare, et ideo in definitione scandali non additur vel *concupitum*, sicuti in definitione peccati. Dicitur secundo vel *omissum*, per quod intelligitur omnis omissio externa, seu non dictum, non factum potens proximum scandalizare, ut omissio sacri, horarum, non dicta veritas, non facta debita defensio innocentis, et hujusmodi. Dicitur tertio *minus rectum*, hoc est aut per se malum, aut speciem mali habens, quia non solum dictum, vel factum, seu omissum per se et ex natura sua malum et peccaminosum, sed etiam dictum vel factum, seu omissum habens tantum speciem mali ex circumstantiis personæ, loci et temporis, potest habere rationem scandali, si proximo occasionem peccandi præbitura sit. Dicitur quarto : *Præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis, seu peccandi*, ad denotandum quod occasio debet esse vera, sive interim scandalizans intendat *expresse* ruinam spiritualem proximi, quod est diabolicum, sive tantum *interpretative* dicendo, vel faciendo aut omittendo id ex quo prævidet aut prævidere debet proximum forte lapsurum.

(4. Scandalum dividitur in activum seu datum, et in passivum seu acceptum. Sic doctores communiter. (5. Scandalum activum seu datum, est illud proxime definitum per singula verba mox explicata, nempe scandalum activum est « dictum, vel factum, seu omissum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis, seu peccandi. » Est in re communis. (6. Scandalum passivum est « ipsa ruina spiritualis proximi in peccatum contingens ratione dicti vel facti, seu omissi alterius minus recti. » Est in re communis. Et sic hoc scandalum passivum opponitur scandalo activo tanquam causæ suus effectus.

(7. Scandalum activum est duplex, scilicet unum rectum, vel proprium, seu per se inductivum, et aliud indirectum, vel improprium, seu per accidens inductivum, aut occasionativum tantum. Sic doct. commun. (8. Scandalum activum directum, vel proprium, seu per se inductivum, est, cum quis directe, et expressa intentione, dat alteri occasionem peccandi suadendo, consulendo, inducendo, vel malo exemplo faciendo aliquid, quod per se est inductivum ad pecca-

Digitized by Google

tum, et sic intendendo ruinam spiritualem proximi, sive *formaliter* ob damnum spirituale proximi, quod est diabolicum, sive *materialiter* ob propriam delectationem vel utilitatem, quod est humanum et proprium hominis, ut si quis verba obscena proferat, vel turpia et lasciva peragat coram muliere, ut ipsam ad secum carnaliter peccandum inducat; ipse enim gravissime peccat peccato scandali, licet formaliter non intendat ruinam spiritualem talis mulieris, sed solam suam carnalem. *Communis.*

(9. Scandalum activum indirectum, vel improprium seu per accidens inductivum, aut occasionativum tantum, est, cum quis dicit vel facit seu omittit dicere vel facere aliquid quod licet ex natura sua et per se non sit malum, speciem tamen mali præsefert, quo ipse prævidet vel prævidere debet alios scandalizandos, vel de facto scandalizari advertit. Ut si quis feminam populo suspectam domi suæ retineat, is peccat peccato scandali, teneturque ad ipsum publicum scandalum removendum, talem feminam e domo sua dimittere, quamvis revera nullum subsit peccatum, nec periculum peccati. Unde Apostolus *I ad Thessalonicenses*, c. v, v. 22, expresse dicit : *Ab omni specie mali abstinete vos.* Et *I ad Corinth.* c. VIII, v. 9 et seq., eos severe monebat, ne recumberent in idolio, id est loco, ubi carnes idolis immolatæ comedebantur, quod licet per se non esset malum, tamen haberat speciem mali ad scandalum pusillorum seu infirmorum, ibi : *Videte, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis ; si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem ; nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Et infra, v. 13, concludit : *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

(10. Scandalum passivum est duplex, scilicet scandalum passivum datum et scandalum passivum acceptum ; seu clarius, scandalum passivum datum simul et acceptum, et scandalum passivum non datum, sed duntaxat acceptum. Sic in re doctores communiter.

(11. Scandalum passivum datum simul et acceptum, est illud quod vere oritur ex alterius dicto vel facto seu omisso ex natura sua et per se, quia revera malum est, vel speciem mali habet, ut merito inde proximus sumat occasionem ruinæ spiritualis. Sic in re communis.

(12. Scandalum passivum non datum, sed duntaxat acceptum est, quo quis ex alterius dicto vel facto seu omisso, præter omnem ejus intentionem, et præter ipsius dicti vel facti seu omissi naturam et conditionem, ex sola sua sinistra apprehensione sumit occasionem ruinæ spiritualis et peccati. Sic in re communis.

(13. Et hoc scandalum passivum non datum, sed duntaxat acceptum subdividitur *in scandalum pusillorum*, quod ex sola hominis ignorantia, vel infirmitate, seu fragilitate provenit, et in *scandalum Pharisæorum*, quod ex mera malitia seu malignitate alterius procedit. Et tunc dicitur *scandalum Pharisaicum* a Pharisæis, qui propria malitia, malignitate et invidia erga Christum, male, ne dicam pessime, interpretando clarissima ejus miracula, optimam ejus doctrinam, sanctissimamque conversationem; scandalizati sunt. *Communis.*

(14. Scandalum activum, sive directum, sive indirectum, est peccatum mortale vel etiam veniale pro ratione peccati gravis, vel levis, ad quod inducit. Communis et certa. Unde non indiget probatione.

(15. Scandalum, activum, nedum directum, sed etiam indirectum, contrahit malitiam specie distinctam contra charitatem in confessione explicandum. *Communissima* quoad primam partem, et *communior* quoad secundam. Et ratio primæ partis est, quia, si peccat contra charitatem, proximi saluti debitam, qui non corripit errantem, a fortiori, qui inducit ad errorem ; unde certum est apud omnes, scandalum activum directum, quo directe intenditur ruina spiritualis proximi, esse peccatum speciale contra charitatem proximi gravissimum, ideoque specialiter explicandum in confessione una cum specie peccati, et circumstantiis personæ inductæ ad ipsum peccatum. Ratio autem secundæ partis est, quia in omni peccato damnifico commisso in proximum sufficit voluntas interpretativa ; seu voluntarium indirectum, ponendo scilicet voluntarie causam, ex qua prævidetur secuturum damnum proximi, quamvis directe non intendatur ; ergo etiam ad speciale peccatum scandali contra charitatem sufficit voluntas interpretativa, seu voluntarium indirectum, nempe dicere vel facere, seu omittere aliquid, ex quo prævidetur secutura ruina spiritualis proximi, quamvis ea directe non intendatur ; tum quia ex præcepto charitatis tenemur non solum ad non procurandam ex propria industria ruinam spiritualem proximi, sed etiam ad nos abstinendum a causa injusta, ut proximus spiritualiter ruat, adeoque etiam in scandalo activo indirecto tenemur explicare speciem peccati, ad quam proximum ratione talis scandali inducimus.

(16. Scandalum mere passivum est evitandum, seu impediendum, quotiescunque nulla ratio necessitatis vel utilitatis propriæ, vel alienæ cogit nos dicere vel facere, aut omittere aliquid, ex quo prævidemus proximum esse scandalizandum seu sumpturum occasionem peccandi. *Communis.* Et ratio est, quia lex charitatis nos obligat impedire, cum facile possumus sine nostro aut alieno incommodo, etiam damna temporalia proximi, et sic a fortiori ejus damna spiritualia seu peccata.

(17. Non est tamen obligatio impediendi scandalum mere passivum, quoties urget necessitas vel utilitas propria dicendi, vel faciendi aut omittendi aliquid cæteroquin

Digitized by Google

non malum, quamvis exinde alii sumpturi sint occasionem peccandi. *Communis.* Et ratio est, quia tunc non sumus nos causa, quod proximus peccet, cum necessitas, vel utilitas propria nos urgeat ad id licite dicendum, vel faciendum aut omittendum; unde si exinde proximus peccet, peccatum debet ejus malitiæ imputari, alias non possemus unquam quidquam nobis necessarium, utile, aut cæteroquin non malum licite dicere vel facere aut omittere ob evitandum tale proximi scandalum, quod nemo audebit asserere.

(18. Ob evitandum præcise scandalum aliorum probabilius omittenda non sunt opera præcepti sive naturalis, sive divini, sive humani. Sic S. Thomas, 2-2, quæst. 53, art. 7; Castrop., tom. I, tract. 6, disput. 6, punct. 16, num. 3; Pasqualig., *De sacrific.*, quæst. 1347; Henno, tom. I, tract. 2, *De virtutibus*, disp. 6, art. 3, conclus. 3; Illsung, tract. 3, num. 111; Felix Potestas, tom. I, part. II, cap. 2, num. 338, et communior aliorum. Et ratio est, quia ordine charitatis salus propria præferenda est saluti proximi, unde quisquis curare debet ut prius ipse præcepta impleat, quam ut curet, quod impleat alter; cum obligatio servandi præcepta sit primaria, et obligatio vitandi scandalum sit secundaria; et certe nisi ostendatur præceptum tunc non obligare, clarum est non posse omitti ob evitandum præcise scandalum aliorum, ut habetur ex c. *Cum ex injuncto* 2, De novi operis nuntiatione, ibi: « Quæ sine mortali peccato omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo omittenda. »

(19. Hinc quamvis multi velint feminam scientem aliquem in particulari se turpiter amare, quoties eam aspicit, posse et debere sacro abstinere die festo semel atque iterum ad peccatum illud evitandum: alii tamen universaliter sustinent, quod ob evitandum præcise scandalum non sint omittenda ulla opera præcepta. *Vide* verb. FEMINA, a num. 14 ad num. 26, ubi multa ad rem.

* Qui tuentur opera bona jure naturali affirmativo vel lege humana præscripta posse aliquando omitti vel differri ad scandalum pusillorum declinandum, his potissimum exemplis utuntur. « Correctio peccatorum est de lege naturali affirmativa; sicuti etiam eosdem punire, si in malo persistere velint: et tamen cessat hæc obligatio, si aut ex correctione, aut ex punitione prudenter prævideatur oritura seditio in republica. Præterea certum est præceptum de vitando scandalo esse juris naturalis: cum igitur observatio præcepti naturalis prævaleat observationi juris positivi humani, hæc observatio suspendenda erit, quoties exsequi nequeat absque pusillorum scandalo. » Ita Cuniliati, tract. 4, *De 1 Decal. præcept*, cap. 9, § 6, num. 6, qui num. 7 subdit: « Hinc deberes abstinere a sacro audiendo, etiam die festivo, si prudenter prævideres, te domo discedente, gravem ritam inter domesticos esse exsurrecturam. Similiter teneretur mulier abstinere ab eodem pio opere, et aliquoties se domi continere, sciens talem hominem impudico erga ipsam amore deperditum, illam exspectare, ut, quo pergit, eamdem sequatur, et in ecclesia impudicitiam suam aspiciendo et declarando depascatur; dixi aliquoties: nam si inhonestus ille non desisteret ab ea singulis festis exspectanda, neque ullus esset modus illum avertendi a spirituali hac persecutione, contempto scandalo Pharisaico, deberet mulier modeste composita ecclesiam adire, et Christianorum munera adimplere: ex his similia deducas *. »

(20. Opera tantum consilii omittenda sunt, vel ad aliquod tempus differenda, ob evitandum scandalum pusillorum ex ignorantia vel infirmitate seu fragilitate inde secuturum. S. Thomas, *l. c.*; Castrop., *l. c.*; Henno, *l. c.*; Felix Potestas, *l. c.*, n. 343; Diana, part. V, tract. 6, resp. 23; Spor., tom. II, tract. 5, c. 1, sect. 2, num. 31, ubi testatur de communi. Sic spontanea peregrinatio ad aliquod sanctuarium, ingressus voluntarius in religionem, et hujusmodi sunt omittenda, vel ad aliquod tempus differenda, donec pusilli, qui inde ex ignorantia, vel infirmitate, seu fragilitate scandalizabantur, admoniti et informati de justis motivis et rationibus pro tali peregrinatione et ingressu in religionem, et hujusmodi non amplius scandalizentur.

(21. Nullimode autem omittenda sunt opera consilii ob evitandum scandalum Pharisaicum. *Communis.* Et ratio est, quia scandalum Pharisaicum oritur ex mera malitia et pravo affectu illorum qui se scandalizant, cum ipsi non sint in necessitate, sed mera et libera malitia; unde de ipso Pharisaico scandalo non est curandum, nec ullum opus bonum est omittendum ob ipsum vitandum; non enim tenemur aliorum malitiæ condescendere cum tali damno nostro spirituali; unde de istis Christus Dominus *Matthæi* 15 dicit: *Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum.*

(22. Ob evitandum scandalum pusillorum, et a fortiori Pharisaicum, raro vel nunquam adest obligatio subeundi gravem et magnam jacturam in propriis bonis temporalibus. Castrop., *loc. cit.*, part. XVII; Sporer, *loc. cit.*, num. 32; Diana, *loco citato*; Suarez, et alii; Sanchez, in *Decalog.*, lib. I, cap. 7, num. 11; La Croix, lib. II, num. 146, et alii. Et ratio est, quia, quapde inde oritur magnum et grave damnum, est veluti moralis impotentia vitandi talem occasionem, et tunc adest sufficiens causa eam permittendi, ponendo rem indifferentem, adeoque, etc.

(23. Adest tamen obligatio subeundi leve et modicum damnum in propriis bonis temporalibus ob evitandum scandalum pusillorum. *Communis* cum S. Thoma, *loc. cit.*, art. 8, et Sporer, *loc. cit.*, num. 32. Et ratio est, quia bonum spirituale proximi ordine charitatis præferendum est bono temporali proprio, maxime si inde oriatur solummodo leve et modicum damnum, ut loquitur conclusio.

Digitized by Google

(24. Ut aliquis peccet peccato scandali, non requiritur, quod alter de facto peccet, sed sufficit, si credatur probabiliter peccaturus; unde potest esse scandalum activum sine passivo, sicuti econtra potest esse scandalum passivum sine activo, ut de facto fuit in Pharisæis, qui se scandalizarunt ex sanctissimis Christi verbis et miraculosissimis ejus factis undequaque incapacibus active scandalizandi.

(25. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur, textu expresso in cap. *Qui scandalizaverit* 3, De regul juris, in cujus summario sic habetur: *Propter scandalum evitandum veritas non est omittenda.*

SCANDALOSA PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, *num.* 35.

SCHISMA SCHISMATICI.

SUMMARIUM.

1. Schisma generice, et large sumptum quid significet? — 2. Schisma multipliciter contingere potest, et accipi, tam in bonam quam in malam partem, et assignatur. — 3. Schisma simpliciter prolatum, in malam partem usurpatur. — 4. Schisma in malam partem usurpatum definitur. — 5. Schisma sic definitum dividitur in purum et mistum. — 6. Schisma purum quid sit? — 7. Schisma mistum quid sit? — 8. Ordinarie et practice loquendo vix unquam nostris hisce diebus datur amplius schisma purum. — 9. Non omnis recessus seu separatio a Papa est schisma, sed solum recessus, et separatio ab ipso tanquam a vicario Christi in terris, et capite formaliter Ecclesiæ catholicæ; et sic aliter a Papa recedens non est proprie schismaticus. — 10. Item proprie schismaticus non est, qui se a quolibet alio episcopo, etiam quia talis est, separat, eique obedire detrectat. Vel se a solis membris alicujus particularis diœcesis et Ecclesiæ disjungit. — 11. Schisma proprie dictum et purum in quo differat ab hæresi. — 12. Schisma et hæresis differunt inter se, sicut genus et species; et sic omnis hæreticus est etiam schismaticus, sed non econtra. — 13. Schisma est error voluntatis et non intellectus, ut est hæresis. — 14. Prima pœna, cui subjacent schismatici proprie dicti et puri, est excommunicatio. — 15. Secunda pœna est privatio jurisdictionis ecclesiasticæ, et consequenter nullitas actuum. — 16. Schismatici tamen valide ordinant, quamvis ordinati ab ipsis sint suspensi. — 17. Tertia pœna est inhabilitas ad beneficia et dignitates ecclesiasticas, et præsertim episcopalem. — 18. Non privantur tamen schismatici beneficiis prius ante schisma rite obtentis. — 19. Quarta pœna est confiscatio omnium bonorum. — 20. Quinta pœna est ultimum etiam supplicium durante eorum contumacia. — 21. Schismatici misti seu habentem adjunctam hæresim, quales hisce temporibus sunt fere omnes schismatici, subjacent omnibus pœnis, quibus subjacent hæretici. — 22. Si tempore schismatis sint duo vel plures pontifices, et unus sit certus, ei soli est adhærendum; unde qui aliter facerent, et alteri schismatico Pontifici seu antipapæ adhærerent, essent et ipsi schismatici. — 23. Imo in tali casu schismatico Pontifici, seu antipapæ adhærentes, de fautoria hæretici puniri deberent. — 24. Si tempore schismatis sint duo vel plures pontifices, et nesciatur quis sit vere legitimus Papa, tunc nulli est adhærendum, donec Ecclesiæ provisum sit de certo pontifice. Et interim recte, et tute quisque se gereret, adhærendo suis episcopis et parochis cum animo parato adhærendi illi, quem Ecclesia Christi ut verum papam receperit. — 25. Quamvis tamen alii censeant, posse pro tunc licite fideles sequi, quem maluerint; dummodo parati sint sequi illum, quem concilium generale, seu Ecclesia Christi ut verum papam habuerit. — 26. Tempore schismatis, si commercia civilia sine scandalo tolli nequeant, permittendum est, quod Catholici cum schismaticis communicent. — 27. Alia ad rem ad n. 35. — Subnect. *Addit. ex aliena manu*; n. 36.

(1. Schisma generice et large sumptum, est nomen Græcum scissuram et divisionem seu disruptionem communionis significans. Cap. *Schisma* 34, caus. 24, quæst. 1, ibi: « Schisma siquidem ipsum, quod Græcum nomen est, scissuram sonat. »

(2. Schisma multipliciter contingere potest, et accipi tam in bonam quam in malam partem. In bonam partem accipi potest, ut *Joan.* cap. IX, num. 16, ibi: *Schisma erat inter eos.* In malam autem partem, ut *I Ad Corinth.*, cap. I, num. 10, ibi: *Et non sint in vobis schismata.* (3. Schisma vero simpliciter prolatum, in malam partem usurpatur. (4. Et schisma in malam partem usurpatum sic definitur: « Schisma est subtractio ab obedientia capitis Ecclesiæ formaliter sumpti, vel ab unione universalis Ecclesiæ. » Est in re communis.

(5. Schisma sic definitum dividitur in purum et mistum, seu conjunctum cum hæresi. *Communis.* (6. Schisma purum est malitiosus recessus a vera Ecclesia quoad obedientiam solum, et fit, et est, cum quis omnes fidei articulos, ac etiam supremam Pontificis potestatem, et primatum in Ecclesia credens, ex mera malitia recusat subesse, et obedire Summo Pontifici formaliter sumpto qua tali, seu qua capiti, et Christi in terris vicario, Ecclesiæ universali, vel cæteris dictæ universalis Ecclesiæ membris uniri, aut unitus et conjunctus esse detrectat. Sic schisma fit, et est, cum aliquis principatus, seu aliquod regnum negans obedientiam Summo Pontifici tanquam capiti universalis Ecclesiæ, constituit sibi proprium patriarcham aut episcopum, eique in spiritualibus obedit, spretis seu neglectis, et non attentis Papæ mandatis, licet de cætero Papatum et articulos fidei credat, et hujusmodi principatus et regni princeps, rex et incolæ in tali casu sunt *puri*, et proprie dicti *schismatici*. Sic in re doctores communiter.

(7. Schisma mistum, seu conjunctum cum hæresi est « malitiosus recessus a vera Ecclesia quoad obedientiam pariter, et credentiam; non quoad omnes articulos (quia tunc esset apostata); sed quoad unam, aut plures veritates Catholicas ab Ecclesia definitas et propositas. Et fit, et est, cum quis præter separationem ab unitate veræ Eccle-

Digitized by Google

siæ negat unam, vel plures propositiones ab ipsa Ecclesia definitas et propositas, v. g. negat Romanum Pontificem esse in terris vicarium Christi, et caput Ecclesiæ, negat sanctorum communionem, auricularem confessionem, et hujusmodi. Hic in tali casu est schismaticus mistus, quamvis alios fidei articulos credat et approbet. Sic in re communis doctorum.

(8. Advertendum tamen hic est, quod ordinarie et practice loquendo vix unquam nostris hisce diebus datur amplius schisma *purum*, seu sine hæresi; quamvis enim in suo principio schisma non habeat perversum fidei dogma, sicut hæresis; tamen in fine nullum schisma est sine hæresi, ut ex verbis S. Hieronymi recte notatur in c. *Inter hæresim* 26, caus. 24, q. 3, ibi : « Inter hæresim et schisma hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat, schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separat. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest : cæterum nullum schisma non aliquam sibi confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur. » * Hæc Hieronymi verba serio meditentur Ultrajectini schismatici (*nempe Sæc. exacti*), iique omnes, qui non solum iis adhærent, sed *catholicos* illos palam prædicare non erubescunt. Confer *Præfat. in Tract. historicum* piissimi canonici Wenceslai Bachusii de Zegero Bernardo Van-Espen e Latino idiomate Italice versum, editumque Assisii an. 1787, p. 6 seqq.*.

(9. Item est hic pariter advertendum, quod non omnis recessus, seu separatio a Papa est schisma, sed solum recessus et separatio ab ipso tanquam a vicario Christi in terris et capite formaliter totius Ecclesiæ; unde schismaticus non est, qui Romanum Pontificem tanquam vicarium Christi in terris, et caput formaliter Ecclesiæ recognoscit, eique, qua formaliter Pontifici, obedientiam præstat, sed non vult illum recognoscere tanquam temporalem Dominum alicujus provinciæ, civitatis, et hujusmodi, eique obedientiam denegat, dum jubet, ut arma deponat, bellum contra ipsum non gerat, invisum et odiosum ministrum recipiat, et hujusmodi : similes enim obedientiæ et recessus adhuc bene compatiuntur cum debita recognitione et obedientia erga eumdem tanquam vicarium Christi in terris, et caput formaliter totius Ecclesiæ catholicæ, nec separant a vera Ecclesia, quatenus est corpus mysticum. *Sic communis.*

(10. Item proprie *schismaticus* non est, qui se a quolibet alio episcopo, etiam qua talis est, separat, eique obedire detrectat, vel se a solis membris alicujus particularis diœcesis et ecclesiæ disjungit. Schisma enim proprie dictum importat separationem et recessum ab Ecclesia universali et ejus formaliter capite, non autem solam separationem et recessum ab aliqua ecclesia et diœcesi particulari, et ejus diœcesano seu episcopo; quamvis tamen talis separatio et recessus possit dici aliquo modo schisma large et improprie. *Communis*, arg. cap. *Scire* 7, caus. 7, q. 1, cap. *Loquitur* 18, caus. 24, q. 1.

(11. Schisma proprie dictum et purum differt ab hæresi in hoc, quia hæresis per se ac directe opponitur fidei, negando seu non concedendo unum, aut plures fidei articulos; schisma vero opponitur charitati, Ecclesiæ unitatem, quæ in charitate consistit, scindendo. *Communis* cum S. Thoma, 2-2, quæst. 39, art. 1; Reiffenstuel, lib. II *Decretal.*, tit. 8, num. 7; Pirrhing, *ibid.*, num. 2. (12. Unde schisma et hæresis differunt inter se sicut genus et species, ut docet Glossa communiter recepta in cit. c. *Inter hæresim* 26, caus. 24, quæst. 3, verb. et *Schisma*. Nam omnis hæreticus est etiam schismaticus, quia eo ipso, quod quis falsum dogma, et Ecclesiæ doctrinæ et definitioni contrarium credit ut hæreticus, est etiam schismaticus, quatenus ab Ecclesiæ unitate recedit, et se separat, erroneam, et ei contrariam doctrinam sectando. Non tamen omnis schismaticus est etiam hæreticus, quia potest quis omnes articulos fidei ab Ecclesia definitos et propositos credere, credendo etiam Romanum Pontificem esse verum et unicum universalis Ecclesiæ caput, sed ex malitia seu prava voluntate nolle ipso facto eum pro capite Ecclesiæ recognoscere, eique obedire, nec aliis membris Ecclesiæ uniri seu conjungi.

(13. Hinc constat, schisma esse errorem voluntatis, et non intellectus, ut est hæresis : schismaticus enim constituitur per contemptum, contumaciam et inobedientiam, qui actus sunt voluntatis. Ursaya, *Inst. crim.*, lib. I, tit. 7, n. 4, et alii passim.

(14. Schismatici proprie dicti seu puri, et nullam conjunctam habentes hæresim, pluribus subjacent pœnis. Prima talium schismaticorum pœna est excommunicatio major. Colligitur ex c. *Nulli fas* 5, dist. 19, c. *De Liguribus* 43, caus. 23, q. 5. Et expresse habetur in *Bulla Cœnæ*, § 1, ibi : *Excommunicamus schismaticos, et eos, qui se a nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis, obedientia pertinaciter subtrahunt.*

(15. Secunda pœna est privatio jurisdictionis ecclesiasticæ. Unde omnes collationes beneficiorum, alienationes rerum ecclesiasticarum, sententiæ censurarum, absolutiones, etc., a schismaticis factæ ipso jure sunt irritæ, cap. *Novatianus* 6, caus. 7, q. 1, cap. *Didicimus* 31, caus. 24, quæst. 1, ibi : *Didicimus schismaticos nil habere juris et potestatis*, et expresse cap. *Quod a prædecessore* 1, De schismaticis, in cujus summario sic dicitur : « Irritæ sunt ordinationes, beneficiorum collationes et ecclesiasticarum rerum alienationes per schismaticos factæ. »

(16. Quoad ordinationes autem cit. cap. *Quod a prædecessore* 1, De schismaticis, et c. *Ordinationes* 5, caus. 9, qu. 1, ubi disponitur, quod si factæ fuerint a schismaticis, sint nullæ et irritæ, debet sic intelligi, nempe quod accipiens ordines a schismatico sit suspensus ipso facto ab exsecutione eo-

Digitized by Google

rum; ordines tamen recepti valeant et characterem imprimant. Sic communis doctorum cum Glossa, in cit. cap. *Quod a prædecessore*, verb. *Irritas*.

(17. Tertia pœna est inhabilitas ad beneficia et dignitates ecclesiasticas, et præsertim episcopalem. Cap. *Quia diligentia* 5, De electione; et cap. *Ad succidendos*, unic. De schismaticis in 6. (18. Et quamvis in cit. cap. *Ad succidendos* varii doctores teneant, schismaticos privandos esse etiam beneficiis omnibus ante schisma obtentis; quia tamen dicta Bonifacii VIII. constitutio cit. cap. *Ad succidendos* fuit revocata a Benedicto XI, Extravagant. unic. *De schismaticis*, inter Communes, sola excepta confiscatione bonorum ibidem statuta, ideo nos dicimus, tales schismaticos non incurrere pœnam privationis beneficiorum ante schisma rite obtentorum. Sic Garcias, *De beneficiis*, part. II, cap. 10, n. 151; Sanchez, lib. II *Moral.*, cap. 36, n. 16; Pirrhing, lib. V *Decretal.*, tit. 8, n. 7; Reiffenstuel, *ib.*, n. 11, et alii. V. *Addit. Cass.* V. VACATIO BENEFIC.

(19. Quarta pœna est confiscatio omnium bonorum, cit. cap. *Ad succidendos*, unic. De schismaticis in 6, cum aliis juribus adductis a card. de Albit., *De inconstant. in fide*, part. I, cap. 10, n. 41.

(20. Quinta pœna est ultimum etiam supplicium, durante eorum contumacia. Cap. *Non vos* 22, et c. *De Liguribus* 43, caus. 23, q. 5, cum aliis apud Farinac., q. 184, n. 51 et 52; Cardin. de Albit., *loc. cit.*, n. 42.

(21. Schismatici misti, seu habentes adjunctam hæresim, quales hisce temporibus sunt fere omnes schismatici, uti jam dictum est *supra* n. 8, subjacent omnibus pœnis, quibus subjacent hæretici: unde *vide* verb. HÆRETICUS.

(22. Si tempore schismatis sint duo aut plures Pontifices, et unus sit certus, ei soli est adhærendum; unde qui aliter facerent, et alteri schismatico Pontifici seu antipapæ adhærerent, essent et ipsi schismatici. *Communissima*. (23. Imo in tali casu schismatico Pontifici, seu antipapæ adhærentes de fautoria hæretici puniri deberent. Concil. *Constant.*, sess. XII.

(24. Si tempore schismatis sint duo vel plures Pontifices, et nesciatur quis sit vere legitimus Papa, tunc nulli est adhærendum, donec Ecclesiæ provisum sit de certo Pontifice, et interim recte et tute quisque se gereret adhærendo suis episcopis et parochis cum animo parato adhærendi illi, quem Ecclesia Christi ut verum Papam receperit. Sic communior doctorum cum Suarez, disp. 12, *De schismate*, sect. 1, n. 1; Reiffenstuel, lib. V *Decret.*, tit. 8, n. 17 et seq. et Bassæo, tom. II, vers. *Schisma*, n. 5, ubi insuper citat Cajetanum, Silvestrum, et alios. (25. Quamvis tamen Sayrus, in *Thesauro*, lib. III, cap. 1, n. 22, et alii censeant, quod quando duobus vel pluribus de Pontificatu contendentibus, vere nescitur quis sit legitimus Pontifex, nec per concilium generale res adhuc sit terminata, tunc tam ipsi, quam eorum sequaces a peccato excusentur; dummodo vero animo parati sint ipsi prætensi Pontifices ad determinationem generalis concilii a Papatu se abdicare, et ipsi eorumque sequaces illi statim adhærere, quem concilium generale, seu Ecclesia Christi ut verum Papam habuerit.

(26. Tempore schismatis, si commercia civilia sine scandalo tolli nequeant, permittendum est, quod Catholici cum schismaticis communicent. Sic declarasse sacram congregationem de Propaganda fide de anno 1626, refert ex Nicolio Ursaya, *Instit. crimin.*, lib. I, tit. 7, n. 24.

(27. Schismatici pastores ad Ecclesiam reversi, animarum cura non privantur, modo idonei sint, et conditiones præscriptas observent, nempe sint pietate et castis moribus conspicui, bonorum exemplo præluceant, et in reditu ad Ecclesiam nihil fictum, aut simulatum, sed certum sinceræ conversionis indicium ostendant, et ab exercitio abstineant, quousque reportaverint necessariam in utroque foro absolutionem, rehabilitationem, necnon dispensationem ab irregularitate, censuris et pœnis, lapsis in hæresim canonice inflictis; ritu præterea catholico administrent sacramenta, et nullum eisdem cum schismaticis in divinis sit consortium. Ben. XIV, tom. I, const. 129, incip. *Eo quamvis tempore*, § 12 et 13.

(28. Schisma prout est distinctum ab hæresi, quod raro contingit, nihil aliud est quam separatio ab unitate Ecclesiæ. Idem, *De servorum Dei beatificat. et beatorum canonizatione*, lib. III, cap. 20, n. 5. (29. Duobus ad Summum Pontificatum electis, si ignoretur quis ex eis legitime electus sit, et aliquis adhæreat ei, quem putat legitimum Pontificem, sed cujus postmodum electio minime legitima judicata est, non est schismaticus. Idem, *ibid.*, n. 6. (30. Schismaticus autem est, qui persistit in obedientia ejus, quem putavit verum Pontificem, postquam ejus electio nulla judicata est ab habente potestatem. Idem, *ibidem*, n. 6.

(31. In primo casu possunt esse, et fuerunt sancti. (32. Secus autem in secundo casu. (33. Id. *ibid.*, n. 7, ubi affert pro primo casu exempla Petri de Luxemburgo, et Ludovici Alamanni inter beatos a Clemente VII, legitimo Pontifice ascriptorum, propter eximias virtutes et insignia miracula, quibus floruerunt, licet dictus Petrus cardinalis fuerit creatus a Roberto Genevensi antipapa, cui adhæsit credens ipsum legitimum Pontificem, et dictus Ludovicus in concilio Basileensi steterit adversus Eugenium IV, legitimum Pontificem, et Felicem V, antipapam consecraverit, attamen facti pœnitens ad Nicolai V, ipsius Eugenii legitimi successoris, obedientiam rediit, et Ecclesiæ unitatem resarcivit. (34. Et aliud exemplum celeberrimi sancti Vincentii Ferrerii heroicis virtutibus undequaque in vita conspicui, et maximis miraculis semper, et adhuc in dies coruscantis, mei particularis advocati, meique etiam cognominis, ut tradit eruditissimus Tirinus, tom. II in *Indice auctorum*, litt. V, ibi: « Vincentius Justi-

Digitized by Google

nianus Antistius ex Valentia Hispaniæ ordinis Prædicatorum scripsit vitam confratris et concivis sui B. Vincentii Ferrarii, vel Ferrerii Valentini ex eodem ordine Prædicatorum, » qui in teterrimo schismate inter Petrum de Luna, dictum Benedictum XIII et Angelum Corrarium, nuncupatum Gregorium XII, qui in concilio Pisano, et subinde una cum Joanne XXIII, in concilio Constantiensi depositi fuerunt, electo in Pontificem Martino V, ac magna parte Hispaniæ Petrum de Luna, seu Bened. XIII, tanquam verum et legitimum Pontificem colente, aliquibus vero Italiæ civitatibus Angelo Corrario, seu Gregorio XII, pariter tanquam vero et legitimo Pontifici adhærentibus, licet ipse in primis bona fide Petri de Luna, seu Bened. XIII, partes secutus, auctor etiam fuerit, ut reges Aragoniæ eidem adhærerent; attamen statim ac ejus obstinationem, et malas artes perspectas habere cœpit, Ferdinando regi Aragoniæ persuasit, ut ab ejus obedientia se subduceret, edictumque publicaret, quo suis subditis inhiberet, quin ullam ad eum, tanquam ad Pontificem, adhæsionem, quocunque prætextu haberent; sicque ejus potissima opera schisma exstinctum penitus fuit.

(35. Schismata, quæ vexarunt Romanam Ecclesiam, vide tomo VI hujus Biblioth., in serie *Romanorum Pontificum*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36. Communiter admittitur, schisma adjunctam habens hæresim, crimen esse ecclesiasticum, prout est ipsa hæresis, adeoque pertinere ad judicium solius ecclesiastici judicis. At non convenit, num idem obtinere debeat in schismate mero sine hæresi. Confer Vanespen. *Jur. eccles. univ.* part. III, tit. 4, cap. 2. § 52.

SCHISMATICA PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, *num.* 26.

SCHOLASTICUS.

Lubet, quod sequuntur, expendere.

(1. Scholis *scholares* et *scholastici* dicti, qui in eis exercebantur. Hæc prima ejus vocis acceptio: altera pro erudito. Hieronymus libro *De viris illustribus*, cap. XVCIII. *Serapion. Thmueos episcopus, qui ob elegantiam ingenii, cognonem scholastici meruit.* Gennadius, in *Catalogo* c. 84: *Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus, et assertionibus nervosus.* Dionysius Petavius illud Synesii ad epist. 105: *Cura, ut hæc scholastici sciant,* utrovis modo explicat, cum ait: « Scholasticos appellat eruditos ac peritos homines, qui in Musæo Alexandrino litteris vacabant, quive alias eleganti erant ingenio ac bonis artibus exercitati. » Tertium hujus vocabuli usum suggerit inter alios Heribertus Rosweidius, in *Onomastico ad Vitas Patrum;* nempe pro advocato, qui publice ex officio causas ageret; probaturque in primis ex canone 13 concilii *Sardicensis*, ex cod. Theod., l. II *De concuss. advocat.*, et ex titulo 97 Collectionis Africanæ. Quartam scholastici significationem invexerunt, præsertim in *Gallias*, sæcula recentiora: ex quo sancitum est a Carolo Magno, ut scholæ fierent *per singula monasteria vel episcopia:* hinc enim in ecclesiis cathedralibus institutæ sunt magistrales præbendæ, quæ in eorum subsidium cederent.

(2. In monasteriis igitur, ecclesiisque, cum cathedralibus, tum etiam collegiatis, scholasticus supremus studiorum simul ac disciplinæ Eccles. fuerat præfectus, varios habebat coadjutores in docendo; plerumque vicarium, qui etiam dicebatur *magister secundarius*, sæpius etiam religiosos, qualis fuerat *Marianus Scotus*, et hinc est, quod varii archiepiscopi Mog. in diplomatibus laudent percepta a prima juventute ab Ecclesia Mogunt. beneficia: prout ea extollebat *Christianus* in allegato supra § 18, diplomate, ubi ait, « quod Ecclesia Mogunt. ipsum ab annis adolescentiæ tanquam mater pia delicatis alimoniis enutriverit. » Varios autem circa alendos hosce domicellares in Ecclesia Mogunt. fuit disciplina: ab initio scholasticus ex præbendis hisce domicellaribus assignatis victum et amictum suppeditavit, id quod in aliis etiam Ecclesiis collegiatis usu erat receptum, prout de Aschaffenburgensi probat diploma apud Gudenum, *loc. c.*, t. I, p. 353.

(3. Cum autem occasione hujus sustentationis circa annum 1146, dissidia orirentur scholasticum inter ac canonicos seniores domicellarium cognatos, hi effecerunt penes Henricum archiepiscopum, ut ipsi curam corum haberent, prout clare patet ex diplomate Henrici apud Gud., *l. c.*, t. I, p. 180, ubi ait: « Præterea perpendimus, quod Fratres nostri (scilicet cononici Metrop.) de jure scholastico circa suorum Cognatorum-Scholarium, videlicet canonicorum, domesticam provisionem cum magistro Scholarum ad lites indebitas et contentiones frequentibus prorumpere consueverunt. Ut ergo in his occasio litis penitus deficiat, et in Ecclesia Mogunt. pax et concordia magis ac magis proficiat et convalescat, prælatis Ecclesiæ Moguntinæ consentientibus, honorabili quoque viro, paci ac fraternæ charitati omni modo intento Wilhelmo Scholarum magistro, quam devote postulante x libras in Studernheim magistro Scholarum annuatim persolvendas stabili jure tali tenore donavimus, quatenus in hac parte salvo et incorrupto jure omnium aliorum tam præsentium quam succedentium Scholasticorum Moguntini episcopatus

Digitized by Google

memorati fratres nostri consanguineis suis scholaribus canonicis de stipendiis præbendalibus in domibus suis victum et vestitum eo moderamine provideant, ut et ipsi ex hoc sui laboris consolationem percipiant, et magistri Scholarum de prædictis redditibus sui juris debita compensatione non careant.

(4. Hoc autem postea immutato, provisio ac sustentatio domicellarium denuo concredita fuit Scholastico, prout patet ex diplomate Conradi de a. 1190, apud Gud., *l. c.*, t. I, p. 293, qui ait : « Volumus non latere, quod habito nostræ Ecclesiæ consilio et consensu, ad petitionem dilecti filii nostri Petri scholastici jus scholasticum sibi et successoribus suis, ne de cætero in eo fiat defectus, plene integramus, ita videlicet, ut omnes de cætero scholares canonici tam præsentes quam futuri in Ecclesia Moguntina usque ad emancipationem cum suis præbendis in procuratione sint magistri, nisi magistri liberalitas alicui gratiam faciat omni cognatione sanguinis et cognatorum pro eis intercedentium occasione remota : nullo rescripto, nec etiam rescripto archiepiscopi Henrici contra jus scholasticum per subreptionem obtento, contra hoc impetrato vel impetrando, obstante vel scholastico juri præjudicium faciente; magister vero scholares ipsos secundum Ecclesiæ honorem nutriat moribus, disciplina, scientia, victu, et vestiat in pelliciis agninis (28), et pannis (29) lineis et laneis (30), secundum Ecclesiæ consuetudinem sufficientibus, et de quibus non vult habere curam vestiendi, dummodo sint adulti, denarios omnes de carne magister recipiet, et de pisce refectiones (*Sciendum enim sæpius ex fundatione vel consuetudine cibum particularem in carne vel pisce mensæ apponendum fuisse certis diebus : hic cibus redimebatur a magistro coquinæ denariis, dum quivis ex canonicis pro sua portione collationis loco accepit aliquos denarios*), porcos de nativitate (* scilicet in Nativitate Domini cuivis dimidius porcus dandus erat, vel redimendus pecunia numerata. Conf. diploma seq.*) et denarios, qui dantur ad supplementum panis (* certis equidem diebus, præter consuetum panem accedere album ex siligine coctum, qui dicebatur *simila*, pro quo pane in natura etiam dabatur quandoque nummus, et sic patet, quales fuerint nummi ad supplementum panis*) magister retineat. Alios vero denarios eleemosynares (* Tales distributiones etiam quandoque fiebant non habito respectu ad mensam, sed ex particulari fundatione *) et denarios de vestibus. (* Tales dabantur, ut meliores vestes sibi comparere possent fratres, quales adhuc hodie in variis monasteriis distribuuntur*) scholares recipiant, et si magister voluerint plus eis largiri, non sit ei, successoribusque suis præjudicium. »

(5. Addere tandem juvat ex t. III *Thesauri juris ecclesiastici*, a cl. viro Antonio Schmidt collecti p. 218, juramentum, quod præstare scholasticus tenebatur. *Primo* « quod verbum capituli in capitulo, et extra per se vel per alium proferet. Item quod litteras capituli eodem modo dictabit et scribi faciet. Item quod secreta capituli tenebit et non revelabit. Item quod alia, ad quæ tenetur ratione officii sui, adimplebit, videlicet, quod si absens fuerit ab Ecclesia, ipse loco sui instituet canonicum idoneum ad proferendum dictum verbum, et dictandum, et scribi faciendum dictas litteras capituli, assignandum locum canonicis, et audiendum lectiones in choro, et cætera faciendum, ad quæ ipse scholasticus tenetur, et quod dicto canonico de salario competenti arbitrio capituli moderando, anno quolibet satisfaciet, de promptioribus fructibus ipsius scholastriæ. Et quod observabit pro posse suo fundum scholastriæ suæ, ac jura solita solvi Ecclesiæ per prædecessores suos exsolvet. Item, quod anno quolibet tempore debito, videlicet Paschæ, capitulo præsentabit magistrum Scholarum de idoneitate per ipsum capitulum examinandum, et si idoneus inveniatur, admittendum. Adjicitur dein adhuc quædam obligatio scholastici de certa summa pecuniæ solvenda Ecclesiæ singulis annis, ex quibusdam bonis, quod huc non spectat.

SCIENTIA CONFESSARII.

Vide verb. CONFESSARIUS, *art.* 1, *a num.* 48 *ad* 51.

SCIENTIA IN BENEFICIARIIS.

NOVUS ARTICULUS EDITORUM CASINENSIUM.

Vid. *Addit. Casinenses* sub v. INSTITUTIO.

SUMMARIUM.

1. Quæ scientia requiratur pro obtinenda beneficio ecclesiastico in genere, ad n. 2. — 3. Quanta opus sit pro obtinenda pensione. — 4. Item pro beneficio simplici, ad n. 5. — 6. Quanta requiratur pro dignitatibus et canonicatibus. — 7. An valida sit collatio beneficii facta illitterato, ad n. 11. — 12. Scientia probanda venit per examen, ad n. 13. — 14. Qua in materia examinis sunt attendenda, ad n. 23.

(1. Operæ pretium facturum esse ducimus, si hanc materiam accurate, pleneque evolvamus, hoc sane pacto.

(2. Ac primum, in genere loquendo, ea scientia ad unumquodque beneficium requiritur, quæ ad officium beneficio annexum

(28) Scilicet pro caligis.
(29) Vulgo Beiis Zeug.
(30) Tunicæ erant ex lana.

Digitized by Google

rite obeundum, est necessaria, ut patet ex cap. *Cum in cunctis* 7, De elect. Quare major vel minor scientia requiritur, pro qualitate et conditione beneficii. Pirrhing, ad tit. ex. *De ætat.*, etc., n. 21.

(3. Hinc quæres, 1. Quanta scientia requiratur ad obtinendam pensionem?

℟. Cum ad primam tonsuram solum requiratur, quod quis sciat legere et scribere. Conc. *Trident.*, sess. XXIII, cap. 4, *De reformat.* « Id videtur sufficere et requiri ad obtinendam pensionem, ad quam requiritur tonsura, ita ut possit et sciat recitare officium parvum B. Mariæ, ad quod pensionarii tenentur ex constit. Pii V. » Garcias, *De benefic.*, part. VII, cap. 7, n. 4.

(4. Quæres adhuc : quæ scientia requiratur pro consecutione beneficii simplicis?

℟. Si non habet annexum ordinem ullum, vel servitium, requiritur item tanta scientia, quanta opus est pro prima tonsura, hoc est ut sciat rudimenta fidei, ac legere et scribere (ita pro prima Tonsura præscribitur a concil. *Trident.*, *cit.* sess. XXIII, c. 4); præterea « requiritur aliqualis major notitia sacramentorum, et aliqualis intelligentia linguæ Latinæ (intellige respectu Ecclesiæ Latinæ), ut aptus quis sit ad recitandum officium divinum, etsi non esset spes plus proficiendi. » Sic Leurenius, *For. benefic.*, part. I, cap. 2, § qu. 244; Castrop., tom. II, tit. 13, disp. 4, p. VI, n. 9, nec non Garcias, *De benefic. cit.*, part. VII, cap. 7, n. 5 et 8, ubi sic habet : « Videtur Navarr. velle sufficere, quod sciat legere et construere, quod videtur verum et in praxi receptum... Et accedit quod docet Hojeda, nempe, quod ad beneficium simplex, quod servitium aliquod non requirit, nec ordinem aliquem habet annexum, sufficit prima tonsura et sufficientia, quæ ad eam requiritur, nempe quod sciat fidei rudimenta, ac legere, et scribere, et quod aliquantulum linguam Latinam intelligat, ut possit esse aptus ad officium recitandum? »

(5. « Si vero beneficium habet annexum ordinem sacrum, requiritur major doctrina, majorisque scientiæ spes, et in specie scientia illa, quæ necessaria est ad ordinem illum recipiendum. (Jam vero) requirit *Trident.*, sess. XXIII, cap. 13, ad subdiaconatum et diaconatum, ut quis sit instructus in litteris, et iis, quæ ad exercendum ordinem pertinent; et cap. 14, ad presbyteratum (requirit), ut quis idoneus sit ad docendum ea, quæ omnibus necessaria sunt ad salutem et ad ministranda sacramenta. Quo decreto stante, juxta Fagnanum, cap. *Cum in cunctis*, De elect., num. 151, promoveri non possunt ad presbyteratum parum scientes, cum episcopus in hoc decreto Concilii dispensare nequeat, ne quidem ex magna causa (31). » Leuren., *loc. cit.*, num. 2.

(6. Quæres : quæ scientia requiratur ad dignitates et canonicatus?

℟. Requiri majorem quamdam, quam præcise necessaria est ad ordinem dignitati vel canonicatui annexum, eo quod munus seu dignitas industriam deposcat, quippe cum a canonico consilium dandum sit; unde major requiritur scientia in canonico cathedralis, quam collegiatæ. Leuren., *loc. cit.*, quæst. 245.

Audiamus insuper monacellum, qui sic habet : « Quamvis canonicatus etiam cathedralis, dicatur beneficium simplex, nihilominus ad illum obtinendum requiritur scientia major, quæ non exigitur in clericis Minorum ordinum; et quod canonicus non solum linguam Latinam recte calleat, sed in litteris ita profecerit, ut suo consilio possit aliquando ecclesiam et episcopum juvare, ne contingat, ad capitulum duci *oves et boves;* jura etenim præsumunt, canonicos Ecclesiæ cathedralis esse peritos et consilio maturos. » Cap. *Statutum*, De rescript. in 6; *Formul. pract.*, tom. I, form. 11, num. 2, pag. 116.

Profecto concilium *Tridentinum* hortatur, ut in provinciis, ubi id commode fieri possit, « Dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus Ecclesiis, et Collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico. » Sess. XXIV, cap. 12, vers. *Hortatur*.

Verum quidem est, concilium *ibi* non *præcipere*, sed *hortari*, prout sacr. congregat. censuit, apud Garciam, *De benefic.*, part. VII, cap. 7, n. 45. Sed ex illa Tridentini loquendi ratione utique planum est mentem Patrum fuisse, ut in promovendis ad hujusmodi canonicatus capacitas seu scientia haud posthaberetur.

(7. Quæres : « An valida sit collatio beneficii facta illitterato? »

Distingue « Vel beneficium confertur penitus illitterato; vel illi, qui quidem non penitus illitteratus est, scientia tamen per sacros canones requisita caret.

« Si *primum* : collatio beneficii est ipso jure nulla; et quidem ita ut, secundum aliquos, in defectu hoc nequidem Papa dispensare possit, quod existiment, litteraturam jure naturali, ac divino requiri ad beneficium obtinendum. Contrarium tamen defendit Azor... ubi vult defectum istum a Pontifice dispensabilem esse, ex ratione, quod Papa beneficiarium a functione et administratione bene liberare, aut per vicarii vel administratoris constitutionem sublevare eumdem possit; et confirmat hoc etiam praxis, quia passim videmus, quod Papa interdum ex gravi causa cum pueris illitteratis dispenset, ut primam tonsuram accipiant, et beneficia ecclesiastica consequantur.

(31) Unde sacra congregatio Concilii, etiam in locis, ubi maxima est sacerdotum inopia, nunquam censuit, ignaros posse promoveri ad sacros (ordines), licet jam promotis ad presbyteratum censuerit conferri posse parochiales Ecclesias, quando litteratiores inveniri non possunt. » Fagn., ad cap. *Cum in cunctis*, De elect., n. 152.

Digitized by Google

(8. « Si *secundum;* et beneficiarius tantum non habeat scientiam ad beneficium requisitam, collatio quidem, vel promotio non est ipso jure irrita, est tamen a superiore irritanda, tanquam contra sacros canones facta. Cap. *Qualiter*, 17, cap. *Dudum* 22, De elect., quia *carens litteris. Sacris non potest esse aptus officiis*, ut dicitur can. *Illitteratos*, dist. 28, imo talem ad beneficium resignandum in conscientia obligari docet Layman... Excipitur, nisi promotus speret, se scientiam ad munus suum necessariam non longo post tempore acquisiturum; tunc enim retinere beneficium, vel dignitatem, ad quam promotus est, potest, sed tenebitur addiscere, quod ignorat, quam primum commode potest. » Schmalzgrueber, ad tit. cit. *De ætat.*, etc., n. 25.

(9. Quod quidem docet Garcias, dum habet: « Beneficiatus, qui non habet scientiam competentem beneficio, quamvis collatio valuerit, tenetur addiscere quam primum commode possit; et alias tenetur illud dimittere. » *De benefic.*, part. VII, cap. 7, n. 21.

(10. Audiamus insuper Pirrhing in hac verba : « Si quis non sit penitus illitteratus, tamen scientiam competentem et requisitam ad beneficia non habeat, collatio quidem est illicita, sed valida; et tenetur beneficiatus addiscere quod ignorat, quam primum commode poterit, alias debet beneficium dimittere. » Ad tit. ex. *De ætat.*, etc., n. 22.

(11. « Porro, poterit episcopus (quamvis id raro faciendum) ex justa causa conferre beneficium ei, qui parum scit, creditur tamen brevi tempore profecturus, cum possit pro aliquo tempore in obligatione annexa beneficio dispensare. » Leurenius, cit. *For. benefic.*, p. I, quæst. 257.

(12. Jam vero illud tene « scientiam litterarum non aliter internosci et probari, quam mediante examine... Potest tamen, cessante concursu, ad actum hujusmodi examinis procedi extrajudicialiter, ejusque commissio est potius confidentialis, quam judicialis, unde potest subdelegari; atque ita probatio a solo examinatore concludi : et sicut collatio, ita et examen hoc tanquam illius accessorium, et non minus voluntariæ jurisdictionis, potest fieri extra territorium. » Leuren., *ibid.*, quæst. 251, n. 4.

(13. Cumque hujusmodi examen non sit exclusive necessarium « prout est illud, quod fit, et est pro, seu de forma, (ut in provisione Eccl. Paroch.) *hinc est*, ut non obstante clausula : *si idoneum repereris* sufficiat, examinatorem, etiam non facto examine, eum habuisse pro idoneo, ut forma litterarum observata censeatur. » Leuren., *l. et n. cit.*

(14. (Amplius) « sciendum, quod eo ipso, quod aliquis sit admissus et ordinatus in sacris ordinibus, præsumitur habilis et idoneus ad beneficia simplicia, ita ut novo examine opus non sit. Cap. *Accepimus*. 13, De ætate, etc., ibi : *Quos a te, vel prædecessoribus tuis ordinatos fuisse constaret, eos, præsertim quoad obtinendum beneficium, debes idoneos reputare, quos ad ordines suscepisti.* Rota decis., *ib.*, n. 1, part. II. Divers. et fuit Decisum, in una *Gien. Capellaniæ* 8 Jun. 1605, *coram R. P. D. Lancellotto.* » Sic Hieron. Gonzalez, *super Reg.* 8, Cancell., Gloss. 4, n. 74; Pirrhing, ad tit. *De ætat.*, etc., num. 4.

(15. « Præterea in curia servari videmus, quod semel examinatus et approbatus ad unum beneficium simplex, non amplius examinatur ad aliud simile; idem est, si semel sit approbatus ad canonicatum, vel dignitatem in collegiata, non amplius examinatur ad similem canonicatum vel dignitatem in alia collegiata : similiter semel approbatus ad canonicatum vel dignitatem in cathedrali, non ultra examinatur ad similem. » Idem Gonzalez, *ibid.*, n. 88; Pirrhing, *loc. et n. cit.* (32).

(16. « Sicut etiam examinari non debet, qui est notorie litteratus et habilis : Felinus.. Decius.. Lambertinus.. Greg. Lupus.. et in graduatis, quod excusentur ab examine, ex quo jam sunt examinati et approbati ab Universitatibus, ne fiat injuria ipsis Universitatibus, tradit Rebuffus... » Gonzalez, *ib.*, n. 86, 87.

(17. « Limita tamen primo, ut semel approbatus amplius examinari non debeat, quando examen est pro forma assignatum; quia tunc nullatenus omitti potest, alias actus corruet; quamvis promotus sit persona nota pro valde litterata, bene merita et famosa (33)... Quo fit, ut in terminis concil. *Tridentini*, sess. XXIV, cap. 18 *De reformat.*, De provisione parochialium, cum ibi requiratur pro forma examen per concursum necessario fieri (debeat), ut sæpe censuit sacra congregatio Concilii. » Gonzalez, *l. c.*, n. 89, 90.

(18. Hinc porro est, quod parochialem ecclesiam assecutus, quam postea dimisit, non potest eamdem assequi sine novo examine; ut fuit dictum in una *Beneventana parochialis*, apud Pyrrum Corradum, *Prax. benefic.*, lib. III, cap. 4, n. 5.

(19. Sic etiam rector unius Ecclesiæ parochialis, si ad aliam paroch. aspiret, nequit ad hanc promoveri absque novo concursu, ut decrevit eadem sacra congregat. Concilii per hæc verba : « Episcopus potest, occurrente vacatione beneficii curati, vocare et admittere ad concursum, habentem aliud

(32) « Limitatur, quod is qui fuit ordinatus, vel obtinuit beneficium in una diœcesi, si postea conferatur ei beneficium in alia diœcesi, iterum examini subjici potest : rationem dat Fagnanus, quia forte in diœcesi, in qua confertur ei aliud beneficium, sunt alii mores, quibus se promovendus conformari debet. » Pirrhing, ad tit. ex. *De ætate*, etc., n. 4, vers. *Limitatur*, 6.

(33) Unde « non excusatur ipsemet vicarius episcopi, nec archidiaconus, vel pœnitentiarius, nec aliqua persona eminens, quantumcunque idonea, et in dignitate ecclesiastica constituta, ut etiam declaravit eadem sacra congregatio Concilii : » apud Gonzalez, *super Regul.* 8, Cancell. Gloss. 4, n. 92.

Digitized by Google

beneficium curatum, sed non potest *sine concursu*, licet obtinuerit beneficium, quod possidet, *per concursum*. » Apud eumdem Pyrr. Corradum, *loc., cit.*, n. 12, cæterum *vid.* amplius v. BENEFICIUM, art. 3, n. 21 et seqq.

(20. « Secundo limitandum, quod supra diximus, ordinatum in sacris esse habilem absque novo examine ad beneficia simplicia, quando aliqua causa de novo supervenit, utpote, quia per bonum intervallum fecit intermissionem seu diversionem a studiis, quia tunc etiam si pro forma non requireretur examen, deberet examinari ratione novæ causæ, ut insinuant declarationes illustrissimorum cardinalium nuper allatæ (in num. hic *supra* notatis). » Gonzalez, *l. c.*, n. 96.

(21. « Tertio limita, quando constaret, quod talis promotus ad ordines sacros, fuit indigne promotus. » Idem, *ibid.*, n. 99.

(22. Ultimo « Limita, quando beneficium simplex esset qualificatum, veluti dignitas sine cura vel canonicatus in cathedrali vel collegiata, in quibus requiritur industria et consilium : in hoc casu temperatur dispositio textus in d. cap. *Accepimus* (de quo Gonzalez *supra* nu. 74). » Idem Gonzalez, *ibid.*, n. 102.

(23. Cumque ex Tridentino, cap. 9, sess. XXV, *De reformat.* liceat episcopis præsentatos a patronis si idonei non fuerint, repellere; adeoque liceat iisdem ordinariis præsentatos ad beneficia utcunque simplicia (ubi de eorum idoneitate, ad normam traditorum hic supra, non constet) examinare; Barbosa, in *Trident.* ad cap. cit., num. 74, et consentiunt DD. hinc profecto est, quod si fundator « disponeret, quod præsentandus examini subjacere non debeat, conditio hujusmodi est intelligenda, quatenus episcopo constet esse idoneum, ut respondit sacra congregatio Concilii, *in Sarsinaten.* 27 Novemb. 1649. » Apud Monacell., *Form. pract.*, tom. II, tit. 15, form. 1, n. 13, pag. 199.

SCRIPTURA SACRA.

Præstat sequentia adnotare.

(1. Scriptura sacra dicitur *Biblia* a voce Græca *biblos*, quæ *librum* significat. Unde antonomastice sacra Scriptura vocatur *liber*, eo quod sit omnium librorum Liber tum sui origine, tum sanctitate, tum præsertim utilitate. jam figuratus in illo, quem vidit *Joannes* in *Apocalyps.* c. V, ibi : *Et vidi in dextera Sedentis super thronum librum scriptum intus et foris.*

(2. Scriptura sacra, quæ breviter definitur : « Verbum Dei scriptum, *fusius et clarius definitur, quod sit.* » Volumen sacrum dictante Spiritu sancto ad salutem hominis conscriptum, et ut tale ab Ecclesia receptum. » Est in re communis.

(3. Dictum sacrum volumen est aggregatum quoddam ex septuaginta duobus canonicis libris particularibus, scilicet quadraginta quinque Veteris Testamenti, et viginti septem Testamenti Novi in unum codicem redactum. Communis ac certa. (4. Dicti autem septuaginta duo libri canonici sunt sequentes recensiti a concilio *Tridentino*, sess. IV, in decreto *De canonicis scripturis* : Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, nempe vet. test. « Genesis, Exodus, Leviticus, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, et secundus, qui dicitur Neemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus et secundus : Novi Testamenti, quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem, Actus apostolorum a Luca evangelista conscripti, quatuordecim Epistolæ Pauli apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri apostoli duæ, Joannis apostoli tres, Jacobi apostoli una, Judæ apostoli una, et Apocalypsis Joannis apostoli. »

(5. Prædictus numerus librorum canonicorum sacræ Scripturæ non est novus, sed antiquissimus in Ecclesia catholica, et receptissimus : omnes enim prædicti libri inter canonicos recepti sunt in concilio *Carthaginensi*, cap. 47, celebrato anno 397 * *Vide* infra n. 6. Item in concilio *Romano I*, sub Gelasio Papa celebrato anno 496. Atque in aliis subsequentibus conciliis, et præsertim in concilio *Florentino*, in decreto *Unionis*. (6. Unde libri *canonici* dicti sunt, vel quia continent normam et regulam, quam in fide et moribus sequi tenemur : *Canon* enim Græce, Latine *Regula* nuncupatur, textu expresso in cap. *Canon* 1, distinct. 3, vel quia in catalogum librorum divinorum sunt ab Ecclesia in dictis conciliis relati. * Adde testimonium Ecclesiæ Græcæ; hæc enim cum a Protestantibus ad ineundam secum concordiam invitata esset, synodum Hierosolymæ sub Dositheo patriarcha celebravit an. 1672, quæ Protestantium errores damnavit, datoque ad ipsos responso, inter alia catholicæ doctrinæ capita solemniter de sacris libris in *Tridentino* concilio enumeratis professa est : « Hos omnes judicamus esse canonicos, et S. Scripturam confitemur, quoniam eos tradidit antiqua consuetudo, seu magis Ecclesia catholica. »

(7. Libri spectantes ad Testamentum Vetus dividuntur in quatuor classes, scilicet in legales, historiales, sapientiales et prophetales. *Legales* sunt quinque libri Moysis, seu Pentateuchus, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, *Histo-*

Digitized by Google

riales sunt Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Machabæorum, Job, Esdræ, Tobiæ, Judith, Esther. *Sapientiales* sunt Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus. *Prophetales* sunt Psalmi, quatuor majores prophetæ: Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, et duodecim minores: Oseas, Joel, Amos, Michæas, Abdias, Jonas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

(8. Libri spectantes ad Testamentum Novum dividuntur et ipsi in quatuor classes, scilicet legales, historiales, sapientiales et prophetales. *Legales* sunt quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis. *Historiales* sunt Actus apostolorum. *Sapientiales* sunt quatuordecim Epistolæ divi Pauli, una divi Jacobi, duæ divi Petri, tres divi Joannis et una divi Judæ Thaddæi. *Prophetales* tandem Apocalypsis beati Joannis apostoli.

(9. Recollectio dictorum omnium librorum vocatur Testamentum Vetus, et Novum duplici ratione. Prima, quia sicuti Testamentum est charta scripta, in qua continetur ultima voluntas hominis, sic in illis libris continetur ultima Dei voluntas, et lex, quam Deus vult ab hominibus servari. Secunda, quia sicuti testamentum est, quo bonorum temporalium defertur hæreditas, intercedente testatoris morte, qua contingente, cum esset antea clausum et obsignatum, aperitur; ita per dictos libros sacros defertur nobis hæreditas bonorum cœlestium, et Christi morte in ea confirmamur, iisque apertis, legimus nos esse Dei hæredes et cohæredes Christi.

(10. Unum autem ex dictis duobus testamentis vocatur Vetus, quia ipsum tanquam jam antiquatum et inveteratum desiit obligare adveniente Novo, uti patet in testamentis, quorum primum jam cessat valere, adveniente ejusdem testatoris secundo. Et aliud vocatur Novum propter novitatem spiritus, quam affert lex Christiana in eo contenta, quæ novos affectus novosque ardores erga Deum excitat in iis, qui illam amplectuntur, et vere observant; unde a Veteri Testamento ad Testamentum Novum proceditur tanquam a figura ad suum figuratum, a signo ad suum signatum, et a parabola ad suam veritatem, quia *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, ut expresse habetur *Joannis*, cap. I, v. 17.

(11. Omnes prædicti libri, tum Veteris, tum Novi Testamenti sunt ab omnibus pro sacris et canonicis, seu a Deo inspiratis habendi, et qui ipsos omnes ut tales non susceperit, aut aliquam veritatem in ipsa contentam negaverit, erit hæreticus; unde concil. *Trident.*, cit. sess. IV, in decreto *De canonicis scripturis*, post enumeratos supradictos omnes libros, sic expresse concludit: « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit. »

(12. Libri alii duo, scilicet tertius et quartus Esdræ non sunt ab Ecclesia recepti pro canonicis, quamvis sint magnæ auctoritatis, et a Sixto V, in sacris Bibliis post libros canonicos una cum oratione Manassæ fuerint appositi, ne penitus pereant, et ut a Patribus citati reperiantur.

(13. Et tanto minus pro canonicis habentur ab Ecclesia liber tertius et quartus Machabæorum, cum ipsi sint et a canone et a Bibliis penitus exclusi, ut patet.

(14. Item pro canonicis non habentur ab Ecclesia plura Evangelia, quæ sub nomine diversorum apostolorum, ut Thomæ, Andreæ, Bartholomæi, Thaddæi, Barnabæ, etc., circumferuntur conscripta. Sicuti nec pro canonicis habentur alii libri, de quibus omnibus fit mentio, in c. *Sancta Romana* 3, dist. 15, ibique a Gelasio Papa pro apocryphis declarantur. * Apocryphos omnes hosce libros recensuit illustravitque Joannes Albertus Fabricius cum in *Codice pseudepigrapho Veteris Testamenti*, Hamburgi 1713, tum in *Codice apocrypho Novi Testamenti*, ibidem 1719.

(15. Ex libris sacris plures et plures perierunt. Ita S. Joannes Chrysostomus homil. 9 in Matth. et homil. 7, in *primam ad Corinth.*; Bellarmin., tom. I *De verbo Dei*, lib. IV, cap. 4; Abulensis, in *Numer.*, cap. 21, quæst. 3, et alii communiter: et hoc clare constat ex pluribus locis ipsiusmet sacræ Scripturæ. In primo enim libro *Paralipomenon* cap. ult. fit mentio libri Samuelis videntis et libri Nathan prophetæ, atque libri Gad videntis, ibi: *Gesta autem David regis propria et novissima scripta sunt in libro Samuel videntis, et in libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad videntis.* Et, *II Paralipomenon*, cap. IX, fit mentio libri Nathan prophetæ, libri Ahiæ Silonitis et libri Addo videntis, ibi: *Reliqua opera Salomonis priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Nathan prophetæ et in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo videntis.* Et *ibidem*, cap. XII, fit mentio libri semejæ prophetæ et libri Addo videntis, ibi: *Opera vero Roboam prima et novissima scripta sunt in libris Semeiæ prophetæ et Addo videntis.* Et *ibidem*, cap. XX, fit mentio libri Jehu filii Anani, ibi: *Reliqua gestorum Josaphat priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Anani.* Et *III Reg.* cap. IV, fit mentio de libro trium millium parabolarum et carminum quinque et mille Salomonis ibi: *Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas, et fuerint carmina ejus quinque et mille.* Et, *ibidem*, cap. XI, fit mentio de libro verborum dierum Salomonis ibi: *Ecce universa scripta sunt in libro verborum dierum Salomonis.* Et, *ibidem*, c. XIV, fit mentio libri sermonum dierum regum Juda, ibi: *Ecce scripta sunt in libro sermonum dierum regum Juda.* Et *II Machabæorum* cap. II, fit mentio libri Jasonis Cirenæi, ibi: *Itemque a Jasone Cirenæo quinque libris comprehensa.* Et *ad Colossenses* cap. IV, fit mentio Epistolæ B. Pauli apostoli scriptæ ab ipso ad Laodicenses, ibi: *Et cum lecta fuerit Epistola hæc, facite ut et in Laodicensium Ecclesiam legatur, et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.* Et in *Epistola catho-*

Digitized by Google

tica Judæ apostoli fit mentio de libro Enoch prophetæ, ibi: *Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis*, etc. Omnes autem prædicti sacri libri, et alii brevitatis gratia relicti, tum Veteris, tum Novi Testamenti, Deo permittente perierunt, vel quia homines desides eos non custodierunt, vel quia impii eos combusserunt, vel quia se illis indignos præbuerunt, vel ob alias causas ipsi soli Deo notas. V. *Addit. Cas.* in fin. h. art.

(16. Prima editio sacræ Scripturæ facta est Hebraice quoad fere totum Testamentum. Sic communior et fere omnium sententia. Dicitur autem notanter: *Quoad fere totum*, quia libri Esdræ et Danielis, teste S. Hieronymo, epist. 120, *Præfat. in Daniel.* scripti sunt lingua Chaldaica (34), sicuti nonnulli asserunt de libro Tobiæ, libro Judith. Librum autem Sapientiæ vult sanctus Hieronymus, epist. 115 *ad Chromatium* fuisse scriptum lingua Græca, sicuti eadem lingua Græca fuisse scriptum librum II Machabæorum testatur idem Hieronymus, in *Prologo Galeato* (35).

(17. Quo ad vero fere totum Testamentum Novum facta est Græce. Sic fere communis opinio. Apostolorum enim tempore apud Judæos valde familiare erat idioma Græcum. Dicitur autem notanter: *Quoad fere totum*, quia Evangelium Matthæi fuit ab ipso scriptum lingua Hebraica, ut tenent fere communiter doctores cum S. Hieronymo, lib. *De scriptoribus ecclesiasticis*, n. 3, ubi loquens de S. Matthæo sic expresse dicit: *Evangelium Christi Hebraicis litteris verbisque composuit* (36). Et Evangelium Marci secundum communiorem opinionem fuit ab ipso scriptum primo lingua Latina in gratiam Romanorum, et secundo lingua Græca in gratiam Alexandrinorum (37). Et Epistola ad Hebræos, ut tenet communis sententia cum sancto Hieronymo, *Libro de scriptoribus ecclesiasticis*, n. 15, fuit scripta lingua Hebræa (38).

(18. Secunda editio sacræ Scripturæ quoad totum Testamentum Vetus est paraphrasis Chaldaica; tota enim Scriptura vetus translata est paraphrastice ex Hebræo in Chaldæum, quam paraphrasim ipsi Hebræi *Targum* vocant, ut recte notat cardin. Bellarmin., tom. I *De Verbo Dei*, lib. II, cap. 3. (19. Hæc paraphrasis Chaldaica tres habet auctores, scilicet R. Onkelum, R. Jonathan Urielis filium et R. Joseph Cæcum, qui omnes quilibet pro sua parte totam veterem Scripturam in Chaldaicum transtulerunt. Paraphrasis autem in hoc differt a translatione seu versione, quod in translatione seu versione verba auctoris transferuntur in aliam linguam sine additione et mutatione, seu de verbo ad verbum: in paraphrasi autem verba auctoris transferuntur in aliam linguam cum additionibus et mutationibus, et in ipsa magis sensus de sensu, quam verbum de verbo exprimitur: unde paraphrasis juxta communem intelligentiam, est *explicatio rei per sermonem copiosiorem et dilucidiorem*.

(20. Tertia editio sacræ Scripturæ ex Hebraico in Græcum quoad totum Testamentum Vetus, ut docet probabilior sententia, fuit septuaginta Interpretum, qui anno Ptolemæi Philadelphi 17, et ante Christum 272, inclusi in cellulis separatis totum Vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum transtulerunt 72 dierum spatio, non sine speciali Spiritus sancti assistentia, cum separatim scribentes quisque in sua propria cellula seorsum ab aliis non solum in eumdem sensum, in easdem sententias, sed etiam in eadem verba, in eamdem verborum seriem, imo et in eosdem apices coincident; hinc S. Joannes Chrysostomus homil. 3 in *Genesim* hanc translationem vocat *rarum miraculum*. Sic tenent S. Justinus, in *Oratione exhortatoria ad Gentes*, ubi dicit se apud Alexandriam vestigia harum cellarum vidisse; S. Irenæus, lib. III, cap. 25; S. Cyrillus, catechesi 4; Clemens Alexandrinus, lib. I *Stromat.*; S. Augustinus, l. XVIII *De Civitate Dei*, cap. 32, et alii recentiores citantes pro hac sententia Philonem, lib. II *De Vita Moysis*; Tertullianum, in *Apologetico*, cap. 10; et S. Joan. Chrysostomum, hom. 5 in *Matthæum*, et sic plurimi alii contra alios, et signanter contra S. Hieronymum, epist. 104, *Præfat. in Pentateuchum*, ubi expresse negat et ridet historiam hanc de tot cellulis separatis: *Nescio*, inquit, *quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit*, etc.

(21. Undè dictus S. Hieronymus tenet, quod septuaginta duo Interpretes, senes viri Hebræi ex qualibet tribu filiorum Israel, utriusque linguæ, scilicet Hebraicæ et Græcæ peritissimi, spatio dierum septuaginta duorum in eadem Basilica sedentes et inter se conferentes, sacram Scripturam transtulerint: et hoc probat testimonio Aristææ, in *Historia*, de hac ipsa re, qui Aristæas negotio interfuit et expresse dicit, quod ipsi simul conferendo singulis diebus usque ad horam nonam, hanc versionem tandem septuaginta duobus diebus absolverint. Idemque confirmat testimonio Josephi Hebræi, qui licet esset cupidissimus gloriæ suæ gentis, tamen lib. XII *Antiquitat.*, cap. 2, refe-

(34) Aliqua scilicet eorum capita, ut patet Hebraicam veritatem consulenti.

(35) Confer P. Bonfrerii *prælogia* in Tourmemiana Menochii editione optimo consilio recusa, et P. Hermani Goldhagen eruditissimam *introductionem in sacram Scripturam*, p. I, sect. 2, quæst. 1, § 5, 6 et 7.

(36) *Vide* eumdem Goldhagen, quæst. 2, § 2 seqq.

(37) Revera tamen communior sententia docet, Marcum Græce Evangelium scripsisse. Neque certe opus fuit, ut Marcus Romanis scribens, Latina lingua uteretur. Nam et Paulus ex communiore doctorum interpretum sensu ad Romanos dialecto Græco epistolam scripsit. *Vide* laudatum Goldhagen cit. quæst. 2, § 5 seq.

(38) *Vid.* tamen Prolegomen. eruditissimi Augustini Calmet, ubi contrarium astruitur. — Eamdem de epistola ad Hebræos Hebraice scripta sententiam tuetur Goldhagen § 9.

Digitized by Google

rens hanc historiam, nequidem mentionem facit de dictis separatis cellulis. Sic etiam Eusebius videtur fuisse ejusdem opinionis, quia libro octavo *De præparat. Evangel.*, cap. 1, narrat rem totam sine ulla mentione de dictis separatis cellulis, referens ad verbum, quæ habentur in libro Aristææ.

(22. Sanctus Epiphanius autem in libro *De mensuris et ponderibus* contra fere omnium sententiam ponit solum triginta sex cellulas, cum alii vel septuaginta duas vel nullas ponant. Scribitque dictus sanctus Epiphanius, quod hi interpretes bini et bini fuerint inclusi in cellulis triginta sex, et divino miraculo singula paria ipsorum iisdem verbis totam Scripturam transtulerint, ita ut simul confecerint triginta sex exempla ejusdem prorsus versionis.

(23. Sanctus Augustinus vero, licet lib. XVIII *De Civitate Dei*, cap. 42, videatur consentire cum iis qui affirmant dictas cellulas, ut patet *supra* n. 20, tamen, lib. II *Doctr. Christian.*, cap. 15, non audet absolute rem affirmare; sed illud ab omnibus decantatum de istis interpretibus, quod quasi uno ore Scripturam verterint, rectissime intelligi posse significat, tam secundum eos qui cellulas affirmant, quam secundum illos qui ipsas negant. De cellulis enim non habetur certa sententia, cum scriptores abierint in diversa (39). V. *Add. Cas.* in fin.

(24. Supradictis versionibus Græcis successerunt Latinæ, Testamentum Vetus ex Hebræo, et Testamentum Novum ex Græco transferentes, et istæ versiones Latinæ sunt innumeræ, ut patet ex S. Hieronymo, epist. 105, *Præfat. in Josue :* « Cum apud Latinos tot sint exemplaria, quot codices, et unusquisque pro arbitrio suo, vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est. »

(25. Ex omnibus autem Latinis versionibus et editionibus sola vetus et vulgata editio est vere authentica et pro tali ab omnibus habenda. Sic expresse statuit concil. *Trid.*, sess. IV, in decreto *De editione et usu sacrorum librorum*, ibi : Insuper eadem sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit innotescat, statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, prædicationibus et expositionibus, pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat. »

(26. Auctor hujus Vulgatæ editionis non est unus solus, ut recte advertit Bellarminus, tom. I, lib. I, *De verbo Dei*, cap. 11, vers. *Nam Vulgata*, ubi sic expresse habet : « Nam Vulgata editio non est unius auctoris, sed quædam habet ex sancto Hieronymo quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam interprete innominato. » Ita tamen ut fere tota sit a sancto Hieronymo, aut versore, aut aliorum correctore, ut notant passim doctores.

(27. Sensus sacræ Scripturæ generatim, ac prima sui divisione est duplex, nempe unus *litteralis*, et alter *spiritualis*, seu *mysticus*, Communis inter Catholicos.

(28. *Litteralis* sensus est ille, quem verba ipsa immediate significant, ita ut sensus litteralis sit præcisus sensus litteræ seu verborum. Sensus autem *spiritualis* seu *mysticus* est ille, quem non immediate verba ipsa significant, sed solum mediate, nempe mediis illis rebus, quas verba immediate significant, ita ut sensus spiritualis, seu mysticus sit sensus rerum secundum mysterium. Sic eadem verba, eodemque loco significant litteraliter et spiritualiter, seu mystice, ut patet in Epistola Pauli apostoli *ad Galatas* cap. IV, ubi eadem verba, quæ litteraliter indicant, quod *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera*, spiritualiter seu mystice significant Vetus et Novum Testamentum, ut ibidem expresse dicit Apostolus : *Hæc autem sunt duo Testamenta*. Item eadem historia agni Paschalis Exodi cap. XII litteraliter significat ritum agni Paschalis a Judæis olim immolandi, spiritualiter vero, seu mystice, significat Christum pro salute totius mundi in ara crucis postmodum immolatum. Item eadem verba in uno loco sacræ Scripturæ significant litteraliter, et in alio spiritualiter seu mystice, ut patet de eodem hoc verbo *aqua*, quæ primo Genesis litteraliter significat elementum : *Congregentur aquæ in locum unum :* et in *psal.* LXV spiritualiter significat tribulationes, ibi : *Transivimus per ignem et aquam ;* et *Joan.* cap. IV mystice significat donum gratiæ, ibi : *Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam ;* et *Joann.* cap. III mystice seu spiritualiter significat baptismum, ibi : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Et sic de aliis.

(29. Sensus litteralis subdividitur in *proprium*, et in *improprium*, seu *translatum* vel *figuratum*. *Communis*. *Proprius* est ille, quem verba in propria et primaria sua significatione capta immediate significant.

(30. Sic *aqua* proprie significat elementum terram abluens ; *ignis* proprie significat elementum calefactivum et combustivum, et sic de aliis. *Improprius*, seu *translatus*, vel *figuratus* est ille, quem verba improprie, seu figurate, et tropice accepta significant. Sic Christus Dominus improprie, seu tropice, et figurate per metaphoram seu similitudinem, et non per proprietatem dicitur Leo, Petra, Vitis, et hujusmodi. Sic doctores communiter.

(31. Item sensus spiritualis seu mysticus

(39) De LXXVIRALI versione nemo uberius egit cl. P. de Magistris, qui apologiam sententiæ Patrum de hac versione quinque eruditissimis dissertationibus comprehensam a 1772 Danieli *secundum LXX* subjecit ; ubi etiam Aristææ narrationem acerrime propugnavit.

Digitized by Google

subdividitur in *allegoricum* correspondentem fidei, *anagogicum* correspondentem spei, et in *tropologicum* seu *moralem* correspondentem charitati : juxta enim numerum dictarum trium virtutum theologicarum assignantur tres dicti sensus mystici sacræ Scripturæ ipsis correspondentes. *Communis.*

(32. Sensus *allegoricus* correspondens fidei est, cum verba sacræ Scripturæ, ultra sensum litteralem, significant et ostendunt aliquid credendum. Dicitur enim *allegoricus* a nomine Græco *allos*, quod est *alius*, et a *logos*, quod est *sermo*, quasi sit alius sermo ab eo, quem verba litteraliter importani. *Communis.*

(33. Sensus *anagogicus* correspondens spei est, cum verba, ultra sensum litteralem, significant, et ostendunt aliquid sperandum in æterna beatitudine; dicitur *anagogicus* a nomine Græco *ana*, quod est *sursum*, et a *goge*, quod est *ductio*, quasi sit quid sursum ducens, seu locutio nos ducens a terrenis sursum ad cœlestia. *Communis.*

(34. Sensus *tropologicus* correspondens charitati est, cum verba ultra sensum litteralem significant, et ostendunt aliquid moraliter agendum, seu aliquod opus charitatis exercendum; dicitur enim *tropologicus* a nomine Græco *tropos*, quod est *conversio*, et a *lagos*, quod est *sermo*, quasi sit sermo conversus ad morum institutionem. *Communis.*

(35. Unde juxta huc usque dicta clare infertur, quod sunt quatuor sensus sacræ Scripturæ, scilicet *litteralis*, *allegoricus*, *tropologicus* et *anagogicus*, omnes breviter contenti in his duobus versiculis :

Littera gesta docet, quid credas allegoria;
Moralis quid agas, quid speres anagogia.

(36. Omnes dicti quatuor sensus possunt reperiri in uno sacræ Scripturæ passu, ut clare patet in Epistola Apostoli *ad Galatas* cap. IV, ubi aperte exprimuntur omnes in filiis Abrahæ. Imo omnes dicti quatuor sensus reperiuntur in hac voce *Jerusalem*, quæ *litteraliter* significat urbem Palæstinæ, *allegorice* significat sanctam Ecclesiam militantem a nobis credendam juxta illud *Apocalyps.* XXV : *Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* *Tropologice* seu *moraliter* significat animam nostram sanctis moribus et virtutibus ornandam, juxta illud *Jerusalem, Jerusalem convertere ad Dominum Deum tuum* (Fer. 5 in cœn. Dom. lect. 1). *Anagogice* significat Ecclesiam Triumphantem, scilicet patriam cœlestem a nobis sperandam, juxta illud Apostoli *ad Galatas* cap. IV: *Illa quæ sursum est, Jerusalem, est libera, quæ est mater nostra.*

(37. Non possunt tamen omnes dicti sensus reperiri in quolibet sacræ Scripturæ passu; multi enim allegari possunt sacræ Scripturæ passus, ubi nullus est sensus mysticus, sed solummodo *litteralis*, ut patet in illo *Matthæi* c. XXII : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* et in illo *Marci* ultimo : *Euntes, docete omnes gentes,* et sic in plurimis similibus. Econtra multi possunt allegari passus, ubi nullus est sensus *litteralis*, sed solummodo *mysticus*, ut patet in *Judic.* cap. IX : *Ierunt ligna, ut ungerent supra se regem.* Ibi enim nullus sanæ mentis dicet, adesse sensum litteralem, cum solummodo adsit sensus mysticus, intelligendo per *ligna* habitatores civitatis Sichem, qui, ut in eodem loco exponitur, constituerunt Abimelech in suum regem. Et in illo *I Reg.* cap. II, v. 35 : *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciet*, ubi ly *cor* et *animam* non potest sumi in sensu litterali, quia Deus non habet cor et animam, sed solum in sensu mystico per voluntatem, et sic de innumeris aliis similibus.

(38. Quamvis sacræ Scripturæ interpretatio doctrinalis et magisterialis secundum sanctorum Patrum consensum possit fieri a viris doctis, et idoneis, ut patet de tot sacris expositoribus, et tenet communis doctorum; tamen interpretatio canonica et infallibilis veri illius tenendi sensus pertinet solummodo ad sanctam Matrem Ecclesiam. Communis inter Catholicos, et habetur expresse a concilio *Trid.*, sess. IV, in decreto *De editione et usu sacrorum librorum*, ibi : « Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent : qui contravenerit, per ordinarios declarentur, et pœnis a jure statutis puniantur. »

(39. Sacra Scriptura legi nequit lingua vulgari omnibus alicujus patriæ communi, nisi ab habentibus ad id legitimam licentiam seu facultatem. Habetur expresse in regula 3 *Indicis librorum prohibitorum*, ubi insuper redditur ratio, ibi : « Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittatur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri. »

(40. Unde merito Clemens XI, die 8 Septembris 1713, in constitut. incip. *Unigenitus Dei Filius* damnavit sequentes propositiones Paschasii Quesnelli contendentis, male ab Ecclesia prohiberi ulli homini fideli, etiam laico et feminæ lectionem sacræ Scripturæ, ac præsertim Novi Testamenti in vulgari lingua : propositiones igitur sunt istæ, scilicet 79, in ordine : « Utile et necessarium est omni tempore, omni loco et omni personarum generi studere et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria sacræ Scripturæ. » 81, ibi : « Lectio sacræ Scripturæ est pro omnibus. » 81, ibi : « Obscuritas sancta Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione. » 82, ibi :

Digitized by Google

« Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis et super omnia sanctarum Scripturarum ; damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere; » 83, ibi : Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari feminis lectione sacrorum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natæ sunt hæreses. » 84, ibi : « Abripere e Christianorum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. » 85, ibi : « Interdicere Christianis lectionem sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis. » 86, ibi : « Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ et intentioni Dei (40). »

(41. Sacra Scriptura abutentes in sortilegiis, incantationibus, etc., juris et arbitrii pœnis debent ab episcopis puniri. Concil. *Trident.*, sess. IV in decreto *De editione et usu sacrorum librorum.*

(42. Sacram Scripturam convertentes ad usus profanos, verba jocosa, scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, sortes, libellos etiam famosos, etc., eodem modo puniri debent. Concil. *Trid.*, *loc. cit.*

(43. Sacræ Scripturæ lector seu expositor tenendus est in metropolitanis, cathedralibus et collegiatis exsistentibus in aliquo insigni oppido. Conc. *Trident.*, sess. V, cap. 1, *De reform.* (44. Et talis lector est examinandus ab episcopo. Concil. *Trid.*, cit. cap. 1.

(45. Sacræ Scripturæ lector, seu expositor, tenendus est etiam in monasteriis regularium, et episcopus ut Papæ delegatus potest ad hoc compellere superiores. Conc. *Trid.*, cit. cap. 1. (46. At iste lector pro monasteriis regularium non debet, nec potest examinari ab episcopo. Concil. *Trident.*, cit. cap. 1.

(47. Sacræ Scripturæ lectio in conventibus regularium debet fieri bis in hebdomada, et ea finita, debet fieri collatio de illa. Clemens VIII, constitut. 50, incip. *Nullus*, § 1

APPENDIX,

Seu De sacra Scriptura novus articulus, ex aliena manu.

(48. Addimus novum de sacra Scriptura articulum, ut ea quæ brevitatis causa ab auctore Bibliothecæ prætermissa sunt, fusius lectoribus nostris exhibeamus. Itaque sacram Scripturam libros illos vocamus ab hominibus scriptos, quos Deus selegit, ac veluti ministros adhibuit, ut divino ejus verbo scripto hominibus manifestaret voluntatem suam. Librorum numerus is est, quem auctor ex decreto concilii *Tridentini* descripsit. Nos vero paucis indicabimus controversiam, quæ hac de re occurrit inter orthodoxos et novatores. Primum vero agemus generatim de sacræ Scripturæ veritate et integritate, et assistentia illa, qua scriptores sacri adjuti divinos libros conscripserunt. Deinde de canone sacrarum Scripturarum, et de eo, ad quem spectat sacrarum Scripturarum canonem decernere et infallibili auctoritate Ecclesiæ proponere. Præterea de sacrorum librorum versionibus, ubi etiam de lectione sacræ Scripturæ in lingua vernacula. Denique regulas nonnullas exponemus, quarum beneficio erui, investigari ac cognosci possit verus sacræ Scripturæ sensus.

(49. Duplici in sensu veram sacram Scripturam affirmare possumus, scilicet, prout verum fictitio et supposititio opponitur, et prout falso adversatur. Hic in priori sensu sacræ Scripturæ veritatem tuemur : nam si hac ratione vera et integra statuatur, pro falsa haberi non potest; cum verbum Dei exhibeat, quod falso subesse nequit : nam Deus, infinite sapiens cum sit, falli nequit, et cum sit infinite bonus, nequit fallere. Facile vero ostendimus veros et genuinos esse, non vero supposititios sacræ Scripturæ libros. Tales enim habendi sunt, si quovis sæculo ascripti auctoribus fuerint, quorum nomen præseferunt : hoc enim argumento viri docti atque critici, vera esse et genuina antiquorum opera probant. Sed Mosi synchroni et prophetarum coætanei, ac subsequentium sæculorum homines, tanquam germanum illorum fetum tradidere libros ab illis exaratos; idemque Christiani apostolorum auditores docuerunt de libris Novi Testamenti, atque ita ad nostram usque ætatem non interrupta serie factum est. Hoc argumento usus est Augustinus *contra Manichæos* sacrarum Scripturarum veritatem negantes lib. XXVIII, *contra Faustum* cap. 6. Videantur Daniel Huetius, in sua *Demonstratione evangelica*, Natalis Alexander, tom. I. *Histor. eccles.*, Alexand. Mazzinelli, *De locis theol.*, dissert. 1, aliique doctissimi theologi, qui scripserunt adversus Hobbesium, Spinosam et Isaacum Pereyrum, qui post Aben Esram temerarium scriptorem Judæum duodecimi sæculi, Pentateuchum Mosi abjudicare conati sunt : ii enim invictissimis argumentis demonstrant, Pentateuchum esse genuinum Mosis fetum; et aut singillatim ostendunt, singulos cum Veteris tum Novi Testamenti libros genuinos esse, aut regulas præscribunt, quarum usu id quisque facile demonstrare possit.

(50. Sacra Scriptura est etiam integra, saltem quoad partes essentiales. Primum id constat auctoritate simul, et rationibus sancti Hieronymi, qui quamvis in *Commentario* in c. III Epistolæ *ad Galatas* in opposita opinione versari videatur, re tamen diligentius considerata, hæc scripsit c. VI

(40) *Vide* infra num. 63.

Digitized by Google

Commentarii in *Isaiam* : Si aliquis dixerit Hebræorum libros postea a Judæis esse falsatos, audiat Origenem quid in octavo volumine explanationum Isaiæ huic respondeat quæstiunculæ, quod nunquam Dominus et apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis et Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent : sin autem dixerint, post adventum Redemptoris et prædicationem apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator et evangelistæ, et apostoli, ita testimonia protulerint, ut Judæi falsaturi erant; ergo nec ante, nec post Christi adventum corrupta est sacra Scriptura Veteris Testamenti. Deinde fieri non potuit, ut Judæi sacros codices adulterarent nemine advertente, ac reclamante nemine; 1. quia in singulis familiis, saltem tribus Levi, utpote consecratis ministerio altaris sacri libri reperiebantur, et Judæi ubique terrarum dispersi hos penes se religiose custodiebant; 2. quia in eam corruptionem consentire etiam debuissent auctores versionis Septuaginta Interpretum, quæ in substantialibus ab Hebraicis codicibus non dissidet; 3. quia credibile non est voluisse Judæos sacros codices depravare, in quos tanto studio et reverentia ferebantur, ut parati essent mortem potius subire, quam vel apicem in illis immutare, ut scribunt Josephus, lib. 1 *contra Appionem*, et Philo apud Eusebium, lib. VIII, cap. 6 et 8.

(51. Quæ autem argumenta Veteris Testamenti integritatem probant, ad libros quoque Novi Testamenti applicari possunt. Nam hujusmodi libri in rebus, quæ ad fidem moresque pertinent, iidem sunt et eodem modo reperiuntur apud sectas et communiones alioquin sibi infensissimas, scilicet apud Nestorianos, Jacobitas et Photianos in Oriente, et apud Catholicos tum Orientis, cum Occidentis, atque apud omnes novatores. Et quidem si a Catholicis tentata fuisset depravatio, eam illis hæretici exprobrassent, et vicissim hæreticis Catholici. Denique nec tempus, nec modus, nec auctores hujusmodi depravationis proferri possunt. Negari tamen non potest, errata plura levioris momenti in sacros codices irrepsisse, quæ incuriæ et ignorantiæ scribarum potius quam Judæorum aliorumque malitiæ tribuenda sunt. Regulas præscribunt auctores, præsertim ex Augustino libro XI *contra Faustum* c. 2, quarum usu corrigi et expurgari sacri codices possint. Una vero atque tutissima regula est, judicium atque sententia Ecclesiæ, cui concredita sunt eloquia Dei, cui in custodiendo divinæ revelationis deposito inerrantiæ privilegium concessum a Deo fuit, cui denique præsto semper adest divinus ille Spiritus, qui ex infallibili Christi Domini promissione recturus est Ecclesiæ pastores usque ad consummationem sæculi.

(52. Sacra Scriptura divinæ, atque omnino infallibilis veritatis est : etenim integros complectitur Veteris ac Novi Testamenti libros, quos Moses, prophetæ, evangelistæ et apostoli conscripserunt : conscripti vero ab istis libri divinam, atque omnino infallibilem veritatem obtinent. Nam sanctus Petrus Spiritu sancto inspiratos atque locutos ait sanctos Dei homines; Paulus ad *Timotheum* II, c. 3, omnem scripturam divinitus inspiratam asserit; atque Isaias c. V, Jonas, aliique prophetæ palam testati sunt, se verbum Dei litteris consignasse. Quis ergo dubitet divinam atque infallibilem præseferre auctoritatem? Deinde in libris Mosis perspicui characteres occurrunt divinæ revelationis; nam Moses se a Deo missum prædicat, ac missionem suam, legem et doctrinam, quam Dei nomine promulgat, cum miraculis, tum prophetia eventu comprobata, tum doctrinæ sanctitate comprobat. Similia occurrunt in aliis prophetarum libris. Nec de sapientialibus et historicis libris dubitatio occurrere potest ulla. Tum quia sapientiales libri leges continent, et præcepta, quæ homines dirigunt ad finem ultimum, qui alius non est, quam Deus ipse : leges enim et præcepta tradunt bene vivendi, Deoque per cognitionem et amorem adhærendi, cum separatione sui a creaturis non minus, quam a seipso. « Doctrina hæc, inquit Augustinus lib. XX *De Civitate Dei* c. 25, si cum doctrina comparetur philosophorum de fide et hominis felicitate disputantium, facile comperietur inspirante Deo conscripta. » Tum etiam quia sapientiales, ac historici libri, de quibus loquimur, primum ab Hebræorum Synagoga, deinceps a Christi Ecclesia veluti Deo inspirante conscripti, susceptl fuere, atque in maxima veneratione habiti. Iis ergo characteribus muniti prodiere, quibus constaret divinitus revelatam doctrinam continere. Neque enim præsumere aut suspicari licet, Synagogam Judæorum, quæ vera Dei Ecclesia erat, et quæ Deo docente didicerat, inter Verbum Dei et hominum doctrinam distinguere, suscipere voluisse veluti divinos libros illos, quos perspicue non nosset exaratos fuisse ab hominibus a Deo missis, et divino Spiritu inspiratis. Ac multo minus affirmari id poterit de Christi Ecclesia, cui peculiaris assistentia promissa ac uberiora privilegia concessa fuerunt.

(53. Eadem ratione infallibilis auctoritas tribuenda est libris Novi Testamenti, quos conscripsere viri a Deo missi ad prædicandum evangelium, quales fuisse apostolos et evangelistas nemo dubitat. In iis enim, characteres divinæ revelationis omnino conspicui sunt, ut nos in c. 3 Articuli de religione naturali et revelata demonstravimus.

(54. Venio nunc ad quæstionem expendendam de inspiratione illa, qua inspirati sacri auctores divinos libros conscripserunt. Pro rei claritate duplicem distinguere placet inspirationem, specialem unam, directionis alteram. Prior illa est, qua scriptor aliquis ita Dei Spiritu agitur, ut ei per manifestationem, et revelationem ostendantur ea, quæ scribit, et quæ aliunde minime noverat. Posterior vero assistentia et dire-

Digitized by Google

etio quædam est, qua Spiritus sanctus præsto scriptori fit, ne scribendo in errorem incidat; atque hac in directione, sive assistentia, duo Spiritus sanctus præstat: primo ingerit ei constantem voluntatem vera scribendi; secundo eumdem tanto lumine perfundit, ut errori obnoxius esse non possit in iis scribendis, quæ noverat. Non dubito, quin utrumvis inspirationis genus satis sit, ut sacris scriptoribus infallibilis auctoritas concilietur. His præmissis,

Quæritur, num Spiritus sanctus scriptoribus suis inspiravit tantum res, quam narrant, an etiam, voces singulas, terminos, expressiones et stylum?

Resp. Quanquam affirmans sententia non paucis theologicis placuerit, negans tamen illis videtur probabilior. 1. quoniam modus ille inspirationis non est necessarius ad conciliandam infallibilitatem libris sacris; 2. quia styli diversitas inter scriptores sacros indicare videtur oppositum; 3. quia nec sacræ litteræ, nec traditio specialissimam illam inspirationem docent, sed tantum sacros scriptores ita Spiritu sancto dirigente scripsisse, ut minime potuerint in errorem labi. Legatur dissert. P. Calmet præfixa primæ Epist. *S. Petri et Dupin.*, in diss. præliminari *ad sacram Script.*, lib. I, c. 2, § 6. Pro prima opinione videri poterit Mazzinellus, diss. I. *De sacr. Scrip.*, cap. 2, art. 3, ubi probat ex sac. Script. et S. Thoma, voces quoque sacris scriptoribus divinitus suppeditatas esse, quia *Isai.* c. L, vers. 4, ait: *Dominus dedit mihi linguam eruditam:* quia Christus dum misit apostolos, ut docerent omnes gentes, dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, vobiscum scilicet verba proferens; et quia necessaria erat inspiratio verborum, ut unanimis esset Ecclesia doctrina, et ut unanimes uno ore fideles honorificarent Deum, ut legitur *Rom.* XV.

(55. Inquiri posset deinde de rebus et veritatibus his litteris consignatis. Nulli dubium est, quin per immediatam et specialem inspirationem cum divina revelatione conjunctam ea scripta sint, quæ sacri Scriptores minime noverant. At si sermo habeatur de rebus, quas ipsimet viderant et audierant, ut plurimæ in utroque Testamento occurrunt, non fuit necessaria primi generis inspiratio; sed satis fuit ea, quam secundi generis diximus. In hac opinione versantur Cornelius a Lapide, Comment. in secundam Epistolam *ad Timotheum;* Bellarm., lib. II; *De verbo Dei;* Canus, *De locis theol.*, lib. II, c. 18; Simonius, in *Histor. critic. N. T.*, capp. 23 et 24, et Dupinus, *loc. cit.* (41).

(56. Circa facta vero, ac res alias ad religionem minime pertinentes, non desunt, qui asserant litteris consignata fuisse a sacris scriptoribus absque inspiratione ac sancti Spiritus directione, ut opinatus est Henricus Olden sæculi 17 scriptor et doctor Facultatis Parisiensis in *Analysi fidei*, lib. I, cap. 3. Sed nova hæc opinio est, ac Patribus et Theologis omnibus contraria, ideoque veluti suspecta, temeraria, perniciosa, rejicienda est. Etsi enim finis principalis sacræ Scripturæ est, ea nos docere, quæ ad religionem spectant, tamen vel ipse finis postulat, ut nihil falsi in sacris libris contineatur, ne illa falsitatis admistio præjudicium afferat veritatibus. Facile enim increduli ex falsitate factorum ad historiam pertinentium dubitare possent de veritate eorum, quæ ad religionem pertinent. Præterea quis certo discerneret, an factum aliquod ad religionem pertineat, nec ne, an veritas aliqua moralem Christianam et religionem spectet, aut potius philosophiam et œconomiam? En igitur quam perniciosum aditum opposita sententia aperiat. *Vide* Mazzinel., *loc. cit.*

(57. Superest alia quæstio, num sacri scriptores libere scripserint. Scio auctores esse, qui contendant voluntarie quidem, sed non libere scripsisse. At opposita sententia magis arridet, 1. quia Deus solet hominibus tanquam instrumentis uti, modo, qui eorum naturæ congruat, in sacris ergo scriptoribus libertatem, quæ naturæ hominis propria est, servavit; 2. quia facilitas tum loquendi, tum scribendi summam quidem, ac maxime perspicuam in eorum mente rerum cognitionem arguunt, sed scribendi necessitatem in voluntate non probant; 3. quia uberius et efficax auxilium, quo Spiritus sanctus adjuvit sacros scriptores, cum voluntatis libertate quam maxime cohæret, ut docent theologi in tract. *De divina gratia. Vide* Orig., lib. III *De princip.*, c. 2, ubi variis argumentis hanc opinionem probat. Nec est alicujus momenti objectio Abulensis, qui ait, Mosem nunquam scripturum fuisse hoc de semetipso elogium, si fuisset liber, *erat Moses vir mitissimus;* nam id scripsit Moses, tum peculiari Spiritus sancti afflatu, tum speciali Dei præcepto; afflatus autem ille, præceptum illud, cohærent cum arbitrii libertate.

(58. De sacrorum librorum numero dictum est ab auctore in suo articulo, ubi *Tridentini* concilii decretum profert. Dicendum vero nobis superest de canone, sive catalogo sacrorum librorum publica Ecclesiæ auctoritate condito. Nota res est, libros sacros cum Veteris, tum Novi Testamenti non fuisse omnes uno eodemque tempore conditos; constat enim ex Veteris Testamenti libris primum Mosis Pentateuchum,

(41) Adde his P. Goldhagen, cit., t. I, sect. 1, quæst. 3, § 3 seqq. Equidem Lovaniensis academia an. 1587, et Duacena an. 1588, tres Lessii, et Hamelii propositiones hanc sententiam insinuantes censura notarunt. Verum nec ea censura legitima erat, ut quæ e privatis affectibus nata videretur, et a plurimis rejecta fuit. Quamobrem contra illam valide a patronis contrariæ sententiæ pugnatum est, illis Universitatibus, ac præsertim Parisiensi, suffragantibus. Controversia demum Romam sub Sixto V, iterumque sub Innocentio IX, delata neutram in partem decisa est; magno deinceps consensu auctores recentiores sententiæ Lessii subscripserunt.

Digitized by Google

deinceps libros Josue, Paralipomenon, Regum, ac sequentibus sæculis alios scriptos a prophetis fuisse, et ex libris Novi Testamenti Evangelia, apostolorum Acta, Epistolæ et Apocalypsis diversis temporibus scripta fuere. Nec statim ac in lucem prodiere libri, publica Ecclesiæ auctoritate in canonem sacrarum Scripturarum relati fuerunt. Nam Judæi ante Esdram nullum canonem sacrarum Scripturarum habuerunt, ac soli quinque Mosis libri paulo post istius mortem in unum collecti fuerunt. Nam primum solus Deuteronomii liber, qui præcedentium quatuor summa est, repositus fuit in latere arcæ fœderis, prout præceperat Moses levitis *Deuteron.* c. xxi. Deinde vero omnes quinque libri in unum collecti canonem publica auctoritate confectum exhibuere. Alii autem libri adjecti canoni non fuere, nisi post divisionem tribuum, quæ post Salomonis mortem contigit, ut facile colligere est ex eo, quod Samaritani solos quinque Mosis libros pro canonicis habuerint. Ita Dupinus, aliique viri eruditi conjiciunt. Neque in Ecclesia Christi fuere statim libri omnes testamenti collecti, et in canonem relati; scimus enim a plerisque quatuor prioribus sæculis rejectos fuisse Apocalypsim, Epistolam S. Pauli ad Hebræos, aliosque libros, et in concilio *Hipponensi* an. 393, fuisse primum integrum sacrorum librorum Novi Testamenti catalogum concinnatum. Ex iis vero colligitur, Deum non præcepisse Synagogæ et Ecclesiæ, ut sacros libros statim in canonem referrent Scripturarum, sed earum curæ et diligentiæ id commisisse, ac voluisse, ut nonnisi opportuno tempore hujusmodi catalogus conficeretur. Atque hinc patet, injuria de auctoritate alicujus sacri libri dubitari, quia aliquibus sæculis in canone sacrorum Scripturarum non fuit.

(59. Ad Judæorum canonem quod spectat, eruditi omnes fatentur ab Esdra fuisse confectum. Sunt qui cum S. Basilio contendant in Hierosolymitanæ urbis excidio, et templi incendio periisse omnes sacros codices, ab Esdra vero post captivitatem per 40 dies iterum dictatos fuisse quinque viris, afflante Spiritu sancto, omnes sacros libros; sed verisimilior habetur eorum opinio, qui aiunt non periisse omnia sacrorum librorum exemplaria, ac Esdram, cum esset scriba doctus, collatis invicem pluribus exemplaribus, errata correxisse, quæ in sacros codices irrepserant, et postea canonem condidisse, qui magnæ Synagogæ auctoritate probatus fuit. In hujusmodi canone ex libris Veteris Testamenti desiderantur libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, et duo Machabæorum, et in libro Danielis apud Judæos deest hymnus trium puerorum, ac historia Susannæ, Beli, draconisque, et in libro Esther septem postrema capita.

(60. Non desunt, qui alium quoque canonem deinceps a Judæis conditum fuisse autumant. Serarius duos apud Judæos fuisse canones ait, primum ab Esdra, et Synagoga, alterum vero, vel cum Septuaginta Interpretes in Ægyptum missi sunt, ut Græcam versionem perficerent, vel quando quæstio de resurrectione corporum Sadducæos inter atque Pharisæos agitata fuit. Genebrandus vero tres fuisse ab Hebræis confectos canones asserit: primum ab Esdra, approbante Synagoga; alterum a Synagoga, quo tempore missi LXX Interpretes fuerunt, in quo repositi fuerunt libri Tobiæ, Judith, Ecclesiastici et Sapientiæ; tertium denique fervente de resurrectione disputatione, in quem duo Machabæorum libri relati fuerant: sed hæc paucis probantur. Licet enim libri, quos diximus, magno in pretio essent apud Judæos Hellenistas, Græco scilicet sermone utentes, nunquam tamen in canone Judæorum exstitere; ut ex Judæis et antiquis Ecclesiæ Patribus novimus.

(61. Etsi sex supra recensiti libri, ac Estheris capita septem, et nonnulla Danielis capita in Hebræorum canone non fuerint, tamen jure atque merito *Tridentina* synodus illos in canonem retulit. Nam quod in canone Judæorum non fuerint, argumentum non est, non fuisse afflante Spiritu sancto conscriptos; tum quia longo tempore extra canonem fuere plures ex iis, qui in canone Judæorum reperiuntur; ut supra ostendimus: tum etiam, quia nonnulli sacri libri perierunt, ut ostendit Ferraris in superiori articulo. Ergo si aliunde Ecclesiæ constet divinitus hujusmodi libros fuisse conscriptos, jure atque merito in canonem referuntur. Id vero constat, tum ex eo, quod apud Ellenistas Judæos in maxima veneratione essent; tum ex divina, quam complectuntur doctrina; tum denique, quia Ecclesia Christiana per divinam traditionem accepit fuisse libros illos inspirante sancto Spiritu exaratos. Nam semper in maxima veneratione habiti sunt in Ecclesia Christi; quæ dum in canone reposuit omnes Novi Testamenti libros, etiam libros hujusmodi in canone collocavit. Scilicet in canone *Hipponensis* concilii an. 393, celebrati omnes ibi libri recensentur: Hipponensis canon transcriptus fuit in concilio *Carthaginensi* III, an. 397, in quo Patres consulendam censuere transmarinam, hoc est Romanam Ecclesiam, quæ eosdem libros probavit; nam Innocentius primus, in Epistola ad Exuperium Tolosanum episcopum, numerat omnes libros sacros, qui in canone ab Africanis Patribus recepti fuerant; et Africani PP. in altero an. 419 celebrato concilio eumdem canonem comprobant. Si alia cupis antiqua monumenta, quibus divinos esse hujusmodi libros comprobatur, consule eruditam dissertationem editam a P. Joanne Chrysostomo a S. Joseph *de Canone Scripturarum divinarum;* ex quo constat, jure meritoque Eugenium IV, in *Instructione pro Armenis*, et concilium *Florentinum* in decreto edito *pro Jacobitis*, quod includit etiam decreta pro Armenis et Græcis, § *Firmissime* syllabum exhibere sacrorum librorum, quem deinceps probavit *Tridentina* synodus.

(62. Neque alicujus momenti est Novatorum objectio ex eo deprompta, quod hujus-

Digitized by Google

modi libros Judæi non retulerint in canonem : tum quia id Judæorum negligentiæ tribui potest, quorum incuria nonnulli sacri libri perierunt; tum etiam quia rationes non desunt, ob quas extra canonem hujusmodi libri essent. Nam libri Machabæorum et Ecclesiastici scripti fuere post confectum ab Esdra canonem : hujusmodi enim libri regnantibus Græcis conscripti fuere, ideoque clauso jam canone. Quod vero spectat ad libros Tobiæ et Judith, dici potest, vel hos Esdram ignorasse vel in canonem non collecasse, quia non erant scripti Hebraica lingua, qua Deus Judæos allocutus fuerat, sed Chaldaica : idem dicimus de libro Sapientiæ, qui continet sententias Salomonis, Græce tamen scriptas a Philone antiquiore, quem ferunt unum fuisse ex LXX Interpretibus. Et licet Ecclesiasticus, et primus Machabæorum perhibeantur Hebraice scripti, tamen constat originales textus periisse, et Græca tantum exemplaria superesse. *Vide* Nat. Alex., Huet., Dupin., Mazzinel., aliosque.

(63. Circa versiones sacræ Scripturæ, vide citatos auctores; nos enim hic de sola Scriptura in lingua vernacula nonnulla subjiciemus, ac postea regulas subnectemus pro vero dignoscendo Scripturæ sensu. Habes in superiori articulo relatas ab auctore regulas Indicis et damnatas hac de re ab Apostolica Sede propositiones. Ut autem appareat quænam mens sit Apostolicæ Sedis, exhibeo decretum sacræ cong. Ind. 13 Junii 1757, prout legitur in nova editione Indicis librorum prohibitorum pag. 6, in additionem ad Regulam IV : *Quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatæ aut editæ cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis catholicisque viris, conceduntur* (42). Vides ergo qua ratione legi non possit sacra Scriptura in lingua vulgari : atque hinc intellige, quo in sensu damnatæ sint Quesnelli propositiones. In illis enim statuit omnibus necessariam et præceptam esse lectionem sac. Script. et Ecclesiam reprehendit, quæ justis de causis promiscuam lectionem in lingua vulgari interdixit. Addi quoque potest, in Gallia, in Germania (43), in Britannia ac in Polonia pluries prodiisse Bibliam in lingua vernacula, ac toleratam fuisse ab Apostolica Sede promiscuam eorum lectionem, ex quo apparet, Apostolicam Sedem, remotis illis causis, ob quas juste interdixit lectionem sacræ Scripturæ in lingua vulgari, hujusmodi lectionem permittere (44).

(64. Sed venio ad regulas quarum usu investigari, erui et dignosci possit verus sacræ Scripturæ sensus. 1. Ad sacræ Scripturæ lectionem nemo accedat animo curioso, critico aut superbo, sed religioso, submisso ac docili, qui unico veritatis detegendæ ac obtinendæ salutis studio feratur. 2. Intelligentia Scripturæ, quantum fieri potest, ex ipsa sacra Scriptura repetenda est, loca cum locis, Vetus Testamentum cum Novo, et obscura cum manifestis conferendo : ac præterea recurrendum est ad antiquos Ecclesiæ Patres, qui verum divinæ revelationis sensum ab apostolis, aliisque viris divino Spiritu afflatis per traditionem acceperunt. 3. Tradita ab Origene in *Evang. Joannis* per hæc verba : « Qui accurate Scripturam legere voluerit, diligentiam is adhibeat oportet : observare necessarium cum sit, quæ dicuntur, a quibus, quo tempore, ut per totos sanctos libros inveniamus personis apte tributum sermonem. » 4. A litterali Scripturæ sensu non est recedendum nisi ratio et evidens causa moveat; alioquin actum esset de Scripturis, et cuique fas esset a proprio et naturali sensu ad figuratum et allegoricum Scripturam detorquere. 5. « In allegoria, inquit S. Augustinus in *psal.* VIII, hæc regula retinenda est, ut pro sententia præsentis loci consideretur quod per similitudinem dicitur. » 6. Ab eodem S. doctore præscribitur libr. III *De doct. Christ.*, cap. 10 : « Quidquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas. » 7. Interpretandam esse ex communi sanctorum Patrum sensu, ut inquit Tridentina synodus, quæ monet etiam, « reprimendam illorum temeritatem esse, qua ad profana quoque convertuntur et torquentur verba et sententiæ sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, vana, fabulosa, adulationes, detractiones, divinationes, sortes, libellos etiam famosos. » Ex sensu accommodatitio firmum desumi non potest argumentum ad probanda dogmata fidei et morum, quia talis sensus non est Spiritus sancti, sed hominis, nec Scripturæ verbis immediate vel mediate exprimitur : at ex consensu litterali et mystico desumi optime potest; cum hoc tamen discrimine, quod ex sensu litterali semper et in quolibet casu firmum argumentum sumitur, ex mystico vero sensu tunc tantum, cum talis sensus asseritur ab aliquo sacro scriptore, et ab idoneo interprete sacrarum Scripturarum; interpres vero ac legitimus Scripturarum judex Ecclesia est, cui concredita sunt eloquia Dei; suprema vero potestas cum inerrantiæ privilegio est in Romano Pontifice Petri successore, qui ut Christi vicarius sustentat et ita regit Ecclesiam, ut nunquam portæ inferi adversus ipsam prævalere possint. Omisimus uberiorem disputationem de versionibus sacrarum Scripturarum, quia de his satis a Lucio dictum est. Quod vero spectat ad Ec-

(42) Atque ad hanc regulam exacta est, quam illustriss. archiepiscopus Florentinus, Martinius edidit, italica Bibliorum versio, Romæ quoque recusa.

(43) In Hungaria quoque.

(44) Verum quis legitimus fuerit Clementis XI, Quesnellianas illas propositiones damnantis sensus, ex constitutionis *Unigenitus* interpretibus ac vindicibus discere quisque poterit, præsertim ex P. Germonio, cujus Gallicos de ea constitutione commentarios celeberrimus cardinalis de Bissy coopta-vit, et ex P. La Fontaine in sua *Constitutione* Unigenitus *theologice propugnata*.

Digitized by Google

clesiæ auctoritatem, cujus judicio interpretari Scriptura et Scripturæ canon confici debet, *vide* quæ diximus in artic. *De Ecclesia, de Rom. Pontif. et relig. nat. et revel.*

ADDITIONES CASINENSES.

(65. Sacra Scriptura est verbum Dei scriptum, ipso inspirante singulas ejus partes, saltem quoad sensum : est dogma fidei. Dicimus autem *saltem quoad sensum*, quod sufficit, ut Scriptura divinitus *dictata* et *inspirata* dicatur in singulis ejus membris; sicut si quis Epistolam Amanuensi dictet quoad sensum, utique Epistolæ auctor est, licet scribenti permittat verborum delectum.

(66. Jam vero inter Catholicos nonnulli docent, non solum sententias, verum etiam verba *divinitus* fuisse inspirata : ita tenent Estius, academia Lovaniensis et Duacensis, aliique graves theologi. Alii post Bellarminum censent, exceptis mysteriis fidei, quæ rationem humanam superant, et in quibus verborum mutatio errori obnoxia esset, in reliquis sensum tantummodo divinitus esse inspiratum; verba vero delectui sacri scriptoris fuisse permissa.

(67. Porro necesse nobis non est ad inspirationem vindicandam, illorum opinioni subscribere, qui eam extendunt ad singula omnino verba : haud leves enim considerationes nos impediunt quominus in istorum sententiam eamus. Et primo, styli varietas, quæ in diversis scriptoribus hagiographis pro diverso uniuscujusque cultu, ingenio atque indole elucet : incongruum quippe videtur affirmare Deum accommodasse verba vario singulorum scriptorum ingenio.

(68. Amplius major minorque difficultas, quam in opere suo concinnando expertos se esse hagiographi scriptores ipsi professi sunt, ut ex *Machab.* lib. II, cap. II, v. 27, 30, 31, ibi : *Et nobis quidem ipsi, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus... Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes : ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes. Sicut enim novæ domus architecto de universa structura curandum est... ita æstimandum est et in nobis. Etenim intellectum colligere et ordinare sermonem, et curiosius partes singulas quasque disquirere, historiæ congruit auctori. Brevitatem vero dictionis sectari et exsecutiones rerum vitare, brevianti concedendum est.* Ex quibus verbis intelligimus, non solum vocabula, verum etiam hagiographis scriptoribus a Spiritu sancto relictum esse negotium conquirendi, quæ ad susceptum inspiratumque a Deo institutum pertineret, quoties aggressi sunt mandare litteris historias, morales sententias, etc.

(69. Gravis item est inter theologos quæstio, utrum ex libris sacris aliqui, et quidem non apocryphi, sed vere divini, hominum incuria vel injuria hostium religionis perierint. Bellarminus quidem, Serarius, Estius, aliique post Chrysostomum id affirmant, eo quod in Scriptura nonnulli laudantur libri, quos verisimile est fuisse sacros ac divinos, ut *Liber bellorum Domini*, Numer. cap. XXI, v. 14, aliique, quos recenset Lucius noster hic supra n. 15.

(70. At animadvertas licet, quod cum sacri scriptores aliquando laudent etiam sententias ex libris qui certissime sacri non sunt, ut *Actor.* XVII, v. 28, ex Arato, et ad *Titum* I, v. 12, ex Epimenide, non est adeo evidens, libros alios, qui in Scripturis laudantur, fuisse divinos. Huic accedit, quod divus Augustinus, lib. XVIII *De civit. Dei*, cap. 38, libros ut supra, nec sacros, nec canonicos fuisse dicit; additque tales libros pertinuisse *ad ubertatem cognitionis, non ad religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur canon.*

(71. Cæterum si providentia Dei libros illos dictavit, ac postmodum intercidere permisit, putandum est eos non ad perpetuum, sed temporaneum Ecclesiæ usum fuisse divinitus inspiratos.

(72. Etiam ex libris Novi Testamenti periisse putant aliam Pauli Epistolam ad Corinthios, cujus videtur meminisse *I Cor.* cap. V, v. 9, his verbis : *Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis ;* sed posset reponderi, *Epistolam* illam non esse aliam prius missam, sed illam ipsam, in qua Paulus antea Corinthios reprehenderat, quod incestuosum ab Ecclesia non ejecerant. Quapropter in ambiguo res esse videtur.

(73. Hic etiam nota, minus recte Lucium nostrum ex verbis Pauli in Epistola ad *Colossenses* cap. IV, v. 16, ibi : *Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut et in Laodicensium Ecclesia legatur; et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis :* minus recte, inquam, ex his verbis deducere voluisse, quod Apostolus et Epistolam pro Laodicensibus exaraverit, quæ postea perierit. Siquidem non vult ibi Paulus innuere, quod ipse scripserit ad Laodicenses, sed quod hi Epistolam ad Paulum miserint; ait enim textus, *ut eam, quæ Laodicensium est, vos legatis;* sensus est, ut vos legatis Epistolam a Laodicensibus conscriptam. Unde Theodoretus: « Quidam, inquit, existimarunt Paulum etiam scripsisse ad Laodicenses. Itaque fictam etiam Epistolam proferunt. Divinus autem Apostolus non dixit eam quæ est ad Laodicenses, sed *eam, quæ est ex Laodicea.* Illi enim de aliquibus rebus ad eum scripserant. Verisimile est autem, eos vel ea accusasse, quæ Colossis facta fuerant, vel eodem cum his morbo laborasse. Et ideo dixit, hanc quoque Epistolam esse legendam, » in Epist. ad *Coloss.* ad cap. IV. Idem notat Chrysost., ad cit. Epist.

(74. Amplius addimus, Epistolam ad Laodicenses S. Paulo ascriptam, supposititiam esse et apocryphàm. « Hæc censura nititur 1° Ecclesiæ auctoritate, quæ quatuordecim duntaxat Epistolas Pauli admittit; 2° auctoritate SS. Patrum, qui nunquam ejusmodi Epistolam citarunt. (Unde) Hieronymus, in *Catalog. script. ecclesiast.*, recensitis Pauli Epistolis, subjungit : *Legunt quidam, et ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur.* » Natal. Alexand., *Hist. Eccles.*, sæc. I, cap. 12, § 6, art. 6.

Digitized by Google

(75. Verum quidem est, divum Thomam, lect. 1, in cap. IV Epist. ad *Coloss.* asserere S. Paulum « scripsisse alias Epistolas, nempe illam, de qua fit mentio hic, scilicet Laodicensium, et unam aliam ad Corinthios, præter primam et secundam... Sed ratio est duplex, quare non sunt in canone; quia non constabat de earum auctoritate, quia forte erant depravatæ, et perierant in Ecclesiis, vel quia non continebant aliud quam ista. »

(76. Sed salva erga tantum virum reverentia, verba ipsa memoratæ epistolæ ad Coloss. perspicua sane sunt, quam ut eam significationem patiantur, prout D. Thomæ visum est. Unde nequaquam putamus recedere a sententia Theodoreti et Chrysost. qui quidem cum octo et amplius sæculis ante laudat. D. Thom. vixerint, hujusmodi rem melius fortasse disquirere potis erant. His adde, quod synodus *Laodicena* an. 357, vel 364, sive 367, habita, canon. 60, seu postremo, catalogum sacrorum librorum recensens, 14 tantum Pauli Epistolas numerat, nusquam hanc, de qua sermo est, commemorans, cujus certe meminisset, si revera Paulus ad Laodicenses Epistolam scripsisset. Profecto nulli veterum hujusmodi epistola cognita fuit, ut ait Calmetus, *Comment. in Paul.* Epist. ad *Coloss.* cap. IV, n. 16; qui ibidem subdit: « Nobis maxime omnium probatur cum plerisque veteribus recentioribusque, ex Græci textus sententia, ab Apostolo hic innui Epistolam ad se a Laodicensibus datam, quam jubeat Colossensibus legi, tanquam iis optime instituendis opportunam; hæc porro intercidit. »

« Sensit Angelicus doctor datam esse a S. Paulo ad Laodicenses Epistolam; at unde istud habuerit ignoro. Doceat me, qui noverit, amabo... Nobis satis sit, quod Epistola ad Laodicenses apocrypha sit ac supposititia, prout circumfertur, vel prout exstabat antiquitus. » Ita Natal. Alex., *loc. cit.*

Quantum ad id quod subjungit D. Thomas de Epistola alia ad Corinth., *vide* animadversionem nostram hic *supra* n. 72.

(77. Quæres an in Hierosolymitanæ urbis excidio et deportatione Babylonica, libri sacri perierint, eosque ex integro reparaverit vel dictaverit Esdras?

Præmitto quod auctor quarti libri Esdræ fons est et unicum momentum opinionis de sacrorum librorum interitu, eorumque, Esdra auctore, reparatione. Narrat ille lib. IV, cap. XIV, 19, se, cum forte coram Domino esset, vocem invitantis audisse, qua docere fratres suos jubebatur. Respondit ille: *Ecce ego abibo, sicut præcepisti mihi, et corripiam præsentem populum. Qui autem interim nati fuerint, quis commonebit? Positum est ergo sæculum in tenebris, et qui inhabitant in eo, sine lumine: quoniam lex tua incensa est, propter quod nemo scit quæ a te facta sunt, vel quæ incipient opera. Si enim inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum sanctum, et scribam omne quod factum est in sæculo ab initio quæ erant in lege tua scripta, ut possint homines invenire semitam, et qui voluerint vivere in novissimis, vivant. Et respondit ad me, et dixit: Vadens congrega populum, et dices ad eos, ut non quærant te diebus quadraginta. Tu autem præpara tibi buxos multos, et accipe tecum Sarean, Dabriam, Salemiam, Echanum et Asiel, quinque hos, qui parati sunt ad scribendum velociter. Et venias huc, et ego accendam in corde tuo lucernam intellectus, quæ non exstinguetur quoadusque finiantur quæ incipies scribere. Et tunc perfectis quædam palam facies, quædam sapientibus absconsa trades: in crastinum enim hac hora incipies scribere.*

(78. In frequenti ergo populi concione Esdras populo omnia exposuit imperavitque, ne toto XL dierum spatio quispiam ad se accedere auderet. Vocatis deinde viris in eam rem designatis, mane alterius diei vocem audivit imperantis, ut, aperto ore, oblatum poculum hauriret. Ille ore statim diducto, aqueum liquorem colore igneo bibit; quo hausto, nimio veluti intelligentiæ æstu illius pectus exundabat, sapientia mens redundabat, spiritum nunquam memoria destituit, apertumque loquendo os nunquam quievit. Eodem intelligentiæ Spiritu quinque illi viri ab Altissimo donati fuere, qui dictantis verba ita excipiebant, ut ne obscuris quidem rebus scripto referendis deessent. Cibum ad noctem differebant, cum interim Esdras diu noctuque loqui nunquam desineret. Ita spatio XL dierum res fuit absoluta, *ibid.*

(79. Ex hujusmodi narratione utique cognoscas licet, derivatam esse opinionem de sacrorum librorum interitu; in quam Clemens Alexandrinus, *Stromat.* I; Basilius, Leontius, S. Isidorus, aliique etiam recentiores concesserunt.

(80. At scias oportet, quod Græcorum et Latinorum omnium suffragio liber *IV Esdræ* e canone excluditur (45). Rejicit auctor Synopsis, rejiciunt Patres et concilia, in quorum catalogo non nisi duo libri Esdræ commemorantur. Tandem Hieronymus stylo censorio duos postremos Esdræ configit in Epist. *ad Domnion. et Rogat.*, per hæc verba: « nec apocryphorum tertii et quarti Esdræ somniis delectetur. » Item, in opere *adversus Vigilantium*: « Tu vigilans, ait, dormis, et dormiens scribis, et proponis librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ, a te et a tuis similibus legitur. »

(81. Jam vero libros sacros nusquam periisse, nec illos Esdram ex integro reparasse vel dictasse, luculentissimis argumentis demonstrare aggredimur.

(82. Ac primum libri sacri tempore Babylonicæ captivitatis superstites erant; quippe de quibus apertam mentionem faciunt tres illius temporis illustres Daniel, Ezechiel, Baruch. Et quidem *Danielis* cap. IX, v. 11 et 13, hæc habentur: *Et omnis Israel præ-*

(45) Nec solum quartum, sed et tertium sub nomine Esdræ librum Ecclesiæ Latinæ auctoritas rejicit, apocryphum pronuntians. Calmetus, Diss. in *III lib. Esdræ.*

Digitized by Google

varicati sunt legem tuam. . . et stillavit super nos maledictio quæ scripta est et in libro Moysis servi Dei. . . . sicut scriptum est in lege Moysis, omne malum hoc venit super nos. Pariter Baruch cap. II, v. 2, inquit : *Mala magna. . . . facta sunt in Jerusalem, secundum quæ scripta sunt in lege Moysi.* Mosaica ergo lege Judæi exsules et captivi non caruerunt.

(83. Amplius idem Daniel, *ibid.*, vers. 2, ait : *Intellexi in libris numerum annorum de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni.* Superstes igitur erat liber Jeremiæ.

Insuper ejusdem *Danielis*, cap. XIII, v. 3 et 62, legimus, Susannam legum Mosaicarum præcepta edoctam fuisse, latamque in ejus accusatores ex præscripto ejusdem legis sententiam ; quippe qui ex Moysis sanctione pœna talionis damnati sunt, ibi : *Parentes illius cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. . . . Et fecerunt secundum legem Moysi, et interfecerunt eos* (presbyteros). Quæ omnia satis confirmant, tempore Babylonicæ captivitatis libros sacros haud intercidisse.

(84. « Præterea credibile non est (inquit Natalis Alex., in *Hist. Veter. Test. in 6 mund. ætat.*, diss. 4, art. 1), Jeremiam prophetam, cui summa libertas concessa fuit a Nabuzardan magistro militiæ regis Babylonis, et qui tabernaculum, et altare incensi abscondit, opportunitatem non habuisse vel unum sacrorum librorum codicem ab incendio vindicandi, vel id data opportunitate neglexisse. »

Amplius inter ea, quæ a Chaldæis concremata et dissipata sunt, vel ab iis Babylonem asportata, quorum accurata fit enumeratio *IV Regum* cap. XXV, et *Jeremiæ* LII, altum est de sacris codicibus silentium(46).

(85. Item Josephus, lib. XI *Antiq. Judaic.*, cap. 1, refert ostensum esse Cyro Persarum regi Isaiæ vaticinium (cap. XLV, v. 1), quo ipsius nomen indicabatur, eique amplissimum portendebatur imperium, quod Cyrum permovit, ut Hebræos libertate donaret, templique Hierosolymitani reparandi facultatem concederet. Igitur vindicatum fuerat ab incendio Isaiæ vaticinium ; idemque de omnibus sacræ Scripturæ libris pronuntiare peræquum est.

(86. « Tandem (ut Natal. Alex., *l. c.*, concludit) nullus Hebræorum admirabilis hujus restitutionis sacrorum librorum per Esdram factæ meminit. »

(87. Ut vero quædam attingamus de sacræ Scripturæ versionibus ; sane, quantum attinet ad versionem sacræ Scripturæ Septuaginta Interpretum, scias licet, quod « hanc plerique veteris Ecclesiæ Patres plurimum observarunt, tanquam canonicam, et divino Spiritu afflatam suscipientes. . . . . Hæc illi quidem autumarunt, ea opinione ducti, quod singulorum interpretum exemplaria seorsim adornata miro tamen consensu inter se convenisse crediderint. Verum cum ejus historiæ fides prorsus nutet, nihil ex illa certi ratique deduci potuisse constat. Hinc *nihil de inspiratione illorum interpretum Ecclesiæ sententia pronuntiatum* est : et S. Hieronymus acriter in primum fabellæ LXXII cellurarum fabricatorem invehitur, contendens simul, viros illos omnia, quæ meditati fuerant, simul contulisse : uno verbo illos fuisse interpretes, non prophetas : *in basilica congregatos, contulisse non prophetasse ; aliud est enim esse vatem, aliud interpretem. Præfat. in Pentateuch. ad Desid.* Ostendit insuper, plura irrepsisse in eorum versionem menda. » (*Vide infra*). Sic Calmetus, *Dictionar. Bibl.*, v. *Septuaginta Interpretes.*

(88. Quæres an versio LXX Interpretum fuerit olim, et sit modo authentica ?

Ita equidem affirmandum : quippe apostoli, Patres et universa Ecclesia Græca per quinque priora sæcula ea versione usa est, tum in fidelibus edocendis, tum in revincendis hæreticis, vel in privatis scriptis, vel in conciliis. Hinc Augustinus : « Septuaginta, inquit, Interpretum, quod ad Vetus Testamentum attinet, excellit auctoritas »

(89. Præterea fieri non potuit, ut versio illa, quæ per quinque sæcula in universa Ecclesia obtinuit, et cujus tot millia exstabant exemplaria, in rebus gravibus ita corrumperetur, ut nemo errorem agnosceret et corrigeret. Amplius Ecclesia Græca, non solum schismatica, verum etiam catholica eadem versione hodie utitur ; nec unquam Latini Græcis objecerunt quod authenticas Scripturas non haberent. Deinde Sixtus V, versionem *Septuagintaviralem* Romæ editam an. 1582, ex vetusto codice Bibliothecæ Vaticanæ, auctoritate sua probavit, vetuitque ne quis in posterum auderet eam immutare. En verba diplomatis prælaud. Pontificis dictæ versioni præfixi : « Volumus et sancimus ad Dei gloriam et Ecclesiæ utilitatem, ut Vetus Testamentum juxta LXX recognitum et expositum, ab omnibus recipiatur ac teneatur, non autem *quomodocunque*, sed ut *authentica* versio. . . . prohibentes, ne quis de hac nova Græca editione audeat in posterum, vel addendo, vel demendo, quidquam immutare (47). »

(46) Josephus Flavius, in libr. I, num. 8, *contra Appionem* de libris sacris loquens, hæc habet : « Quanta porro veneratione libros nostros prosequamur, reipsa apparet. Cum enim tot jam sæcula effluxerint, nemo adhuc nec adjungere quidquam illis, nec demere, nec mutare aliquid est ausus. Sed omnibus Judæis statim ab ipso nascendi exordio, hoc insitum atque innatum est, Dei ut hæc esse præcepta credamus, iisdemque constanter adhæreamus, et eorum causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus. » Ex hoc Josephi testimonio judicet lector, an evenire potuerit, ut Hebræi in Hierosolymitano excidio et deportatione omnes omnino sacros codices interire passi fuerint.

(47) Hieronymus quidem sæpe carpit LXX Interpretes. Docet enim eos 1. quædam testimonia omisisse, ut illa, *ex Ægypto vocavi filium meum : quoniam Nazaræus vocabitur : Videbunt in quem transfixerunt*, etc. 2. Quædam aliter transtulisse, sicut ea, quæ favent mysterio SS. Trinitatis, ut arcanum

Digitized by Google

(90. Quæres an Septuaginta Interpretes omnes libros sacræ Scripturæ Hebraice conscriptos, vel solum Pentateuchum Moysis in Græcam linguam transtulerint?

R. Veterum Patrum testimonia probant LXX Interpretes, omnes sacros libros Hebraice conscriptos, non autem solum Pentateuchum vertisse. Ita S. Justinus, in *Cohortatione ad Græcos*, et *Apologia* 2; S. Irenæus, lib. III *Adversus hæreses*, c. 25; Tertullianus, *Apologet.*, cap. 18; Clemens Alexandr., *Stromat.* lib. I; Eusebius Cæsariensis, *Præparat. evangel.*, lib. VIII, cap. 1; S. August., lib. II *De doctrina Christ.*, cap. 14.

(91. Contra, Josephus Flavius, in proœmio *Antiquit. Judaic.*, et lib. XII, eod. cap. 2, nec non lib. II *contra Appionem*, legem solam a Septuaginta Interpretibus translatam asserit. Cujus testimonium Hieronymus affert per hæc verba: « Accedit ad hoc quoque, quod Josephus, qui Septuaginta Interpretum proponit historiam, quinque tantum ab eis libros Moysis translatos refert, quos nos confitemur plus quam cæteros cum Hebræis consonare. » In proœm. *Quæst. Hebraic. in Genes.*

(92. At noscas oportet, eumdem Hieronymum, non pro solo Pentateucho, sed et pro aliis sacræ Scripturæ libris versionem LXX sæpius memorare. Sic de Psalterio ait: « Psalterium, juxta LXX Interpretes, magna ex parte correxeram. » In præfat. in *Psalter.*, et in præfat. *lib. Salomonis*: « Si cui sane, inquit, LXX Interpretum magis editio placet, habet eam a nobis olim emendatam. » Pari modo, in præfat. in *Isaiam*, de hujusmodi versione loquitur, et lib. II *Adversus Rufinum* de XII prophetis minoribus verba faciens, addit: « Commentarii in XII prophetas meam, et Septuaginta editionem edisserunt. »

(93. Denique « Hebræi plerique omnes, præter Josephum, censent, Septuaginta Interpretes totam Scripturam vertisse, gentisque suæ sapientes legis nomine Vetus omne Testamentum intellexisse. » Verba sunt Natal. Alexand., *Histor. eccles. Veteris Testam.* in VI *mund. ætat.*, dissert. 8, proposit. 3 (48). »

(94. Versiones autem Latinas quod spectat, cognoscas oportet, ante tempora divi Hieron. varias hujus generis exstitisse; una tamen erat communior, quæ tum *vetus*, tum *vulgata*, et Itala dicebatur: « In ipsis interpretationibus, Itala cæteris præferatur, nam est ad verbum tenacior cum perspicuitate sententiæ. » Verba sunt Augustini, lib. I *De doctr. Christ.*, cap. 15.

(95. At postquam D. Hieronymus suam ex Hebræo Latinam versionem absolvit, vetus illa aliquandiu quidem retenta est cum hac nova, sic tamen ut nova pluris fieret, tandemque sola retineretur, velut Hebræo fonti purius respondens, ut D. Gregorius testatur in Epist. *ad Leandrum*; atque hæc, quæ tempore D. Gregorii dicebatur *nova* editio, tot sæculorum exinde usu facta est vetus, et *Vulgata*, quæ nunc in omnium manibus versatur, de qua B. Isidorus ait: « Sancti Hieron. editione omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur, » lib. I in *Etymolog.*, cap. 5.

(96. Unde nostræ Vulgatæ auctor est D. Hieronymus, hoc sensu, quod *fere totum* Vetus Testamentum ex Hebr. immediate transtulit in Latinum (49): et Novum ad Græcum exemplar emendavit, ut ipse testatur, epist. 118, in hæc verba: « Novum Testamentum Græcæ fidei reddidi, Vetus juxta Hebraicum transtuli. »

(97. Diximus *fere totum*, quia libros Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, Baruch cum adjuncta Jeremiæ Epistola nullatenus transtulit. Item Psalterium, quod exstat in nostra Vulgata, non est illud, quod idem Hieron. vertit ex Hebræo, nec illud, quod vertit ex Græco in Latinum, cum illæ versiones, quæ exstant inter ejusdem opera multum differant a Psalterio nostræ Vulgatæ; sed est Psalterium antiquæ versionis Italæ, quod ipse Hier. ad Hebraicos et Græcos fontes emendavit semel, et iterum, ut patet ex præfat. *Psalter. ad Paulam et Eustoch.*

(98. Si vero quæras quare Ecclesia Vulgatam veterem Psalterii translationem retinuerit; hæc profecto fuisse videtur, quia omnes Ecclesiæ Latinæ jam assueverant quotidie canere Psalmos juxta veterem Latinam versionem, et plerique ex memoria psalmos recitabant, adeoque arduum fuisset novam translationem inducere: cum *difficile sane senis sit linguam mutare, et canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum*, ait idem Hieron., præfat in *Daniel.*

(99. Novum vero Testamentum nusquam ipse Hier. vertit, sed antiquam *Italam* versionem a mendis, quæ vel per imprudentiam, vel per librariorum incuriam irrepserant, emendavit.

(100. Quæres an D. Hier. illam versionem singulari Spiritus sancti afflatu condiderit?

fidei non vulgarent, 3. Nonnulla addidisse. 4. In *aliis extenuasse sensum et subvertisse fortissima testimonia contra Judæos.* Sed utut id in rebus levioribus concedamus, nequaquam vero in rebus gravioribus fidei et morum idem dici potest. Quæ enim a Septuaginta Interpretibus mutata aut addita, aut omissa notat Hieron. non ita sane corrupta esse ait, ut aliquid contineant fidei et bonis moribus contrarium, licet utilius putet, ea corrigi juxta Hebraicos fontes.

(48) Ne quid vero de hac re lectorem lateat, lubet afferre, quæ habet eruditiss. Calmet in hæc verba: « Vetus illa versio, quæ hodie sub nomine LXX circumfertur... vetustissimum plane opus esse nemo diffitetur, facile sub Philadelpho, saltem quoad Pentateuchum, adornatum... Cæterorum librorum præter Pentateuchum versio alios præseferre videtur interpretes, non minus ignotos, et variæ inter se ætatis. Neque enim unius esse auctoris omnes videntur; uti ex styli varietate, sicuti ex varia ratione unam eamdemque vocem reddendi intelligimus. » *Dictionar. Bibl.*, v. *Septuaginta Interpretes.*

(49) Libros Judith et Tobiæ ex origin. Chaldaico vertit.

Digitized by Google

Ita quidam volunt: adeo ut nec decipi potuerit, nec errorem aliquem, vel levissimum vertendo commiserit. « At huic assertioni repugnat ipse Hier. qui in *Isaiæ* cap. IV : *Melius reor*, inquit, *proprium errorem reprehendere quam, dum erubesco imperitiam confiteri, in errore persistere, in eo, quod transtuli.* Certe cum Vulgata editio non sit unius auctoris, sed quædam habeat ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, dici non potest, ejus auctores errare non potuisse, nisi quis dicat, Theodotionem hæreticum hominem in sua versione adornanda fuisse a Spiritu sancto afflatum, non secus ac scriptores canonicos. Nec sane ita libere Hieronymi inceptum in vertendo improbassent sanctus Augustinus, aliique celebres episcopi, si ipsum a Spiritu sancto singulari modo in illa versione adjutum existimassent... Certum itaque est, sanctum Hieronymum mediis ordinariis instructum, eruditione et industria humana hoc opus confecisse, et ut alios interpretes, errori obnoxium fuisse. » Ita Natalis Alexander, *Hist. Eccles.*, sæc. 4, dissertat. 39, art. 3.

(101. Audiatur etiam Bellarminus, qui hæc habet : « Vulgata editio non est unius auctoris, sed quædam habet ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam interprete innominato. Stultum autem videtur dicere, Theodotionem hæreticum non potuisse errare, et etiam Hieronymum nusquam errasse, cum ipse in cap. XIX *Isaiæ*, dicat se errasse, et Ecclesia correctionem ejus receperit. Non igitur auctores illos canonizavit Ecclesia, sed tantum hanc versionem approbavit: nec ita tamen approbavit, ut asseruerit, nullos in ea librariorum errores reperiri; sed certos nos reddere voluit, in iis præsertim quæ ad fidem et mores pertinent, nulla esse hac in versione Interpretum errata. »

(102. Quæres an Vulgata Latina versio sit authentica.

Ita quidem : quippe universa Occidentalis Ecclesia hac versione per tot sæcula usa fuit. Quod si pro non authentica haberetur, jam Ecclesia catholica per tot sæcula veris caruisset Scripturis, et in rebus fidei et morum, errorem pro veritate suscepisset : quo quid absurdius fingi potest?

Demum id declaravit concilium *Tridentinum* celebri decreto in sess. IV, sic ut prædicta Vulgata nihil habeat fidei moribusque adversum, et in rebus præcipuis a primario Scripturæ sensu nequaquam discrepet. Ita sensum *Tridentini* explicant Vega, lib. XV, *in Trid.*, cap. 9; Canus, *De loc. theol.*, l. II, cap. 13; Salmeron, qui eid. concilio interfuerunt ; sic quoque Bellarminus aliique communiter.

(103. Confirmatur ex eo, quod per dua et amplius sæcula novatores contra eam versionem disputantes, nullum adhuc invenire potuerint nævum, quo in rebus gravioribus ab originali textu discordet; imo ipsi Protestantes in hac parte cæteris æquiores, Vulgatæ excellentiam fateri coacti sint, nempe Casaubonus, Ludovicus de Dieu, Fagius, Beza, Grotius, linguarum Orientalium periti. Audiamus Grotium in hæc verba : « Vulgatum interpretem semper plurimi feci, non modo, quod *nulla dogmata insalubria* continet; sed etiam, quod multum habet in se eruditionis..... Tutissima omnium iis, qui nec Hebraice, nec Græce didicere, est Vulgata versio, quæ nullum habet malum dogma, sicut tot sæculorum et gentium consensus judicavit. » Præfat. in *Adnotat. Vet. Testam.*

(104. Cæterum cum *Trid.* Patres Vulgatam authenticam declararunt, non id significare voluerunt, ac si textui originali esset præferenda, aut quod Hebraicos Græcosque fontes attingere nefas esset. Et revera catholici interpretes, Ecclesia probante et laudante, sæpe ad Hebraicos Græcosque fontes confugiunt in sacris Scripturis interpretandis. Audiamus Bellarminum : « Mendacium, inquit (Calvini), est, decrevisse Tridentinos Patres, minime esse audiendos eos, qui ex fonte ipso purum liquorem proferunt, et ex certa veritate falsum coarguunt. Hoc ideo mendacium voco, quod nihil ejusmodi in decreto Concilii legatur. Nec enim Patres ullam fontium mentionem fecerunt; sed solum ex tot Latinis versionibus, quæ circumferuntur, unam delegerunt, quam cæteris anteponerent; et quod Ecclesiæ gravitatem et constantiam decebat, antiquam novis, probatam longo usu, recentibus adhuc, ac, ut sic loquar, crudis, denique unam multis inter se dissidentibus et pugnantibus prætulerunt. » *De verb. Dei*, lib. II, cap. 10.

Audiatur item cardin. Pallavicino, *Istor. del concil. di Trento*, lib. VI, cap. 17, n. 6, qui ita loquitur : « Si nega forse, che nell' interpretazione Volgata non sieno molti passi equivoci, e molti oscuri, i quali ricevan luce dalle Bibbie dei primitivi idiomi? Non si vagliono tutto il giorno di questo ajuto i comentatori Cattolici? Nel fecero essi, eziandio immediate dopo il decreto del concilio, anzi mentre il concilio durava, il che dimostra, che non fu contrario a ciò il sentimento dei Padri Tridentini? Altro è dire, che una traslazione sia autentica, cioè nè studiosamente falsata in veruna parte, quantunque accidentale, e minuta, nè mai pur inavvertentemente difforme dall'originale nella sostanza : altro è dire, che contenga tutta la chiarezza, tutta la forza, tutte le allusioni dell' originale. Il primo si è diffinito in Trento della esposizione Volgata, il secondo è affatto impossibile di qualunque esposizione, avendo ciascuna lingua le sue perfezioni proprie, ed i suoi proprii mancamenti, onde a molte espressioni dell' una è inabile di corrispondere l' altra. »

Denique præstat hic, nonnulla exscribere ex duabus Acroas. Clariss. viri Valsechii, nempe quoad auctoritatem historiæ Mosaicæ, atque evangelici codicis veritatem ac divinitatem.

Digitized by Google

ACROASIS

In qua Mosaicæ Geneseos auctoritas vindicatur.

« . . . . . Ea artis criticæ doctoribus explorata lex est : in res a nobis remotissimas inquirenti scriptores illos cæteris præponendos, qui et propinquiores eventis fuere, et ea scire præ reliquis potuerunt, et internis externisque omnibus veritatis characteribus insigniti sunt. Atqui porro hæc omnia Mosi congruunt ; reliquis (quæ venditantur) monumentis desunt : præ cæteris igitur, vel juxta criticæ leges, audiendus Moses ; monumenta reliqua illi adversa flocci facienda.

« Mosen in primis scriptorum omnium vetustissimum esse, res apud eruditos sine controversia est. Hoc olim luculenter a Justino martyre, in *Paræsi ad Græcos*, num. 9, demonstratum est præclara sane ratione, quam his verbis innuit : « Non ex divinis tantum historiis nostris hæc probare aggredior, quibus vos nondum..... fidem adhibere vultis ; sed ex vestrarum etiam, nihil ad religionem nostram pertinentium, litterarum monumentis : ut intelligatis, omnibus vestris, sive sapientibus, sive poetis, sive historicis, sive philosophis, sive legislatoribus, multo antiquiorem fuisse primum religionis nostræ doctorem Mosen ; sicut nobis Græcæ declarant historiæ. Nam circa Ogygis et Inachi tempora, quos etiam nonnulli vestrorum fuisse terrigenas putavere, Mosis illæ meminerunt, tanquam ducis et principis Judaicæ gentis. » Et in rem hanc testimonia Justinus promit Polemonis, Ptolomæi Mendesii, Hellanici, Philochori, Castoris et Thalli, et Polyhistoris, sed præsertim Diodori Siculi, qui omnes de Mosis antiquitate fidem fecerunt. Eamdem iniere viam alii, qui religionis nostræ causam oravere, Tertullianus in *Apologetico*, Tatianus in *Oratione adversus Gentes*, Clemens Alexandrinus lib. I *Stromatum*, Julius Africanus : et qui cæteros ob rerum copiam et ἀκρίβειαν superavit, Eusebius lib. X *Præparationis evangelicæ* : cui adjungendus est Augustinus, lib. XVIII *De civitate Dei*.

« Mosis ergo antiquitas in tuto est ; quodque consequens inde fit, ipse his, quæ enarrat, eventis, scriptoribus monumentisque cunctis propinquior fuit. Quod ubi semel des, et effatum alterum supra positum sponte fluit : scilicet eventa illa, rerumque origines potuisse Mosen præ cæteris resciscere, ac litteris certo mandare. Enimvero, ut a doctissimis theologis jampridem animadversum est, vel sola accepta a Patribus orali, ut aiunt, traditione, Moses ea omnia, quæ de universali diluvio, quæ de patriarcharum ætate gestisque narravit, didicisse potuit, et quidem brevi testium sibi invicem succedentium catena interposita. Speciem rei habetote. Noe filios nepotesque Adami superstites viderat : ipse vero ad ortum circiter Abrahami vitam produxit. Abraham porro cum Sem filio Noe nondum vita functo consuetudinem habere potuit. Inter Abraham et Mosen tres tantum fuere viri, Isaacus videlicet, Jacobus, Levi. Moses ergo servatas in familiis Judaicis rerum gestarum memorias, patrum genealogias, eventorum monumenta, et videre, et audire, et rescire plane potuit ; eaque postea Spiritus sancti afflatu litteris consignare.

« At vero quemadmodum, inquam ego (quod summopere animadvertendum est), ea Mosi perspecta, ita hercle perspecta esse poterant, erantque reapse saltem primoribus Judæorum, quibus Moses historiam enarrabat suam : hi ergo et testes et judices traditionum erant. Nonnisi igitur explorata ac certissima referre poterat Hebræus scriptor. Qui enim eventa illa maxima atque ingentia, orbis videlicet creationem ; primi parentis felicitatem et lapsum ; cataclysmum quo mundus est obrutus universus ; dispersionem gentium ad turrim Babel ; vocationem Abrahami ; reparatoris e cœlo factam electæ soboli promissionem : qui hæc, inquam, a Mose conficta cum Physiotheis dicas, aut somnies ; quin potius, juxta omnes sanæ mentis criticæque leges, certissima censeas, vigentibus adhuc per id temporis eorum, quæ scribit ipse, et testibus, et monumentis, quibus detecta fuisset, si qua fuisset fraus ; essentque inaudita conficta-que monstra prorsus exsibilata ? »

ACROASIS ALTERA

De codicis evangelici veritate, et divinitate adversus Freretum.

« . . . . . .

« Apostoli post Servatoris in cœlum conscensionem per orbem fusi, gentesque ab idolorum cultu ad religionem veri Numinis traducentes, fundavere Ecclesiam *enuntiatione Evangelii* : quod quidem implorata fide veterum oraculorum, admoto miraculorum splendore, ac demum cruore fuso confirmaverunt. Antequam tamen sacri illi præcones ad superos evolarent, enuntiatam Evangelii fidem litteris consignarunt (Hebraice quidem Matthæus scripsit, Marcus et Lucas Græce, Græce tandem Joannes), descriptasque ab se tabulas, sive ipsi, sive ipsorum discipuli ad Eclesias toto terrarum orbe diffusas, constitutasque transmiserunt. Non igitur evangelicus codex (alta hoc vobis mente reponite), non evangelicus codex fundavit Ecclesiam, sed ad Ecclesiam Evangelii præconio fundatam evangelicus codex transmissus est : de cujus αὐθεντίᾳ, atque divinitate cognovit ipsa, et judicavit. Hinc celeberrima illa Augustini sententia : « Ego « Evangelio non crederem, nisi me catholicæ « Ecclesiæ commoveret auctoritas. »

« At quo criterio, inquies, seu qua via et ratione in hoc judicio ferendo usa Ecclesia est ? Omnino duplici : traditione scilicet, et collatione cum his quæ ex ore apostolorum exceperat. Speciem rei habetote. Origenes Adamantinus, qui III ineunte Ecclesiæ sæculo floruit, hæc apud Eusebium, *Hist. Eccl.*, lib. VI, pronuntiat : « Sicut ex « traditione accepi de quatuor Evangeliis,

Digitized by Google

« quæ sola in universa Dei Ecclesia, quæ « sub cœlo est, sine controversia admittun- « tur. » Parvine momenti videtur vobis ad ἀνθεντίαν evangelicam confirmandam, uniformis Ecclesiæ in omnem terram, terrarumque fines se protendentis consensio? Fac porro inquiras, undenam tot gentium moribus, eloquio, imperio dissitarum, tam simplex et uniusmodi orta consensio sit? Id unum singuli et universi Ecclesiarum pastores responsi dabunt, se codicem illum, Evangelia scilicet recensita quatuor continentem, a decessoribus accepisse suis: hos vero si interroges, majorum suorum fidem implorantes audies. Institutaque veluti analysi successionis episcoporum, devenies tandem ad apostolorum discipulos, ipsosque θεοδιδακτοὺς scriptores: e quorum manibus sacra illa prodiisse volumina intelliges; ac veluti e centro per orbem sparsa, in varias quidem translata linguas, iisdem tamen sententiis, ac sententiarum apicibus custoditis, ad Origeniana tempora, atque hinc ad seros usque nepotes transmissa fuisse cognosces. Quid hoc testimonio firmius; quid hac tanta consensione ad rem qua de agimus patefaciendam optari potest illustrius?

« Verum quod ad veritatem, divinitatemque evangelici codicis mirifice confirmandam accedit, altera illa ratio est, ob quam Ecclesia universa ipsum sine controversia suscepit: omnimoda videlicet, atque arctissima hujus codicis congruentia cum dogmatibus rebusque gestis, quas ex ore apostolorum exceptas fide summa Ecclesia ipsa servabat. *Insonabat* adhuc, ut Patrum phrasi utar, secundo et tertio sæculo in auribus Christianorum Apostolica prædicatio; extabant ipsorum cathedræ; litteræ autographæ legebantur « sonantes vocem (ait Ter- « tullianus), et repræsentantes faciem unius- « cujusque. » Tum vero quæ sacri illi præcones de Servatoris ortu, gestis, miris, resurrectione, atque sacramentorum institutione tradiderant, hæc docebantur a pastoribus, discebantur a populo; festorumque celebratione et actione mysteriorum, velut monumentis certissimis, recolebantur. Quoniam igitur his omnibus, singulisque respondebat adamussim vulgatus codex, et quod ab initio enuntiatum voce fuerat, hic repræsentatum litteris exhibebat: quidni Ecclesia universa pretiosum volumen illud, tam constanti Patrum traditione transmissum, tanta gentium consensione receptum, tanta dogmatum integritate et congruentia suffultum, veluti genuinum apostolorum fetum, ipsumque Dei Verbum susciperet et adoraret?

« Quod de pseudo-evangeliis apocryphisque libris, queis primo et altero Ecclesiæ sæculo Christianam rempublicam obrutam fuisse prædicat (Freretus), hoc, pace illius dixerim, ineptissimum est, ac Evangelii fidem, quin elevet, mirum quantum confirmat. Ineptissimum, inquam, est: quis enim adeo desipiat, ut quia olim *fulsarii* quidam, ut eos appellat Suetonius, aut publicas corrupere tabulas, aut falsa vulgavere numismata; iccirco de universa re diplomatica, aut numismatica *actum prorsum esse*, nec veros nobis superesse nummos aut diplomata certa contendat? Qui sic censerent, satisne sani forent, an delirarent? Plus audeo et aio, aliorum librorum νοθείαν confirmare nostri codicis fidem ac veritatem. Enimvero ubi inter tot, quæ vagabantur olim pseudo-evangelica commentaria, quatuor illa tantum notissima, Ecclesia omni memoria et sine controversia recepit: hoc plane demonstrat, ipsam non leviter, non temere, sed ἀκριβείᾳ, accuratissima scilicet diligentia novi fœderis canonem condidisse: eosque velut divinitus inspiratos excepisse libros, quorum certa erat, ab apostolorum ævo traditio, et explorata cum apostolorum prædicatione consensio.

« Instat nihilominus censor Gallus, et urget, plures ex his, qui apostolorum ævo floruere viros, Cerinthum, Ebionem, Basilidem, Alogos, Theodotianos, contraria prorsus Evangeliis nostris sive dogmata, sive rerum gestarum historias tradidisse. . . . . At quid inde exsculpis? Num præ istis posthabendos evangelistas?

O ratio humanæ mentis, quam cæca superbis!

Quibusnam argumentis, amabo te, doctores isti, quos laudas, suam e cœlo missionem demonstraverunt? Quibus signis sententiis suis conciliavere fidem? Num, quemadmodum ab apostolis factum novimus, edidere mira, fudere oracula, pertulere discrimina? Num ethicæ sanctitate, morum innocentia, sanguinis effusione orbem plane universum in sui admirationem, doctrinæque ab se enuntiatæ fidem pertraxere? Scilicet nebulones, mendaces, intemperantes, impuri; quorum Deus venter erat, doctrina libido, sectatores scorta, catecheses μυθολογίαι: quos, ut vidit mundus, exhorruit; ut audiere Patres, damnarunt; ut novit Ecclesia, diris devovit; quorum denique vix sola nomina cum æterno conjuncta dedecore perennarunt.

« Lubet mihi potius orationem iterum parumper convertere ad acerbissimam criminationem illam, quam Freretus noster in Christianæ causæ patronos conjicit universos, quos tam gravi torpuisse veterno dicit, ut nec de Evangeliorum ἀνθεντίᾳ probanda, nec de argumentis, quæ in eam ipse intorquet, retundendis hactenus cogitaverint. Itane vero censes, vir eruditissime? At ego te plane obruerem (absit invidia verbo!) si Patrum, theologorum scriptorumque omnium qui hanc adornavere spartam, vel sola nomina recenserem. Tres hosce tantum habeto: Augustinum, qui IV labente sæculo floruit, Tertullianum, qui Severi principis tempestate enituit; Irenæum, qui Apostolica tempora vidit.

« Augustinus *Contra Manichæos* quæstionem hanc diligentissime versat. Hoc tibi unum ex lib. XXXIII *cont. Faustum* specimen esto: « Infelices inimici animæ vestræ, « quæ unquam litteræ ullum habebunt pon- « dus auctoritatis, si evangelicæ, si Aposto-

Digitized by Google

« licæ non habebunt? De quo libro certum « erit cujus sit; si litteræ, quas apostolorum « dicit, et tenet Ecclesia ab ipsis apostolis « propagata, et per omnes gentes tanta emi- « nentia declarata, utrum apostolorum sint, « incertum est? » *Et paucis interjectis :* « Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, « aliorumque hujusmodi auctorum libros, « unde noverunt homines quod ipsorum « sint, nisi eadem temporum sibimet suc- « cedentium contestatione continua? Quis « igitur tanto furore cæcatur, qui dicat hoc « mereri non potuisse apostolorum Eccle- « siam, tam fidam, tam numerosam fratrum « concordiam, ut eorum scripta fideliter ad « posteros trajicerentur; cum eorum cathe- « dras usque ad præsentes episcopos certis- « sima successione servaverint; cum hoc qua- « liumcunque hominum scriptis, sive extra « Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta facili- « tate proveniat? » Videturne tibi Augustinus controversiam hanc præteriisse, criminationemve neglexisse tuam? Ipsum adire quisque poterit loco a me notato, ubi eadem prorsus via et ratione, qua γνῶσις evangelici codicis demonstratur, sophisma illud Frereti a pseudepigraphis petitum, et a Manichæis contortum, plane retunditur et evertitur.

« Accedat magnum illud Africæ oraculum, Tertullianus. Dies me deficeret, si percensere singula vellem quæ in rem hanc, sive in libris *De præscriptionibus*, sive in *Apologetico*, sive alibi tradit. Me ad IV *contra Marcionem* librum converto, ubi Septimius heterodoxum illum Evangelia tria repudiantem, unumque Lucæ, sed fœde a se turpatum, admittentem mire refellit. Principio sic thesin jacit : « Constituimus in primis, « evangelicum instrumentum apostolos au- « ctores habere, quibus hoc munus Evange- « lii prædicandi a Domino sit impositum. » Qui id probat? Nervose profecto, ut solet, et subtilissime hoc pacto : « Si constat, id « verius, quod prius; id prius, quod et ab « initio; id ab initio, quod et ab apostolis; « pariter utique constabit, id esse ab apo- « stolis traditum, quod apud Ecclesias apo- « stolorum fuerit sacrosanctum. Videamus, « quod lac a Paulo Corinthii hauserint : ad « quam regulam Galatæ sint correcti : quid « legant Philippenses, Thessalonicenses, « Ephesii : quid etiam Romani de proximo « sonent, quibus Evangelium et Petrus, et « Paulus sanguine quoque suo signatum re-

« liquerunt. Dico itaque apud illas (Eccle- « sias), nec solas jam Apostolicas, sed apud « universas quæ illis de societate sacramenti « confœderantur, id Evangelium Lucæ ab « initio editionis suæ stare, quod cum ma- « xime tuemur... Marcionis vero Evange- « lium (gemina dicas de pseudo-evangeliis « omnibus quæ obtrudit Freretus) plerisque « nec totum : nullis autem notum, ut non « eo damnatum . . . . . Eadem auctoritas « (pergit Tertullianus) Ecclesiarum Aposto- « licarum cæteris quoque patrocinatur Evan- « geliis; quæ proinde per illas (notate), et « secundum illas habemus, Joannis, dico, « et Matthæi; licet et Marcus quod edidit, « Petro assignetur, cujus interpres Marcus. » Hæc Tertullianus, qui dum veterem fundit hostem, et recentem profligat : ac iisdem, queis postea Augustinus, vestigiis hærens, evangelici codicis veritatem ex Apostolica repetit traditione : traditionis vero testes, et judices Apostolicas Ecclesias, cæterasque universas cum his fœderatas esse demonstrat.

« Venio tandem ad Irenæum discipulum Polycarpi, qui evangelistæ Joannis auditor fuit : quo perventum sit intelligitis, auditores : inclytus hic Lugdunensis antistes et martyr, rei qua de agimus testis erat auritus et oculatus. Libro igitur III *Adversus hæreses* cap. 1, postquam ostendit evangelistas, jam *indutos supervenientis Spiritus sancti virtute ex Alto*, ad scribendum animum appulisse, hæc enarrat : « Matthæus in « Hebræis eorum lingua Scripturam edidit « Evangelii, cum Petrus et Paulus Romæ « evangelizarent et fundarent Ecclesiam. « Post vero horum excessum, Marcus, disci- « pulus et interpres Petri, et ipse quæ a « Petro annuntiata erant, per scripta tradi- « dit. Lucas autem sectator Pauli, quod ab « illo prædicabatur Evangelium, in libro « condidit. Postea et Joannes discipulus « Domini, et qui supra pectus ejus recum- « bebat, et ipse edidit Evangelium, Ephesi « Asiæ commorans. »

« . . . . . (Hinc sane) nil Evangelio sanctius dici, nil verius posse, ab apostolorum ævo ad nostra usque tempora credidit Christiana gens : quæ librum illum ipso Deo afflante conscriptum, martyrum cruore obsignatum, Patrum testimonio suffultum, gentium omnium præconio susceptum, velut fidei suæ basim, arcem et munimentum venerata est. »

SCRIPTURÆ, SEU INSTRUMENTA.

SUMMARIUM.

1. Scripturæ aliæ sunt publicæ, aliæ privatæ. — 2. Scripturæ publicæ quæ sint? — 3. Scripturæ privatæ reducuntur ad tres species, quæ assignantur. — 4. Apocha quid sit? — 5. Antapocha quid sit? — 6. Syngrapha quid sit? — 7. Liber rationum quid sit? — 8. Epistola quid sit? — 9. Scriptura privata alia est authentica, alia non authentica, et quæ utraque sit? — 10. Scriptura privata redditur authentica pluribus modis, et signanter per subscriptionem propriæ manus ac trium testium adhuc viventium probatæ fidei, ac bonæ famæ. — 11. Scriptura privata mortuis testibus subscriptis non facit amplius plenam fidem, nisi fuerit etiam subscripta per notarium, aut sigillo authentico munita. — 12. Item scriptura privata redditur authentica per appositionem sigilli authentici majoris magistratus. — 13. Item scriptura privata redditur authentica per subscriptionem factam manu publici notarii. — 14. Item scriptura privata redditur authentica ratione archivii publici. — 15. Item scriptura privata redditur authentica per ejus confectionem secundum morem et consuetudinem regionis. — 16.

Digitized by Google

Scriptura privata, quando negatur esse illius, contra quem producitur, nihil probat, donec oppositum per producentem validis documentis ostendatur. — 17. Scripturam privatam manu cujuspiam fuisse scriptam, vel de ejus mandato fuisse ab alio conscriptam, vel subscriptam, potest probari per appositionem ipsius proprii sigilli.—18. Dummodo tamen dolus in appositione sigilli non intervenerit. — 19. Item scriptura propria manu vel de voluntate cujuspiam fuisse scriptam probari potest per testes, qui præsentes fuerint; quando pars negans suam scripturam, ipsam scribebat, vel de expressa sua voluntate et mandato ab alio scribebatur. — 20. Item scripturam fuisse ab aliquo scriptam probari potest per comparationem aliarum scripturarum, seu litterarum ab eodem scriptarum. — 21. Verum comparatio litterarum est valde periculosa probatio, et adducitur pro exemplo comparatio testamenti cardinalis Cevæ. — 22. Hinc comparatio litterarum de se sola non sufficit ad plene probandum scripturam manu cujuspiam fuisse factam, sed ad id requiruntur alia adminicula; quæ assignantur. — 23. Scriptura privata confessata regulariter probat plene contra scribentem. — 24. Dantur tamen aliqui casus, in quibus scriptura privata confessata non probat plene. Et signanter in scriptura privata; seu cautione, quæ continet quidem debitum, sed non exprimit causam debiti. — 25. Item scriptura

privata plene non probat contra scribentem, si ipse scribens in scriptura fateatur quidem, se accepisse pecuniam ab alio sibi mutuatam, et revera ipsam non receperit; tunc enim si debitor intra biennium opposuerit, tenetur creditor ipse probare consignationem pecuniæ revera fuisse factam dicto debitori. — 26. Sic pariter de dote statutum est, ut marito intra biennium concedatur exceptio non numeratæ dotis. — 27. Scriptura privata non probat regulariter in commodum scribentis. — 28. Dantur tamen aliqui casus, in quibus scriptura privata probat etiam in commodum scribentis. Et signanter quando est subscripta a partibus, simulque a tribus testibus. — 29. Et si testes jam fuerint mortui, scriptura subscripta a partibus facit magnam præsumptionem in commodum scribentis seu subscribentis contra alteram partem subscribentem, et si non negetur subscriptio ab altera parte, etiam plene probat. — 30. Item scriptura privata plene probat in commodum scribentis, quando aliunde est authenticata. — 31. Libri rationum plene non probant in commodum scribentis, bene tamen in præjudicium ipsius, seu contra ipsum, ad n. 39. — — 40. Instrumentum unde dicatur? — 41. Instrumentum proprie sumptum ut scriptura quid sit? — 42. Instrumentum aliud est publicum, et aliud privatum. — 43. Instrumentum publicum quid sit? — Alia notanda ad n. 126.

(1. Scripturæ aliæ sunt publicæ et aliæ privatæ. Scripturæ publicæ generatim dicuntur omnes illæ, quæ publicam habent auctoritatem; scripturæ privatæ econtra dicuntur illæ quæ a privatis personis fiunt, nec alias publicam obtinent auctoritatem. Sic in re communis doctorum, arg. cap. *Si scripturam* 1, cap. *Scripta vero* 2, c. *Imputari* 13, et cap. *Si cautio* 14, De fide instrumentor., cum similibus. Authent., *Ad hæc de iis*, cod. *De fide instrumentor.*, l. *Plures*, cod. *De fide instrumentor.*, cum similibus.

(2. Scripturæ publicæ, pro quibus ordinarie intelliguntur *instrumenta publica*, sunt illæ quæ per manum publicam, seu a publico notario legitime et cum debitis solemnitatibus confectæ sunt. Authent., *De instrumentor. cautelis et fide*, § *Sed et si*, collat. 6, cap. *Scripta vero* 2, De fide instrumentor., cum similibus. Sed de his infra.

(3. Scripturæ privatæ reducuntur ad tres species, quarum prima vocatur *apocha*, quæ alio nomine appellatur *chirographum*, et complectitur sub se *antapocham* et *syngraphan*; secunda dicitur *liber rationum*; et tertia *epistola*. Sic Bartolus, in Authent. *At si contractus*, § *Ut igitur*, cod. *De fide instrumentor.*; Jason., in *Repetit.*, l. *Admonendi* n. 87, ff. *De jurejurand.*; Mascard., *De probationib.*, q. 6, n. 26, et alii passim.

(4. *Apocha*, proprie accepta, est scriptura seu chirographum creditoris confitentis de recepta a debitore re sibi debita. Et hæc alio nomine vocatur *quietantia*, de qua fit mentio in l. *Plures* 19, cod. *De fide instrumentor.* Et Glossa, *ibid.*, verb. *Apochis*, sic expresse dicit: « Apocha est de receptis, puta, confiteor, me recepisse tantum, et a creditore fit et datur debitori. »

(5. *Antapocha* econtra est de solutis seu datis, et non de receptis uti *apocha*. Et sic *antapocha* est scriptura debitoris confitentis se tantum, vel tantum solvisse nomine annui v. gr. census seu pensionis, et de hac fit etiam mentio in citat. leg. *Plures* 19, cod. *De fide instrumentor.* juncta citat. Glossa, *ibidem*.

(6. *Syngrapha*, Latine *conscriptio*, est scriptura seu schedula quæ in alicujus rei fidem a pluribus conscribitur, et utrisque partibus tradi solet. Calvinus, in suo magno *Lexico juridico*, tom. II, verb. *Syngrapha*; ubi insuper addidit, quod in hoc syngraphæ differunt a tabulis, quod tabulæ ab una parte tantum servari consueverunt.

(7. *Liber rationum* est scriptura privata, quam quilibet sua sponte de datis et acceptis sibi conficit. Arg. *Si quis ex argentariis*, § *Rationem*, ff. *De edendo*, juncta Glossa, *ibidem*.

(8. *Epistola* est scriptura privata, quam quis alicui absenti dirigit seu mittit. *Communis*.

(9. Scriptura privata alia est authentica, et alia non authentica. *Scriptura privata authentica* est illa quæ, licet originaliter sit privata, aliquibus tamen adminiculis seu supplementis ac modis roboratur et auctorizatur, adeo ut plenam fidem faciat in judicio. *Scriptura privata non authentica* econtra est illa quæ caret omnibus adminiculis, supplementis ac modis, sicque plenam fidem ac perfectam probationem non facit. Sic in re communis doctorum.

(10. Scriptura privata auctorizatur seu redditur authentica per subscriptionem propriæ manus, ac trium testium adhuc viventium probatæ fidei et bonæ famæ. Talis enim solemnitas dat vires publici et authentici instrumenti. L. *Scripturas*, cod. *Qui potiores in pignore*, juncta Glossa, *ibidem*, in fine, tradentes hos vulgares versiculos :

Cautio privata jam trino teste notata
Hoc jus est nacta quod cautio publice facta.

Digitized by Google

(11. Dicitur autem notanter *trium testium adhuc viventium*, quia scriptura privata; mortuis testibus subscriptis, non facit amplius plenam fidem, nisi fuerit etiam subscripta per notarium, aut sigillo authentico munita. C. *Scripta* 2, De fide instrumentor., ibi : « Scripta authentica, si testes inscripti decesserint (nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publica, aut authenticum sigillum habuerint, per quod possint probari) non videntur nobis alicujus firmitatis robur habere. » Et ibi Glossa, et Summarium, ac doctores communiter, et concordat Authentic. seu Novella 73, titul. 2, cap. *Si vero moriantur omnes testes* 7, collat. 6.

(12. Item scriptura privata authenticatur per appositionem sigilli authentici majoris magistratus, ut episcopi, capituli, principis, civitatis, judicis, seu illius cujus officium est in illo loco publicis sigillationibus præesse, textu expresso in cit. cap. *Scrip.* 2, De fide instrumentor., ibi : « Nisi... authenticum sigillum habuerit, » et Glossa, *ibid.*, verb. *Authentica*, et doctores communiter.

(13. Item scriptura privata authenticatur per subscriptionem factam manu publici notarii, textu expresso in cit. cap. *Scripta*, ibi : « Nisi per manum publicam facta fuerint ; » secus autem si dictam scripturam confecit aut subscripsit notarius, non ut tabellio, seu ut persona publica, sed ut aliqua alia persona privata ; tunc enim scriptura illa non acquireret majorem auctoritatem, quam si fuisset confecta aut subscripta a qualibet alia persona privata. Pax Jordan., tom. III, tit. *De fide instrumentor.*, n. 6, allegans Rotam, decis. 13, num. 4, part. III, novis. ; Baldus, in cit. cap. *Scripta*, n. 5, vers. *Sed pone ;* Felin., *ibidem*, num. 2; Mascard., *De probatione*, conclus. 131, n. 9, et alii passim.

(14. Item scriptura privata authenticatur ratione archivii publici : pro authentica enim habetur scriptura illa, quæ reperitur fideliter custodita in archivio publico, seu in loco, ubi solent reponi et custodiri scripturæ publicæ. Arg. leg. *Census*, ff. *De probat.*, Authent. *Ad hæc*, cod. *De fide instrum.*, c. *Ad audientiam* 13, § *Nos igitur*, *De præscr. ;* Pax Jordan., *l. c.*, n. 11 ; abbas, in cit. c. *Scripta*, n. 6 ; Reiffenst., *l. c.*, n. 150 et 151, et alii.

(15. Item scriptura privata authenticatur per ejus confectionem secundum morem et consuetudinem regionis ; consuetudo enim habet vim reddendi authenticam scripturam quæ alias non esset talis. Argum. c. *Cum tanto* 11, De consuetudine, cap. *Cum dilectus* 9, De fide instrumentorum, ibi : « Respondemus, quod si consuetudo illius patriæ obtinet approbata, ut instrumentis illius regionis fides adhibeatur, vos ea secure poteritis admittere. » Juncto ejus summario, in quo sic expresse dicitur : « Consuetudo loci facit instrumentum authenticum, » Glossa, *ibidem*, verb. *Approbata ;* Felinus, *ibid.*, num. 35 ; Abbas, num. 5 et 6, cum Innocentio et Hostiensi a se citatis ; Pax Jordan., *l. c.*, n. 8 ; Reiff., *l. c.*, n. 153 et seq., et alii passim.

(16. Scriptura privata, v. gr. apocha, antapocha, syngrapha, epistola, quando negatur esse illius contra quem producitur, nihil probat, donec oppositum per producentem validis documentis ostendatur. *Communis*, textu expresso in l. *Instrumenta* 5, cod. *De probationib.*, ibi : « Instrumenta domestica, seu privata testatio, seu adnotatio, si non aliis quoque adminiculis adjuventur, ad probationem sola non sufficiunt. » Et concordat textus in cit. cap. *Scripta* 2, De fide instrumentor., ubi Summus Pontifex Alexander III, de similibus scripturis privatis expresse dicit : « Non videtur nobis alicujus firmitatis robur habere. »

(17. Scripturam autem privatam manu cujuspiam fuisse scriptam, vel de ejus voluntate seu mandato fuisse ab alio conscriptam seu subscriptam potest probari per appositionem ipsius proprii sigilli. Appositio enim proprii sigilli denotat consensum et ratihabitionem. Arg. l. *Fidejussor* 26, § 1, ff. *De pignoribus ;* Mascard., *De probationib.*, concl. 330, n. 10, et conclus. 1301, num. 26 ; Romanus, consil. 303 ; Reiff., *l. c.*, n. 160, et alii.

(18. Dummodo tamen dolus in appositione sigilli non intervenerit, quia, eo ostenso, sigillum nihil probaret, cum fraus et dolus nemini debeant patrocinium impartiri. Cap. *Tuæ* 12, De clericis non resident., cap. *Ex litteris* 2, De dolo et contumac., cap. *Sedes* 15, cum similibus. Et id habetur in variis secutis casibus, et signanter in cap. *Tertio loc.* 5, De probationib., ubi sigillum capituli furtive apposit. cuipiam instrum. nihil probavit. Item ex l. *Distrahent.*, c. *De reb. alien.*, etc., ubi sigill. uxoris a marito fraudulenter appositum cuidam instrumento venditionis rei dictæ suæ uxoris, nihil ipsi præjudicavit.

(19. Item script. propr. manu, vel de voluntate cujuspiam fuisse scriptam probari potest per testes adessentes, quando is ipsam scribebat, vel de ejus expressa voluntate et mandato ab alio scribebatur, si postea suam esse neget. Bart., Jason., Masc., *De probat.*, concl. 110 ; Reiff., *l. c.*, n. 162, aliique.

(20. Item scripturam fuisse ab aliquo scriptam, probari potest per comparationem aliarum scripturarum seu litterarum ab eodem scriptarum ; et si tales scripturæ seu litteræ non habeantur, tunc negans scripturam sua manu scriptam, cogi potest ad scribendum, ut inde fieri possit comparatio litterarum. Sic desumitur ex l. *Comparationes litter.* 20, cod. *De fide instrum.* Et notat Menoch., lib. II *De arbitr. judic.*, cas. 114, n. 11 et 12, cum aliis ibi a se citatis ; Reiffenst., *l. c.*, n. 165, et alii.

(21. Verum comparatio litterarum est valde periculosa probatio. Non pauci enim reperiuntur, qui alterius manum ita imitantur ac fingunt, ut ipsissima alterius scriptura esse censeatur, et varios tales se vidisse referunt Marsilius, in *Rubric.*, cod. *De probationib.* n. 318 ; Maschardus, *De probationib.*, conclus. 330, n. 1 ; Zapsius, lib., II *Sing. respons.*, cap. 25, et alii, et de facto non se-

Digitized by Google

mel adhuc in dies tales similes reperiuntur. Imo cardinalis Cevæ testamentum ab ipsomet perito, qui illud exemplaverat, non fuit recognitum, dum accessit exemplatum et imitatum pro vero testamento, quod notandum est ad effectum parum fidendi simili modo recognoscendi, ut advertit Ansal., in *Addit.* ad decis. 22, n. 33, et refert ac notat Ursaya, in *Miscell. sacr. et prof.*, p. I, litt. *C*, n. 128.

(22. Hinc comparatio litterarum de se sola non sufficit ad plene probandum scripturam manu cujuspiam esse factam, sed ad id requiruntur una simul alia adminicula, ut proprii scribentis sigilli appositio, subscriptio testium, auctorum attestatio, quod ipsimet viderint scripturam illam a tali fuisse factam tali die talique loco. Authent. seu Novell. 73, cap. *Si quis* 1, De instrumentor. cautela et fide, collat. 6; Glossa, in Authentic. *At si contractus*, verb. *Soli*, et ibi Bartolus, cod. *De fide instrumentor.*; Mascard., cit. conclus. 330, n. 1 et seq.; Menochius, cit. cas. 114 per totum; Reiffenstuel, loc. cit., n. 167, et alii. Unde cautissime debent quoad hoc procedere judices, rite ac mature omnia examinando et adhibendo alios in arte peritos : ut enim advertitur in Authent. seu Novella 73, in præfatione *De instrumentor. cautela et fide*, ejusdemmet hominis scriptura per vitæ decursum solet mutari, cum non ita quis scribat juvenis, et robustus, ac senex, et forte tremens, et sæpe etiam languor litterarum dissimilitudinem inducat, et calami atque atramenti immutatio similitudinis litterarum per omnia auferat puritatem, ibi : « Litterarum dissimilitudinem sæpe quidem facit, non enim ita quis scribit juvenis, et robustus, ac senex, et forte tremens, sæpe autem, et languor hoc facit, et quidem hoc dicimus, quando calami et atramenti immutatio, similitudinis per omnia aufert puritatem. » Posset nihilominus probatio ex litterarum comparatione desumpta magni ponderis esse, si fieret modis et formis præscriptis a Justiniano in l. 20, cod. *De fide instrument.*, et in Novell. 49, cap. 2. Mandavit enim, ut fieri non possent, nisi ex forensibus publicisque instrumentis, cum aliæ scripturæ non publice confectæ « satis abundeque occasionem criminis falsitatis dare, et in judiciis et in contractibus manifestum sit. Ideoque sancimus non licere comparationes litterarum ex chirographis fieri, nisi trium testium habuerint subscriptiones, » quas duo saltem ex his testibus recognoscant, d. l. 20. Vel etiam ex his litteris, quibus adversarius usus est tanquam subscriptis ab eo, de cujus syngrapha agnoscenda quæritur, denique vel ex privata quidem scriptura, sed ex archivio publico deprompta, ut in cit. Novell. Quid potest ultra desiderari nisi ut hujusmodi leges accurate observentur* ?

(23. Scriptura privata confessata regulariter probat plene contra scribentem. L. *Publia Mœvia* 26, § fin., ff. *Depositi*, l. *Vice donatricis* 20, cod. *De donationib.*, et l. *Generaliter* 13, cod. *De non numerat. pecun.*

Nulla enim datur major probatio, quam ea quæ fit ex proprii oris confessione, ut tenet communis doctorum cum Rota part. IX, tom. I, decis. 98, n. 4, per text. in cap. *Per tuas* 10, De probationib., l. *Cum te*, cod. *De transact.*, l. *Generaliter*, cod. *De n. pecun.*

(24. Dicitur notanter *regulariter*, quia scriptura privata confessata in aliquibus casibus non probat plene et signanter in scriptura privata, seu cautione, quæ continet quidem debitum, sed non exprimit causam debiti. In tali enim casu, si debitor neget, se revera debere id, quod in tali scriptura continetur, allegando, quod dicta cautio indebite exposita seu data fuerit, nulla inde actio seu obligatio oritur in foro externo, tam ecclesiastico quam civili, sed necesse est quod actor aliunde probet id quod in dicta scriptura continetur, sibi revera deberi tali vel tali causa. *Communis* per textum expressum in l. *Cum de indebito* 25, § 4, ff. *De probationib.*, et cap. *Si cautio* 14, De fide instrumentor., ibi : « Si cautio, quam a te indebite proponis expositam, indeterminate loquatur, adversarius tuus tenetur ostendere debitum, quod continetur in ea. »

(25. Item scriptura privata plene non probat contra scribentem, si ipse scribens in scriptura fateatur quidem, se accepisse pecuniam ab alio sibi mutuatam, at revera ipsam non receperit, prout sæpe fieri solet, ut hæ apochæ dentur vel mittantur ante receptionem pecuniæ, quam quis petit mutuam : tunc enim, si debitor intra biennium a die datæ apochæ seu chirographi opposuerit, tenetur creditor ipse probare numerationem et consignationem pecuniæ revera factam dicto debitori. *Communis* per text. in l. *In contractibus*, et tot. titul. cod. *De non numerata pecunia*. (26. Sicuti pariter in dote statutum est, ut marito intra biennium concedatur exceptio non numeratæ dotis. Cit. l. *In contractibus*, § final., cod. *De non numer. pecun.*, ibi : « Quæ etiam in exceptione non numeratæ dotis locum habere certum est. »

(27. Scriptura privata non probat regulariter in commodum scribentis, textu expresso in leg. *Exemplo* 7, cod. *De probat.*, l. *Inter chartulas* 5, cod. *De conveniendis fisci debitorib.*, et Glossa communiter recepta in cap. *Scripta* 2, verb. *Authentica*, De fide instrumentor.

Ulterius etsi in chirographo, quod super aliqua pecunia mihi debita debitor meus confecerit, ego commemorationem fecerim alicujus alterius rei, ad probationem hujusce rei, cujus commemorationem feci, chirographum illud idoneum non erit, ut expresse Scevola, in l. 31, ff. *De probat.* *

(28. Dicitur autem notanter *regulariter*, quia dantur aliqui casus, in quibus scriptura privata probat etiam in commodum scribentis, et signanter quando est subscripta a partibus, simulque a tribus testibus; in tali enim casu, si testes adhuc vivant, et scripturam recognoscant, habetur plena probatio in commodum scribentis. Colligitur clare argumento a sensu contrario de-

Digitized by Google

sumpto, ex cap. *Scripta* 2, De fide instrumentor., et tenet communis doctorum, per text. in l. *Scripturas* 11, cod. *Qui potiores in pignore habeantur*.

(29. Et si testes jam fuerint mortui, scriptura subscripta a partibus facit magnam præsumptionem in commodum scribentis seu subscribentis contra alteram partem subscribentem. Et si non negetur subscriptio ab altera parte, etiam plene probat. Arg. cit. l. *Scriptura* 11, cod. *Qui potiores in pignore habeantur;* Mascard., *De probationib.*, conclus. 1301; Bartolus, in Authent. *At si contractus*, cod. *De fide instrument.*; Speculator, tit. *De instrument. edit.*, § *Nunc dicendum*, n. 7; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 188 et seq. Et quod scriptura privata plene probet in commodum scribentis, seu subscribentis contra alteram partem recognoscentem et confitentem talem suam subscriptionem, habetur ex l. *Publia Mœvia* 26, § final., ff. *Depositi*, l. *Vice donatricis* 20, cod. *De donat.*, et l. *Generaliter* 13, cod. *De non numerata pecunia*.

(30. Item scriptura privata plene probat in commodum scribentis, quando aliunde est authentica, vel per appositionem sigilli authentici majoris magistratus, vel per subscriptionem publici notarii, vel per asservationem in publico archivio, vel per ejus confectionem secundum morem et consuetudinem regionis, ex dictis et juribus adductis *supra* n. 12, 13, 14 et 15.

(31. Libri rationum usitati inter mercatores, tutores, curatores ac alios rerum alienarum gestores, seu administratores regulariter plene non probant in commodum scribentis, bene tamen in præjudicium ipsius, seu contra ipsum. Glossa communiter recepta in Clement. unic., § *Cæterum*, verb. *Rationum*, De usuris, et alia Glossa, in l. *Quædam*, § *Nummularios*, vers. *Decernitur*, ff. *De edendo*; Mascard., *De probationib.*, conclus. 977, n. 1, et communis aliorum, per text. in l. *Exemplo* 7, cod. *De probationib.*, leg. *Inter chartulas* 5, cod. *De conveniendis fisci debitoribus*. Libri enim rationum non sunt, nisi scripturæ privatæ, adeoque, sicuti scripturæ privatæ, non probant regulariter in commodum scribentium, ex dictis *supra* n. 27, ita neque libri rationum; alias si libri rationum plene probarent in commodum scribentium, daretur nimis facilis ansa delinquendi; tum quia instrumenta quoque notariorum, non obstante quod eorum fides sit publica auctoritate comprobata, adhuc tamen non probant in commodum seu favorem scribentis. Leg. *Div. Claudius* 15, ff. *De lege Cornelia de fals.*, leg. *Quæ in testamento* 4, et leg. *Quod adhibitus* 5, cod. *De his, qui sibi ascribunt in testamento*.

(32. Secunda autem pars conclusionis, scilicet quod libri rationum probent in præjudicium scribentis seu contra ipsum, colligitur ex leg. *Publia Mœvia* 26, § final. ff. *Depositi*, leg. *Vice donatricis* 20, cod. *De donationib.*, et l. *Generaliter* 13, cod. *De non numerata pecunia*: libri enim rationum habentur tanquam scripturæ privatæ confessatæ, adeoque de ipsis libris discurrendum est, ac de dictis scripturis privatis confessatis, ut *supra* n. 23. Sive tales libri rationum sint scripti propria sua manu, sive manu alterius de ejus voluntate et mandato, cum paria censeantur per se subscribere, vel alium subscribere vice ipsius. L. *Vice donatricis* 20, cod. *De donationib.*, et c. *Qui facit per alium*, 72, De regul. juris in 6. Cum enim mercatores, aliique dicti n. antecedenti tales libros retineant ut suos, iisque utantur ut suis, quidquid reperitur in ipsis scriptum, præsumitur scriptum, vel manu sua, vel ab alio de ejus voluntate et mandato, nisi evidenter contrarium probaturi. Mascard., *De probationib.*, concl. 978, num. 9; Jason, in *Repetit.*, l. *Admonendi*, n. 11, ff. *De jurejurando*; Alexander, consil. 245, n. 1 et seq. lib. VI, concludens quod libro creditoris etiam privato, in quo continetur solutio debiti, danda est plena fides contra ipsum creditorem. L. *Quædam* 9, § 2, ff. *De edendo*; et, *ibidem*, Glossa magna, et doctores passim.

(33. Dicitur autem notanter *regulariter*, quia dantur aliqui casus in quibus libri rationum probant etiam in commodum seu favorem scribentis vel suorum hæredum; et signanter quando adest statutum seu lex specialis, aut legitima specialis consuetudo, quod libris rationum, v. gr. mercatorum detur plena fides in favorem scribentis. Arg. cit. leg. *Quædam* 9, § 2, *De edendo*; cap. *Cum dilectus* 8, et cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine; sic Jason cit. *Repet.*, l. *Admonendi* n. 120, ff. *De jurejurando* allegans Paulum de Castro, *ibidem*, col. penult.; Baldum et Alexandrum in d. leg. *Quædam*, § 2, cum aliis; Cravetta, *Tractatuum* tom. XVII, tract. *De antiquitat. tempor.*, § *Vidimus et abunde*, n. 2 et seq.; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 202, et alii referentes, plurimis in locis vigere talem consuetudinem inter mercatores, quod eorum libris detur fides etiam in suum favorem, nisi manifeste convincantur de falsitate.

(34. Item liber rationum defuncti optimæ probitatis et famæ facit pro hærede non solum præsumptionem, sed etiam semiplenam probationem; non enim credibile est quod vir talis probitatis et famæ in periculo mortis, aut scribat librum falsum, aut eum falsa continentem relinquat. Sic Jason. cit. *Repetit.*, l. *Admonendi*, n. 120, post Paulum de Castro, *ibid.*, col. ult. ff. *De jurejurando*; Sigismund. Scaccia, lib. II *De judiciis*, cap. 11, num. 261; Mascard., *De probationib.*, concl. 977, n. 4 et 6; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 106, et alii.

(35. De se solo tamen liber rationum defuncti non facit plenam probationem, textu expresso in l. *Rationes* 6, cod. *De probationib.*, ibi: « Rationes defuncti, quæ in bonis ejus inveniuntur ad probationem sibi debitæ quantitatis solas sufficere non posse sæpe rescriptum est. » (36. Plenam autem probationem facit, si concurrant alia adminicula. Arg. l. *Instrumenta* 5, et cit. leg. *Rationes* 6, cod. *De probationib.*, in quarum prima lege

Digitized by Google

cum dicatur : *Ad probationem sola non sufficiunt*, et in secunda *solas sufficere non posse*, ponderando ly *sola et solas* denotatur posse sufficere cum adminiculis. Sic Bartolus, in leg. *Admonendi*, num. 27, ff. *De jurejurando ;* Abbas, in cap. *Scripta* 2, num. 9, *De fide instrumentorum ;* Mascard., cit. concl. 977, num. 8; Genova, *De scriptura privata*, l. IV, tit. 1, seu *De libris rationum*, num. 24; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 107, et alii.

(37. Item in favorem scribentis probat liber rationum tutoris, curatoris, mercatoris, seu alterius administratoris viventis, talique libro, prævio dicti scribentis juramento, statur in parvis, ac verisimilibus summis ; dummodo ille sit vir legalis ac fide dignus. Ita Jasonus, *loc. cit.*, num. 126 ; Ancharanus, consil. 44, num. 6 ; Abbas, in cap. *Bonæ memoriæ* 4, n. 30, *De postulat. prælator.* ; Mascard., cit. conclus. 977, num. 13 et 58 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 208, et alii. Cum enim sit communiter approbatum illorum officium, debet esse etiam communiter approbatus liber suarum rationum ad probandum saltem in parvis ac verisimilibus summis, tam pro se quam contra se ; alias negligerentur talia munia et officia cum non parvo reipublicæ detrimento, si solum contra se, et non pro se probaret, liber suarum rationum.

(38. Secus autem dicendum est in magnis summis grave præjudicium tertio inferentibus, nisi concurrant legitimæ probationes vel sufficientia adminicula, ut v. g. legalitas conscribentis librum rationum, solemnis forma confectionis talis libri continentis simul data et accepta, additio in eo causæ, propter quam sit quid acceptum et quid expensum, appositio in ipso anni, mensis et diei prout solet fieri in diariis, et hujusmodi. *Comm.* arg. l. *Instrumenta domestica* 5, l. *Rationes* 6, et l. *Exemplo* 7, cod. *De probationibus*, cum similibus.

(39. Quæ autem dicenda sit summa parva aut magna, relinquitur arbitrio judicis, qui istud debet dijudicare, attentis et bene perpensis omnibus circumstantiis rerum, personarum, locorum et temporum. Arg. l. *Sed et si* 52, § 2, ff. *De judiciis*, cum similibus.

(40. Instrumentum, sic dictum ab *instruendo*, definitur a Paulo in l. 1, ff. *De fide instrum.* : « Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest, et ideo tam testimonia quam personæ instrumentorum loco habentur. » (41. Apud forenses vero, uti secundum Abbatem ad Rub. *De fide instrumentorum*, et alios communiter proprie sumptum, ut scriptura est, definitur : « Commentarius sive descriptio eorum, quæ inter paciscentes vel contrahentes placita sunt ac conventa. » Calvinus, in suo magno *Lexico*, tom. I, verb. *Instrumentum*. (42. Et instrumentum hoc modo captum, aliud est publicum, et aliud privatum, uti patet ex c. *Scripta* 2, c. *Imperatoris* 13, et cap. *Si cautio* 14, De fide instrumentorum.

(43. Instrumentum publicum est scriptura

publica auctoritate, sive a publica persona legitime, ac cum debitis solemnitatibus confecta, sive in judicio, sive extra judicium. Est in re communis, patetque ex dictis *supra* num. 2. (44. Pro persona publica venit hic tabellio, sive notarius juxta l. *Orphanotrophos* juncta Glossa, verb. *Alia tabulario*, cod. *De episcopis et clericis*, et cap. *Cum P. tabellio* 15, De fide instrumentor. Qui et servus publicus appellatur, quia publicum officium exercet, leg. *Si pupillus* 2, ff. *Rem pupilli salvam fore*, ibi : « Servus ejus stipulabitur, » cap. *Quanquam* 2, De usuris in 6, ibi : « Serve publico de ipsius ordinarii mandato idonee de restitutione facienda sit cautum. » Item Scriniarius, prout vocatur c. *Ad audientiam* 13, De præscriptionibus, et notat Glossa, *ibidem*, verb. *Scriniarius*.

(45. Ad instrumentum publicum manu notarii confectum reducuntur aliæ quædam scripturæ, quæ licet non sint a publica persona, seu notario confectæ, tamen quoad effectum probandi dicuntur publicæ, quia nempe perinde plene probant, ac si essent a publica persona confectæ. Et tales sunt scripturæ illæ privatæ, quæ sunt auctorizatæ, seu redditæ authenticæ aliquo ex modis assignatis *supra* a num. 10 ad 15.

(46. Instrumentum privatum est scriptura, privata auctoritate facta a privatis personis, non autem a notario solemni forma confecta. Est in re communis, patetque ex dictis *supra* num. 1.

(47. Instrumentum publicum a notario confectum est duplex. Primum appellatur *protocollum*, et est summaria quædam et succincta, seu brevis actus gesti prima adnotatio memoriæ causa facta, ut deinde instrumentum extendi, et in solemnem formam redigi possit. Est in re communis. (48. Dicitur autem *protocollum* a verbo Græco *protos*, quod est *primum*, et *collum*, quod est *collatio* litterarum, quasi diceretur ; *protocollum*, est prima collatio litterarum in charta. Glossa, in Authentic. *De tabellionibus*, verb. *Protocollum*, collat. 4, et alio nomine dicitur *abbreviatura*. Mascard., *De probationibus*, conclus. 4, num. 1 et 6 ; cardin. Thusc., litt. *P*, conclus. 945, num. 1, ubi illud appellat *inbreviaturam*, sive instrumentum notarii non extensum. (49. Insuper *protocollum* dicitur etiam liber, in quo prima matrix, seu originalis scriptura instrumentorum rogatorum describitur, habens generalem subscriptionem. *Hic est liber protocollorum mei*, etc., de quo fit mentio in cit. Authentica, seu Novella 44, cap. *Illud quoque* 2, De tabellionibus ; juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Protocollum ;* et notat card. Thusc., *loco citat.*, num. 3. (50. Alterum autem instrumentum vocatur *transumptum*, scilicet instrumentum authenticum et originale, quod ex protocollo sumitur, et debita forma, sive cum requisitis solemnitatibus conficitur, et in ipso actus gesti non summarie, ac succincte, et breviter, ut in protocollo, sed plene et diffuse per extensum exponuntur. Sic in re communis.

(51. Instrumentum publicum dividitur

Digitized by Google

etiam in *originale* et in *exemplum*. *Originale* instrumentum est illa prima seu principalis scriptura solemnis, quæ est veluti origo ipsius actus de quo instrumentum conficitur. *Exemplum* vero est illud quod ex originali instrumento describitur et desumitur, quæ et copia appellatur. Sic in re communis.

(52. Instrumentum adhuc dividitur in *authenticum* et *non authenticum*. Instrumentum *authenticum* est quod per se fidem facit ad id auctoritatem habens, vel ex appositione sigilli authentici, vel ex interventu publici tabellionis, seu alio modo a publica auctoritate statuto. (53. Vocatur autem *authenticum*, quasi ex se auctoritatem habens, ut notat Abbas in cap. *Si scripturam authenticam* 1, num. 54, § 2, *De fide instrumentor.* (54. Instrumentum *non authenticum* dicitur, quod ex se, et seclusis aliis adminiculis, non facit fidem nec plenam probationem. Sic in re communis.

(55. Quamvis inter instrumentum publicum et authenticum possit notari aliqua differentia, in effectu tamen parum interest, et passim instrumenta publica et authentica sumuntur pro synonymis, cum solum se habeant ut superius et inferius, in quantum omnia instrumenta publica possunt dici authentica, sed non econtra; sic Abbas in cit. cap. *Si scripturam authenticam* 1, num. 2, *De fide instrumentor.*, ubi expresse dicit, quod « *omnis scriptura publica est authentica, sed non omnis authentica est publica; habent enim se ut superius et inferius*, » Speculator, tit. *De editione instrumentor.*, § *Nunc dicendum*; Innocent., in cap. *Scripta* 2, num. *De fide instrumentor.*; Rald., *ibid.*, n. 8; Engel, lib. II *Decretal.*, tit. 22, n. 2; Pirrhing, *ibid.*, n. 3; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 14 et seq.; Sanig., *ibid.*, cap. 2, num. 1, et alii.

(56. Ad instrumentum publicum manu publici notarii confectum plures solemnitates de jure vel consuetudine requiruntur. *Communis.* (57. Primo enim requiritur, quod in eo præponatur invocatio divini nominis, quæ solet fieri per ly *in nomine Domini. Amen, in nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis*; colligitur ex cap. *In nomine Domini* 1, dist. 23, cap. *In nomine Patris* 1, distinct. 73, juncta authent. seu novell. 47 : « Ut præponatur nomen imperatoris documentis, » cap. 1, § 1, collat. 5, ibi : « Auctore Deo. »

(58. Secundo, requiritur quod in eo ponatur annus Incarnationis, seu potius nativitatis Domini currens tempore initi contractus et confectionis dicti instrumenti. Ita Glossa, in cit. Authentic. seu novella : *Ut præponatur nomen imperatoris*, verb. *Auctore*, et alia Glossa in cap. *Inter dilectos* 6, verb. *Indictionis*, De fide instrumentor.; Abbas, in cit. cap. *Si scripturam authenticam*, cap. 1, n. 2, De fide instrumentor.; Mascard., *De probationib.*, qu. 6, n. 82; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 6; Reiffenst., *loc. citat.*, n. 19; et alii passim. Arg. cit. cap. *In nomine Domini*, et citat. cap *In nomine Patris.*

(59. Tertio, requiritur quod in eo ponatur mensis ac dies anni Dominici currens tempore initi contractus ac confectionis instrumenti. Cit. authent. seu novella 47 : *Ut præponatur nomen*, cap. 1, § 1; Glossa, in cit. cap. *Inter dilectos*, verb. *Indictionis*, et alia Glossa in l. *Generali*, verb. *Servituti*, cod. *De tabulariis*; Speculator, *loc. cit.*, n. 7; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 20, et alii passim.

(60. Quarto, requiritur quod in eo ponatur *indictio*; cit. authentic. seu novella : *Ut præponatur nomen*, cap. 1, collat. 3; Glossa, in cit. cap. *Inter dilectos*, verb. *Indictionis*, juncto textu, *ibidem*, § *Sed contra*; Felin., *ibid.*, n. 12; Covarruv., lib. I *Variar. resolut.*, cap. 1, n. 7; Reiffenst., *loc. cit.*, num. 21.

(61. Indictio autem (sic dicta ab *indicendo*, seu *jubendo* trinam exactionem tributi, quæ tribus continuis lustris fieri solebat a Cæsare Augusto), est numerus annorum constans ex tribus lustris, seu ex quindecim annis; Glossa, cit. cap. *Inter dilectos*, verb. *Indictionis*. Quibus tribus lustris, seu quindecim annis peractis, reditur ad unitatem, et initium sumit quilibet annus hujus cycli Indictionum a Januario in Bullis Pontificiis, prout notatur circa initium Breviarii Romani tit. *De indictione*. Originem autem hujus nominis *Indictionis* assignat Glossa in cit. authentic.: *Ut præponatur nomen imperatoris*, verb. *Indictionis*, collat. 5, sequentibus verbis : «Quia, inquit, antiquitus Romani singulis quindecim annis recipiebant tributum de toto mundo, et erat in primo quinquennio ferrum, ut inde fierent arma militibus Romanis. Secundo quinquennio argentum, ut inde haberent stipendia milites. Tertio quinquennio aurum, quod in ærario reponebatur, ut tempore necessitatis pro republica Romanorum expenderetur; unde adhuc hodie servamus cursum illorum trium lustrorum, scilicet horum quindecim annorum, et indictionem appellamus. » Hæc Glossa, *loc. cit.*, subjungens modum facillimum inveniendi indictionem cujuslibet anni. « Accipe, inquit, annos Domini, et eis addas tres annos, quia tertius annus indictionis erat tempore Nativitatis Christi : deinde numerum annorum divide per quindecim, et semper abjicias illa quindecim, et residuum, vel saltem ultimum quindecim dabit indict. » Et concordat alia Glossa, in cap. *Inter dilectos* 6, De fide instrument., verb. *Indict.*, his præcisis verbis : « Et hæc est regula ad inveniendam indict. Tres annos Dom. appone pro indictionibus regulariter, et partire per quindenum numerum, et quotus numerus remanet infra quindecim, tanta est indictio. Et si, facta divisione, remanent quindecim, quinta decima est indictio. » Hæc Glossa, *loc. cit.*, ubi totam dictam regulam comprehendit, et exprimit tribus sequentibus versiculis :

Digitized by Google

Si per quindenos Domini diviseris annos,
His tribus adjunctis indictio certa patebit.
Si nihil excedit, quindena indictio currit.

(62. Quinto, requiritur ut in eo inseratur nomen Papæ vel imperatoris aut regis in locis ipsius dominio subjectis, una cum anno Papatus, seu imperii, vel regni, textu expresso in cit. authent. seu novella : *Ut præponatur nomen imperatoris*, c. 1, ubi insuper additur quod debeat inseri etiam nomen proconsulis illius anni; quod tamen hisce temporibus non amplius inseritur, ut notat Glossa in cap. *Quoties cordis* 1, qu. 7, verb. *Consulibus*, et servat praxis.

(63. Sexto, requiritur quod in eo exprimatur locus civitatis vel castri, et insuper locus particularis, v. gr. domus in qua actus, qui in instrumento continetur, factus est. Glossa, in cap. *Abbate sane*, verb. *Censetur*, juncto textu, *ibidem*, De sententia et re judicata, in 6; Abbas, *loco citato*, n. 3; Mascard., citata quæst. 6, num. 89 et seq.; Covarr., *Practic. quæst.*, cap. 20, n. 3; Reiffenst., *l. c.*, n. 24; Pirrhing, *loc. c.*, n. 7; Engel, *loc. cit.*, n. 13, et alii passim.

(64. Septimo, requiritur quod testes tres, vel saltem duo, qui ordinarie sufficiunt, præsentes sint actui, et eorum nomina in instrumento inserantur. Authentic. seu novella 73, *De instrumentorum cautela et fide*, cap. *Sed et si instrumenta* 5, collat. 6; Abbas, *loc. cit.*, n. 3; Speculator, *loc. cit.*, n. 10; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 7; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 25, addentes, solere addi per tabellionem in instrumento, quod testes illi fuerint ad hoc vocati et rogati, quamvis de jure id non sit necessarium, nisi in certis casibus. (65. Sicuti nec nessarium est de jure, quod testes in instrumento nomina sua subscribant, ut colligitur ex cit. authentica seu novella 73, *De instrumentorum cautela*, etc., juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Compleantur;* et notant Abbas, *citat. loc.*, n. 3; Covarruv., *loc. cit.*, n. 4; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 7; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 26, et alii; quamvis tamen id esset valde expediens et servandum, ubi adesset consuetudo, eo vel maxime quod Glossa, cap. *Post cessionem*, verb. *Litteras*, De probationibus, cum nonnullis aliis id absolute requiri contendit.

* Testium præsentia, quæ initio inventa fuerat, ut unusquisque facilius occurreret fraudibus, hodie pro forma tantum adhibetur. Nihilominus Justinianus statuit, bonæ opinionis esse oportere testes, et aut carentes hujusmodi derogatione per dignitatis, aut militiæ, aut divitiarum, aut officii causam; aut si non tales consistant, ex utroque tamen, quia fide digni sunt, testimonium perhibere. Et non quosdam artifices ignobiles, neque vilissimos, neque nimis obscuros ad testimonium procedere, sed, ut si qua de eis dubitatio fuerit, possit facile demonstrari testium vita, quia inculpabilis atque moderata est. Si vero ignoti quidam fuerint undique, et aliqui apparuerint circa testimonii veritatem corrumpere festinantes, posse eos etiam verberibus subjacere. Et judices, siquidem *administratores fuerint, hoc ipsi agant.* Novell. 90, c. 1. Si necessitatem testium non agnovisset Justinianus, non quidem tantas requisivisset qualitates in iisdem. Sed, quod magnopere plorandum est, hujusmodi qualitatibus destituti non modo ad testimonium perhibendum interdum admittuntur, sed etiam ad tabellionis officium exercendum *.

(66. Octavo, requiritur, quod notarius in instrumento nihil aliud scribat quam id quod circa rem gestam vere scit, ac propriis oculis vidit, atque præsens audivit; et inde instrumentum legat coram partibus, ut appareat omnia rite percepta et conscripta fuisse. Authent. seu novella 44, *De tabellionibus* cap. 1, collat. 4; Speculat., *loc. cit.*, n. 13; Engel., *loc. cit.*, n. 7; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 37; Menochius, lib. II *De arbitr. judic.*, cas. 1445, n. 9, et alii.

(67. Nono, requiritur, quod notarius exprimat in instrumento, quod fuerit rogatus ab eo vel ab iis ex quorum consensu actus dependet. Authent. seu novell. 45, *De tabellionibus*, c. 1, collat. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 30; Pirrh., *loc. cit.*, n. 7, vers. *Sexto;* Engel, *loc. cit.*, n. 7, et alii passim.

(68. Decimo, requiritur quod notarius nomen suum inscribat propria manu, addendo qua auctoritate, an Pontificia, vel Cæsarea, seu regia sit notarius. Cit. authent. seu novella 73, *De instrumentorum cautela et fide*, cap. *Sed et si instrumenta* 5, collat. 6, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Adjicitur;* Speculator, *loc. cit.*, n. 11; Covarruv., cit. cap. 20, n. 5; Mascard., *loc. cit.*, n. 91; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 28; Engel, *loc. cit.*, n. 14, et alii communiter; sufficit autem subscriptio notarii, quamvis per alium etiam privatum instrumentum scriptum fuerit : prout innuitur cap. *Inter dilectos* 6, verb. *Instrumentum quoque*, De fide instrumentor.; Abbas, *ibidem*, n. 7, et alii communiter, servatque praxis generalis.

(69. Undecimo, requiritur quod notarius apponat in instrumento signum solemne sui notariatus, id est certam aliquam imaginem vel figuram calamo depictam, aut per modum typi impressam. Glossa, in cit. authentic. seu novella 75, *De instrumentor. cautela*, etc., verb. *Oportet;* Reiffenst., *loc. cit.*, n. 24; Engel, *loc. cit.*, n. 14; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 7, vers. *Denique;* Covarr., cit. cap. 20, n. 5; Mascard., *loc. cit.*, n. 92, post Bartolum, in *Proœm.*, ff. n. 6, et alios.

(70. Duodecimo, requiritur ad uberiorem cautelam, quod notarius servet semper eamdem formam subscriptionis in uno instrumento, ac in aliis, ut, cum opus fuerit, possit fieri comparatio instrumentorum per ipsum confectorum. Arg. cit. authentic. seu novella 73, *De instrumentor. cautela* 6; juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Adjiciatur.*

* Postremo, ut instrumenta legitime facta dici possint, adeo ut fidem faciant, aliam requirunt solemnitatem. Paulus, *Recept. sent.* lib. v, tit. 23, § 6. Ita quippe laudatus

Digitized by Google

juris Clus : « Amplissimus ordo decrevit, eas tabulas, quæ publici, vel privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, ut in summa marginis ad mediam partem perforatæ triplici lino constringantur, atque impositum supra linum ceræ signa imprimantur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent. » Temporibus Neronis imperatoris tantus erat falsariorum numerus, ut hac lege opus fuerit ipsorum fraudibus occurrere. Testem habemus Suetonium in *Neron.* cap. 17, qui de hoc senatusconsulto ita loquitur : « Adversus falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto obsignarentur *. »

(71. Supradictæ solemnitates, quamvis non omnes de rigore juris requirantur ad essentiam, seu substantiam instrumenti publici, solent tamen omnes secundum receptam consuetudinem adhiberi, ita ut, si aliqua omittatur, tale instrumentum de fraude et falsitate suspectum reddatur; unde servandæ sunt secundum cujuslibet provinciæ probatam consuetudinem. Arg. cap. *Cum dilectus* 8, et cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine; Mascard., *loc. cit.*, n. 17; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 7 in fine, et alii passim.

(72. Instrumentum publicum manu notarii confectum cum dictis requisitis solemnitatibus, si originale seu authenticum sit, plene probat, plenamque facit fidem, tam pro proferente, quam contra proferentem. *Communis*, per text. in l. *In exercendis* 15, et tot. titul. cod. *De fide instrumentor.*, cap. *Si scripturam authenticam* 1, cap. *Scripta vera authentica* 2, et cap. *Cum P. tabellio* 15, De fide instrumentorum, cum similibus.

Notandum tamen quod instrumentum, ut fidem faciat apud judicem, apud quem producitur, debet agnosci per tabellionem amanuensem, cujus opera in eo conscribendo tabellio usus est, et annumeratorem pecuniæ, videlicet argumentarium, qui ei interfuit. Quo si nec Amanuensis, nec annumerator præsto sint, forte quia nullus fuerit Amanuensis, et annumerator, qui instrumento interfuerint aut mortui sint, vel absint, solius tabellionis testimonio creditur. Quod si tabellio defunctus sit, habebit instrumentum fidem tam ex testimonio Amanuensis, annumeratoris, et testium quam ex collatione adimpletionis instrumenti. Si autem nullus horum adsit, sola collatio adimpletionis non sufficiet, sed etiam examinandæ sunt subscribentium contrahentium scripturæ, ut etiam fusius in Novell. 73, cap 7*.

(73. Item plene probat, plenamque facit fidem etiam protocollum, si habeat dictas solemnitates ad instrumentum publicum, et solemne requisitas : imo protocollo habenti dictas requisitas solemnitates adeo creditur ut in dubio magis sit standum protocollo, quam instrumento inde desumpto. Sic clare desumitur, ex cap. *Quoniam contra* 12, De probationibus, et ex cit. authentic. seu Novella 44, *De tabellionibus*, cap. *Illud quoque* 5, collat. 5, ubi imperator fatetur, quod mediis protocollis fuerint sæpe detectæ multæ fraudes, ibi : « Novimus enim, multas falsitates ex talibus chartis (scilicet protocollis) ostensas, et prius, et nunc ; » Et sic tenent Bartolus, in leg. *Sempronius*, ff. *De legat.* 2, istud probans ex leg. *Si quis ex argentariis*, § penult., ff. *De edendo*, et cit. authentic. seu Novella 44, *De tabellionibus*, collat. 4 per totum ; Mascard., *De probationib.*, concl. 1205, n. 2; Alexander, conclus. 105, n. 1, volum. 2; Menoch., *De arbitr. judic.*, lib. II, cap. 87, n. 1 ; Zoetius, tit. *De fide instrumentor.*, n. 6; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 37; Pirrhing., *loc. cit.*, n. 17, et alii. Et ratio est quia si ex juribus cit. n. antecedenti instrumentis ex protocollo extractis datur publica, et plena fides, multo magis debet dari ipsi protocollo, juxta vulgatum commune axioma : « Propter quod unumquodque tale, et illud magis tale. »

(74. Mortuo ante perfectionem solemnis instrumenti notario illo, qui ad partium petitionem protocollum fecit, tunc accedente judicis auctoritate, potest alius notarius requisitus ab iis quorum interest, mortui notas, seu protocollum in publicum et solemne instrumentum redigere, et tale instrumentum plenam fidem facit, perinde ac si a priore notario confectum et absolutum fuisset. *Communis*, textu expresso in cap. *Cum P. tabellio* 15, De fide instrumentor.

(75. Ad id tamen requiruntur plures conditiones. Et prima est, quod prior notarius fuerit mortuus, sive naturaliter, sive civiliter per diuturnum impedimentum vel per perpetuam infirmitatem. (76. Nullus enim notarius potest in instrumentum publicum redigere protocollum alterius notarii adhuc vivi. Authentic. seu Novella 33, *De tabellionib. collat.* 4, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Ipsi per se*, cap. *Cum P. tabellio* 15, De fide instrumentor., et Glossa, *ibid.*, verb. *Perpetuam;* ubi expresse dicit, quod « tabellio, dum vivit, non potest alteri committere completionem instrumenti, sed ipsemet debet complere instrumentum, prout in protocollo reperitur. »

(77. Secunda est, quod ad id interveniat auctoritas judicis, sive ordinarii, sive delegati, qui de morte seu diuturno impedimento prioris notarii, simulque de fide et integritate illius, et protocolli seu notarum ab ipso factarum summarie cognoscat. C. *Cum P. tabellio* 15, De fide instrumentorum; Covarr., *Pract. q.*, c. 21, n. 3 ; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 19; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 51 et 54, et alii passim.

(78. Tertia est, quod notarius id faciat ad petitionem eorum, quorum interest, sicque etiam pars adversa, cujus interest, debet citari, cit. cap. *Cum P. tabellio* 15, De fide instrumentor.; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 10; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 10, et alii communiter.

(79. Quarta est, quod notarius id præstet fideliter, nihil ad substantiam pertinens addendo, diminuendo vel mutando ex iis, quæ in notis, seu protocollo defuncti con-

Digitized by Google

tinentur. Glossa, in cit. cap. *Cum P. tabellio*, verb. *Perpetuam*, ubi expresse dicit, « quod debet complere instrumentum prout in protocollo continetur, nihil addendo, vel diminuendo, quam in protocollo continetur; » ut in Authentic. *De tabellionib.*, collat. 4; abbas, *ibid.*, n. 5, et Joannes Andreas, n. 8; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 53; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 19, et alii passim.

(80. Quinta est, quod notarius notas, seu protocollum notarii mortui redigat in publicam instrumenti formam, et tale protocollum semper penes se servet. Cap. *Quoniam contra* 11, De probationibus, et citat. authentica, *De tabellionibus*, collat. 4, ea addita ratione : « Ut habeat unde sciat negotium, et interrogatus a judice possit, quæ subsecuta sunt, cognoscere et respondere. » Pirrhing, *loc. cit.*, n. 29; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 52, et alii communiter.

* Instrumentum vero in publicam formam redactum plene probat, et quidem ipsum authenticum instrumentum fidem facit, non hujus index aut exemplum, etiamsi fiscus agat. Nam, ut inquit Paulus : « Quicunque a fisco convenitur, non ex indice et exemplo alicujus scripturæ, sed ex authentico conveniendus est. Ita si contractus fides possit ostendi. Cæterum calumniosa scriptura vim in judicio obtinere non potest. » L. 2, ff. *De fid. instrumentor.* *.

(81. Interdum tamen exemplaria seu transumpta originalium instrumentor., si fiant auctoritate judicis ordinarii vel delegati per publicam personam, ac servatis de jure servandis, habent eamdem vim probandi ac originalia, textu expresso in cap. *Si instrumenta* 16, De fide instrumentor., ibi : « Si instrumenta propter vetustatem, vel propter aliam justam causam exemplari petantur, coram ordinario judice vel delegato, ab eo specialiter præsententur, qui si ea diligenter inspecta, in nulla sui parte vitiata repererit, per publicam personam illa præcipiat exemplari, eamdem auctoritatem per hoc cum originalibus habitura. »

(82. Imo in pluribus casibus exemplaria habent eamdem vim probandi ac originalia, etiamsi sint facta sine auctoritate judicis. Et signanter quando in litteris Pontificiis, ut fieri solet, habetur inserta hujusmodi clausula : « Quódque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. » Tunc enim, ut exemplaria eamdem vim habeant probandi, ac originalia, sufficit prædicta in tali clausula observari. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 65, et alii communiter.

(83. Item quando exemplar fuit factum, seu scriptum manu ejusdemmet notarii, qui instrumentum originale confecit. Cum enim idem notarius de eodem negotio possit conficere plura ipsissima instrumenta, et in tali casu idem sit auctor ejusdem scripturæ, eadem fides debet præstari utrique. Arg. c. *Dudum* 20, De convers. conjugat., ubi tale

publicum instrumentum post amissionem prioris ab eodem notario confectum, fuit habitum pro legitimo et valido. Pirrhing, *loc. cit.*, n. 23; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 66; Mascard., *De prob.*, conclus. 712, n. 25, testans de communi.

(84. Item quando, et ubi contraria consuetudo derogavit citato canoni *Si instrumenta* 16, De fide instrumentor., uti in praxi non solet hodie judex inspicere originale, sed notarius, qui instrumentum inscribit, testatur, quod illud omni cum diligentia inspexit, et nullum in eo vitium reperit, atque de verbo ad verbum cum ipso concordat, etc. Pirrhing, *loc. cit.*, n. 22; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 67, et alii, arg. cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine.

(85. Item quando notarius exemplum instrumenti conficit de consensu et rogatu partium, quarum interest; tunc enim illud fidem facit, et plene probat etiam sine judicis auctoritate, saltem in præjudicium partium, earumque successorum, quia in cit. c. *Si instrumento* 16, De fide instrument., est sermo, quando ex unius tantum partis voluntate instrumentum originale per notarium exemplatur, tunc enim necessario requiritur judicis auctoritas; secus autem si id fiat ex consensu omnium partium, quarum interest.

(86. Actor non potest regulariter petere, ut scripturæ et instrumenta propria rei, sibi ab ipso tradantur ad probandam suam intentionem; nec res suas, scripturas et instrumenta, quibus in judicio non est usurus, tenetur tradere, seu consignare ipsi actori. *Communis* per text. in cap. 1, *De probationibus*, juncto ejus summario, in quo expresse dicitur : « Reus actori suo propria instrumenta dare non tenetur, » et l. *Qui accusare* 4, cod. *De edendo;* non enim juris, aut æquitatis ratio permittit, ut quis invitus arma, quibus impugnatur, adversario suo tradere, eumque contra se adjuvare cogatur. L. *Nimis grave*, cod. *De testibus.*

* Sed hæc regula suas patitur exceptiones. Nam quandoque reus rationes suas edere compelletur, licet contra se ipsum faciant. Sic enim rescribit divus Pius in l. 1, cod. *De edendo :* « Ipse dispice quemadmodum pecuniam, quam te deposuisse dicis, deberi tibi probes. Nam quod desideras, ut rationes suas adversaria tua exhibeat, id ex causa ad judicis officium pertinere solet. » Fiscus etiam cum agit, hoc utitur privilegio, ut reum ad edenda sibi instrumenta cogere possit, per text. in l. 2, § 1, ff. *De jure fisci.* Notandum tamen, quod non indistincte quævis instrumenta edere reus tenetur, sed ea duntaxat, quæ ad causam pertinent, de qua agitur l. 3, ff. *De edendo.* Sciendum denique distinctiones, quas statuimus inter reum et actorem, quoad exhibitionem instrumentorum, privata duntaxat spectare instrumenta. Nam quoad publica attinet, ab utraque parte exhibenda sunt. Etenim « Is, apud quem res agitur, acta publica tam civilia quam criminalia exhiberi inspicienda ad investigandam veritatis fidem jubebit. »

Digitized by Google

Ita rescripserunt Severus et Antoninus, in l. 2. cod. *De edendo* *.

(87. Tenetur tamen reus tradere actori petenti instrumenta communia, et si judex parti petenti non facit tradi instrumenta communia, licite ab ipso appellatur, et quidquid post appellationem attentatum fuerit, non valet. *Communis*, text. expresso in c. *P. Perpetuus vicarius* 12. De fide instrumentor., juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Instrumentorum communium*, cum pluribus juribus ibi a se adductis. (88. Et ratio est, quia instrumenta communia sunt quodammodo propria utrique parti; nam quod commune est, meum est. L. *Servi electione*, juncta Glossa, verb. *Communis*, ff. *De legat.* 1, adeoque talia communia instrumenta a qualibet juste petuntur et ab altera tradi debent, et ad id compelli potest, et debet a judice, alias fit ibi locus appellationi.

(89. Instrumenta inter se contraria, si ab eadem parte contra adversarium suum producantur in judicio, nihil probant, sed fidem sibi ad invicem derogant, textu expresso in cap. *Imputari* 13, De fide instrumentor., ubi insuper redditur ratio, ibi : « Imputari ei potest, quod contrarias inter se scripturas in judicio protulit fidem sibi ad invicem derogantes, cum in ipsius fuerit potestate, quam voluerit, non proferre. » Et concordat l. *Scriptura*, cod. eodem

(90. Si autem instrumenta contraria a diversis partibus producantur, tunc standum est instrumento digniori, verbi gratia publico, aut quod magis caret falsi suspicione. Arg. l. *Scripturas*, cod. *Qui potiores in pignore.* Sic Glossa final. in cit. c. *Imputari*, et abbas, *ibid.*, n. 3 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 324, et alii, et desumitur ex cit. l. *Scripturas*, cod. *Qui potiores in pignore*, et c. *In nostro* 32, De testibus, cum similibus.

(91. Si instrumenta hinc inde producta omnino sint æqualia, et paris auctoritatis seu dignitatis, tunc reus est absolvendus, præterquam in causa liberali seu favorabili, textu expresso in cap. *Ex litteris* 3, De probationibus, ibi : « Quod si ambarum partium testes sunt æque idonei, possessoris testes præferuntur, cum promptiora sint jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, præterquam in liberali causa, in qua si utriusque partis testes æquales fuerint, pro libertate sententia proferetur ; » juncto summario, *ibidem*, in quo sic præcise dicitur : « In communi judicio probant actor et reus, et si pariter probant, reus absolvitur, nisi favorabilem causam foveat actor. » Et Glossa, *ibidem*, verb. *In liberali*, ubi assignat quatuor causas liberales, in quibus si utriusque partis probationes fuerint æquales, sententiari debet favore ipsarum, scilicet pro favore matrimonii, favore testamenti, favore dotis, favore libertatis, adducitque ad id duos sequentes versiculos :

> Stat testamentum, libertas, conjugium, dos,
> Si sint æquales qui producuntur utrinque.

* Observandum superest, illud instrumentum pro eo fidem facere non posse, qui illo non usurum se contestatus est. Hinc « si adversarius tuus apud acta præsidis provinciæ, cum fides instrumenti, quod proferebat, in dubium revocaretur, non usurum se contestatus est, vereri non debes, ne ex ea scriptura, quam non esse veram etiam professione ejus constitit, negotium denuo repetatur. L. 3, cod. *De fid. instrum.* *.

(92. Instrumentum ob factam in parte substantiali rasuram redditur suspectum de falsitate, ac proinde reprobari potest : secus si rasura facta sit in parte non substantiali seu in loco non suspecto. *Communis*, et quoad primam partem colligitur clare ex cap. *Inter dilectos* 6, De fide instrumentor. juncto ejus summario, in quo præcise dicitur : « Instrumentum publica manu confectum habens sigillum, cujus litteræ non sunt legibiles, vel scripturæ deletæ, vel enormem patitur fracturam, non probat. » Et clarius ex capit. *Cum venerabilis* 7, De religiosis domibus, ubi statuitur : « Instrumento nullam fidem penitus adhibendam propter superlinearem scripturam et rasuram loco suspecto factam, ubi videlicet adnotatio temporis recensetur ; » et infra subjungit Pontifex : « Instrumentum prædictum.... ad faciendam super hoc fidem invalidum esse cognovimus, utpote propter prædicta de jure suspectum. » Quoad secundam autem partem habetur clare ex capit. *Ex litteris* 3, De fide instrumentorum, ibi : « Dicimus, quod propter abrasionem illam judicari falsæ non possunt, nec etiam haberi suspectæ, » juncto ejus summario, in quo expresse dicitur : « Rescriptum Apostolicum propter rasuram in loco non suspecto non censetur vitiosum, » et capit. *Ex conscientia* 9, De crimine falsi, in cujus summario sic præcise habetur : « Propter paucam litterarum rasuram in loco non suscepto rescriptum non probatur falsum. »

(93. Amissio scripturæ seu instrumenti, non nocet, si possit fieri probatio ipsius negotii verbi gratia debiti per testes, vel alio legitimo modo. *Communis*, textu expresso in l. *Debitores* 1, cod. *De fide instrumentor.*, ibi : « Debitores tuos quibuscunque rationibus debere tibi pecuniam si probaveris, ad solutionem compellet aditus præses provinciæ. Nec oberit tibi amissio instrumentorum, si modo manifestis probationibus eos debitores esse apparuerit.

(94. Si instrumentum sit amissum casu fortuito, incendio, inundatione, prædatione, et hujusmodi, oportet, ut illud allegans probet casum fortuitum, et tenorem instrumenti ; vel per testes, qui præsentes fuerint contractui celebrato, et instrumento per notarium legitime confecto, vel per testes, qui licet tempore celebrati contractus et confecti instrumenti non fuerint præsentes, postea tamen illud propriis oculis viderunt in nulla sui parte vitiatum et attente legerunt ejus tenorem ita, vel ita sonantem ; alias debitores ad solutionem non possunt compelli, textu expresso in l. *Sicut iniquum est* 5, c. *De fide instrumentor.*, ibi : « Sicut iniquum est, instrumentis vi ignis

Digitized by Google

consumptis, debitores quantitatum debitarum renuere solutionem, ita non statim casum conquerentibus facile credendum est; intelligere itaque debetis, non exsistentibus instrumentis, vel aliis argumentis, probare debere fidem precibus vestris adesse ; »juncto ejus summario ex Saliceto, ibi : « Si creditor dicat se perdidisse casu instrumentum debiti, non debent propterea, qui dicuntur debitores, ad solutionem urgeri, nisi creditor probet casum et tenorem instrumenti, » et ibi Bartolus, n. 2; Abbas, in cap. *Albericus*, n. 4, De testamentis; Alexander, consil. 196, n. 11, lib. II ; Mascard., *De probationib.*, concl. 910, n. 6, 10 et seq.; Reiffenstuel, *loc. citat.*, n. 333 et seq., et alii.

(95. Si instrumentum pereat facto adversarii, illud verbi gratia dilacerantis vel auferentis, oportet, ut istud legitime probetur, et facta tali legitima probatione, tunc per solum juramentum spoliati probatur tenor instrumenti, et valor rerum in eo contentarum. Sic desumitur ex l. *Si de possessione* 20, juncta Glossa marginali cod. *De probationibus ;* et notat Abbas in c. *Accepimus* 4, n. 4, De fide instrumentor. ; Mascard., *loc. cit.*, conclus. 911, n. 3 et 4 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 337; Engel, *loc. cit.*, n. 54, et alii passim; in similibus enim, probata fraude seu violentia per testes, sufficit, quod res amissæ, earumque valor probentur per juramentum spoliati, textu expresso in cap. *Super eo* 7, De his, quæ vi metusve causa fiunt, juncto ejus summario, ubi sic expresse habetur : « Probata violentia per testes, res amissæ probantur per juramentum, et super valore rerum amissarum, taxatione judicis præmissa, et secuto potentis juramento, fit condemnatio. »

(96. Falsificantes scripturas seu instrumenta quas pœnas incurrant. *Vide* verb. FALSUM. FALSARIUM, a n. 39 ad 73.

97. Scripturæ et instrumenta, quæ conficiuntur, et rogantur a cancellario episcopi tanquam cancellario, servari debent in episcopi cancellaria, non autem transferri debent in archivio communitatis. Sacr. congreg. Conc. 5 Novembr. 1625 ; apud Pignatell., tom. IV, consult. 210, num. 3.

(98. Imo potest episcopus per edictum præcipere aliis notariis, quod exhibere debeant in cancellaria episcopali acta, seu rogatus, illorumque exemplaria spectantia ad monasteria monialium, prout laudando episcopum Eugubinum, qui tale mandatum dederat, respondit sacra congreg. Episc. 31 Jan. 1596; apud Monacell., part. I, titul. 1, formul. 5, num. 3.

(99. Ecclesiastici non possunt cogi ad faciendam insinuationem in cancellaria laicali instrumentorum dotalium monialium, patrimoniorum, et similium scripturarum. Sacra congregat. Immunitat., *in Nicen.* 28 Septembr. 1677, lib. II *Decretor.* Altovit., pag. 1461.

(100. Episcopus requisitus a laicis pro consignatione scripturarum respondeat se non habere facultatem, sed adeundum esse sanctissimum pro obtinenda facultate. Sacra congregat. Immun., *in Neritonen.* 17 Novembr. 1654 ; lib. III *Decret.* Paul., pag. 54.

(101. Omnes scripturæ pertinentes ad abbatiam N. exsistentes in archivio archiepiscopali debent communicari abbati pro tuitione jurium ei competentium. Sacr. congr. Immun., *in Acerren.* 23 Maii 1703, lib. III *Decr.* Vallem., pag. 490.

(102. Datur facultas extrahendi ser. ser. protocolla, et instrumenta notarii demortui a loco immuni et consignandi ser. ser. in archivio publico civitatis cum prævio inventario dictarum scripturarum, ita tamen, ut nullum inferatur damnum, seu præjudicium hæredi pro jure sibi competente super dictis scripturis. Sacr. congreg. Immun., *in Foresempronien.* 13 Augusti 1667, lib. I *Decr.* Altov., pag. 141, *in Marsicen.* 10 Decemb. 1678, lib. II *Decret.* Altov., pag. 1685.

(103. Ad evitandas fraudes, quibus potest subjici justitia ob falsificationem prætensam scripturarum, quas apud se retinet notarius confugitus in loco immuni, datur episcopo facultas perquirendi dictas scripturas ad effectum faciendi inventarium, et consignandi in manu judicis competentis, ut de ipsis disponat prout de jure. Sacr. congr. Immun., *in Reatina* 31 Decr. 1677, lib. II *Decret.* Altov., pag. 189.

(104. Præcipitur archiepiscopo ut auctoritate sua ordinaria cogat secretarium communitatis ad communicandas scripturas pro lite cum communitate pendente in sacra congr. ratione aperitionis Macelli. Sacr. Immun., *in Beneventana* 22 Aprilis 1673. *ibi*, pag. 792.

(105. Injungitur, mandante sanctissimo, episcopo Montis Regalis, et nuntio, ut faciant abolere omnes scripturas ab eorum tribunalibus quomodolibet emanatas, et omnia facta inde secuta quoad solutionem oneris laicalis contra ecclesiasticos, et transmittant ad sacr. congreg. publicum documentum dictæ abolitionis. Sacr. congreg. Immun., *in Montis Regalis* 5 Maii 1677, lib. II *Decretor.* Altovit., pag. 1384.

(106. Archiepiscopus curet restitui Ecclesiæ protocolla seu scripturas ab ipsa extractas de ejus ordine ad effectum consignandi, cui de jure et homine ex defectu facultatis. Sacr. congregat. Immun., *in Regien.* 4 Octobris 1681, *ibi*, pag. 2266.

(107. Nisi scripturæ ab Ecclesia ablatæ restituantur, non conceditur absolutio. Sacra congregat. Imm., *in Oritana* 10 Septemb. 1629, lib. II *Decret.* Paul., pag. 5.

(108. Alia ad rem. *Vide* verb. FALSARIUS, verb. LITTERÆ, verb. NOTARIUS, verb. PROBATIO.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(109. De hoc argumento quamvis late disseruit auctor, libet tamen per compendium totam materiam complecti. Scripturæ aut publicæ sunt, aut privatæ. (110. Publicæ scripturæ sunt, quæ auctoritate publica a personis illa pollentibus confecta sunt.

Digitized by Google

(111. Huc autem l. pertinent instrumenta a capitulis ecclesiasticis confecta, ac sigillo eorum munita. Cap. 2, *De fid. instrumentorum.*

(112. II. Libri ecclesiastici, quibus consignantur baptizati et novi conjuges copulati. Carpzov., lib. XII *Jurisprud. consistor.*, defin. 315, n. 2 et 3; Philippi, in *Us. practit. instit.*, eclog. 47.

(113. Notandum vero, libros hosce de iis tantum fidem facere, quæ coram parochis acta sunt, non vero quæ ex relatione aliorum habent. *Vide* quæ diximus in *Addit.* ad verb. ÆTAS.

(114. III. Acta judicialia legitime confecta a publica persona seu actuario judicii ad illa judicia solemni juramento obstricto, quæ tunc demum fidem publicam habent. Cap. 11, *De fid. instrument.*

(115. IV. Scripturæ privatæ testium subscriptione munitæ, modo adhuc vivant, ut subscriptionem suam recognoscere valeant. Cap. 2, eod. tit. Publica vero documenta ex se probant, utut mortui sint testes subscripti. (116. Hoc intuitu in l. 11, c. *Qui potior. in pignor.*, hypotheca publica censetur, quæ constituta est in scriptura trium testium subscriptione roborata, quod tamen aliter intelligi nequit, quam si testes adhuc vivant, seu subscriptiones suas recognoscere queant, vel ad minimum duo supersint, qui recognitionem facere possint, quia inde fides publica scripturæ privatæ dependet. Consule Brunemann., ad cit. l. 11, n. 5, c. *Qui potior. in pignor.*

(117. V. Notariorum instrumenta legitime confecta. Probant tamen si in originali, non item si in exemplo producantur, cap. 1, dict. tit. (118. Nec sufficit exemplum, quod fide notarii ab originali, vel quod pro tali habetur, transumptum est. (119. Exemplum vero transumptum secundum formam in cap. finali d. tit. præscriptam attendi debet. De hac autem forma plures incidere solent quæstiones. At vide de iis Bohemer., in *Decretal.*, lib. II, tit. 22, § 5 seq. (120. Extra ordinem vero fides etiam exemplo esse potest, non quidem, si in archivio repertum sit, ut perperam nonnulli volunt, sed si agatur de causa antiqua et insignia quædam adminicula eidem accedant. Cap. 13, *De probat.*

(121. Sunt qui in classe Scripturarum publicarum recensent VI. Et regesta monasteriorum, quibus designati sunt reditus aliæque obventiones ad monasterium spectantes. Confer Genua, *De scriptur. privat.*, lib. II, qu. 1 et 2. Sed eos refutat Bohemer., *loco mox cit.*, § 3.

(122. Scripturæ privatæ regulariter pro scribente non probant. Contra vero scribentem probant, dummodo debite recognoscantur, nec *indeterminate* loquantur, sed causam debendi adjectam habeant. Cap. 14, *De fid. instrument.*, l. 25, § final., ff. *De probat.*

(123. Extra ordinem vero scripturæ hæ indeterminate loquentes probant, I. Inter mercatores, quippe qui stylo admodum laconico inter se utuntur, ut plurimum causam specialem debendi omittunt, simpliciter fidei datæ inhærentes. Marquard., *De jur. mercator.*, lib. I, cap. 14, n. 11; Brunemann., centur. 2, dec. 99 per tot. (124. II. Si juramentum accesserit; Barbos., ad cap. 14, n. 2, *De fide instrum.*; Seraphin., *De privileg. juram.*, privileg. 94, n. 8, ubi tamen aliquas limitationes affert. (125. III. Si statuto contrarium introductum. IV. Si actor super causa debendi juramentum præstitit, licet generaliter tantum juraverit, ex justa causa reum debere. Confer Bohemer., *ubi supra*, § 10.

(126. Illud subnectendum, subtrahi posse vim probandi scripturis variis de causis: I. Si per testes, vel alio modo earum falsitas probetur. Cap. 4 et 10, *De fid. instrum.* II. Si non sint legibiles. *Vide* Bohemer., in Dissertat. *de script. non legit.*, cap. 4. III. Si contradictoriæ ab eodem producantur; cap. 13, dict. tit. IV, ex rasura, si in loco principali appareat; cap. 3, dict. tit.

SCRUPULUS.

SUMMARIUM.

1. Scrupulus unde sit dictus? — 2. Scrupulus quid sit? — 3. Scrupulosi alii sunt circa præsentia, et alii circa præterita, et utrique qui sint? Item quæ sint signa conscientiæ scrupulosæ? Item quæ sint ejus causæ? Item quæ sint ejus remedia? Item quæ sint ejus privilegia? et quando liceat, vel non operari contra conscientiam scrupulosam? *remissive.*

(1. Scrupulus est sic dictus, eo quod instar scrupuli seu lapilli calceis inclusi, pedemque vexantis, animo hominis insidens, eum vexet et angat; scrupuli enim sunt minuti lapilli, qui inter ambulandum insiliunt in calceos hominibus, ac pedem torquent; inde injicere scrupulum dicitur, qui sollicitudinem injicit animo cujuspiam; et scrupulum eximit, qui sollicitudinem eximit; unde in l. *Cum proponas* 3, cod. *De interdicto matrimonio*, sic dicitur: « Ut autem omnis scrupulus auferatur, insistere pater tuus debet. » Sic expresse notat Joannes Kahl, alias Calvinus, in magno *Lexico juridico*, verb. *Scrupuli.*

(2. Hinc scrupulus definitur, quod sit inanis apprehensio, et hinc ortus timor, et anxietas mentis alicubi esse peccatum, ubi revera non est, nec fuit. Est in re communis. Unde scrupulus proprie fit, et tum conscientia scrupulosa proprie dicenda est, quando intellectus, neque determinate judicat, neque dubitat practice aliquid esse peccatum, sed potius habito, vel sufficienter proposito judicio non esse peccatum, sola apprehensione, vel suspicione mali ex inani seu levi motivo titubat, fluctuat, anxie formidat esse, vel fuisse peccatum, v. g. forte se consensisse tali suggestioni, et hujusmodi.

Digitized by Google

(3. Scrupulosi alii sunt circa præsentia, et alii circa præterita, et utrique qui sint? *Vide* verb. Conscientia, a n. 115 ad n. 126, ubi fuse agitur de conscientia scrupulosa, et assignantur signa conscientiæ scrupulosæ; item remedia conscientiæ scrupulosæ; item privilegia conscientiæ scrupulosæ. Et quando liceat, vel non, operari contra conscientiam scrupulosam.

SECRETARIUS, SECRETUM.

SUMMARIUM.

1. Secretarius ad quid teneatur? — 2. Secretarius peccat in pluribus, quæ assignantur? — 3. Quæ sint conditiones ad justam compensationem? *remissive.* — 4. Quam mercedem possint exigere secretarii, seu cancellarii curiæ episcopalis, *remissive.* — 5. Secretarius, qui multa scribit, probabilius non excusatur a jejunio. — 6. Secretum (præter illud confessionis sacramentalis) potest aliquid dici quinque potissimum modis, qui assignantur. — 7. Revelare secretum in primo casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam. — 8. Revelare secretum in secundo casu seu modo, est etiam peccatum mortale contra justitiam. — 9. Revelare secretum in tertio casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam, si promittens intenderit se obligare ad servandum tale secretum ex justitia, secus autem si solum ex fidelitate. — 10. Revelare secretum in quarto casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam. — 11. Revelare secretum in quinto casu, est peccatum mortale contra justitiam, licet non tam grave, sicut in quarto casu seu modo. — 12. Justæ causæ revelandi secretum sunt potissimum quinque, quæ enumerantur. — 13. Per revelationem secreti potest aliquando fieri injuria gravis, aliquando injuria levis, et aliquando nulla. — 14. Assignatur, quando fiat injuria gravis, et peccetur mortaliter. — 15. Assignatur, quando fiat injuria levis, et peccetur solum venialiter. — 16. Assignatur, quando nulla fiat injuria, et nulliter peccetur. — 17. Generales, provinciales, visitatores, aliique religiosorum et religiosarum superiores graviter peccant contra justitiam, si personas, a quibus aliorum defectus corrigendos susceperint, manifestent. — 18. Item graviter peccant juxta gravitatem materiæ, et circumstantiarum generales, provinciales, definitores, aliique vocales, et secretarii, qui acta et dicta in capitulis, definitoriis aliisque congressibus, aperiunt amicis eum magno religionis et religiosorum dispendio; sicuti et illi, qui personis particularibus significant, quos favorabiles, et quos contrarios habuerint in ordine ad dignitates, gradus et officia, ad quæ fuerunt propositi. — 19. Item graviter peccant regulares omnes utriusque sexus quidquam in religionis detrimentum patefacientes, seu aliquid in præjudicium famæ religionis, aut particularis religiosi, vel religiosæ manifestantes. — 20. Alia ad rem, *remissive.*

(1. Secretarius tenetur scire ea, quæ ad suum officium spectant, et juste, diligenter, fideliterque dictum officium suum exercere. *Communis.*

(2. Secretarius in pluribus peccat, et signanter si juramentum violet. Item si secreta revelet. Item si sententiam nondum publicatam manifestet. Item si processus, aut sententiam non recte custodiat, vel partibus sine præscripto judicis ostendat. Item si testimonia non fideliter transcribat, sive exaggerando, vel imminuendo, seu immutando, aut inventando. Item si subripiat aliquid ultra conventam mercedem, præsertim si non interveniant requisitæ conditiones ad justam compensationem. *Communis.*

(3. Quæ autem sint conditiones requisitæ ad justam compensationem? *Vide* verb. Compensatio.

(4. Et quam mercedem possint exigere secretarii, seu cancellarii curiæ episcopalis. *Vide* verb. Cancellarius.

(5. Secretarius, qui multa scribit, probabilius non excusatur a jejunio. Potest enim secretarius vires habere sufficientes ad multum scribendum, quamvis jejunet; imo temperantia, et jejunium maxime conducit ad valetudinem sedentarii. Sanchez, in *Consil.*, lib. v, cap. 1, dub. 7; La Croix, lib. iii, part. ii, n. 1332, et alii passim; quamvis tamen non desint, qui excusent a jejunio secretarios multum scribentes ver. gr. secretarios regum, aliorumque principum, ac præcipuorum officialium, quia dicunt, tale officium requirere constantes vires, quæ multum debilitantur per jejunium; sic Angles, aliique cum Burghaber, centur. 3, cas. 5 et Diana, in *Compend.*, verb. *Jejunium*, n. 10. *Vide* verb. Jejunium, n. 21.

(6. Secretum (præter illud confessionis sacramentalis, de quo *infra* sub verb. Sigillum confessionis) potest aliquid dici quinque potissimum modis. Primo, quando aliquid ex natura rei petit esse et teneri secretum, seu quando res uni aut alteri revelata postulat ex se manere occulta. Secundo, quando res aliqua expresse vel tacite sub secreto commissa est. Tertio, quando audiens, secretum promittit, licet non fuerit ipsi commissum. Quarto, quando res aliqua occulta cognoscitur per injuriam. Quinto, quando res aliqua occulta cognoscitur casu sine alia injuria, etc.

(7. Revelare secretum in primo casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam, si materia sit gravis. *Communis.* Et ratio est, quia ex revelatione talis secreti in materia gravi causatur proximo grave et notabile detrimentum in bonis vitæ, vel famæ, seu fortunæ; proximus autem habet verum jus ad omnia dicta bona, adeoque revelare tale secretum, ratione cujus imminet proximo jactura dictorum bonorum, est gravis injustitia, et consequenter gravis culpa cum onere restitutionis.

(8. Revelare secretum in secundo casu seu modo, est etiam peccatum mortale contra justitiam, si materia sit gravis. *Communis.* Et ratio est, quia secretum revelatum sub expresso vel tacito pacto tacendi, continet in materia gravi gravem obligationem justitiæ. Est enim contractus onerosus, cum subeat onus revelandi petens vicissim onus tacendi, adeoque, etc.

(9. Revelare secretum in tertio casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam in re gravi, si promittens intenderit, se obligare ad servandum tale secretum ex

Digitized by Google

justitia. Secus autem si solum ex fidelitate. An autem promittens intenderit se obligare ex justitia, vel solum ex fidelitate seu urbanitate, judicandum est ex circumstantiis materiæ, personæ, loci, temporis et modi.

(10. Revelare secretum in quarto casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam in materia gravi. *Communis.* Si quis enim per injuriam injuste aperit litteras alicujus, ex quibus cognoscit ipsum aliquod pingue beneficium certo medio consecuturum, certa negotiatione multum lucraturum, et hujusmodi, et postea revelat id amico, qui prævenit, impedit, et sibi tali medio et negotiatione acquirit, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis, probabilitatis, vel spei habitæ illud bonum consequendi, quia talis injusta aperitio et lectio litterarum, et revelatio secreti fuit impeditiva ipsius boni et causa mali. *Vide* verb. LITTERÆ, n. 6.

(11. Revelare secretum in quinto casu seu modo, est peccatum mortale contra justitiam in materia gravi, licet non tam grave, quam revelare secretum in quarto casu, seu cognitum per injuriam. *Communis.* Si enim quis sciens seu cognoscens casu fortuito sine injuria ubi alter habeat thesaurum occultum, illum revelat, et inde subripiatur a latronibus, peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem damnorum, cum ipse sit eorum causa, licet non tam graviter peccet, ac si cognovisset per injuriam, quia obligatio justitiæ circa secretum cognitum sine injuria est levior, quam circa secretum cognitum per injuriam.

(12. Justæ causæ revelandi secretum sunt potissimum quinque. Prima est, quando res nullatenus secretum meretur, ex quo nulli prodesse, vel nocere possit. Secunda, quando res tradita sub secreto, est aliunde facta jam publica. Tertia, quando secretum cedit in damnum commune reipublicæ, aut alicujus innocentis. Quarta, quando secretum cessurum esset in grave nocumentum ipsiusmet secretum committentis. Quinta, quando ipsemet, cui secretum commissum est, grave damnum incurrere deberet, ni secretum revelet.

(13. Ex supradictis colliges primo, per revelationem secreti posse aliquando fieri injuriam gravem, aliquando injuriam levem, et aliquando nullam. *Communis.*

(14. Colliges secundo, tunc per revelationem secreti fieri injuriam gravem, et peccari mortaliter, quando quis in materia gravi secretum, expressa vel tacita conventione tacendi sibi commissum, revelat. *Communis.* Et ratio est, quia servare fidem sibi commissam est de jure naturali, ut tradunt communiter doctores cum sancto Thoma, 2-2, q. 70, art. 1 ad 2. Unde *Proverb.* c. XI, n. 13, sic habetur: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana, qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.* Et quidem quoad expressam conventionem res de se clara est. Quoad tacitam autem conventionem manifeste patet in multis, et signanter in consiliariis, belli officialibus, advocatis, theologis, medicis, chirurgis, obstetricibus; imo et probabiliter etiam in amicis et propinquis, quibus consilii, remedii vel auxilii capiendi causa certa secreta revelantur, quia supradicti omnes eo ipso, quod talia secreta suscipiunt, seclusa expressa conventione tacendi, tacite consentur vi officii, aut muneris, aut rei ex natura sua postulantis secretum ad silentium se obligare; et a fortiori injuriam gravem inferunt et graviter peccant cum onere restitutionis, qui revelant secreta cognita per injuriam, ut dicebatur supra, de injuste et fraudulenter aperientibus alienas litteras, et inde detecta secreta cum eorum notabili damno revelantibus; et sic de similibus.

(15. Colliges tertio, tunc per revelationem secreti fieri injuriam levem, et peccari solum venialiter, quando quis in materia levi modicum solum inde inferente damnum, aut ex imperfectione actus sine expressa gravi obligatione tacendi, secretum revelat. *Communis.* Et ratio est, quia res levis momenti obligat solum leviter ad secretum; additur tamen *sine expressa gravi obligatione tacendi*, quia, si quis, præcedente tali expressa obligatione tacendi in aliqua speciali materia, etiam levi secretum revelaret, injuriam gravem inferret, et consequenter graviter peccaret, non ratione materiæ, quæ de se esset levis, sed ratione violatæ fidei contra expressam sibi impositam, et a se voluntarie assumptam obligationem tacendi, seu servandi fidem, etiam in dicta speciali materia levi.

(16. Colliges quarto, tunc per revelationem secreti nullam fieri injuriam, et nulliter peccari, quando quis secretum revelat, aliqua ex quinque assignatis *supra* n. 12 interveniente justa causa ipsum revelandi. *Communis.* Et quidem interveniente prima vel secunda ex assignatis causis res de se patet; interveniente autem tertia, ut si urbs esset prodenda, aut innocens injuste esset occidendus, licitum est etiam cum dispendio alterius, et malitia sua nocere volentis, revelare secretum ad avertendum simile malum, ut docet communis doctorum cum S. Th., 2-2, q. 79, art. 1. Et ratio est, quia ex lege et ordine charitatis quilibet licite potest, imo obligatur liberare innocentem ab injuria injuste nocentis, quamvis cum aliquo nocentis damno fieri debeat; item interveniente quarta ex dictis causis, ut si committens secretum velit matrimonium inire cum impedimento dirimente alicui revelato, tunc si non possit aliter a tali matrimonio revocari seu impediri, nisi canonice denuntietur, licita, imo debita erit denuntiatio seu revelatio secreti, quia id exigit reverentia sacramenti et obligatio evitandi etiam proximi peccatum, ut tradit communis doctorum cum Sanchez, lib. III, *De matr.*, disp. 13; Laym., lib. III, tract. 3, cap. 5, n. 1; Sporer, tom. II, tract. 5, cap. 4, sect. 3, n. 46. Sicuti etiam licitum est, imo debitum, pravam alicujus consuetudi-

Digitized by Google

nem sub secreto commissam revelare superiori aut alteri, si non possit aliter ejus saluti consuli, quia bonum animæ præponderat bono famæ; item interveniente quinta ex dictis causis, ut si quis secretum sibi commissum non possit servare nisi cum dispendio vitæ et famæ, tunc enim potest is licite tale secretum revelare, quia non censetur se voluisse obligare ad servandum secretum in simili casu tanti sui detrimenti inde secuturi cum præsumatur potius quemque ex ordine charitatis propriam incolumitatem voluisse et velle præferre alienæ, ut docent communiter doctores cum Lessio, lib. II, c. 11, dub. 18; Layman, *loc. citat.*, n. 2; Sporer, *loc. citat.*, n. 46.

(17. Generales, provinciales, visitatores, aliique religiosorum et religiosarum superiores graviter peccant contra justitiam, si personas, a quibus aliorum defectus corrigendos susceperint, manifestent. *Communis.* Et ratio est, quia certum est, ex conventione saltem tacita id sibi sub secreto strictissimo esse commissum; tum quia talis revelatio apertissime retrahit subditos a declarandis defectibus necessario corrigendis, quod cedit in maximum et gravissimum detrimentum disciplinæ regularis, et consequenter totius provinciæ et religionis.

(18. Item graviter peccant juxta gravitatem materiæ, et circumstantiarum generales, provinciales, definitores, aliique vocales, et secretarii, qui acta et dicta in capitulis definitoriis, aliisque congressibus revelant et aperiunt, et significant amicis cum magno religionis aut religiosorum dispendio, sicuti et illi graviter peccant, qui personis particularibus significant, quos favorabiles et quos adversarios habuerint in ordine ad dignitates, gradus et officia, ad quæ fuerunt propositi. *Communis.* Et ratio est, quia similia sunt apertissima semina discordiarum et divisionum. Et *Proverb.*, c. VI, n. 19, Dominus detestatur *eum, qui seminat inter fratres discordias.*

(19. Item graviter peccant regulares omnes utriusque sexus quidquam in religionis detrimentum extra religionem patefacientes, seu aliquid in præjudicium famæ religionis, seu particularis religiosi aut religiosæ manifestantes. Hinc in pluribus religionibus tales manifestationes et patefactiones ponuntur inter peculiares suos casus reservatos. *Communis.*

(20. Alia ad rem. *Vide* verb. DETRACTIO et verb. LITTERÆ.

SÆCULARIZATIO BONORUM ECCLESIASTICORUM.

(1. Sæcularizationis nomen in tractatibus Westphalicis primitus ortum habuit, illoque usus est orator Gallicus dux de Longueville 1646, 8 Aprilis in collatione cum Protestantibus Monasterii habita. Magis Latine *profanationem* eam dicendam volunt Protestantes, ut Mauritius in diss. *De sæc.*, c. 2, § 1. Denotat autem translationem bonorum ecclesiasticorum ad usus civiles vel sæculares, de qua sola hic quæritur; non enim dubium ullum est, bona ecclesiastica ad alios usus pios æque bonos vel meliores, legitima auctoritate interveniente, ex gravibus causis converti posse: hoc namque casu sæcularizatio non fit, et pia fundatorum intentio non tantum impletur, sed in melius adhuc commutatur.

(2. Hanc autem cum cl. Ludovico Philippo Behlen, in diss. *De causis sæcularizationum illegitimis et legitimis*, § 2, regulam ponimus: « sæcularizationem bonorum ecclesiasticorum injustam et impiam esse. » Quam quidem regulam moratiores ipsi Protestantes theologi et canonistæ admisere. Satis sit Joannis Hornbek verba recitare in exam. Bullæ Papalis Innocentii X, p. 110, ubi ait: « Ut quis solo magistratus arbitrio bona ecclesiastica aliter vel accipiat, vel impendat, quam in usus finesque ecclesiasticos adversus donationum et donatorum voluntatem, nemo hactenus docuit reformatorum; uti nec, quod bona ecclesiastica sunt juris publici, et quia protegantur a magistratu, ideo ad usus suos ab eodem ordinari possunt, et fisco suo addici. Quod si ita esset, profecto nec ego, nec alii ecclesiis quidpiam facile legaremus, quibus non liceret securis esse, quod bona in pios usus a nobis data, iisdem servirent, etc. » Lutheranorum theologorum conformem doctrinam adducit Dedekennus, vol. 1, *Consil.*, f. 990.

(3. Sed quoniam Protestantes recentiores, quibuscum agendum nobis potissimum est, jure utroque canonico et civili contempto, ad sacram Scripturam provocant, divinis saltem revelationibus aurem præbeant. Exponit Deus per os Moysis effectus votorum sibi factorum, unum ex parte sui, scilicet quod rem sibi consecratam tanquam propriam, et sanctam acceptare velit, alteram ex parte hominis, ne voto exsoluto homo in pristinos usus rem Deo traditam convertat. *Omne, quod Domino consecratur, sive homo, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum sanctorum erit Domino. Levit.* XXVII, 28. Majori energia de sacrorum bonorum raptoribus conqueritur Deus *Malach.* III, 8, ibi: *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? et dixistis: in quo configimus te? in decimis et in primitiis.* Quæ verba ita vertunt Protestantium editiones: *Nunquid rapere debet homo, quæ sunt Dei? quid vos rapitis mea, et dixistis, in quo rapimus tua? in decimis et oblationibus, maledicti estis maledictione, eo quod vos me spolietis*, etc. Qui ergo res Deo dicatas suis usibus insumit, Deum spoliat, Dei jus lædit, injuste prorsus, et impie. Duabus divinis sententiis tragica duorum sacrilegorum et divinæ in illos vindictæ exempla adjungamus, unum Balthasaris in ipso vasorum sacrorum abusu, regno vitaque privati; alterum Helio-

Digitized by Google

dori sacrilegi ministerii pœnas luentis. *Daniel* v, 11; *Machab.* III. Utrumque notius est, quam ut hic narrari debeat: id unum advertimus, potuisse forte et Balthasarem et Heliodorum, ejusque regem prætextus illos diripiendorum sacrorum bonorum allegare, quos allegant recentiores quidam, et quos infra recensebimus, neque tamen illos divina, gravissimaque pœna immunes mansisse. Innumera addere possemus divinæ vindictæ in direptores sacrorum bonorum exempla ex gentilium et Christianorum historiis; sed tam late grassatur pyrrhonismus, ut vix verbo divino aliqua, historiis fere nulla fides supersit. Interim, cum tamen eadem referant cujusvis populi et religionis sapientes, conscientiæ lectoris relinquimus, an justum timorem prædicta divinæ vindictæ exempla incutere non debeant: an manus a bonis sacris non cohibere illa veterum proverbia ab ipsis Protestantibus laudata, quibus docemur, bona ecclesiastica direpta non tantum non ditare, sed divinam benedictionem omnem impedire ac consumere bona propria legitime quæsita. Confer Raynaudum, in tract. *Mala e bonis Ecclesiæ male tractatis*, cap. 3 et 6.

(5. Adde jam ipsius juris naturæ principia. Profecto qui ecclesiis bona sua tradiderunt, rerum suarum, sicut nos nostrarum, erant domini; principes autem ecclesiarum fundatores supremo plane rerum donatarum dominio gaudebant; tam hi, quam privati liberam transferendi dominium potestatem habuerunt. Usi sunt isthac potestate in piis donationibus duplici modo, utroque valido, donando inter vivos, quales fuerunt fere omnes traditiones, et relinquendo mortis causa per ultimas voluntates, cujus rei rariora sunt exempla. Transtulerunt porro dominium in illos, qui acquisitionis et juris capaces erant, et quidem voluntate maxime seria, quam junctis exsecrationibus perpetuo valituram esse voluerunt, cavente sollicite, ne bona sua ad hæredes etiam proprios aliosve pervenirent, aut aliis quam sacris usibus cederent. Valida ergo et legitima erat bonorum ecclesiasticorum traditio et acquisitio, ac propterea, qui ea acquirebant, jus simul firmissimum in eadem bona acquirebant, tot postea sæculorum possessione roboratum; uti ergo cuique suum dare, et multo magis relinquere primum omnis juris præceptum est, ita ex eodem fluit Regula nostra: relinquenda esse ecclesiasticis bona tanto tempore possessa, nec illa, nisi injuste sæcularizari posse.

(5. Tandem finem et naturam ipsorum bonorum ecclesiasticorum consideremus. Data sunt ecclesiis bona ad impensas cultui divino necessarias, in alimoniam ministrorum, in levamen pauperum, et quidem non tantum præsentium, sed et omni ævo futurorum. Quantumcunque licet mutata sit exterior Ecclesiæ disciplina, eamdem naturam adhuc hodiedum bona ecclesiastica retinent. Ante omnia præripiuntur ex bonis ecclesiasticis, quæ ad cultum divinum, ad reparationem ecclesiarum, etc., necessaria sunt. Licet ministris Ecclesiæ beneficia ac prædia certa assignata sint, simul tamen illis inculcatur: patrimonium pauperum esse, quo vivunt; peccata populi, quæ comedunt, etc., ut proin ea, qua par est, moderatione hisce bonis utantur. Denique bona ecclesiastica superflua pauperibus, aliisque causis piis uno omnium theologorum ac jurisconsultorum ore addicuntur; adeo, ut ministri Ecclesiæ quocunque tempore futuri, ad fundos ecclesiasticos suæ sustentationi destinatos, et pauperes ad debitam sibi portionem, vel saltem Ecclesiæ et communitates pro futuris suis ministris, aut pauperibus jam jus quoddam habere videantur. His ergo sine injustitia et impietate eripi bona illa per sæcularizationem non possunt, qua semel facta, præsentes et futuri Ecclesiæ ministri, ac pauperes perpetuo horum bonorum spe et fruitione excidunt. Illustremus rem hanc comparatione cum aliquo collegio in republica exsistente. Ponamus, destinari a collegio reditus certos pro sartis tectis conservandis ædibus collegii, pro salario ministrorum, pro pauperibus e collegio; an sine injustitia bona huic fini dicata ab ipso etiam principe auferri possunt? Nec ergo bona ecclesiastica vel sacræ fidelium societati, qua tali propria, auferri vel sæcularizari poterunt. Atque hoc ipsum publice expedit: quis enim usibus tam laudandis, et ipsi reipublicæ tam utilibus sua bona tanto labore parta, et liberis propriis adempta consecraret, si prævideret, tam parum voluntati suæ satisfacturos fore posteros ingratos? Num majores nostri, si prævidissent, quæ suis bonis Ecclesiæ dicatis fata immineant, tanta prodigalitate se suosque illis privaturi fuissent? Expedire profecto visum est non episcopis solis, sed a Constantino M. omnibus fere Christianis principibus, varios favores et privilegia talibus piis causis dari, ac quamcunque voluntatem etiam legum solemnitatibus non munitam hic valere. Maneant ergo et inviolatæ majorum nostrorum voluntates piæ et legitimæ, nec ab iis infringantur, qui proprias ultimas voluntates suas olim sancte servari cupiunt.

(6. Præcipua, qua Protestantes et politici sæcularizationem bonorum ecclesiasticorum cohonestant, causa est, reipublicæ necessitas, aut etiam utilitas. Verum modus huic necessitati ponendus est. Primus ergo: veluti ea non sit, bona ecclesiastica ad usus sacros, Deique cultum necessaria sæcularizari nunquam posse. Secundus est: Bona ecclesiastica licet tantum utilia, ex causa utilitatis etiam veræ, quam respublica experiretur, sæcularizari non posse. Tertius canon, Fieri potest hujusmodi sæcularizatio ex causa necessitatis reipublicæ, vel multorum etiam hominum, si conjuncta illa sit cum causa aut pietatis, ut si famis, pestis, aliisque iniquis temporibus non possit respublica suos alere pauperes, infirmos, etc.,

Digitized by Google

aut si conjuncta sit cum necessitate vel utilitate Ecclesiæ ac religionis.

(7. Ut vero pressæ necessitatibus reipublicæ legitime succurrat Ecclesia, sive parato peculio, sive bonis etiam alienatis et sæcularizatis, conditiones aliquæ requiruntur. Præscribit illas utrumque Lateranense concilium, alterum a. 1179, sub Alexandro III, alterum a. 1215, sub Innocentio III, prohibens, ne ullo modo ex facultatibus ecclesiasticis subveniatur reipublicæ, nisi episcopus et clerus tantam necessitatem aspexerint, ut absque ulla exactione (coactione) ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias existiment conferenda, addendo : ut propter imprudentiam quorumdam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. Requiritur itaque primo, *ut laicorum non suppetant facultates ;* si enim respublica ex his nervum rerum gerendarum sibi comparare possit, bonis ecclesiasticis nondum opus habet, adeoque casus necessitatis bonorum ecclesiasticorum necdum adest. Habet nimirum respublica suum ærarium ferendis communibus oneribus primario destinatum, sicut Ecclesia pariter communia onera ecclesiastica sine concursu reipublicæ ferre debet, ac in hos ecclesiasticos usus destinatum primario ærarium habet. Concedendum igitur Ecclesiæ in nostro casu jure merito beneficium ordinis, ut ad communes necessitates concurrere non teneatur, quandiu alia media supersunt, quandiu scilicet ærarium reipublicæ adhuc est solvendo, et hoc etiam exinanito, quandiu cives onera communia ita ferre possunt, ut plene non exhauriantur. Profecto cum multis nobilium, magistratuum, militum, aliisque collegiis privilegium illud competat, ut nonnisi in extraordinariis necessitatibus reipublicæ subvenire teneantur, cur Ecclesiæ simile jus invidendum?

(8. Secundo non sufficit necessitas vel utilitas quævis reipublicæ. Tanta scilicet requiritur, « ut episcopus existimare possit, conferre ecclesiam sua debere subsidia; » voluntque interpretes, ut necessitas Ecclesiam æque principaliter premat, uti rempublicam; si enim secus contingeret, vera reipublicæ necessitas adesse non videretur, sed tantum quorumdam privatorum, nec ulla ratio, cur in bona ecclesiastica involare liceat.

(9. Potissimum vero tertio, juxta cit. concilium, auctoritas ecclesiastica adesse debet. Cum enim rerum ecclesiasticarum administratio a primis sæculis separatim clero competierit, hoc jure spoliandus non est, cum insuper justissimum sit ut in re, etiam minimi momenti, altera, cujus interest, pars audiatur. Quid æquius, quam ut audiatur Ecclesia, si illius bona in subsidium petantur? Quid iniquius, quam si princeps subito bonis suis Ecclesiam privaret, ne auscultata quidem ejus exceptione, quod necessitas bona ecclesiastica captandi necdum adsit, etc.? Duo ergo hic vitanda sunt extrema; Primum : Ne respublica, dum aliæ facultates adhuc suppetunt, vel dum vera non adest necessitas publica, subsidia ecclesiastica requirat, multo minus sine consensu et interventione, ac directione ecclesiastica, vi extorqueat; sed, ut ait concil. Later. « Recipiat absque ulla coactione cum gratiarum actione, » juxta quod constans, ac juri non minus, quam æquitati et praxi subnixa sententia est, in nullo plane casu laicis competere, ut ipsi quantitatem subsidii ab Ecclesiis præstandi, determinent, aut huic, alterive clerico vel Ecclesiæ, ejusque prædiis suam ratam assignent, sed hanc partitionem ad judicem ecclesiasticum spectare: et sicut ejus solius est, videre num necessitas sufficiens adsit ad præstanda subsidia sacra, ita et illius est, tam determinare quantitatem, quam illam a subjecto clero colligere, et denique semper per modum doni gratuiti in reip. subsidium conferre. Alterum : Ne Ecclesiæ præsules, ut regibus placeant, assensum suum nimis facile per indulta, ut vocant, pro levandis decimis aliisque collectis de rebus ecclesiasticis, præbeant; aut econtrario perspecta licet reipublicæ necessitate, qua in re principis, cum hic reipublicæ negotia melius norit, judicium utique revereri debent, si inquam, agnita reipublicæ necessitate nimium difficiles sint, ac suppetias differant, donec respublica magis periclitetur, aut de illa plane actum sit. Itaque succurrere quidem Ecclesia potest, ac debet reipublicæ periclitanti; sed sicut rerum ecclesiasticarum administratores, non minori circumspectione, quam alii administratores rerum reip. aut etiam pupillarium solum officium suum gerere debent, ita non solum in concedendis subsidiis ecclesiasticis, sed multo magis in bonorum ecclesiasticorum alienatione perpetua, et a regulis plane exorbitante, qualis est sæcularizatio, munus illorum est, summa, qua possunt, accuratione perpendere, num revera causæ illæ subsint, quæ legitimæ ac sufficientes sunt.

(10. Cæterum nec in theoria, nec in praxi satis convenit, qua ratione auctoritas ecclesiastica accedere debeat, num solius episcopi consensus sufficiat, vel præter deliberationem et consensum episcopi ipsius S. Pontificis consensus requiratur, si agatur de imponendis Ecclesiæ collectis, vel plane bonorum ecclesiasticorum ad illas solvendas necessaria sæcularizatione. Putant equidem aliqui, si vera ipsiusmet Ecclesiæ utilitas vel necessitas juncta sit necessitati reipublicæ, sufficere episcoporum consensum, quorum sententia tunc certe obtinet, quando periculum in mora foret, aut absque gravissimo incommodo recurri non posset ad Summum Pontificem. Sed cum verba legis jubeant, *Romanus Pontifex prius consulatur*, et quidem in casu concurrentis utilitatis Ecclesiæ, deceatque supremum Ecclesiæ caput, ac B. E. administratorem tunc informari, quando de ecclesiastica Immunitate vel restringenda, vel violanda agitur, et multo magis, quando bona quædam sacris

Digitized by Google

usibus in perpetuum eripienda sunt, ideo in regula manemus, ac Pontificis consensum requirimus, si periclitanti reipublicæ suis ex bonis succurrere debeat Ecclesia. Hæc vero pro majori dilucidatione, et propter catholicos quosdam scriptores monuimus.

Legesis, integram Behleni dissertationem ab Antonio Schmidt, in suo *Thesauro juris ecclesiastici* recusam t. VI, p. 78 seqq.; P. Ignatium Schwartz, *Collegior. historicor.*, p. VII, quæst. 2, sect. 6; et Benedictinum Zallwein, t. III, *Principior. jur. eccl.*, p. 862 seqq.

SEDES VACANS

SUMMARIUM.

1. Nomine sedis vacantis quid intelligatur? — 2. Nomine sedis vacantis intelligitur etiam quælibet abbatia, seu prælatura, aut dignitas inferior, cui facultas conferendi beneficia competit, et per obitum sui respectivi prælati censetur viduata. — 3. Per vacationem intelligitur omnis vacatio sedis, sive per mortem, sive per renuntiationem, translationem, depositionem et quemvis similem modum, per quem titulus amittitur. — 4. Item sedes vacat, si prælatus, seu episcopus sit notorie hæreticus. — 5. An sedes vacet, et capitulum possit procedere ad electionem vicarii capitularis, quando episcopus est excommunicatus vel suspensus, quando est factus captivus, quando est relegatus, quando episcopo in remotis degente, vicarius generalis ab ipso relictus moritur, vel a principe sæculari ejicitur e diœcesi: aut est excommunicatus vel suspensus; *remissive*. — 6. Sedes vacare incipit a die scientiæ mortis certæ et non præsumptæ episcopi seu prælati. Vel a die certæ translationis, resignationis, et hujusmodi. — 7. Quando censeatur vacare sedes per translationem episcopi, *remissive*. — 8. Sedes semel vacans durat vacare tamdiu, donec litteræ Apostolicæ novi prælati in curia promoti vel confirmati fuerint expeditæ, et capitulo præsentatæ. — 9. Ante litterarum præsentationem non potest episcopus, seu alius prælatus promotus administrare episcopatum seu prælaturam; neque capitulum seu conventus potest eumdem recipere. — 10. Sede Romana vacante, qui tenentur accedere, vel mittere ad curiam, ad id tenentur ac si non vacaret. — 11. Sede Romana vacante, collegium cardinalium non habet auctoritatem Papalem, nisi eam, quam sibi concessit Papa. — 12. Sede Romana vacante, potest collegium cardinalium providere de camerario et pœnitentiario. — 13. Sede Romana vacante, tempore concilii generalis legitime congregati electio Pontificis spectat ad cardinales et non ad concilium. — 14. Sede Apostolica vacante, summus pœnitentiarius potest dispensare solummodo in foro conscientiæ. — 15. Sede Apostolica vacante, potest vicarius Papæ facere ordinari suos, aut eis etiam non arctatis dare demissorias. — 16. Sede Apostolica vacante, omnes menses sunt ordinariorum, et tunc episcopi, et ordinarii collatores possunt providere de beneficiis vacantibus in quolibet mense. — 17. Beneficia reservata Papæ vacantia, Sede Romana vacante, a Papa successore sunt conferenda. — 18. Licet beneficia curata vacantia in curia Papæ sint reservata; tamen si vacent Sede Romana vacante, vel si sede plena vacaverint, et ante mortem Papæ non fuerint collata, conferri possunt de jure communi ab episcopo, vel ab aliis ad quos spectat; dummodo non sint de reservatis Papæ alia ratione, quam ob vacantiam in curia. Vide tamen *infra* num. 24. — 19. Beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura sæcularia et regularia qualitercunque qualificata, et ubicunque existentia vacantia, sede episcopali vacante, sunt Papæ reservata. — 20. Hæc reservatio beneficiorum vacantium, sede episcopali vacante, procedit, quando ad episcopum spectat electio, nominatio seu præsentatio personæ, quamvis collatio seu institutio ad alium pertineat, seu sit communis episcopi, et aliorum. — 21. Secus autem quando electio, seu nominatio, vel præsentatio ad alium pertinet; tunc enim quamvis collatio et institutio spectet ad episcopum, non intrat hæc reservatio. — 22. Item non procedit hæc reservatio, ubi simultanea ex concordia est divisa per turnos, etc. — 23. Item hæc reservatio non procedit, ubi collatio beneficiorum spectantium alias ad collationem episcopi, sede episcopali vacante, ad aliquem spectet, nec reservatur futuro successori. — 24. Beneficia reservata Papæ quomodolibet, et ex quavis causa, si vacent, sede apostolica vacante, et de iis per quoscunque ordinarios collatores tunc dispositum non fuerit, seu minus valide dispositum fuerit, sunt conferenda a Papa successore. — 25. Sede episcopali vacante, nihil est innovandum, præsertim in præjudicium ipsius ecclesiæ vel prælati successoris. — 26. Unde, sede vacante, judicium factum contra Ecclesiam est nullum. — 27. Sede episcopali vacante, si mandetur capitulo, ut præbendam alicui conferat, et interim nondum a capitulo exsecuto mandato creatur episcopus, cui spectet collatio præbendæ, ab ipso episcopo debet conferri. — 28. Sede episcopali vacante, quid possit facere capitulum, et quid non? *remissive*. — 29. Alia ad rem ad num. 42.

(1. Nomine sedis vacantis intelligitur potissimum Sedes Papalis seu episcopalis suo viduata pastore. *Communis*. (2. Insuper nomine sedis vacantis intelligitur etiam quælibet abbatia, seu prælatura, aut dignitas inferior, cui facultas conferendi beneficia competit, et per obitum sui respectivi prælati censetur viduata, juxta c. *Ne pro defectu*, 4, De election. Sic Glossa, in cap. 1, verb. *Ecclesia*, De rebus Eccles. non alienand. in 6; Barbosa, lib. III *Decretal.*, tit. 9, nu. 2; Pirrinhg, *ibid.*, nu. 2; abbas, in c. *His quæ*, num. 2, De majoritat. et obedient., et alii passim.

(3. Per vacationem autem intelligitur omnis vacatio sedis, sive per mortem, sive per renuntiationem, translationem, depositionem, vel quemvis similem modum per quem titulus amittitur. Sic expresse Glossa communiter recepta in cap. unico, *Ne sede vacante*, verb. *Mortuo* in 6, ibi: « Mortuo idem est si quocunque alio modo vacet sedes, renuntiatione et depositione, vel quovis modo. » Pirrhing, *loc. cit.*, num. 1; Barbosa, *loc. cit.*, num. 5, et alii communiter.

(4. Item sedes vacant, si prælatus, seu episcopus sit notorie hæreticus. Sic declarasse sacram congregationem Concilii refert Fagnan., lib. III *Decretal.*, in cap. *Quia diversitatem* 5, De concessione præbend., num. 24. Nam proposito dubio: « An episcopo exsistente hæretico facultas concedendi dimissorias, juxta cap. 10, sess. 7, per-

Digitized by Google

tineat ad capitulum cathedralis Ecclesiæ? Sacra congregatio die 24 Januarii 1588 censuit, ad capitulum pertinere, si episcopus sit notorie hæreticus.» Ex qua declaratione Fagnan., *loco cit.*, nu. 34, et lib. v *Decretal.*, cap. *Ad abolendum* 9, De hæret., num. 36 et 37, concludit quod quando episcopus est notorie hæreticus, sedes non vacat interpretative; sed vacat vere, et ideo jurisdictio, et consequenter facultas concedendi dimissorias transit in capitulum, sede vacante, ut cap. *His quæ*, et cap. *Cum olim*, De majoritat. et obedient., c. *Ut commissi* 12, De hæretic. in 6.

(5. An autem sedes vacet, et capitulum possit procedere ad electionem vicarii capitularis, quando episcopus est excommunicatus vel suspensus, quando est factus captivus ad hostibus catholicæ fidei, quando est relegatus, quando episcopo in remotis degente, vicarius generalis ab ipso relictus moritur, vel a principe sæculari ejicitur a diœcesi, aut est excommunicatus, vel suspensus: *Vide* verb. CAPITULUM, art. 3, num. 31 et seqq.

(6. Sedes vacare incipit a die scientiæ mortis certæ, et non præsumptæ episcopi seu prælati: vel a die certæ translationis, resignationis, et hujusmodi. Sacra congr. Episc., *in una Neritonen.* 24 Maii 1654, ex cap. *Bonæ memoriæ* 36, De election. *Vide* dict. verb. CAPITULUM, art. 3, n. 37.

(7. Quando vero censeatur vacare sedes per translationem episcopi: *Vide* d. verb. CAPITULUM, art. 3, num. 31, et verb. EPISCOPUS, art. 3, n. 60, 61 et 62, ubi dantur ad id decreta.

(8. Sedes semel vacans durat vacare tamdiu, donec litteræ Apostolicæ novi prælati in curia promoti vel confirmati fuerint expeditæ et capitulo præsentatæ. Gonzalez, ad Regul. 8 *Cancellar.*, gloss. 15, § 2, num. 82, 83 et seq.; Rebuffus, in *Praxi*, titul. De Simonia in resignat., num. 31 et 40; Barbosa, part. III *De offic. et potestat. episcop.*, allegat. 54, n. 160; Reiffenst., lib. III *Decretal.*, titul. 6 et seq., et alii passim per text. in Extravagant. *Injunctæ* 1, De election. inter communes.

(9. Sola enim expeditio litterarum Apostolicarum non sufficit ad cessationem vacationis sedis episcopalis seu alterius prælaturæ, sed insuper requiritur earumdem litterarum præsentatio facta capitulo sive conventui. Nam ante hanc litterarum præsentationem non potest episcopus, seu alius prælatus promotus administrare episcopatum seu prælaturam, neque capitulum seu conventus potest eumdem recipere, ut expresse statuitur in cit. Extravagant. *Injunctæ*. Et tenent Azorius, *Instit. moral.*, part. I, lib. III, cap. 29, q. 9, vers. *Cæterum*, *loco cit.*, nu. 161; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 9, et alii passim.

(10. Sede Romana vacante, qui tenentur accedere vel mittere ad curiam, ad id tenentur, ac si non vacaret, text. expresso in Clementin. *De election.*, c. *Ne Romani* § finai., ibi: «Statuimus, ut electi, et alii, qui ex quacunque causa ad Sedem Apostolicam venire vel mittere sunt astricti, ad ipsam, cum vacet, ac si non vacaret, venire vel mittere teneantur.»

(11. Sede Romana vacante, collegium cardinalium non habet auctoritatem Papalem, nisi eam, quam sibi concedit Papa, juxta constitutionem Greg. X, in concil. *Lugdunens.*; Clementin., *De electione*, c. *Ne Romani*,

(12. Sede Romana vacante, potest collegium cardinalium providere de camerario et pœnitentiario. Cit. Clement. *Ne Romani*, § *Eo tamen*.

(13. Sede Romana vacante tempore concilii generalis legitime congregati electio Pontificis spectat ad cardinales et non ad concilium. *Vid.* verb. PAPA, art. 1, n. 45.

(14. Sede Apostolica vacante, summus pœnitentiarius potest dispensare solummodo in foro conscientiæ. Sic expresse statuit Inn. XII const. 20, inc. *Romanus Pontifex*, § 46, ibi: «Sede Apostolica vacante, major pœnitentiarius, ejusque officiales ea tantum facere et expedire valeant, quæ ad forum conscientiæ pertinent, in reliquis eorum officium conquiescat, et a quibuscunque matrimonialibus, et aliis dispensationibus, ac absolutionibus, et declarationibus, nec non quibusvis aliis expeditionibus forum fori mistim vel separatim quomodolibet respicientibus omnino abstineant.»

(15. Sede Apostolica vacante, potest vicarius Papæ facere ordinari suos, aut eis etiam non arctatis dare dimissorias; Barbosa, *De offic. et potest. Episcop.*, part. II, alleg. 7, num. 13; Majol., Henriq., Campanil., et alii ab ipso citati; La Croix, lib. VI, part. II, n. 2263, cum aliis ibi citatis; concilium enim *Trid.*, sess. VII, cap. 10, et sess. XXIII, cap. 10, *De reformat.*, non restringit jurisdictionem Sedis Apostolicæ, quamvis vacantis.

(16. Sede Apostolica vacante, omnes menses sunt ordinariorum, et tunc episcopi et ordinarii collatores possunt providere de beneficiis vacantibus in quolibet mense. Anastasius German., *De Indult. cardinal.*, § *Quod tamen*, num. 99 et 109; Zerola, in *Praxi episcop.*, part. II, verb. *Beneficium*, § 2; Flores de Mena, *Var.* lib. I, q. 4, n. 51; Gonzalez, § 5, *Proœm.*, a n. 46, qui n. 53 ait, quod non solum erunt omnes menses ordinarii ante assumptionem novi Papæ, sed etiam antequam faciat Regulas Cancellariæ. Barbosa, *De offic. et potestat. episcop.*, part. III, allegat. 57, num. 191 et 192, cum pluribus aliis ibi citatis. Et ratio est, quia cum menses Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Junii, Augusti, Octobris et Novembris reserventur in Regula nona Cancellariæ solum ad beneplacitum Papæ concedentis, talis reservatio non est perpetua, sed exspirat, et exstinguitur morte Papæ illius conditoris. Cum enim talis Papa post ejus mortem non sit amplius in rerum natura, non potest amplius habere beneplacitum, nec dispositionem c. unic., § final. *Ne sede vacante* in 6. Unde gratiam ad beneplacitum Papæ vel regis concessam, morte Pontificis

Digitized by Google

vel regis exspirare probat textus in c. *Si gratiose*, De rescriptis in 6; Barbosa, *l. c.*, cum pluribus aliis ibi allegatis.

(17. Beneficia reservata Papæ vacantia Sede Romana vacante, a Papa successore sunt conferenda. Urbanus VIII, constitut. 6, incip. *Sanctissimus*, cap. 68, et Regul. 68 *Cancellariæ*.

(18. Licet beneficia curata vacantia in curia Papæ sint reservata, tamen si vacent, Sede Romana vacante; vel si Sede plena vacaverint, et ante mortem Papæ non fuerint collata, conferri possunt de jure communi ab episcopo vel ab aliis, ad quos spectat, textu expresso in cap. *Si Apostolica* 35, De præbend. in 6, dummodo non sint de reservatis Papæ alia ratione, quam ob vacantiam in curia. Urban. VIII, cit. constit. incip. *Sanctissimus*, cap. 68; Barbosa, in cit. cap. *Si Apostolica*, n. 4, cum aliis ibi citatis. *Vide* tamen regulam 68 *Cancellariæ*, *infra* n. 24, ubi refertur.

(19. Beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, sæcularia et regularia qualitercunque qualificata, et ubicunque exsistentia, vacantia, sede episcopali, archiepiscopali, primatiali et patriarchali vacante, sunt Papæ reservata. S. Pius V, const. 55, incip. *Sanctissimus in Christo*. Et Regul. 2 *Cancell.* V. in *Append. Decret.* in fin. h. tomi.

(20. Hæc autem reservatio beneficiorum vacantium sede episcopali vacante procedit, quando ad episcopum spectat electio, nominatio seu præsentatio personæ, quamvis collatio seu institutio ad alium pertineat, seu sit communis episcopi et aliorum, quia attendenda est prima dispositio beneficii.

(21. Secus autem, quando præsentatio vel electio ad alium pertinet, quia tunc, quamvis collatio seu institutio spectet ad episcopum, non intrat hæc reservatio. Nam beneficia, quorum collatio non potest fieri ab episcopo absque alterius electione, nominatione, præsentatione seu interventu, non comprehenduntur sub hac reservatione. Sic Regul. 2 *Cancellariæ;* Gonzalez, ad Regul. 8 *Cancellariæ*, Glossa 45, num. 10; Barbos., cit. alleg. 57, n. 98; Garcias, *De benef.*, part. v, cap. 1, n. 230 et seq., et alii passim.

(22. Item non procedit hæc reservatio, ubi simultanea ex concordia est divisa per turnos, ita ut una vice provideat episcopus, et altera capitulum, non solum quando beneficium vacat in turno capituli, de quo non est difficultas, sed etiam quando beneficium vacat in turno episcopi, quia etiam tunc, mortuo episcopo, seu alias vacante sede, potest capitulum jure proprio conferre canonicatus et alia beneficia simultanea in quocunque turno vacent. Gonzalez, ad Regul. 8 *Cancellariæ*, Gloss. 45, § 3, n. 39 cum seq.; Garcias, cit. cap. 1, a n. 237; Barbosa, cit. allegat. 57, n. 90, et alii.

(23. Item hæc reservatio non procedit, ubi collatio beneficiorum spectantium alias ad collationem episcopi, sede episcopali vacante, ad aliquem spectat, nec reservatur futuro successori, quia regula *Cancellariæ* non intendit tertio præjudicare. Sic decisum in Rota referunt, et tenent Nicol. Garcias, d. cap. 1, n. 244; Castropal., in *Oper. moral.*, tract. 13, disp. 2, punct. 18, n. 4 et 5; Barbosa, cit. alleg. 57; n. 90, et alii.

(24. Beneficia reservata Papæ quomodolibet, et ex quavis causa, si vacent Sede Apostolica vacante, et de ipsis per quoscunque ordinarios collatores tunc dispositum non fuerit, seu minus valide dispositum fuerit, sunt conferenda a Papa successore. Cit. regula 69 *Cancellariæ* præcisis his verbis: « Item sanctissimus dominus noster provide considerans, consuevisse quandoque Romanos Pontifices prædecessores suos beneficia, quæ vacante Sede Apostolica vacare contigerat, dispositioni suæ reservare, intendens de beneficiis hujusmodi tam conclavistis, quam pauperibus clericis et aliis benemeritis personis providere, omnia et singula beneficia per regulas *Cancellariæ* Apostolicæ, aut quaslibet alias constitutiones Apostolicas temporales Romani Pontificis pro tempore exsistentis dispositioni quomodolibet, et ex quavis causa reservari solita, quæ a die obitus felic. recordationis Innocenti XII, prædecessoris sui usque ad diem vicesimam tertiam Novembris vacaverunt, et de quibus per quoscunque ordinarios collatores tunc dispositum non fuerat, suæ provisioni ac dispositioni reservavit. Decernens irritum, etc. » Hic adverte, quod hæc Regula est desumpta ex illis felicis recordationis Clement. XI, et ideo ponitur tempus vacationis Sedis Apostolicæ a die obitus Innocentii XII, sui immediati prædecessoris usque ad tempus suæ gloriosissimæ assumptionis in Summum Pontificem; quod tempus in tali Regula variatur a quolibet Summo Pontifice juxta differentiam temporis intercessi a die mortis sui immediati prædecessoris usque ad sui electionem.

(25. Sede episcopali vacante, nihil est innovandum, præsertim in præjudicium ipsius ecclesiæ vel prælati successoris. *Communis*, textu expresso in cap. *Novit ille* 1, Ne sede vacante aliquid innovetur; ubi insuper redditur ratio ibi: « Cum non sit, qui episcopale jus tueatur. »

(26. Unde sede vacante judicium factum contra Ecclesiam est nullum. *Communis*, textu expresso in cap. *Constitutus* 3, Ne sede vacante, juncto summario, *ibidem*, sic expresse dicente: « Sede vacante judicium contra Ecclesiam non tenet. » Et Glossa, *ibidem*, verb. *Vacante;* sic expresse loquente: « Hic patet manifeste, quod Ecclesia, quæ caret legitimo defensore, conveniri non potest, quia ea vacante, nihil est innovandum, quia non habet defensorem. »

(27. Sede episcopali vacante, si mandetur capitulo, ut præbendam alicui conferat, et interim, nondum a capitulo exsecuto mandato, creetur episcopus, cui spectet collatio præbendæ, ab ipso episcopo debet conferri, text. expresso in cap. *Eam te* 7, De rescriptis, juncto ejus summario, in quo sic præcise habetur: « Si sede vacante scribitur ca-

Digitized by Google

pitulo gerenti vices episcopi, ut præbendam alicui conferat, si creatus episcopus, nondum exsecuto mandato, et ad eum spectet collatio præbendarum, illud adimplere tenetur. »

(28. Sede episcopali vacante, quid possit facere capitulum, et quid non : *Vide*, verb. BENEFICIA, art. 4, verb. CAPITULUM, art. 3, et verb. VICARIUS CAPITULARIS per tot.

(29. Vacante Sede Apostolica major pœnitentiarius, seu ejus officiales facere et expedire possunt quæcunque ad forum conscientiæ pertinent. Ideo absolvere seu absolvi mandare in dicto conscientiæ foro possunt ab iis quoque censuris, a quibus alias vivente Pontifice adempta etiam majori pœnitentiario, et Pœnitentiariæ officio absolvendi facultas reperitur. (30. Hac tamen lege, quod in hujusmodi censuris, ad tempus duntaxat, et cum reincidentia in easdem, servatis alias servandis, absolutio concedatur; ita ut qui fuerint absoluti, ad novum Pontificem intra terminum pro locorum distantia definiendum, recurrere pro eadem causa teneantur : (31. Neque liceat pœnitentiario majori, ejusque officialibus præfinitum terminum post Pontificis electionem ampliare vel prorogare. Benedict. XIV, tom. 1, constitut. 95, incip. *Pastor bonus* 51, qui, § 52 ad 55 prosequitur declarare facultates sede vacante majori pœnitentiario competentes, ibi § 52 : « Præterea concedimus, ut si quando aliquod gravius animæ periculum immineat, cui celeriter occurrendum videatur, re in signatura diligenter examinata, et majori quoque Pœnitentiario, si in conclavi degat pro materiæ gravitate consulto, et approbante, dispensare, aut dispensari mandare pro eodem foro conscientiæ valeant, super quibus, alias vivente Pontifice, inhibita sit majori pœnitentiario, et pœnitentiariæ dispensandi facultas; ita tamen, ut oratores, sicuti superius dictum est, ad novum Pontificem post ejus electionem similiter debeant recurrere, aliisque appositis clausulis pro casus natura necessariis et opportunis.

(32. « Pro foro vero externo, eadem Sede Apostolica vacante, eorum officium penitus conquiescat, ita ut a quibuscunque matrimonialibus, et aliis dispensationibus, et absolutionibus, ac declarationibus, nec non quibusvis aliis expeditionibus forum fori mistim vel separatim quomodolibet respicientibus omnino abstineant.

(33. « Attamen concedimus, ut dicta Sede vacante pro foro externo facere et expedire valeant, quæ ad regularium et præsertim apostatarum et fugitivorum remedium, in superioribus facultatibus concessa sunt. Nec non ut monialibus confessarios extra ordinem valeant deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro eorum libitu

inter approbatos ab ordinario ad audiendas monialium confessiones, eligendos.

(34. « Et demum ut illos, qui in aliquam censuram sedi Apostolicæ reservatam, etiam ob violatam ecclesiasticam libertatem, vel Immunitatem publice incurrerint, vel incurrisse declarati fuerint, et vere, ac sincere pœnitentes, et novi Pontificis, ad quem post electionem recurrere debebunt, mandatis obtemperare parati, beneficium absolutionis sibi ulterius non differri enixe deprecentur, absolvere cum reincidentia, quemadmodum in superioribus dictum est, vel absolvi mandare possint. »

(35. Vacante Sede Apostolica, processio generalis corporis Christi celebrari debet apud Vaticanam Basilicam. Idem constitut. 12, incip. *Pastoralis sollicitudinis*, § 3, ubi § sequent. præscribit etiam Ritum, quo ibi celebranda est dicta processio.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36. Magna olim quæstio fuit, an parochiæ per assecutionem incompatibilium beneficiorum vacatæ, Pontificia Sede vacante, vel ante vacatæ, sed ex secuta interim ejusdem Pontificiæ Sedis vacatione non collatæ, possint ab ordinariis conferri, *vigore*, cap. *Si Apostolica*, De præbend. in 6.

(37. Ratio autem dubitandi inde oriebatur, quod Bonifacius VIII, in dicto cap. *Si Apostolica*, potestatem tantum fecit ordinariis conferendi parochias, quæ *vacabant in curia*, et ex Sedis Pontificiæ vacatione nequierunt conferri.

(38. Prævaluit nihilominus affirmativa opinio, ex ratione illa, quod si Bonifacius VIII, facultatem dedit ordinariis conferendi mox dictas parochias obnoxias dictæ reservationi in corpore juris clausæ, multo sane magis facultatem dedit conferendi parochias obnoxias alteri huic reservationi inductæ ab extravagantibus, et Regula 1 *Cancellariæ*, quæ utpote non clausa in corpore juris, longe minor est. (39. Accedit quod Bonifacius VIII providere intellexit saluti animarum, ne ex diutina Sedis Pontificiæ vacatione proprio pastore diu careant. (40. Hæc autem ratio urget, quæcunque sit reservatio parochiæ. *Vide* celebrem decisionem Rotæ, *in Commen. parochialis* 11 Maii 1731, *coram feliciter regnante Summo Pontifice inter impressas*, dec. 16.

(41. Et quod hic non est silentio prætereundum, Rota hanc affirmativam opinionem tenet, licet agatur de parochia habente decretum, quod de ea tali pacto vacata, *per Sedem Apostolicam tantum disponi possit* : (42. propterea quod ex hoc decreto non emergit nova reservatio, sed eadem per extravagantes et Regulam 1 *Cancellariæ* inducta.

SEDES, SCAMNA.

SUMMARIUM.

1. Sedes episcopi in choro exsistens debet esse quasi fixa et immobilis. — 2. Sedes episcopi in choro exsistens quomodo ornanda? — 3. Sedes episcopi, et chorus canonicorum debent reduci ad formam cæremonialis. — 4. Sedes episcopi in ec-

Digitized by Google

clesia exempta, in qua abbas usum mitræ habens, etiam habet sedem, quomodo collocanda? — 5. Sedes abbatis seu prioris habentis usum mitræ et baculi quomodo locanda? — 6. Sedes abbatis exempti etiam in ecclesiis suæ jurisdictioni subjectis debet esse inferior sedi episcopi. — 7. Sedes dignitatum absentium non debent occupari ab aliis dignitatibus, sed unaquæque debet in proprio stallo permanere. — 8. Gubernatoris civitatis sedes qualis, quando vadit ad concionem? — 9. Sedes laicorum etiam præfectorum non sunt locandæ in presbyterio apud altare. — 10. Sedes, scamna et loca in ecclesiis sæcularibus moderari debent arbitrio episcopi. — 11. Sedes pro audienda concione quomodo aptari debeat? — 12. Sedes esse non debent in Ecclesia extra tempus concionum. — 13. Maxime si sint occasio scandali. — 14. Nisi sint lapideæ, vel etiam ligneæ parietibus adhærentes. — 15. In removendis vel alterandis sedibus non debent permitti novitates. — 16. Sedes possunt a dominis ornari. — 17. Et eis etiam inscriptio, vel aliud signum apponi. — 18. Est removenda sedes adeo altari vicina, ut celebrantem impediat. — 19. Regularium superiores non possunt removere sedes a loco solito, nisi cum circumspectione, maxime si spectent ad magistratum. — 20. Debent tamen sollicite attendere, ne in suis ecclesiis occasione sedilium, et scamnorum rumores, et scandala oriantur. — 21. In Ecclesia de jurepatronatus laicorum non potest episcopus concedere jus retinendi sedilia invito patrono. — 22. Genuflectoria honorifica retineri possunt a dominis loci in ecclesia. — 23. Alia ad rem, ad n. 28. Subnectuntur *Addit. Casinenses, ibid.*

(1. Sedes episcopi in choro exsistentis debet esse quasi fixa et immobilis, juxta dispositionem libri cæremonialis in tit. *De sedibus episcopi.* Ita sacra congregat. Rit., *in Colimbrien.* 23 Maii 1603.

(2. Sedes episcopi in choro exsistentis ornanda est serico vel alia materia coloris congruentis tempori, juxta regulam libri cæremonialis d. tit. *De sedibus episcopi;* in eadem sacr. congreg. Rit., *in d. Colimbrien.*

(3. Sedes episcopi et chorus canonicorum, si fieri potest, debent reduci ad formam libri cæremonialis. Sacra congregatio Rit., *in Granat.* 9 Maii 1609.

(4. Sedes episcopi in Ecclesia exempta, ubi abbas usum mitræ habens, etiam sedem tenet, quando illuc accedit, est in cornu dextro chori sive Ecclesiæ collocanda uno gradu eminentiori cum ornatu congruo et situ aliquatenus superiori respectu sedis abbatis, quæ in sinistro ponenda est uno gradu humiliori absque ornatu et loco aliquatenus inferiori, adeo ut non sit opposita sedi episcopali. Sacr. cong. Rit., *in Alexandrina S. Petri in Bergolio* 7 Februar. 1604.

(5. Sedes abbatis seu prioris habentis usum mitræ et baculi debet collocari in cornu Evangelii in plano presbyterii cum duobus tantum gradibus parvis, et sine ullo suppedaneo suggestu lapideo vel ligneo, ac sine baldachino desuper, sed cum posiergali tantum ex aliquo panno vel serico levi, sine auro, coloris convenientis solemnitati. Sacr. congregatio Rit., *in Neapolitana* 18 Martii 1617.

(6. Sedes abbatis exempti etiam in Ecclesiis suæ jurisdictioni subjectis debet esse inferior Sede episcopi. Sacra cong. Rit., *in Aquilana* 18 Martii 1617.

(7. Sedes dignitatum absentium non debent occupari ab aliis dignitatibus seu canonicis, sed unaquæque dignitas in proprio stallo permanere debet; sedes vero absentis vacua esse debet. Sacra cong. Rit., *in Capuana* 12 Martii 1618, et *in Placentina* 25 Maii 1632.

(8. Sedes gubernatoris civitatis, quando audit concionem simul cum episcopo, debet esse apud episcopum, quæ non sit major, nec pulchrior sede ipsius episcopi, et neutra sit coloris rubri. Sac. congreg. Rit., *in Perusina* 3 Octobris 1615.

(9. Sedes laicorum, veluti præfecti seu locumtenentis non sunt locandæ in presbyterio apud altare. Sacr. congr. Rit., *in Egitanien.* 10 Junii 1602, in respons. ad 6 dub.

(10. Sedes, scamna et loca in ecclesia sæculari moderari debent arbitrio episcopi. Sacr. Rit. congr., *in Ventimilien.* 10 Decemb. 1604, in respons. ad 3 dub. Episcopus enim est absolutus arbiter illa moderandi et removendi, præsertim quando sunt causa rumoris, et impediunt functiones ecclesiasticas, ut sæpe sæpius resolvit sac. cong. Episcop., apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Ecclesia*, n. 11, et nuper *in Narnien. terræ Carbii* 8 Maii 1693, *in Fundana* 5 Octobris 1697, et *in Verulana* 6 Septembris 1698, apud Monacell., part. 1, tit. 5, formul. 8, n. 4.

(11. Sedes pro audienda concione ita debent aptari, ut aliis retro stantibus ad visum prædicatoris non officiant. Sacr. cong., *in Faventina* 11 Aprilis 1601.

(12. Sedes non debent esse in ecclesia extra tempus concionum. Sacr. congreg. Episc., *in Januen.* 7 Aprilis 1583. (13. Maxime si sint occasio scandali. Ead. sacr. cong. Episc., *in Cirentina* 24 Septemb. 1585. (14. Nisi sint lapideæ vel etiam ligneæ parietibus adhærentes. Eadem sacra congregatio Episcop., *in Sarzan.* 21 Novembris 1600, et 28 Febr. 1601

(15. In removendis et alternandis sedibus non debent permitti novitates. Sacr. congreg. Episc., *in Cirentina* 4 Junii 1602, et *in Ferentina* 8 Decembris 1645.

(16. Sedes possunt a dominis ornari. Sacr. congreg. Episc., *in Andrien.* 25 Octobris 1602. (17. Et eis etiam inscriptio vel aliud signum apponi. Ead. sacra congreg. Episc. 14 Januar. 1603.

(18. Est removenda sedes adeo altari vicina, ut celebrantem non impediat. Sacra congreg. Episcop., *in nullius castri Durantis* 10 Novembris 1623.

(19. Regularium superiores non possunt removere sedes a loco solito, nisi cum circumspectione, maxime si spectent ad magistratum. Sacr. congr. Episcop. et Regul., *in Assisien.* 22 Martii 1603. (20. Debent tamen superiores regularium sollicite attendere, ne in suis ecclesiis occasione sedilium et scamnorum, rumores et scandala

Digitized by Google

oriantur, et in casibus procedere debent juxta occurrentes circumstantias, sicuti in similibus contingentiis procedere debent episcopi pro ipsis impediendis in suis ecclesiis sæcularibus, ut recte advertit Mattheucc., *Officialis curiæ*, cap. 12, num. 18 in fine.

(21. In ecclesia de jurepatronatus laicorum non potest episcopus concedere jus retinendi sedilia invito patrono. Rota, *in Taurin.* 26 Februar. 1666, *coram Decano*, apud Panimol., decis. 1, adnotal. 15, n. 29. V. *Addit. Cas.* in fine h. articuli.

(22. Genuflectoria honorifica retineri possunt a dominis loci in ecclesia. Panimol., *loc. cit.*, n. 34, cum aliis ibi citatis.

(23. Alia ad rem. *Vide* verb. ABBAS, n. 31, § 2 et 3, et verb. ECCLESIA, art. 5, a n. 7 ad 27.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De scamnis in ecclesiis frequentes sunt controversiæ, latius propterea esset de iis agendum. Sed limites additionum cogunt, ut vix pauca hæc adnotemus.

(24. Scamna in ecclesiis haud posse a laicis retineri ad sedendum, nisi cum licentia expressa aut tacita episcopi, vel ipsarum rectoris, juris est indubii. Frass., *De jurepatron. Regul.*, tom. II, cap. 97, n. 12; Romaguer., *ad constit synod. Gerund.*, lib. III, tit. 14, cap. 2, n 1; Pilaia, *Dec. canon.*, lib. I, dec. 5, n. 22; Corsind., dec. 159, n. 9, part. III.

(25. Quæstionis vero est, an concesso usu scamnorum laicis ab eo, qui hac potestate pollet, jus aliquod quæratur ipsis laicis pro tuitione hujus usus. Distinguendum est, num controversia sit cum altero laico, an cum episcopo vel rectore Ecclesiæ. Priori casu convenit inter omnes, posse laicos se tueri in usu illo, ut præter mox allegatos tradunt Manfrell., in *Observ.*, ad decis. 181; Capyc., *Latr.* n. 1; Panimol., dec. 1, adnot. 15, n. 1 et 12; Sanfelic., dec. 331, n. 14; Calderin., *Dec. criminal.* 38, n. 19 et seq., tom. I.

(26. Posteriori vero casu rursus distingui debet, num episcopus vel rector ecclesiæ amovere scamna intendat sine ulla causa, vel ut illorum usum aliis concedat, an ita exigente necessitate ecclesiæ: (27. Amovere enim nequit scamna sine ulla causa, vel ut aliis concedat eorum usum; potest vero amovere ex necessitate ecclesiæ, sed debet, si fieri possit, eorum usum alio in loco illis ipsis concedere. Antonell., *De loc. legal.*, cap. 3, n. 68, lib. I; Lagunez, *De fructib.*, part. I, cap. 30, § 1, n. 38 et sequent., omnesque supra allegati.

(28. De concessione usus scamnorum in ecclesia, num ea personalis sit, an transeat ad hæredes, disquiri solet. Personalem vero esse tenent inter alios Loiseau, *Des seigneuries*, cap. 11, num. 60; Marechal, *Des droits honorifiques*, chap. 2. At consule et hos de aliis, quæ circa scamna emergere possunt, quæstionibus; quippe quia materiam funditus examinant.

ADDITIONES CASINENSES

(29. Ad uberiorem, de qua agimus, materiæ explanationem, præstat, quæ sequuntur, exscribere ex clar. Panimolle, *Decis. for. Eccles.*, tom. I, decis. 1, adnotat. 15, n. 1 et seqq., in hæc verba:

(30. « Laici nullum jus, nullumque dominium habere possunt in ecclesiis, in sedibus vel scamnis aut stallis ad sedendum, invito episcopo, sed ejus gratia hoc jus permittitur. » Host., in cap. *Abolendæ*; Lambertin., *De jurepatr.*, lib. I, p. I, q. 11 princ., art. 15, n. 2; Genuensis, in *Prax. archiep.*, c. 33, n. 27, aliique apud eumdem Panimolle, *ib.*

(31. « Item hoc verum esse, si a principio laicus vellet, invito episcopo, jus sedilium sibi vindicare vel acquirere, ut egregie tradit Giovagn... Secus si ab initio episcopus vel rector ecclesiæ concessit, vel toleravit, aut passus fuit, laicum habere sedile in ecclesia, nam hoc casu, si servitium ecclesiæ incommodum non patiatur, non est privandus, sed manutenendus in sua quasi possessione, ita ut rector ecclesiæ nequeat hujusmodi sedile amovere; non tamen per hoc censetur, laicum acquisivisse dominium aut proprietatem in ecclesia, sed tantum usum. » Paris., cons. 149, n. 12; Gratian., discept. 110, n. 13, aliique, apud dict. Panimoll., *loc. cit.*, n. 2.

(32. « Siquidem etiam in ecclesia datur laicis pro conservatione suæ possessionis interdictum *uti possidentis*, et mandatum de manutenendo pro conservatione suæ possessionis tenendi scamna, stallum vel sedile, in ecclesia, seu in ejus aliquo loco eminentiori, et prout quisque possidet. » Gratian., *loc. cit.*, n. 16 et seqq.; Ciarlin., *Controv. Forens.*, c. 119, n. 9; Rota, decis. 378, n. 1, part. II, recent. Apud eumdem, num. 3.

(33. « Ulterius non solum datur actio injuriarum contra amoventem scamnum de loco, in quo laicus habet jus sedendi in digniori parte ecclesiæ, Gratian., discept. 110, n. 14, verum etiam exsistens in quasi possessione sedendi in superiori loco, et præcedendi in sedendo vel stando, potest etiam armata manu resistere ei, qui vult illum amovere, ejusque possessionem turbare. » Ciarlin., *loc. et num. cit.*; Gratian., cit. discept. 110, n. 16 et seqq., apud prælaud. Panimoll., *ibid.*, n. 4.

(34. « Quæ quidem sedendi, et stalli, seu sedis jus retinendi in ecclesia acquiritur etiam per unicum actum. » Menoch., consil. 226, n. 6; abbas, in c. *Cum ecclesia Sutrina*; Gratian. et Ciarlin., *locis cit. ib.*, n. 9.* Quod tamen intellige quoad ipsos laicos contendentes de loco eminentiori non quoad effectum acquirendi jus stalli in eccles. V. *infra*, num. 41*.

(35. « Dummodo tamen hujusmodi actus fuerit factus animo acquirendi hujusmodi possessionem, et per se talis sit, ut aptus et sufficiens reddatur ad eamdem acquirendam, secus autem si jure familiaritatis emanasse dignoscatur. » *Ib.*, n. 6.

Digitized by Google

(36. « Unde, quando agitur inter plures patronos de loco, stallo, et juris sedendi pertinentia contendentes, ad effectum manutentionis sufficit unicus actus et ultimus status attenditur. » Ciarlin., *Controv. forens.*, cap. 119, n. 53. Apud dict. Panim. n. 7.

(37. « Maxime si non agatur de dominio alicujus rei, sed tantum de jure sedendi et usu stalli, cujus juris laici sunt capaces, et in tali usu et jure sedendi in ecclesia possunt manuteneri. » Gratian., discept. 110, n. 14; Ciarl., *l. c.*, n. 54, *ib.*, n. 8.

(38. « Etenim, sicut ex gratia laicis conceditur jus habendi capellam, sepulturam, seu jus funerandi; et juspatronatus ad beneficia : .... Ita ex gratia laicis conceditur jus retinendi scamna, sedilia, banchas et scabella in ecclesia, ad similitudinem juris patronatus, cujus quasi naturam obtinet, et ejusdem fere juris et prærogativæ censetur. » N. 7 et 10.

(39. « Unde postquam gratia concessa fuit, licet quoad dominium nemo possit dicere, *iste locus est meus*, quantum tamen ad usum bene potest dicere... ut eidem auferri nequeat dictum jus stalli, et sedis in eo (loco). » N. 11.

(40. « Neque ad effectum acquirendi hujusmodi jus requiritur expressus consensus episcopi, sed sufficit etiam tacitus, qui resultat, vel ex tolerantia ejusdem episcopi, vel ex eo, quod scamnum retineatur in loco patenti, et episcopus non contradixerit. » N. 12.

(41. « Quinimo ex cursu 30 annorum retentionis. Stalli in ecclesia præsumitur consensus superioris, et ejus beneplacitum. » N. 13.

(42. « Ex hujusmodi tamen beneplacito, vel ex eadem expressa concessione retinendi sedile in ecclesia, et juris in eo sedendi, non acquiritur jus irrevocabile, ita ut liberum non sit rectoribus tollere impedimenta ecclesiarum, et amovere subsellia, quando ecclesiæ necessitas seu servitium exigat; secus vero, si non tractatur de servitio ecclesiæ, nam hoc casu non potest rector tollere locum uni, et dare alteri; quia jus uni concessum retinendi in ecclesia sedilia ex gratia, quoad usum tribuit jus irrevocabile, et rector non potest illud tollere ad libitum, et in iis terminis intelligi debent constitutiones synodales disponentes, quod nullum jus irrevocabile acquiratur per concessionem sedilis in ecclesia, cum regulari debeant secundum dispositionem juris communis, ut tradit etiam Gratianus, discept. 947, n. 15, et discept. 972, n. 11. » *Ib.*, n. 14.

(43. « Neque hoc jus morte dissolvitur, nisi constet, quod limitate concessum fuerit; sed transit ad quoscunque hæredes, etiam extraneos, sicut jus sepulcrorum... Et sicut jus patronatus, ad cujus similitudinem præfatum jus regulatur, est transitorium ad quoscunque hæredes extraneos... etiam ad feminas hæredes... ita etiam hoc jus

sedilium est transitorium, nedum ad quoscunque hæredes extraneos, sed etiam ad feminas hæredes, in quarum præcipue commoditatem deserviunt. » Ciarlin., *Controv. forens.*, cap. 119, n. 4, et cap. 210, n. 26, idem, n. 16, 17, 18, 19.

(44. « Limita, si hoc jus esset gentilitium, et familiare, et non hæreditarium, nam tunc non est transitorium ad hæredes extraneos, sed solum ad eos de familia, etiamsi non sint hæredes defuncti. » N. 21.

(45. « Præsumitur tamen gentilitium vel familiare, si ipsis sedilibus reperiantur domus insignia impressa. » N. 22.

(46. « Si vero non appareat, qualiter fuerit concessum, præsumitur potius hæreditarium, quam gentilitium... Exstincta tamen familia, remanet transitorium ad hæredes quoque extraneos, sicut hoc casu juspatronatus gentilium efficitur hæreditarium, ejusque naturam assumit, et ad hæredes extraneos transire potest. » N. 23, 24.

(47. « Laicorum vero loca in ecclesia esse debent distincta a locis canonicorum et ministrorum in divinis inservientium. Sacr. congregat. Rit., *in Elboren.* 8 Januar. 1605. » N. 26.

(48. « Et dum divina celebrantur, non debent laici inter canonicos, vel alios Ecclesiæ præbendatos in choro stare vel sedere. Sacr. congregat. Rit., *in Compostellam* 4 Febr. 1600, et quod nec debeant occupare loca seu stalla dignitatum, et canonicorum, et præbendatuum in presbyterio. Sac. congreg. Rit., *in Granaten.* 24 Octob. 1609. » N. 27, 28.

(49. « Quæres item, an patronus habeat jus prohibendi, ne alius in ecclesia patronali apponat scamnum?

(50. Negativa sententia verior videtur, nempe patronum non habere tale jus prohibendi. Quoniam patronus vigere jurispatronatus non habet in ecclesia, nisi jus nominandi aut præsentandi rectorem, item jura honorifica et præeminentialia; ergo quoties per hujusmodi appositionem scamni salvantur illæsa et intacta omnia jura eidem patrono competentia, non est, cur habere jus prohibendi prætendat, ne alteri in dicta ecclesia jus habendi scamnum, et sedendi concedatur. Rota, decis. 474, n. 7, part. XIX, tom. II, et decis. 123, n. 6, *coram Dunoz.*, et decis. 145, n. 2, *coram Greg.* — Ita de Fargna, *De jurepatronat.*, part. I, can. 4, cas. 7, n. 5.

(51. Salvis enim juribus honorificis patroni, et nullo hujus præjudicio exsistente, episcopus, aut rector ecclesiæ potest ibi aliis laicis non patronis distribuere loca ecclesiæ pro apponendis in eis scamnis. Nec huic assignationi et distributioni locorum ecclesiæ factæ per episcopum, aut rectorem se opponere posset patronus; quia, si in hujusmodi assignatione salvantur jura patronalia, quæcunque oppositio per patronum adducta, est irrationabilis, nec attendenda, ut bene Rota, *in Neapolitana constructionis ecclesiæ super secundo dubio* 26 Jun. 1711,

Digitized by Google

§ *Quibus omnibus coram R. P. D. Falconerio.* — De Fargna, *ib.*, n. 7, 8, 9.

(52. Nisi patronus in limine fundationis sibi reservasset jus prohibendi, ne ab aliis apponantur scamna; quo casu jus prohibendi competeret patrono, non ex vi patronatus, sed ex vi reservationis specialiter factæ de consensu episcopi in limine fundationis. Rota, decis. 475, n. 6, part. XIX, tom. IV, recentior., de Fargna, *loc. cit.*, n. 10.

(53. Bene verum, quod si apponeretur scamnum in eminentiori loco, aut magis ornatum, et nobilitatum, quam illud patroni « crederem patronum habere jus prohibendi, ne in sua ecclesia apponatur hujusmodi scamnum a persona extranea in eminentiori loco ecclesiæ, aut magis ornatum, et nobilitatum, aut altum præ cæteris... quia appositio et erectio scamni in eminentiori loco, aut magis ornati, nobilis et altioris illo patroni detrahit præeminentiæ et honori ejusdem patroni, qui primus in ecclesia patronata sedere debet, et præ cæteris sede nobiliori et altiori honorandus, et consequenter tanquam præjudicialis juribus honorificis patroni poterit per ipsum prohiberi. Lotter., *De re benefic.*, lib. II, q. 4, num. 2; Paris., consil. 149, num. 2, lib. IV; Gratian., *Discept.*, cap. 220, num. 40; Rota, decis. 163, nu. 19, p. 17, recent. et decis. 321, n. 2, *coram Cavaler.* » Ita de Fargna, *loc. cit.*, n. 12, 13.

(54. Atque hæc in animadversionem eorum quæ ab auctore hic *supra* n. 21, dicta sunt, notasse expediat; haud immorándo decisioni rotali, *ibid.* allatæ, quippe ob peculiares circumstantias editæ, prout ex contextu prædictæ decisionis liquido patet. Siquidem agebatur de ecclesia angusta et in qua nunquam scamna apponi consueverant (50).

55. Laicis sanguinis nobilitate præfulgentibus non solum permissa est retentio sedilis in ecclesia, sed illud expostulando denegari non valet, quemadmodum sane liquet ex cæremoniali episcoporum lib. I, cap. 13, in quo conceduntur hujusmodi sedes nobilibus atque illustribus viris, dummodo extra chorum vel presbyterium collocentur, ibi : « Sedes autem pro nobilibus atque illustribus viris laicis plus minusve pro cujusque dignitate et gradu ornatas decet extra chorum et presbyterium collocari, juxta sacrorum canonum præscriptum, laudabilisque antiquæ disciplinæ documenta, jam inde ab exordiis Christianæ religionis introductæ, ac longe observata. » De Fargna, *l. c.*, part. VI, cas. 1, n. 4.

(56. « Tolli (vero) debet abusus dandi in ecclesia sedes altas ad sedendum, et cussinos ad genuflectendum vilibus personis, quibus non debentur, præsertim mulieribus, 1596. Castro, 16 Sept. » Nicolius, in *Floscul.*, v. *Ecclesia*, n. 14.

(57. Porro et illud notandum quod « si inter laicos oriatur differentia super jure sedendi in potiori loco vel alio in ecclesia, hoc casu episcopus tantum est judex competens, et non judex sæcularis, cum ecclesia sit extra ejus jurisdictionem, et solius episcopi territorium dicatur, ad notata per Abbat. et Host. in cap. penult. *De sepulturis;* Roc. de curte, in *Tract. jurispatr.*, vers. *in Eccles.*, n. 10.,.. » Sic Panimolle, *Decis. for. Eccles.*, part. I, decis. 1, adnotat. 1, n. 10, in cit. oper.

(58. Tandem scias oportet sedilia adesse non posse in ecclesia ita collocata, ut sedentes vertant terga ad SS. sacramentum, et alia indecora oriantur contra constitutionem Pii V, editam an. 1556. Rota recent., decis. 411, num. 2, part. II. — Ita, in *Compendio decis. S. Rot. R.* v. *Sedere*, *Sedilia*, *Sedes*.

SEDITIO.

Vide verb. Bellum, *art.* 1, *num.* 1, *et verb.* Virtus, *num.* 87.

SEDITIOSA PROPOSITIO.

Vide verb. Propositiones damnatæ, *num.* 35.

SEMINARIUM.

SUMMARIUM.

1. Seminaria erigenda sunt in qualibet ecclesia metropolitana cathedrali et abbatiali habente proprium territorium, et in eis tenendi sunt clerici

(50) Pitonius, *De controvers. patronor.*, allegat. 43, n. 9 et, allegat. 55, n. 49, utique tenet, quod, invito patrono, non possit rector ecclesiæ, vel etiam episcopus dare alteri licentiam apponendi, et retinendi scamnum in ecclesia patronata; atque ad id allegat decis. Rotæ, cujus Lucius noster numer. 21, meminit. Sed cum hujusmodi decisio ex circumstantiis particularibus, Pitonio ipso fatente, edita fuerit; et cæteroquin idem tribunal Rotæ luculenter firmaverit, nequaquam patronum habere tale jus prohibendi, ut hic supra videre est, hinc porro non est, cur in prædicti scriptoris sententiam descendere debeamus. Et revera, argumento ducto ab excavatione et concessione juris sepulcri, si patronus non habet jus prohibendi, ne in ecclesia patronata excaventur sepulcra favore aliorum, licitumque sit ordinario, etiam absque ipsius consensu, et beneplacito concedere alteri facultatem excavandi sepulcrum in ejusmodi ecclesia. De Fargna, *De jurepatronat.*, part. I, can. 4, cas. 8, n. 5, idque quidem jure merito.

Et ut habet Murga, *De sepult.*, tract. 5, disquisit. 5, n. 2 : « Nullum præjudicium patrono infertur ex constructione sepulcri in ecclesia patronata; ergo absque illius consensu, potest illud construi : » Firmatumque fuit per Rotam, *in Burgen. juris sedendi*, decis. 474, n. 4 et seqq. part. XIX, tom. II, recent. apud præd. Pitonium, cit. allegat. 54, n. 49, nec ipse *ibidem* dissentit. Si hæc quidem ita se habent quoad excavationem sepulcri non videmus, cur affirmative pronuntiandum non sit quoad appositionem et retentionem sedilium in ecclesia patronata, utut patronus repugnare velit.

Digitized by Google

adolescentes.—2. Si non possit erigi seminarium in qualibet cathedrali, debent erigi duo, vel unum saltem in provincia per synodum provincialem, et debent aliæ ecclesiæ concurrere ad expensas. — 3. Seminaria plura fieri possunt in diœcesi ampla; omnia tamen ab eo, quod est in cathedrali dependere debent. — 4. Seminarium censetur vere et formaliter erectum quoties alumni in aliqua etiam domo conducta collegialiter vivunt, et juxta formam concilii inibi erudiuntur. — 5. Seminarium erigi non potest in ædibus canonicalibus, nisi de consensu canonicorum, et ita separatum, ut presbyteri vel clerici nullam communicationem habeant cum seminaristis. — 6. Pueri alendi in seminario sumptibus illius, sunt filii pauperum bonæ indolis.—7. Possunt tamen in seminario etiam teneri et erudiri filii divitum, sed sumptibus propriis. — 8. Pueri in seminario recipiendi cujus ætatis, et qualitatis esse debeant? — 9. Pro administratione et regimine seminarii faciendæ sunt tres species deputatorum seu consultorum, et assignantur, ad num. 17. — 18. Pro expensis erectionis et manutentionis seminarii applicandi sunt eo ipso eidem seminario redditus omnes, ac bona omnia, quæ ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis et locis piis destinata, etc. — 19. Ubi supradicti redditus non habentur, seu non sufficiunt, debet episcopus primo ex ejus episcopali mensa ratam fructuum seminario contribuere, et postea suo exemplo capitulum, et cæteros beneficiatos ad id pro rata compellere, ad num. 59. — 60. Quamvis possit, imo teneatur episcopus unire seminario beneficia aliquot simplicia, non potest tamen unire beneficia simplicia jurispatronatus, sive laicalis, sive ecclesiastici, vel alia pertinentia ad inferiorem collatorem et electorem sine consensu patronorum. — 61. Neque seminario uniri possunt beneficia reservata post vacationem. 62. — Neque seminario uniri possunt canonicatus collegiatarum ecclesiarum, quamvis ex consuetudine non obligent ad residentiam. — 63. Item neque seminario uniri possunt beneficia curata nequidem habitu tantum. — 64. Neque seminario uniri possunt beneficia regularia, sive dentur in titulum, sive in commendam; secus tamen si statum mutaverint. — 65. Neque seminario uniri possunt abbatiæ, prioratus et monasteria consistorialia, seu beneficia quovis modo auctoritate Apostolica commendata et obtenta, seu obtinenda per S. R. E. cardinales, seu veros et proprios Papæ familiares, nuntios Apostolicos et secretarios congregationum, quibus iidem S. R. E. cardinales intersunt. — 66. Nec valet unio facta seminario omnium beneficiorum simplicium. — 67. Episcopus singulis annis, præsentibus quatuor deputatis, tenetur exigere rationem redditumm seminarii ab administratoribus. — 68. Bona stabilia seminarii non possunt ultra triennium locari; nec eadem bona cum aliis bonis in evidentem Ecclesiæ utilitatem permutari. Nec sterilia et inculta in Emphiteusim ad tertiam generationem concedi sine beneplacito Apostolico. — 69. Seminarium auctoritate episcopi erectum gaudet immunitate ecclesiastica, ita ut reus ad illud confugiens non possit extrahi. — 70. Seminarium est immune a tributis, et aliis sæcularibus muneribus extraordinariis; nec gabellarii possunt diminuere rectori et magistro seminarii consuetam franchitiam farinæ. — 71. Seminarii clerici debent in publicis processionibus primi incedere ante clerum sæcularem, ac relinquere locum digniorem curatis. — 72. Seminarii clerici non præcedunt canonicis collegiatæ. — 73. Seminarium non est membrum Ecclesiæ cathedralis, licet in ea clerici seminarii officient. — 74. Pro erectione seminarii cogitur quis vendere rem suam, sicuti etiam pro ampliatione domus seminarii. — 75. Adducuntur hic ad rem varia decreta, prout ad litteram referuntur a Pignatello usque ad n. 177. — 178. Supradicta decreta, et omnia supra exposita moderanda sunt, et intelligenda juxta novissimam constitutionem Benedicti XIII. — 179. Affertur ad litteram dicta constitutio. — 180. Insuper ad complementum afferuntur hic instructiones, quæ mandato dicti Benedicti XIII, emanarunt circa taxam seminariorum, quæ transmissa fuit ad episcopos Italiæ, et insularum adjacentium, una cum hac Encyclica epistola, ad num. 181. — 182. Alia ad rem, ad n. 201.

(1. Seminaria erigenda sunt in qualibet ecclesia metropolitana vel cathedrali, et in eis tenendi et erudiendi sunt clerici adolescentes. Concilium *Trid.*, sess. XXIII, *De reform.*, c. 18. Et etiam erigenda sunt in ecclesiis abbatialibus habentibus proprium territorium privative quoad episcopos. Sic declarasse sacram congregat. Concilii testatur ex aliis Ventriglia, part. II, adnotat. 29, § unic., num. 2

(2. Si non possit erigi seminarium in omni cathedrali, debent erigi duo, vel unum saltem in provincia per synodum provincialem, et debent aliæ Ecclesiæ concurrere ad expensas. Concil. *Trid.*, cit. cap. 18.

(3. Seminaria plura fieri possunt in diœcesi ampla, omnia tamen ab eo, quod est in cathedrali, dependere debent. Conc. *Trid.*, cit. cap. 18.

(4. Seminarium censetur vere et formaliter erectum, quoties alumni in aliqua etiam domo conducta collegialiter vivunt, et juxta formam concilii inibi erudiuntur. Rota, *coram Coccino*, decis. 1365, n. 1; Garcias, *de benefic.*, part. XII, cap. 2, n. 194 et 196; Lotter., *De re benefic.*, lib. II, cap. 29; Ventriglia, part. II, adnot. 29, § unic., n. 42; Monacell., part. I, tit. 12, n. 2, et alii passim.

(5. Seminarium erigi non potest in ædibus canonicorum, nisi de consensu canonicorum, et ita separatum, ut presbyteri vel clerici nullam communicationem habeant cum seminaristis. Sacra congreg. Episcop., *in Mutinen.* 3 Febr. 1604.

(6. Pueri alendi in seminario sumptibus illius, sunt filii pauperum bonæ indolis, qui spem bonæ exspectationis præseferant. Concil. *Tridentin.*, cit. cap. 18.

(7. Possunt tamen in seminario etiam teneri et erudiri filii divitum, sed sumptibus propriis. Concil. *Trident.*, cit. cap. 18.

(8. Pueri in seminario recipiendi debent esse ex legitimo matrimonio nati, et ad minus ætatis annorum duodecim, qui sciant legere et scribere competenter; tonsura statim, atque habitu clericali semper utantur; discant grammaticam, cantum, ecclesiasticum computum, aliasque bonas artes, sacram Scripturam, doctrinam confessionum audiendarum, sacramentorum ministrandorum, rituum et cæremoniarum, omni die missæ inserviant, omni mense confiteantur et communicent, diebus festis

Digitized by Google

inserviant cathedrali vel alteri ecclesiæ. Concil. *Trid.*, cit. cap. 18.

(9. Pro administratione et regimine seminarii faciendæ statuuntur tres species deputatorum seu consultorum. Prima species est duorum canonicorum seniorum et graviorum ab episcopo eligendorum, quorum consilium adhibere debet episcopus circa ea quæ visitationem, correptionem et gubernationem personarum seminarii concernunt. Conc. *Trid.*, cit. cap. 18, ibi: « Quæ omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent, eaque, ut semper observentur, sæpius visitando, operam dabunt, etc. » Secunda species deputatorum seu consultorum, est duorum etiam de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter vero ab ipso capitulo est eligendus. Concilium *Tridentinum*, cit. cap. 18, ibi: « Iidem episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur; » tertia species est duorum de clero civitatis, quorum unus similiter ab episcopo, et alter a clero est eligendus. Concilium *Tridentinum*, cit. cap. 18, ibi: « Itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum, alterius vero ad clerum pertineat. » Et horum deputatorum seu consultorum secundæ et tertiæ speciei consilium tenetur episcopus requirere circa ea quæ concernunt portiones detrahendas ex singulis beneficiis pro sustentatione seminarii, et uniones beneficiorum illi faciendas. Sic expresse concil. *Trident.*, cit. cap. 18.

(10. Consilium dictorum deputatorum adhibere debet episcopus, tam in constituendis regulis seminarii, quam in electione, admissione et expulsione puerorum, in deputatione magistrorum et librorum legendorum, in visitatione et rerum temporalium administratione. Sic declaravit sacra congr. Concil., ut testantur Ventriglia, part. II, adnot. 29, § unic., n. 6, 9 et 10; Crispin., *De visitat.*, part. I, § 31, n. 6; Monacell., part. I, tit. 12, formul. 1, n. 1, et alii, inter quos eminentiss. cardin. Cavalchinus alias sacr. congregat. Concil. secretarius in expositione causæ, in *Tricaricensi administrationis seminarii*, sub die 24 Martii 1736, ubi plura refert decreta ad rem, uti videri potest in tomo VII *Thesauri resolution. sacræ congreg. Concilii.*

(11. Hinc episcopus tenetur omnino requirere consilium prædictorum deputatorum respective, alias actus non valet, cum tale consilium videatur requisitum a concilio pro forma. Silvester, verb. *Consilium*, n. 9, vers. *Quarto quæritur*; Pignatell., tom. I, consult. 180, n. 7, ubi multa ad rem; Monacell., *loc. cit.*, formul. 3, n. 1, ubi dicit, quod sic in terminis declaravit sac. congreg. Concil., *in Salernitana*, quam refert Crispin., *De visitatione*, part. II, § 31, n. 6; Ventriglia, *loco cit.*, n. 6.

(12. Licet autem episcopus teneatur deputatorum consilium requirere, non tamen tenetur eorum consilium sequi, ut decisum referunt Barbosa, ad concil. *Trident.*, cit. sess. XXIII, *De reform.*, cap. 18, n. 7; Gonzal., ad regul. 8 *Cancellar.*, Glossa 46, n. 74; Ventriglia, *loco cit.*, n. 6, et card. Cavalchin., *loco cit.*

(13. Seminarii deputati et alii officiales habent votum consultivum, non autem decisivum. Sacra cong. Concil. 1620, apud Barbosam, *l. cit.*, n. 6, et Aldan., in *Compend. canonicar. resolut.*, lib. III, tit. 18, n. 2.

(14. Canonici duo eligendi, postquam fuerint electi, erunt perpetui, nec sine legitima et justa causa amoveri possunt; (15. est autem causa legitima senectus, infirmitas et similis alia. Sacra cong. Concil., *in Cremon.* 5 Septembr. 1602, apud Pignatell., tom. IX, consult. 81, n. 56, et card. Cavalchin., *l. cit.*

(16. Dicti duo canonici deputati, si quandoque contingat ea de causa sine fraude ab ecclesia abesse cum episcopo, non sunt privandi quotidianis distributionibus, tanquam absentes propter Ecclesiæ utilitatem ex officio eis attributo. Barbosa, *loco cit.*, n. 8; Ventriglia, *loco cit.*, n. 9; Moneta, *De distributionib. quotidian.*, part. II, q. 8, n. 7, et alii.

(17. Consultorum prædictorum deputatio, quamvis possit fieri extra synodum, nihilominus regulariter fieri debet in synodo, in qua jam totus clerus congregatus reperitur. Corrad., *Prax. beneficior.*, lib. IV, cap. 8, n. 28; Monacell., *loc. cit.*, formul. 2, et alii.

(18. Pro expensis erectionis et manutentionis seminarii applicandi sunt eo ipso eidem seminario reditus omnes, ac bona omnia, quæ ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis et locis piis destinata; dummodo in illis ecclesiis et locis piis actu erectum non sit collegium puerorum, nec seminarium actu habeatur: secus enim est de tali collegio, sive alio seminario, quia illud non tollitur per *Tridentinum*, in d. sess. XXIII, cap. 18, licet ex fructibus super excrescentibus portio detrahatur. Sacr. cong. Concil., *in Vercellensi* 27 Julii 1570.

(19. Ubi supradicti reditus non habentur, seu non sufficiunt pro erectione et integra manutentione seminarii, debet episcopus primo ex ejus episcopali mensa ratam fructuum seminario contribuere, et postea suo exemplo capitulum et cæteros beneficiatos ad id pro rata compellere; sic de mente conc. *Trid.* declaravit S. C. ejusdem conc., in d. c. 18, sess. XXIII, *De reform.*, ut referunt Barbosa, *De offic. et potestat. episcop.*, allegat. 77, n. 2; Pignatell., tom. IX, consult. 81, n. 96; Vintriglia, *loco cit.*, n. 14; Monacell., *loc. citat.*, formul. 1, n. 3, et alii passim.

(20. Unde ad contribuendum pro seminario non solum tenetur episcopus de sua mensa episcopali, abbas de sua mensa ab-

Digitized by Google

batiali et capitulum de sua mensa seu massa capitulari, sed etiam omnes beneficiati de suis respective beneficiis, etiamsi sint de jurepatronatus, ut expresse statuit concilium *Trid.*, cit. sess. XXIII, c. 18. (21. A seminarii enim contributione nullus est exemptus, nisi qui nominatim a concilio excipiuntur, ut declaravit sacra congreg. ejusdem concilii 11 Januarii 1601, apud Sellium, in *Select. canon.*, cap. 36, n. 3; Barbosa, in *Summ. apost. decis.*, verb. *Seminarium.*, collect. 1768, n. 1.

(22. Hinc etiam cardinales tenentur contribuere seminario de fructibus abbatiarum et beneficiorum, quæ habent in diœcesi, in qua est seminarium et hanc contributionem solvere tenentur juxta taxam ab episcopo et deputatis factam. Sac. congreg. Concil., *in Adrien.* 3 Decemb. 1622, et *in Tudertina* 15 April. 1628, apud Barbos. ad concil. *Trid.*, cit. sess. XXIII, cap. 18, n. 23, et novissime Benedictus XIII, constit. incip. *Creditæ*, § 1.

(23. Seminario contribuere tenentur omnia monasteria regularium, non tamen Mendicantium. Concilium *Trident.*, cit. cap. 18. (24. Etiamsi monasteria illa contribuant seminario sui ordinis, tenentur adhuc contribuere seminario episcopi de eo, quod superest. Sac. cong. Concil., *in Monasterien.* 7 Septembris 1630, apud Barbos., *loco citat.*, n. 29; Sellium, in *Select. canonic.*, cap. 10, n. 19; Ventriglia, *loco cit.*, n. 33.

(25. Eximit autem concilium, *loco cit.*, n. 19, ab hac contributione facienda seminario omnia monasteria regularium Mendicantium, quorum nomine veniunt omnia monasteria Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinensium, Carmelitarum et aliorum omnium, qui ex particularibus privilegiis Summorum Pontificum participant de privilegiis Mendicantium. *Communis.*

(26. Regulares autem Mendicantes, si habeant beneficia unita suis monasteriis, tunc habita ratione redituum eorumdem, solvere debent pro eorum rata. Sacra congreg. Concil., apud Pignatell., tom. IX, consult. 81, n. 56; Monacell., *loc. cit.*, formul. 1, n. 4; Ventriglia, *loco cit.*, n. 28.

(27. Unio tamen dictorum beneficiorum ad hoc, ut regulares compellantur contribuere, est probanda per episcopum; nam in monasteriis Mendicantium, quæ possident bona immobilia, onus probandi ea esse per uniones acquisita, in episcopum transfertur, quo non probante, ea bona erunt exempta. Sic sacra congreg. Conc., *in una Patavina*, apud Pignatell., *loc. cit.*, n. 68. (28. Et talis unio ad hoc, ut Mendicantes possint compelli ad contribuendum, est plene probanda, non per conjecturas et præsumptiones, sed per gratiæ unionis expeditionem. Sacra congregat. Concilii, *in Cornetana* 28 Julii, apud Monacell., *loc. citat.*, numer. 5.

(29. Regulares Mendicantes ex redditibus beneficiorum suis monasteriis unitorum debent contribuere seminario, non obstante, quod prætendant se exemptos, quia videlicet in illis lectiones grammaticæ et conscientiæ casuum pro audiendis confessionibus quotidie habeantur, quia ex hoc non eximuntur, sed tantum deducitur impensa facienda pro habendis prædictis lectionibus a contributione et ex reliquo solvant ad ratam. Sacra congreg. Concilii, apud Sellium, in *Select. canon.*, cap. 10, n. 19; Barbosa, ad *Trident.*, *loco cit.*, numer. 28.

(30. Unde sacra congreg. prædicta 21 Julii 1629, declaravit portionem debitam seminario ratione beneficiorum exigi posse post unionem ejusdem beneficii factam regularibus, qui Mendicantium privilegiis gaudent. Sic apud Barbosam, ad *Trident.*, *loc. cit.*, nu. 27; Sellium, *loco cit.*, n. 18. *Vide* tamen infra constitutionem novissime editam a Benedicto XIII, incip. *Creditæ*, § 1 in fine.

(31. Seminario contribuere tenentur etiam beneficiati eorum beneficiorum, quæ ad collationem et institutionem monachorum pertinent, si intra fines diœcesis sint. Sacra congreg. Concil., in *Caputaquen.* 4 Februar. 1593, apud Aldan., *in Compend. canon. resolut.*, lib. III, tit. 10, n. 22; Barbos., ad *Trid.*, *loc. cit.*, n. 26, et in *Summ. Apostolic. decis.*, collect. 1568, n. 8 et 13.

(32. Moniales non tenentur contribuere seminario, si beneficia non habeant unita, et si habeant non tenentur, nisi de reditibus beneficiorum unitorum earumlmonasteriis. Sacr. congreg. Concil., *in una Hieracen.*, de anno 1693; apud Sellium, *loco citat.*, n. 19; Barbosa, ad *Trident.*, *loco citat.*, n. 3; Ventriglia, *loco citat.*, n. 36.

(33. Confraternitates, scholæ et capellæ etiam intra regularium ecclesias sitæ, si habeant beneficia annexa, vel redditus, seu proventus ecclesiasticos, tenentur contribuere seminario. Sacra congr. Concil., *in Lucana* 5 Julii 1628, et *in Signina* 18 Novemb. 1628, et novissime Benedictus XIII, cit. constit. incip. *Creditæ*, § 1, ibi: « Nec non fructus, ac reditus confraternitatum laicorum ex certis fundis et capitalibus provenientes (non autem summas pecuniarias, quæ a confratribus quolibet mense, vel anno, vel per modum eleemosynæ, vel in vim statutorum contribuuntur) subjici, et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus et mandamus. »

(34. Seminario contribuere tenentur hospitalia, quæ dantur in titulum vel administrationem, et habent annexa beneficia vel redditus ecclesiasticos. Sacra congregat. Concilii, *in Lucana* 5 Julii 1628, apud Ventrigl., *loc. cit.*, nu. 21, et alios ibi adductos. (35. Non tenentur tamen contribuere hospitalia illa quæ administrantur a laicis, et in quibus sunt bona laicorum, quæ non data sunt in titulum, commendam seu administrationem. Sic sacra congreg. Concilii, apud Barbosam, in *Summa*, collect. 1568, num. 16; Ventriglia, *loc. cit.*, num. 22.

(36. Item seminario contribuere tenentur omnia beneficia sæcularia et regularia per quoscunque, etiam per cardinales, per Pontificis familiares, per cameræ Apostolicæ

Digitized by Google

clericos, ac officiales quoscunque obtenta, et in posterum obtinenda. Sic novissime statuit Benedict. XIII, cit. constitut. incip. *Creditæ*, § 1, ibi : « Eidem vero taxæ omnia et singula beneficia sæcularia et regularia per quoscunque etiam venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, nec non nostros, et pro tempore exsistentis Romani Pontificis familiares, et cameræ nostræ Apostolicæ clericos, ministros ac officiales quoscunque præsentes et futuros obtenta, et in posterum obtinenda. . . . . subjici, et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus et mandamus. »

(37. Item contribuere tenentur omnia beneficia sæcularia prioratibus, commendis vel bajulivatibus ordinis Fratrum S. Joannis Hierosolymitani quomodocunque unita, aut de cætero unienda. Sic Benedict. XIII, in dict. constitut. incip. *Creditæ*, § 1, ibi : « Ac omnia insuper beneficia sæcularia prioratibus, commendis vel bajulivatibus ordinis Fratrum S. Joannis Hierosplymitani quomodocunque unita, aut de cætero unienda. . . . . subjici, et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus et mandamus. »

(38. Non solum beneficiarius titularis, sed etiam pensionarius tenetur ad contributionem seminarii pro rata pensionis, sive seminarium erectum sit ante reservationem pensionis, sive non. Sic declarasse sacr. congregationem Concilii refert ex aliis Barbosa, ad concil. *Trid.*, cit. sess. XXIII, cap. 18, num. 48.

(39. Dicta rata pensionis licet possit exigi a titulari, ille tamen prædictam ratam retinebit a pensionario, nisi aliter inter partes cautum sit in constitutione pensionis, Papa annuente, quam ratam potest titularis retinere ad rationem, quam ipse solvit. Sic sacr. congreg. Concil., *in Lucana* 5 Julii 1628, apud Ventrig., *loc. cit.*, n. 28; Barbosa, ad concil., *loco cit.*, n. 49 et 50.

(40. Seminarii contributio anticipate solvenda est de quadrimestri in quadrimestre. Sac. congreg. Episcop. et Regul. 8 Martii 1788, apud Ventrigl., *loco cit.*, num. 38, ubi addit quod in praxi pluribus in locis videntur dictæ contributiones solvi de semestri in semestre.

(41. Capitulum non tenetur solvere taxam seminarii de distributionibus quotidianis distinctis a præbendis. Sacra congreg. Concilii, *in Lucana* 5 Julii 1682, apud Ventrigl., *loc. cit.*, nu. 15, et alios ibi citatos. (42. Ubi subjungit, quod hoc procedit, etiamsi omnes fructus canonicatuum consistant in distributionibus quotidianis, quæ dari solent duntaxat divinis personaliter interessentibus; adhuc enim non tenentur canonici ad seminarii contributionem, et refert sic decisum fuisse per sacram congreg., *in Capuana* 20 Decembr. 1592.

(43. Item non tenetur capitulum, sive alius beneficiatus solvere taxam seminarii ex emolumentis, proventibus et legatis relictis pro celebratione missarum. Sac. congreg. Concilii, *in Caven.* 17 Novembr., apud Ventrigl., *loco cit.*, n. 16; Barbosa, in *Summa Apostolic. decision.*, collect. 1568, num. 18.

(44. Item seminario non est contribuendum ex iis, quæ in incerto et in eleemosynis priorum, et similibus consistunt. Sacra congregat. Concil., apud Piasec., in *Praxi episcop.*, part. II, cap. 2, num. 5; Barbosa, *loc. cit.*, n. 20; Ventriglia, *loc. cit.*, numer. 17.

(45. Seminario contribuere non tenetur abbatia unita capitulo cathedralis ante concilium. Sac. cong. Concil., *in Lucana* 17 Febr. 1629, apud Barbos., *loco cit.*, n. 19; Ventriglia, *loco cit.*, n. 19, ubi subjungit intelligendum hic esse, quod non teneatur solvere ipsa abbatia principaliter, licet teneatur capitulum habita ratione omnium reddituum, etiam abbatiarum.

(46. Nec seminario contribuere cogi potest abbas, qui in suo territorio et jurisdictione seminarium proprium erectum habet, et provisum retinet. Sac. congreg. Concil. 30 Martii 1594, apud Barbos., *loc. cit.*, nu. 15 et Aldan., in *Compend. canonic. resolut.*, lib. III, tit. 11, num. 31.

(47. Beneficia sæcularia quæ ob illorum fructuum tenuitatem decimis Papalibus non contribuunt, neque contribuere tenentur seminario. Sac. congregat. Concil. 21 Martii 1602, et 23 Martii 1604, et *in Amalphitana* 18 Julii 1699, in respons. ad 11 et 6 Februarii 1700.

(48. Quantitas taxæ solvendæ seminario constitui debet ab episcopo cum concilio duorum deputatorum de capitulo, et totidem de clero. Concil. *Trid.*, cit. sess. XXIII, cap. 18, et Benedictus XIII, dict. constitut. incip. *Creditæ*, § 1.

(49. In taxanda portione beneficiorum habenda est ratio ad onera perpetua eorumdem, et ad alias expensas necessarias a beneficiariis faciendas, quæ prius deducendæ sunt. Sacr. congregat. Concil., *in Caven.* 17 Novembr. 1629, apud Barbos., ad *concil cit.*, cap. 18, nu. 4, et in *Summa, loc. cit.*, n. 3, et apud Bonfadin., in *Thesauro ecclesiastic. decis.*, resolut. 32, n. 7.

(50. Taxa instituenda est juxta beneficii qualitatem, loci et diœcesis ubertatem et charitatem. Alibi enim summa duorum cum dimidio pro centenario sufficit, et alibi etiam quatuor approbatur, ut decisum refert Pignatell., tom. I, consult. 416, et tom. IX, consult. 81, n. 100. Et licet taxa regulariter non debeat excedere dimidiam decimarum; Clemens tamen VIII concessit episcopis posse taxare beneficia pro seminario plus medietate decimarum, non obstante bulla sancti Pii V, si expedire judicaverit. Sic refert et tenet Ventriglia, *loc. citat.*, n. 39; Garcias, *De benefic.*, part. XII, cap. 2, n. 107 in fine. Episcopus enim virtute potestatis sibi attributæ a concilio, nedum in dimidio decimæ potest taxare beneficia, sed etiam in majori, prout expedire judicaverit, ut ex decretis sacræ congregationis probat Gallemart. *supra d.* cap. 18, n. 26, et sequitur Monacell., *loco citat.*, formul. 2, n. 6. Novissime autem Benedict. XIII, constit. in-

Digitized by Google

cip. *Creditæ*, § 2, statuit quod taxa nunquam minor sit scutis tribus, neque major scutis quinque pro quolibet centenario. *Vide infra*, ubi datur ipsa constitutio ad litteram.

(51. Taxa juxta temporum et rerum exigentiam augeri potest, ut in casu, quo redditus seminarii essent ita diminuti, ut ad victum scholarium, aliaque onera subeunda non sufficerent. Corrad., *Prax. benefic.*, lib. IV, cap. 8, n. 19; Pax Jordan., *Lucubrat.*, tom. II, lib. VII, tit. 4, n. 23; Monacell., *loco citat.*, n. 7, et alii.

(52. Ita econtra taxa est reducenda et moderanda, si reditus beneficii taxati absque culpa beneficiati notabiliter diminuantur. Sacra congregat. Concil., *in Romana taxæ* 26 Januarii 1697, apud Monacell., *loco citat.*, formul. 1, n. 7.

(53. Si seminarium in totum vel in partem reperiatur dotatum, vel alias auctum reditibus, tunc quantum seminarium lucratum fuerit, tantumdem demi debet de taxa, textu expresso in concil. *Trid.*, cit. cap. 18, ibi : « Succedente vero casu, quo per uniones effectum suum sortientes, aliter seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex singulis beneficiis, ut supra, detracta et incorporata ab episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur; » et sic declarasse etiam sacram congregationem refert Ventriglia, *loco cit.*, n. 41.

(54. Episcopus potest compellere debitores taxæ seminarii ad solvendum etiam censuris, aliisque juris remediis. Sacr. congr. Concil., *in Mexicana*, apud Aldan., in *Compend. canonic. resolut.*, lib. III, tit. 16, n. 24, et Barbos., in *Summa*, *loco cit.*, numer. 4.

(55. Quod si episcopus denegaverit suam portionem, potest compelli, et acriter corripi ab archiepiscopo, et archiepiscopus a concilio provinciali, uti etiamsi adesset negligentia in seminarii erectione, ejusque conservatione. Sic expresse concil. *Tridentin.* citat., cap. 18, ibi : « Quod si cathedralium aliarumque majorum ecclesiarum prælati in hac seminarii erectione, ejusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint, episcopum archiepiscopus, archiepiscopum, et superiores, synodus provincialis acriter corripere, eosque ad omnia supradicta cogere debeat. »

(56. Episcopus potest, imo tenetur unire seminario beneficia aliquot simplicia cujuscunque qualitatis et dignitatis fuerint sine cultus divini et obtinentium præjudicio, etiamsi essent affecta, aut in curia effectum sortirentur. Conc. *Tridentin.*, citat., c. 18; Barbosa, *ibid.*, n. 53, et alii communiter.

(57. Pro hujus unionis forma tamen requiritur primo, quod seminarium jam sit erectum et formaliter institutum. Sic auctoritate Rotæ et Sacræ congregationis probat Garcias, *De beneficiis*, part. XII, cap. 2, nu. 193, et Lotter., *De re benefic.*, lib. I, qu. 30, n. 47 et seq.; Ricc., in *Prax.* 3, *Part. resolut.* 415, n. 3; Ventriglia, *loco cit.*, n. 42, contra Gonzal. et Grat. Ad hoc autem, ut seminarium ad hunc effectum censeatur jam erectum, sufficit quod domus sit jam conducta seu empta, et pueri sint introducti, et sint duo de capitulo, et totidem de clero ad præscriptum concilii citat. cap. 18, vere electi et deputati. *Communis.*

(58. Secundo, requiritur, quod concurrat vera et præcisa necessitas seminarii faciendi ei talem unionem cum consilio dictorum deputatorum; nec sufficit pro facienda tali unione causa commodioris sustentationis vel amœnitatis et recreationis gratia. Sic Rota, *in una Mediolanen. prætensæ unionis* 16 Novemb. 1594, *coram D. Orano*; Lotter., *loco cit.*, n. 60; Cæsar. de Grass., decis. 132 per tot.; Ventriglia, *loco cit.*, n. 42, et alii.

(59. Tertio requiritur quod præcesserit detractio fructuum de mensa episcopali et de aliis beneficiis juxta formam concilii in d. cap. 18. Sic respondit sac. cong. et tenuit Rota, *in Aversana beneficiorum* 3 Julii 1606, *coram D. Sacrato*, et *in recentioribus*, part. II, decis. 361, n. 7; Lott., *loco cit.*, n. 61; Ventr., *loco cit.*, n. 42, et alii.

(60. Quamvis autem possit, imo teneatur episcopus unire seminario beneficia aliquot simplicia, non potest tamen unire beneficia simplicia juris patronatus, sive laicalis, sive ecclesiastici, vel alia pertinentia ad inferiorem collatorem et electorem, sine consensu patronorum. Clement. unica, *De statu monachor.*; conc. *Trid.*, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 15. Et sic expresse decisum fuisse referunt Franciscus Leo, in *Thesauro fori eccles.*, part. II, cap. 16, num. 23; Molfesius, in *Summa theolog. moral.*, tract. 6, cap. 14, a n. 62, et alii.

(61. Neque seminario uniri possunt beneficia reservata post vacationem; quamvis enim uniones beneficiorum factæ servata forma a Tridentino præscripta validæ sint, si fiant ante vacationem; sunt tamen invalidæ et nullæ, si fiant post vacationem, et provisi a Sede Apostolica mitti debent in possessionem. Sacra congr. Conc., apud Garciam, *De benefic.*, part. XII, cap. 1, n. 102 et Barbosam, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Unio*, n. 6 et 7.

« * Beneficia, quæ jam vacaverant in mense reservato, vel quæ alias sunt indubitanter reservata, non potest episcopus unire seminario vigore hujus decreti conc. cum id fiat in præjudicium reservationum Apostolicarum, ut refert decisum Gonzalez, Regul. 8 *Cancell.*; Gloss. 5, § 7, n. 73; Barbosa, in *Trident.*, sess. XXIII, c. 18, n. 44. *Vid.* amplius *Addit.* in fin. h. articuli.

(62. Neque seminario uniri possunt canonicatus collegiatarum ecclesiarum, quamvis ex consuetudine non obligent ad residentiam, quia conc. *Trident.* cit., cap. 18, non loquitur de his beneficiis simplicibus Sac. congr. Episcopor., *in Aquilana* 27 Martii 1590, apud Sell., in *Select. canon.* cit. cap. 10, n. 21; et Barbos., in *Trident.*, cit. cap. 18, n. 36. (63. Item neque seminario uniri possunt beneficia curata nequi-

Digitized by Google

dem habitu tantum. Sac. cong. 12 Febr. 1622, apud Pignatell, tom. IX, conclus. 81, n. 141; v. *Adnotation.* hic infra.

(64. Neque seminario uniri possunt beneficia regularia, sive dentur in titulum, sive in commendam, secus tamen si statum mutaverint. Sic sacr. congr., *in Caputaquen.* 26 Julii 1586, apud Sellium, *loco cit.*, n. 23; Barbos., *loco cit.*, n. 39; Ventriglia, *loco cit.*, n. 45.

(65. Neque seminario uniri possunt abbatiæ, prioratus et monasteria consistorialia seu beneficia quovis modo Apostolica auctoritate commendata et obtenta, seu obtinenda per S. R. E. cardinales seu veros et proprios Papæ familiares, nuntios Apostolicos et secretarios congregationum, quibus iidem S. R. E. cardinales intersunt. Sic expresse Benedict. XIII, in cit. constit. incip. *Creditæ*, § 5.

(66. Nec valet unio facta seminario omnium beneficiorum simplicium. Sic decisum fuisse referunt Molfes., *Summa theol. moral.*, tract. 6, cap. 14, n. 63; et Barbos., ad *Tridentin.*, cit. cap. 18, n. 35, et alii.

(67. Episcopus singulis annis, præsentibus quatuor deputatis tenetur exigere rationem redituum seminarii ab administratoribus : sic expresse statuit concil. *Trid.*, cap. 18, ibi : « Rationem autem reddituum hujus seminarii episcopus annis singulis accipiat præsentibus duobus a capitulo, et totidem a clero civitatis deputatis. »

(68. Bona stabilia seminarii non possunt ultra triennium locari; nec eadem bona cum aliis bonis in evidentem Ecclesiæ utilitatem permutari : (69. Nec sterilia et inculta in emphyteusim ad tertiam generationem concedi sine beneplacito Apostolico. Sacra congr. Concil., *in Vercellen.* 19 Februar. 1623, et *in Salutiarum* 20 Septembr. 1642, in respons. ad 2, ubi cum quæreretur an bona stabilia seminario in hæreditate relicta, postquam fuerint ei incorporata, possint alienari, inconsulto Romano Pontifice pro solutione æris alicui ab ipsa hæreditate debiti absque incursu pœnarum? *Censuit, non posse alienari.* Sic cardin. Petra, *Comment. ad constitut.* 5 *Urbani II*, sect. 3, n. 28.

(70. Hinc seminarium auctoritate episcopi erectum gaudet immunitate ecclesiastica, ita ut reus ad illud confugiens non possit extrahi. *Communis.* Et ita seminarium est immune a tributis et aliis sæcularibus muneribus extraordinariis; nec gabellarii possunt diminuere rectori ac magistro seminarii consuetam franchitiam farinæ. Sac. congr. Immun., *in Salernitana* 1 Novembr. 1693, lib. 1 *Decret.* Vallem., pag. 84.

(71. Seminarii clerici debent in publicis processionibus primi incedere ante clerum sæcularem, ac relinquere locum digniorem curatis. Sacr. congregat. Rit., *in Capuana* 1637, et *in Adrien. Rodigii* 22 Mart. 1620.

(72. Seminarii clerici non præcedunt canonicis Collegiatæ. Sacr. congr. Rit., *in Fundana* 20 Decembr. 1601.

(73. Seminarium non est membrum Ecclesiæ cathedralis, licet in ea clerici seminarii officient. S. C. R., *in Capuana* 1 Sept. 1607.

(74. Pro erectione seminarii cogitur quis vendere rem suam, sicuti etiam pro ampliatione domus seminarii. Sic pluries decisum fuisse refert Maranta, part. III, *Controv.*, res. 28, n. 7.

(75. Hinc ad uberiorem notitiam juvat adducere varia decreta, prout ad litteram referuntur a Pignatell. tom. IX, consult. 81, a n. 47 ad 148, inclusive. Quamvis tamen varia ex ipsis sint jam supra adducta.

(76. *In Oscensi.* Curare debet episcopus cum consilio duorum canonicorum seniorum, ut pueri seminarii cathedrali, et aliis locis ecclesiasticis diebus festis cum superpelliceis in gradibus inferioribus chori deserviant.

(77. *In Faventina.* Episcopus pro fabrica seminarii, vel pro instauratione domus seminarii potest taxam exigere, licet adhuc juvenes non sint in illud introducti.

(78. *In Aversana.* Ante erectionem seminarii nihil eo nomine solvendum est.

(79. *In Cremonensi.* Illi duo de capitulo eligendi, postquam fuerint electi, erunt perpetui, nec sine legitima causa amoveri possunt; est autem causa legitima senectus, infirmitas, et similis alia; 5 Sept. 1602.

(80. *In Ravennatensi.* Episcopus, adhibito consilio deputatorum, ad regimen seminarii, potest circa illud statuere, quod sibi magis videbitur, etiam moderando statuta in hoc decreto cap. 18, ut colligitur ex verbis ultimis dicti capituli.

(81. *In Oscensi.* Episcopus cum consilio deputatorum tenetur providere, tam circa disciplinam et mores clericorum, quam circa administrationem rerum temporalium. Potest autem, eorum consilio adhibito, facere, quod sibi expediens videbitur; exactio vero taxæ ad solum episcopum spectat; unde solus absque interventu deputatorum compellere potest ad solvendam portionem seminario debitam.

(82. *In Uritana.* De distributionibus quotidianis et incertis nihil seminario solvendum est.

(83. *In Ulyssiponensi.* Antequam fructus taxentur pro rata seminario solvenda, deducendæ sunt expensæ, quæ fiunt in beneficiis.

(84. *In Sorana.* Beneficium, quod non reperitur taxatum in libris decimarum, non contribuit seminario erecto post diem undecimum Julii anni 1567.

(85. *In Burgensi.* Regulares ad seminarium non tenentur, nisi habeant beneficia unita suis monasteriis, quo casu contribuere debent pro eorum rata.

(86. *In Ulyssiponensi.* In solutione taxæ pro seminario debent pro rata detrahi expensæ, quæ fiunt in colligendis fructibus, ac onera posita ante collegium.

(87. *In Uritana.* Quando fructus omnes consistunt in distributionibus quotidianis, quæ dari solent divinis interessentibus tantum, non tenetur capitulum ad contributionem seminarii.

Digitized by Google

(88. *In Melphitana.* Quando abbatia, sive aliud beneficium, est nullius diœcesis, solvitur seminario illius diœcesis, in qua alias dicta abbatia sive beneficium, erat constituta; si vero ecclesia stet in una diœcesi, et bona ejus in altera, contributio fieri debet episcopo loci, ubi est ecclesia, nisi bona in altera diœcesi exsistentia sint propinqua alicui ecclesiæ ibi constitutæ, quæ tanquam membrum subjecta esset ecclesiæ parochiali, aut eidem unitæ. Quo casu contributio fieri debet, ubi sunt bona. Quod etiam declarandum est in ecclesia unita aut subjecta, si constructa fuerit ante acquisitionem ipsorum bonorum; quod si constet bona fuisse prius applicata ecclesiæ parochiali, licet postea ibi alia ecclesia ædificata fuerit, contributio fit episcopo Ecclesiæ parochialis.

(89. *In Tudertina.* Hospitalia ad contributionem seminarii non tenentur, neque etiam confraternitates laicorum, nisi habeant unita beneficia, quo casu contribuere debent.

(90. *In Ulyssiponensi.* Monasteria in quibus seminarium actu non est, sed tamen contribuunt alteri monasterio pro sustentatione scholarium, censentur ac si scholares habeant; propterea non tenentur ad contributionem, nisi de reditibus, qui supersunt.

(91. *In Mediolanensi.* Canonici electi ab episcopo ad constituendam educationem puerorum mutari non debent, nisi, ut supra, et eorum consilium episcopi tenentur adhibere, sed non tenentur sequi; et adhibendum est in omnibus infrascriptis.

(92. In constituendis regulis universalibus seminarii.

In electione singulorum introducendorum.

In electione librorum legendorum.

In punitione discolorum.

In visitationibus.

In electione loci.

In electione magistrorum.

In electione confessoris.

In eorumdem expulsione.

(93. Alii quatuor adhibendi sunt deputati in consilio circa taxationem fructuum contributionis.

Circa unionem beneficiorum.

In difficultatibus, ob quas seminarii instructio, vel conservatio impediretur, aut perturbaretur.

In omni temporali administratione seminarii.

In expulsione et deputatione ministrorum seminarii.

In expensis quotidianis.

In provisionibus bladarum.

(94. In administratione bonorum quorumcunque, ac reddituum] ipsius. Non autem etiam in iis episcopus tenetur sequi eorumdem consilium, sed, ut supra, solummodo adhibere.

(95. *In Antuerpiensi.* In monasteriis, in quibus habentur magistri salario conducti pro docendis monachis, eadem ratio est habenda de istis expensis, quæ de illis scholarium, seu discentium monachorum habentur.

(96. *In Bracarensi.* Milites Hierosolymitani, qui habent beneficia sibi commendata alterius ordinis vel qualitatis, tenentur ad contributionem seminarii ratione hujusmodi beneficiorum cum exceptio non respiciat personas, sed tantum beneficia ordinis Hierosolymitani.

(97. *In Patavina.* Si ignoratur cujus naturæ sint beneficia ecclesiastica monasteriis unita, vel alias exempta, seminario contribuere debent; et hoc procedit in monasteriis, quæ non sunt Mendicantium; nam in istis monasteriis, quæ possident bona immobilia, onus probandi ea esse per uniones acquisita, in episcopum transfertur, quo non probante, ea bona erunt exempta.

(98. *In Imolensi.* Simplicia beneficia ad collationem inferioris collatoris spectantia, episcopus unire non potest, nec etiam beneficia regularia, nec beneficia jurispatronatus ecclesiastici, nec canonicatus.

(99. *In Gandavensi.* De beneficiis unitis vigore hujus decreti superfluum est petere confirmationem a Sede Apostolica.

(100. *In Cameracensi.* Sicut beneficia ante vacationem seminario uniri possunt valide, ita nulla erit unio facta post vacationem de beneficio reservato.

(101. *In Aquilana.* Episcopus, qui in suis mensibus beneficia vacantia non univit, in mensibus reservatis unire potest.

(102. *In Marsicana.* Contra recusantes solvere taxam seminario potest episcopus procedere usque ad interdictum, et alia graviora juris remedia.

(103. *In Brundusina.* Si episcopus duabus civitatibus præest, in utraque erigetur seminarium, et si reditus non sufficiunt, conducantur magistri.

(104. *In Melphitana.* In ecclesia, ubi sunt adeo tenues reditus, ut seminarium erigi non possit, provideatur saltem expensis beneficia obtinentium de duobus magistris, altero grammaticæ et altero musicæ, a quibus instruantur pauperes pueri civitatis et diœcesis, in eorumque sumptus totus clerus contribuat, perinde ac si contribueret ad seminarium formatum.

(105. Pars, quæ ratione seminarii est detrahenda, ad decimam integram fuit taxata, si seminarium fuit erectum ante diem undecimam Julii 1567. Nam in seminariis postea erectis dicendum est, ut infra.

(106. Quicunque vero episcopus ante diem undecimam reipsa seminarium erexit, et servata forma concilii certam taxam stabilivit, eamque a majori parte taxatorum exigere cœperit, seu illi sponte, seu ex contentione aut metu solverint, dummodo in hac quasi possessione sit exigendi, eaque taxa sic exacta in usum seminarii versa sit, et quotidie vertatur, in exactione hujusmodi, perseveret, et omnes, qui distulerint solvere, cogere poterit juris remediis.

(107. Sacra congregatio Concilii tum alias, tum *in Sabinensi* 26 Maii 1640, declaravit archipresbyterum et canonicos collegiatæ

Digitized by Google

ecclesiæ Montis Rotundi teneri contribuere seminario, non tamen pro portione, quæ cedit in usum quotidianarum distributionum, nec pro legatis piis pro celebratione missarum relictis, prout neque incertis et eleemosynis sacristiæ elargitis, sed tantum ex illis redditibus certis constitutis, etiamsi proveniant a legatis piis, ut legitur lib. XVI *Decret.*, fol. 380.

(108. *In Lucana* 19 Novembris 1616. Seminarii deputati, aliique officiales habent votum consultivum, non autem decisivum.

(109. *In Fundana* 20 Decembris 1601. Clerici seminarii non præcedunt canonicis collegiatæ. Sacra congreg. Rituum.

(110. *In Adriensi* 21 Martii 1620. Clerici seminarii in processionibus præcedunt aliis clericis. Eadem sacra Rit. congr.

(111. *In Capuana* 1 Sept. 1620. Clerici seminarii debent in publicis processionibus primi incedere ante clerum sæcularem, et relinquere locum digniorem curatis. Eadem sacra Rit. congr.

(112. *In eadem, eademque die, et anno.* Seminarium non est membrum Ecclesiæ cathedralis, licet in ea clerici seminarii officient. Eadem sacra Rit. congr.

(113. *In Vercellensi.* Seminarii bona stabilia non licet ad novennium locare, nec eadem bona cum aliis bonis in evidentem Ecclesiæ utilitatem permutari, nec sterilia, et inculta in emphyteusim ad tertiam generationem concedere. Sacr. cong. Concil. 19 Febr. 1633, ad 3, 4 et 5.

(114. Seminarii a contributione nemo est exemptus, nisi qui nominatim a concilio excipiuntur. Sac. cong. Concil. 11 Januar. 1601.

(115. Seminarii contributio anticipate solvenda est de quadrimestre in quadrimestre. Sacr. congr. super Episc. 8 Martii 1688.

(116. Seminario contribuere tenentur ecclesiæ sæculares, quæ non sunt de mensa monasteriorum, tametsi ad eorum institutionem et collationem pertineant. *In Caputaquensi*, sacra congr. Conc. 23 Junii 1589, et 4 Februar. 1594.

(117. *In Caputaquensi* 5 Februar. 1593. Seminario contribuere tenentur beneficiati beneficiorum collationis monachorum, si intra fines diœcesis sunt. Sac. cong. Conc.

(118. *In Lucana* 5 Julii 1628. Seminarii occasione potest taxa pro pensionibus detrahi et exigi a titularibus, dummodo specialiter non sint exemptæ, qui titulares retinebunt pro rata soluta.

(119. Titularis, occasione contributionis per eumdem factæ seminario, non potest detrahere ex pensione, quam solvit, nisi pro rata illius, et ad eam rationem, qua ipse titularis contribuit. Sac. congr. Concil.

(120. A contributione seminarii sunt exempti clerici cameræ Apostolicæ ratione beneficiorum, quæ obtinent. Sac. cong. super Episc., *in Maceratensi* 12 Maii 1604.

(121. Seminario ad contribuendum cogi non debet abbas, qui in suo territorio et jurisdictione prius seminarium erexerat, et provisum retinebat. Sac. C. Conc. 30 Mart. 1594.

(122. *In Lucana* 17 Februar. 1629. Seminario contribuere non tenetur abbatia unita capitulo cathedralis ante concilium. Sacra cong Concilii.

(123. *In Augustana* 14 Decemb. 1630. Ad contributionem seminarii non tenentur, neque compelli possunt fratres S. Joannis Hierosolymitani, sive eorum vicarii in ecclesiis parochialibus religioni prædictæ unitis, vel ab ea dependentibus. Sac. cong. Concil.

(124. Legata, ut conducatur grammaticus, qui pauperes instruat pueros, applicari possunt seminario. Sac. cong. Conc.

(125. Episcopus debet primum de sua et capituli mensa contribuere, et postea alios cogere. Sacr. cong. Concil.

(126. Cardinales debent contribuere de fructibus beneficiorum in diœcesi, ubi est seminarium. Sac. congr. Conc.

(127. Non sunt magis gravanda beneficia simplicia, et pensiones, quam curata. Sac. cong. super Episc. 27 Octobris 1603.

(128. Uniones beneficiorum factæ seminario non subsistunt nisi post illius erectionem et actualem educationem puerorum. Sac. cong. Conc., apud. Gonzal. gloss. 5, § 7, num. 68.

(129. Emptio domus, aut electio deputatorum non est erectio seminarii. Rota 15 Aprilis 1622.

(130. Uniones factæ absque consilio quatuor deputatorum non valent. Sac. cong. Concil. 13 Januar. 1549.

(131. Cogi possunt ad solvendum prædictos reditus per censuras ecclesiasticas, et alia juris remedia ab episcopo, non obstantibus quibuscunque. *Trident.*, d. c. 18.

(132. Seminarium erigi non potest in ædibus canonicalibus, nisi de consensu canonicorum, et ita separatum, ut presbyteri vel clerici nullam communicationem habeant cum seminaristis. *In Mutinensi* 3 Februar. 1604.

(133. Recipi non possunt in seminario clerici sine licentia ordinarii. *In Salernitana* 10 Julii 1590.

(134. Licet episcopus nihil contribueret pro manutentione seminarii, non potest propterea seminarium prætendere aliquam exemptionem ab ejus jurisdictione. *In Aquileiensi* 27 Januarii 1597.

(135. Taxa quatuor pro centenario super beneficiis approbatur. *In Agrigentina* 25 Februarii 1602.

(136. Quæ si non sufficiat pro tenendo saltem magistro grammaticæ, et cantus Gregoriani, cum domo et aliis necessariis, non debet augeri. *In Recanatensi* 25 Jun. 1597.

(137. Capitulum et canonici, licet exempti sint ab episcopi jurisdictione, compelli tamen ab eo possunt ad solvendam eorum ratam. 29 Novembr. 1604.

(138. Nisi reditus omnes consistant in distributionibus quotidianis. *In Tarentina* 24 Jul. 1595

Digitized by Google

(139. *Nullius* etiam loca contribuere debent, si proprium seminarium non habent. *In Caputaquensi* 2 Maii 1601.

(140. Quemadmodum subditis abbatis monasterii Cavensis seminario *Caputaquensi* 3 Aprilis 1608. Nisi tamen beneficia sint unita, vel de mensa monasterii per privilegium S. Pii V; donec autem hoc probetur, seminarium manutenendum esse in quasi possessione exigendi.

(141. Regulares etiam contribuere tenentur. *In Cæsenatensi* 2 Maii 1601.

(142. Nisi sint exempti per privilegium speciale, ut Carthusiani 12 Maii 1587.

(143. Et prioratu, S. Spiritus, 6 Sept. 1603. Vel nisi vivant de eleemosynis, *ibid.* Provisi de beneficiis seminario unitis, unione effectuanda, cum primum vacaverint, cogi non possunt ad contributionem. 1 Octob. 1599.

(144. Neque confraternitates et alia loca pia, quæ non habent beneficia annexa. 23 Jan. 1586 et 10 Jan. 1594, et 25 Febr. 1602.

(145. Neque hospitalia, quæ non conferuntur in titulum, *ut supra.*

(146. Neque monasteria monialium, nisi ratione beneficiorum unitorum vel bonorum subjectorum aliis oneribus episcopalibus. 22 Decemb. 1583 et 26 Jul. 1593.

(147. Vel nisi essent solita; quia tunc omnes supradicti cogi debent, licet vellent renuntiare privilegio tenendi alumnum in eodem seminario. 20 Jul. 1620.

(148. Capitulum S. Petri in Vaticano non tenetur ad aliam contributionem pro beneficiis ipsi unitis in aliis diœcesibus, quia contribuit pro omnibus seminario Romano. S. congr. super Episcop., *in Caputaquensi*, 1594.

(149. Uniri non possunt seminario per ordinarium beneficia curata, sed simplicia tantum, et eorum supportatis oneribus. 15 Maii 1580.

(150. Neque canonicatus etiam collegiatæ, licet non sint amplius de residentia. 27 Mart. 1590.

(151. Scholasteria in locis, ubi non est seminarium, non est necessario conferenda doctoribus vel magistris, aut licentiatis in sacra Scriptura, vel jure canonico, quia concilium d. cap. 18, § *De cætero*, loquitur, ut cum minori impensa possint docere in seminaria per seipsos. *In Calaguritana* 5 Maii 1610.

(152. Ludimagistri universitatis non tenentur docere pueros seminarii, nisi ad publicas scholas accedant. *Civitat. Plebis* 11 Dec. 1610.

(153. Verba illa : « In quibus seminaria discentium, vel docentium actu non habentur, » intelliguntur de clericis sæcularibus, ubi seminarium erigitur, licet in loco adsit studium regularium. Nec ratione hujus studii conventus prætendere se potest exemptum a contributione.

(154. Illegitimi non possunt ab episcopo admitti in seminarium, licet sint dispensati ad canonicatus, et dignitates. 15 Martii 1599.

(155. Circa taxam adest decretum S. Pii V, quod episcopus, qui ante undecimam diem Julii 1567, seminarium re ipsa non erexit, quandocunque illud erigere constituerit, ab ipsa reali erectione nihil ejus nomine ultra dimidiam decimam relatam ad antiquam taxam exigat, et si quid amplius exegerit, vel restituat, vel ab eo compensetur, quod in posterum post ipsam erectionem ad eam rationem exigendum erit, nisi tamen appareat, totum illud, quod amplius exactum erit, jam fuisse vere conversum in præparamenta necessaria, aut aliam similem operam seminarii.

(156. Vel nisi episcopus esset in quasi possessione exigendi majorem taxam impositam a concilio provinciali. Sac. cong. Conc., *in Surrentina.* Quæ *in Manteran.* concessit posse taxari in plus dimidia decima.

(157. Alias, si non potest erigere seminarium formale, debet erigere scholam, *in Marsicana.* Et pro hujusmodi schola permittitur dimidium taxæ, quæ solveretur seminario. 18 Nov. 1587.

(158. Simili modo potest episcopus cogere capitulum et alios ad contributionem pro magistro musicæ, dummodo et ipse contribuat pro rata. *In Adrianensi.*

(159. Circa hujusmodi scholam notandum quod, cum plures episcopi, qui seminarium erigere minime poterant, scholam instituissent ac certam portionem ex beneficiis propterea detraxissent, animadversum fuit in congregatione Concilii, quod hujusmodi facultas tributa erat episcopis a concilio, cum non posset institui lectio theologiæ, non autem cum non posset institui seminarium, ut habetur cap. 1, sess. v, vers. *Ecclesiæ*; ideoque congregatio jussit, ea de re agi cum sanctissimo, ad quem cum D. cardinalis Matthæus die 16 Februarii 1598, in consistorio retulisset, Sanctitas Sua mandavit, has beneficiorum taxationes de cætero pro schola in alio casu, quam in eo, de quo concilium loquitur, non esse permittendas, sed hactenus institutas confirmavit.

(160. Ex reditibus parochiarum, quæ apud Indos doctrinæ vocantur, fit contributio seminario, deducta congrua parochorum sustentatione. Sac. cong. Conc. 7 Septemb. 1603, *cor. Clemente VIII.*

(161. Pensionarii, etiam regulares, tenentur contribuere seminario. 17 Aug. 1652.

(162. Et notandum pensionarios ante concilium teneri contribuere indistincte : si vero pensio reservata fuerit post concilium, ita demum pensionarios ad contributionem teneri, si per Sedem Apostolicam a tali contributione non fuerint exempti; verum etiam in casu, quo pensionarii contribuere tenentur, beneficiorum possessores ab episcopo debere compelli ad solvendam portionem taxatam non solum pro se, sed etiam pro pensionibus, quas solvunt. Licet tamen postea ita solventibus retinere pro rata quidquid pro pensionibus ipsis solverunt. *In Tridentina.*

(163. Tenetur autem pensionarius contribuere episcopo seminarii, ubi situm est

Digitized by Google

beneficium, non ubi habitat ipse pensionarius, licet sit perpetuus, et persona ficta, ut capitulum, sacrarium, etc.

(164. Seminarium non est erigendum super mendicitate. Cong. *Propag.*, 1627.

(165. Beneficium unitum seminario alterius diœcesis tenetur nihilominus contribuere seminario propriæ, quod ante unionem contribuere consueverat. *In Cremonensi* 16 Jul. 1588, congr. Concil.

(166. Eadem tamen congr. Conc. 2 Febr., 1606, declaravit, quod beneficium fundatum a patrono certa lege de consensu episcopi apposita, ut ad nulla onera teneatur, dummodo fundatio post concilium facta fuerit, non tenetur contribuere seminario. Multo minus, si id etiam expresse caveatur in fundatione, ut neque ad seminarium contribuere debeat.

(167. Illa beneficia, quæ ob tenuitatem decimis Papalibus non contribuunt, neque seminario contribuere teneri. S. cong. Conc. 21 Mart. 1602 et 23 Mart. 1604.

(168. Ex fabricarum reditibus, si ecclesiasticæ sunt, contribuendum est seminario, quamvis a laicis administrentur. Cong. Conc.

(169. Beneficia cameralium, licet simplicia, non possunt uniri seminario. *In Murana.*

(170. Ordinarius non potest unire seminario beneficia curata, nequidem habitu tantum. Cong. Conc., 12 Febr. 1622.

(171. Capellanias vero, quæ celebrandi missas onus habent et in titulum dantur, unire potest seminario, modo oneri injuncto satisfiat. Eadem sacr. congr.

(172. Unio facta seminario non erecto ad formam conc. ut si pueri non vivant simul, nulla est. *In Pisaurensi*, arg. c. *Ad audientiam* 2, De eccles. ædif.

(173. Unio beneficiorum alioqui legitime facta non impeditur, aut suspenditur per resignationem, etiamsi in curia suum effectum sortita sit, et in favorem tertii. *In Bellunen.* Quod intelligendum est cum vacaverit. Quia per resignationem in favorem tertii non dicitur proprie vacare beneficium; et sic si beneficium non vacans uniatur vigore concilii, d. c. 18, et postea resignetur in favorem tertii, ac resignatio admittatur, unio pro illa vice suspenditur, ut *in Hostunensi superius adducta*, 23 Februar. 1581. Maxime quia in litteris resignationis inseri solet illa clausula : « Cum suspensione omnium, et quarumcunque unionum. » 19 Junii 1608, *in Bellunen.*

(174. Regula de triennali non impedit unionem seminario legitime factam, *in eadem.*

(175. Si episcopus prædecessor beneficium simplex, non servata forma concilii, ac per consequens nulliter, seminario univit, non potest successor illud eidem seminario valide unire servata forma concilii. Quia concilium non videtur dare facultatem uniendi beneficia devoluta. 16 Junii 1599.

(176. Neque potest unire beneficia regularia. *In Hispalensi.*

(177. Sac. concilium d. c. 19, non prohibet transferri pensiones super beneficiis seminario unitis. Cong. conc., *in Ætina* 26 Apr. 1602.

(178. Supradicta autem decreta, et omnia supra exposita moderanda sunt et intelligenda juxta novissimam constitutionem Benedicti XIII, inc. *Creditæ*. (179. Quæ constitutio, cum sit modo attendenda tanquam regula in iis, quæ ad seminaria spectant, ad litteram hic pro omnium commodo subnectitur.

Constitutio, qua locorum ordinariis Italiæ, insularumque adjacentium districte mandatur, ut seminariorum erectionem sedulo promoveant, eorumque honestæ sustentationi provideant taxam, et subsidia respective unione beneficiorum juxta modum a sacro Tridentino concilio præscriptum; ac insuper nova instituitur congregatio seminariorum nuncupanda, quæ recto illorum regimini, et administrationi præsideat cum aliis ordinationibus, et clausulis, ac derogationibus opportunis.

« BENEDICTUS, episcopus, etc.

« Creditæ Nobis cœlitus dispensationis officium salubriter exsequi, adjuvante Domino, satagentes, ad ea mentem, curasque Nostras libenter convertimus, per quæ sedulæ clericorum institutioni opportune prospicitur. Ubi enim illi a teneris annis, seu plantæ novellæ benigniori cultura educentur, litterarumque scientia in seminariis accurate informentur, cum postea ad laboriosa ecclesiastica ministeria in viam Dominicam transplantantur, Ecclesiarum regimini populorumque saluti maxime fructuosos ac utiles esse diuturna plurimorum annorum experientia satis compertum habemus.

§ 1. « Cum itaque seminarii ecclesiastici erectio a sacra *Tridentina* synodo c. 18, sess. XXIII, *De reformat.*, episcopis omnibus tantopere commendata, et ad ecclesiasticam disciplinam conservandam adeo necessaria, in pluribus cathedralibus ecclesiis, quemadmodum non sine gravi animi nostri mœrore accipimus, hucusque neglecta fuerit; Nos pro pastorali vigilantiæ nostræ debito pium hoc et sanctum opus strenue promovere cupientes; motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, universis et singulis locorum Ordinariis Italiæ, insularumque adjacentium has Nostras perpetuo valituras constitutione districte injungimus, præcipimus et mandamus, ut in cathedralibus, in quibus seminarium hactenus erectum non fuit, illud quamprimum erigi, ac omnino institui curent. Ubi vero jam reperitur erectum, sed congruis reditibus ad alumnorum magistrorumque sustentationem necessariis instructum non est, de iis, ut infra, opportune provideant. Utroque igitur casu, nimirum tam pro erectione novi seminarii, quam pro supplemento redituum seminarii jam erecti, taxam cum consilio duorum de capitulo et totidem de clero com-

Digitized by Google

ficiant a memorato *Tridentino* concilio cap. 18, sess. XXIII, *De reformat.*, præscriptam, incipiendo ab integris fructibus mensæ episcopalis, et absque ullo discrimine prosequendo juxta normam ibidem expressam, et provide constitutam. Eidem vero taxæ omnia et singula beneficia sæcularia et regularia per quoscunque etiam venerabiles fratres Nostros S. R. E. cardinales, nec non Nostros, et pro tempore exsistentis Romani Pontificis familiares, et cameræ nostræ Apostolicæ clericos, ministros, ac officiales quoscunque præsentes et futuros obtenta, et in posterum obtinenda, ac omnia insuper beneficia sæcularia prioratibus, commendis vel bajulivatibus ordinis Fratrum Sancti Joannis Hierosolymitani quomodocunque unita, aut de cætero unienda, nec non fructus, ac redditus confraternitatum laicorum, ex certis fundis et capitalibus provenientes (non autem summas pecuniarias, quæ a confratribus quolibet mense, vel anno vel per modum eleemosynæ, vel in vim statutorum contribuuntur) subjici, et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus et mandamus. Declarantes ab ea exemptos esse debere regulares pro iis tantum beneficiis, vel fructibus, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes diserte ac expresse, et ex causa vere, ac proprie onerosa indulsit, ut ab onere taxæ pro seminario exempti sint.

§ 2. « Porro ejusmodi taxa juxta locorum qualitatem respondere debeat summæ scutorum trium pro quolibet centenario proventuum beneficii: et si necessitas urgeat, augeatur etiam usque ad summam quinque pro centenario, ita ut nunquam minor scutis tribus, neque major sit scutis quinque pro quolibet centenario et anno, ac in illius confectione regula a *Tridentino* concilio in prædicto cap. 18, sancita accurate, et ad amussim observetur. Donec autem nova hæc taxa confecta, et a congregatione a nobis deputata, ut infra dicetur, approbata fuerit, alia taxa, quam seminarium antea exigere consuevérat, omnino persolvatur. Cæterum novæ taxæ exactio semper committatur personæ fide et facultatibus idoneæ ab episcopo et cathedralis Ecclesiæ capitulo specialiter approbandæ ac deputandæ, ita quidem, ut quoties exactor hujusmodi negligens, aut minus idoneus repertus fuerit, illius culpam idem episcopus, et capitulum præstare debeant, et pro non exactis atque deperditis respective de proprio teneantur, liceatque seminario, tam contra exactores, quam contra deputantes, eorumque hæredes quocunque tempore agere, nedum pro deperditis, sed etiam pro non exactis ad præcisam taxæ faciendæ normam et quantitatem.

§ 3. « Præterea episcopi et capitula portiones, seu quotas sibi obtingentes juxta præfatam taxam quolibet anno realiter, et cum effectu deponere teneantur penes exactorem deputatum, qui eas solvat seu eroget in sumptus pro seminarii manutentione necessarios, et tam hujus depositi, quam successive solutionis seu erogationis, simulque cujuslibet alterius exactionis non factæ, et qua de causa documentum per eosdem episcopos, et capitula ad antedictæ congregationis secretarium quotannis transmittatur.

§ 4. « Quod si in aliqua diœcesi, computatis propriis seminarii reditibus, si qui sint, nec non beneficiorum antea cum effectu illi unitorum, ac fructibus parvorum conventuum suppressorum præcedenter applicatis (quas quidem tum beneficiorum uniones, tum applicationes fructuum parvorum conventuum firmas esse volumus) per hujusmodi etiam taxam erectioni et sustentationi seminarii ad necessitatem nimirum uniuscujusque diœcesis et alumnorum, non autem ad pompam et voluptatem sufficienter provideri nequiverit, tunc et eo casu, ac in subsidium tantum, ordinarii locorum eidem seminario unire et applicare possint ac debeant beneficia simplicia cujuscunque qualitatis et dignitatis fuerint, etiam jurispatronatus ecclesiastici, vel quomodocunque affecta, et dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, sine tamen ullo divini cultus, ac illa obtinentium præjudicio. Hæc porro unio fiat statim, et ante eorumdem beneficiorum vacationem, nempe uniantur beneficia primo loco vacatura usque ad certam annui redditus quantitatem in ipsa unione specificandam, quæ computata taxa insufficienti, satis esse possit sustentationi certi numeri alumnorum pro unoquoque seminario designatorum, ipsaque unio, statim ac beneficia prædicta quomodocunque vacaverint, debitum, atque integrum, sortiatur effectum, fel. rec. Clementis VIII, ac Urbani pariter VIII, nec non aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutionibus vel decretis in contrarium facientibus non obstantibus.

§ 5. « Cæterum considerantes, monasteria, prioratus et beneficia consistorialia, nec non aliqua alia indispensabiliter necessaria esse, ac fore pro congrua sustentatione S. R. E. cardinalium et ministrorum Romano Pontifici, et Sedi Apostolicæ actualiter inservientium, volumus et declaramus, quod abbatiæ, prioratus et monasteria consistorialia, seu beneficia quovis modo Apostolica auctoritate commendata, et ad præsens obtenta, ac in futurum obtinenda per antedictos sacræ Romanæ Ecclesiæ cardinales, seu veros et proprios Papæ familiares, nuntios Apostolicos, et prælatos congregationum, quibus iidem S. R. E. cardinales intersunt, secretarios duntaxat, memoratis seminariis uniri et applicari nunquam possint, et uniones, quas forsan fieri contigerit, nullæ ac irritæ prorsus sint, firma in reliquis remanente libertate et facultate uniendi (servata tamen forma superius expressa, et non aliter), cætera omnia beneficia, etiam, ut præfertur, affecta et reservata, vel alias ad provisionem ac dispositionem Sedis Apostolicæ quomodolibet pertinentia.

§ 6. « Cum autem, sicut accepimus, seminaria plerisque in locis ideo erecta minime reperiantur, vel quia episcopi taxam confi-

Digitized by Google

cere detrectant, ne illam a semetipsis inchoare cogantur, vel quia beneficia simplicia, quorum dispositio ad eos libere spectat, occurrente illorum vacatione, suis familiaribus, aliisve personis sibi gratis, et benevisis conferre volunt: hinc est, quod Nos omne scopulum, et obicem impeditivum boni spiritualis ab ejusmodi seminariorum erectione provenientis e medio prorsus tollere ac removere intendentes, motu, scientia ac potestatis plenitudine paribus, congregationem seminariorum nuncupandam, in qua venerabiles Fratres Nostri S. R. E. cardinales congregationi super negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, nec non congregationi interpretum concilii Tridentini, præfati utriusque congregationis secretarii, datarius, seu prodatarius, ac subdatarius, nunc, et pro tempore exsistentes esse debeant, tenore præsentium perpetuo erigimus ac instituimus, ejusdemque congregationis secretarium illum ipsum, qui congregationis concilii prædicti secretarius pro tempore fuerit, constituimus ac deputamus: prædictæque congregationi, ac illius secretario, omnium et singulorum seminariorum in locis, ubi adhuc erecta non sunt, erigendorum, et ubi erecta quidem sunt, sed sufficientes non habent reditus, iis pro modo indigentiæ, ut præfertur, augendorum, omnimodam curam committimus, ac demandamus, nec non ejusdem congregationis deputatis prædictis semel singulis mensibus, et quoties opus fuerit, se congregandi, dictorum seminariorum erectionem promovendi, jam erectorum statum, et proventus recognoscendi, eorum necessitatibus opportune consulendi, taxas approbandi, reformandi et augendi, numerum alumnorum in singulis seminariis taxandi et præfigendi, eumque pro modo reddituum augendi et minuendi, statuta pro recto felicique eorumdem seminariorum regimine et administratione condendi, eaque mutandi, variandi, corrigendi, ac toties, quoties illis expedire videbitur, de novo faciendi, emergentes controversias summarie, solaque facti veritate inspecta, cognoscendi et definiendi, visitatores etiam, qui ejusmodi seminaria diligenter perlustrent, et an recte, atque fideliter administrentur, ac in iis potissimum regulæ a Trid. conc. præscriptæ, sedulo adimpleantur, inspiciant et recognoscant, ubi, quando et quoties opus esse judicaverint, facto tamen prius verbo cum Rom. Pontifice pro tempore exsistente delegandi ac deputandi; aliaque in præmissis necessaria et opportuna pro data ipsis a Domino prudentia decernendi et gerendi, et exsequendi plenariam atque omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem tribuimus, concedimus ac impartimur.

§ 7. « Universis itaque episcopis, quorum in diœcesibus non adsunt, vel congruis reditibus instructa non sunt seminaria, per præsentes injungimus et mandamus, ut quam primum præfatam taxam sedulo conficiant, eamque ad antedictæ congregationis secretarium infra sex menses a die publicationis præsentis constitutionis computandos omnino transmittant, una cum distincta et accurata relatione omnium beneficiorum suarum diœcesum, eorumque annui valoris, nec non locorum animarumque, et Ecclesiarum in illis exsistentium cum suis qualitatibus, ad hoc ut eadem congregatio, omnibus mature perpensis, statuere possit, an prædicta taxa approbari, nec debeat, simulque numerum alumnorum in unoque seminario retinendorum, et summam pro singulorum sustentatione necessariam præscribere, et reliqua tandem omnia, quæ pro recta eorumdem seminariorum administratione, sedulaque alumnorum institutione utilia, ac opportuna salubriter decernere valeat.

§ 8. « Omnibus insuper episcopis præfatis, ne de cætero pro se vel suis vicariis, aut familiaribus quibuscunque sub quovis colore, et prætextu, habitatione, coquina, famulis, ministris, aut officialibus seminarii, vel lectoribus, magistris, sacerdotibus, clericis quoquomodo inservientibus eidem seminario, et alumnis, vel a seminario salariatis et sustentatis, ac quomodocunque retentis uti audeant, districte sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ vetamus ac inhibemus. Non tamen per hoc prohibere intendimus episcopo Pontificalia exercenti, ne cæremoniarum magistro vel sacerdotibus a seminario retentis uti possit, imo ut eorum opera, ac assistentia in hujusmodi sacris functionibus libere uti valeat, plenam ipsi episcopo tribuimus facultatem.

§ 9. « Postremo, saluberrimæ præfati concilii dispositioni inhærentes, volumus, præcipimus et sancimus, ut in omnibus seminariis, tam hactenus erectis, quam in posterum erigendis, alumni grammatices, cantus Gregoriani, computi, aliaque bonarum artium tantum disciplina erudiantur, et sacræ Scripturæ, catechismi, aliorumque ecclesiasticorum librorum, præsertim vero de sacramentis, sacrisque ritibus, et cæremoniis tractantium, lectioni diligenter incumbant, ut, cum ad vineam Domini excolendam vocati fuerint, dignos, peritos utilesque operarios sese probare valeant, fructumque ei reddant uberrimum temporibus suis.

§ 10. « *Decernentes, præsentes litteras*, etc.

§ 11. « *Non obstantibus*, etc.

§ 12. « *Ut autem præsentes litteræ*, etc.

§ 13. « *Nulli ergo omnino hominum*, etc.

« Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1725, VII Idus Maii, pontificatus nostri anno I. »

(180. Insuper ad complementum subnectuntur hic instructiones, quæ de mandato dicti Benedicti XIII, emanarunt circa taxam seminariorum, quæ transmissa fuit ad episcopos Italiæ et insularum adjacentium cum sequenti Encyclica epistola :

« Rever. D. uti Fr. Cum in omni republica experimento semper compertum fuerit, tales esse cives, quales educatione informantur, nihil certe opportunius ad ecclesiasticam disciplinam conservandam vel restaurandam excogitari potuit, quam institutio col-

Digitized by Google

legiorum, in quibus adolescentes ecclesiasticis ministeriis addicendi, religione et bonis artibus instruerentur, adeo, ut ejusmodi collegia, quasi perpetua essent egregiorum Dei ministrorum, et pro animarum salute operariorum seminaria. Jure itaque ac merito in immortali laude versabitur hoc, quod a Patribus sacrosancti conc. Tridentini in eam rem providentissime fuit constitutum. Fidem quippe fecit eventus, quam vere tunc a nonnullis (ut habetur in historia a cardinali Pallavicino perscripta) dictum fuerit, satis utiliter labores omnes impensos, omnemque operam positam, ubi etiam nihil aliud commodi in Christianam rempublicam inde manasset, quam recta ubique ejusmodi collegiorum institutio.

« Primus porro, qui memorati concilii sanctionem ad effectum perduxit, fuit divus Carolus Borromæus archiepiscopus Mediolanensis, et adeo quidem apposita ad clericos bonis moribus ac disciplinis imbuendos ratione, adeoque sapientibus pro recta seminariorum gubernatione legibus conditis, ut in hoc etiam de universa Ecclesia optime meritus dicendus sit, cum plurimi inde sumpserint exemplum, quod publico uberrimoque cum fructu imitarentur.

« Inter cæteros vero antistites, qui gloriosi illius archiepiscopi vestigia sunt persecuti, maxime enituit cardinalis Vincentius Maria Ursinus, quem modo summum catholicæ Ecclesiæ moderatorem veneramur. Is enim Sypontinæ metropolitanæ ecclesiæ gubernaculis admotus, cum ejus seminarium invenisset jam pridem Turcarum incursione anno 1620 vastatum, funditusque eversum, nihil habuit antiquius, quam ut illud redintegraret, idoneisque proventibus instrueret, multo etiam ære suo in eam causam collato, id, quod honorificentissimis, ut par erat, verbis laudavit sub annum 1679, sacra congregatio Episcoporum et Regularium negotiis præposita. Deinde vero ad aliam archiepiscopalem sedem Beneventanam translatus, pari pietate ac liberalitate seminarii ædes horribili terræmotu bis quassatas prostratasque longe magnificentius restauravit, illudque saluberrimis constitutionibus et documentis firmavit, ac opimis largitionibus auxit, quarum monumenta exstant in synodorum Beneventanarum volumine; cumque Tusculanæ quoque postmodum regimen Ecclesiæ suscepisset seminarium numero, et loco perangustum, et amplificari jussit, et augeri, adjunctisque collegio Patrum Societatis Jesu novis ædibus, alumnos convictoresque sub eorum disciplina, bonis moribus et litteris voluit informari.

« Ex his sane, quæ fecit archiepiscopus de seminariis Ecclesiarum, quibus præfuit, certam capere licuit conjecturam sollicitudinis, et curæ, quam Pontifex Maximus de omnium Ecclesiarum seminariis esset susceperus. Et exspectationi quidem cumulate respondit eventus. Nam in Romano concilio superiore anno habito Sanctitas Sua non solum plura edixit monita bene gerendæ hujusmodi collegiorum administrationi consentanea, verum etiam peculiarem constitutionem promulgavit in ejusdem concilii appendice relatam, qua omnibus præsulibus ecclesiarum in Italia insulisque adjacentibus exsistentium jussit, omni cunctatione abjecta, institui seminaria, sicubi hactenus non essent, nec non sustentationi collegiorum, sive institutorum, sive instituendorum congruentia subsidia comparari, facta quoque ad id facultate imponendi, augendique taxam super omnibus beneficiis, quibus etiam fruerentur personæ exemptionianteha hac assuetæ, itemque, ubi opus fuerit, et quatenus taxa non sufficeret, uniendi iisdem seminariis beneficia simplicia, etiam quomodocunque affecta, et dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, quemadmodum fusius in memorata constitutione habetur.

« Cum vero ibidem quoque sanctissimus D. N. peculiarem congregationem instituerit, quam voluit præesse istiusmodi seminariorum negotio, hæc, ut mandato sibi muneri satisfacere aggrediatur, Amplitudini Tuæ, itemque aliis prædictorum locorum ordinariis per has litteras, Sanctitate Sua annuente, scriptas significandum duxit, quid facto opus esset.

« Primum igitur renuntiabit Amplitudo Tua, num in ista diœcesi seminarium clericorum fuerit hactenus institutum : quod si non fuerit, commodiorem pro suo judicio illius instituendi rationem indicabit, referetque etiam, tum quot sint annui proventus mensæ episcopalis, canonicatuum, aliorumque beneficiorum totius diœceseos, tum vero an ulla sint beneficia simplicia, quæ seminario fundando ascribi unione perpetua possint, vel etiam, an in aliqua confraternitate aut loco pio reditus annui redundent, postquam oneribus, quæ ipsis inhærent, satisfactum fuerit, et demum an in ecclesia metropolitana, cui tanquam suffraganeus subsit, commodum inveniatur seminarium, ut cum archiepiscopo agi possit, ut aliquos suæ diœcesis alumnos ad illud admittat.

« Si autem exstat seminarium, partes tuæ erunt, memoratam sac. congregationem de iis, quæ subjicientur, diligenter certiorem reddere. I. Videlicet, an ejusdem seminarii ædes tales sint, ut in iis convenienter habitare alumni, et præceptores possint. II. Quot ibi commorentur adolescentes, quotve præceptores, aliique ministri. III. Quot sint clerici, qui ob egestatem suam gratuito alantur, quotque alii, qui quotidiani victus pretium de suo respondeant. IV. An numerus adolescentum, qui in seminario non educantur, satis respondeat necessitati totius diœceseos, vel si impar sit, quot præterea addendi videantur. V. An certæ leges pro seminarii gubernatione conditæ jam fuerint, eæque accurate serventur. VI. An alumni pias illas exercitationes obeant, iisque bonis artibus ediscendis dent operam, quæ præscriptæ sunt a sacro concilio *Tridentino*, sess. XXIII, cap. 18, *De reformat.* VII. An seminarium idoneis proventibus sit instructum, et quænam sit annua eorum quanti-

Digitized by Google

tas. VIII. Num ab Amplitudine Tua vel a prædecessoribus tuis unita seminario fuerint ulla beneficia simplicia, vel bona parvorum cœnobiorum suppressorum. IX. An seminarii commodo imposita jam fuerit super beneficiis, aliisque ecclesiasticis reditibus istius diœceseos taxa ulla, vel quanta, et ad quam normam constituta. X. An hujusmodi contributio re ipsa, diligenterque persolvatur a mensa episcopali, cæterisque omnibus huic oneri obnoxiis. XI. An in ista diœcesi ulla sint beneficia simplicia, quorum unione suppleri valeat id, quod forte necessariæ sustentationi seminarii desit, vel in ordinariis ejus proventibus, vel etiam in prædicta contributione. XII. An, quomodo exigatur quotannis a seminarii ministris ratio administrationis redituum ad illud pertinentium.

« Quoniam, vero in citata constitutione SS. D. N. præcipitur, exactionem taxæ, ubi hæc imponenda fuerit, mandari idoneo viro deligendo ab Amplitudine Tua, et a capitulo cathedralis ecclesiæ, communi quidem periculo, si ille officii sui partes haud recte impleverit, significari quoque sibi optat sacra congreg. quisnam tali muneri idoneus istic existimetur.

« Denique, ut uberior haberi sic possit notitia omnium, quæ ad seminaria ecclesiastica spectant, Amplitudo Tua referre etiam non gravabitur, quonam anno et a quonam altistite seminarium fuerit institutum, vel quinam alii præsules institutionem ejus, vel ampliticationem opere aut ære suo juvaverint. Ad hæc quinam liberalium artium sacrarumque scientiarum magistri, præ cæteris ibi floruerint, quive alumni ex eodem seminario prodierint doctrinæ laude præstantes, vel obitis subinde muneribus, partisque dignitatibus præclari.

« Una cum hac epistola instructio super taxa seminario solvenda ad Amplitudinem Tuam transmittitur, cui se conformare debebit, et interea fausta omnia a Deo Optimo Maximo precamur. Romæ hac die 30 Martii 1726.

« Amplitudinis Tuæ, etc. »

Istruzione sopra la tassa da imporsi, o pagarsi per l'istituzione, e mantenimento respettivamente de' seminarj.

1. Oltre la costituzione fatta dalla Santità di nostro signore Papa Benedetto XIII, sopra l'erezione e sostentamento de' seminarj per l'Italia, e l'isole adiacenti, ed oltre la lettera circolare scritta sopra la medesima materia per ordine della Santità Sua a tutti gli ordinarj dei Luoghi predetti, si è stimato necessario fare la presente istruzione da mandarsi unitamente colla lettera poc' anzi accennata ai predetti ordinarj, e di regolarla colle risoluzioni prese altre volte dalla sacra congregazione del Concilio, ad effetto d' imporre a dovere la tassa, e di levare per quanto sarà possibile ogni occasione di lite, che potesse insorgere nella detta imposizione, coll' avvertenza, che quanto si dirà nella presente istruzione, dovrà avere luogo tanto nel caso, in cui non sia stato eretto nella diocesi il seminario, ma debba erigersi, quanto nel caso, in cui il medesimo già sia stato eretto, e debba mantenersi, avendo altre volte la sacra congregazione del Concilio (Sac. congreg. Conc., *in Visitationis SS. Lim*, 10 Mart. 1663, lib. XXIII *Decr.*, pag. 451 et seq.) risoluto, che i rimedj prescritti dal sacro concilio di Trento alla sess. XXIII, cap. 18, *De reform.*, per l'erezione de' seminarj, debbano ancora adoprarsi per la loro conservazione in tal maniera, che chiunque è obbligato a contribuire per l'erezione del seminario, resta altresì obbligato a contribuire per la conservazione del medesimo, dopo che è stato eretto.

2. E perchè il procedere con ordine, e distinzione sembra il metodo più adattato, tanto per la teorica, quanto per la pratica, quindi è, che nella presente istruzione s' incomincierà a parlare dell'obbligo dell'ordinario circa la contribuzione, che deve fare al seminario, per proseguire dopo tutto ciò, che risguarda l'obbligo degli altri inferiori.

§ I.

Della contribuzione, o sia tassa da pagarsi dall' ordinario al suo seminario.

3. Cosa certa si è, che la mensa, o patriarcale, o arcivescovile, o vescovile è obbligata a pagare la contribuzione, o sia la tassa al seminario, derivando quest' obbligo dalla lettera del sagro concilio di *Trento* alla sess. XXIII, cap. 18, *De reform.*, qual disposizione conciliare è rinnovata nella costituzione di nostro signore Papa Benedetto XIII, al § *Cum itaque seminarii.*

4. In esecuzione dunque non meno del sagro concilio, che della costituzione di nostro signore, dee ogni ordinario attentamente riconoscere a qual somma ascendano le annue entrate della sua mensa, ed istabilita la rendita, dee obbligarsi a pagare, e con effetto puntualmente pagar ogni anno al seminario, quella quota, che ogn' altro beneficiato, e qualunque altra persona obbligata a contribuire paga ogni anno al predetto seminario, quale quota non deve esser meno del tre per cento, nè maggiore del cinque per cento dell' annua sopradetta entrata, secondo ciò che altrove si accennerà, essendo la contribuzione al seminario un vero debito, a cui gli ordinarj, e gli altri, che hanno il peso di pagare, sono obbligati tam in foro Poli, quam in foro Fori, ed al quale pagamento in caso di retinenza non si mancherà dalla congregazione particolare deputata da nostro signore su queste materie d'astringere secondo i termini di giustizia.

5. Ed avveguachè siano nate, e possino altresì nascere alcune controversie intorno alla liquidazione dell' annua entrata, o per le spese, che devono farsi per raccogliere i frutti, e l'entrate, o per altri obblighi fissi, che abbiano gli ordinari, o pure per le pensioni, che sono obbligati a pagare, si sog-

Digitized by Google

giugne, che l'annua entrata regolativa della contribuzione, o sia tassa del seminario (sac. congr. Conc., *in Ulyxiponen.* anni 1673, lib. I *Decr.*, pag. 174 a tergo, et pag. 175), è quella, che sopravanza, detratte le sole spese necessarie per la percezione de'frutti, che parimente per fissare l'annua entrata, si devono dedurre quegli obblighi soli, che sono stati imposti avanti il sagro concilio di Trento, e finalmente in ciò, che risguarda le pensioni, o fisse, o vitalizie, dee l'ordinario (conc. *Trid.*, sess. XXIII, c. 18, *De reform.*) pagare non solamente la quota corrispondente alla sua annua entrata, ma altresì la quota appartenente al pensionario, ritenendosi dal pagamento della pensione ciò, che avrà per esso pagato al seminario, nel caso però, in cui il pensionario nell'imposizione della pensione non fosse stato con ampio, e litterale privilegio esentato dal Papa dal contribuire al seminario. Imperocchè in questo caso l'ordinario sarebbe obbligato (sac. congr., *in Forolivien.* 16 Jul. 1661, lib. XXII *Decr.*, pag. 584 a tergo, et pag. 585) a pagare per esso, e non potrebbe nel pagamento dell'annua pensione ritenersi ciò, che ha pagato per esso. Il che però, non può succedere, nè succederà oggidì non solo per ciò, che è stato istabilito dalla Santità di nostro Signore nella sua costituzione, come dirassi più a basso, ma ancora per avere con molta maturità la sagra congregazione del Concilio (sacr. congr. Conc., *in Romana contributionis seminarii* 3 Febr. 1646, lib. XVIII *Decr.*, fol. 20 a tergo, *in Spoletana*, die 30 Sept. 1710) altre volte determinato, che sono esenti dalla tassa del seminario per i benefizj, e le pensioni che hanno, se non quelle persone, che non sono eccettuate nel sagro concilio di Trento, e che però sono tenuti al pagamento gli eminentissimi signori cardinali ancorchè Camerali, li prelati, ed i familiari del Papa, nè suffragare a questi verun privilegio d'esenzione, se in esso non si fa una speciale, ed individua deroga al sagro concilio, ed un'espressa menzione del pagamento, che facevasi al seminario dai predetti benefizj, e pensioni, avanti che i benefizj fossero stati conferiti, e le pensioni fossero state assegnate ai predetti personaggi.

6. Aggiungendo che il detto sin'ora rispetto alle spese per la collezione de'frutti, per gli obblighi e per i pagamenti per i pensionarj, procede non solo per gli ordinarj, ma ancora per i benefiziati, ed ogni altra persona obbligata alla più volte nomita tassa del seminario.

§ II.

Della contribuzione, o sia tassa da pagarsi da' capitoli della metropolitana, o cattedrale, e collegiata della diocesi al seminario della medesima.

7. Sono i predetti capitoli, dignità, e canonici tenuti al pagamento della contribuzione, o sia tassa del seminario, come si deduce dal sagro concilio di *Trento* alla

citat., sess. XXIII, cap. 18, *De reform.*, e nel liquidare le annue entrate, ad effetto di regolare la tassa, dovranno osservarsi (sacr. congreg. Concil., *in Panormitana* anni 1585, pag. 73 a tergo., *in Salernitana* anni 1589, in respons. ad 4, lib. VI *Decret.*, p. 22 a tergo, *in Avellinen.* 16 Januar. 1601, lib. IX *Dec.*, p. 120, *in Eugubina* 1 Decembr. 1605, lib. X *Dec.*, p. 140, *in Sabin.* 23 Jun. 1640, lib. XVI, in respons. ad 1, p. 394 et 395) le regole poc'anzi accennate, ed inoltre la seguente, ed è di non valutare nell'annua entrata ciò, che si dà a chi interviene ai divini offizj a titolo di distribuzione, essendo queste esenti dal pagamento al seminario in tal maniera, che se i canonicati non hanno prebenda, e se tutta l'entrata consiste nelle distribuzioni, non si devono questi canonici astringere al pagamento a proporzione di tutta l'entrata, ma di due delle tre parti della medesima, facendo in questo caso le dette due parti la figura di prebenda, e la terza delle distribuzioni secondo la vera intelligenza delle risoluzioni della sagra congregazione del Concilio.

8. E nel caso, in cui fossero stati uniti al capitolo, o alle prebende alcuni benefizj, acciò colle rendite di questi si costituissero le distribuzioni quotidiane, a proporzione delle annue entrate de' benefizj uniti, il capitolo, ò i prebendati sarebbero obbligati al pagamento della tassa al seminario, come più volte è stato risoluto dalla sagra congregazione del Concilio. (Sac. congr., *in Narnien. contributionis seminarii* 2 April. et 30 Maii 1661, pag. 483, et 526, lib. XXII *Dec.*, et *in Lucana* 27 Januarii 1686, lib. XXXV *Dec.*, pag. 13 a tergo.)

9. E per terminare ciò, che risguarda i capitoli, si soggiugne, che per regolare la tassa, non si dovranno calcolare i legati pii delle messe, che ad essi siano stati lasciati, siccome nè meno l'elemosine, che si fanno alle loro sagrestie, ma solamente le rendite fisse, e stabili d'esse, ancorchè le medesime provengano da legati pii giusta la risoluzione della sagra congregazione del Concilio. (Sacr. cong., *in cit. Sabinen.*, 23 Jun. 1640, lib. XVI *Decr.*, pag. 394 et 395, in respons. ad primum.)

§ III.

Della contribuzione, o sia tassa da pagarsi al seminario della diocesi da qualunque benefiziato, con cura d'anime, o senza cura d'anime.

10. Sono i benefizj curati obbligati alla contribuzione del seminario (sacr. congr., *in Nicien.* 28 Nov. 1676, lib. XXIX *Dec.*, pag. 312, et a tergo) essendo generalissime le parole del concilio di Trento nella più volte citata sess. XXIII, cap. 18, *De reform.*, e dovendosi considerare, che sono stati principalmente istituti i seminarj per allevare i chierici, ed abilitarli alla cura delle anime, nè possono i parrochi pretendere esenzione per il motivo, che l'annua rendita della parrocchia non eccede la congrua

Digitized by Google

dei cento scudi, conforme ha altre volte risoluto la sagra congregazione del Concilio, e proseguendo il discorso de benefizj curati, o siano parrocchiali, fa di mestieri, che la tassa dee cadere sopra l'annua fissa entrata delle medesime, e sopra ancora quei che si dicono *certi de incertis*, ma non sopra le rendite totalmente incerte secondo un'altra risoluzione della sagra congregazione del Concilio. (Sac. congreg., *in Panorm.*, de mens. Octob. 1587, lib. v *Decr.*, p. 23, et a tergo.).

11. Passando agli altri benefizj, devono i medesimi contribuire al seminario, ancorchè sieno di juspadronato, come si legge nel sagro concil. di Trento, ed ancorchè la nomina loro appartenesse a qualunque persona, benchè degna di specialissima menzione, conforme è stato risoluto della sagra congregazione del Concilio. (Sac. congr., *in civitatis Reg.*, mense Febr. 1586, lib. IV *Decr.*, pag. 11, et *in Messan.*, mense Febr. 1588, lib. v *Dec.*, pag. 96 a tergo.) Nè possono i benefizj secolari pretendere d'essere esenti dalla tassa del seminario, ancorchè la nomina, e l'istruzione appartenga a qualche religione, o monastero, come si deduce da una risoluzione della sagra congregazione del Concilio (sac. congr. Concil., *in Caputaquen.* de mense Jul. 1587, lib. IV *Dec.*, in respons. ad 1, p. 159 et seq.) e ritrovandosi alcuni benefizj, che ricusano di pagare al seminario per l'incertezza a qual seminario debbano pagare, essendo il titolo del benefizio in una diocesi, ed i beni in un'altra, sembra a proposito il soggiungere, che la regola istabilita dalla sagra congregazione del Concilio (sac. cong., *in Lunen. Sarzan.* 19 Febr. 1604, lib. x *Decr.*, pag. 74 a tergo) si è, che il pagamento si faccia al seminario di quel luogo, in cui è la chiesa, o il titolo del benefizio, ancorchè i beni appartenenti al medesimo siano in un'altra diocesi, eccettuando il caso, in cui in questa seconda diocesi si fosse una qualche chiesa, che fosse come membro del titolo del benefizio, poichè in queste circostanze si dovrebbe a proporzione dell'annua entrata pagare al seminario di quella diocesi; in cui sono situati i beni, ed è situata la predetta chiesa, purchè questa chiesa fosse stata fabbricata avanti l'acquisto dei beni. (Sac. congr. Concil., anno 1573, lib. I *Decr.*, p. 23 a tergo, et *in Melphiten.*, eodem anno, lib. I *Decret.*, pag. 190, et a tergo) in tal maniera, che se prima fossero stati uniti i beni, ed applicati al titolo del benefizio situato nell'altra diocesi, e dappoi fosse stata fabbricata la chiesa, non dovrebbe il pagamento farsi al seminario del vescovo, in cui è situata la chiesa, e sono situati i beni, ma al seminario della diocesi, in cui è situato il titolo del benefizio.

12. Finalmente tutti, e singoli benefizj, o secolari, o regolari generalmente parlando sono tenuti al pagamento della tassa, ancorchè siano posseduti o dagli eminentissimi signori cardinali, o dai famigliari dello stesso Romano Pontefice, o dai chierici della rev. Camera Apostolica, o da qualsivoglia altro ministro, o offiziale, e ciò, parlando dei benefizj, che hanno avuto fino ad ora, e degli altri, che possono avere in avvenire, o essi, o gli altri, che ne' tempi futuri saranno promossi alle sopraddette dignità, uffizj, ed impieghi, come chiaramente si stabilisce nella costituzione di nostro signore, § *Cum itaque seminarii*, e le capellanie devono contribuire al seminario, se sono perpetue, e si conferiscono in *titulum*, ma non già quando sono amovibili. (Sac. congregat. Concil., *in Sabin.* 21 Jun. 1640, in respons. ad 2, lib. XVI *Decret.*, pag. 394 a tergo et pag. 395.)

§ IV.

Della contribuzione, o sia tassa da pagarsi al seminario dai regolari, e dalle monache.

13. La tassa del seminario deve pagarsi dai regolari, e da essa secondo la costituzione di nostro signore, sono esenti i regolari per quei benefizj solamente, e frutti, sopra i quali la Sede Apostolica ha ad essi conceduta l'esenzione dalla tassa del seminario chiaramente, ed espressamente, e per una causa veramente, e propriamente onerosa, e nel liquidar la tassa s'osserverà quanto di sopra s'è detto.

14. Rispetto ai religiosi di Malta, se qualcheduno di loro avesse qualche benefizio ecclesiastico, che non appartenesse alla religione, dovrà questi pagare per il detto benefizio la tassa al seminario, come fu risoluto dalla sagra congregazione del Concilio, (sacr. congreg. Conc., *in Bracaren.* anni 1573, lib. I *Decr.*, p. 41 a tergo, et p. 42) e parimente se a'priorati, commende, e baliaggi del predetto ordine di Malta saranno stati uniti, o si uniranno benefizj secolari, dovranno i religiosi di Malta contribuire ad *ratam* dell'annua entrata di questi al seminario, com'è stabilito da nostro signore nella sua costituzione al luogo citato. E perchè il sacro concilio di Trento eccettua dalla contribuzione quei collegi, ne'quali s'insegna e si promuovono gli studj per il commun bene della chiesa, dal che è derivato, che qualche volta i regolari hanno preteso di non dover contribuire ai seminarj anche per i benefizj uniti a qualche loro collegio, in cui si promuovono detti studj, la sagra congregazione del Concilio (sac. congreg. Conc., *in Velitern. taxæ seminarii* 24 April. et 31 Jul. 1703), ha dichiarato, che la predetta esenzione ha luogo ne'collegj de'secolari, e non dei regolari, e quando si è trattato di religiosi, che hanno preteso d'essere esenti per il motivo d'insegnar la grammatica, ed i casi di coscienza tanto ai suoi religiosi, quanto ad altre persone, che andavano alle lor scuole, la sagra congregazione (sac. congr. Conc., *in Bracaren.* anni 1573, lib. I *Decret.*, p. 41 a tergo, et 43) ha dichiarato doversi detrarre la spesa, che fanno per i salarj de'lettori, e che fatta la detta detrazione, paghino sopra il resto la tassa al seminario.

15. Subentrano le monache, che pur e

Digitized by Google

sono tenute alla contribuzione, o sia tassa per il seminario a proporzione delle entrate che hanno ed osservata nella liquidazione delle entrate la regola pure esposta di sopra, dovendo esse riflettere, che se non vi fossero i seminarj, non avrebbero confessori, e direttori idonei per l'anime loro, e però è regola generale, che i beni posseduti dalle monache, per i quali pagano gli altri pesi ecclesiastici, non siano immuni dalla contribuzione del seminario (sacr. congr. Conc., *in Caputaquen.*, 1589, in respons. ad 6, lib. IV *Decret.*, pag. 159 et seq.), se non hanno un titolo specialissimo d' esenzione dal detto pagamento, ed avvegnacchè più volte succeda, che dalle monache s' allega il titolo della povertà per esentarsi dal pagamento, sembra necessario l'avvertire, che il titolo della povertà suffraga a quelle monache (sac. cong., *in Catanien.* 20 Martii 1595, lib. IX *Dec.*, p. 9), che non hanno entrate, e che vivono di pure elemosine, o pure a quelle monache, che benchè possiedono alcuni beni descritti, e tassati nel libro delle decime, ed altri pesi ecclesiastici, sono però state esentate dal pagamento delle predette decime e pesi per il titolo della loro povertà, come altre volte ha risoluto la sagra congregazione del Concilio. (Sac. congr. Conc., *in Patavina*, 1573, lib. I *Decr.*, p. 97 a tergo, et *Avenion.* 22 Aug. 1609, lib. XII *Dec.*, p. 73 a tergo, et 74.)

§ V.

Della contribuzione, o sia tassa da pagarsi dagli ospedali, confraternità, fabbriche delle chiese, monti di Pietà, e legati pii.

16. Secondo il sagro concilio di Trento alla più volte citata sess. XXIII, cap. 18, *De reform.*, quegli ospedali, che si danno in titolo, o amministrazione, devono pagar la tassa, o sia contribuzione al seminario, dal che deriva, che sono esenti da questo pagamento gli ospedali puramente laicali, (sac. congreg. Concil., *in Gravinen.* 23 Jun. 1594, lib. VIII *Decret.*, p. 43), che non si danno per conseguenza, nè in titolo, nè in amministrazione, come ha altre volte risoluto la sagra congregazione del Concilio, se per accidente non fossero stati uniti a questi ospedali alcuni benefizj, mentre ad *ratam* de' frutti di questi dovrebbero li predetti ospedali pagare al seminario. (Sac. cong. Concil., *in Messanen.* 2 August. 1696, in resp. ad 5, lib. VIII *Decr.*, p. 183 a tergo.)

17. Circa le confraternità dè laici erette coll'autorità ordinaria anche nelle chiese de' regolari, sono esse obbligate (Sac. congreg. Conc., *in Lacuna* 13 Maii 1628, in resp. ad 4 et 5, lib. XIII *Decr.*, pag. 452 a tergo) al pagamento della tassa, se han benefizj uniti, o non avendo, abbino fondi certi, capitali, e legati, devono pagar la tassa a proporzione ancora dei frutti, e delle rendite dei detti fondi, capitali, e legati con avvertenza, che nella tassa non si devono comprendere quelle altre rendite, che ricavano da certe quote pecuniarie, che si pagano dai confratelli ogni mese, o ogni anno, o per titolo d'elemosina, o in sequela degli statuti, come ha determinato nostro signore nella sua costituzione, § *Cum itaque seminarii.*

18. Le fabbriche delle chiese, che hanno i loro assegnamenti, le decime, che per qualsisia capo sono venute in mona de' laici, e delle quali si vogliono pagare gli altri sussidj ecclesiastici, giusta il sagro concilio di Trento al luogo più volte citato, non possono esentarsi dal pagamento a favor del seminario, il che pure ha luogo rispetto a' monti di Pietà (sacr. congreg. Conc., *in Messanen.* 2 Aug. 1596, lib. VIII *Decr.*, pag. 185 a tergo). se ad essi saranno uniti i benefizj, poichè questi monti di Pietà saranno obbligati a pagare in vigore dei benefizj uniti.

19. Resterebbe il dire qualche cosa circa la quantità della tassa, ma parlando di questa, altro non occorre soggiungere, se non che secondo la costituzione di nostro signore, ella non può esser meno del tre, nè più del cinque per cento, e che sin tanto, che dalla congregazione deputata da sua Beatitudine non sarà approvata la nuova tassa, si paghi puntualmente la tassa, che si è per lo passato pagata al seminario, il pagamento della qual tassa non può essere in veruna maniera ritardato da qualunque inibizione, che si spedisca da qualsisia tribunale, come ha altre volte risposto la sagra congregazione del Concilio (sac. congr. Conc., *in Sabinen.* 2 Jul. 1650, lib. XIX *Decr.*, pag. 63 a tergo, et 64. et *in Interamnen. taxæ seminarii* 11 Maii 1720); ed acciò per bene imporre la tassa si cammini colla maggior possibile sicurezza, dovrà ciascun ordinario imporre a tutti quelli, che sono obbligati al pagamento d'essa l'esibire nella sua cancelleria dentro un termine conveniente la notula giurata delle annue rendite, che detratte le spese, come si è detto di sopra, ricevano da benefizj, o beni da loro posseduti, ed obbligati alla predetta tassa, come per appunto si tratta nell'esazione delle decime Papali.

20. Aggiungendosi per compimento di questa istruzione, che essa è stata letta, considerata, e corretta dalla santità medesima di nostro signore, quale ha comandato, che si stampi, e si trasmetta, come si fa, ad ogni ordinario.

(182. Seminaria clericorum debent institui, ubi adhuc non sunt, et augeri ubi opus fuerint, et ab episcopis sæpe visitari, singulorum adolescentium vitam, indolem et in studiis profectum explorando, magistros idoneos, virosque ecclesiastico spiritu præditos ad eorum culturam destinando, litterarias ipsorum exercitationes, sive ecclesiasticas functiones quandoque præsentia sua decorando, aliqua demum beneficia iis, qui virtutum suarum specimen clarius præstiterint, majoremque laudem retulerint, conferendo. Sic expresse Benedict. XIV, tom. I, Constitut. 2, incip. *Ubi primum.*

(183. Hinc juvat afferre aliqua ad rem edita a sacra congregatione Concilii decreta

Digitized by Google

erudite congesta ab eminentissimo cardinali Cavalchino, dum erat secretarius ejusdem congregationis, *in Tricarien. administrationis seminarii* apud tom. VII *Thesauri Resolutionum sac. congreg. Conc.*, ibi: (184. *In Oscen.* proposita sub mense octobris 1585, ita habetur: « Alias sacra congregatio ad interpretationem *Decreti*, cap. 18, sess. XXIII, censuit: Episcopum Oscen. cum consilio deputatorum teneri tam circa institutionem, disciplinam et mores clericorum, quam circa temporalium rerum administrationem providere; sufficere tamen, quod episcopus hujusmodi consilium requirat, eorumque consilio adhibito, posse episcopum statuere et deliberare, quæ pro prudentia sua magis expedire judicaverit; exactionem vero, quæ fit pro seminario, ad solum episcopum pertinere. Dubitatur modo, mortuo episcopo, et in sede vacante, ad quem pertineat erectio et administratio dicti seminarii, et videtur quod pertineat ad capitulum, quia, sede vacante, capitulum fungitur vice episcopi, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, cap. penult. et ult. *De supplen. neglig. prælat.* in 6, et cap. *Is, cui de elect.* in 6 . . . . Sacra congregatio censuit pertinere ad capitulum. . . . ut in lib. IV *Decr.*, pag. 84. »

(185. *In Curien.* anno 1594, editum fuit hoc rescriptum: «Sacra congregatio censuit, omnes quatuor deputatos adhibendos esse in consilio in tota temporali administratione seminarii, præterquam in exactione, quæ ad solum episcopum spectat, ut in lib. VIII *Decr.*, pag. 65, et consonat resolutio, quæ prodiit in *Nullius*, sub annum 1595, hisce verbis... Sacra congregatio censuit, omnes quatuor deputatos, de quibus agitur in cap. 18, sess. XXIII, vers. *Et quia*, adhibendos esse in consilio in administratione rerum ipsius seminarii, præterquam in compulsione ad portionem seminario debitam, cujus facultas ad solum episcopum spectat, ut in lib. VIII *Decr.*, pag. 97. »

(186. *In Salernitana* propositis ad petitionem capituli cathedralis inter cætera hisce dubiis... I. « An duo canonici electi ab archiepiscopo ad constituendam educationem puerorum seminarii possint pro libito archiepiscopi mutari. II. An eorum consilium adhibendum tam in constituendis regulis universalibus seminarii, quam in electione singulorum puerorum introducendorum, electione magistrorum, librorum legendorum, confessoris provisione, discolorum expulsione, visitatione, et similibus. III. An alii quatuor sint deputandi et deputati adhibendi sint in consilio, tantummodo in taxatione, contributione fructuum ex unione beneficiorum, et in aliis difficultatibus, ob quas seminarii instructio vel conservatio impediretur aut perturbaretur; an etiam, in exactione et temporalium administratione tam d. seminarii, utputa, deputatione vel expulsione ministrorum et famulorum temporalium, expensis quotidianis provisionis bladarum, quam etiam bonorum quorumque, et redituum ipsius seminarii ex beneficiis unitis, utputa locationibus, cessionibus, aliisque contractibus, et litibus. IV. An hi quatuor deputati sint perpetui, vel etiam amovibiles, servata tamen ratione concilii in eorum electione, et dicta electio spectet ad capitulum... » Responsum fuit... « Ad I. Non posse amoveri, nisi ex legitima causa. Ad II. In omnibus his esse adhibendos. Ad III. Teneri episcopum adhibere deputatorum consilium tam circa institutionem, disciplinam et mores, quam temporalium rerum administrationem. Ad IV. Esse perpetuos... Ut in lib. VI *Decr.*, p. 22 et sequent. »

(187. *In Papien.* 7 Julii 1591, eadem sacra congregatio censuit, canonicos ab episcopo electos ad seminarii administrationem ad præscriptum cap. 18, sess. XXIII, vers. *Quæ omnia*, esse perpetuos, nec posse amoveri, nisi ex justa et legitima causa, ut in lib. VII *Decr.*, pag. 13, et *in Sarzan.* 25 Junii 1693, rescripsit, oratorem ab episcopo electum ad seminarii administrationem juxta præscriptum sacri concilii cap. 18, sess. XXIII, vers. *Quæ omnia*, non posse amoveri, nisi ex justa et legitima causa,... ut in lib. XVI *Decret.*, pag. 221.

In Fundana denique deputationis official. seminarii, inter cætera fuerunt discussa duo hæc dubia: « I. An episcopus potuerit, et possit deputare rectorem, aliosque officiales seminarii absque consilio deputatorum a capitulo. II. An episcopus in revisione et solidatione computatorum dicti rectoris debuerit sequi consilium eorumdem deputatorum;... die vero 26 Martii 1689, responsum fuit: ad I. *Negative;* ad II. Teneri adhibere consilium, sed non sequi... ut in lib. XXXIX *Dec.*, p. 129 et sequent. »

(188. Et in dicta Tricaricen. administrationis seminarii 24 Martii 1736, ad sequentia dubia:

« I. An administratio œconomica seminarii exerceri debeat per episcopum, vel potius per deputatos.

« II. An constet de sufficienti redditione rationis administrationis exercitæ per deputatos seminarii.

« III. An sit locus remotioni canonici Filiucci deputati seminarii in casu, etc. »

(189. Eadem sacra congregat. Concil. respondit: « Ad primum, administrationem competere episcopo cum consilio deputatorum; præterquam in exactione, quæ spectet ad solum episcopum. Ad secundum *negative*, et episcopus procedat prout de jure contra debitores. Ad tertium *affirmative*. »

(190. Seminarii rectorem esse ab episcopo constituendum, cum deputatorum consilio, juxta allata decreta, limitationem patitur, ut scite et erudite tradit Benedictus XIV, in *Synodo diœcesana*, lib. V, cap 11, n. 9, quoad seminaria, quæ legitima auctoritate tradita sunt curæ et regimini alicujus ordinis regularis sub expressa conditione, ut ejusdem ordinis prælato integrum sit, quem maluerit, sui instituti religiosi in seminarii rectorem eligere et deputare, uti patet de seminario Romæ, quod Pius IV commisit curæ et regimini PP. Societatis Jesu, ut le-

Digitized by Google

gitur in Bulla 134, Urbani VIII, § 4, *Bullar.*, tom. V, ibi : « Ipsumque seminarium sic erectum et institutum curæ et regimini, et administrationi præpositi generalis, et presbyterorum Societatis Jesu, et sui, ac Romani Pontificis pro tempore exsistentis in dicta urbe vicarii in spiritualibus generalis tutelæ, patrocinio et protectioni commisit.» (191. Et de seminario civitatis Conceptionis in America Meridionali commisso pariter curæ et regimini Patrum ejusdem Societatis Jesu ex facultate sacræ congregationis Concilii concessa sub die 13 Junii 1722, in dicta Americana apud *Thesaur. resolutionum*, tom. II, pag. 191, ibi : « Pro facultate, ita tamen, ut alumni nominentur ab episcopo, et seminarium sit sub patrocinio, protectione et subjectione episcopi. » (192. Insuper sub eisdem legibus alia quoque episcoporum seminaria aliorum regularium gubernio reperiuntur commissa ; cura siquidem seminariorum civitatis Albani et Senogalliæ tradita est clericis regularibus *Schalarum piarum* nuncupatis; et ipsemet Benedictus seminarii Bononiensis regimen dedit clericis regularibus Sancti Pauli vulgo *Barnabitis*, non amotis quidem deputatis, qui juxta Tridentini sanctiones seminarii disciplinæ atque administrationi invigilant, sed eorumdem auctoritate intra certos limites coercita. Hæc ille, *loc. cit.*, n. 9.

(193. Quibus adde seminarium civitatis Viglevanensis legitima auctoritate commissum curæ Patrum congregationis Somaschæ, ut videre est in *Thesauro resolutionum sacræ congregationis Concilii*, tom. IX, fol. 90 et sequent., ubi proposita et resoluta fuerunt sequentia dubia :

« I. An omnes alumni sint eligendi per episcopum. Et quatenus *negative;*

« II. An illi octo nominandi per P. rectorem ejusdem seminarii indigeant examine et approbatione episcopi, ut admittantur in casu, etc.;

« III. An exactio redituum assignatorum pro alimonia alumnorum spectet privative ad episcopum cum consilio deputatorum seminarii, excluso rectore seminarii? Et quatenus *negative ;*

« IV. An saltem administratio et exactio facienda sit per dictum rectorem, cum participatione tamen, consensu et mandato episcopi pro tempore in casu, etc.;

« V. An PP. Somaschenses teneantur reddere rationem de administratis episcopo cum assistentia deputatorum seminarii in casu, etc.;

« VI. An liceat episcopo cum assistentia, ut supra, toties quoties voluerit visitare seminarium tam in spiritualibus quam in temporalibus in casu, etc. ;

« VII. An idem, cum assistentia, ut supra, licitum sit capitulo seu vicario capitulari, sede vacante in casu, etc. ;

« VIII. An magistri missi a congregatione Somaschensi ad servitium seminarii pro grammatica, rhetorica, et casibus conscientiæ debeant examinari et approbari ab episcopo in casu, etc.;

« IX. An hoc ipsum tempore sedis vacantis spectet ad capitulum, ut supra in casu, etc. ;

« X. An PP. Somaschenses teneantur reddere rationem de annuis libris 3256, pro toto tempore, quo in seminario non fuerunt alumni, et cui, ac quibus remediis cogi possint in casu, etc. ;

« XI. An iidem teneantur restituere pro eodem tempore, quo seminarium remansit clausum, proventus pro eorum manutentione et salario assignato in casu, etc. ;

« XII. An PP. Somaschensibus, ultra præfixum numerum viginti alumnorum, liceat in seminario recipere alios convictores de aliena diœcesi in casu, etc.

(194. Sacra congregatio die 14 Januarii 1714, distulit resolutionem, die vero 27 ejusdem mensis et anni respondit : Ad I. *negative;* ad II, indigere approbatione episcopi ; ad III, *negative;* ad IV, *affirmative ;* ad V, VI, VII, *affirmative;* ad VIII, *negative ;* ad IX, *negative;* ad X, *affirmative* episcopo, ac per eum cogi juris remediis ; ad XI, *negative;* ad XII, *affirmative* de licentia episcopi, et amplius in omnibus. »

(195. * Tenetur episcopus providere sibi consilium duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter a capitulo eligatur; item duorum de clero civitatis, quorum alterius erectio ad clerum spectat, quæ omnia sunt ex cap. 18, sess. XXIII *Tridentini*. His omnibus deputatis uti debet in administratione rerum seminarii ; sicut etiam illi adhibendi sunt circa institutionem et disciplinam ejusdem seminarii ; quanquam episcopus ita debet in his omnibus eorum consilium audire, ut sequi non teneatur; *De synod. diœc.*, lib. V, cap. 11, ex pluribus sac. congr. *Decretis.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(196. De exordio et progressu seminariorum, tum de optima eorum regiminis ratione, *vide* Joannem de Joanne, in *Historia seminariorum clericalium.* Confer etiam S. M. Benedictum XIV, *De synodo diœcesana*, lib. V, cap. 11 per tot.

(197. Tria vero hic haud sunt omittenda. Primum est, quod id quod dicitur, seminarii rectorem esse constituendum ab episcopo, cum consilio deputatorum, limitationem recipit quoad seminaria, quæ *legitima auctoritate* tradita sunt curæ et regimini alicujus ordinis regularis, data prælato ejusdem ordinis facultate eligendi quem maluerit ex suis religiosis in rectorem. S. M. Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. V, cap. 11, § 9. (198. *Legitima*, inquam, *auctoritate*, scilicet sacræ congregationis Concilii interpretis; nam ab episcopo propria auctoritate haud potest seminarium tradi curæ et regimini alicujus ordinis regularis. (199. Hinc episcopus civitatis Conceptionis in America Meridionali die 13 Junii 1722, hanc facultatem impetravit a mox dicta sac. cong. *Vide supra* numer. 192.

(200. Alterum est, quod necesse haud habet episcopus rationes redituum semina-

Digitized by Google

rii accipere ab administratoribus in synodo, ut sentiunt Piasec., in *Prax. episcop.*, part. I, cap. 2, art. 1, num. 11; Barbos., *De offic. et potest.*, part. III, alleg. 93, num. 2, sed potest etiam accipere extra synodum, dummodo ad normam *Tridentini* concilii, sess. XXIII, cap. 18, *De reform.*, accipiat præsentibus duobus a capitulo, ac totidem a clero civitatis deputatis. S. M. Benedictus XIV, *De synod. diœces.*, lib. I, cap. 11, § 4, ubi solum limitat si consuetudo diœcesis ferat, ut rationes hæ accipiantur in synodo.

(201. Tertium demum est, quod si duæ ecclesiæ cathedrales æque principaliter unitæ sint, non aliter episcopus satisfaciat præcepto concilii Tridentini, quam si in una, itemque altera ecclesia cathedrali erigat seminarium; idque quia verbum *singulæ*, quo concilium Tridentinum utitur distributive, refert dispositionem decreti ad unamquamque ecclesiam cathedralem, ita ut tot esse debeant seminaria, quot sunt ecclesiæ cathedrales. Consule Lanfredin., *Respons. eccles.*, 46 fere per tot. ubi etiam et illud discutit, quando seminarium dici queat erectum.

Addenda et notanda ex Benedicto XIV, ex synodo diœces.

(In hac editione Casinensi.)

« Nihil est, quod magis conferat ad reipublicæ felicitatem, quam quod puerilis ætas ad omnem informetur sapientiam : cum enim sit Spiritus sancti effatum : *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (*Proverb.* XXII), inde poterit respublica optimos rectores et administros sperare, ac jure sibi polliceri. Hæc scite perpendentes majores nostri, ubi primum turbulentis priorum sæculorum temporibus successit tranquillitas, episcopalia seminaria institui curarunt, in quibus, sub episcopi oculis, instruerentur et perpolirentur juniores clerici, qui ad majores ordines crescerent. Nisi suspecta esset fides illorum Nicænorum canonum, quos ex Arabico in Latinum sermonem versos, primo Franciscus Turrianus, deinde Abrahamus Ecchellensis evulgarunt, merito affirmari posset, ejusmodi seminariorum vestigia fuisse a concilio Nicæno delineata : etenim in canone qui est 55 apud Turrianum, et 59 apud Ecchelensem, jubentur chorepiscopi « instituere mi- « nistros, eosque distribuere per ecclesias « et monasteria, et providere ut discant : ut « reddantur apti et idonei ad ædificationem « monasteriorum et ecclesiarum, et aliorum « locorum, quæ horum opera indigebunt. » Quæ quidem verba expendens qui notas huic canoni adjecit in *Collectione Labbeana*, tom. II, p. 307, ait : « Cernitur in « hoc canone ratio quædam seminarii mini- « strorum Ecclesiæ, seu vestigium quoddam « seminariorum, quæ nuper, secundum de- « cretum synodi Tridentinæ, instituta sunt. » Verum, quod jam nos animadvertimus in nostra *Instit. eccles.* 59, ubi de seminariis disseruimus, cum allegatus canon Nicænus non accenseatur numero illorum viginti, quos, tanquam indubios concilii Nicæni fetus, universa recipit Ecclesia, nihil certi ex eo colligere possumus. Aliud certissimum et manifestum seminarii clericorum vestigium nobis suppeditat concilium *Toletanum* II, habitum anno 531, cum cap. 1, decernat : « De his, quos voluntas parentum a primis « infantiæ annis clericatus officio mancipa- « rit, statuimus observandum, ut mox, cum « detonsi, vel ministerio lectorum contra- « diti fuerint, in domo ecclesiæ, sub episco- « pali præsentia, a præposito sibi debeant « erudiri. » *Collectionis Harduini*, tom. II, col. 1139. Idem, quod *Toletanum* II, constituit *Toletanum* IV, celebratum anno 633, cap. 24, et relatum a Gratiano cap. 1, 12, quæst. 1, præcipiens, ut in ædibus ecclesiæ proximis juniores clerici educentur sub cura sanctissimi senis, cujus oculos nec ad momentum effugiant : « Prona est omnis ætas « ab adolescentia in malum : nihil enim in- « certius, quam vita adolescentium. Ob hoc « constituendum oportuit, ut si qui in clero « puberes aut adolescentes exsistunt, omnes « in uno conclavi atrii commorentur, ut lu- « bricæ ætatis annos non in luxuria, sed in « disciplinis ecclesiasticis agant, deputato « probatissimo seniori, quem magistrum do- « ctrinæ et testem vitæ habeant. » Concilium vero *Vasense* II, anni 539, cap. 1, non unum tantum in qualibet diœcesi, sed in cujuslibet parochi domo, clericorum seminarium esse jubet asseritque idem in totius Italiæ moribus positum : « Placuit, ut omnes pre- « sbyteri, qui sunt in parochiis constituti, « secundum consuetudinem, quam per to- « tam Italiam satis salubriter teneri cogno- « vimus, juniores lectores, quantoscunque « sine uxore habuerint, secum in domo, « ubi ipsi habitare videntur, recipiant : et « eos quomodo boni patres spiritualiter nu- « trientes, psalmos parare, divinis lectioni- « bus insistere, et in lege Domini erudire, « contendant : ut et sibi dignos successores « provideant, et a Domino præmia æterna « recipiant. » *Collectionis Harduini*, tom. II, col. 1105.

« Posterioribus tamen sæculis infrequens est mentio ejusmodi episcopalium seminariorum; quod ideo evenisse plerique arbitrantur, quod illorum loco passim erecta fuerint clericorum collegia intra monasteriorum claustra. At licet monachi scholas ubique aperuerint, in quibus pueri erudirentur, sicuti narrat Mabillonius, in præfat. ad sæcul. III, in *Act. SS. ord. S. Benedicti*, § 4, et colligitur ex concilio *Aquisgranensi* anni 789, cap. 72, ubi adolescentes vel in episcopiis, vel in monasteriis, pro ipsorum vel parentum libito, litteris atque ecclesiasticis disciplinis institui jussit : « Ut scholæ « legentium puerorum fiant, psalmos, no- « tas, cantus, computum, grammaticam, per « singula monasteria vel episcopia discant. » Tom. IV, *Collectionis Harduini*, col. 842, attamen, ut idem Mabillonius, *ibidem*, n. 40, probat, nunquam sæculares clerici, intra monasterii septa educandi, bonisque artibus imbuendi, excepti fuere, sed duæ diversæ

Digitized by Google

in quolibet monasterio constitutæ erant puerorum scholæ; aliæ *interiores*, seu *claustrales*, pro monachis et pueris monasterio oblatis; aliæ *exteriores et canonicæ* pro clericis sæcularibus; clerici enim vocabantur, quotquot litteris operam dabant, quod testatur Ordericus Vitalis, *Hist.*, lib. III, inquiens : « Rodulphus autem quintus fra« ter, *clericus* cognominatus est, quia pe« ritia litterarum, aliarumque artium op« time imbutus. » Ejusdem etiam discriminis inter sæcularium clericorum aliorumque, qui se religioni devoverant, scholas, præter Mabillonium, fidem facit Gerardus Dubois, in *Hist. Eccl. Paris*, lib. XI, cap. 7, ubi pag. 776, ait: « Scholæ illæ in primis « cœptæ sunt ad clericorum institutionem: « unde scholares *clerici* vulgo dicebantur, « et eam ob causam scholas erigi jubent, et « constitutiones regiæ, et decreta concilio« rum; locus et episcopium, et monasterium « designatur, hoc monachis, illud clericis : » quin imo in conventu ab abbatibus Franciæ habito Aquisgrani anno 817, cap. 42, expresse statutum legimus: « Ut nullus ple« beius, seu clericus sæcularis in monaste« rio ad habitandum recipiatur, nisi volue« rit fieri monachus; » et cap. 45: « Ut « schola in monasterio non habeatur, nisi « eorum, qui oblati sunt. » Tom. IV, *Collectionis Harduini*, col. 1231.

« Quanquam itaque verum sit, quod asserit Thomassinus, *De vet. et nov. Eccles. discipl.*, part. II, lib. I, cap. 102, n. 1, nimirum, circa annum Christi millesimum neglecta prorsus fuisse episcopalia clericorum seminaria, id tamen non inde contigit, quod clerici intra monasteria educarentur, sed quia satis visum est episcopis, ut monachorum, aut universitatum, quæ jam ea tempestate auctæ et propagatæ erant, scholas illi frequentarent. Sed cum postea, quod idem Thomassinus, *ibidem*, n. 4, observat, in universitatibus, litterarum fervore et scholarum pompa pene oppressa languesceret pietas, regulares vero congregationes subalienatæ essent ab illa strictissima cum episcopis conjunctione, qua olim ab ipsis totæ pendebant, et quam clericis omnibus inspirari avebant episcopi: idcirco de antiquis seminariis restituendis cogitatum est. Reginaldus cardinalis Polus, cum anno 1556 Anglicani cleri reformationem meditaretur, inter cætera reformationis capita, quæ exstant in *Collectione conciliorum Harduini*, tom. X, col. 408, juniores clericos educari jussit in seminariis, quorum formam decreto 11 expressit; uti etiam a nobis fuit adnotatum in citata nostra *Instit. Eccl.* 59. Formæ autem, quam Polus delineaverat, summam manum adjecere Patres *Tridentini*, sess. XXIII, cap. 18, *De reform.*, decernentes, ut a quolibet episcopo prope suam cathedralem ecclesiam, aut alio convenienti loco, collegium seu seminarium instituatur, ubi clerici omnibus liberalibus artibus et ecclesiasticis excolantur institutis; cujus quidem decreti exsecutionem urgere non omisimus in nostra epistola commonitoria ad omnes episcopos, quæ est secunda § 2, *Bullarii* nostri, tom. I. Ne vero ejusmodi seminaria ex redituum defectu, ullo unquam tempore pereant, statuit ibidem Tridentinum, ut ex reditibus mensæ episcopalis et capituli, et quorumlibet beneficiorum diœcesis, certa pecuniæ summa detrahatur, quotannis seminario pensitanda, juxta mensuram seu taxam, ab ipsomet episcopo præscribendam cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab ipsomet episcopo, alter a capitulo eligatur, ac duorum item de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum, alterius vero ad eumdem clerum pertineat. Inter Apostolicas litteras S. Pii Papæ V, typis impressas per Franciscum Gaubau, complures leguntur, quæ hujusmodi seminariorum erectiones respiciunt, dum Sanctus Pontifex episcopis per Germaniam constitutis Tridentinorum decretorum exsecutionem hac in re enixe commendat. »

(Quoad vero seminarii rectorem, nempe quod constituendus sit ab episcopo cum deputatorum consilio) « limitationem patitur, quoad seminaria, quæ legitima auctoritate tradita sint curæ et regimini alicujus ordinis regularis, sub expressa conditione, ut ejusdem ordinis prælato integrum sit, quem maluerit, sui instituti religiosum in seminarii rectorem eligere et deputare. Ita accidit Romæ, ubi cum, juxta Tridentini statuta, clericorum seminarium a Pio IV erectum fuerit, et suppositum jurisdictioni ac tutelæ cardinalis in urbe vicarii, ejus cura et actualis administratio commissa est præposito generali et presbyteris Societatis Jesu, quod legere est in constit. 134, Urbani, VIII, § 4, *Bullar.*, tom. V. Dubitaverant nonnulli ex iisdem religiosis, an sine violatione proprii Instituti, fas sibi esset, curam acceptare seminarii, quod episcopi subsit jurisdictioni; sed pervolutis S. Ignatii Regulis, perpensisque suarum generalium congregationum decretis, nihil inventum est, quod prædicto regimini suscipiendo adversaretur, modo tamen deputatio rectoris aliorumque religiosorum, qui seminarii præsint regimini et disciplinæ, ad præpositum generalem pertineat, quod a congregationibus generalibus, secunda scilicet sub S. Francisco Borgia, quarta sub P. Claudio Aquaviva, et duodecima sub P. Carolo de Novelle fuit declaratum. Cum nos munere fungebamur secretarii sacræ congregationis Concilii, episcopus civitatis Conceptionis in America Meridionali, se plurimum allaborasse retulit, ut clericorum seminarium, ad Tridentini normam, in sua erigeret diœcesi, sed vel nullum, vel exiguum sane fructum ex illius jam propediem absolvenda erectione, sperare, nisi ejus cura demandaretur Patribus Societatis Jesu; cum difficile esset homines sæculares inibi invenire, ad clericos in doctrina et pietate imbuendos, et seminarium rite administrandum idoneos. Actum fuit de hac re in congregatione habita die 13 Junii 1722, et deliberatum, dandam esse episcopo, quam

Digitized by Google

poscebat, facultatem, ita tamen, « ut semi- « narium sit sub patrocinio, protectione et « subjectione episcopi, ejusque alumni no- « minentur ab episcopo; » quemadmodum habetur tom. II *Thesaur. resolut.*, p. 191. Sub iisdem legibus, alia quoque episcoporum seminaria, aliorum regularium gubernio reperiuntur commissa: cura siquidem seminariorum civitatis Albani et Senogalliæ tradita est clericis regularibus, *Scholarum Piarum* nuncupatis: et nos ipsi seminarii nostri Bononiensis regimen dedimus clericis regularibus S. Pauli, vulgo *Barnabitis*, non amotis quidem deputatis, qui juxta enuntiatas Tridentini sanctiones, seminarii disciplinæ atque administrationi invigilent, sed eorumdem auctoritate intra certos limites coercita. *De synod. diœces.* lib. v, cap. 11, num. 1 et seqq.

Hæc insuper ex eodem Benedicto XIV ex oper. cit. notasse expediat.

« Sacrum Tridentinum concilium inter alia adjumenta, quæ episcopis attulit, ut clericorum seminaria, prout vehementer optabat, sustentari possent, facultatem ipsis concessit uniendi seminario « Beneficia « aliquot simplicia, cujuscunque qualitatis « et dignitatis fuerint, etc., etiam ante va- « cationem, sine cultus divini, et illa obti- « nentium præjudicio, etc., quod locum ha- « beat, etiamsi beneficia sint reservata vel « affectata; » uti legitur in cap. 18, sess. XXIII *De reform.* Siquidem compertum est omnibus, aliqua exsistere beneficia ecclesiastica, quorum collatio reservata semper est Romano Pontifici, aut in corpore juris communis, uti videre est in cap. *Licet*, et in cap. *Statutum*, De præbend. in 6, aut in Extravagantibus communibus, ut in cap. *Injunctæ*, tit. *De electione*, in Extravaganti *Exsecrabilis*, De præbendis et dignitatibus, in Extravaganti *Ad regimen*, eod. tit., aut in bullis S. Pii V, Gregorii XIII aliorumque Romanorum Pontificum, aut in Regulis Cancellariæ, inter quas celebris est regula mensium reservatoria, in qua sibi reservat Pontifex collationem omnium beneficiorum, quæcunque per octo anni menses vacare contigerit, quorum deinde mensium duos episcopis in residentiæ præmium remittit, quæ omnia efficit in vim plenariæ suæ auctoritatis, ut videre est auctores, qui materiam hanc plane cumulateque pertractant.

« Necessarium quidem non est, ut beneficiorum seminario uniones in synodo fiant: quin imo satius videtur, ut, si facienda sint, extra synodum expleantur cum consilio quatuor seminarii deputatorum, de quibus alibi verba fecimus; quorum quidem consilium a Tridentina synodo in unionibus hujusmodi *pro forma*, ut dici solet, requiritur, ut observat Lotterius, *De re beneficiaria*, lib. I, quæst. 29, n. 60, et ut resolutum fuit a congregatione ejusdem concilii interprete in causa *Giennen.* 14 Februarii 1554, lib. VIII *Decret.*, pag. 14: « Sacra, etc., censuit, uniones factas semi- « nario absque consilio eorum quatuor, « quos jubet concilium adhiberi, minime « valere: » et in alia *Ferrarien.* 3 Martii ejusdem anni, eod. lib. VIII *Decretor.*, p. 16 a tergo: « Sacra, etc., censuit, in unio- « nibus beneficiorum faciendis seminario, « satis esse, servare formam traditam a « concilio, cap. 17, sess. XXIII *De refor.*, nec « requiri consilium capituli. » Verum, quia aliquando in synodis actum vidimus de unionibus beneficiorum seminario factis aut faciendis, ad hoc ut clerus episcopalem hac etiam in re sollicitudinem agnosceret, ideo opportunum existimamus, aliquid hic de unionibus beneficiorum seminario factis aut faciendis, attingere: ne eas invalide fieri contingat, neque Apostolicæ Sedis jura ex unione beneficiorum affectorum, aut ipsi reservatorum aliquid detrimenti capiant.

« Porro, ut seminarii sustentationi provideatur, initium minime ducendum est a beneficiis ecclesiasticis ipsi uniendis, sed dismembratio prius fieri debet, seu detractio aliqua portionis fructuum tum mensæ capitularis ac dignitatum, canonicatuum et beneficiorum, etiamsi de jurepatronatus exsistant: « Ex fructibus integris mensæ « episcopalis et capituli, et quarumcunque « dignitatum, personatuum, officiorum, præ- « bendarum, etc., et beneficiorum quorum- « cunque, etiamsi jurispatronatus cujuscun- « que fuerint: » verba sunt concilii, *loc. cit.*, eaque dismembratio vulgo dicitur *taxa*. Et quidem recitata concilii verba satis indicant seminarium jam erectum præsupponi, scilicet paratam jam domum, præceptores conductos, deputatos electos designatosque consultores ad taxam statuendam: ex quo sequitur, unionem beneficiorum, quæ fieret seminario, non adhuc, uti supra dictum est, erecto, sed erigendo, irritam fore, juxta resolutionem congregationis Concili in causa item *Giennen.*, 1588, quæ a Sixto V Pontifice confirmata fuit per litteras in forma Brevis datas die 26 Octobris ejusdem anni, ut videre est apud Garciam, *De benefic.*, part. XII, cap. 2, num. 193. Præterea concilium faciendam decernit seminario unionem simplicium aliquot beneficiorum: *Necnon beneficia aliquot simplicia*. Hinc est, quod episcopi non omnia beneficia, nec majorem ipsorum partem, seminario unire possunt. Cumque aliquis id efficere præsumpserit, et ipse reprehensus est, et uniones abrogatæ fuerunt; ut patet ex monumentis fideliter a Rigantio collectis, relatisque in tom. II, *ad Regulas Cancellar.*, et speciatim regul. 13, n. 88 et seq. (51).

(51) Hæc porro apud Rigantium, ubi alia insuper quoad beneficia, quæ uniri non possunt, quæque unionem ipsam spectant, adnotantur in hæc sane verba:

« Cæterum permissum non est episcopis omnia, aut majorem partem beneficiorum seminariis unire, dum concilium utitur dictione *aliquot*, ibi (sess. XXIII, c. 18): *Nec non uniendo beneficia aliquot* simplicia.

Digitized by Google

« Sed jam ad jurium Apostolicorum læsionem gradum faciamus, quæ aliquoties in hisce unionibus contingit, quæque cuilibet episcopo effugienda omnino est. Retroactis

« Hinc cum episcopus Aretinus de anno 1638, 1639 et 1642 ex sexaginta beneficiis liberæ collationis, quæ aderant in ejus diœcesi, viginti quatuor univerit seminario, contendere cœperunt datariæ ministri occasione vocationis alterius ex unitis, supradictam tot beneficiorum unionem non rite expletam fuisse, ex quo Tridentinum non mandat fieri stragem beneficiorum seminarii, sed solum permittit *aliquot* ex illis posse ei uniri, unde examinato negotio in congregatione datariæ, ea capta fuit resolutio, ut unio præfata suum sortiri deberet effectum tantummodo quoad septem beneficia, quæ jam per obitum possessorum incorporata reperiebantur seminario, secus vero quoad reliqua, quæ non adhuc vacaverant. Quam resolutionem approbavit *san. mem. Alexander VII*, eamque in cancellaria episcopali registrari mandavit, ut ex litteris *clar. memor.* cardinalis Corradi tunc temporis prodatarii ad episcopum Aretinum scripta sub datum 18 Februarii 1661. Verum cum defuncto *san. memor. Alexandro VII*, idem episcopus anno 1669, supplicasset *san. mem. Clementi IX*, ut supradictam unionem beneficiorum a se factam favore seminarii de annis 1638, 1641 et 1642, ratam haberet, et interea alia tria beneficia eidem seminario applicasset, recol. mem. cardinalis Otthobonus, tunc prodatarius, episcopo præfato de ordine Pontificis, in hunc qui sequitur modum die 27 Martii 1669, scripsit :

« Non approva nostro signore, inerendo a quello, « che risolvè la san. mem. di Alessandro VII, che « abbia effetto l'unione de' beneficii fatta da V. S. « illustrissima al suo seminario, come dalla lettera, « che ne le scrisse il cardinal Corrado di buona me- « moria : e perchè s'intende, che abbia essa anche « unito al medesimo seminario li tre seguenti be- « nefizii nella sua diocesi, ec. Sua Santità mi co- « manda, di scrivere a V. S. illustrissima ; che si « compiaccia di disunire li suddetti beneficj, acciò « possa aver effetto la provista fattane dalla Santità « Sua, ec. » Et in præfatarum litterarum exsecutionem celebratum fuit publicum instrumentum ; in quo eisdem litteris insertis, R. P. D. Thomas Salviatus episcopus Aretinus « separavit, dismembra- « vit, et omnino levavit, ac a vinculo unionum « omnium separavit præfata beneficia, revocans, « cassans, annullans uniones præfatas, etc., » ut latius ex instrumento præfato rogato ab Angelo Lauro curiæ episcopalis Aretinæ cancellario, die 8 Aprilis 1669.

« Episcopo quoque Feretrano, qui sua abutebatur facultate uniendi ad libitum beneficia Seminario, laudatus cardinalis Corradus de anno 1663, de Pontificis mandato litteras dedit, ut in posterum ab uniendo beneficia se abstineret sine licentia ejusdem Pontificis. Eamdemque inhibitionem episcopo successori renovavit clar. mem. cardinalis Carpineus de ordine *san. mem. Clementis IX*, ut ex illius epistola sub datum XI Novembris 1670, in qua ulterius demandatur ejusdem inhibitionis registratio in cancellaria episcopali.

« Insuper non potest episcopus seminario unire canonicatus in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis residentiam requirentes, Clericat., *De benefic.*, discord. 76, n. 9, nec beneficia parochialia et curata, cum facultas ei impertita a *Tridentino*, dict. cap. 18, sess. 23, sit restricta ab beneficia simplicia *tantum* ; unde beneficia curata immutare et ad simplicia reducere omnino prohibetur, ut sancitur ab eodem concilio, sess. XXV, cap. 16, *De reformat.* et conferunt text. in cap. *Majoribus*, et cap. *Vacantibus*. De præbend., ac decrevit sacra congregatio ejusdem concilii, *in Ravellin.* 15 Julii 1645. Id quod locum sibi vindicat, etiamsi beneficia sint tantum habitu et non actu curata, ut decrevit sacra congregatio Concilii, *in Cathacen.* 23 Februarii 1616 per hæc verba : « Sacra, etc., censuit, non potuisse epi- « scopum unire seminario parochialem, quamvis « habitu tantum, et non actu, unionis tempore exsi- « steret. »

« Verum si in diœcesi non adsint beneficia simplicia, potest ad seminarii favorem expleri provisio, etiam respectu parochialium, vel mediante erectione vicariæ in ecclesia parochiali, ut fieri mandavit sacra congregatio Concilii, *in Burdigalen.*, die ultima Julii 1628.

« Vel mediante impositione pensionis super eadem ecclesia seminario solvènda, ut eadem sacra congregatio *in Eugubina* 24 Maii 1601. Quas resolutiones habeo in codice ms. *Decretorum sac. congregationis*, tom. I, pag. 1548. »

Hæc in terminis apud prælaudatum Rigantium, *Comment. in Regul.* 13 *Cancell.*, n. 88 et seqq.

« Insuper ut valide fieri possit beneficiorum unio favore seminarii, requiritur, quod præcedat dismembratio seu detractio partis fructuum ipsius mensæ episcopalis, dignitatum, canonicatuum et beneficiorum omnium . . . eaque non expleta, unio beneficiorum nullo modo subsistit. Lotter, lib. I, q. 29, n. 61 ; Gonzalez, *in Regul.* 8, *Gloss.* 5, § 7, num. 41; Barbosa, allegat. 77, n. 2; Rota, decis. 473, n. 23 et 24, part. IV, tom. II, recent. decis. 361, n. 7, part. II, decis. 101, et decis. 833, n. 5, part. XV recent.

« Quod si episcopus portionem aliquam bonorum a mensa episcopali, vel a beneficiis dismembrando, eam seminario applicaverit, non censetur satisfecisse dispositioni concilii : quod mandat, portionem favore seminarii detrahendam esse ex fructibus mensæ episcopalis, et beneficiorum, non ex illorum bonis, cum dismembratio ista sit vera et realis alienatio bonorum Ecclesiæ episcopis interdicta, et ita decrevit sacra congregatio Concilii, *in Aversana* 6 Decemb. 1703 ad secundum, et *in Lycien.* 16 Maii 1711, dum in utroque casu, improbata simili bonorum applicatione favore seminarii, mandavit fieri taxam prout de jure. » Ita ad litteram anted. Rigantius, *ibid.*, n. 61 et seqq.

« An autem seminario jam ab initio proviso per taxam et unionem beneficiorum, possit episcopus alia beneficia unire ad solum effectum onus ejusdem taxæ omnino tollendi ; indecisum reliquit Rota, *in Tudertina beneficii* 9 Junii 1721, *coram bon. mem. Cerro*, licet inclinare videatur in sententiam negativam, quam et ego probabiliorem existimo, tum inspecta littera concil. *Trident.* ejusque spiritu, tum constitutione *san. mem. Benedicti XIII* ; tum demum praxi universali.

« Et quidem ad tramites concilii, taxa super beneficiis est prima provisio ab eo demandata in sustentationem seminarii, unio vero beneficiorum est remedium vere subsidiarium volitum, postquam taxa præcesserit, eaque insufficiens ad. sustentationem præfatam detegatur. Porro si episcopis permissum esset beneficia seminario unire ad effectum tollendi taxam, hæc dici non posset primo concupita pro illius manutentione, seu potius e converso dicenda esset subsidiaria contra litteram Concilii, quæ priori loco illam demandavit, ut ponderat Rota, *in dicta Tudertina*, § *Præterea.* » Rigantius, *ad regul.* 13 *Cancell.*, n. 77.

Id ipsum suadet constitutio Bened. XIII, § *Quod si computatis*, etc. (Vide supra verba constit.)

« Et demum concurrit praxis universalis ; dum vigere adhuc inspicimus taxam pro seminariis in omnibus fere diœcesibus, in quibus illa erecta reperiuntur : quando, si permissum esset episcopis be-

Digitized by Google

temporibus episcoporum aliquis beneficium affectum, aut Apostolicæ Sedi reservatum, seminario univit, postquam illud jam vacaverat, et qui de eo ab Apostolica Sede provideri meruerat, jam expediverat bullas aut beneficii possessionem nactus fuerat. Id quidem, ut par erat, minime tolerandum visum fuit : ac propterea congregatio Concilii jure ac merito decrevit, ut ab episcopis beneficia hujusmodi ante aliorum vacationem seminario unirentur. Ita ipsa respondit anno 1586, mense Augusto, ut videre est lib. IV *Decretor.*, pag. 169 a terg. et seq., in causa *Caputaquen.* sequentibus verbis proposita : « Seminarium Caputaquense humiliter petit, sibi declarari, postquam episcopus auctoritate concilii Tridentini potest unire seminario beneficia simplicia cujuscunque qualitatis, an episcopus, vel ejus vicarius, potuerit unire dicto seminario beneficia simplicia, quæ vacarunt in mense Pontificis. » Responsum vero fuit : « Sacra, etc., censuit, uniri posse, modo unian- tur ante vacationem. » Huic alia concors est resolutio in causa *Palentina* 1588, mense Junio, lib. V *Decretor.*, pag. 150. « Sacra, etc., censuit, uniones de beneficiis vacantibus in mense reservato non esse validas, cum factæ fuerint post eorum vacationem et provisos a Sede Apostolica debere mitti in possessionem beneficiorum : » cui sequens etiam addi potest edita in causa *Alboren.* 31 Augusti 1600, lib. IX *Decretor.*, pag. 102 a terg. : « Sacra, etc., censuit, si hujusmodi beneficia, quo tempore vacarunt, erant reservata vel affecta, minime potuisse post vacationem ab archiepiscopo seminariis uniri, et provisos Apostolicos in eorumque beneficiorum possessionem esse mittendos. »

« Hoc itaque constituto, et satis ubique cognito, quod beneficia affectioni et reservationi subjecta, antequam vacarent, seminario unienda essent, aliquid ulterius excogitari cœpit, quod in Apostolicorum jurium detrimentum cedere inventum est. Quædam existunt affectiones, quæ beneficiatorum personas comitantur, quocunque loco decedant; uti est, exempli gratia, alicujus cardinalis familiaritas. Nonnulli episcopi in beneficia sic affecta potissimum oculos injicientes, eaque, antequam vacarent, seminario unientes, certum Datariæ Apostolicæ damnum inferebant, quæ eveniente eorum vacatione, de ipsis, utpote jam seminario unitis, disponere non poterat. Hanc jurium Apostolicorum perturbationem recte animadvertit congregatio Concilii ; atque idcirco censuit, viam aliquam arcendis in posterum fraudibus excogitandam esse : uti legitur lib. IX *Decretor.*, pag. 117 a terg., die 26 Februarii 1601. « Sacra, « etc., censuit, de cætero ad obviandum « fraudibus, oportere decerni, ut non pos- « sint etiam ante vacationem uniri seminario « beneficia, quæ obtineant personæ, quæ « vel ob familiaritatem cardinalium, vel « aliam rationem, tales sint, ut, quocunque « mense decedant, certum sit, ea fore affecta « Sedis Apostolicæ. Cæterum in præteritum « nihil statuendum sinendumque, ut causa « suo marte decurrat. » Consilium hoc a Clemente VIII Pontifice approbatum fuit, ut videre licet apud Fagnanum, in cap. *Sicut unire*, n. 37, De excessibus prælatorum. Jamque id jus obtinet, ut beneficii affecti unio, ne quidem ante illius vacationem, per episcopum seminario fieri valeat, quando affectio stabilis est, continua atque immutabilis, cujusmodi est illa familiarium Pontificis et cardinalium, protonotariorum, aliorumque Apostolicæ Sedis officialium; relicta tamen ei facultate beneficium affectum affectione non continua, sed fortuita, qualis est illa mensis aut loci, ante vacationem uniendi; ignoratur enim, dum unio fit, ubi, aut quo mense beneficiatus obiturus sit.

« Cujus legis ratio cum in eo posita sit, ut supra attigimus, ne fraus fiat Apostolicæ Datariæ juribus; consequens est, ut nec illa quidem unio sustineatur, quam episcopus seminario fecerit de beneficio non ita constanter affecto, et nondum vacante, si appareat, exspectatum ad id fuisse tempus, quo beneficiatus ægrotans proximus erat obeundæ morti, quam re ipsa in mense reservato obiit; sicuti nec illæ sustineantur, quas fecerit episcopus aliquis, quem constet nullum unquam beneficium ex his, quæ in suo mense vacarunt, seminario univisse, sed ad illa duntaxat unienda animum intendisse, quæ in mense Apostolico vacare poterant. Hæc omnia accuratissime exposita sunt a Rigan-

neficia unire ad effectum tollendi taxam, hæc amplius non vigeret in illis saltem diœcesibus, in quibus seminaria ab antiquo tempore erecta fuerunt, et beneficiorum simplicium copia non deest; nam sublata fuisset, per eorumdem beneficiorum unionem, ut perpendit Rota, *in dicta Tudertina*, §, *Insuper.* » Rigantius, *l. c.*, n. 84.

Et revera, si munus est taxam imponere, quam beneficium supprimere, profecto contra Regulas juris esse videretur supprimere beneficia ad hujusmodi taxam tollendam.

Postremo illud omittendum non est, quoties ordinarius univit beneficia seminario, non servatis solemnitatibus præscriptis a concil. *Trident.*, sess. XXIII, cap. 18, talia beneficia remanent reservationi Apostolicæ obnoxia vigore Regul. 1 Cancellariæ Apostolicæ. Hæc enim generaliter reservat beneficia, de quibus ordinarii collatores *disposuerunt, et disponent, et dispositum fuerit* contra formam decretorum Concilii. Verbum autem *disponere*, utpote generale, comprehendit etiam unionem; et qui prohibetur disponere, prohibetur etiam unire, Lotter., *De re benefic.*, lib. I, q. 29, n. 45, et magis in specie, quod beneficia nulliter unita contra formam decretorum Concilii, sint reservata, Rota, decis. 307. n. 20 et 21, part. XIII recent. Et ita resolutum fuit a congregatione Datariæ, die 22 Decemb. 1703, contra episcopum Ferentinum, cui cum die 14 Martii 1704, adversus dictam resolutionem audiri supplicasset, responsum fuit, *Nihil de nova audientia.* Rigantius, *ad Regul. 1 Cancell.*, § 10, n. 41, 42.

Digitized by Google

tio, *loc. cit.*, n. 110 et seq., cujus quidem scriptoris auctoritate libenter utimur, quod et ipse, dum vixit, nos omni amici hominis officio est prosecutus, et nos testes sumus incredibilis illius laboris ac diligentiæ in colligendis et discutiendis iis omnibus, quæ suis Operibus inseruit.

« Refert præterea idem auctor, *ad prædictam regulam* 13, n. 117 et seq. controversiam exortam post Clementis VIII decretum; cum scilicet dubitatum fuit, utrum S. R. E. cardinales, aliique, qui indulta habent conferendi beneficia Apostolicæ Sedi reservata, et affecta, possint hæc, licet non eventuali duntaxat et variabili reservationi obnoxia, sed fixa et immutabili affectione reservata, seminario unire. In favorem siquidem cardinalium dicebatur, quod, cum ipsi in decreto Clementis VIII, expresse nominati non fuerint, illius lege minime tenebantur. Pro omnibus autem Indultariis illud in genere asserebatur, quod nempe, sublata per Indultum reservatione, libera in ipsis reviviscebat auctoritas ordinaria, qua poterant, juxta Tridentini præscriptum, beneficia quæcunque, licet antea Apostolicis reservationibus et affectionibus subjecta, seminario unire. De hac quæstione in congregatione Concilii disputatum est; et quidem cardinalis Ubaldinus prolixo suffragio edito, quod. suppresso illius nomine, refert Fagnanus, in cit. cap. *Sicut unire*, a n. 18 ad 46, De excessibus prælatorum, intentioni cardinalis Lantes tunc episcopi Tudertini astipulatus, reliquos collegas, in ea causa judicantes in suam sententiam pertraxit, ut colligitur ex resolutione ejusdem congregationis in *Tudertina unionis* 20 Januarii 1522, lib. XII *Decretor.*, pag. 88, ubi sic legitur : « An cardinalis episcopus, habens Indultum, possit, non obstante decreto san. mem. Clementis VIII unire seminario ante vacationem ea beneficia, quæ, si eodem cardinali vivente vacarent, non obstantibus reservationibus vel affectionibus Apostolicis, ad suam collationem pertinerent. « Sacra, etc., censuit, posse. » Cum tamen non eadem semper fuerit dictæ congregationis opinio, ac etiam in tribunali Rotæ aliqua fuerit super hoc sententiarum varietas, Summus Pontifex Urbanus VIII, in sua constitutione 165, quæ incipit *Quamvis fel. rec. Clemens Papa VIII*, confirmato prius Clementino decreto, declaravit, in illo non solum patriarchas, metropolitanos archiepiscopos et episcopos, verum etiam S. R. E. cardinales comprehensos fuisse, et esse; neque illis in vim Indultorum Apostolicorum licuisse, aut licere beneficia, tempore unionis affecta et reservata, seminario unire, nisi ad formam decretorum ejusdem Clementis VIII, uti copiosius legitur in dicta constitutione, relata etiam per extensum ab eodem Fagnano in cit. cap. *Sicut unire*, n. 49 et 50, De excess. prælator.

« Hæc itaque statuta ac definita habentur, pro eo quod pertinet ad unienda seminariis beneficia ecclesiastica Apostolicæ Sedi reservata, aut affecta : nec aliud quidquam hic addere necesse esset, nisi fel. rec. Pontifex Benedictus XIII, pro episcopis Italiæ et insularum adjacentium, constitutionem edidisset, quæ incipit *Creditæ nobis*, quæque ordine 27 exstat in Appendice ad concilium Romanum ab ipso habitum in basilica Lateranensi anno 1725. Per eam siquidem constitutionem prædictis episcopis jus tribuit uniendi seminario « Bene- « ficia simplicia cujuscunque qualitatis et « dignitatis fuerint, etiam jurispatronatus « ecclesiastici, vel quomodocunque affecta, « et dispositioni Sedis Apostolicæ reser- « vata, etc., fel. rec. Clementis VIII ac « Urbani pariter VIII, necnon aliorum quo- « rumcunque Romanorum Pontificum præ- « decessorum nostrorum constitutionibus « vel decretis, in contrarium facientibus, « non obstantibus, etc. » Quæ verba nonnullis Italiæ episcopis ansam dederunt, ut sibi tributam putarent facultatem uniendi seminario quælibet beneficia simplicia nondum vacantia, licet quocunque modo Sedi Apostolicæ affecta et reservata; sublatis nimirum de medio, per verba superius recitata, contrariis Clementis VIII et Urbani VIII decretis, in supra citatis eorum constitutionibus contentis. Verum advertendum est, præfatum Benedictum Pontificem in eadem constitutione *Creditæ nobis*, decrevisse, ut, antequam ad beneficiorum unionem procedatur, non solum statuta et imposita esse debeat taxa a concilio Tridentino præscripta, et quidem ad rationem saltem trium annuorum scutorum pro quolibet centenario fructuum; verum etiam, si hæc ad seminarii et clericorum in eo alendorum sustentationem satis non sit, ut eadem taxa usque ad summam quinque scutorum augeatur; et quidem cum approbatione congregationis ab ipso Pontifice super seminariis institutæ. Quod si in aliqua diœcesi, computatis omnibus seminarii proventibus, etiam illis, qui ex beneficiis antea unitis, aliisque reditibus eidem applicatis obveniunt, necnon ipsa taxa ad prædictam rationem aucta, non adhuc ejusdem seminarii et alumnorum necessariæ sustentationi sufficienter provisum esse constiterit; *tunc et eo casu, ac in subsidium tantum*, prædicta beneficia affecta, et Sedis Apostolicæ dispositioni reservata, non tamen jam vacantia, seminario uniantur. Ex quibus simul sumptis clare patet, episcopos Italiæ et adjacentium insularum, qui Benedictinam constitutionem exsequi, ac privilegio sibi per eam elargito uti velint, id agere minime posse, nisi cætera superius indicata præcesserint : quod et ex ipsa constitutione colligitur, et clarius etiam ex edicto ipsius Pontificis jussu publicato, et ad locorum ordinarios transmisso per organum cardinalis Corradini tunc prodatarii. » *De synod. diœces.*, lib. IX, cap. 7, num. 1 et seqq.

Digitized by Google

SENTENTIA.

SUMMARIUM.

1. Sententia unde dicatur? — 2. Sententia quid sit? — 3. Sententia est duplex, una definitiva et altera interlocutoria. — 4. Sententia definitiva quæ sit? — 5. Sententia interlocutoria quæ sit? — 6. Quare dicatur interlocutoria? — 7. Sententia interlocutoria subdividitur in mere interlocutoriam, et in interlocutoriam habentem vim definitivæ. — 8. Sententia mere interlocutoria quæ sit. — 9. Sententia interlocutoria habens vim definitivæ quæ sit? — 10. Exemplificatur sententia interlocutoria habens vim definitivæ. — 11. Assignatur prima differentia inter sententiam definitivam, et mere interlocutoriam. — 12. Assignatur secunda. — 13. Assignatur tertia. — 14. Assignatur quarta. — 15. Assignatur quinta. — 16. Adducitur ratio hujus quintæ differentiæ. — 17. Assignatur sexta differentia. — 18. Quibus autem in casibus et quibus de causis possit appellari tum a sententia definitiva, tum ab interlocutoria, tam de jure civili, quam canonico et conciliari? *remissive*. — 19. Antequam in judicio ordinario deveniatur a judice ad sententiam, debet prius a partibus fieri conclusio in causa. — 20. Secus autem in judicio summario, si ita videatur judici expedire. — 21. Conclusio in causa potest fieri tam oretenus, quam scripto. — 22. Adducitur consueta et vulgaris formula faciendi conclusionem in causa. — 23. Respectu judicis nunquam concluditur in causa. — 24. Quid faciendum, si una parte concludente in causa, altera pars nondum concludat? — 25. Facta a partibus conclusione in causa, debet, servatis ad rectam sententiam requisitis, ad ipsam proferendam procedere; dicta autem requisita, alia sunt, quæ respiciunt solemnitatem judicialem, et alia, quæ respiciunt ordinatam cognitionem causæ. — 26. Requisita prioris sunt: Primo quod sententia definitiva debeat in scriptis concipi, et per ipsum judicem, et non per alium recitari. — 27. Exceptis tamen episcopis et personis illustribus, quibus conceditur ob dignitatis prærogativam, quod sententiam a se latam per alios recitare possint. — 28. Secundo, requiritur, quod sententia proferatur a judice non stante vel ambulante, sed sedente pro tribunali in loco publico et consueto. — 29. Episcopus autem potest in quolibet loco suæ diœcesis non exempto, per se vel per alium pro tribunali sedere et sententiam ferre. — 30. Tertio, requiritur quod sententia feratur de die et non de nocte. — 31. Quarto, requiritur, quod sententia feratur die non feriato. — 32. Quinto, requiritur, quod judex citari faciat prò certa die utramque partem litigantium ad audiendam sententiam, idque vel trina citatione, vel saltem una peremptoria. — 33. Requisita posterioris generis sunt: Primo, quod sententia debet esse libello conformis. — 34. Secundo, requiritur, quod sententia sit certa. — 35. Tertio, requiritur, quod sententia non feratur sub conditione. — 36. Quarto, requiritur, quod sententia sit juri conformis. — 37. Sententia ferenda est intra tempus a jure præscriptum; quod tempus de jure civili in causis civilibus est triennium. — 38. In causis autem criminalibus est biennium. — 39. Secus autem est de jure canonico. — 40. Quid de novissimo jure civili Tridentini? — 41. Sententia definitiva regulariter transit in rem judicatam, si post decendium a sua prolatione non appelletur in ipsa. — 42. Item sententia definitiva transit in rem judicatam, quando inter decendium ab ea quidem appellatum est, postea tamen appellatio fuit deserta — 43. In aliquibus tamen causis sententia post decendium non transit in rem judicatam, et signanter sententia lata in causis matrimonialibus. — 44. Item sententia non transit in rem judicatam in causis beneficialibus. — 45. Item sententia non transit in rem judicatam in iis causis et casibus, in quibus ejus observantia nutrit peccatum de consensu partium non impedibile. — 46. Res judicata proprie sumpta quæ sit? — 47. Quandonam incipiat currere, et quomodo debeat currere decendium, post quod sententia transit in rem judicatam? *remissive*. — 48. Sententia inter aliquos lata non præjudicat, nec prodest aliis. — 49. In variis tamen causis sententia lata inter alios potest aliis nocere aut prodesse. Et signanter in causis connexis. — 50. Item in re individua, et pluribus communi. — 51. Idem in duobus casibus assignatis, in cap. *Quamvis* 25, De sentent. et re judicata. — 52. Item sententia lata contra unum nocet alteri, quando is actionem mandavit vel ratam habuit. — 53. In sententia victus victori in expensis est condemnandus. — 54. Et hoc procedit nedum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus. — 55. Non est tamen victus condemnandus in expensis, quando habuit justam causam litigandi. — 56. Quando autem quis censeatur habere justam causam litigandi : relinquitur arbitrio judicis. — 57. Judex non condemnans victum victori in expensis, quando istæ sive explicite sive implicite fuerunt petitæ, tenetur ipsas resarcire de suo. — 58. In eadem causa non potest ab eodem tertio appellari a sententia, quæ fuit bis confirmata. — 59. Et hoc procedit non solum in appellatione a definitiva, sed etiam ab interlocutoria. — 60. Imo hoc verificatur etiam in sententiis, quæ non transeunt in rem judicatam. — 61. Et hoc adeo verum est, ut nec Papa, nec alius princeps supremus possit potestate ordinaria per viam rescripti concedere, quod tertio appelletur ab eodem in eadem causa, quamvis possit per viam privilegii, et ex certa scientia hoc princeps supremus concedere. — 62. Posset tamen ab eodem appellari pluries, si pluries gravaretur super diversis articulis, licet in una eademque causa. — 63. In eadem causa, et super eodem articulo licet utrique parti collitigantium bis appellare successive. — 64. Is, contra quem in aliqua causa, sive civili, sive criminali, sive mista, sive in petitorio, sive in possessorio tres sententiæ conformes sunt latæ, admitti non debet ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicujus ex illis, vel ad excipiendum antequam hujusmodi sententiæ plene fuerint exsecutioni mandatæ. — 65. Et hoc procedit de tribus sententiis conformibus, sive definitivis, sive interlocutoriis. — 66. Item procedit de tribus sententiis conformibus in quavis causa, sive civili, sive criminali, sive mista. — 67. Cum hoc tamen, quod in causis criminalibus tres sententiæ conformes prius exsequi debent, antequam agatur de nullitate sententiarum, solum ubi agitur de pœnis, quæ post exsecutionem retractari adhuc possunt; secus autem ubi agitur de pœnis, quæ post exsecutionem rectractari amplius non possunt. — 68. Imo secundum multos hoc procedit etiam in causis civilibus. — 69. Ad hoc, ut tres sententiæ conformes debeant et possint exsequi, non obstante exceptione nullitatis, vel appellatione, debent esse latæ super eodem articulo, et non super diversis. — 70. Potest tamen aliquis tertius pro suo interesse opponere exceptionem nullitatis sententiæ, et impedire exsecutionem trium conformium, dummodo ille tertius nondum bis appellaverit, sed adhuc appellare possit a sententia, quæ illi nocet. — 71. Quænam sententiæ dicantur conformes? — 72. Non dicuntur tres sententiæ conformes, si duæ sententiæ sint latæ in principali, et tertia super desertione appellationis propositæ a duabus prædictis sententiis. — 73. Exsecutio sententiæ fieri debet regulariter ab judice, qui eam tulit; dummodo is sit judex ordinarius. — 74. Judex delegatus Papæ potest sententiam suam exsequi, et quidem usque ad an-

Digitized by Google

num. — 75. Item delegatus principis supremi potest suam sententiam exsequi. — 76. Delegatus ab inferiori magistratu probabilius non potest exsequi suam sententiam, sed debet exsecutionem deleganti remittere. — 77. Contrarium tamen docet glossa cum aliis. — 78. Post latam a judice sententiam definitivam, non est statim ipsa exsecutioni mandanda in actionibus, et causis civilibus, sed in actionibus realibus exspectandum est saltem per decem dies, priusquam exsecutio fiat, et in actionibus, et debitis personalibus exspectandum est per quadrimestre. — 79. Secus autem in causis et actionibus criminalibus.—80. Si condemnatus ad mortem nolit se disponere ad Christiane moriendum, sed mori velit desperatus et impœniteus, quid agendum?—81. Alia ad rem, *remissive*.—82. Affertur sententia Pilati condemnatoria D. N. J. C. — 83. Pro justa ferenda sententia debent judices esse instructi utroque jure civili et canonico. — 84. Unde currit adagium: Quod legista sine canonibus parum valet, canonista sine legibus nihil. — 85. Doctores minus in jure periti cadunt sub censura, quæ affertur. — 86. Vocantur non juris doctores, sed juris dolores; doctores necessitatis; doctores monetæ tonsæ; doctores, seu advocati Pilati, et quare? — 87. Sententia *equa* sine diphthongo, quæ dicatur? — 88. Affertur lepida responsio Bulgari Federico imperatori. Unde origo adagii, quod quilibet pertinax in sua singulari sententia ac opinione *Martinus* appelletur. — 89. Alia ad rem ad n. 133.

(1. Sententia dicitur a *sentiendo*; eo quod judex per eam quid super re proposita sentiat, declaret. (2. Unde sententia est judicialis decisio rei controversæ per pronuntiationem judicis rite factam, liti finem imponens. Est in re communis.

(3. Sententia est duplex, una definitiva et altera interlocutoria. *Communis.*

(4. Sententia definitiva est illa, quæ principalem causam seu controversiam in judicium deductam definit, eique finem imponit per absolutionem vel condemnationem. Sic desumitur ex l. 1, ff. *De re judicata*, et eam ita definit Glossa, in Clementin. unic., verb. *Definita*, De sequestr. possess.; abbas, ad Rubric. *De sentent. et re judicata*, n. 4; Hostiens., in *Summa*, n. 1, De sentent. et re judicata, et alii passim.

(5. Sententia interlocutoria est illa, quæ non super principali causa et controversia, sed super aliquo emergente vel incidente articulo inter principium et finem causæ fertur, ut v. gr. super dilationibus dandis vel testibus producendis, recitandis, examinandis, repellendis et similibus rebus incidenter in judicio se offerentibus. Sic Glossa, *loc. cit.*; abbas, *loc. cit.*; Hostiens., *loc. cit.*, et est in re communis, et dicitur *interlocutoria*, vel quia judex in ista sententia causam non definit, sed interloquitur inter principium et finem: vel quia inter partes loquendo sine solemnitate scripturæ pronuntiat; ut ex multis a se citatis tenet Fagn., in cap. *Super*, De appell. n. 39.

(6. Unde quidquid judex decernit et statuit inter principium, et finem litis contestatæ ante sententiam definitivam pertinens ad ipsam litem contestatam, dicitur sententia interlocutoria. Sic in re communis doctorum.

(7. Sententia interlocutoria subdividitur in mere interlocutoriam, et in interlocutoriam habentem vim definitivæ. *Communis.* (8. Sententia mere interlocutoria est illa mox definita. *Communis.* (9. Sententia vero interlocutoria habens vim definitivæ est illa, quæ quidem causam principalem non definit, eam tamen ferme perimit, ut deducitur ex l. *Post sententiam* 6, codic. *De sententiis et interlocutionibus omnium judic.*, ubi dicitur: « Nec causam ullam interlocu« tiones plerumque perimunt: » dicitur enim notanter *plerumque*, quia interlocutio aliquando rem firme perimit, ut ex aliis notat Reiffenstuel, lib. II *Decretal.*, tit. 27, § num. 17. (10. Et proinde talis sententia interlocutoria dicitur habere vim sententiæ definitivæ, ut est omnis illa sententia, postquam non speratur alia sententia ferenda in eadem instantia, eo quod ipsi finem imponat, ut sententia absolutoria ab observatione judicii. Sic etiam sententia per quam pronuntiatur appellationem esse desertam, quia per talem quoque sententiam finitur instantia; vel per quam alicui mulcta imponitur; vel præcipitur aliquid esse dandum aut faciendum; vel per quam finitur officium judicis, ut si judex interloquendo pronuntiet, se non esse judicem competentem; vel per quam definitur unus articulus substantialis controversiæ principalis; vel per quam admittitur seu rejicitur exceptio peremptoria, et aliæ similes, ut videri possunt apud Felinum, in *Rubric.*, De sentent. et re judicata; Pirrhing, lib. II *Decretal.*, tit. 27; Reiffenstuel, *ibidem*, et alios passim.

(11. Inter sententiam definitivam et mere interlocutoriam plures dantur differentiæ. Et prima est, quod sententia definitiva non potest fieri nisi servato substantiali ordine judiciario, aliter est nulla. Interlocutoria autem potest fieri sine ullo servato ordine judiciario, cum de sua natura petat ferri solum super aliquo emergente seu contingente articulo, circa quem interloquitur judex, dum conficit processum, servato ordine judiciario quoad sententiam definitivam. Scaccia, tract. *De sentent. et re judicata*, gloss. 14, q. 4, n. 20; Maranta, par. VI *Speculi aurei*, tit. De sententia, n. 31; Pirrhing, lib. II *Decret.*, tit. 27, num. 1, vers. *Porro*.

(12. Secunda differentia est, quod sententia definitiva non valet, nisi feratur in scriptis et ex scripto recitetur. L. *Statutis* 3, cod. *De sententiis ex periculo recitandis*, et cap. ultim. *De sentent. et re judic.* in 6. Interlocutoria autem potest ferri sine scriptis, quamvis postea debeat redigi in scriptis, ut appareat de ipsa ex actis. Glossa, in cit. cap. ultim., verb. *Definitiva*, De sentent. et re judicat. in 6, et alia Glossa, in c. *Quoniam contra*, verb. *Interlocutiones*, De probationib.; Maranta, *loco cit.*, n. 1, vers. *Porro*; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 29, et alii communiter.

(13. Tertia differentia est, quod sententia definitiva non potest ferri, nisi judice pro

Digitized by Google

tribunali sedente. L. *Cum sententiam* 6, cod. *De sententia et interlocut. omn.* judic., et nisi partibus præsentibus, aut saltem legitime citatis, et contumaciter absentibus. L. *Ea quæ* 7, et l. *Consentaneum* 8, cod. *Quomodo et quando judex*, etc. Secus autem est dicendum de sententia interlocutoria : ista enim potest proferri etiam parte absente, ac per nuntium. vel epistolam. L. *Diem proferre* 27, ff. *De receptis arbitr.*, ubi Bartolus, in *Summario ;* Gloss., in l. *Nec quidquam*, verb. *Decretum*, ff. *De offic. proconsul. ;* Maranta, *loco cit.*, n. 1 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 30; Franciscus de Acceptantibus, tract. *De sententia definitiva et interlocutoria*, num. 8 et 10, et alii.

(14. Quarta differentia est, quod sententia definitiva determinat controversiam principalem deductam in judicium, ut patet ex ejus definitione tradita *supra* n. 4. Unde debet continere absolutionem, vel condemnationem, aliter non valet. L. *Res judicata* 1, et l. *Præses* 27, ff. *De re judicata ;* Scaccia, *loc. cit.*, n. 1 ; Maranta, *loc. cit.*, nu. 3 ; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 27 ; Speculator, tit. *De sententia*, § *Species*, n. 3, et alii ; interlocutoria autem non determinat, neque definit causam principalem, sed determinat solum articulos emergentes et incidentes inter principium et finem controversiæ principalis, ut liquet ex ejus definitione tradita *supra* num. 5, et tenet communis doctorum.

(15. Quinta differentia est, quod sententia definitiva semel a judice prolata ordinarie non potest ab eodem revocari. L. *Hac lege* 2, cod. *De sententiis ex periculo recitand.*, et leg. *Judex* 55, ff. *De re judicata ;* et cap. *Quod bene* 6, quæst. 4, et cap. *In litteris* 9, De offic. delegat. Interlocutoria autem potest a judice revocari ante subsecutam sententiam definitivam, leg. *Quod jussit* 14, ff. *De re judicata*, ubi summarium ex Bartolo sic ait : « Judex potest suam sententiam interlocutoriam revocare, sed non definitivam. » (16. Et ratio hujus differentiæ est, quia *judex postquam semel dixit sententiam* (definitivam), *judex esse desinit.* « Et hoc jure utimur, ut judex, qui semel, vel pluris, vel minoris condemnavit, amplius corrigere sententiam suam non possit, semel enim male seu bene officio functus est ; » ut expresse dicitur in citat. l. *Judex ;* postquam autem dedit sententiam solum interlocutoriam, adhuc remanet judex in eadem causa, donec eam totaliter terminet per sententiam definitivam, cum quoad eum nondum transierit in rem judicatam. Cit. leg. *Quod jussit* 14, ff. *De re judicata.*

(17. Sexta differentia est, quod a sententia definitiva regulariter appellari potest ; secus autem ab interlocutoria, nisi habeat vim definitivæ, aut contineat damnum irreparabile. Leg. *Ante sententiæ tempus* 7, cod. *Quorum appellationes non recipiuntur*, juncta Glossa, verb. *Discussores.* Et habetur expresse a concilio *Trident.*, sess. XXIV *De reform.*, cap. 20, ubi sic decernit : « Neque appellationes ab eisdem (ordinariis locorum) interpositæ per superiores quoscunque recipiantur, nisi a definitiva, vel a diffinitivæ vim habente, et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. » Et de hoc ipso adest *declaratio sacræ cong. Episcop.*, *die* 16 *Octobris* 1600, *edita et a Clemente VIII approbata*, quæ per extensum una cum aliis novissimis decretis refert sub verb. *Appellatio*, art. 3, a n. 27 usque in finem. Vide, *ibid.*

(18. Quibus autem in casibus, et quibus de causis possit appellari, tum a sententia definitiva, tum ab interlocutoria, tam de jure civili quam canonico et conciliari ? *Vide* verb. APPELLATIO, art. 4 per tot, ubi fuse de omnibus.

(19. Antequam in judicio ordinario deveniatur a judice ad sententiam, debet prius a partibus fieri *conclusio in causa.* Sic expresse habetur in cap. *Judicantem* 30, quæst. 5, ibi : « Judicantem oportet cuncta, etc. Nec litigantibus judex prius velit sua sententia obviare ; nisi quando ipsi jam peractis omnibus, nihil habeant in quæstione, quod proponant. Engel. lib. II *Decretal.*, tit. 27, num. 1 ; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 46 ; Vallensis, *ibidem*, § 3, n. 1, et alii passim.

(20. Dicitur autem notanter *in judicio ordinario*, quia in judicio summario, ubi simpliciter et de plano proceditur, potest a judice proferri sententia, etiam conclusione a partibus non facta, si ita ei videbitur expedire, textu expresso in Clementina *Sæpe contingit*, § *Sententiam*, De verb. significat. in 6, ibi : « Sententiam vero definitivam (citatis ad id, licet non peremptorie, partibus) stans, vel sedens proferat, etiam (si ei videbitur) conclusione non facta, prout ex petitione et probatione, et aliis actitatis in causa fuerit faciendum. »

(21. Conclusio in causa potest fieri tam oretenus, quam scripto, cum nulla certa solemnitas sit ad id a jure præscripta. Imo non solum expresse, sed etiam tacite potest fieri conclusio in causa, si videlicet partes nulla facta formali renuntiatione ulteriorum probationum, simpliciter a probationibus desistant, et a judice sententiam postulent. *Communis.*

(22. Consueta autem et vulgaris formula faciendi conclusionem in causa est, quod partes in ultima sua scriptura adjungant, quod « hisce in causa concludere, et se ad sententiam submittere velint. « Et hæc conclusio in causa solet interdum fieri *conditionate*, vel protestando, quod non aliter intendat quis in causa concludere, quam etiam adversarius concluserit, et in sua scriptura nihil novi posuerit, vel conclusioni suæ adjiciendo expresse hanc conditionem : « Nisi novæ probationes, vel novæ instrumenta reperiantur. » Et revera hanc adjicere conditionem sæpe expedit, cum aliquin postquam a partibus in causa conclusum pure et absolute fuit ante sententiam, nulla admittatur nova exceptio vel probatio. Cap. *Cum venisset* 25, et cap. *De testibus* 29, cap. *Cum dilectus* 9, De fide instrumentor. Unde Mascard., *De probationib.*, quæst. 17 procem.

Digitized by Google

n. 44, sic expresse dicit: « Conclusio in causa partibus os obstruit et claudit, ut probationibus nullus amplius relinquatur locus. »

(23. Respectu judicis tamen nunquam concluditur in causa : unde ipse judex, si sibi justum et æquum visum fuerit, poterit etiam post conclusionem in causa factam a partibus novas probationes admittere, textu expresso in cap. *Pastoralis* 5, § penult. et ult. *De causæ possess.* Imo ipse judex post conclusionem in causa potest ex suo officio partes examinare, testes interrogare ac recipere pro informatione, et ulteriorem probationem ipsis partibus injungere. Cit. cap. *Cum Joannes* 10, § *Ad hoc autem*, De fide instrum.; Fagnan., in cap. *Qualiter*, leg. 2, n. 67, *De accusat.*; Gailus, lib. 1 *Practic. observat.* 106, n. 5; Jason, in *Repetit. leg. Admonendi*, num. 62, ff. *De jurejurand.*; Farinac., *De testibus*, q. 75, n. 266, et alii apud ipsos.

(24. Si una parte concludente in causa, altera pars sese adhuc aliquid addendum habere asserat, est ei statuendus a judice competens terminus ad id addendum et allegandum, et in causa concludendum, et ne lites malitiose nimis in longum protrahantur, concedendæ ei sunt tres solum successivæ dilationes, seu prorogationes, quarum singulæ continent triginta dies, quibus elapsis, judex non amplius exspectare, sed sententiam legibus et moribus, seu consuetudini consonantem proferre debet, textu expresso in authent. *Jubemus*, cod. *De judiciis*, ibi : « Jubemus, ut si quando una pars allegationibus suis renuntiaverit, alia vero pars se habere quod proponat, dixerit, judex negotii modis omnibus eam partem, quæ utitur dilatione, compellat intra triginta dies, postquam altera pars allegationibus renuntiaverit, quidquid velit sine aliqua intermissione proponere. Quod si non fecerit, tunc ad ejus malitiam superandam alius mensis indulgeatur a judice. Si vero adhuc distulerit, alterius mensis dilatio ei præbeatur, ita ut, si usque ad prædictos tres menses suas non proposuerit allegationes, causæ cognitor non amplius exspectans, sententiam omnibus modis, legibus et moribus consonantem proferat, vel si voluerit, referat, ne litigatoribus male tractantibus liceat causarum exitus ultra protrahere. » Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 53; Vallensis, *loc. cit.* § 3, num. 1; Engel., *loc. cit.*, num. 1, et alii passim.

(25. Facta a partibus conclusione in causa, debet judex, servatis ad rectam sententiam requisitis, ad ipsam proferendam procedere; requisita autem ad rectam sententiam definitivam, quæ proprie et absolute nomen sententiæ meretur, et de qua hic est sermo, alia sunt, quæ respiciunt solemnitatem judicialem, seu modum, quo ipsa solemniter est promulganda, et alia, quæ concernunt ipsam ordinatam cognitionem causæ. Engel, *loc. cit.*, num. 6; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 57, et communis aliorum.

(26. Requisita prioris generis, nempe quæ respiciunt solemnitatem judicialem, sunt, quod sententia definitiva debeat in scriptis concipi, et per ipsum judicem, et non per alium recitari. Leg. *Arbitri* 1, et leg. *Hac lege* 2, cod. *De sententiis ex periculo recitandis*, et cap. *Etsi sententia* 5, De sentent. et re judicat. in 6. (27. Exceptis tamen episcopis et personis illustribus, quibus conceditur ob dignitatis prærogativam, quod sententiam a se latam per alios recitare possint. Leg. *Hac lege* 2, cod. *De sentent. ex periculo recitand.*, et cit. cap. *Etsi sententia*. (28. Item, quod sententia proferatur a judice non stante vel ambulante, sed sedente pro tribunali, cit. cap. *Etsi sententia* 6, sive in loco publico, ubi, antecessores sui jus reddere consueverunt. Leg. *Cum sententia* 6, cod. *De sententia et interloc. omn. judic.*, et leg. penult., ff. *De justit. et jur.* (29. Episcopus etiam potest in quolibet loco suæ diœcesis non exempto per se vel per alium pro tribunali sedere, et sententiam ferre Cap. *Cum episcopus* 7, De offic. ordinar. in 6. Sicuti et judex delegatus ad aliquam causam particularem potest jurisdicendi causa eligere quemcunque sibi benevisum, honestum locum, cum ipse certam sedem deputatam non habeat. L. *Si cum dies*, § *Si arbiter*, ff. *De recept. arb.*

* Id scilicet introductum est, quo major foret judicii fides. Igitur discusso utriusque negotio, judices deliberaturi secedebant post *Velum* in eum locum, qui *secretarium* judicis dicebatur, ubi formatam emendatamque sententiam actuario dictabant; mox statim in auditorio partibus præsentibus recitabant ex libello. Hujus moris necessitatem confirmant Valens, Valentinianus et Gratianus, in l. 11, cod. *De sent. ex peric. recit.* Jure Novellarum in litibus parvi momenti, maxime inter viles personas, judex potest absque scripto pronuntiare. Novell. 17, cap. 3. Hoc quoque remittitur episcopis, cum ipsi cognoscunt, ut præter jura a nostro auctore allegata definivit Justinianus, in novell. 83 in princ. Rursus ad modum, quo sententia ferri debet, illud quoque pertinet, quod decreta a prætoribus Latine interponi debent. L. 48, ff. *De re judic.**.

(30. Item quod sententia feratur, de die et non de nocte. Cap. *Consuluit* 24, De offic. delegat.

(31. Item quod sententia feratur die non feriato. Cap. *Omnes dies* 1, et cap. *Conquestus* 5, de Feriis*, nisi partibus consentientibus eo die sententia feratur. L. 4, cod. *Quomodo et quando judex*. Item si judex sic datus est, ut certa die judicaret, sententia alia die lata injusta erit. L. 6, cod. *Quando provocare.** Qui autem et quot sint dies feriati? *Vide* verb. JUDICIUM. Item quod judex citari faciat pro certa die utramque partem litigantium ad audiendam sententiam; idque vel trina citatione vel saltem una peremptoria. Leg. *Ea quæ* 7, leg. *Consentaneum* 8, cod. *Quomodo et quando judex sententiam proferre*, etc., et leg. *De unoquoque* 47, ff. *De rejudicata*; (32. Si autem aliqua pars legitime citata fuerit contumax, et

Digitized by Google

cessante justo impedimento, noluerit comparere, poterit judex nihilominus procedere ad sententiam, cum legitime citati, et contumaciter absentes habeantur pro præsentibus, Leg. *Properandum*, 13, § 3, ff. *De judiciis*, atque eorum contumacia litis damno coerceatur. Leg. *Contumacia* 53, ff. *De re judicata*, ibi : « Contumacia eorum, qui jus dicenti non obtemperant, litis damno coercetur : contumax est, qui tribus edictis propositis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, litteris evocatus, præsentiam sui facere contemnet. »

* Non modo ratione diei, verum etiam ratione loci injusta esse potest sententia si non publice, et in loco majorum feratur. L. 6, cod. *De sent. et interlocut.* Item si certus locus ferendæ sententiæ designatus sit, alibi prolata nullius roboris est, l. 5, cod. *Quomodo et quando judex**.

(33. Requisita posterioris generis, nempe quæ concernunt ipsam ordinatam causæ cognitionem, sunt quod sententia debet esse *Libello conformis*, id est conformis scripturæ actoris, petitionem, et ejus causam continenti. L. *Ut fundus* 18, ff. *Communi dividundo*, c. *Qualiter et quando* 25 circa finem, De accusationibus, et Clementin. *Sæpe contingit*, De verb. significat., ibi : « Verum quia juxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet. » Et Glossa, *ibidem*, verb. *Formam*, ubi allegat alia jura.

* Quamvis nihil referat, qua verborum conceptione utatur judex in condemnando vel absolvendo, l. 59, ff. *De re judic.*, debet tamen sententia, si definitiva sit, essentialiter continere vel condemnationem vel absolutionem, l. 3, l. 11, cod. *De sent. et interlocut.* Ea pariter irrita est judicis pronuntiatio, per quam mandetur partibus, ut ad invicem paciscantur. L. 7, cod. eod. Judex respondere debet de jure, non jubere concordiam, quam si voluissent, non adivissent judicem. Non prohibetur tamen judici, quominus suadeat partibus, ut ineant concordiam, ut interdum contigisse apparet in sacræ Rotæ tribunali, a quo pluries rescriptum fuit in causis maxime dubiis, *placere de concordia*, quin tamen partes ad concordiam adigeret *.

(34. Item, quod sententia sit certa, id est per eam res, vel quantitas determinetur; non enim sufficit dicere : *Solve quod debes ;* sed quantitas ipsa rei debitæ est exprimenda, § *Curare* 32, Instit. *De actionibus*, ibi : « Curare autem debet judex, ut omnino, quantum possibile ei sit, certæ pecuniæ, vel rei sententiam ferat, etiamsi de incerta quantitate apud eum actum est. » Et Glossa, *ibid.*, *Possibile ;* leg. *Hæc sententia* 8, et leg. *Hæc sententia* 4, cod. *De sententia, quæ sine certa quantitate profertur.*

* Nota tamen, quod incerta dici nequit, et proinde injusta dici nequit ea sententia, quæ certam quantitatem, aut certam rem non contineat, dummodo tamen relationem habeat ad aliquid, quod determinat id, quod in sententia continetur. Hujus rei exempla habes in l. 5, § 1, l. 59, § 1, ff. *De re judic.*, l. 1 et 2, cod. *De sent. quæ sine certa.*

(35. Item, quod sententia non feratur sub conditione, dicendo, v. g. *condemno te si actor probaverit*, sed debet continere puram absolutionem vel condemnationem. Leg. 1, § *Biduum*, ff. *Quando appellandum sit*, ibi : « Sane quidem non est dicenda sub conditione sententia. » Et ratio est clara, quia ut expresse habetur in leg. *Præses* 3, cod. *De sententiis et interlocutionib. omn. judic. :* « Præses provinciæ non ignorat, definitivam sententiam, quæ condemnationem vel absolutionem non continet, pro justa non haberi. »

* Item pro injusta haberi debet ea sententia, quæ aliquod impossibile præceptum continet, a qua ideo etiam sine causa appellatur. L. 3 in prin., et § 6, ff. *Quæ sent. sin. appel.* *.

(36. Item sententia debet esse juri conformis. Leg. *Si cum inter te*, cod. *Quando provocare non est necesse*, leg. *Si expressim*, ff. *De appellationibus*, cum similibus, et cap. *Sententiam* 1, De sententia et re judicata, ubi sic expresse habetur : « Sententia contra leges canonesque prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure. »

* Multo magis injusta censenda est ea sententia, per quam definitur leges non esse observandas, per text. in l. 27 et l. 32, ff. *De re judic.* Possunt tamen contingere casus, in quibus videri queat, per sententiam leges tolli, et tunc hujusmodi sententia in suspenso manere debet per appellationem. Hujusmodi sententiarum exemplum habes in l. 1, § 4, ff. *Quæ sent. sine appell.*, quæ lex, cum aliquantisper obscura sit, non sine interprete videnda *.

(37. Sententia ferenda est intra tempus a jure præscriptum, quod tempus de jure civili in causis civilibus (exceptis causis fiscalibus, et publicarum functionum) est triennium; causæ enim civiles debent terminari intra triennium a tempore litis contestatæ numerandum, ne lites fiant pene immortales, textu expresso in leg. *Properandum* 12.

(38. § 1, cod. *De judiciis*. In causis autem criminalibus est biennium; causæ criminales intra duos annos pariter a contestatione litis computandos, terminandæ sunt, textu expresso in leg. *Criminales causas* 3, cod. *Ut intra certum tempus criminalis quæstio terminetur*, ibi : « Criminales causas intra duos annos a contestatione litis connumerandos, finiri censemus, nec ulla alia occasione ad ampliora produci tempora, sed post biennii excessum minime ulterius lite durante accusatum absolvi. » Unde ex citatis juribus aliisque consimilibus stat clarum ; quod de jure civili perimitur instantia judicii ex lapsu triennii in civilibus, si causa intra præfatum tempus a litis contestatione computandum, non finiatur, et a judice non proferatur definitiva sententia.

(39. Secus autem est de jure canonico, ut

Digitized by Google

clare patet ex cap. *Venerabilis* 20, De judiciis; ubi summus Pontifex Honorius III expresse mandat judici a se delegato, ut lapsu triennii non obstante, procedat in causa sibi commissa. Et notat Glossa, *ibid.*, verb. *Non obstante;* abbas, num. 6; Barbosa, num. 2, cum pluribus aliis ibi citatis. Et ratio est, quia, ut inquit abbas, *loco cit.* Jus civile quoad propositum, non fuit moribus receptum in foro ecclesiastico. Sic enim jam antea in cap. *Cum olim* 14, § *Judiciis*, De privilegiis, legitur factam esse condemnationem in expensis per quadriennium, quo judicium duravit, et in cap. *Tum ex litteris* 5, De in integrum restitut., lis duravit longe ultra triennium, prout declarat Glossa, *ibid.*, verb. *Sententia.*

(40. Novissimo tamen jure concilii *Tridentini*, sess. XXIV, cap. 20, *De reformat.*, statutum est, quod omnes causæ ad forum ecclesiasticum spectantes, in prima instantia saltem infra biennium a die motæ litis terminentur; alioquin vero liceat partibus competentes judices superiores adire.

(41.* Hactenus de requisitis tum intrinsecis, tum extrinsecis, sententiarum; sed de judicum, et litigantium personis nec quidem verbum factum est, ideo de his quoque nonnulla breviter indicanda. Quoad judicis personam generaliter statuendum est, ut is, qui neque jurisdictioni præest, neque ab eo, qui jus dandorum judicum habet, datus est, nec ex compromisso sumptus, vel ex aliqua lege confirmatus est, judex esse non potuit. » L. 81, ff. *De judiciis.* Sed nec cujusvis magistratus, qui alicui jurisdictioni præsit, aut judicis ab eo dati, sententia justa erit, sed ejus demum, qui inter litigatores, et de causa de qua litigatum est, fuerit competens. L. 4, cod. *Si a non compet. judic.* Sic exempli gratia cum magistratus militares, puta magistri peditum aut equitum, nullam in privatæ conditionis homines jurisdictionem habeant. L. 1 et 2, cod. *De offic. milit. judic.*, ita nec in privatorum causis judices dare possunt. L. 2, cod. eod. l. 23, § 1, ff. *De appellat.* Qui vero judices competentes sint, jam alibi ostensum est. Judici incompetenti similis est, qui in judicando fines suæ jurisdictionis excessit, puta multam sua jurisdictione majorem dixit. L. 5, cod. *Quando provoc. non est necesse.*

(42. Cum a judice dato sententia lata est, non solum hoc requiritur, ut magistratus, qui eum dedit, fuerit competens, sed item requiritur, ut is judex datus fuerit, qui judex esse possit. Item ut delegationis suæ fines non excesserit. L. 170, sive ut alii legunt. L. 130, ff. *De reg. jur.* Hinc *judex ad certam rem datus*, si de aliis pronuntiavit, quam quod ad eam rem pertinet, nihil egit. L. 1, cod. *Si a non compet. judic.* Cæterum quamvis formula, qua delegatur judex, condemnationis duntaxat mentionem facere soleat, tamen et absolvendi, si ita videbitur, facultas ei delegata intelligitur. L. 3, ff. *De re judic.*, l. 37, ff. *De reg. jur.* Similiter videntur fines delegationis suæ excessisse illi judices, qui, dum plures dati sunt, absentibus aliis, judicium diverunt. L. 4, cod. *Quando provocare*, l. 36, l. 37, l. 39, ff. *De re judicat.* Non tamen necesse est, ut omnes in eamdem sententiam conveniant, dummodo omnes absint, et major pars conveniant. Diximus, modo omnes judices adfuerint, quod ex majoris partis sententia statutum est, valere: quamvis quidam aut juraverint de causa sibi non liquere, aut etiam contra senserint. At inter pares numero judices, si dissonæ sententiæ proferantur, in liberalibus quidem causis, inter quas nunc recenseri possent causæ fideicommissariæ. et super legitimitate personarum, pro libertate statutum obtinet, in aliis autem causis pro eo quod et in judiciis publicis obtinere oportet. L. 38, ff. *De re judic.* Enim vero favorabiliores rei, quam actores habentur. L. 125, alias 167, ff. *De reg. jur.* Hinc cum quis querela inofficiosi experitur, si pars judicantium de inofficioso testamento contra testamentum, pars vero secundum id sententiam dederit, quod interdum fieri solet, humanius erit sequi ejus partis sententiam, quæ secundum testamentum spectavit, nisi aperte judices inique secundum scriptum hæredem pronuntiasse appareat. L. 10, ff. *De inoffic. test.* Si duo judices opositas pronuntient sententias, utraque in pendenti est, donec judex competens suum ferat judicium. Sed si diversis summis condemnent; tunc minima pendenda est. L. 28, et l. 38, § 1, ff. *De re judic.*, et ratio est, quia minor summa in majori quoque continetur; et ideo in hanc omnes conveniunt. L. 27, § 3, ff. *De receptis.*

(43. Hactenus de personis judicum, nunc videndum de personis litigantium, circa quas id maxime requiritur, ut fuerint in humanis tempore latæ sententiæ, vel judicis dati. Nam contra defunctos nullum valet judicium. L. 2, ff. *Quæ senten. sine appell.*, l. 2, § 1, et l. 59, § fin., ff. *De re judic.* Illud quoque requiritur, ut inter eas personas sententia lata sit, quæ rem in judicium deduxerint. L. 1, cod. *De sentent. et interlocut.* Item oportet, ut inter eas personas lata sit, quæ stare in judicio possunt, vel non, vidimus supra de judiciis. Si minor condemnetur, requiritur, ut sit defensus; alias sine tutore vel curatore illi dato nulla erit sententia l. 45, § 2, ff. *De re jud.* Quod dicimus de minoribus, obtinet etiam de republica, et civitatibus l. 1, cod. *De jur. reipubl. et de furiosis*, l. 9, ff. *De re judic.*

(44. Denique requiritur ut omnes, quorum interest, adsint, dum judicium profertur, ut supra notavit auctor, et statuit. L. 47, ff. *De re judic.* Sed si quis litem contestatus sit cum pluribus, quorum alii adsint, alii absint, et causa dividi possit, potest judex de causa præsentium judicare l. 45. ff. *De judic.* Ut vero etiam contra absentes judicium ferri possit, requiritur, ut si præcedant denuntiationes et denuntiatus non responderit, tunc enim condemnatur per contumaciam. L. cod. *Quomodo et quando judic.* Hoc excepto casu nunquam contra absentem lata sententia valet, at valet si ip-

Digitized by Google

sius favore prolata sit. L. 19, ad leg. Jul., *De adult.*

(45. Antequam ad res judicatas transeamus, videndum primo, quæ, et quorum judicum sententiæ rem judicatam faciant. Non enim omnes sententiæ in rem judicatam transeunt, sed « res judicatæ videntur ab his, qui imperium potestatemque habent, vel qui ex auctoritate eorum inter partes dantur, itemque a magistratibus municipalibus usque ad summam, de qua jus dicere possunt, itemque ab his, qui ab imperatore extra ordinem petuntur. » Ita docet Paulus, *Recep. sent.* 5, § 1, et prosequitur ad alias sententias, quæ rem judicatam non faciunt ibidem. Ex compromisso autem judex sumptus rem judicatam non facit, sed si pœna inter eos promissa sit, pœna rei in judicium deductæ ex stipulatu peti potest. Quidquid illi, quos enumeravimus, definitive pronuntiaverunt, potuerint; quæ autem sint personæ, quæ in judicio stare seu statuerunt, si nullo formæ vitio laboret, rem judicatam facit *.

(46. Tunc vero demum sententia definitiva regulariter transit in rem judicatam, si post decendium seu infra decem a sua prolatione non appelletur ab ipsa, adeo ut postea retractari non possit, et contradicere volens amplius non audiatur. *Communis* textu expresso in authent. *Hodie;* juncta Glossa, *ibidem*, cod. *De appellat.*, et cap. *Anteriorum* 28, caus. 2, qu. 6, ubi revocato biduo vel triduo antiquitus ad appellandum duntaxat concesso, sic expresse statuitur: « Sancimus omnes appellationes, sive per defensores, vel curatores, et tutores ventilentur, posse intra decem dierum spatium a recitatione sententiæ numerandum, judicibus, ab his, quorum interest, afferri, » et clarissime in ejus summario: « Infra decem dies remedium appellationis conceditur; » et expresse habetur in cap. *Quod ad consultationem* 15, De senten. et re judicata, ibi: « Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit, cum per hoc videatur per interpretationem juris latæ sententiæ paruisse. »

(47. Item sententia definitiva transit in rem judicatam, quando inter decendium ab ea quidem appellatum est; postea tamen appellatio fuit deserta, textu expresso in authent. *Ei, qui appellat*, cod. *De temporibus et reparationibus appellationum*, ibi: « Ei, qui appellat, impertitur annus, intra quem secundum se, communiterve cum adversario litem exsequatur, aut si justa causa intercesserit, alius annus indulgeatur, quo transacto, lite non completa, rata manet sententia; » ac si non fuisset appellatum, subjungit Glossa, *ib.*, vers. *Manet.*

(48. In aliquibus tamen causis sententia post decendium non transit in rem judicatam, et signanter sententia lata in causis matrimonialibus, quæ revocantur, quandocunque constat de errore. *Communis*, textu expresso in cap. *Lator* 7, De sententia et re judicata.

(49. Item sententia non transit in rem judicatam in beneficialibus, argumento a simili desumpto ex matrimonio carnali ad spirituale, juxta cap. *Inter corporalia* 2, De translation. episcop., et tenent abbas, in cap. *Cum dilectus*, n. 3, De election.; Maranta, part VI *Speculi aurei*, tit. *De sententia*, num. 150; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 123, et alii. Qui tamen istud intelligunt quod præjudicium superioris, per text. in cap. *Cum Bertoldus* 18, De sententia et re judicata. Secus quoad præjudicium ipsarum partium, ut tenet etiam Glossa, in cap. 1, *De concessione præbendæ.*

(50. Item sententia non transit in rem judicatam in iis causis et casibus in quibus ejus observantia nutrit peccatum de consensu partium non impedibile. Arg. cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine, et cap. *Quoniam omne* 20, De præscription., cum similibus, et docent Glossa final. in cap. *Inter monasterium*, De sentent. et re judicata; Innocent., *ib.*, in fine; Maranta, *loc. cit.*, num. 147; abbas, in cap. *Lator* 7, De sentent. et re judicat., n. 9; Hostiens. et Joannes Andreas, *ib.*, n. 5; Pirrhing, lib. II *Decret.*, tit. 27, num. 49; Reiffenstuel., *ibid.*, n. 125, et alii passim. V. *Addit. Cas.* in fine.

(51. Res autem judicata proprie sumpta dicitur sententia, quæ post lapsum decem dierum accepit auctoritatem, et vires rei judicatæ; adeo ut pro veritate accipiatur, et postea retractari non possit, et quicunque velit contradicere, non audiatur. Unde in l. *Res judicata* 207, De reg. juris, sic expresse dicitur: « Res judicata pro veritate accipitur. »

(52. Quandonam vero incipiat currere, et quomodo debeat currere dictum decendium, post quod sententia transit in rem judicatam? *Vide* verb. APPELLATIO, art. 8, n. 6, 7, 8.

(53. Sententia inter aliquos lata nec præjudicat, nec prodest aliis. *Communis*, textu expresso in l. *Res inter alios judicatæ* 2, cod. *Quibus res judicata non nocet*, ibi: « Res inter alios judicatæ neque emolumentum afferre his, qui in judicio non interfuerunt, neque præjudicium solent irrogare. » Et concordant l. *Si neque* 1, l. *Juris manifestissimi* 3, l. *Nec in simili* 4, cod. eod. l. *Inter alios res gestas* 1, l. *Inter alios factam* 2, l. *Si cum fratre* 3, cod. *Inter alios acta vel judicata aliis non nocere*, l. *Sæpe constitutum est* 63, ff. *De re judicata et de effectu sententiar. et de interlocutionib.*, cap. *Inter delictos* 6, § *In omnibus*, De fide instrumentor., ibi: « Cum ipsa sententia lata fuerit inter alios, et res inter alios acta aliis non præjudicet, » cap. *Cum super* 17, De sententia et re judicata, in fine, ibi: « Cum res inter alios acta non noceat regulariter aliis juxta constitutiones canonicas et civiles, cap. *Quamvis* 25, eod. tit., ibi: « Quamvis regulariter aliis non noceat res inter alios judicata. »

(54. In variis tamen causis sententia lata

Digitized by Google

inter alios potest aliis nocere aut prodesse. Et signanter in causis connexis, ut colligitur clare ex cap. *Tantis Daniel* 3, dist. 81, ubi sententia lata contra indigne ordinatum præjudicat ordinanti, ut recte notat Glossa, *ibid.* in fine. Et concordat cap. *Ad petitionem* 22, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Per consequentiam*, De accusationib., cap. *Hæc quippe* 10, caus. 3, qu. 6, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *His amotis*.

(55. Item in re individua et pluribus communi; tunc enim *victoria unius aliis proderit*, ut statuitur in l. *Loci* 4, § 3, ff. *Si servitus vindicetur*, ubi est sermo de servitute itineris, respectu cujus competit actio pluribus in solidum, et concordat cap. *Una sententia* 72, De appellat., ubi sic expresse habetur: « Una sententia pluribus condemnatis, si unus solus ad appellationis beneficium convolaverit, illius victoria jure communi cæteris suffragatur, si communi jure juventur, idemque negotium, et eadem causa defensionis exsistat. »

(56. Item in duobus casibus assignatis in cap. *Quamvis* 25, De sententia et re judicata, ibi: « Quamvis regulariter alii non noceat res inter alios judicata. Ei tamen, cui cum sibi primum de ea re actio vel defensio competebat, sustinuit sequentem agere: at illi etiam, qui passus est eum, a quo causam habuit, experiri, est præjudicium generatum. » Ubi ut vides, statuit Pontifex, quod sententia contra alterum lata noceat etiam ei, qui cum sibi primum de re quapiam actio vel defensio competeret, passus fuit litigare sequentem, id est illum, cui secundo loco competebat ejusmodi actio. Et sic etiam de illo, qui passus est alterum agere, a quo causam habuit. Et idem clare statuitur in l. *Sæpe constitutum est* 63, ff. *De re judicata*, in cujus summario Bartolus sic expresse habet: « Sententia lata contra unum non præjudicat alteri, qui eum prohibere non poterat, vel ab eo causam non habebat; secus si poterat prohibere, et ab eo causam habebat, et sciens erat. »

(57. Item sententia lata contra unum nocet alteri, quod is actionem mandavit, vel ratam habuit. *Communis*, et colligitur clare a sensu contrario ex leg. *Si neque* 1, cod. *Quibus res judicata non nocet*, ibi: « Si neque mandasti fratri tuo defensionem rei tuæ, neque quod gestum est, ratum habuisti, præscriptio rei judicatæ tibi non oberit; » ubi, ut vides, a sensu contrario videtur statui, quod tibi obsit, si mandasti, quod gestum est, vel ratum habuisti.

(58. In sententia victus victori in expensis est condemnandus. Leg. *Eum, quem temere* 79, ff. *De judiciis*, leg. *Properandum* 13, § 6, cod. *De judiciis*, Institut. *De pœna temere litigantium*, § 2 in fine, ibi: « Improbus litigator, et damnum, et impensas litis inferre adversario suo cogatur. » Cap. *Finem litibus* 5, De dolo et contum., c. *Contumac.* 4, De pœnis.

(59. Et hoc procedit nedum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus. Glossa final. in cap. *Cum dilecti* 6, De dolo et contumac., et abbas, *ibid.*, nu. 17; Gailus, lib. 1 *Pract. observ.* 152, nu. 1, cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel, *l. cit.*, n. 177; card. de Luca, disc. 39, *De judiciis*, n. 7, ubi dicit, quod, refectio expensarum judicialium est debita tanquam species pœnæ injunctæ temere litigantibus ex dispositione juris, adeoque debet habere locum in omni causa, etiam criminali, ubi talis temeritas litigatoris intervenit.

(60. Non est tamen victus condemnandus in expensis, quando habuit justam causam litigandi; in tali enim casu expensæ compensantur. Leg. *Qui solitum* 78, § 2, *De legatis* 2; Glossa, *ibidem*, verb. *In litis sumptibus*. Inde inferens, quod *justa ignorantia excusat a litis sumptibus*. Idem tradit Glossa in cap. *Finem litibus* 5, De dolo et contumac., verb. *Expensas;* abbas, *ib.*, n. 22; Barbosa, n. 6, et Gailus, cit. observ. 152, n. 3, testans de com.

(61. Quanto autem quis censeatur habere justam causam litigandi? relinquitur arbitrio judicis, qui ex qualitate facti, et conditione personarum id debet arbitrari. Ita abbas, in cit. c. *Finem*, n. 25 et 26; Barbosa, *ibid.*, n. 7; Menochius, lib. II *De arbitr. judic.*, caus. 177, n. 2 et seq.; Jason, in cit. l. *Properandam*, § 6, n. 8, c. *De judiciis;* Reiffenst., *loc. cit.*, n. 179, ubi a n. 180, ex Menoch. et Jason affert pro exemplis plures casus, in quibus litigans censetur habere justam causam litigandi. Unde si succumbat, non est in expensis condemnandus. V. *Addit. Cas.*, in fine h. articuli.

(62. Judex non condemnans victum victori in expensis, quando istæ sive explicite, sive implicite, fuerunt petitæ, tenetur ipsas resarcire de suo, textu expresso in cit. l. *Properandum* 13, § 6, cod. *De judiciis*, ibi: « Omnes judices, qui sub imperio constituti sunt, sciant victum in expensarum causa victori esse condemnandum quantum pro solitis expensis litium juraverit. Non ignorantes, quod si hoc prætermiserint, ipsi de proprio hujusmodi pœnæ subjacebunt, et reddere eam parti læsæ coarctabuntur. » Leg. *Constitutio* 5, cod. *De fructibus et litium expensis*, ibi: « Quod si judex hoc non fecerit, ipse parti victrici damnum illud compensare cogitur. » Et sic tenent doctores commun.

(63. In eadem causa non potest ab eodem tertio appellari a sententia, quæ fuit bis confirmata. Leg. unic. cod. *Ne liceat in una eademque causa rei provocare*, cap. *Sua nobis* 65, De appellation. juncto ejus summario, in quo præcise dicitur: « Ab eadem sententia ab eodem tertio appellare non licet. » (64. Et hoc verum est non solum in appellatione a definitiva, sed etiam in appellatione ab interlocutoria. Barbosa, in cap. cit. *Sua nobis* n. 2, cum aliis multis ibi citatis; Scaccia, tract. *De appellat.*, qu. 17, limit. 1, n. 3; Reiffenstuel, lib. II *Decretal.*, tit. 28, n. 312; Pirrhing, *ibid.*, n. 130, et alii passim. (65. Imo hoc verifica-

Digitized by Google

tur etiam in sententiis, quæ non transeunt in rem judicatam. Licet enim in his possit causa de novo inchoari, non potest tamen tertio appellari. Abbas, in cit. cap. *Sua nobis* n. 3; Barbosa, *ib.*, n. 2; Pirrhing, lib. II *Decretal.*, tit. 28, n. 126; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 312, et alii. (66. Et hoc adeo verum est, ut nec Papa, nec alius princeps supremus possit potestate ordinaria per viam rescripti concedere, quod tertio appelletur ab eodem in eadem causa, quamvis possit per viam privilegii, et ex certa scientia hoc princeps supremus concedere. Pirrhing, lib. II *Decretal.*, tit. 28, num. 126: Alexander de Nævo, *ib.*, n. 20; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 315; Scaccia, *l. c.*, n. 2; Marchesanus, *De commis.*, part. II *De Com. super nullit.*, cap. 2; num. 1, fol. 140, et alii.

(67. Potest tamen ab eodem appellari pluries, v. g. centies et millies si centies et millies gravaretur supra diversis articulis, licet in una eademque causa. Cap. *Quoties episcopi* 16, caus. 2, quæst. 6, ubi dicitur, quod quoties episcopi putaverint se gravari a suo metropolitano, possint ad Romanam Sedem appellare. Glossa, in cap. *Directæ* 39, De appellat., verb. *Appellare;* abbas, in cap. *Sua nobis* 65, De appell. n. 7; Barbosa, *ib.*, n. 2, cum variis aliis; Scaccia, in tract. *De appell.*, quæst. 17, n. 18 et 40; Pirrhing, lib. II *Decr.*, tit. 28, n. 127, et alii passim.

(68. In eadem causa, et super eodem articulo licet utrique parti collitigantium bis appellare successive, et sic in eadem causa, et super eodem articulo possunt utrinque interponi quatuor appellationes. Detur casus, v. g. quod Petrus contra Paulum litigans appellet a sententia contra se lata, et succumbat, tunc Petrus potest adhuc secundo appellare, et si in secunda sua appellatione obtineat victoriam causæ, tunc Paulus ejus adversarius poterit etiam ipse appellare, et erit tertia appellatio in eadem causa, et super eodem articulo; et si feratur sententia contra ipsum Paulum, poterit adhuc Paulus appellare, et erit quarta appellatio in eadem causa et super eodem articulo, post quam quartam appellationem nec Petro, nec Paulo licebit amplius appellare, cum jam uterque bis appellaverit, et sic victoria causæ remanebit illi, qui in quarta et ultima appellatione sententiam favorabilem obtinendo tres conformes sententias in eadem causa, et super eodem articulo reportavit. Arg. Clementin. *Ut calumniis litigantium*, De sententia et re judicata; abbas, *loc. cit.*, n. 8; Barbosa, *loc. cit.*, n. 2, et alii passim.

(69. Hinc is, contra quem in aliqua causa, sive civili, sive criminali, sive mista, sive in petitorio, sive in possessorio tres sententiæ conformes sunt latæ, admitti non debet ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicujus ex illis, vel ad excipiendum antequam hujusmodi sententiæ plene fuerint exsecutioni mandatæ, textu expresso in cit. Clementin. *Ut calumniis litigantium* 1, De sententia et re judicata, juncta Glossa, *ib.*, verb. *Quavis;* Rota recent., part. IX, tom. II, decis. 488, n. 21, part. XVII, decis. 86, n. 2; Pirrhing, lib. II, tit. 27, n. 114; Ventrigl., tom. I, adnot. 35, § unic. *De sententiis conformibus*, n. 2, et comm. aliorum.

(70. Et hoc procedit de tribus sententiis conformibus, sive definitivis, sive interlocutoriis. Dicta enim Clementina loquitur simpliciter de tribus sententiis conformibus, non distinguens de definitivis aut interlocutoriis; ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. L. *De pretio* 8, ff. *De publiciana in rem actione*, c. *Quia circa* 22, De privileg., ideo debet intelligi tam de interlocutoriis, quam de definitivis. Glossa, in d. Clement. *Ut calumniis*, verb. *Sententias*, et abbas, *ibid.*, n. 3; Covarruv., *Pract. quæst.*, c. 25, n. 3, § 5; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 116, et alii passim.

(71. Item dicta Clementina procedit de tribus sententiis conformibus in quavis causa, sive civili, sive criminali, sive mista; id enim clare indicant verba ipsiusmet Clementinæ, *in quavis causa*, ut expresse notat Glossa communiter recepta, *ibid.* verb. *Quavis;* Covarruvias, *loc cit.*, n. 115; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 2, et alii passim.

(72. Cum hoc tamen, quod in causis criminalibus tres sententiæ conformes prius exsequi debent, antequam agatur de nullitate sententiarum, solum ubi agitur de pœnis, quæ post exsecutionem retractari adhuc possunt, ac revocari; ut si reus condemnatus sit ad pœnam pecuniariam, tunc equidem debet prius fieri exsecutio dictæ pœnæ pecuniariæ, et postea agi de nullitate sententiarum. Secus autem ubi agitur de pœnis, quæ post exsecutionem retractari ac revocari amplius non possunt. Ut si reus condemnatus sit ad triremes, ad mutilationem vel ad mortem, tunc enim prius agi debet de nullitate sententiarum, quam fiat exsecutio, alias frustra postea ageretur de illa. Sic abbas, in cit.; Clementin., n. 1; Covarruv., *loc. cit.*, n. 3; cum multis aliis ibi relatis; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 115; Franch., decis. 139; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 2; et alii.

(73. Imo, ut tenet abbas, in cit.; Clementin., n. 5; Ricc. ad Franch., dec. 139; cum pluribus aliis ibi citatis; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 2, et alii, hoc procedit etiam in causis civilibus: in ipsis enim, quando exsecutio est irretractabilis, non proceditur ad illam vigore trium conformium sententiarum, antequam agatur de earum nullitate.

(74. Ad hoc, ut tres sententiæ conformes debeant et possint exsequi, non obstante exceptione nullitatis, vel appellatione, debent esse latæ super eodem articulo, et non super diversis; habetur clare ex dicta Clem. et notant Glossa, *ibid.*, verb. *Tres*, et abbas, n. 2; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 115, vers. *Notandum tertio;* Ventriglia, *loc. cit.*, n. 3, et alii. Et ratio est, quia si sententiæ essent latæ super diversis articulis, cesseret ratio dispositionis dictæ Clementinæ, quæ est præsumptio calumniæ, in qua illa fundatur.

(75. Potest tamen aliquis tertius pro suo interesse opponere exceptionem nullitatis sententiæ, et impedire exsecutionem trium

Digitized by Google

sententiarum conformium, dummodo ille tertius nondum bis appellaverit (cum de jure ex dictis *supra* n. 58, non possit nisi bis et non tertio appellari), sed adhuc appellare possit a sententia, quæ illi nocet. Tunc enim poterit ille tertius per exceptionem nullitatis impedire exsecutionem sententiæ. Covarruv., *Pratic. qu.*, cap. 25, n. 9; Gabriel, *Commun.*, conclus. 2, tit. *De exsecution. Sentent.*, conclus. 1, n. 10; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 116, vers. *Notandum quinto*; Ventrigl., *loc. cit.*, n. 16; Marescot., *Var. resolut.*, lib. 1, cap. 86, n. 55, et alii.

(76. Sententiæ illæ dicuntur conformes, quarum una confirmat aliam. Ad hoc tamen non est necesse, quod una confirmet aliam expresse, sed sufficit, quod in substantia idem contineant, et non sint difformes quoad substantiam vel qualitatem principalem. Gabriel, *loc. cit.*, n. 33 et 34; Barbosa, in cit. Clementin. *Ut calumniis* n. 11; Pirrhing, *loc. cit.*, vers. *Notandum sexto*, et alii communiter.

(77. Non dicuntur tamen tres sententiæ conformes, si duæ sententiæ sint latæ in principali, et tertia super desertione appellationis propositæ a duabus prædictis sententiis. Unde in hoc casu potest impediri exsecutio per exceptionem nullitatis, et sic non habet locum dispositio dictæ Clementinæ. Sic Rota, in *Antiquis*, decis. 427; Bald., in leg. 2, cod. *De episc. aud. et in leg. Eas*, cod. *De appellat.* in princip.; Oldrad., consil. 106; Felin., in *Rubr.* De re judicat., col. 8; Roman., singul. 487, et alii.

(78. Exsecutio sententiæ fieri debet regulariter ab illo judice, qui eam tulit, dummodo is sit judex ordinarius. Leg. *A divo Pio* 15, in princ., juncta Glossa, verb. *A se*, ff. *De re judicata*, c. *Si quis* 4, juncta Glossa, *ib.*, verb. *Ipsius sollicitudine*, De foro competenti; Maranta, *De ordin. judic.*, part. VI, tit. *De exsecut. sentent.* in 3, actu n. 2; Pirrhing, lib. II *Decretal.*, tit. 27, n. 99; Reiffenst., *ib.*, n. 167, et alii passim.

(79. Judex delegatus Papæ potest sententiam suam exsequi, et quidem usque ad annum. Cap. *In litteris* 9, cap. *Quærenti* 26, et cap. *Pastoralis* 28, § *Præterea*, De offic. delegati. Quam sententiam exsequi potest sive per se sive per alium, cit. cap. *In litteris*. Imo delegatus Papæ potest exsecutionem suæ sententiæ committere judici ordinario, qui omnimode tenetur ejus mandato obedire, et ejus sententiam exsequi. Cap. *Significasti* 6, et cit. cap. *Pastoralis* 28, § *Quia vero*, De offic. delegat.

(80. Item delegatus principis supremi potest suam sententiam exsequi. Leg. *Cum specialis judex* 18, cod. *De judiciis*; Menoch., lib. I *De arbitr. judic.*, q. 74, n. 48, cum aliis ibi citatis; Pirrhing, *l. cit.*, n. 99, testans de communi.

(81. Delegatus ab inferiori magistratu, ut ab episcopo, seu ab alio, quam a principe supremo, probabilius non potest exsequi suam sententiam, sed debet exsecutionem deleganti remittere. Leg. *A divo Pio* 15, § 1, ff. *De re judicata*, ibi: « Judicum a se datorum vel arbitrorum sententiam exsequantur ii, qui eos dederunt: » ac tradit Bartolus, *ibidem*, cum aliis. Et idem colligitur, ex cap. *Si quis contra* 4, De foro competenti, ubi episcopus, qui ut suspectus legitime recusatur, potest dare delegatum partibus non suspectum, cujus sententiam ipse exsequatur. Sic tenet etiam Menoch., *loc. cit.*, n. 52; Maranta, *loc. cit.*, n. 4; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 170, testans de communiori; Pirrhing, *l. c.*, n. 99, dicens, id communiter teneri, quia lata sententia a delegato ab alio, quam a principe supremo, statim omne ejus officium exspirat. L. *Judex* 5, ff. *De re judicata*, adeoque non potest ipse exsequi suam sententiam, sed debet ejus exsecutionem remittere ad delegantem.

(82. Contrarium tamen docet Glossa, in cit. cap. *Si quis contra* 4, De foro competenti, verb. *Ipsius sollicitudine*, et *ibid.*, abbas, n. 32; Imola, n. 2, quia inquit Glossa a supradictis secuta, eo ipso, quod judici delegato causa committitur, intelliguntur ei omnia illa commissa esse, quæ ad causam ipsam spectant, et sine quibus causa ipsa expediri non potest, ut cap. *Præterea* 5, et cap. *Suspicionis* 39, De offic. delegat. Et, *ibid.* Glossa respondet ad textus num. præcedenti allegatos, quia dicit, quamvis in ipsis dicatur, quod ordinarius exsequitur sententiam a delegato latam, non tamen ibi prohibetur quominus etiam id possit delegatus, saltem si absens sit judex ordinarius.

(83. Post latam a judice sententiam definitivam, non est statim ipsa exsecutioni mandanda in actionibus et causis civilibus, sed in actionibus realibus exspectandum est saltem per decem dies, priusquam exsecutio fiat, et in actionibus, et debitis personalibus exspectandum est per quadrimestre, quod condemnato ad solvendum conceditur. Cap. *Quoad ad consultationem* 15, De sentent. et re judicata, l. *Eos, qui* 1, et l. *Sancimus* 3, cod. *De usuris rei judicatæ*. Et quidem quod in actionibus realibus exspectandum sit saltem per decem dies, clare patet; quia ante elapsum decendium sententia nec dum transiit in rem judicatam, imo ab eadem potest adhuc condemnatus appellare. Authent. *Hodie*, cod. *De appellat.*, cap. *Anteriorem* 28, caus. 2, q. 6, c. *Quod ad consultationem* 15, De sentent. et re judicata, adeoque ante elapsum decendium non potest fieri exsecutio sententiæ in actionibus realibus. Quod autem in actionibus et debitis personalibus exspectandum sit per quadrimestre, ratio est, quia alteri obligatus actione personali non detinet rem alterius, prout contingit in obligato alteri actione seu debito reali. Unde jure merito pro exsecutione sententiæ in actionibus et debitis personalibus jura concesserunt quadrimestre ad solvendum. Cit. l. *Eos, qui* 2, et l. *Sancimus* 3, cod. *De usuris rei judicatæ*, c. *Quod ad consultationem* 15, De sent. et re judicata, c. *Quærenti*, 26, juncta Glossa, verb. *Quadrimestre*, De offic. delegati. Sic Pirrhing, *loc. cit.*, num. 100; Reffenst., *loc.*

Digitized by Google

cit., a num. 160, et alii passim.

(84. Dicitur autem notanter *in actionibus et causis civilibus*, quia secus dicendum est de causis et actionibus criminalibus. In istis enim, crimine liquidato et prolata sententia, statim fieri potest exsecutio. T. *Cum reis* 18, cod. *De pœnis*, et docent Bartol., in l. *Quod ultimo* 29, num. 5, ff. *De pœnis;* Pirrhing, *loc. cit.*, n. 100; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 161; Layman, in c. *Quærenti* 26, n. 2, De offic. delegati, cum aliis ibi citatis, ubi insuper subjungit, quod in imperio criminaliter condemnatis remedium appellationis non concedatur. Ursaya, *Instit. crimin.*, lib. IV, tit. 9, n. 27, et alii contra alios.

(85. Si condemnatus ad mortem nolit se disponere ad Christiane moriendum, sed mori velit desperatus, et impœnitens, adhuc ducitur ad patibulum, et suspenditur. Muta, *ad Pragmatic. regni Sicil.*, tit. 41, *Ne condemnat. ad mortem*, nu. 15; Rayn., tom. I, cap. 4, n. 7, vers. *Dicit quarto*, cum Cassan., *ibi* cit.; Ursaya, *Instit. criminal.*, lib. IV, tit. 5, n. 115, ubi nu. 16, sic subjungit : « Verum tamen est, quod omnes solent adhiberi diligentiæ, antequam id ad praxim reducatur, quia raro id evenit, ex quo quando condemnati observant, quod eodem prætextu non obstante, ad exsecutionem deveniunt justitiæ ministri, ut plurimum ad bene moriendum se disponunt. Et *De angel. ubi proxime*, ubi quod non debet fieri exsecutio, nisi consulto principe. » Hactenus ille.

(86. Alia ad rem. *Vide* verb. APPELLATIO, verb. JUDICIUM.

(87. Sententiam condemnatoriam D. N. J. C. sequentibus verbis fuisse conceptam refert. P. Mazzolin., *Nella predic.* 39, nu. 13 : « Jesum seducentem populum blasphemantem Deum, dicentem se Christum Judæorum esse, cruci affigendum condemno et adjudico.... » Illius vero tenorem diversimode refert Nicolius, in *Floscul.*, verb. *Judicium*, ante finem : « Ego Pontius Pilatus judex in Jerusalem sub potentissimo Cæsare Tiberio, cui felix et faustum sit imperium, cum sederem pro tribunali, ac jus omnibus etiam Synagogæ Judæorum dicerem, audita et cognita causa Jesu Nazareni, quem Judæi vinctum adduxerunt, sic judico, quando ipse quidem arrogantibus verbis se fecit Filium Dei, et se regem Judæorum prædicavit, tametsi pauperrimis parentibus sit prognatus, et se templum Salomonis destructurum dixit, cum duobus latronibus ad crucem damnetur. » Sic refert Ursaya, in *Miscellanea sacro et profano*, part. II, litt. *S*, n. 28.

(88. Pro justa ferenda sententia debent judices præ oculis habere, et diligenter ponderare causæ merita secundum utriusque juris dispositionem. Arg. cap. *Intelleximus* 1, De novi operis nuntiat., ibi : « Quia vero sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur, fraternitati tuæ mandamus, quatenus diligenter considerans.... negotium ipsum secundum legum et canonum statuta non differas terminare. » (89. Unde judices tum jure civili, tum canonico satis instructi esse tenentur quia, ut recte notarunt Ludovicus Romanus, *singulari* 654, et post ipsum Zœsius, in *Proœmio juris canonici*, nu. 5; Fagnan., in cap. *Super specula*, nu. 30, Ne clerici vel monachi; Rota, dec. 26, nu. 30, relata ab Antonell., *De jurib. cleric.* circa fin.; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, in proœmio, § 13, n. 226, et alii passim : « Legista sine canonibus parum valet, canonista sine legibus nihil; » et Rebuff. cit. et secutus a Rota, *in dict.* dec. 26, nu. 33, expresse habet : « Imo audacter dico, quod jus Pontificium perfecte non potest intelligi sine legibus, cum sit medulla legum, et jus canonicum est practica juris civilis. » (90. Aliter illi subjacerent censuræ, cui subjacere quosdam doctores ex And. Mend., lib. I *Select. quæst.*, De acad., qu. 15, refert Brancacc., *De jur. doctor.*, c. 1 in fine; et Ursaya, *Institut. crimin.*, lib. III, titul. 10, n. 13, ibi :

In institutis comparo vos brutis.
In digestis nihil potestis
In codice scitis modice.
In novellis comparamini asellis.
Et tamen creamini doctores.
O tempora, o mores!

(91. Possentque vocari non *juris doctores*, sed *juris dolores*, ut aliquos vocat eruditissimus de Rubeis, in *Discurs. ad scient. amat.*, in princ., part. IV, tom. III, n. 26, appellando etiam ipsos *doctores necessitatis*, hoc est sine lege, quia necessitas non habet legem, cap. *Sicut* 11, De consecrat., dist. 4, c. *Consilium* 1, De observat. jejun., cum similibus; in quo sensu vocari etiam possent *doctores monetæ tonsæ*, hoc est sine litteris, quia istæ primæ in monetæ tonsione abraduntur. De quibus, ut advertit Ursaya, *Instit. crim.*, lib. II, tit. 10, n. 103 et seq., quando causas quærunt, semper verificatur lepidum illud dictum communiter per ora curialium volitans, quod sint *advocati* seu *procuratores Pilati*, in quibus scilicet nullius reperiuntur causæ defendendæ, juxta id quod legitur *Joan.*, cap. XVIII, n. 38. *Nullam invenio in eo causam. Advocati de Repertorio* appellantur a Pacichel., *De distant.*, cap. 4, sub nu. 1, fol. 7. Illosque *doctores privilegio, non autem sapientia* vocat Rota, *in Romana seu Spoletana legati* 5 Mart. 1717, § *A quo sane* in fine, *coram Cerro*. Leonard. vero, *De doctor.*, part. I, q. 33, fol. 9, vocat illos *doctores honorarios;* sic expresse refert Ursaya, cit. n. 103 et seq. Unde caveant, si qui sint hujus furfuris doctores et advocati, ne quærant fieri judices, juxta illud *Ecclesiastici* cap. VI, n. 6 : «Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, quia solum judex sapiens judicat populum. » *Ecclesiastici* cap. X, n. 1.

(92. Advertant judices, quod prætextu æquitatis non scriptæ, in concursu legis claræ et contextus litteralis, non est locus sententiæ innixæ eidem æquitati, quæ in

Digitized by Google

hoc casu vocatur potius duplex iniquitas. Conciol., alleg. 50, nu. 38 et 39; Andreol., controv. 92, num. 17 in fin.; Gobat, consult. 97, n. 40 et secut. ab Ursaya, *Instit. crim.*, lib. v, tit. 8, n. 53 et seq., ubi, quod judex sequi debet æquitatem legis, non proprii capitis, ne contra admittens talem æquitatem deprecari contingat id, quod de parlamento et magno consilio refert Franc. Marc., dec. 2 in fine, p. I, nempe : « Ab illius æquitate, et expedienti liberet nos Deus, » et Grat., *Discept. forens.* 669, nu. 55 et seq., ubi n. 27, quod quidam amicus blande redarguit judicem illum, qui sententiam æquam voluit dare, præ oculis nimirum habendo æquitatem, asserendo fuisse equam, sed sine diphthongo. Hactenus Ursaya, *loc. cit.* (93. Qui, *ib.*, n. 56 et seq., subjungit coincidere lepidam illam responsionem a Bulgaro datam Federico imperatori, qui incidens medius inter eumdem Bulgarum et Martinum ejus æmulum, eosdem interrogavit, cujusnam esset merum imperium? Martinus solius Cæsaris respondit, Bulgarus vero non Cæsaris tantum, sed et præsidum provinciarum; cum autem gratior fuisset imperatori assentatio Martini, eique proinde equum donasset, ille dicere solebat, « se æquum dixisse, equum vero adduxisse Martinum, » qui cum esset obstinatissimus in sustinendis suis opinionibus, quamvis erroneis et singularibus ex ejus cervicosa duritie ortum est vulgare adagium, quod *Martinus* appellêtur quicunque in aliqua singulari seu sententia, seu opinione pertinaciter, ac contumaciter perseverat.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Quæ auctor a n. 87 ad n. 93, adducit, serio legenda sunt; quare, vos rogo, *risum teneatis, amici.*

RESPONSIO AUCTORIS.

Quæ, *locis cit.*, a me tradita sunt, ridenda videntur Rom. theologo; et tamen ab auctoribus nedum non irridendis, sed et gravissimis, et celeberrimis illa desumpsi, qui longe ante me in suis respective operibus ea protulerunt. Etenim quæ adducuntur sub n. 87, ea tradiderunt P. Mazzolin., Nicolius, et Ursaya celeberrimus advocatus Romæ causarum patronus. Quæ sub n. 88, collecta sunt verbis præcisis cap. *Intellexímus* 1, De novi operis nuntiat. Quæ sub n. 89, tradiderunt Ludovicus Romanus, Zœsius, Fagnanus, Rota, Antonell., Reiffenstuel, Rebuffus citatus et secutus a sacra Romana Rota. Quæ n. 90, Andr., Mend., Brancac., et cit. Ursaya. Quæ n. 91, eruditissimus jurisperitus de Rubeis, Rota *Romana*, et ex aliis multis allegatus Ursaya et quæ, *ibi*, in fine trado ego, habentur ecclesiastici præcisis suis verbis non certe ridendis. Quæ n. 92, tradiderunt Conciol., Andreol., Gobat, Franciscus Marc., Gratian. citati atque secuti a dicto Ursaya. Quæ n. 93, typis tradidit Romæ in celeberrimo suo opere dictus Ursaya. Hinc judicet prudens et eruditus lector an juste poterit theologus rogare, ut dicta legendo, *risum teneatis amici.*

(94. Unica sententia pro nullitate matrimonii prolata, nemini licet ad alia vota transire. Bened. XIV, tom. I, constit. 33, incip. *Dei miseratione*, § 9 et 14. (95. Appellatio a sententia lata super nullitate matrimonii in quacunque instantia semper suspendit exsecutionem. Idem, *ibid.*, § 11. (96. Appellatio in causis matrimonialibus impediri nequit per pacta pœnalia. Idem, constit. 85, incip. *Nimiam*, § 4 et 7. (97. Sententia super nullitate matrimonii nunquam transit in rem judicatam, sed ex noviter detectis quandocunque revideri potest. Idem cit. constit. *Dei miseratione*, § 11. *Vide* alia tom. V, ad verb. MATRIMONIUM, *v.* verb. RESCISSIO MATRIM.

(98. Sententia unica lata in prima instantia super nullitate matrimonii, non licet ad secunda vota transire, sed duas conformes sententias ad hunc effectum prodiisse oportet. Idem, tom. III, const. 47, incip. *Si datam.* (99. Id ipsum a Pontifice statuitur pro causis super nullitate professionum regularium, et reclamanti prohibetur e claustris exire post unicam sententiam. Idem, *ibid.* (100. Nisi quis antea per duas conformes resolutiones obtinuerit restitutionem in integrum adversus lapsum quinquennii. Idem, *ibid.* (101. Sententia super nullitate professionis exspectanda est etiam post legitime obtentam restitutionem in integrum, ad hoc ut reclamans e claustris migrare possit. Idem, *ibid.* (102. Sententiæ, quæ proferuntur in causis nullitatis professionis regularis, postquam a Sancta Sede concessa fuit in integrum restitutio, ut plurimum sunt pro professionis invaliditate. Idem, *ibid.* (103. Sententia super nullitate professionis prolata absque processu secundum juris ordinem confecto, nulla definitur. Idem, *ibid.* (104. Item si citati non fuerit omnes interesse habentes in sustinenda illius validitate. Idem, *ibid.* (105. *Vide* alia, tom. VI, ad verb. PROFESSIO REGULARIS.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(106. Regulariter sententia habet effectus inter solos litigantes, *aliis* vero non nocet. L. 63, ff. *De re judicat.*, l. 2, c. *Quibus reis judicat. non noceat.* (107. Idque tum naturali ratione, quod alter ex facto alterius prægravari non debet, tum ratione civili, quod in judicio quasi contrahitur, (108. atque adeo obligatio judicati inter eos tantum operari debet, inter quos quasi contractum, id est inter litigantes.

(109. Ad rectam vero hujus regulæ applicationem inquirendum, quinam in sensu juris maxime in hac materia *alii* dicantur. (110. *Alii* in hac regula dicuntur, qui non eamdem cum litigatore personam gerunt, quales sunt hæredes, sed proprium principale, separatum et diversum plane jus ab eo habent, quod non dependeat a jure ejus, contra quem judicatum est. (111. Contra vero in effectu juris in hac materia

Digitized by Google

pro *aliis* non habentur, quorum jus dependet a jure legitimi contradictoris, quo cum hactenus actum et adversus quem judicatum; et sic facile æquissima ratione contingere potest, ut sententia prosit adversus tertium, vel eum, qui non quidem fuit in lite, sed tamen idem jus habet cum legitimo contradictore. Sic enim sententia tota jus facit quoad omnes, tametsi nec litigaverint, nec ad judicium fuerint vocati, nec scientiam litis controversæ habuerint.

(112. Res exemplis illustrior redditur. Initium sumamus a statu personarum, qui triplex est, libertatis, civitatis et familiæ. (113. De statu libertatis in l. 15, ff. *De statu homin.* habetur: « Ingenuum etiam accipere debemus eum, de quo sententia lata est, quamvis fuerit libertinus, quia res judicata pro veritate accipitur. » Potest de ingenuitate duplici modo ferri sententia, ut probet is, qui aliquem servum esse asserit, aut qui se ingenuum ait. (114. Si prius fiat, et hic in probando deficiat, tantum pronuntiatur non probatum esse, quod probandum erat, et servum non videri; l. 27, § 1, ff. *De liberal. caus.* et hæc sententia aliis non præjudicat, quia non de jure et statu ipsius servi, sed tantum de jure actoris pronuntiatum est. (115. Si vero posterius contingat, quod contingere potest, si volens onus probandi subierit, leg. 14, ff. *De probat.*, (116. jam super ipsius statu, directo pronuntiatur; et ita si ingenuus pronuntiatus fuit, hæc sententia etiam prodest contra omnes, qui talem libertinum esse asserere contendunt. Sunt enim hic verba sententiæ concepta in rem, sive de ipso statu, et ita semel status personæ per rem judicatam adjudicandus est. Confer Hartman., *Pistor.*, part. IV, qu. 29, fer. per tot; Carpzov., *Jurisprudent. forens.*, part. I, constit. 26, defin. 16, n. 1 et 2. (117. Necesse vero est in hoc casu, ut sententia de statu sit lata contra dominum vel patronum, eumque præsentem, non vero ex contumacia absentem. Leg. 17, § 1, ff. *De inoffic. testam.*

(118. Eodem ex fundamento sententia pro filiatione lata contra omnes prodest. L. 1, § final., ff. *De agnoscend. liber.* (119. Intellige tamen, si quæstio filiationis cum ipso patre, qui est unicus contradictor legitimus, non cum aliquo de agnatis fuerit. Consule Alexandr., in l. penult., n. 69, ff. *De re judicat.*

(120. Idem dicendum de sententia lata pro uxore, modo maritus fuerit contradictor.

(121. Quatenus vero sententia in causa notabili lata jus faciat *vide* Tiraquell., *De nobilit.*, cap. 37, n. 2, et plur. seq., ubi etiam disserit de viribus contra tertium sententiæ pro cive latæ.

(122. Gravior quæstio est, an sententia lata super primogenitura vel majoratu, et bonis inde dependentibus, noceat ei, qui post illum, qui hactenus in lite fuit, sed superatus est, ad illam primogenituram aspirare potest. Affirmant per text. in l. 44, ff. *De re judicat.*; Brunemann., in d. l. 44, n. 1; Hartmann., *Pistor.*, part. IV, q. 29; Molin., *De Primogen. Hispan.*, lib. IV, c. 8, n. 3; Carpzov., part. III, dec. 254, n. 13.

(123. De sententia contra Vassallum lata, an noceat domino, adi Rasenthal., *De feud.*, c. 9, membr. 1, conclus. 23, n. 4, et plur. sequent.

(124. Et de sententia lata de statu subjectionis, an prosit contra omnes consule Zasium, ad leg. 63, ff. *De re judic.*; Fail., lib. I, observ. 70, n. final.

(125. Sed hæc quidem de statu personæ sufficiunt. Transeo nunc ad jura rerum, ubi itidem sæpe contingit rem judicatam jus facere inter alios, quam qui in lite fuere, et quidem potissimum inter illos, qui ab eo, qui victus est, causam habent. (126. Tales sunt legatarii; iis porro nocet sententia lata contra hæredem super testamento, dummodo tamen bona fide ab hærede actum sit, hæres sit victus propterea quod testamentum valere non potuerit, et per incuriam judicis victus non fuerit, et demum ab ipsis legatariis non fuerit appellatum. Diversum autem est, si sententia contra unum ex legatariis lata sit, nam aliis non nocet.

(127. Tales etiam sunt substituti. Hinc sententia contra hæredem lata substitutis nocet. Aliter se res habet quoad sententiam latam contra cohæredem. Hæc enim alii cohæredi, qui in judicio non fuit, non nocet. Confer Zasium, in l. 63, n. 17, ff. *De re judicat.*

(128. Ex alio etiam fundamento sententia inter alios jus facit. Hoc suppeditat jurisconsultus in citata l. 63, ff. *De re judic.*, scilicet: « Cum quis de ea re, cujus actio vel defensio primum sibi competit, sequentem agere patitur. » Subjungit jurisconsultus exemplum: « Veluti si creditor experiri passus sit debitorem de proprietate pignoris. » Sed *vide* Zasium, in dict. l. 63, qui n. 24 et plur. sequent. materiam illustrat.

(129. Pariter contra alios etiam sententia prodest, si per necessariam consequentiam sit etiam juris tertii exclusiva. (130. Desumi exemplum potest ex l. 1, § final., ff. *De carbon. edict.*, quando scilicet mater subjecti partus arguitur, ubi primum quæritur, an propter statum pueri quæstio differenda sit? (131. Quod negatur, quia principaliter hic mater rea postulatur, et sic recenti tempore, hoc est de præsenti potest cognitio fieri, et porro jurisconsultus subjicit: « Et post eventum cognitionis si suppositum partum apparuerit, actiones hæreditariæ puero denegandæ sunt, omniaque perinde habenda, atque si hæres scriptus non fuisset. » (132. Revera enim ex errore scriptus est a patre putativo hæres, qui si partum suppositum esse cognovisset, nunquam eum scripsisset hæredem. Neque obstat, quod sententia principaliter contra matrem sit lata.

(133. Nam cum ipsa de crimine suppositi partus satis convicta sit, necessario hæc sententia est exclusiva juris ipsius pueri, cum nullum jus possit habere, ubi constat per sententiam eum esse suppositum:

Vide verb. TRANSITUS *sententiæ in rem judicatam*. Ubi etiam *De condemnatione in expensis*, Ed. Cas.

Digitized by Google

SEPULTURA.

SUMMARIUM.

1. Nomen sepulturæ sumi potest tribus modis, qui assignantur. — 2. Sepultura sumpta proprie pro loco et situ in quo cadavera sepeliuntur, quid sit? — 3. Locus sepulturæ regulariter olim erat atrium, aut porticus, vel aliud terræ spatium prope ecclesiam, quod hodie cœmeterium communiter appellatur. — 4. Cœmeterium quid significet et importet? — 5. Quamvis olim in solis cœmeteriis, et nullus in ecclesiis sepeliri posset, tamen hodie et jure, et consuetudine omnes fideles in ecclesiis sepeliuntur. — 6. Quilibet a jure non impeditus potest sibi eligere sepulturam in qualibet ecclesia ad id jus habente, et ubi quisque sepeliri debeat, ubi etiam de regularibus decedentibus extra conventum ad n. 55. — 57. Papa decedens Romæ sine electione sepulturæ sepelitur in Basilica Vaticana, in qua non possunt sepeliri, nisi Summi Pontifices et personæ regales. — 58. Si autem contingeret Pontificem sine electione sepulturæ decedere extra Urbem, nec posset commode transferri ad ipsum, esset sepeliendus in Ecclesia cathedrali loci, ubi decedit. — 59. Papa potest sibi eligere sepulturam in quacunque sibi benevisa ecclesia, etiam regularium. — 60. Cardinales decedentes in Urbe, si non habeant sepulcrum majorum; nec sibi elegerint sepulturam, sepeliendi sunt in ecclesia proprii tituli, et non in parochia. — 61. Et hoc etiamsi cardinales non resideant in titulo. — 62. Et hoc procedit etiam in cardinalibus regularibus. — 63. Cardinales decedentes extra Urbem sine electione sepulturæ, sepeliri debent in ecclesia majori loci, ubi decedunt. — 64. Hoc tamen intelligendum venit, nisi in vita se subjecerint specialiter alicui parochiæ. — 65. Debetur tamen semper quarta canonica Ecclesiæ parochiali. — 66. Episcopi ubi sint sepeliendi? — 67. Canonici cathedralis ubi sint tumulandi? — 68. Clerici et presbyteri ubi sint sepeliendi? ad num. 70. — 71. Clerici beneficiati cum onere residendi, tam simplices quam curati ubi sepeliri debeant? ad num. 72. — 73. Uxor licet sit sub potestate viri, potest libere sine ejus licentia eligere sibi sepulturam. — 74. Si uxor decedat, non electa sibi sepultura, ubi sit sepelienda, usque ad n. 80. — 81. Si uxor moriatur prægnans ubi sit sepeliendus fœtus. — 82. An sicuti uxor sepeliri debet in sepulcro mariti, ita etiam maritus decedens, non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in sepulcro uxoris? ad n. 83. — 84. Habitans in confinio duarum parochialium, ubi sit sepeliendus. — 85. Si quis in testamento disposuerit, ut sepeliatur in parochia, in qua fuerit moriens, et casu moriatur in aliena parochia, non debet sepeliri in aliena parochia, sed in parochia proprii sui domicilii. — 86. Eligere sepulturam sibi bene visam potest quilibet, sive masculus, sive femina, dummodo habeat debitam ætatem, et a jure non prohibeatur. — 87. Et potest quis libere sibi eligere sepulturam etiam extra propriam patriam in diversa et remota provincia, etiam aliena. — 88. Si quis autem eligat sepeliri in sepultura aliena, non potest ibi sepeliri, nisi consentientibus patronis sepulturæ. — 89. Qui ad hunc effectum dicantur patroni? — 90. Exstinctis patronis omnibus, tunc rectores Ecclesiæ seu regulares possunt non solum mortuos ibi sepelire, sed etiam sepulturam alteri concedere. — 91. Item possunt rectores ecclesiæ, seu regulares in patronatis sepulcris aliquem alium tumulare interveniente causa necessitatis. — 92. Si plures sint patroni, debent omnes consentire, nec sufficit consensus majoris partis. — 93. Decedens facta electione sepulturæ alterius patroni, si patronus denegat consensum, dicitur decedere non facta electione. — 94. Filiusfamilias, dummodo pubes sit, et sit sui juris, potest etiam sine consensu patris sibi libere eligere sepulturam. — 95. Sic etiam potest servus. — 96. Item sepulturam sibi eligere possunt novitii, etiam extra monasterium et in alia ecclesia. — 97. Religiosi tamen professi in claustris morientes non possunt sibi eligere sepulturam. — 98. Et hoc procedit etiam de prælatis et superioribus regularibus. — 99. Impuberes nequeunt sibi eligere sepulturam. — 100. Pro impubere nequeunte sibi eligere sepulturam, potest ipsi illam eligere pater, ubi ad id adest legitima consuetudo. — 101. Secus autem, ubi non adest talis consuetudo. — 102. Non desunt tamen magni nominis doctores defendentes, quod hodie generaliter, et nulla attenta consuetudine, permittitur parentibus eligere sepulturam filio impuberi in quacunque ecclesia, etiam regularium. — 103. Si adsit sepulcrum majorum in ecclesia regularium, tunc, præcisa consuetudine, debent impuberes ibi sepeliri. — 104. Facultas permissa patri eligendi sepulturam filio impuberi non potest exerceri post mortem ipsius filii, sed solum pendente ipsius vita. — 105. Deficiente patre, potest mater eligere sepulturam pro filio impubere, si ad id concurrat legitima consuetudo, secus non. — 106. Talis consuetudo pro eligenda sepultura illiis impuberibus debet esse generalis in loco vel civitate, alias consuetudo particularis alicujus ecclesiæ cæteris ejusdem Urbis ecclesiis præjudicaret. — 107. Item talis consuetudo debet esse legitime præscripta, quæ ad patrem sufficit decennalis, et quoad matrem requiritur quadragenaria. — 108. Et hæc quadragenaria consuetudo introduci potest etiam favore avorum, fratrum, consanguineorum, affinium, tutorum, administratorum, maritorum, uxorum, dominorum et amicorum. — 109. Impuberes decedentes non sibi electa sepultura, a prædictis ad id facultatem habentibus ratione legitimæ consuetudinis, sepeliendi sunt in sepulcro majorum, si habeant, vel si non habeant, in propria parochiali. — 110. Electio sepulturæ probari debet, et qualis probatio sufficiat. — 111. Electio sepulturæ potest variari toties quoties eligenti videbitur usque ad finem vitæ. — 112. Et hæc revocatio seu variatio potest fieri non solum expresse, sed etiam tacite per secundam electionem. — 113. Electio sepulturæ semel legitime facta, si non revocetur, perseverat usque ad finem vitæ. — 114. In materia electionis sepulturæ valde notanda sunt responsa sacræ congregationis Concilii, quæ hic afferuntur cum aliis notandis ad n. 218.

(1. Nomen sepulturæ tribus modis sumi potest. Primo, pro jure sepeliendi corpora, seu cadavera mortuorum. Arg. Clementin. *Dudum* 2, De sepulturis, cum similibus. Secundo, pro actu, ritu seu officio, quod in associandis ad sepulturam, et sepeliendis cadaveribus mortuorum impenditur. C. *Dictum* 105, caus. 1, qu. 1, c. *Præcipiendum* 5, caus. 113, q. 2, cum similibus. Tertio, pro ipso loco et situ, in quo cadavera mortuorum sepeliuntur. C. *Aurum* 69. caus. 12, q. 2, c. *Fraternitatem* 3, De sepulturis et de sepultura hoc tertio modo sumpta erit sermo.

(2. Sepultura igitur hoc tertio modo accepta, est locus auctoritate episcopi benedictus, in quo cadavera Catholicorum pie decedentium sepeliuntur. Sic in re communis.

(3. Locus sepulturæ regulariter olim erat atrium, aut porticus, vel aliud terræ spatium prope ecclesiam, quod hodie cœmeterium appellatur, textu expresso in cit. c. *Præci*

Digitized by Google

piendum 15, caus. 13, qu. 2, ibi : « Præcipiendum est etiam secundum majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, porticu, vel in exedris ecclesiæ (52). »

(4. Cœmeterium autem Græce significat idem ac Latine *dormitorium*, eo quia ibi requiescunt corpora Catholicorum, qui ratione fidei infallibilis finaliter resurgendi, non tam mortui ibi jacere, quam dormire dicuntur, *Joan.* cap. XI, n. 11, ibi : *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum.* Et Epist. *I ad Thessalonicen.* c. IV, n. 12, ibi : *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus* ; quem textum sic exponit S. Hieronymus dicens : « Eos dormientes appellari, quia certum est eos resurrecturos. »

(5. Quamvis tamen olim in solis cœmeteriis, et nullus in ecclesia sepeliri posset, ut

patet ex cit. cap. *Præcipiendum* 15, caus. 13, q. 2, et cap. *Nullus* 18, ead. caus. 13, quæst. 2, ibi : « Nullus mortuus intra ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi, aut abbates, aut digni presbyteri, aut fideles laici, » id est fama sanctitatis et miraculis clari, ut explicat Glossa, *ibid.*, verb. *Fideles* ; tamen hodie, et jure, et consuetudine introductum est, ut omnes Catholici, sive clerici, sive laici in ecclesiis sepeliantur. Cap. *Fraternitatem* 3, cap. *Ex parte* 5, et cap. *Cum liberum* 6, De sepulturis, juncto c. *Cum gravia* 17, caus. 13, quæst. 2, ubi additur ratio, ibi : « Prodest mortuis, si in ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorum, quorum sepulturam aspiciunt, recordantur et pro eis Domino preces fundunt (53). »

(6. Quilibet a jure non impeditus potest

(52) Concilium Nannetense cap. 6 ita edicit : « Prohibendum etiam, secundum majorum institnta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut exedra ecclesiæ. Infra ecclesiam vero, aut prope altare, ubi corpus Domini et sanguis conficitur, nullatenus habeant licentiam sepeliendi. » Tria igitur, inquit Baluzius *ad Regin.*, lib. I, cap. 125, ubi allatus Nannetensis canon redditur, extra ecclesiam loca erant, in quibus sepeliri poterant corpora mortuorum, atrium videlicet, porticus et exedra. Honorificentior autem sepulturæ locus per illas tempestates erat in atrio, ante portam ecclesiæ, id est, in nobilissima atrii parte. Adnotat enim Gretserus in libro secundo *De funere Christiano*, cap. 8, Constantinum M. sepeliri voluisse in vestibulo ecclesiæ CP. eodemque loco deinceps sepultos esse plurimos imperatores ac Pontifices. De Ottone secundo imperatore testatur Leo Marsicanus in libro secundo *Chronici Casinensis*, c. 9, eum sepultum esse in atrio ecclesiæ Beati Petri apostoli. Et lib. IV, cap. 8, agens de Elgaita Roberti ducis uxore, ait, eam in ecclesiæ paradiso ante basilicam Petri apostoli tumulari voluisse. Sic antiquitus sepulcra comitum Tolosonarum erant in atrio ecclesiæ Sancti Saturnini, prope portam, ubi hactenus videntur, donec Urbani secundi auctoritate cœmeterium eorum constitutum est in atrio basilicæ deauratæ. Sic etiam vestibulum ecclesiæ Tutelensis erat olim locus destinatus sepeliendis vicecomitum Turennensium corporibus, quorum erant ampla ac magnifica in ecclesiam illam merita, ac beneficia, eorumque sepulcra etiamnum manent post tot sæcula. Alicubi tamen porticus erat honorificentissimus sepulturæ locus. Legimus enim apud Bedam, in lib. II *Hist. eccl. Angl.*, c. 3, Augustinum et cæteros Cantuarienses archiepiscopos in porticu Cantuariensis ecclesiæ sepultos fuisse, donec necessarium fuit eos sepeliri intra ecclesiam, qui porticus illa plures capere non poterat. Præter atrium illud, quod erat ante principalem portam ecclesiæ, in quo viri principes sepeliebantur, aliud atrium erat, in quo sepeliebantur omnis conditionis homines. Erat autem atrium illud proprie cœmeterium. Vetus charta Archambaldi vicecomitis Combornensis pro monasterio Tutalensi. Hoc autem ipse Cancelinus de Petrabuferia postea devote adimplevit ad ostium cœmeterii Sancti Martini, quod est ante portam ecclesiæ Sancti Martyris Juliani.

(53) Ambrosius, inquit Dungalus diaconus *contr. Claud. Taurin. suum fratrem Satyrum*, quem nimium dilexerat, juxta sanctum martyrem Victorem s pelivit...., cujus epitaphium hoc ditatur tetras ico :

Urbanio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambrosius.

Hæc meriti merces, ut sacris sanguinis humor
Finitimas penetrans alluat exuvias.

Sanctus vero Maximus, in *Nat. SS. Mart. Taurin.*, « ideo, inquit, hoc a majoribus provisum est, ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat ; dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes evadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis attamen socii sanctitatis : ait enim Dominus Petro : *Tu es Petrus*, etc. Si ergo apostolo et martyri Petro inferni porta non prævalet, quisquis sociatur martyri, Tartaro non tenetur ; martyres enim inferni porta non possidet, etc. » Disputat egregie de eodem more D. Augustinus hac occasione. Cum quædam Flora religiosissima femina *materno et pio affectu* optaret, ut Cynegii filii sui corpus in beati Felicis Nolani confessoris basilica tumularetur, S. Paulinus Nolanus episcopus consulit per litteras Augustinum, « utrum prosit alicui post mortem, quod corpus ejus apud sancti alicujus memoriam sepeliatur ? » Et adjunxit, « videri sibi non esse inanes motus animarum religiosorum atque fidelium pro suis ista curantium. » S. Augustinus in hunc modum respondit : « Profecto etiam provisus sepeliendis corporibus apud memoriam sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ est erga funera suorum. Quoniam si nonnulla religio est, ut sepeliantur, non potest nulla esse quando, ubi sepeliantur, attenditur. Sed cum talia vivorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus appareat, non video quæ sint adjumenta mortuorum ; nisi ad hoc, ut dum recolunt, ubi sunt posita eorum, quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos, orando commendent. » Et quibusdam interjectis : « Cum itaque recolit animus, ubi sepultum sit charissimi corpus, et occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. Qui cum defunctis a fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. » Addit vero capite sequenti, illud ipsum matris desiderium, ex fide profectum, supplicationem quamdam fuisse filio profuturam. « Cum ergo, inquit, fidelis mater fidelis defuncti corpus desideravit in Basilicam martyris poni, si quidem credidit, ejus animam meritis martyris adjuvari ; hoc quod ita credidit, supplicatio quædam fuit, et hæc profuit, si quid profuit. » Laudatam D. Augustini sententiam explanat et ampliat S. Julianus archiepiscopus Toletanus (qui claruit anno 680) his verbis : « Plerique fidelium cum fidei præcedentis

Digitized by Google

sibi eligere sepulturam in qualibet ecclesia ad id jus habente. *Communis*, per olaros textus in cap. *Nos instituta* 1, cap. *Fraternitatem* 3, cap. *Cum liberum* 6, cap. *Cum super* 8, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, cap. *Animarum* 1, et c. *Cum quis* 2, De sepulturis in 6.

(7. Et si cadaver illius, qui elegit sepulturam in aliqua ecclesia, etiam regulari, et per vim parochi, aut alterius, non ibi sed alibi sepeliatur, est restituendum simul cum oblationibus ecclesiæ electæ, textu expresso in c. *Ex parte* 5, c. *Cum liberum* 6, De sepulturis, c. *Animarum* 2, eod. in 6. Et sic pluries decrevit sacr. cong. in facti contingentia, ut videri potest verb. *Cadaver*, n. 11, ubi referuntur decreta una cum confirmatione facta ab Alexandro VII, constitut. incip. *Alias pro parte*.

(8. Qui sibi sepulturam non elegit, sepeliri debet in sepulcro majorum suorum, textu expresso in c. *Nos instituta* 1, De sepulturis, ibi : « Statuimus, unumquemque in majorum suorum sepulcris jacere, ut patriarcharum exitus docet, » c. *Cum quis* 2, et cap. *Is qui* 3, eod. in 6, ibi : « Is qui... non electa sepultura decedit... in ea, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura exstitit, sepeliri debebit, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari. »

(9. Majorum nomine ad hunc effectum veniunt pater, avus, proavus, et alii ascendentes in linea recta, L. *Juris consultus* 10, ff. *De gradibus*, l. *Appellatione* 51, ff. *De verb. significat.*; Panimol., decis. 5, adnot. 3, n. 15; Barbos, *De offic. et potest. parochi*, cap. 26, n. 32, *Decretal.*, tit. 28, n. 10 et alii passim.

(10. Si majores non in uno et eodem sepulcro sepulti fuerint, sed in diversis, verb. grat. avus, proavus, abavus, aliique omnes majores in uno, pater vero in alio, tunc secundum Glossam, in cap. *Is qui* 3, verb. *Antiquo*, De sepulturis in 6; Engel., l. III *Decretal.*, tit. 28, n. 6; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 11; Silvester, verb. *Sepultura*, q. 8, et alios, filius decedens, non electa sepultura, sepeliri debet in sepulcro majorum et non patris, nisi pater pro se et posteris aliam sepulturam expresse elegisset. Et id tenent et probant ex quo semper in jure fiat locutio in plurali, ut patet, in cap. *Nos instituta* 1, De sepulturis, ibi : « In majorum suorum sepulcris. » C. *Fraternitatem* 3, eod., ibi : « Patrum, aliorumque parentum sepulturis, » quo nomine etiam majores veniunt. Cit. l. *Jurisconsultus* 10, § 8, ff. *De gradibus affinit.*, ibi : « Parentes usque ad tritavum nominantur. » Et c. *Cum quis* 2, De sepulturis in 6, ibi : « Cujus majores sunt soliti ab antiquo in aliqua ecclesia sepeliri. » C. *Is qui* 3, eod. in 6, ibi : « In qua majorum ipsius ab antiquo sepultura exstitit, sepeliri debebit. » Hæc autem jura magis verificantur, si in dicto casu filius non in sepulcro solius patris, sed in sepulcro majorum antecedentium sepeliatur, et ex verbis patet, adeoque, etc.

(11. Multi autem alii tenent contrarium, nempe quod filius decedens, non electa sepultura, debeat in tali casu sepeliri, non in sepulcro omnium majorum, sed in sepulcro patris; dummodo pater ex propria electione, et non casu, vel ex aliquo accidenti sepultus fuerit in sepultura diversa ab antiqua majorum. Sic late Oldrad., cons. 25, n. 2, vers. *Contrarium* usque ad fin.; abbas, in cit. c. *Nos instituta* 1, n. 5, De sepulturis; Sperell., t. I, dec. 88, n. 9, cum aliis ibi relatis; Barbosa, *De offic. et potestat. parochi*, c. 27, n. 32, et lib. II *Jur. eccles. univers.*, cap. 10, n. 32; Medic., *De sepultur.*, qu. 7, n. 22, part. I; Panimol., decis. 5, adnot. 3, n. 19, ubi dicit, quod hæc est receptior sententia, Ventriglia, part. I, adnot. 52, § unic. 24; Matthæucc., *Official. cur. quoad sepulturas*, cap. 48, n. 23; Zechius, *De republic. ecclesiast.*, lib. I, cap. 28, *De parocho*, num. 27, vers. *Fallit*; cardin. Petra, t. II. *Commentar. in constit.* 2 *Honorii III*, n. 25; Pirrhing, lib. III *Decretal.*, tit. 28, n. 4, et alii, quorum tamen varii, ut card. Petra, Barbosa, Matthæucc. et alii, ut eos legenti patet, id solum affirmant, quando proavus, abavus, et alii ascendentes majores sepulti sunt in uno sepulcro, avus vero, et pater sepulti sunt in alio, et non quando omnes majores sepulti sunt in uno, et solus pater in alio. Sicque non videntur dissentire a doctoribus primæ sententiæ relatis *supra* n. 10.

(12. Et revera si abavus et proavus sepulti sint in uno sepulcro, avus vero et pater in alio filius decedens, non electa sepultura, sepeliendus est cum patre et avo. Pirrhing, *loco cit.*, n. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 11; Engel., *loco cit.*, n. 6; Petra, *loco cit.*, n. 25; Matthæucc., *loco cit.*, n. 23; Oldrad., cit. consil. 25; Barbosa, *De offic. et potestate parochi*, cap. 26, n. 32, et in cap. *Nos instituta* 1, n. 2, De sepulturis; Silvester, *loco cit.*, q. 8, et alii; et ratio est, quia sepultura inter mortuos comparatur domicilio inter vivos; atqui filius sequitur originem et domicilium proximiorum parentum seu majorum, Patris scilicet et avi, et non remotiorum ascendentium. L. *Assumptio* 6, § *Filius*, ff. *Ad municip.*, cap. *Fraternitatem* 3, De sepulturis ergo, etc. Tum quia, in dicto casu æque satisfit juris textibus, ac si in sepulcro remotiorum sepeliretur. (13. Si autem pater pro se et posteris aliam sepulturam ele-

---

fectu, aut sua, aut suorum corpora apud memorias martyrum præcipiunt tumulari; non puto infructuosum esse, quod creditur, aut inane, quod fideliter de divino auxilio speratur, tantum si non sint in hujusmodi, qui in ecclesiis sepeliuntur, insolubiles culpæ (hoc est lethales culpæ in vita non expiatæ per pœnitentiam) quæ eos non sinant, etiam oblatis Deo sacrificiis, adjuvari post mortem. Ac proinde si fides illa habere meritum creditur, qua quisquis ille impletus pro defuncto suo in locis martyrum tumulato deprecatus (ut Augustinus) quanto magis illa fides spei suæ fructum consequetur, quæ in vivente adhuc remediabilem sui cadaveris providet locum? »

Digitized by Google

gisset expresse, tunc utique filius, ut dictum fuit *supra* n. 10, deberet sepeliri in sepultura patris. Arg. cap. *Unaquæque* 3, § *Item in novo*, caus. 13, q. 2, quia si posteri aliam sepulturam non eligant, in similem patris electionem consentire, sicque ipsis sepulturam tacite elegisse censentur. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 11, et a fortiori omnes citati doctores *supra* n. 11.

(14. Si adsit sepulcrum gentilitium, seu familiare, et sepulcrum hæreditarium, attendendum est primum, et postea secundum, cum etiam hoc dicatur aliquo modo sepulcrum majorum. Sic cum aliis card. Petra, cit. t. II *Commentar. in constitut.* 2 *Honorii III*, sect. unic., n. 35; Matthæucc., *loco cit.*, n. 23, vers. *Sicut*; Passerin., *De statu homin.*, t. II, quæst. 187, art. 4, inspect. 4, cap. 2, et alii.

(15. Etiam infantes, quamvis juxta Rituale Romanum, tit. *De exsequiis pueror.*, debeant sepeliri in sepulcro separato, adhuc tamen sepeliri possunt in sepulcro majorum. Sic expresse decrevit sacra congreg. Episc. et Regul., *in Ausculana* 21 Octobris 1616, apud Barbosam, *De offic. et potest. parochi*, c. 26, n. 8; card. Petra, *loco cit.*, n. 26; Panimol., *loc. cit.*, n. 18; Sperell., cit. decis. 88 in fine, et novissime sacra cong. Concil., *in Novarien. Funerum* 15 Mart. 1704, in respons. ad primum. *Vide* verb. QUARTA FUNERALIS, n. 32, ubi una cum aliis datur ad litteram decretum.

(16. Filii illegitimi et naturales sepeliendi sunt in sepulcro patris, nisi is in dignitate sit constitutus. Non item filii spurii, quia isti sepeliendi sunt in sepulcro matris, nisi sit femina illustris. Silvester, verb. *Sepultura*, qu. 8, dict. 4; Pirrhing, *loco cit.*, sub. n. 4, et alii.

(17. Filii adoptivi et arrogati, si moriantur vivente patre, in cujus potestate erant, debent sepeliri in sepulcro ejusdem. Secus autem, si eo jam mortuo, decedant, quia tunc debent sepeliri in sepulcro patris naturalis, cum jam exspiraverit in tali casu adoptio. Silvester, *loc. cit.*, dist. 4; Pirrhing., *loc. cit.*, sub n. 4, et alii.

(18. Infantes expositi non in sepultura patris seu majorum, sed in sepultura hospitalium, in quibus exponuntur, sunt sepeliendi. Arg. cap. *Si a patre unic.* De infantibus exposit.; Sebastianus Medices, p. I *De sepultur.*, quæst. 7, n. 25; Ventrigl., *loco cit.*, num. 25, et alii. Si autem tales infantes non essent expositi in hospitalibus nec hospitalium expensis alerentur, essent sepeliendi in parochia, in qua contingeret eos decedere, quia decedentes, non electa sepultura, sepeliendi sunt enim in sua respectiva ecclesia parochiali. Cap. *Ex parte* 5, cap. *Cum sit liberum*, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, cum similibus.

(19. Supradicta regula, quod decedens sine electione sepulturæ sepeliendus sit in sepulcro majorum, non procedit e converso, taliter quod, si moriatur pater, vel avus, sepeliendus sit in sepulcro filii, vel nepotis; et ratio est, quia ascendentes non sequuntur sepulcrum descendentium nec transversalium, nisi sint hæredes, et sepultura sit hæreditaria, nec sit ibi facta electio. Lavorius, *Variar. lucubrat.*, tit. 2, c. 11, n. 121; Sebastianus Medices, *loc. cit.*, n. 24; Ventriglia, *loco cit.*, n. 24, et alii.

(20. Si quis nullam habeat sepulturam majorum, nec aliquam sibi elegerit, sepeliendus est in propria parochia, ubi sacramenta suscepit. *Communis*, per text. in cap. *Ex parte* 5, et cap. *In nostra* 10, De sepultur., cap. *Animarum* 1, et cap. *Is qui* 3, eod. in 6. (21. Et nullam habere sepulturam majorum censetur etiam filius ille, cujus majores singuli sepulti sunt in diversis sepulcris, nempe proavus in uno, avus in alio, pater in altero, cum ad hunc effectum requiratur concursus plurimorum, qui ab antiquo in eodem sepulcro sepulti fuerint, quia ab uno solo denominari non potest sepulcrum majorum; unde, cessante hoc casu majorum sepulcro, talis filius sepeliendus erit in sua parochia. Sic Ancharanus, in cap. *Is qui*, sub n. 4, De sepultur. in 6; Silvest., verb. *Sepultura*, sub n. 8; Barbosa, in cap. *Nos instituta* 1, n. 2, De sepultur.; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 11 in fin.; Engel., *loco cit.*, n. 6, et alii; contrarium tamen, nempe quod hoc casu sit attendendum sepulcrum patris, tenet abbas, in cap. 1, n. 6, Extrav. *De sepulturis*, et ita de consuetudine servari testatur Lavorius, *Variar. lucubration.*, tit. 2, cap. 11, n. 113; Sperell., tom. I, dec. 88, n. 10. At isti intelligendi sunt in casu, quo pater pro se et posteris sepulturam elegisset, juxta dicta *supra* n. 13. Alias non esset, qui non haberet sepulcrum majorum, cum quilibet habeat suum patrem in aliquo sepulcro sepultum loquendo de patribus jam suis filiis præmortuis.

(22. Peregrini pertranseuntes et viatores, nisi sepulturam elegerint, sepeliendi sunt in cathedrali; advenæ autem seu exteri, et peregrini habentes per aliquod tempus habitationem in aliqua parochia, sepeliendi sunt in ipsa. Sic sac. cong. Episc. et Regular., *in Fulginaten.* 3 Julii 1592, rescribens episcopo: « Etiam circumscripta consuetudine, advenas et pertranseuntes cathedralibus, et reliquos in parochia, intra cujus fines obierint, si per aliquod tempus habitaverunt, esse sepeliendos. » Sperell., decis. 87, n. 14; Lavorius, *loc. cit.*, n. 144; card. Petra, tom. II *Comment. in constit.* 9 *Innocent. III*, sect. unic., num. 50; Matthæucc., *loc. cit.*, n. 12, et alii referentes dictam sacræ congregat. resolutionem; si autem adesset alibi legitima aliqua consuetudo, tam favore cathedralis quam parochi, esset servanda, ut concordant doctores apud Sperell., *loc. cit.*, num. 14; Panimol., *loco cit.*, n. 43; card. Petra, *loc. cit.*, n. 50, arg. c. *Cum dilectus* 8, et c. *Cum tanto* 11, De consuetudine, l. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*.

(23. Studiosi, famuli conductitii, milites, officiales, aliique similes conducentes domos ad aliquod tempus, seu alicubi habi-

Digitized by Google

tantes, si sepulturam non sibi elegerint, debent sepeliri in parochia, ubi sic habitabant et decesserunt. *Communis*, et servat recepta consuetudo, quæ non solum est in dubiis optima legum interpres, cit. l. *Si de interpretatione* 39, ff. *De legibus*, cap. *Cum dilectus* 7, De consuetudine. Sed etiam claræ legi derogat; cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine. Miles tamen præsidiarius sepeliri debet in parochia Arcis, ubi actualiter moratur, non autem in alia parochia ubi retinet domum apertam cum uxore et filiis. Sac.cong. Conc., *in Romana* 17 Aug., apud Ursayam, in *Miscellaneo sacr. et profan.*, litt. *M.*

(24. Qui habet domicilium in civitate vel castro, et ad villam ruralem se transfert recreationis gratia, vel ut ruralia exerceat, et inibi, non electa sepultura, nec habens sepulcrum majorum decedat, debet sepeliri in propria parochia civitatis vel castri, si absque periculo ad ipsam possit deferri, textu expresso in cap. *Is qui* 3, De sepulturis in 6, ibi: « Is qui habet domicilium in civitate vel castro, quando ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem non in ecclesia dictæ villæ, sed in sua parochiali, vel in ea potius, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura exstitit, sepeliri debet, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari. »

(25. Qui autem habet domum hiemalem, v. gr. in civitate, et æstivam in rure, et sic æquali tempore, modo in una, modo in altera habitat seu moratur, sepeliendus est in parochia in qua decedit. Et ratio est, quia parificatur cum eo, qui in duobus locis æque principale domicilium habet, et sic efficitur utriusque parochiæ parochianus, adeoque sepeliendus est in parochia, in qua decedit, cum ipsa sit pro tunc vera ipsius parochia. Argument. cap. *Ex parte* 5, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, cap. *Animarum* 1, eod. in 6.

(26. Advenæ seu hospites, aliique casu decedentes in regularium conventibus, nisi eligant ibidem sepulturam, sepeliendi sunt de jure communi in parochiali, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, ubi expresse cavetur non posse regulares sepelire nisi eos qui vere in suis ecclesiis sepulturam elegerint. Et ita censuit sacra congregatio Concilii, *in Ripana* 3 Februarii 1652, nempe non licere regularibus commoranti per aliquot dies in eorum conventu, ibique defuncto omnia sacramenta ministrare, et in eorum ecclesiis dare sepulturam sine licentia parochi, qui quarta funeralis debetur. Sic referunt Pignatell., tom. I, consult. 306, n. 1, cardin. Petra, tom. I. *Comment. in constitut.* 9 *Innocentii III*, n. 49; et alii. Idem eadem sacra congregatio Concilii, *in Ravennaten.* 20 Januar. 1674, censuit: « Spectare ad parochos sepelire et ad proprias parochias deferre cadavera eorum, qui in monasterio recepti, sepultura non electa, decesserant. » Item eadem sacra congregatio Concilii, *in Gerunden.* 3 Februar. 1694. Expugnato enim a Gallis præsidio de Roses in eodem vulneratus est Didacus Fonseca, qui hospitii causa se recipiens ad conventum S. P. Dominici Gerundæ, ibi parocho irrequisito, sacramentis munitus decessit et sepultus fuit. Qua de re proposito dubio: An dicto militi Fonsecæ potuerint religiosi, irrequisito parocho, sacramenta ministrare et corpus deponere, » sacra congregatio respondit: « Detur decretum in *Nullius* 19 Septemb. 1637, tenoris sequentis: « Quidam miles occasione infirmitatis divertit in monasterium regularium, ibique ab eisdem sacramentum Eucharistiæ pro Viatico, et extremam Unctionem recipit, et exinde obiit, parocho intra cujus fines monasterium exsistit, reluctante. » Quæritur: « An Administratio hujusmodi regularibus esset permissa? » Sacra congregatio Concilii respondit: « Non esse permissam: » card. Petra, tom. II *Comment. ad constitut.* 9 *Innocent. III*, sect. unic., n. 49; Pignatell., tom. I, consult. 306; Passerin., *De statib. hominum*, tom. II, pag. 187, art. 2, n. 229 et seq.; Bordon., *Oper. moral.*, tom. III, resolut. 51, num. 216; Matthæuccius, *Offic. curiæ quoad sepulturam*, c. 58, num. 14; Antonell., *De regimine Eccles.*, lib. I, cap. 12, num. 11, vers. *Infertur tertio*, ubi sic expresse dicit: « Infertur tertio, eos qui hospitii causa recipiuntur in conventu regularium, ibique infirmantur et moriuntur, in parochiali ecclesia sepeliendos esse, » et sic alii.

(27. Oblati, donati seu tertiarii, atque etiam sæculares, qui regularibus deserviunt, et intra eorum monasteriorum septa ac domus resident, et sub eorum obedientia vivunt, licet non ratione voti, sed ratione servitutis, si inibi decedant, sunt ibi irrequisito parocho tumulandi; isti namque eximuntur a subjectione ordinariorum et parochorum, et gaudent privilegiis religiosorum, quibus inserviunt, quamvis salario sint stipendiati. *Vide* verb. APPROBATIO PRO CONFESSIONIBUS EXPEDIENDIS, art. 1, a num. 64, ubi fuit jure et ratione conclusum, posse regulares supradictorum omnium confessiones excipere cum sola approbatione sui prælati regularis sine approbatione episcopi: unde cum sepultura potissimum dependeat ab administratione sacramentorum, ut ponderavit Rota recent., part. XI, decis. 384, n. 9, et notant doctores communiter, si supradicti omnes recipiunt sacramenta independenter ab ordinario et parocho ab ipsis regularibus sepeliendi etiam sunt independenter ab ordinario et parocho in regularium ecclesia; et sic in terminis firmat card. Petra, *loco cit.*, n. 42; card. de Luca, *De regularibus*, disc. 1, n. 50; Passerin., cit. tom. II, *De statib. homin.*, quæst. 187, art. 3, a n. 228; Matthæucc., *loco cit.*, n. 15; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 21; Pirrhing, *loco cit.*, n. 9, et alii communiter.

(28. Secus autem sæculares illi, qui tantum ipsis monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de familia, nec continui commensales, et cum sæcularibus exteris extra monasteria habitant, et vivunt; isti enim,

Digitized by Google

si non habeant sepulcrum majorum, vel sepulturam non elegerint, sepeliendi sunt in propria parochia, juxta resoluta sub dict. verb. APPROBATIO, n. 65 et 69.

(29. Monialium famuli et famulæ habitantes in mansionibus intra atria monasteriorum, ubi debeant sepeliri? *Vide* verb. MONIALES, art. 6, n. 41.

(30. Puellæ educandæ et mulieres sæculares in monasteriis monialium legitima facultate commorantes, et inibi decedentes ubi sint sepeliendæ? *Vide* verb. MONIALES, art. 1, n. 61 ad 63.

(31. Novitii et novitiæ sepulturam sibi non eligentes, debent sepeliri in monasterio ubi decedunt, et absque ulla obligatione solvendi portionem canonicam parocho loci. Engel., lib. III *Decretal.*, tit. 18, n. 12; Reiffenstuel, *ib.*, n. 20; cardinal. Petra, *loc. cit.*, n. 38, et alii communiter; et ratio est, quia in favorabilibus novitii et novitiæ veniunt nomine religiosorum et religiosarum. Arg. cap. *Religioso*, § *Quamvis* 21, De sentent. excommunication. in 6. Accedunt specialia circa hoc privilegia religiosis concessa, de quibus testatur Donatus, tom. III, tract. 10, quæst. 4, n. 2, et etiam universalis consuetudo religionum, quæ derogaret legi contrariæ, si quæ adesset, cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine. Insuper debent novitii et novitiæ sepeliri in monasterio, ubi decedunt, etiamsi habuissent animum determinatum exeundi a religione. Cardin. Petra, *loc. cit.*, n. 38, cum Palao et aliis ibi citatis; Silvester, verb. *Sepultura*, quæst. 8; Engel., *loc. cit.*, n. 20, et alii; et ratio est, quia non voluntas et affectus, sed factum mutat statum et domicilium. L. *Domicilium* 20, ff. *Ad municipalem*.

(32. Imo in monasterio, ubi decedunt, sepeliri debent etiam juvenes sæculares, et puellæ nondum habitu regulari induti seu indutæ, sed de brevi induendi seu induendæ, et jam in novitiatum admissi seu admissæ, ut sic sub obedientia regulari per aliquos dies incipiant experiri religionis austeritates. *Vide* verb. NOVITIUS, NOVITIA, n. 16 et 17.

(33. Novitii et novitiæ, et a fortiori dicti juvenes et puellæ adhuc sæculares, si habeant patrimonium, debent sepeliri propriis expensis, nisi adesset consuetudo, ut expensis semper monasterii sepelirentur. Si autem patrimonio careant, debent sepeliri expensis monasterii. Card. Petra, *loc. cit.*, n. 38, cum aliis ibi citatis; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 8, cum aliis ibi adductis, et plures alii apud Donat., *loc. cit.*, quæst. 4, n. 1 et 3.

(34. Regulares professi decedentes extra conventum, si commode ad ipsum deferri possint, debent in eo sepeliri. *Communis*, textu expresso in cap. *Religiosi* 5, De sepulturis in 6, ibi: « Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle vel nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi. »

(35. In tali casu non tenentur regulares solvere portionem canonicam parocho loci, in quo regularis decessit, quamvis religiosc infirmo viaticum et extremam unctionem ministraverit. Sacr. congreg. Episcop. et Regul., *in Puteolana* 22 Maii 1615, apud Barbos., *De offic. et potest. parochi*, cap. 26, n. 68. (36. Possuntque regulares dictos defunctos suos religiosos deferre ad suum monasterium : inconsulto parocho. Sacra congreg. Concilii, *in Bononien.* 2 Julii 1620, in responsione ad 10, quod erat his verbis conceptum : « Decimo, morendo frati, come avviene alle volte, ed in particolare de canonici Lateranensi, fuori del monastero in casa de'loro parenti, ed avendo i curati amministrato loro i santissimi sacramenti ; se possono i loro superiori farli portare di notte alla loro chiesa, senza dirne cosa alcuna al curato, e senza darli le ragioni parocchiali? » Ad decimum sacra congreg. Concilii respondit : « Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum ecclesias deferri, etiam parochis inconsultis. » Sic referunt Passerin., tom. II, quæst. 187, art. 4, n. 211; card. Petra, *loco cit.*, n. 7; Donat., *loco cit.*, q. 9, n. 1, et alii passim.

(37. Talis autem delatio, inconsulto parocho, est facienda modo privato sine pompa, sine cruce et processione, ut affirmant card. Petra, *loco cit.*, n. 9; Pignatell., tom. IV, consult. 199, num. 9; Matthæucc., *loco cit.*, n. 16, referens sic in casu fuisse observatum Romæ. Si autem quandoque ex quibusdam circumstantiis congrua videretur solemnis delatio defuncti regularis cum cruce et processione ad monasterium suæ religionis, deberet fieri cum assistentia, vel saltem de consensu parochi, cum ratio et consuetudo non patiatur, ut regulares sine parocho, aut ejus delegato, qui posset in casu esse etiam aliquis regularis causa exsequiarum, procedant extra monasterium processionaliter. Card. Petra, *l. c.*, n. 11; Pignatel., *loco cit.*, n. 6; Matthæucc., *loco cit.*, n. 16, et alii. (38. Attamen in hoc dicerem, servandam esse locorum consuetudinem, cum ipsa non solum sit in dubiis optima legum interpres. L. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*, cap. *Cum dilectus* 8, De consuetudine, sed etiam clare legi deroget; cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine.

(39. In casu autem, quod regulares decedant in locis a suis monasteriis ita remotis, ut ad ea deferri commode non possint, sepeliri debent in ecclesia ab ipsis electa, cum ad id in simili casu facultatem habeant a jure sibi concessam per dictam limitationem in cit. cap. *Religiosi* 5, De sepult. in 6, ibi: « Nequeunt... sibi eligere sepulturam... nisi a propriis monasteriis adeo sint remoti, ut ad ea commode portari non possint. » Sic Glossa, *ibid.*, verb. *Nota*; Donat., *loco cit.*, q. 2, n. 3; Engel., *loco cit.*, n. 11; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 18, et alii passim. (40. Si tamen in dictis locis remotis decedant regulares, non electa sibi sepultura, sepeliendi sunt in ecclesia parochiali, in qua moriuntur, idque expensis proprii monasterii, si bona in communi possideat. Donat.,

Digitized by Google

loco cit., qu. 2, n. 4, cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 18; Glossa, in cit. cap. *Religiosi*, verb. *Nota*, ubi citat communem doctorum his verbis : « Sed quid, si moriatur, non electa sepultura? Communis opinio doctorum est, quod sepeliendus est in ecclesia parochiali, in cujus parochia mortuus est. »

(41. Tunc autem dicitur religiosus mori in loco remoto, ut detur ei locus electioni sepulturæ, quando ejus cadaver distat a suo monasterio per iter unius diei, id est ad quod per unicum diem cadaver transferri nequit, ne forte putrescat et inficiat aerem. Donat., *loco cit.*, quæst. 2, n. 5; Bord., tom. II, resol. 41, n. 161; Pelliz., in *Man. regul.*, tom. II, tr. 8, c. 5, n. 29, et alii. Vel relinquitur arbitrio prudentis judicandum, ut notat card. Petra, *loco cit.*, n. 31; Matthæucc., *loco cit.*, n. 16 in fin., et alii.

(42. Quod dictum est de professis decedentibus extra claustra, dicendum est etiam de novitiis, præsertim cum extra claustra decedunt, quando ad exsequendam superiorum voluntatem exierunt, seu quando de consilio medici, et licentia sui superioris se transtulerunt ad domum suorum parentum pro recuperanda inibi sanitate; tunc enim sepeliendi sunt in monasterio sine obligatione solvendi canonicam portionem parocho, quia gaudent juribus et privilegiis ordinis, et in favorabilibus veniunt nomine professorum. Arg. cap. *Religioso*, § *Quamvis* 21, De sent. excomm. in 5; Donat., *loco cit.*, q. 8, n. 5; Pelliz., tom. II *Man.*, tr. 8, c. 5, sect. 4, qu. 10, n. 137; Mancin., in brevi tract. *De infirmitat. in ordine ad sepulturam*, dub. 9; Dicastill., *De justit.*, lib. II, tract. 19, d. 3, n. 209; La Croix, lib. VI, n. 248, cum Sanch., *ibi*, cit. et pluribus declarat Pignat., tom. VII, consult. 70.

(43. Regularis confessarius monialium pro earum cura spirituali habitans in domo prope monasterium ad præscriptum Alexandri VII, constitut. incip. *Felici*, § 11, si infirmetur ad mortem, recipit viaticum et extremam unctionem a suis religiosis et non a parocho : quamvis enim regulares, qui infirmantur ad mortem in domibus sæcularium, talia sacramenta recipere debeant a parocho, ut declaravit sacra congregatio, sub anno 1620, apud Donat., tom. III, tract. 10, q. 9, n. 6. Itemque ead. sacra cong. Conc., in *Collen.* 11 Aprilis 1609, et *Messanen.* 20 Septembr. 1598. Tamen hæc declaratio non videtur comprehendere dictum confessarium, quia ipse non infirmatur proprie in domo sæculari, sed potius in domo quasi religiosa et exempta ad hunc effectum, et quidem a Summo Pontifice præscripta quasi domo parochiali seu conventuali ipsius regularis confessarii inibi habitantis tanquam parochi ad curam spiritualem monialium. Unde non est censendum, quod Pontifex statuendo talem mansionem pro dicto confessario regulari, voluerit ipsum reddere inferioris conditionis, quam sint alii religiosi commorantes in suo conventu, adeoque exempti a jurisdictione parochiali, cum ipse ibi manendo censeatur quoad hunc affectum manere in conventu, et de facto ibi maneat sub obedientia sui superioris in sibi tanquam conventuali mansione designata a Pontifice, alias non reperiretur, qui vellet hoc onus subire, sicque moniales remanerent destitutæ tam necessaria cura spirituali; tum quia si infirmetur parochus in propria sua domo parochiali recipit sacramenta a sua parochia independenter a quolibet, ergo etiam dictus confessarius regularis, qui velut parochus habitat in dicta domo sibi a Pontifice præscripta tanquam sua domo parochiali, potest independenter a quolibet recipere hæc sacramenta ab ecclesia monialium tanquam a sua exempta parochia; talis enim regularis nedum gaudet exemptione personali, sed quoad hunc effectum etiam exemptione locali : tum etiam quia nemo potest rationabiliter asserere, quod ipse confessarius infirmus non possit reficì eodemmet sacramento, quod ipsemet sanus in sua velut parochiali monialium Ecclesia confecit. Argum. *Epist. I ad Corinth.*, cap. IX, n. 7, ibi : *Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit?* Accedit etiam recepta consuetudo, quæ non solum in dubiis est optima legum interpres. L. *Si de interpretatione* 36, ff. *De legibus*; cap. *Cum dilectus* 8, De consuetudine, sed etiam claræ legi derogat; c. *Cum tanto* 11, De consuetudine.

(44. Regularis viator et hospes in conventu alterius religionis, v. gr. Dominicanus in conventu Franciscanorum, si ibi decedat, non sibi electa sepultura et valde remotus, et distans sit conventus proprii ordinis, sepeliendus est in Ecclesia parochiali, intra cujus fines est conventus, in quo decedit; de ipso enim discurrendum est, ac de regularibus decedentibus in locis sæcularibus, ita remotis a suis monasteriis, ut ad ea deferri commode non possint, qui ut diximus *supra* n. 30, sepeliendi sunt in parochiali.

(45. Et inibi sepeliendus est expensis sui peculii, si habeat, vel, eo carente, expensis proprii monasterii. Card. Petra, *loco cit.*, n. 36; Sanchez, lib. VI in *Decalog.*, c. 14, n. 4; Castropal., part. III, tract. 19, disp. 4, punct. 13, § 8, n. 6, et alii. Et ratio est, quia monachus in vita acquirit monasterio. C. *Statutum* 15, caus. 18, qu. 1, cap. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, q. 3, c. *In præsentia* 8, De prob., cum similibus, ergo monasterium in ejus morte debet ipsius sepulturæ onus sentire; qui enim sentit commodum, sentire debet et onus. Leg. *Si merces* 25, § 6, ff. *Locati*, cap. *Qui sentit* 15, De regul. jur. in 6.

(46. Quod usque nunc dictum est de regularibus, est dicendum etiam de monialibus, ita ut in omnibus dispositio cit. cap. *Religiosi* 5, De sepulturis in 6, cum eisdem procedat. Hinc si contingat, quod aliqua monialis moriatur extra suum monasterium, idem est concludendum, quod ibi statuitur de viris regularibus. Murga, *Disp. for.*, tom. I, disp. 8, De electione sepulturæ, § 9 et 10; card. Petra, *loco cit.*, n. 40, et alii passim.

Digitized by Google

(47. Regularis expulsus seu ejectus, si non eligat sepulturam, ad quod habet facultatem, cum statim ac ejicitur a religione, censeatur relinqui, ac si religiosus non esset, et videatur nolle ejus corpus cum illis religiosorum sociari, ut docent Murga, *loco cit.*, disp. 8, § 3; Molina, tract. 2, disp. 276; Lessius, *De justit. et jur.*, lib. II, cap. 41, dub. 15, n. 113; card. Petra, *loco cit.*, n. 37, et alii passim, sepeliendus est in parochia, in qua decedit. Arg. c. *Nos instituta* 1, c. *Ex parte* 5, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, cap. *Animarum* 1, et cap. *Is qui* 3, eod. in 6.

(48. Et tunc expensæ faciendæ sunt de ejus peculio, si habeat, seu de peculio parentum, et in casu omnimodæ paupertatis debet a parocho tumulari gratis, sicut gratis tumulari debent cadavera aliorum pauperum, ut statuit sacr. congr. Episc. et Regul., *in Cassanen.* 5 Maii 1617.

(49. Tertiarii et tertiariæ, habentes requisita a Leone X, in constitutione incip. *Dum intra*, et alia incip. *Nuper*, et in decreto sacræ congregationis edito die 20 Decembr. 1616, si decedant non sibi electa sepultura, et in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, communis sepultura pro ipsis reperiatur, debent in ipsa sepeliri, alias sepeliri debent in parochiali. Sic declaravit sacra congr. Concilii, ut ex Novario refert card. Petra, *loco cit.*, n. 41, vers. *Si vero*, his verbis : « Præterea si contingat aliquos ex prædictis tertiariis absque sepulturæ electione decedere, eos sic decedentes ita demum in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, si in ipsis eorum sepultura communis reperiatur, sin minus, in ecclesiis parochialibus sepeliendos esse decrevit. » Nam, ut prosequitur eminentissimus Petra, *loco cit.*, uti gaudentes privilegiis regularium pars dicuntur ipsius religionis, ut dixit etiam sacra congreg. Episcop. et Regular., *in Nepesina* 11 Decembris 1615, ad quintum et 20 Decembris 1617. (50. Verum cadavera non possunt deferri a domo, nisi cum præsentia parochi, vel hoc requisito, ut sacra congreg. cit., *in Mutinen.* 17 Junii 1636, apud Dian., part. V, tract. 9 *Miscell.*, resolut. 30, et Passerin., *De statib.*, tom. II, n. 246 et seq., qui numer. 248, adducit Epistolam per extensum. Sic cardin. Petra, *loco cit.* n. 41, vers. *Si vero;* Panimoll., decis. 5, adnot. 3, n. 47 et 48; Sellius in *Select. canon.*, cap. 35, n. 20; Gavant., in *Manual. episcop.*, verb. *Tertiarii*, n. 10 et 11; Tamb., *De jure abbatissar.*, disp. 7, qu. 3, vers. *Tertiariæ*, et vers. *Sacra congr. cardinal.;* Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, cap. 26, n. 69; Sperel., tom. I, decis. 87, n. 17; Lavor., *Var. lucubr.*, tit. 2, cap. 11, n. 102 et 103; Matthæucc., *Official. cur.*, c. 48, n. 31, et cap. 52, n. 3, § 2 et 3, et alii. *Vide* verb. *Tertiarii*, ubi dantur citatæ constitutiones Leonis X, editæ in concilio generali Lateranensi, et cit. Decret. sacræ congregationis :

(51. Quoad sepulturam Chordigerorum utriusque sexus. Sacra congr., Episcop. et Regul., *in una Senogal.* 22 Novembr. 1580, sic observari mandavit : « Quod ubi adest sepultura communis pro chordigeris in Ecclesia fratrum Minorum, ubi est erecta confraternitas, sepeliantur in ea; ubi vero non est talis sepultura, moderentur sicut cæteri sæculares, et sepeliantur in sæculari Ecclesia, si non sibi elegerint aliunde sepulturam. » Lantusc., *Theatr. Regul.*, verb. *Confraternitas*, n. 12; Matthæucc., *Offic. curiæ quoad sepulturas*, cap. 48, n. 21, sed quantum ad hoc attendenda est consuetudo, cum circa id habeantur posteriora decreta contraria, ut apparet in num. subseq.

(52. Confratres confraternitatum exsistentium in Ecclesiis regularium sepeliendi sunt in parochia, nisi alibi elegerint sepulturam. Sic sacra congr. Concil. prout in constitutione Innocentii X, incip. *Ex injuncto*, § 6, ibi : « An liceat regularibus sepelire in suis ecclesiis confratres laicos qui sepulturam non elegerunt? » Respondit : « Confratres laicos, si non præcedat eorum electio sepulturæ, sepeliendos esse in eorum parochiali ecclesia. » Et hoc procedit, etiamsi in ecclesiis regularium adesset communis sepultura pro dictis confratribus, ut respondit sacr. congr. Concilii, *in Neapolitana*, die 12 Februarii 1666, ad septimum dubium. *Vide* verb. CONFRATERNITAS, art. 5.

(53. Confratres, ut possint sibi eligere sepulturam in oratorio confraternitatis habente jus sepulcri, requiritur, quod per sex menses ante obitum fuerint ascripti. Sic cavetur in concilio V *Mediolanen.* relato a Gavant., in *Manual.*, verb. *Confraternitas*, n. 46, a Monacell., part. IV, *Supplem. ad* tom. I, n. 131.

(54. Volentes sepeliri in habitu religiosorum, non est de necessitate, quod tumulentur in ecclesiis eorum, quorum est habitus, sed possunt sepeliri, ubi sepulturam elegerint, prout eorum relinquitur arbitrio a Leone X, constitut. incip. *Dum intra*, ibi : « Volentes quoque sepeliri in habitu eorumdem fratrum in claustro non degentes, sed in propriis domibus cohabitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi libere eligere possint. » Et sic statuit etiam sacra congr. Episcop. et Regular., *in Novarien.* 23 Novembr. 1582, apud. Pignatell., tom. I, consult. 17, n. 20, rescribens illius civitatis episcopo in hæc verba : « V. S. non permetta in modo alcuno, che i terziarj si confessino, se non da quelle persone, che sono state ammesse alle confessioni da lei, benchè siano frati, perchè niun deve confessare senza l' approvazione dell' ordinario. Facendo intendere inoltre alli terziarj, che abitano nelle case loro, che s'ingannano pensando, che tutti quelli che hanno l'abito da terziario, si debbano senz' altro, quando muojono, sepellire nelle chiese de' Frati, se essi non si sono eletta quella sepoltura, e gli faccia capaci che non hanno tanti privilegj, quanti forse si persuadono, come si può vedere nel concilio

Digitized by Google

Lateranense ultimo nella sess. XI. Nè meno è vero, che ognuno, che lascia morendo d'esser vestito con l'abito di terziario, o di Frate, perciò debba esser sepolto nella chieza de' Frati, se non hanno mostrato più che chiaramente la loro volontà circa l'elezione della sepoltura, ma doveranno esser portati, dove di ragione sarebbero andati senza quell' Abito. » Et idem censuit sacr. congr. Concilii, *in Neapolitana* 13 Februarii 1666, in responsione ad 9 dubium, quod erat conceptum his verbis : « Nono : An qui post mortem mandat suum corpus indui habitu Tertiariorum, sit sepeliendus in Ecclesia regularium ? » Ad 9 sacra congregat. censuit *Negative*.

(53. Barbosa tamen lib. II *Jur. eccles. univ.*, cap. 10, n. 73, et *De offic. et potest. parochi*, cap. 26, n. 73, refert sequens decretum : « Suscipientes habitum a guardiano, vel ab alio, cui ille committendum duxerit, et cum eo decedentes, in Ecclesiis ejusdem ordinis ecclesiasticæ sepulturæ sunt tradendi, si guardianus propter habitus concessionem et receptionem eos præmonuit, eorum cadavera ibi sepelienda esse, » ut censuit sacra congr., *in d. Nepesina* 11 Decembr., 1615, ad 2, et Samuel., *De sepultur.*, tract. 1, controvers. 15, conclus. 12, allegat, ut sequitur, Bullam auream Sixti IV, ibi : « Cum autem nonnulli ad ordines prædictos Prædicatorum et Minorum specialiter gerentes devotionis affectum, eorum cadavera cum habitu FF. Prædic. et Minorum, seu fratrum vel sororum de Pœnitentia utriusque ordinis Prædicatorum et Minorum sepeliri mandent, et persæpe antequam moriantur habitum hujusmodi eis postulent exhiberi ;

« Decernimus, habitum hujusmodi per priorem domus ordinis Prædicatorum, aut guardianum domus ordinis Minorum loci, in quo tales decedere contingat, vel per superiorem prælatum ipsorum ordinum, domorum seu prioris, et guardiani, vel cui illi duxerint committendum duntaxat, et non per alium quavis auctoritate vel prælatione fungentem, exhiberi debere. Qui prædictum habitum recipientibus declarare teneantur apud eorum ordinum ecclesias debere sepeliri in eorum habitu, quorum habitum suscipiunt, et illorum sic indutorum cadavera discooperta, nullo pallio seu tegumento superposito, deferri posse ; ordinariorum etiam sub censuris prohibitione locorum qualibet in contrarium edita non obstante, quas quoad hoc modificamus. »

(56. Adest præterea declaratio sacræ congreg. Episc. et Regul. sub his verbis : « Prædicta cadavera recto tramite sunt ad ecclesias Regularium deferenda cum parocho, quo requisito expresse, si venire recusaverit, licere tunc eisdem regularibus, etiam ipso invito, portare ad suas ecclesias. » Rota die 11 Dec. 1615, Antonius Maria cardinalis Gallus.

Loco ✠ Sigilli.

V. Theatinus, secr.

« Eadem interrogata sac. congr. a Patribus Minoribus : An in eorum ecclesiis sepelienda sint cadavera illorum, qui dicti ordinis habitu induti ex hac vita migrarunt? Respondit id fieri debere, si tamen a guardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio superiore, vel altero, cui id superior committendum duxit, habitum receperint, ac prædicti guardianus vel alius superior hujusmodi suscipientes præmonuerint, eorum cadavera propter habitus concessionem, ac receptionem penes ipsos fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda. » Hactenus apud Samuellium, *loc. cit.*, concl. 12.

(57. Papa decedens Romæ sine electione sepulturæ sepelitur in Basilica Vaticana, in qua non possunt sepeliri, nisi Summi Pontifices et personæ regales prout patet de principissa Mathilda tam bene merita Ecclesiæ Romanæ, et novissime de Christina regina Suecorum ibi sepultis. Et ne quidem eminentissimis cardinalibus permissum est inibi sepeliri. Cohel. not. *Card. privil.*, tit. 90 ; Passer., *De statib. hom.*, tom. II, q. 187, art. 4, n. 139 ; cardin. Petra, *l. c.*, n. 27, referens dictam Basilicam amisisse legatum cujusdam, qui mandaverat ibi sepeliri. Et de sepultura Pontificis Rota Romana, *Juris tumulandi*, n. 14, die 20 Febr. 1702.

(58. Si autem contingeret Pontificem sine electione sepulturæ decedere extra urbem, nec posset commode transferri ad ipsam, esset sepeliendus in Ecclesia cathedrali loci, ubi decedit. C. *Is qui* 3, De sepultur. in 6 ; Rota, in *Romana juris tumulandi*, n. 16, die 20 Februarii 1702, *coram D. Priolo* ; Lavorius, tom. I *Variar.*, tit. 2, n. 45 ; Sebastianus Medices, *De sepultur.*, part. I, cap. 11, qu. 7, n. 2 ; card. Petra, *loc. cit.*, n. 29, referens id de facto evenisse in aliquibus civitatibus, ut Neapoli et Salerni, etc.

(59. Papa potest sibi eligere sepulturam in quacunque sibi benevisa Ecclesia, etiam regularium, ut patet ex pluribus monumentis, quæ videntur in diversis etiam regularium Ecclesiis in Urbe ; corpus tamen solet deferri semper ad dictam ecclesiam S. Petri pro functionibus exsequiarum explendis, et deinde defertur ad Ecclesiam electam. Card. Petra, *loco citato*, n. 27.

(60. Cardinales decedentes in Urbe, si non habeant sepulcrum majorum, nec sibi elegerint sepulturam, sepeliendi sunt, non in parochia, sed in Ecclesia proprii tituli ; sic articulo late discusso firmavit Rota, *in Romana juris tumulandi* 20 Febr. 1702, *coram Priolo*, in causa sepulturæ eminentissimi cardinalis Pallavicini, quæ decisio refertur a Monac., tom. IV *in Appendic.*, decis. 18, et a Pitonio, *Discept. ecclesiastic.*, tom. II, post discept. 51, eamque citant et sequuntur ultra prædictos, etiam card. Petra, *loc. cit.*, *Comment. ad constit.* 2 *Honorii III*, n. 32 ; Matthæucc., *Official. curiæ quoad sepulturas*, cap. 48, n. 9, ubi citat etiam aliam decisionem de quinta die Mart.

Digitized by Google

1703, refertque tali anno ratione dictarum decisionum cadaver cardinalis Radolovich titularis S. Bartholomæi in Insula, qui suum corpus reliquit esse tradendum sepulturæ in ecclesia prout *de jure*, redditum fuisse Ecclesiæ titulari, et in ejus solo tumulatum cum prius pendente lite inter parochiam et titulum fuerit interim depositum in sua parochia S. Marcelli.

(61. Et hoc etiamsi cardinales non resideant in titulo, cum non omnes Ecclesiæ cardinalium titulares habeant contiguas habitationes. Rota, cit., *in Romana juris tumulandi* 20 Februarii 1702, n. 28 et 31 ; card. Petra, *loc. cit.*, n. 32, et alii.

(62. Et hoc procedit etiam in cardinalibus regularibus ; non enim ipsi in tali casu sepelieudi sunt in Ecclesia regulari, si specialiter eam non elegerint, quia magis stringit vinculum speciale proprii tituli cardinalitii, quam generale religionis ; tum quia dum regulares assumuntur ad cardinalatum, eximuntur ab obedientia religionis, adeoque sicuti remanent soluti a lege vetante electionem sepulturæ, ita præsumptio oritur, ut electio debeat esse in eo loco, in quo uti cardinales, et non uti regulares sepeliri debuerant, etiamsi alibi cardinales sacramenta recipiant, ut prosequitur citata Rotæ decisio, n. 34 et 35 ; card. Petra, *loc. cit.*, n. 33 et alii.

(63. Cardinales autem decedentes extra urbem sine electione sepulturæ sepeliri debent in ecclesia majori loci, ubi decedunt, quia, ut dicit Rota, in cit. dec. n. 16, ratione dignitatis illa Ecclesia censetur parochialis cardinalis defuncti, sicuti censeretur in casu simili obitus Summi Pontificis. Sic card. Petra, *loco cit.*, n. 34 ; Murga, *De sepulturis*, tract. 8, sect. 2, dub. 7, conclus. 4 ; Matthæucc., *loc. c.*, n. 9, et alii passim.

(64. Hoc tamen intelligendum venit, nisi in vita se subjecerint specialiter alicui parochiæ, ut notant card. Petra, *loc. c.*, n. 34; Matthæucc., *loc. c.*, n. 9 et alii. Arg. cap. *Instituta* 1, cap. *Ex parte* 5, cap. *In nostra* 10, De sepultur., cap. *Animarum* 1, et cap. *Is qui* 3, eod. in 6.

(65. Debetur tamen semper Quarta canonica ecclesiæ parochiali ratione administrationis sacramentorum, prout debetur, si quis decedat sine electione sepulturæ, et sepeliatur in sepulcro majorum, vel in cathedrali. Sic Rota, in cit. decis. n. 34 ; card. Petra, *loc. cit.*, n. 35 ; Matthæucc., *loc. c.*, n. 9 ; Antonell., *De regim. Eccles.*, lib. I, cap. 12, n. 30; Pitonius, in *Addit. ad dictam disceptat.* 51 in fine, et alii.

(66. Episcopi decedentes in propria diœcesi, non electa sepultura, nec habentes sepulcrum majorum, sepeliri debent in propria cathedrali tanquam sua sponsa ; si vero decedant extra diœcesim, et commode possint deferri ad propriam cathedralem, sunt in ea tumulandi ; si autem ad ipsam commode deferri non possint, tumulandi sunt in ecclesia digniori loci, in quo decedunt, quia de ea ratione dignitatis eorum præsumitur voluntas. Cardin. Petra, *loco cit.*, n. 36 ; Sperell., decis. 87, n. 42 ; Antonell., *loc. c.*, n. 28 ; Panimoll., decis. 5, adnot. 3, n. 45 ; Matthæucc., *loc. c.*, n. 11, et alii passim ; quod si habeant duas ecclesias æqualiter unitas, sepeliendi sunt in ea, in qua decesserunt ; at si non sunt æqualiter unitæ, sed una alteri subjecta, sepeliri debent in principali. Card. Petra, *loc. cit.*, n. 23, et alii.

(67. Canonici cathedralis decedentes, non electa sepultura, ubi tumulari debeant? *Vide* verb. CANONICUS, art. 8, a n. 11 ad 14.

(68. Clerici et presbyteri decedentes, non electa sepultura, sepeliendi sunt in cathedrali, si ibi adsit sepultura propria separata pro presbyteris et clericis, etiam non attento sepulcro majorum. Sacra congreg. Episcop., *in Forosempronien.* 1 Septembris 1690 ; Monacell., tom. I, tit. 2, formul. 4, n. 17 ; Samuel., *De sepultur.*, disp. 5, tract. 1, controv. 9, conclus. 20, n. 30 ; Nicol., *Lucubrat. canonic.*, lib. IV, tit. 15, *De sepultur.*, n. 15 ; Matthæucc., *loc. c.*, n. 11, vers. *Canonici ;* Passerin., *loc. c.*, num. 325 cum seq., et alii. *Vide* tamen verb. CANONICUS, art. 8, n. 11, 12 et 13.

(69. Si vero non adsit in cathedrali sepultura propria separata pro presbyteris et clericis, clerici et presbyteri decedentes sine electione sepulturæ, sepeliendi sunt in sepulcro majorum, si habeant, et si non habeant, in propria parochia. *Communis.* Arg. cap. *Nos instituta* 1, cap. *Ex parte* 5, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, cap. *Animarum* 1, cap. *Is qui* 3, et cap. *Licet* 4, eod. in 6. Et ratio est, quia jura nihil speciale de eis statuunt, adeoque est discurrendum de eorum sepultura, ac de sepultura Catholicorum sæcularium, cum ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debeamus. L. *De pretio* 8, ff. *De Publiciana in rem action.*, et verba generalia generaliter sint intelligenda, c. *Quia circa* 22, De privil. Unde cum quæsitum fuisset a sacra congr. Conc., *in una Fulginat.*, die 10 Julii 1694. An liceret capitulo cathedralis privative quoad omnes alias ecclesias, tumulare cadavera personarum in sacris, vel in minoribus ordinibus constitutarum, etiam prima tonsura initiatarum, decedentium absque electione sepulturæ, sacra congregat. noluit decidere ; sed remisit causam ad judices suos ; cum enim ageretur de consuetudine probanda, ideo forte noluit assumere cognitionem, ut dicit card. Petra, *loc. c.*, n. 40, subdens, *ibid.*, n. 41, bonum jus favere parochis, si non probetur legitima consuetudo ; nam ipsi habent assistentiam juris in tumulatione istorum carentium sepulcro majorum decedentium sine electione inter fines propriæ parochiæ per jura supra adducta. Card. de Luca, *De parochis*, disc. 27, n. 2 ; Panimol., decis. 5, n. 1 et 5 ; Rota, part. XI, recent. decis. 348, n. 9, et in his terminis Passerin., *loco citat.*, n. 325 cum sequent., et alii.

(70. Si autem adesset consuetudo quadra-

Digitized by Google

genaria cum titulo, tunc deberet attendi, prout etiam quando Ecclesia cathedralis teneatur solvere quartam funeralem paroche alterius Ecclesiæ, si ibi sepulturam quis elegerit, ut declaravit sac. congreg. Concilii, *in Mantuana*, die 23 Julii 1694, et confirmavit die 30 Aprilis 1695. Et ita si sibi reservatum fuisset tale jus in signum superioritatis, quando parochiæ fuerunt distinctæ seu creatæ. Sic. card. Petra, *loc. cit.*, n. 41; Panimoll., decis. 5, adnotat. 4, n. 8 et seq.; Barbosa, lib. III *Jur. eccles.*, cap. 24, n. 16; Cavaler., decis. 649, n. 2, et decis. 295, n. 3, *coram Bichio*; imo sufficeret etiam consuetudo immemorabilis sine titulo, cum ista quemcunque titulum præsumere faciat.

(71. Clerici beneficiati cum onere residendi, tam simplices, quam curati decedentes sine electione sepulturæ et carentes sepulcro majorum, sepeliri debent in ecclesia sui beneficii, et residentiæ, et non in propria parochia. Barbosa, in cap. *Nos instituta* 1, n. 4, De sepulturis; Pirrhing, lib. III *Decretal.*, tit. 28, n. 9; Sannig., *ibid.*, n. 8; Vallensis, *ibid.*, n. 6; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 24; Tusch., litt. *P*, conclus. 99, n. 5; Bursat., consil. 226, n. 18 et 19; Bellet., *Disquisit. cleric.*, part. I, § 3, n. 9, 10, 11 et 20; Joan. Asin., in l. *Familiaria*, ff. *De rel. et sumpt. Funer.*, Murga, et communis aliorum, teste Reiffenstuel, *loco c.*, arg. cap. *Nos instituta* 1, De sepult., ibi: « In qua cœlesti pabulo refici consueverunt, ut juxta Apostolum sint consolationum socii, ubi fuerunt passionum, » cap. *De his* 5, eod., ibi: « A quibus receperunt salutis pabula; » et cap. *Cum quis* 2, eod. in 6, ibi: « In qua ille officia consuevit audire divina et ecclesiastica recipere sacramenta. » Ubi, ut vides, statuitur, decedentes sine electione sepulturæ et carentes sepulcro majorum, sepeliendos esse in ecclesiis, in qua consueverunt audire officia divina et ecclesiastica recipere sacramenta. Atqui clerici beneficiati cum onere residendi, ibi divina audiunt, et sacramenta percipiunt; imo etiam divina faciunt et sacramenta ministrant, ubi beneficium habentes servitium cum residentia præstant, ergo, etc. Et ratio est, quia clerici beneficiati cum onere residendi sunt potius parochiani ecclesiarum suorum respective beneficiorum, quam suorum domiciliorum, quia alias non in illis, sed in istis sacramenta percipere, et divina audire statutis a jure temporibus deberent. Arg. cap. *Omnis utriusque sexus* 12, De pœnitent. et remissionib., ubi statuitur, quod « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in pascha Eucharistiæ sacramentum; » adeoque cum clericis beneficiatis cum onere residendi, non parochus domicilii, sed parochus beneficii residentialis divina administret, potius iste quam ille censendus est eorum proprius parochus cum jure eos sepeliendi.

(72. Nec valet objicere, quod clericis beneficiatis viaticum et extremam unctionem administret parochus domicilii, et non parochus beneficii, adeoque potius ille, quam iste censendus est eorum proprius parochus cum jure eos sepeliendi. Non valet, inquam, quia, concesso antecedente, negatur consequentia, cum in ordine ad sepulturas sacri canones non attendant locum, ubi quis in extremis recipit sacramenta, sed locum, ubi in vivis sanus sacramenta recipere consuevit, et patet ex cit. *Jurib.*, n. anteced., et clare denotant illi termini: *Consueverunt, consuevit*, adeoque cum clerici beneficiati in vivis, et sani sacramenta recipere consueverint in ecclesiis suorum beneficiorum cum residentia, et non in illis suorum respective domiciliorum, sunt tumulandi in illis, non obstante, quod in extremis ab istis receperunt viaticum et extremam Unctionem, quia hoc non evenit, quasi ipsi sint eorum proprii parochi, sed quia proprii parochi Ecclesiarum dictorum suorum beneficiorum fines, et territorium parochorum suorum respective domiciliorum intrare, ibique ipsis invitis sacramenta ministrare nequeunt. Arg. cap. *Ecclesias* 1, caus. 13, q. 1, cap. *in Ecclesiis* 1, De capellis monachor., cap. *Cum singula* 32, De præbend. in 6, cum similibus. Et de facto si quis recreationis vel negotii causa in villam extra suam parochiam sitam se conferat, et ibi moriatur, non ibidem, sed si non habeat sepulcrum majorum, nec sibi elegerit sepulturam, in propria parochia sepeliri debet, non obstante, quod in aliena viaticum et extremam Unctionem receperit, text. expresso in cap. *Is qui* 3, De sepulturis in 6.

(73. Uxor, licet sit sub potestate viri, potest libere sine ejus licentia eligere sibi sepulturam, quia in hoc est sui juris. *Communis*, textu expresso in cap. *De uxore* 7, De sepulturis, juncto ejus summario sic expresse dicente: « Mulier nupta libere potest sibi eligere sepulturam. »

(74. Si autem uxor decedat, non electa sepultura, et adhuc superstite suo marito, debet sepeliri in sepultura mariti, si hic aliquam jam sibi elegit et determinavit, aut jam determinavit sepeliri in sepulcro majorum. Abbas, in cit. c. *De uxore*, n. 6; Barbosa, *ib.*, n. 3; Pirrhing, *loc. c.*, n. 12; Reifferst., *loc. c.*, n. 14; Silvester, verb. *Sepultura*, q. 8, dict. 5, et alii. Arg. cap. *Ebron* 2, caus. 13, quæst. 2, et sic censuit sacr. congr. Rit., *in Senogallien.* 15 Januar. 1633, apud Panimol., dec. 5, adnotat. 3, n. 32. (75. Et ratio est, quia maritus destinatione et determinatione animi jam censetur esse sepultus in tali sibi electa et destinata sepultura. Si autem maritus nondum sibi sepulturam elegerit, nec voluntatem suam circa ipsam adhuc declaraverit, uxor est sepelienda in sepulcro suorum majorum, si habeat, vel si non habeat, in parochia, ubi decedit. Arg. cap. *Nos instituta* 1, cap. *Ex parte* 5, cap. *In nostra* 10, De sepultur., cap.

Digitized by Google

Animarum 1, cap. *Is qui* 3, et cap. *Licet* 4, eod. in 6. Sic citat. doctores et alii.

(76. Si vero uxor remaneat vidua, et decedat, non sibi electa sepultura, quamvis habeat sepulcrum majorum, debet sepeliri in sepulcro mariti. *Communis* textu expresso in c. *Ebron.*, caus. 13, qu. 2, ubi etiam redditur ratio his verbis : « Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum, quia *una caro sunt, et quos Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 6) ; » et concordat cap. *Unaquæque* 8, eadem caus. et q., ibi : « Unaquæque mulier sequatur virum suum sive in vita, sive in morte. »

(77. Et si talis uxor vidua plures habuerit maritos, sepeliri debet in sepulcro ultimi, textu expresso in cap. *Is qui* 3, De sepulturis in 6, § *Mulier*, ibi : « Mulier autem, quæ plures viros habuit successive, si sepulturam non eligat, est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet et honorem, tumulanda. »

(78. Uxor vidua debet sepeliri in sepulcro mariti, etiamsi locum habitationis mutet et redierit ad domum paternam, vel aliorsum se contulerit, arg. cit. c. *Ebron* 2, caus. 13, q. 2, quia in tali vidua aliorsum se conferente militat ratio ibi allegata, nempe : « Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum ; » tale enim privilegium est datum personæ, et non loco, et mulier vidua viduilem vitam servando, censetur durare in conjugio viri. Joannes Andreas, in cit. cap. *Is qui* 3, De sepultur., in 6 ; Silvester, verb. *Sepultura*, qu. 8, dict. 5 ; Pirrhing, lib. III *Decretal.*, tit. 28, n. 12 ; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 12 ; Donat., tom. III, tit. 9, qu. 24, n. 9, cum aliis ibi allegatis ; Sperell., tom. I, decis. 88, n. 15, cum pluribus aliis ibi citatis ; Panimol., cit. decis. 3, adnotat. 3, n. 36, et alii.

(79. Non esset tamen uxor sepelienda in sepulcro mariti, si necdum ad ejus domum fuerit traducta et ab ipso cognita, quia in tali casu non acquisivisset ejus domicilium, nec fuisset facta una caro cum ipso, quæ sunt motiva, ob quæ ex cit. cap. *Is qui* 3, De sepulturis in 6, et cit. cap. *Ebron.* 2, caus. 13, q. 2. (80. Uxor debet sepeliri in sepulcro mariti. Sic doctores citati, et alii passim. Item non est sepelienda uxor in sepulcro mariti in casu, quo ob ipsius adulterium factum sit divortium, et totalis separatio, quia tunc non est amplius de domo mariti, cum ejus domicilium juridice amiserit. Sic citati doctores, et alii.

(81. Si uxor moriatur prægnans, fetus in utero exsistens una cum matre mortuus, et non extractus, tanquam pars ventris sepelitur una cum matre in Ecclesia. Si autem extractus sit, ipse utpote non baptizatus, sepeliri debet extra locum sacrum, et mater in Ecclesia. *Communis* cum supracitatis doctoribus.

(82. An autem, sicuti ex supradictis uxor debet sepeliri in sepulcro mariti, ita etiam maritus decedens, non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in sepulcro uxoris? contendunt doctores ; abbas enim in cap. *De uxore* 7, De sepulturis, n. 7, tenet affirmativam sententiam, quam sequitur et probabiliorem asserit Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 24. Et ratio istorum est, quia revera eadem prorsus militat juris ratio in marito, quæ in uxore, cit. cap. *Ebron* 2, caus. 13, q. 2, adducta, nempe : « Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum, quia *una caro sunt, et quos Deus conjunxit, homo non separet.* » Ubi autem eadem est juris dispositio. Cap. *Inter corporalia*, 2, De translation. episcop., l. *Ideo* 27, ff. *De legibus*, ibi : « Semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, et ad eas res pertinerent, quæ quandoque similes erunt, quia ut expresse dicitur in l. *Non possunt* 12, ff. eod., ibi : « Non possunt omnes articuli sigillatim, aut legibus, aut senatusconsultis comprehendi, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet. » Silvester vero, *loco cit.*, dist. 5 ; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 10 ; Donat., *loc. cit.*, tract. 9, q. 24, n. 11 ; Riccius, part. IV, *Prax. resolut.* 293, n. 3, et alii partem negativam defendunt, argum. cap. *Unaquæque* 3, caus. 13, q. 2, ubi solum dicitur, quod « Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte, » non autem dicitur, econtra de viro ; tum quia absurdum est, quod maritus sequatur dispositionem uxoris, arg. l. *Si ita* 45, ff. *De legat.* 2.

(83. Ast hæ rationes, et jura per auctores secundæ negativæ sententiæ adductæ de facili, et recte solvuntur a Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 25, quia dicit ipse, licet maritus non teneatur sequi uxorem, et in vita, et in morte, sicuti uxor tenetur sequi maritum, tenetur tamen maritus sequi uxorem post mortem, si non vigore citati canonis *Unaquæque mulier*, vigore tamen citati canonis *Ebron*, ob rationis et juris omnimodam identitatem, nempe : « Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum, quia *una caro sunt, et quos Deus conjunxit homo non separet*, » tum quia canon *Ebron* majorem vim præ se ferre videtur, utpote depromptus a Papa, nempe Gelasio, quam canon *Unaquæque mulier* depromptus a non Papa, nempe a S. Augustino, ut ibi patet. Nec est absurdum, quod vir sequatur dispositionem uxoris, si aut jura ita exigant, aut uxor rationabiliter disponat. Imo est summe laudabile, et quandoque necessarium, quod maritus sequatur dispositionem mulieris, præsertim in piis operibus ad salutem æternam tendentibus. Dicit enim Apostolus *I ad Corinth.*, cap. VII, num. 14, quod sic faciendo *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*. Nec in contrarium stat cit. l. *Si ita* 45, ff. *De legat.* 2, ab adversariis adducta ; ibi enim non id, quod ipsi dicunt, sed solum dicitur quod vocabulo femineo masculum non contineatur, ibi : « Exemplum enim pessimum est feminino vocabulo etiam masculos contineri. »

(84. Habitans in confinio duarum paro-

Digitized by Google

chiarum, scilicet in domo sita partialiter in fundo duarum parochiarum, si decedat sine electione sepulturæ, nec habeat sepulcrum majorum, sepeliri debet in illa parochia, ex qua est ingressus in domum : si autem sint duæ portæ, sepeliri debet in illa parochia, ex qua est porta principalis, sive anterior facies domus, quia hæc censetur nobilior. Sic Pignatell., tom. VIII, consult. 5, n. 7; Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, part. II, c. 21, n. 43, et *De offic. et potest. episcop.*, alleg. 32, n. 71; Kugler., *De matrim.*, n. 298; De justis, lib. I, cap. 19, n. 64; La Croix, lib. VII, n. 241, cum Bartol. et Bald. ibi citatis.

(85. Si quis in testamento disposuerit, ut sepeliatur in parochia, in qua fuerit moriens, et casu moriatur in aliena parochia, non debet sepeliri in hac aliena, sed in parochia proprii sui domicilii, quia per istum egressum, vel brevem absentiam non amisit propriam parochiam, nec alteram acquisivit. Pignatell., tom. IV, consult. 151; La Croix, *loco cit.*, n. 230, et alii.

(86. Eligere sepulturam sibi benevisam potest quilibet sive masculus, sive femina; dummodo habeat debitam ætatem, et a jure non prohibeatur. *Communis*, per text. in c. *Nos instituta* 1, cap. *Fraternitatem* 3, cap. *Cum super* 8, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, cap. *Animarum* 1, cap. *Quis* 2, eod. in 6.

(87. Et potest quis libere sibi eligere sepulturam, etiam extra propriam patriam in diversa et remota provincia, etiam aliena. *Communis*, textu expresso in cit. c. *Nos instituta* 1, De sepulturis, ibi : « Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam et aliam alienam ; Dominus enim, et magister alienam eligit ut propriam, » juncta Glossa, *ibidem*, verb. *Alienam*, id notante de Domino nostro Jesu Christo, « qui natus in Bethlehem, nutritus in Nazareth, sepultus fuit in Hierusalem in sepulcro Joseph. »

(88. Si quis autem eligat sepeliri in sepultura aliena, non potest ibi sepeliri, nisi consentientibus patronis sepulturæ, quia, quod nostrum est, absque facto nostro auferri a nobis non potest. L. *Id quod nostrum* 11, ff. *De regul. juris*, ibi : « Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. » Sebastianus Medices, *De sepultur.*, cap. 9, num. 4; Barbosa, lib. II *Juris Eccles. univers.*, c. 10, num. 12; Ventriglia, tom. I, adnotat. 52, § unic., num. 3, et alii passim.

(89. Quoad hunc effectum autem non dicuntur patroni rectores Ecclesiarum vel superiores regulares, sed illi, quibus per dictos rectores seu superiores regulares, concessa est sepultura. Unde in similibus casibus est expresse petenda prædicta licentia a dictis patronis, vel eorum successoribus, sine qua licentia rectores vel superiores regulares in prædictis sepulturis aliquem sepelire non possunt, quia de jure in fundo, in quo quis habet usum, non potest dominus inhabitare, invito usufructuario. L. *Hæres* 12, ff. *De usu et usufructu, et habitatione.* Patroni enim prohibere possunt, ne alii in suis sepulcris tumulentur. L. *Locum* 2, l. *Familia* 5, l. *Vel quod* 7, l. *Si plures* 41, ff. *De religiosis et sumptibus funer.*, l. *Jus sepulcri* 13, cod. eod.; Ventriglia, *loc. cit.*, num. 3; Barbosa, *loc. cit.*, n. 12, et alii.

(90. Exstinctis autem patronis omnibus, tunc rectores Ecclesiæ, seu regulares possunt non solum alios mortuos ibi sepelire, sed etiam sepulturam alteri concedere, quia mortuo usufructuario, ille usus redit ad proprietatem libere. L. *Corruptionem usus-fructus* 16, cod. *De usufructu et habitatione;* Sebastian., Medices, *loc. c.*, q. 8, n. 3; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 3, et alii.

(91. Item possent rectores Ecclesiæ, seu regulares in patronatis sepulcris aliquem alium tumulare, interveniente causa necessitatis. Lavorius, *Variar. lucubrat.*, titul. 2, c. 11, n. 36, post abbatem, et Roman. ibi citatos, Ventriglia, *loc. cit.*, num. 3, et alii. Quod enim non est licitum in lege, necessitas facit licitum cap. *Quod non est* 4, De regulis juris, cap. *Quoniam* 13, caus. 1, quæst. 7, cum necessitas non habeat legem cap. *Sicut* 11, De consecrat., dist. 1, cap. *Omnes* 1, De feriis, cap. *Consilium* 2, De observ. jejunior., cap. *Consuluisti* 3, De celebrat. missar. In qualibet enim dispositione intelligitur excepta necessitas. Cap. *Licet* 6, De pœnitent. et remissionibus; Fagnan., libr. I *Decretal.*, in cap. *Nihil* 44, De elect., n. 26.

(92. Si plures sint patroni, debent omnes consentire nec sufficit consensus majoris partis ad hoc, ut cadaver illius, qui eligit sepulturam in alieno sepulcro, possit ibidem sepeliri, textu expresso in l. *Si plures* 41, ff. *De religios. et sumptibus funer.*, ibi : « Si plures sint domini ejus loci, ubi mortuus infertur, omnes consentire debent, cum extranei inferantur; » quod enim omnem tangit, ab omnibus approbari debet, textu expresso in c. *Ad hæc* 6, De offic. archidiacon., ibi : « Cum ab omnibus, quod omnes tangit, approbari debeat. »

(93. Decedens facta electione sepulturæ alterius patroni, si patronus deneget consensum, nec intendat admittere cadaver ad ejus sepulturam, dicitur decedere non facta electione; nam idem est, aliquid non esse factum, quam nulliter factum. L. *Si se non obtulit*, 4, § 6, ff. *De re judicata*, ibi : « Condemnatum accipere debemus eum, qui rite condemnatus est, ut sententia valeat; cæterum si aliqua ratione sententia nullius momenti sit, dicendum est, condemnationis verbum non tenere. » Paria enim sunt non esse, et nullum esse. Arg. l. *Duo sunt Titii*, ff. *De testamentaria tutela.* Et quod nullum est, nullum producit effectum. Cap. *Illud* 8, De jure patronatus; Ventriglia, *loc. cit.*, num. 5; Paris, consil. 95, num. 11, lib. I, et alii. Contrarium tamen dicendum esset, si accederet episcopi vel rectoris Ecclesiæ dispensatio, qui possunt illam concedere in casu necessitatis, etiam invito patrono. Bonacina, tom. II *De contract.*, disp. 3,

Digitized by Google

quæst. de punct. 3, n. 4; Ventriglia, *loco sit.*, num. 5, et alii; arg. citatis juribus *cupra* n. 91.

(94. Filiusfamilias dummodo pubes sit, et sit sui juris, potest etiam sine consensu patris sibi libere eligere sepulturam. *Communis*, cap. *Unaquæque* 4, § *Exemplo*, caus. 13, q. 2, cap. *Nos instituta* 1, De sepulturis, cap. *Licet* 4, eod. in 6, cum similibus; et ratio est quia quoad jura spiritualia, quale est etiam jus sepulturæ, cap. *Quæsita* 12, caus. 13, q. 2, filiusfamilias patriæ potestati subjectus non est.

(95. Item servus, si pubes sit, potest ex eadem ratione sibi libere eligere sepulturam, quia servitus est de jure temporali, et nequit extendi ad spiritualia. Card. Petra, tom. II *Commentar. ad constit.* 2 *Honorii III*, num. 18; Samuel., *De sepultur.*, tract. 1, disput. 5, controv. 1, conclus. 8; Lavorius, *loco cit.*, cap. 11, tit. 2, n. 146; Ventriglia, Panimol., Murga, et alii passim.

(96. Item sepulturam sibi eligere libere possunt novitii etiam extra monasterium, et in alia ecclesia, quia cum hi possint vivi libere discedere a monasterio, et ad sæculum redire, cap. *Consuluisti* 19, cap. *Statuimus* 23, De regularib., cum similibus, id illis debet etiam permitti in morte, arg. cap. *Religiosi* 5, De sepulturis in 6, ubi ideo præcise prohibetur religiosis professis eligere sepulturam, quia *velle et nolle non habent*, ergo a sensu contrario, quia novitii *velle et nolle* adhuc habent, cum obedientiam nondum promiserint, sine dubio possunt sibi libere eligere sepulturam. Pirrhing, *loco cit.*, num. 25; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 43; Engel, *loco cit.*, num. 12; Donat., tom. III, tract. 10, q. 4; Armilla, verb. *Sepultura*, num. 6, et alii passim.

(97. Religiosi tamen professi in claustris morientes non possunt sibi eligere sepulturam. *Communissima*, textu expresso in cit. cap. *Religiosi* 5, De sepulturis in 6, ibi: « Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle vel nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi. »

(98. Et hoc procedit etiam de prælatis et superioribus regularibus; quia licet prælati habeant aliquod velle et nolle, non tamen proprium et absolutum a Regula et constitutionibus, sed commensuratus illis, et dependenter ab illis; adeoque si regula et constitutiones hoc illis non concedant, standum est juri canonico, in cit. c. *Si religiosi* 3, De sepulturis in 6, quod loquitur de religiosis indistincte et universaliter; ubi enim jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. L. *De pretio* 8, De Publiciana in rem action., et verba generalia generaliter sunt intelligenda. Cap. *Quia circa* 22, De privileg. Tum quia regulares per prælaturas seu superioritates, non desinunt esse regulares, et in ipsis perseverat dispositio juris canonici in dict. cap. *Si religiosi*, quia quamvis respectu suorum subditorum habeant *velle et nolle*, secus autem respectu suorum superiorum, ut patet de superioribus seu prælatis localibus respectu provincialium, de provincialibus respectu generalium et de generalibus respectu Summi Pontificis. Sic expresse Donatus, tom. II, resolut. 51, n. 158, et alii contra multos alios.

(99. Impuberes nequeunt sibi eligere sepulturam. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Licet* 4, De sepultur. in 6, ibi: « Nequeunt, antequam ad annos pubertatis pervenerint, eligere sepulturam. » Nisi tamen malitia suppleat ætatem, quia tunc posse sibi eligere sepulturam, tenent Ventriglia, *l. cit.*, num. 11; Zerola, in *Praxi episcop.*, part. 1, verb. *Sepultura*, § 1; Sperell., decis. 89, num. 2; Lavorius, *Variar. lucubrat.*, tit. 2, cap. 11, num. 109; Sebastian. Medic., *De sepult.*, q. 8, num. 3; Lapus, allegat. 59, num. 2; Barbos., lib. II, *Jur. ecclesiastic. univers.*, cap. 10, sub num. 27; Didacus Narbona, in tract. *De ætat. ad omnes humanos actus requisit. ann.* 14, q. 4 in princip.; card. Petra, *loco cit.*, num. 3, et alii.

(100. Pro impubere nequeunte sibi eligere sepulturam, potest ipsi illam eligere pater, ubi ad id adest legitima consuetudo. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Licet* 4, De sepulturis in 6, ibi: « Licet pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam, possit (si consuetudo terræ id habeat) quo voluerit sepelire, hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis majoribus vel in parochiali ecclesia tumulandi. »

(101. Nequit tamen pater sepulturam eligere filio impuberi, ubi non adest talis consuetudo, ut expresse loquitur citatus textus, ibi: « Hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur. » Et sic tenent Barbosa, in cap. *De sepultur.*, num. 5; Gratian., disceptat. 94, n. ultim., Bellet., *Disquisit cleric.*, part. 1, tit. *De cleric. debitor.*, § 3, n. 17; Sperell., decis. 89, num. 3; Pignatell., tom. VII, consult. 21, n. 1; Passerin., *De statib. homin.*, tom. II, q. 187, art. 4, n. 270; Matthæucc., *loc. cit.*, num. 25; Genuens, in *Prax. cur. episcop. Neapolit.*, cap. 76, num. 4, impress. venet., ubi tradit, hanc consuetudinem non esse Neapoli; card., *loc. cit.*, sub n. 9, vers. *Verum*, ubi refert, sic in terminis firmasse sacram congregat. Concilii, *in Placentina* 27 Novembris 1619, in qua respondit « Ad primum: patrem, si legitima consuetudo loci id non habeat, eligere non posse. » Et sic censuit novissime sacr. congregat. Concil., *in Alexanen. Funerum* 13 Julii 1743, in responsione ad 4 et 5 dubium.

(102. Non desunt tamen doctores magni nominis defendentes, quod hodie generaliter, et nulla attenta consuetudine, permittitur parentibus eligere sepulturam filio impuberi in quacunque ecclesia etiam regularium. Sic Ventriglia, in *Prax.*, *adnotat.* 52, § unic., num. 13; Barb., in *Summ. Apo-*

Digitized by Google

stolic. decis., verb. *Sepultura*, num. 14; Laurent. de Peirin., *De privileg. regul.*, tom. III in fine, pag. 570; Samuel., *De sepultur.*, tract. 1, disp. 4, controv. 1, conclus. 4; Murga, disquisit. 9, § 1, conclus. 2, n. 4; Nicolius, *Lucubrat. utriusque jur.*, tom. I, lib. IV, tit. 15, *De interdict.*, n. 21, et videtur facere Rota, dec. 16, n. 8, post Antonell., *De juribus clericor. in Casalen. Quartæ funeralium super bono jure* 16 Januarii 1697, *coram eminentissimo Caprara*, ubi non requirit licentiam parochi aut capituli, et alii, qui omnes se fundant in resolutione sacræ congregationis Regularium sub die 20 Januarii 1640, penes Peirin., *loco cit.*; Barbosam, *loco cit.*, n. 14; Murgam, *loco cit.*; num. 7, quæ sic habet: « Sacra congregatio negotiis regularium præposita sæpius censuit licere parentibus in quacunque Ecclesia voluerint, etiam regularium, eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerunt, eligere sepulturam, nec a parochis locorum impediri posse aut debere; præsertim vero si in dictis regularium ecclesiis sepeliri consueverint, vel in eis habeant sepulcra majorum. » Et ad id facit decret. sacræ congreg. Concil., *in Novarien.* 15 Martii 1704, in respon. ad primum.

(103. Si adsit sepulcrum majorum in ecclesia regularium, tunc, præcisa consuetudine, debent impuberes ibi sepeliri, ut declaravit sac. cong. Concilii, *in Firmana jurium parochialium ad tertium*, et *in Novarien.* 15 Martii 1704, ad primum, teste card. Petra, *loco cit.*, n. 9 in fine.

(104. Facultas permissa Patri eligendi sepulturam filio impuberi non potest exerceri post mortem ipsius filii, sed solum pendente ipsius vita. Sperel., dec. 89, n. 3; card. Petra, *loco cit.*, n. 11; Nicolius, *loco cit.*, tit. 15, *De interdict.*, n. 21; Murga, *loco cit.*, tract. 7, sect. 2, disp. 9, § 9, n. 3; Lavorius, *loco cit.*, tit. 2, c. 11, sub n. 18; Aldan., in *Compend. Canonic. resolut.*, lib. II, tit. 17, n. 5; Barbosa, cit. cap. 20, num. 28, et in *Summa Apostolic. dec.*, verb. *Sepultura*, num. 6; Ventriglia, *loco cit.*, num. 18; Diana, tom. V, tract. 3, *De casib. occurrent. tempore mortis*, resol. 107, circa med., et sic declarasse sacram congr. Episcop. et Regul., *in Fulginaten.* 27 Octobris 1587, nempe quod « sepulturam pro filio minori in vita, non post ejus mortem, potest pater eligere, » testantur Barbosa, in *Summa, loco cit.*, num. 6; Ventriglia, *l. cit.*; Lavorius, *loco cit.*; Aldan., *loco cit.*, et alii, et Pignatell. tom. VII, consult. 21, ubi plura adducit decreta ad rem. *Vide* tamen Sperel., *loco cit.*, n. 5, subdentem etiam sic rescripsisse, *in una montis Pelusii* 6 Junii 1659, sub verb. *Quarta funeralis*, n. 32, *decret. sacr. congreg. Concilii*, in responsione ad 1.

(105. Deficiente patre, potest mater eligere sepulturam filio impuberi, si ad id concurrat legitima consuetudo, secus non. Card. Petra, *loco cit.*, n. 6; Barbosa, cit. cap. 10, n. 38; Panimol., tom. I, decis. 5, adnotat. 3, n. 24; Lavorius, *loco cit.*, c. 11, num. 119, et alii passim. Et declaravit sacr. congreg. Concilii, *in Majoricens.*, quæ refertur in *constit.* 6 *Innocentii XI*, § 6, tom. V *Bullarii*, et adducitur a Matthæucci, *loco cit.*, num. 25, ibi: Ad dubium: « An mater pro filiis impuberibus possit eligere sepulturam? » Respondit: « Non licere matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus, cessante legitima consuetudine. » *In Avellinen.* tamen 15 Septembris 1605, statuit sic: « Etiam mater, cum pater non adest, potest filio impuberi sepulturam eligere vivente tamen filio, » apud Pignatel., *loco cit.*

(106. Talis consuetudo pro eligenda sepultura filiis impuberibus debet esse generalis in loco vel civitate; alias consuetudo particularis alicujus Ecclesiæ cæteris ejusdem Urbis ecclesiis præjudicaret, ut colligitur ex cit. cap. *Licet*, De sepulturis in 6, ibi: *Consuetudo terræ*, et expresse, *ibid.*, notant archidiacon. ant. num. 1; Franch, ante num. 2, et Ancharan., num. 3, et alii; Sperel., cit. decis. 89, num. 34 cum seq., allegans ad id casus decisos, et alios doctores.

(107. Item talis consuetudo debet esse legitime præscripta, quæ quoad patrem sufficit decennalis, cum ipsi assistat jus, in cit. cap. *Licet*, approbante talem consuetudinem. Card. Petra, *loco cit.*, n. 7, cum Glossa, Barbosa, Ventriglia, Passerin. ibi allegatis, Matthæucc., *loco cit.*, nu. 25; Sperel., *loco cit.*, n. 20, cum aliis ibi adductis, et alii. Quoad matrem autem, cui jus non assistit, requiritur consuetudo quadragenaria, nec sufficit decennalis. Card. Petra, *loco cit.*, n. 12; Sperell., *loco cit.*, num. 20, cum aliis ibi allegatis; Matthæuc., *loco cit.*, n. 25; Bursat, consil. 226, n. 218, col. 3; Sebastian. Medices, *loco cit.*, q. 8, n. 23; Moronus, resolut. 51, num. 43, et alii.

(108. Et hæc quadragenaria consuetudo introduci potest etiam favore avorum, fratrum, consanguineorum, affinium, tutorum, administratorum, maritorum, uxorum, dominorum et amicorum, quia etiam in istis adest eadem ratio consuetudinis considerata in patre vel matre, ut per Gloss. in d. cap. *Licet*; et ibi Franc., n. 3, et Stephan. Gratian., tom. I, *Disp. forens.*, disputat. 94, num. 80; apud Sperel., *loco cit.*, n. 16, et tenent card. Petra, *loco cit.*, n. 19, et alii apud Gratian., *loco cit.*, aliique plures. Contrarium tamen tenuerunt Joan., Asin., l. *Familiaria sepulcra*, ff. *De religios. et sumptib. funer.*; Bursat., consil. 226, n. 118, col. 3; Bellet., *Disquisit. cleric.*, tit. *De cleric. debitor.*, § 3, n. 18; Barbosa, in *Collect.*, ad cap. 1, n. 6, De sepultur.

(109. Impuberes decedentes non sibi electa sepultura a supradictis ad id facultatem habentibus ratione legitimæ consuetudinis, sepeliendi sunt in sepulcro suorum majorum, si habeant vel si non habeant, in propria parochiali. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Licet* 4, De sepultur. in

Digitized by Google

6, ibi : « Sed sunt cum suis majoribus vel in parochiali ecclesia tumulandi. »

(110. Electio sepulturæ probari debet, cum sit quid facti, et sufficit probatio, non solum per testamentum et codicillum validum, sed etiam invalidum, per scripturam manu propria subscriptam, per duos testes, etiamsi sint singulares, et per solum dictum confessarii. Riccius, in *Praxi*, I part., resolut. 575 per tot : Mascard., *De probationibus*, III vol., concl. 1297 ; Lavor., *loco cit.*, cap. 11, n. 18 ; Molfesius, in *Summa*, tom. II, tract. 13, cap. 8, n. 32 ; Ventriglia, *loco cit.*, n. 44 ; cardin. Petra, *loco cit.*, n. 21, et alii passim. Et sic pluries declaravit sacra congregat. Concil. et signanter die 14 Februarii 1666, et Benedict. XIII ; constitut. incip. *Pretiosus*, § 69.

(111. Electio sepulturæ potest variari toties quoties eligenti videbitur usque ad finem vitæ ; electio enim sepulturæ est pars ultimæ voluntatis ; omnis autem actus ultimæ voluntatis sua natura est revocabilis, adeoque, etc. *Communis*. (112. Et hæc revocatio potest fieri, non solum expresse, sed etiam tacite per secundam electionem ; regulare enim est in actibus causa mortis, ut secunda voluntas revocet primam. *Communis*.

(113. Electio sepulturæ semel legitime facta, si non revocetur, perseverat usque ad mortem : unde si infirmus eligens sepulturam convalescat, et postea moriatur ex alia infirmitate, etiam per longissimum tempus, censetur mori cum electione sepulturæ, et est sepeliendus in ipsa sepultura semel ab ipso electa, nam illa electio facta non censetur revocata, nec infirmata, ex quo infirmus pro tunc non decesserit, sicuti testamentum factum in articulo mortis non infirmatur ex eo, quod testator convaluerit ; l. fin. et *ibi* Bald. et alii ff. *De hæred. instit.*, c. *Licet*, De procuratoribus in 6, cum similibus, et in terminis firmavit sac. congreg. Concil. 14 Februarii 1666, in responsione ad tertium, ut mox infra patebit.

(114. In materia electionis sepulturæ valde notanda sunt responsa sacræ congregation. Concilii ad infrascripta dubia.

I. « An sit valida electio sepulturæ, quamvis sive sanus, sive infirmus coram parocho elegerit ?

II. « An ad validitatem electionis sepulturæ requiratur testamentum in ultima infirmitate, vel sufficiat, quod eligatur antea per alium actum publicum, qui testamentum non sit ?

III. « An sit nulla electio sepulturæ, quando ipsa eligitur per testamentum factum in vita, et non in morte ?

IV. « An qui habet capellam suæ familiæ cum propria sepultura, aut capellam erexerit cum sepultura propria, moriens absque sepulturæ electione sepeliendus sit in cathedrali ?

V. « An valide eligatur sepultura coram duobus testibus ?

VI. « An electio sepulturæ per nutus, et signa in casu, quo quis loqui non possit, sit valida ?

VII. « An confratres sodalitatum, non electa sepultura, possent sepeliri in sepulcro suæ ecclesiæ ?

VIII. « An electiones sepulturæ, quæ jure præsumuntur, sicut uxoris respectu mariti, filii respectu patris, eorumque majorum, ac servorum respectu dominorum, sint validæ ?

IX. « An qui post mortem mandat suum corpus indui habitu tertiariorum, sit sepeliendus in Ecclesia regulari ?

Ad quæ sub die 13 Februarii 1666, respondens declaravit, censuit et decrevit, ut sequitur.

Ad I. « Censuit esse validam, dummodo parochus non testetur ad proprium commodum.

Ad II. « Censuit non requiri necessario testamentum.

Ad III. « Censuit non esse nullam.

Ad IV. « Non sepeliendum in cathedrali.

Ad V. « Esse validam.

Ad VI. « Esse validam ; dummodo sufficienter constet de voluntate eligentis.

Ad VII. « *Negative*.

Ad VIII. « Censuit quatenus electa non fuerit sepultura, uxorem in sepulcro ultimo viri sepeliendam, filios vero in sepulcro majorum, servus autem in parochia.

Ad IX. « Censuit *negative* : Pignatell., t. I, consult. 17. »

(115. Clericis omnibus sive sæcularibus sive regularibus est graviter prohibitum in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione maledictionis æternæ, ne aliquo medio voto vel juramento, aut pacto seu promissione inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent, textu expresso in c. *Animarum* 1, De sepulturis in 6, ibi : « Universis religiosis et sæcularibus clericis cujuscunque status vel conditionis exsistant, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione maledictionis æternæ districtissime prohibemus, ne aliquos ad movendum, jurandam vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. »

(116. Insuper clerici sæculares et regulares quod ad hoc trangressores incurrunt, ultra gravissimam culpam, etiam ipso facto excommunicationem majorem Papæ reservatam, textu expresso in Clem. *Cupientes* 3, § *Sane de pœnis*, ibi : « Sane temerarios violatores constitutionis illius, quæ religiosis et clericis sæcularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut sepulturam apud eorum ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, similem sententiam (scilicet excommunicationis), pœna in dicta constitutione contenta in suo perdurante robore, incurrere volumus ipso facto, ab alio, quam a Sede Apostolica, præterquam in mortis articulo, nullatenus absolvendos, nullis privilegiis aut statutis cujuscunque tenoris exsistant super his valituris. »

Digitized by Google

(117. Dictam excommunicationem incurrunt clerici et religiosi, etiamsi effectus sepulturæ non sit subsecutus; dummodo subsecutus sit effectus immediatus inductionis, id est electio per juramentum, vel votum, vel pactum. Unde non sufficit promissio de eligendo, ut dicatur inductio facta. Sic Bonifac., in dict. Clementina n. ult. et cardinal., in cit. cap. *Animarum* 1, De sepult. in 6; Silvester, verb. *Excommunicatio* 7, n. 49; Roder., *Quæst. regular.* 58, art. 7, dub. 5; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 37; Matthæucc., *loco cit.*, n. 20, et alii contra Bonacinam, tom. III, *De excommunic. in particul.*, disput. 2, q. 5, punct. 8, n. 2, vers. *Secundo*.

(118. Dictam excommunicationem, aliasque pœnas non incurrunt clerici et religiosi inducentes aliquem ad eligendam sepulturam in ecclesia aliena, sed necessario requiritur, ut inducant ad eligendam sepulturam in propria ecclesia ad se pertinente, ut clare patet ex verbis cit. cap. *Animarum*, ibi: « Ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant, » et cit. Clementina *Cupientes*, § *Sane*, ibi: « Ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant; » Ventrig., *loc. cit.*, n. 39; Lavorius, *loc. cit.*, cap. 11, n. 10; Bonacina, *loco cit.*, vers. *Secunda conditio;* Matthæucc., *loco cit.*, n. 26; Monacell., tom. III, titul. 1. formul. 38, n. 9, et tom. IV *Supplement. ad tom.* n. 417; Medices, *loco citat.*, quæst. 8, n. 17, alii passim.

(119. Supradictam excommunicationem, aliasque pœnas incurrunt solum clerici et religiosi inducentes scienter, vel cum ingenti temeritate, quæ scientiam legis supponit, non autem ignorantes prohibitionem, nisi ignorantia sit affectata. Colligitur aperte ex verbis cit. cap. *Animarum*, ibi: « Præsumpserint sepelire, » et citat. Clementina, *Cupientes*, § *Sane*, ibi: « Sane temerarios violatores; » præsumptio enim, et temeritas scientiam legis, et prohibitionis supponunt. Ventriglia, *loco cit.*, n. 40; Matthæucc., *loc. cit.*, n. 26, et alii.

(120. Ut clerici et religiosi incurrant prædictam excommunicationem, aliasque pœnas, requiritur, ut ad eligendam sepulturam in eorum ecclesiis induxerint medio voto aut juramento, vel pacto seu promissione irrevocabili: non tamen incurrunt, si ad id dederint solum simplex consilium, aut adhortationem. Colligitur clare ex verbis cit. c. *Animarum*, et cit. Clementin. *Cupientes*, § *Sane*, ibi: « Ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant. » Sic teste Monacell., tom. III, tit. 1, formul. 38, n. 10, communiter tradunt Samuel., *De sepulturis*, tract. 1, disp. 2, controv. 1, concl. 8, n. 16; Pasqualig., *ad Lauret. de Franch. controv.*, pag. 2, quæst. 63, n. 2; Donat., *Prax. rer. regular.*, tom. III, tract. 9, quæst. 27, n. 3, et etiam card. Petra, *loc. cit.*, n. 45, cum pluribus aliis ibi citatis.

(121. Imo ex Bonifac., in dict. Clement., n. 74; Roderic., *loc. cit.*, art. 7 in fine; Tolet., *lib. 1, cap. 36, § Quarta;* Suarez, disp. 22, *De censur.*, sect. 3, n. 25; Sayr., lib. v, cap. 12, n 9; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 38, pœnæ appositæ in cit. cap. *Animarum*, et cit. Clementina, *Cupientes* non procedunt quando quis inducitur ad eligendam sepulturam in testamento, seu ultima voluntate.

(122. An autem parochi, ut supra, inducentes alienos parochianos ad eligendam sepulturam in sua parochia, vel ad non mutandam jam electam, seu impedientes proprios, ne ipsam eligant in ecclesiis regularium, incurrant prædictam excommunicationem, aliasque pœnas? Controversia est inter doctores. Bonacina enim tom. III, *De excomm. in particulari extra Bullam Cœnæ*, disput. 2, quæst. 5, punct. 4, n. 5, quem sequitur Ventriglia, *loc. cit.*, n. 43, defendit partem negativam, ex quo, ut ipse ait, dicta constitutio in cap. *Animarum*, et dicta Clementina *Cupientes*, edita fuerit in favorem parochorum, et quod inductum est in favorem alicujus, in ipsius odium retorqueri non debet. Leg. *Nulla*, ff. *De legibus*, et c. *Quod ob gratiam* 61, De reg. juris in 6; Monacell. autem tom. IV *Supplement.* ad III tom., n. 60, docet mordicus sententiam affirmativam, dicens cavendum esse a tali sententia et a doctrina Bonacinæ, quia dicit ipse, Bonacina in hoc fallitur, cum non in favorem parochorum, sed decedentium, ad hoc nempe, ut libere quandocunque et ubicunque placuisset eis sepulturam eligere possent, edita fuerit utraque citata constitutio tam Bonifacii VIII, in dict. cap. *Animarum* 1, De sepult., quam Clementis V, in d. Clementina *Cupientes* 3, De pœnis. Unde parochi in his transgressores æque ac alii clerici sæculares et religiosi incurrunt dictam excommunicationem, aliasque pœnas, ut pro indubitato tenent Samuel., *De sepult.*, tract. 1, disp. 2, controvers. 5 per tot; et controv. 8, n. 7 et 15; Passerin., *De statib. homin.*, tom. II, q. 187, art. 4, n. 319, quia directe violant legem, et morientes inducunt ad obligationem contra legis mentem, quæ fuit, et est, ut electio sepulturæ maneat libera, et ut adhibeatur remedium contra avaritiam, ut bene observat Passerin., *loc. cit.*, n. 423, quæ ratio æque militat in parochis respectu alienorum parochianorum, ac in clericis sæcularibus, et regularibus respectu cæterorum, et ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio. L. *Illud*, ff. *ad legem Aquiliam*, et cap. *Inter corporalia* 2, De translation. episcop. Tum quia, ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. Leg. *De pretio* 8, De Publiciana in rem action., et verba generalia (uti sunt in cit. constitut.) generaliter sunt intelligenda; c. *Quia circa* 22, De privileg. Et sic videtur supponere etiam Donatus, tom. III, tract. 9, *De sepult.*, q. 10; congregatio Concilii, *in Laudensi Funerum*, die 2 Martii 1711, in respons. ad tertium, teste d. Ursaya, tom. I, p. II, discept. 14, n. 137.

(123. Hinc cum in dictis constitutionibus fiat sermo generaliter et indefinite de religiosis, non distinguendo inter fratres et moniales, nec inter fratres clericos et con-

Digitized by Google

versos, prædictam excommunicationem, aliasque pœnas incurrunt etiam moniales et fratres conversi vere professi inducentes ad electionem sepulturæ voto, juramento vel pacto, ut tradunt communiter doctores cum Samuello, *De sepulturis*, tract. 1, disp. 2, controv. 1, conclus. 5, n. 12.

(124. Non incurrunt tamen dictam excommunicationem, aliasque pœnas sæculares, seu laici, etiamsi voto, vel juramento, seu pacto, vel promissione irrevocabili inducerent aliquem ad sepulturam eligendam in aliqua determinata Ecclesia, quia dictæ constitution. in cit. cap. *Animarum*, et in cit. Clementin., *Cupientes*, loquuntur solum de religiosis et clericis sæcularibus, et non de sæcularibus seu laicis. A diversis autem non fit illatio. Leg. *Papinianus* 20, De minoribus; cap. *Ad audientiam* 12, De decimis. Nam ad incurrendam talem juris pœnam necesse est, ut sint religiosi, vel clerici ecclesiastici. Monacell., tom. III, tit. 1, formul. 38, num. 11; Medices, *De sepult.*, part. 1, q. 8, n. 18; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 41; Samuel., *loco cit.*, concl. 20, num. 46 et 47, et alii passim.

(125. Aliæ pœnæ, quibus ultra excommunicationem subjacent, ut supra, inducentes voto, juramento, pacto seu promissione irrevocabili ad eligendam sepulturam, vel jam electam non immutandam, sunt, quod tales religiosi seu clerici sæculares teneantur intra decendium, tam ad restitutionem sepultorum corporum, quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerunt quomodolibet ad eosdem. Et si dictam restitutionem integraliter non fecerint, eorum ecclesiæ et cœmeteria subjaceant interdicto, donec satisfecerint, textu expresso in cit. cap. *Animarum* 1, De sepult. in 6, § *Si vero*, ibi : « Si vero iidem religiosi, vel clerici prædictos in suis ecclesiis vel cœmeteriis præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum corporum (si petantur) quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem infra decendium integraliter faciendam, ipsos obligatos esse censemus, quam nisi fecerint, ecclesiæ ipsæ apud quos sepulti fuerint, nec non cœmeteria earumdem extunc eo ipso sint, et tandiu maneant ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum. »

(126. Insuper in cit. cap. *Animarum*, § *Nos enim*, statuitur, quod electio ad hujusmodi inductionem facta ipso jure sit nulla, debeantque ita eligentes ibi sepeliri, ubi nulla electione facta alias de jure debuissent; ibi : « Nos enim, si secus actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitus exsistere firmitatis, statuentes ut hi, qui sic elegerint, nec apud sic electas ecclesias nullatenus sepeliri, nec alibi (ne contra votum, juramentum aut promissum hujusmodi a se factum, materiam habeant veniendi) possint eligere sepulturam, sed contradictione quacunque cessante, sepeliantur omnino apud illas ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si alias sepultura non electi forsitan decessissent. »

(127. Sepulturæ infra terram et depositæ, seu cadaverum conditoria in tumbis profundis sunt collocanda, et eorum operimenta æqualia debent esse cum solo Ecclesiæ. Concil. *Mediolanens.* 1, p. II, tit. *De sepulturis*. Et S. Pius V, constitut. 5, incip. *Cum primum apostolatus*, § 8, ibi : « Et ut in ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem (hoc est ordinarii) provideant, ut capsæ omnes, et deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram exsistentia omnino amoveantur, prout alias statum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. »

(128. Solis enim Summis Pontificibus competit prærogativa, ut eorum corpora sepeliantur in conditoriis elevatis a terra, ut videre est in basilica Vaticana. Ut ne quidem personæ regales ea præeminentia gaudeant, ut novissime praxis docuit de cadavere Christinæ reginæ Suecorum sepulto in eadem Basilica subtus terram. Sic expresse eminent. card. Petra, tom. II *Commentar. ad constitut.* 3 *Cœlestini III*, sect. 1, n. 13.

(129. In dicta tamen S. Pii V dispositione non comprehenduntur monumenta marmorea muris seu columnis adhærentia, præsertim amotis cadaveribus a locis altis, quia hæc nullam indecentiam, imo magnum ornamentum afferunt ecclesiis. Sic sacra congreg. Episcop. et Regul., rescripsit episcopo Mantuano 13 Octobris 1579, apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Sepultura*, n. 2.

(130. Sepulturæ debent esse remotæ ab altaribus, ita ut sepulturæ ostium longe absit ab altaris scabellis ligneis, seu prædella cubitis ad minus tribus. Concil. *Mediolanens.* 1, part. II, *Decret. Visiyat. Apostolic.*, verb. *Sepultura*, ibi : « Sepulcrorum ipsorum in posterum ædificandorum ostium longe absit ab altaris scabellis ligneis, vel prædella cubitis ad minus tribus : sepulcra vero ipsa ad scabellum ligneum non pertingant.

(131. Hinc nemo sepeliendus est prope altaria, seu sub prædellis, et si quæ inibi reperiantur constructæ sepulturæ, interdicuntur altaria, donec amotis ossibus ibi sepultorum, sepulturæ terra repleantur, et muro obstruantur. Sic pluries decrevit sacra congreg., ut videre est sub verb. *Altare*, ubi afferuntur decreta, et sub verb. *Cadaver*.

(132. Sepulturæ construi possunt in quovis loco religioso, id est ubi divina officia celebrantur. *Communis*, per text. in cap. *Fraternitatem* 3, De sepulturis, cap. *Animarum* 1, et cap. *Cum quis* 2, eod. in 6. Et quidem in loco etiam minus religioso, id est ubi divina officia minus frequenter celebrantur. *Communis*, argum. cap. *Cum quis* 2, § *Si quis*, De sepulturis in 6, ibi : « Si quis antiqua dimissa, novam etiam in loco minus religioso elegerit sepulturam, electionem hujusmodi (licet jura super hoc videantur esse diversa) nequaquam volumus impugnari. » Pro loco autem minus religioso in-

Digitized by Google

telligitur talis locus, qui religiosus quidem est, sed tamen minus talis, utpote in quo minus frequenter officia divina, missæ aut publicæ orationes fiunt, ut explicat Glossa communiter recepta in cit. cap. *Cum quis*, verb. *Casus*.

(133. Admonet tamen Glossa, *ibid.*, melius et utilius esse sepulturam construere, et sibi eligere in magis religioso loco, hoc est *in loco, ubi magis celebrantur divina*. Quod idem expressius docet rationem reddens alia Glossa, in cap. *Fraternitatem* 3, De sepulturis, verb. *Frequentius*, ibi : « Hæc est ratio, quare potius sepeliuntur homines in locis religiosis, quia frequentius ibi divina officia celebrantur. » Ad quod aperte facit expressus textus in cit. cap. *Fraternitatem*, ibi : « Fraternitatem tuam non credimus ignorare, mortuorum sepulcra et cœmeteria apud illas ecclesias et monasteria, ex antiquo esse disposita, in quibus religiosorum Fratrum conventus sunt constituti, et orationes, atque missarum solemnia, tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur. »

(134. Hinc Bordonus, tom. II, resolut. 51, num. 87 ; Pellizzarius, tom. II sui *Manual.*, tract. 8, cap. 5, sect. 4, subnect. 24, sub n. 144 ; Donatus, tom. III, tract. 10, *De sepultur.*, q. 8, et alii expresse docent, melius et utilius esse sepulturam sibi construere et eligere in ecclesiis regularium, quam aliorum. Et ratio est clara, quia sepulti in ecclesiis regularium ex frequentiori divinorum officiorum celebratione plus de piis operibus participant, cum etiam ex majori frequentatione populi occurrentis ad divina officia in dictis ecclesiis audienda frequentior de ipsis fiat memoria sicque frequentius orationes, et suffragia pro ipsis Deo offerantur. Quod clare indicant verba ipsa cit. cap. *Fraternitatem*, ibi : « In quibus religiosorum Fratrum conventus sunt constituti, et orationes, atque missarum solemnia, tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur. » Tum quia in dictis ecclesiis sepulti cum habitu religioso lucrantur indulgentiam plenariam ex indulto Leonis X, ut patet ex dictis sub verb. *Habitus*.

(135. Quamvis enim olim de jure communi sepulturæ construi et eligi potuissent solum in ecclesiis parochialibus, earumque cœmeteriis, utpote solis habentibus fundatam pro se intentionem, ita omnes parochiani ibidem sepeliri deberent, per text. in cap. *Nos instituta* 1, cap. *Fraternitatem* 3, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, cap. *Cum quis* 2, eod. in 6 ; Clementin. *Dudum*, § *Verum*, De sepulturis, cum similibus ; (136. tamen hodie possunt etiam construi et eligi in ecclesiis regularium ex speciali privilegio juri communi inserto, Fratribus Prædicatoribus et Minoribus concesso in Clementin., *Dudum* 2, § *Hujusmodi*, De sepulturis, et extravagant. *Super cathedrales* 2, § *Hujusmodi*, De sepulturis, quo privilegio gaudent omnes alii regulares, tum per communicationem, tum per speciales sibi ad id factas a Sede Apostol. concessiones, ut videre est in compendiis privilegiorum regularium, testaturque communis doctorum, et docet praxis universalis.

(137. Excipiuntur tamen ecclesiæ monialium, in quibus non possunt construi, nec eligi sepulturæ a laicis seu sæcularibus utriusque sexus absque speciali licentia sacræ congregationis, et copulativa monialium. Sic pluries decrevit sacra congreg. Episc. et Regul., et signanter in *Montefeltrin.* 21 Novembr. 1603, *in Gravinen.* 1 Octobris 1650, his verbis : « Nelle chiesa anco esteriori delle monache non si possono sepelire esteri, e forestieri, nè uomini, nè donne, nè anco principi, ancorchè vi fossero sepolti i loro maggiori. » Sic ex Pignatell., tom. IV, consult. 117, n. 1, refert et tenet card. Petra, *loc. cit.*, n. 29. Idem decrevit *in Forosempronien.* 25 Augusti 1652, et *in Maceraten.* 8 Novembris ejusdem anni ; quæ decreta bene ponderata iterum probavit ead. sac. congr. Episcop. et Regul., *in Vercellen.* 18 Maii 1695, *non obstante solito, referente eminentiss. Pamphil.*, et *in Mantuana* 14 *Martii* 1697, *Ponente eminentiss. Acciajolo*, et *in Camerinen.* 6 Martii 1713. *Ponente eminentiss. Corsino* ex post Summo Pontifice sub nomine Clementis XII, et sæpe alibi teste Ursaya, tom. I, discept. 36, num. 18.

(138. Solet tamen concedi licentia in sacra congregatione, tam pro construendo sepulcro, quam pro eligenda sepultura in ecclesiis monialium, ut declaravit requiri *in Ferrarien.* 13 Julii 1600, pro personis benemeritis, vel cum eleemosyna competenti. Ead. sac. cong. Episcop. et Regul., *in Messana* 6 Augusti 1601, in d. *Camerin.* 6 Martii 1713, *Ponente D. eminentissimo Corsino.* (139. Et tunc officium facit parochus usque ad portam ecclesiæ, et non ultra, exsequias complente ex post confessario monialium. Ead. sacr. cong. Episcop. et Regular., *in una Observantium* 9 Junii 1615 et sac. cong. Conc. 19 Martii 1639, teste d. Ursaya, tom. I, part. 1, discept. 8, num. 13, 27, 28, 29 et 30.

(140. In casu autem, quod quis electa sepultura in ecclesia monialium, non posset defectu licentiæ in ea sepeliri, tunc si is non haberet sepulcrum majorum, deberet sepeliri in parochiali per dicta et jura adducta *supra* n. 93, et in terminis tenent Paserin., *De statib. hom.*, t. II, q. 187, art. 4 n. 260 ; card. Petra, *l. cit.*, n. 33 in fine dicentes si impedimentum esset temporaneum, et speraretur obtinenda licentia, posset tunc exspectari, deposito cadavere in aliquo loco. Matthæucci, *loc. cit.*, n. 4, et alii.

(141. Sepulcra nova construi non possunt in ecclesiis sæcularibus absque licentia in scriptis obtenta ab episcopo et in ecclesiis regularium saltem a provinciali. Concilium *Mediolanense* 1, n. 2, tit. *De sepultur.*, vers. *Verum curet*, et S. Pius V, cit. constit. *Cum primum apostolatus* ; Barbos., lib. II *Juris eccles. univers.*, c. 10, n. 9, cum pluribus ibi citatis, et alii passim.

Digitized by Google

(142. Regulares nequeunt de se renuntiare juri sepeliendi cadavera eligentium sepulturam in eorum ecclesiis, si agatur de eorum ecclesiis seu monasteriis jam fundatis seu erectis, sed tunc requiritur Beneplacitum Apostolicum, et solemnitas copulative requisita in alienatione, etiam jurium ecclesiæ, ita ut nullus superior, nec localis, nec provincialis et nec generalis possit per ullum pactum præjudicare juri quæsito sepeliendi. Arg. Extravag. *Ambitiosæ Pauli II*, De rebus Ecclesiæ non alienand. inter commun. Ipsa enim Extravagans procedit verbis amplissimis et comprehendentibus jura, nam utitur verbo, *rerum*, quo vocabulo intelliguntur etiam jura et actiones, textu expresso in l. *Rei appellatione* 23, ff. *De verbor. significatione*, ibi : « Rei appellatione, et causæ, et jura continentur, » maxime stante dictione universali, *omnium*, quæ est universalissima per Barbos., dict. 241, et nihil excipit. « Qui enim dicit omnia, nihil excipit. » C. *Solitæ* 6, § *Nobis*, De majorit. et obedient., cum similibus.

(143. Nec obstant c. *Pactum* 1, et c. *Quia ex eo* 3, De pactis in 6, ubi statuitur, quod si regulares cum parochis specialiter paciscantur, quod privilegio sepulturæ pro ecclesiis et locis suis concesso, ex toto vel ex parte uti nolint, vel non, nisi cum certis circumstantiis, pacta hujusmodi servare debeant : « Quanquam sepultura libera sit monasterio vestro ab Apostolica Sede indulta, et illi apud vos elegerint sepeliri, » ut expresse dicitur in cit. c. *Pactum* 1, De pactis in 6, ubi etiam ratio subjungitur his verbis : « Cum per dictum pactum indulto hujusmodi derogetur ; » et si factum sit sine præscitu, consensu et auctoritate provincialis et generalis, quinimo etiam Sedis Apostolicæ, « Dummodo a prioribus, aut guardianis facta vel approbata fuerint de suorum conventuum consilio et assensu (dum tamen alias sint licita et honesta, » ut expresse dicitur in cit. c. *Quia ex eo* 3, De pactis in 6.

(144. Non obstant, inquam, quia cit. c. *Pactum* nihil dicit contra nos, sed solum statuit, posse per pactum privilegio derogari, quod verum est, si adsit legitima causa et solemnitas requisita. Et aliud cit. cap. *Quia ex eo* 3, De pactis in 6, optime exprimit, ut pacta observanda sint *licita et honesta*, quæ nequeunt sic considerari post jus quæsitum monasteriis et populis, qui in fundatione monasteriorum acquisierunt jus et liberam facultatem sepulturas ibi eligendi et respective tradendi. Unde prædicti textus non loquuntur, nec intelligendi sunt de pactis initis post fundationem conventuum, et jus quæsitum pro sepulturis, sed solum de pactis initis ante fundationem, et jus quæsitum, et de quibusdam concordiis factis per viam transactionis et compositionis, ad tollendas dissensiones; et dato, non concesso, quod intelligerentur de pactis initis post fundationem, et jus quæsitum, ipsis quoad hoc fuisset derogatum per dictam Extravagantem *Ambitiosæ*, utpote posteriorem dictis textibus sexti decretalium, cum posteriora derogent prioribus per text. in c. *Licet Romanus* 1, De constitut. in 6, l. *Sed et posteriores*, ff. *De legibus*, cum similibus.

(145. Si autem agatur de regularium ecclesiis et monasteriis nondum fundatis, sed fundandis, seu erigendis, tunc si in limine fundationis fiat pactum cum parocho de non recipiendis ad sepulturam illius parochianis, sine expressa ipsius licentia, tale pactum erit omnino observandum, juxta cit. cap. *Pactum* 1, et cap. *Quia ex eo* 3, De pactis in 6, et cap. *Antigonus* 1, De pactis, ibi : « Inita pacta suam obtineant firmitatem . . . . . pacta custodiantur, » et cap. *Qualiter* 3 eod., ibi : « Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur ; » et concordat l. *Hujus edicti* 1, ff. *De pactis in principio*. Ubi expresse dicitur : « Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare ? » Nec hic obstat cit. Extravagans *Ambitiosæ*, quia in hoc casu agitur de solo jure quærendo ; unde non potest dici, quod alienetur jus ecclesiæ : sicut enim parochus debet audiri, et non poterit impedire constructionem novi monasterii ratione præjudicii sibi inferendi ; ita potest pacto, hujusmodi præjudicio re integra ante erectionem occurrere, prout passim in limine fundationis possunt apponi conditiones etiam juri communi non conformes, dummodo sint honestæ, ut in genere tradunt communiter doctores, et in specie in his terminis præcise Rota, part. XIX, tom. II, recent. decis. 477, n. 7 et 8, et decis. 489, n. 7 et seq., expresse canonizando pactum cum parocho in limine fundationis monasterii circa hoc jus sepeliendi ; tum quia similia pacta facta in limine fundationis conventum videntur transire sub approbatione Sedis Apostolicæ, quæ non solet concedere facultatem pro conventibus de novo erigendis, nisi sint prius auditi ordinarii, et constet de partium consensu. Sic pluribus adductis card. Petra, in cit. *Constitut. 3 Cœlestini III*, a n. 22 ; Matthæucc., *loc. cit.*, n. 2, et alii. Rota tamen cit. decis. 489, n. 6, tenet, quod dictum pactum valeat, nedum pro ecclesiis adhuc construendis, sed etiam pro jam constructis, per text. et doctor. in cit. cap. *Pactum* 1, et cap. *Quia ex eo*, De pactis in 6.

(146. An autem pacta, conventiones et concordiæ factæ per viam transactionis a superioribus localibus, sine licentia generalium seu provincialium cum parochis quoad sepulturas et funeralia pro tollendis dissensionibus inter ipsos, valeant et debeant de jure sustineri ? *Vide* verb. PACTUM, art. 2, n. 27 et 28.

(147. Quamvis proprietas et dominium sepulturæ ab aliquo acquiri non possit, ex quo sit quid religiosum, et in nullius bonis sit, et extra commercium hominum esse dicatur, et ob id nec acquiri ab aliquo, nec possideri possit. Leg. *Quanquam*, ff. *De aqua pluvial. arcend.*, leg. *Si sepulcrum*, cod. *De*

Digitized by Google

relig. et sumptib. funer., Rota, part. III, recent. decis. 22, n. 2, et communis doctorum; (148. jus tamen, et usus sepulturæ, sive sepeliendi acquisibile est, ita ut qui acquisivit, in eo sepeliri possit, ac cæteros, ne ibi sepeliantur prohibere. Leg. 2, § *Usumfructum*, l. *Familiaria*, et l. *Sequent.*, ff. *De religios. et sumptib. funer.*, l. *Jus sepulcri*, cod. eod. titul.; Rota, *loc. cit.*, n. 2, citans alias decisiones et communem doctorum.

(149. Ad hoc autem jus sepulturæ acquirendum ad alios privative requiritur licentia ædificandi ab initio sepulturam una cum ipsa ædificatione subsecuta. Samuel., *De sepultur.*, tract. 1, disp. 1, controv. 5, conclus. 6; Lambertin., *De jurepatronat.*, part. I, art. ultim., vers. *Bene verum*, et vers. *Si de cætero;* Barbos., *De offic. et potest. parochi*, part. III, cap. 26, n. 12, et lib. II *Jur. eccles. univers.*, cap. 10, n. 12; Rota, *in Burgensi sepultura* 19 Decembris 1605, *coram Oltembergo.*

(150. Nec censetur tale jus quæsitum ex solo cursu decennali et cadaverum illatione, ut in dict. *Burgensi ac Calaguritana sepulturæ* 21 Maii 1616, *coram Coccino decano;* Barbos., *locis citatis*, n. 13; Samuel., *De sepultur.*, tract. 1, disp. 1, controv. 4, post conclus. 6, et alii.

(151. Nec etiam jus sepulturæ censetur acquisitum privative quoad alios ex jurepatronatu, quod quis habet in Ecclesia. Rota, *in Toletana capellaniæ et sepulturæ usus* 26 Julii 1616, *coram Ubaldo;* Samuel., *loc. cit.*, n. 14; Lambertin., *loc. cit.*, q. 11 in princip., § 13. Concessa enim simpliciter capella, non dicitur concessum jus sepulturæ, prout fuit resolutum, *in una Avenionensi concessionis capellarum* 13 Januarii 1587, *coram D. Litta;* sed si patronus loco patenti dictæ capellæ foderet sepulturam, episcopo seu rectore ecclesiæ non contradicente, præsumeretur licentia tacita. Sic Riccius, in *Prax.*, part. I, resolut. 39, n. 6, qui ad tollendas differentias dat cautelam notariis, ut in similibus contractibus apponant clausulam : *Cum jure funerandi;* Ventriglia, tom. I, adnot. 1, § 2, n. 25.

(152. Censetur autem jus sepulturæ quæsitum et pro tali probatur esse commune familiæ ex inspectione litterarum et armorum in insculptione, quæ demonstrant rem esse de pertinentia ejus, cujus sunt arma, cum imprimi non potuerint, nisi de voluntate prælati Ecclesiæ, cui spectat cura rerum hujusmodi. Rota, part. XVII, recent. decis. 139, nu. 4, 5, 6 et 7; Mascard., *De probationib.*, conclus. 1297; Barbos., *loc. cit.*, n. 15, cum aliis ibi allegatis.

(153. Jus sepulturæ familiaris transit ad omnes descendentes de familia ejus, qui sepulcrum construxit vel alio legitimo modo sibi, et familiæ suæ acquisivit. Et in tali sepultura soli ipsi sepeliri possunt. Cit. l. *Familiaria* 5, ff. *De religios. et sumptib. funer.;* Rota, part. III, recent. decis. 22, n. 3; Samuel, *loc. cit.*, conclus. 6, cum pluribus ibi citatis; unde tale jus sepulturæ familiaris retinent etiam fœminæ quæ in aliam familiam transeunt, sive proximiores, sive remotiores sint, leg. *Liberorum*, ff. *De verbor. signif.* Sicuti etiam omnes descendentes ex ipsis. Rota, part. II, rec. decis. 22, n. 3, cum ibi allegatis.

(154. Jus sepulturæ hæreditariæ transit ad hæredes et successores ejus, qui sepulcrum construxit, vel alio legitimo modo sibi et hæredibus, seu successoribus suis acquisivit. Et in tali sepultura soli ipsi sepeliri possunt. Cit. l. *Familiaria* 5, ff. *De relig. et sumptibus funer.*, et leg. *Jus sepulcri*, cod. eod. tit.; Rota, cit., part. III, decis. 22, n. 3; Molina, lib. I, *De Hispaniar. primogenit.*, cap. 24, n. 5; Joan. Baptist. Asin., in d. leg *Familiaria* 5, ff. *De religios. et sumptib. funer.*, et alii passim. (155. Et tale jus transit etiam ad hæredes extraneos, cit. leg. *Familiaria* 5, cum leg. seq., ff. *De religios. et sumpt. fun.;* Rota, part. II, recent. decis. 126, n. 3; Molina, *loc. cit.*, n. 9 et alii.

(156. Pro jure sepulturæ, sive ut aliquis in certo loco ecclesiæ aut cœmeterii sepeliri possit, aliquid tanquam pretium exigere Simoniacum est; est enim rei spiritualis venditio pro re temporali. Et sepultura in tali sensu accepta nullatenus vendi potest, sed gratis est præstanda defunctis per eorum parochos. *Communis*, text. expresse in cap. *Abolendæ* 13, De sep.

(157. Usus autem vendendi capellas pro inibi construenda sepultura non est Simoniacus, quia id, quod datur, est per modum eleemosynæ ad reparationem ecclesiæ, vel ad sustentationem ministrorum illius, et non pro pretio, sicuti datur stipendium pro divinis et missis celebrandis. Barbos., *loc. cit.*, n. 16; Portell., in dub. *Regular.*, verb. *Sepulturam*, n. 8; Suarez, tom. I, tract. 3, cap. 14, num. 22; Donat., *loc. cit.*, tract. 9, q. 3, n. 2, cum aliis ibi allegatis, et alii passim.

(158. Sic ratione honorabilioris situs seu dignioris loci potest esse licita pretii receptio pro sepultura cum hoc non videatur concernere spiritualia, sed tantum honorem et præeminentiam, quæ potest pretio æstimari et vendi; hujusmodi enim situs honorabilior et dignior locus non est ad sepulturam necessarius, ac idcirco non venditur sepultura, nec sacrum; et ecclesia habet cœmeterium, ubi gratis fideles sepeliuntur, adeoque, etc. Sic Samuel., *De sepulturis*, tract. 2, controv. 13, concl. 8, cum innumeris aliis ibi citatis; Barbos., *loc. cit.*, n. 16, cum plurimis ibi allegatis et communissima aliorum.

(159. Unde potest sine Beneplacito Apostolico concedi situs pro construenda capella ac sepultura, ut censuit sac. congregatio Concilii, *in Melitensi Alienationis*, die 6 Septem. 1659, in qua proposito dubio : « Archipresbyter et parochus Collegiatæ Oppidi Seminariæ reverenter exponit, clerum loci ad procurandam fabricam antedictæ ecclesiæ, illi donasse ad proximum futurum triennium jus exigendi ab officialibus laicis assem unum pro quolibet rotolo carnis pro certo numero rotolorum competente cleri-

Digitized by Google

cis illius loci ratione exemptionis ipsius debitæ a gabellis laicalibus; cui donationi pactum additum fuit, ut procurator ejusdem ecclesiæ sepulcrum pro clero in ea constituere teneatur; idem archipresbyter, attenta dispositione sacri concilii Tridentini, et sacrorum canonum, et præcise Extravagantis *Ambitiosæ* prohibentis alienationes bonorum et jurium ecclesiasticorum, reverenter supplicat declarari. » An prænarrata donatio absque Sedis Apostolicæ Beneplacito facta, fuerit valida? Sacra congregatio respondit, *Affirmative*.

(160. Si autem concedatur usus privativus capellæ, seu sepulturæ jam constructæ, cum sit vera alienatio, requiritur Beneplacitum Apostolicum. Et revera solent regulares recurrere ad sacram congregationem pro ejusmodi concessionibus capellarum et sepulturarum jam constructarum, ut actum fuit pro Patribus Augustinianis Discalceatis Sancti Nicolai Tolentini urbis, pro concessione capellæ jam constructæ episcopo Terracinensi Monanno pro pretio scutorum mille, et sub die 17 Novemb. 1708 Beneplacitum fuit concessum. Sic refert et tenet card. Petra, tom. VI *Commentar. ad constitut.* 5 *Pauli II*, sect. 2, num. 19; Rota, *in Bononiens. sepulturæ* 13 Maii 1570, *coram Litta;* Navarr., consil. 1, *De sepultura;* Donatus, tom. I, part. II, quæst. 79; Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 698; Matthæucc., *Officiai. Curiæ*, c. 44, *Quoad res ecclesiarum et monasterior. non alienandas*, n. 22, et plures alii loquentes indiscriminatim de omnibus.

(161. Loquendo autem de Fratribus Minoribus, speciali jure prohibentur sine Beneplacito Apostolico capellas et sepulturas vendere seu alienare, transferendo in alios dominium et proprietatem earum; habetur expresse ex declaratione sacræ congregationis ab Urbano VIII, consultationibus Fratrum Minorum præpositæ in *Bullar.* tom. IV, ad constit. 49, incip. *Sacrosanctum*, præcipientis observantiam Ordinationum, prout in textu, § *Cum asseratis*, vers. *Item statuitur*, ibi: « Item statuitur, ut deinceps nulla instrumenta publica fiant, a Fratribus capitulariter congregatis, nec quocunque alio modo se habentibus, in quibus transferatur dominium et proprietas alicujus capellæ, sive sepulturæ, cum hoc omnino sit contra regulam, et repugnet nostro instituto; nam quomodo aliquis dat quod non habet? Si tamen occasio se obtulerit, in qua oporteat satisfacere devotæ fidelium voluntati, id fiat per modos nostræ regulæ et instituto congruentes. » *Vid.* verb. VOTUM, art. 2, num. 93 et 95 et sequent., ubi refertur integra talis declaratio.

(162. Modi autem nostræ regulæ et instituto congruentes sunt, quod in concessione capellæ vel sepulturæ non intercedat mercatus vel venditio, nec deducatur in pactum aliqua solutio pro illis; neque aliqua civilis obligatio superveniat; sed solummodo concedatur titulus honorificus et usus facti, fabricandi, ornandi, illuminandi, paramentis decorandi capellam, et in illa fodiendi sibi et suis sepulturam, ac in illa se suosque sepeliendi. Sic enim non contrafit regulæ, nec capella, aut sepultura dicitur alienari, cum dominium et proprietas non transferatur, nec persona, cui conceditur, possit censeri domina ut notant Ameno, *De pœnis*, tit. 3, *Alienatio bonorum*, num. 12; Sanctorius, *De pœnis*, cap. 7, difficultat. 6, fol. 648; Lantusca, *Theatr. regular.*, verb. *Alienatio*, num. 4; Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 696; Matthæucc., *loc. cit.*, numer. 26 et 27, ubi Sannig., *Schol. canonic.*, tom. II, lib. III, cap. 4, num. 2, subjungit, quod syndicus, tanquam œconomus Sedis Apostolicæ, posset per modum eleemosynæ recipere quidquid libere daret is, cui fuissent prædicta concessa.

(163. Habens propriam sepulturam suis sumptibus pro se ac suis successoribus constructam, non committit Simoniam, si eam vendat quoad materiale fundi, et respectu habito ad solas expensas factas in illa ædificanda; ibi enim non venditur quid spirituale, cum non vendatur benedictio seu consecratio sepulturæ, sed solum illud materiale fundi, ad quod alia sequuntur, quia loca similia jure hæreditario de parentibus transferuntur in filios ratione temporalitatis in eis remanentis seu exsistentis. Sic Barbosa, Lambertin., Suarez, Lavorius, Sanchez, Lezana citati et secuti a Samuel., *loc. cit.*, conclus. 16, ubi testatur de communi sententia.

(164. Jus sepulturæ amittitur per Simoniam, per rectoris occisionem, per hæresim, per crimen læsæ majestatis, aut si vivus in ea sepeliatur, et aliis modis de quibus Lambertin., *De jurepatronat.*, lib. III, q. 9, art. 7; Samuel., *De sepulturis*, tract. 1, disput. 1, controv. 8, conclus. 1, et aliis ibi allegatis; Barbosa, *loc. cit.*, n. 39, et alii.

(165. Sepultura vel capella alicui concessa pro se et suis descendentibus, conventus seu monasterium eis illam auferre nequit, cum talis sepultura vel capella reputetur tanquam hospitium, cap. *Ebron.* 2, caus. 13, quæst. 2. (166. Exstinctis vero domino et illius descendentibus, tunc potest conventus libere sepulturam alteri concedere; nam mortuo usuario, usus ille redit ad proprietarium libere, leg. pen. cod. *De usufruct.*, et l. *Si habitatio*, § final., ff. *De usu et habitat.*; Samuel., *De sepultur.*, tract. 1, controv. 14, concl. 7. et 8, cum pluribus ibi allegatis.

(167. Arma seu insignia in ecclesia vel capella, aut sepultura posita a primo fundatore nullo modo amoveri possunt, sed semper ibi remanere debent in ejus memoriam. Et nequidem ab ejus hærede mutari possunt, qui novus hæres, si sit alienæ familiæ a fundatore, potest quidem etiam sua arma et insignia ibi reponere, at semper remanentibus illis primis fundatoris cum perpetua inscriptione fidem faciente de primo fundatore. L. *Qui liberalitate*, § *Nec ejus nomine*, ff. *De operibus public.*, ibi: « Nec

Digitized by Google

ejus nomine, cujus liberalitate opus exstructum est, eraso, alia nomina inscribantur. » *Vide* verb. *Arma seu insignia*, a num. 21 usque in finem.

(168. Violatores sepulturæ seu sepulcri, pro quibus veniunt non tantum qui sepulcrum violant, sed etiam qui inde monumenta, vel alia auferunt, vel cadavera effodiunt et spoliant, leg. *Si sepulcrum* 2, et l. *Prætor ait* 3, ff. *De sepulcro violato*, ultra infamiam, quam incurrunt, leg. 1, ff. eodem, puniuntur pœna arbitraria, et subinde etiam capitali, præsertim si corpora vel ossa eruantur; l. *Prætor ait* 3, et l. final., ff. eod., ibi: « Rei sepulcrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humiliores quidem fortuna ultimo supplicio afficiuntur, honestiores in insulam deportantur, alias autem relegantur, aut ad metallum damnantur. »

(169. Sepultura ecclesiastica non est a parocho retardanda seu differenda cavaderibus sub prætextu compositionis Quartæ Funeralis. Sacra congreg. Episcop. et Regular., *in Cassanensi* 5 Maii 1617. (170. Nec etiam propter jus sepulturæ minime solutum, cum nulla ratio patiatur, Christianæque pietati repugnans videatur, maxime vero ob pecuniarium interesse cadavera insepulta remanere. Sacra congregat. Episcop. et Regul., *in Crotoniensi* 17 Septembris 1617.

(171. Cadavera enim pauperum fidelium gratis omnino tumulari et sepulturæ tradi debent. Sacra congreg. Episcop. et Regul., in d. *Cassanensi* 5 Maii 1617; Clemens IX, in constitut. 38, incipient. *In excelsa*.

(172. Ecclesiastica sepultura carere debent omnes non baptizati, uti sunt Judæi, Turcæ seu Pagani. C. *Ecclesiam* 26, cap. *Ecclesiam* 27, distinct. 1, De consecrat. Huc pertinent etiam infantes Catholicorum certo decedentes sine baptismo : si vero dubium sit, an sint, vel non valide baptizati, non sunt privandi ecclesiastica sepultura. Engel, lib. III *Decretal.*, tit. 28, num. 17; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 77; Samuel., *De sepultur.*, tract. 2, controv. 3, conclus. 13, cum aliis ibi allegatis. Arg. cap. *In obscuris* 30, De regul. jur. in 6. Item huc reducuntur catechumeni, quia et ipsi baptismo carent. Paludan., in 4, dist. 4, quæst. 3, art. 1; Layman, lib. III, tract. 6, cap. 12, n. 10; La Croix, lib. XVII, num. 150, cum aliis ibi allegatis; Pirrhing, lib. III *Decretal.*, titul. 28, num. 61; Reiffenst., *ibid.*, num. 77, ubi testatur etiam de communi. Quamvis tamen Samuel., *loco cit.*, conclus. 13, dicat catechumenos esse sepeliendos in loco sacro, quia jam pro fidelibus habentur, uti etiam tenet Gobat, *De baptismo*, num. 620, vers. *Cum ad Apostolicam*, De presbyt. non baptizato.

(173. Item ecclesiastica sepultura carere debent hæretici, et in puncto hæresis eorum receptores, defensores, fautores, etc., cap. *Sicut* 8, cap. *Excommunicamus* 13, § *Credentes*, De hæretic., cap. *Quicunque* 2, eodem in 6, etiamsi hæresis solum per mortem eorum fuerit detecta. Argum. cap. *Sane* 6, caus. 24, quæst. 2.

(174. Item notorie excommunicati. Cap. *De communione* 1, caus. 24, quæst. 2, cap. *Sacris* 12, De sepulturis, nisi in articulo mortis signa pœnitentiæ dederint, ac per eos non steterit, quominus fuerint absoluti. In tali enim casu dicti excommunicati etiam post mortem ritu ab Ecclesiæ præscripto absolvi, sicque absoluti in loco sacro sepeliri possunt ac debent, cap. *A nobis* 28, De sentent. excommun. in 6. Et sic expresse declaravit sac. congregat. Episc. et Reg., *in Nolana* 19 Julii 1619, apud Barbos., lib. II *Jur. eccles. univers.*, cap. 10, num. 40, et *De offic. et potestat. parochi*, part. III, cap. 26, num. 40.

(175. Item interdicti notorii et denuntiati. Clement. 1, *De sepultur.* Generaliter enim per omne interdictum, sive locale, sive personale usus ecclesiasticæ sepulturæ prohibetur. Cap. *Cum et plantare*, § *Quod si templarii*, De privileg., et idem de suspensis ab ingressu ecclesiæ deciditur. C. *Is cui* 20, § *Talis quoque*, De sentent. excommun. in 6.

(176. Item publici et manifesti usurarii, nisi alienum restituerint, vel idoneam dederint de restituendo cautionem. C. *Quia* 4, De usuris. c. *Quanquam* 2, eod. in 6.

(177. Item manifesti raptores et ecclesiarum violatores. Cap. *Super eo* 2, De raptorib. Secus vero est dicendum, si occulti sint et confessi, ac restitutionem fecerint per se vel per alios. At tunc sunt in cœmeterio tumulandi absque clero. Ex citat. cap. *Super eo* 2, De raptoribus.

(178. Item decedentes in torneamentis. Cap. *Felicis* 1, et cap. *Ad audientiam* 2, De torneamentis.

(179. Item decedentes in duello, juxta dicta sub verb. DUELLUM. Vide *ibi*.

(180. Item qui per annum integrum non confitentur, et tempore Paschali sacram synaxim sine justa causa non suscipiunt, nisi de consilio sacerdotis prorogassent. Cap. *Omnes utriusque* 12, De pœnit. et remissionibus.

(181. Item publice blasphemantes Deum ac sanctos, et præsertim Beat. M. V. et impœnitentes morientes, seu pœnitentiam eis injunctam non facientes. C. *Statuimus* 2, De maledicis.

(182. Item decimas recipientes et ecclesiæ non restituentes. Cap. *Prohibemus* 19, De decimis, ibi : « Si quis vero recipit (decimas), et ecclesiæ non reddiderit, Christiana sepultura privetur. »

(183. Item semetipsos voluntarie ex impatientia, ira et desperatione, et alia simili causa occidentes. Cap. *Placuit* 12, caus. 23, q. 5.

(184. Advertunt tamen Covarruv., lib. II *Variar. resolut.*, cap. 1, num. 11; Navarr., lib. III, consil. 7, *De sepultur.*; Socinus jun., consil. 51, lib. I; Pirrhing, lib. III *Decretal.*, tit. 28, num. 65; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 89; Barbosa, lib. II *Jur. ec-*

Digitized by Google

cles. universal., cap. 10, num. 49, et *De offic. et potestat. parochi*, part. III, cap. 26, n. 49; Burghab., centur. 3, cas. 20; La Croix, l. VII, n. 256; Samuel., *De sepultur.*, tract. 2, controvers. 5, conclus. 2, et plures alii; quod si quis reperiatur in puteo vel in flumine submersus, aut laqueo suspensus, veneno seu ferro interfectus, sepultura privari non debeat, nisi aliunde constet, quod se ipsum voluntarie et sui compos occiderit; quod tamen in dubio non est præsumendum, cum in dubio delictum præsertim tam grave de nemine præsumatur, argum. l. *Merito* 52, Pro socio. Tum quia potuit talis per insidias, aut vi per alium in puteum vel flumen præcipitari, aut laqueo suspendi, seu, quod satis probabile est, ex amentia, vel mentis alienatione se ipsum occidere, ut recte notant citati doctores et alii; signum autem sufficiens suspicandi, quod adfuerit alienatio mentis, est, si antea animadversus est defigi in melancholia. Gobat, in *Quinar.*, tract. 5, cap. 5, n. 15; La Croix, *loco cit.*, num. 256, et alii. Item si mane sit confessus, communicarit, et postea inveniatur mortuus cum laqueo in collo, seu demersus in puteo vel flumine. Gobat, *loco cit.*, n. 54; La Croix, *loc. citat.*, num. 256, cum Navarr. et Rodrig. ibi allegatis; ubi subjungit, quod Lohner putat, si commode fieri potest, et sit suspicio voluntariæ cædis, quod melius exspectetur judicium episcopi; sic etiamsi reus non confessus, nec legitime convictus reperiatur mortuus in carcere, non ideo statim privandus est sepultura ecclesiastica, quia talis non sufficienter probatur esse malus, aut a se ipso, vel dæmone occisus, quia præsumendum est semper pro reo et pro innocentia; multa sunt enim mortis naturalis argumenta, uti tortura, carcer, vincula, tristitia, et hujusmodi, quia, dicit S. Augustinus, *De civitate Dei*, l. XIX, c. 6: et si non morte puniantur, in ipsis, vel ex ipsis, plerumque tormentis moriuntur: La Croix, lib. IV, n. 1477, cum aliis ibi citatis; unde in similibus caute attendendæ sunt omnes circumstantiæ talis mortis, personæ, loci et temporis ad dignoscendum an quis sit a seipso sibi bene præsente voluntarie occisus, vel ex amentia, seu mentis alienatione, aut ab alio seu dæmone sit interfectus, aut ob aliquam ex assignatis causis obierit, et sic an privandus sit, nec ne, ecclesiastica sepultura.

(185. Item sepultura ecclesiastica privantur suspensi, impœnitentes. Cap. final. caus. 13, q. 2. (186. Et sic omnes, qui in notorio ac certo peccato mortali absque pœnitentia decedunt, ut qui in actuali furto et rapina, fornicatione, adulterio, et hujusmodi occiduntur, ut habet communissima doct. Arg. *Quibus peccata* 6, caus. 13, quæst. 2, cap. *Non æstimemus* 19, cap. *Pro obeuntibus* 21 cum seq., eadem caus. 13, quæst. 2, cap. *Fures*, De furtis, cum similibus.

(187. Item regulares utriusque sexus proprietarii, si moniti a superiore absque emendatione et pœnitentia decesserint. Cap. *Monachi* 2, cap. *Super quodam* 4, c. *Ad monasterium* 6, De statu monachor. *Vide* verb. REGULARES, art. 1, a n. 16 ad 20, ubi adducuntur textus et casus.

(188. Recte tamen advertunt quoad hoc Barbosa, *loco cit.*, n. 47; Samuel, *De sepulturis*, controv. 6, conclus. 1, cum pluribus ibi allegatis; Roderic., in *Compend. quæst. regular.*, resolut. 188, n. 20; Portell., in *Dub. regul.*, verb. *Sepultura*, n. 11, et alii plures, non esse ita præcipitanter privandum ecclesiastica sepultura religiosum inventum mortuum cum bursa denariorum; præsumi enim debet, seu saltem potest, denarios non esse proprios, vel quod ex oblivione, aut negligentia alterius inibi remanserint, aut quod tales denarii essent sui consanguinei, vel amici, seu quod illos habuisset ad faciendam secretam restitutionem, seu eleemosynam, et hujusmodi; unde in tali casu non esset religiosus privandus ecclesiastica sepultura, nisi certo constaret, quod esset mortuus vere proprietarius et impœnitens; eo vel maxime quod *citata* jura loquantur solum de religioso a suo superiore prius admonito, et nihilominus proprietario et impœnitente defuncto.

(189. Omnes quamvis exempti et privilegiati, qui scienter sepeliunt aliquem tempore interdicti, vel aliquem nominatim excommunicatum, vel personaliter publice interdictum, vel manifestum usurarium, vel hæreticum, aut ejus defensorem, fautorem vel receptatorem, et peccant mortaliter, et eo ipso excommunicationem incurrunt. Clem. 1, *De sepulturis*, et cap. *Quicunque* 2, De hæretic. in 6.

(190. Sepelientes autem alios sepultura indignos, ut suicidas, decedentes in peccato mortali, infantes non baptizatos, catechumenos, religiosos proprietarios, etc., peccant quidem mortaliter, utpote in gravi causa agentes contra prohibitionem Ecclesiæ, possuntque pœna arbitraria ab episcopo puniri, utpote qui potest transgressores legum ecclesiasticarum punire; at non incurrunt dictam excommunicationem, quia talis lex, utpote pœnalis, non est extendenda ultra casus et personas expressas; l. *Interpretatione* 42, ff. *De pœnis*, ibi: « Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt, potius quam asperandæ, » cap. *In pœnis* 49, De regul. juris in 6, ibi: « In pœnis benignior interpretatio est facienda, juncto cap. *Odia* 15 eod., ibi: « Odia restringi, et favores convenit ampliari. » Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 95; Samuel., *loco cit.*, tract. 2, conclus. 1, et alii passim.

(191. A tali pœna etiam ex prædictis aliquem sepelientes excusantur, qui ex ignorantia vel gravi metu coacti id faciunt: Argum. cit. Clement. 1, *De sepulturis*, ibi: « Qui propriæ temeritatis audacia non sine contemptu clavium Ecclesiæ. . . . scienter sepelire præsumunt, » et cit. cap. *Quicunque* 2, De hæretic. in 6, ibi: « Quicunque hæreticos, credentes, receptatores, defensores vel fautores eorum scienter præsumpserint

Digitized by Google

ecclesiasticæ tradere sepulturæ. » Sic Glossa, *ib.*, verb. *Scienter;* Pirrhing, *loc. cit.*, n. 79; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 95, et alii passim. (192. Item a tali pœna excusantur, qui tempore interdicti sepeliunt in casibus a jure, vel ab Apostolicis privilegiis concessis. Glossa, in d. Clement., verb. *A jure;* Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 95, et alii passim.

(193. Nomine sepelientium ad incurrendam dictam excommunicationem veniunt terram aperientes, in sepulturam mittentes, ipsam mandantes, aut concedentes et procurantes. Anchar., in cit. Clement. 1, *De sepulturis*, n. 10; Pirrhing, *loco cit.*, n. 80; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 79; Samuel, *loco cit.*, tract. 2, controv. 10, conclus. 3, cum pluribus ibi allegatis. Item etiam cooperantes, associantes, seu crucem portantes et luminaria deferentes. Anchar., *loco cit.*; Samuel, *loco cit.*, cum aliis allegatis; et ratio est, quia omnes isti participant in crimine criminoso, adeoque omnes isti subjacent dictæ pœnæ. Arg. c. *Nuper.*, et cap. *Concubinæ*, De sentent. excomm.

(194. Cadavera excommunicatorum denuntiatorum sepulta in loco sacro debent iterum exhumari, si ossa discerni possunt, et ecclesia propter talem sepulturam polluta reconciliari. *Communis*, textu expresso in cap. *Sacris* 12, De sepulturis, et cap. *Consuluisti* 7, De consecration. eccles. (195. Idem procedit de infidelibus et paganis. *Communis*, textu expresso in cap. *Ecclesiam* 27, et cap. *Ecclesiam* 28, dist. 1, De consecrat., ibi: « Evulsis corporibus. » (196. Donec autem prædicta excommunicatorum, et infidelium, seu paganorum cadavera exhumentur, et ecclesia reconcilietur, nemo ibidem sepeliri potest. *Communis*, textu expresso in cap. unic. *De consecrat. eccles.* in 6.

(197. An autem etiam per sepulturam aliorum indignorum ipsa polluatur ecclesia, et sic debeat reconciliari, *Vide* verb. Ecclesia, art. 4, 5 et seqq.

(198. Circa sepulturam excommunicatorum, seu absolutorum in articulo mortis, servanda est dispositio cap. final., *De sepult.* Sacra congregat. Immun., *in Mediolan.* 15 Febr. 1633, lib. I *Decret.* Paulucci, pag. 150.

(199. Supposita absolutione, vel quod excommunicatus dederit in mortis articulo signa pœnitentiæ, et præstita per hæredes cautione de reficiendis damnis, quatenus refecta non fuerint, conceditur facultas tradendi sepulturæ ecclesiasticæ. Sac. congr. Immunit., *in Meliten.* 23 Septembris 1659, *Decr.* pag. 211, *in Theanen.* 6 Decemb. 1695, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 234.

(200. Ordinarius mandet cadaver olim excommunicati, et in articulo mortis absoluti ab ejus simplici confessario, sepeliri in loco sacro. Sacra congreg. Immunit., *in Sipontina* 3 Aprilis 1661, lib. *Decret.*, Rocci, pag. 329.

(201. Cadaver excommunicati, qui non tantum dedit signa pœnitentiæ, sed etiam decessit munitus sacramentis, episcopus tradat ecclesiasticæ sepulturæ ad formam cap. *A nobis*, De sentent. excommun. Sac. congr. Immun., *in Nicoteran.* 12 Novemb. 1668, lib. I *Decret.* Altovit., pag. 288.

(202. Quando quis non fuit declaratus excommunicatus, vel non fuit notorius, non potest impediri sepultura. Sacra congreg. Immun., *in Catacen.* 12 Nov. 1647, lib. IV *Decret.* Pauluc., pag. 30.

(203. Cadaver correi homicidii in personam sacerdotis, mortui in excommunicatione, non est tradendus ecclesiasticæ sepulturæ. Sacr. cong. Immun., *in Feretrana* 31 Julii 1675, lib. I *Decret.* Alt., p. 974.

(204. Nisi curia sæcularis amoveat impedimentum appositum sepulturæ, ne clerici cadaver sepeliatur, cum hoc sit contra Christianam pietatem et contra jurisdictionem ecclesiasticam, episcopus procedat prout de jure. Sacra congr. Immun., *in Sorana* 12 Maii 1674, *ibi*, pag. 939.

(205. Quoad excommunicatum defunctum sacra cong. injungit episcopo, ut præcise informet super denegatione sepulturæ ecclesiasticæ. Sacra congr. Immun., *in Meliten.* 12 Jan. 1694, libr. I *Decret.* Vallem., pag. 98.

(206. Alia ad rem. *Vide* verb. Cadaver, verb. Confraternitas, verb. Parochus, verb. Quarta funeralis per tot., verb. Vestis, n. 17.

(207. Constructio, manutentio, ampliatio et restauratio communis sepulcri seu cœmeterii fieri debet expensis parochianorum et non parochi, quamvis parochus dives sit, quia cum id respiciat utilitatem et commodum parochianorum, qui sentiunt commodum, sentire debent et onus. Cap. *Qui sentit* 55, De regul. juris in 6, l. *Secundum naturam* 10, De regul. jur.; Sperell., decis 68, n. 8; Panimoll., decis. 6, adnotat. 7, n. 31, et decis. 15, adnotat. 1, n. 44; Crispin., *De visitat.*, part. II, §|13, form. 1, n. 93; Joan. Baptista Bassi, tract. *De sodalitiis*, quæst. 5, n. 13, impress. ad calcem Amostaz., *De causis piis.* Ad expurgationem autem communis sepulcri seu cœmeterii tenetur is, qui habet curam animarum, et emolumenta ratione funeralium percipit (si dives), et in subsidium tenetur populus. Sic sac. congreg. Concil., *in Fossanen.* 19 Septembr. 1637, in responsione ad quintum, super dubiis impressis in synodo bonæ m. Trotti ejusdem episcop., pag. 1218.

(208. Occisus, seu casu moriens in confinio duarum parochiarum, si prius non sibi elegerit sepulturam, nec habeat sepulcrum majorum, sepeliendus est in parochia, sub cujus finibus reperitur caput cadaveris: ubi enim est pars nobilior corporis, ut est caput, censetur esse totum. L. *Cum in diversis* 44, ff. *De relig. et sumptib. funer.* Et sic servat praxis et communis consuetudo, quæ est optima legum interpres. C. *Cum dilectus* 8, De consuet., l. *Si de interpretatione* 57, ff. *De legib.*

(209. Jam enim dictum fuit supra *num.* 84, quod habitans in confinio duarum parochiarum, est parochianus illius parochiæ ex qua domus aditum habet, quia ex aditu judicatur de ea domo, cui cedat. L. *Si qui ædes* 31, ff. *De legatis* 111. Et si domus habeat duas portas, judicatur de ea parochia, in qua est porta principalis et aditus magis

Digitized by Google

frequentatus. Et si aditus, sive ostium sit a parte anteriori domus, et a parte etiam posteriori, ac vicissim ingrediatur quandoque ab anteriori, et quandoque a posteriori, nihilominus censendus est parochianus illius parochiæ, in qua est aditus a parte anteriori domus, cum illa pars censeatur nobilior, et ubi est pars nobilior, censeatur esse totum, per cit. leg. *Cum in diversis*, ut expresse docet Pignat., tom. VIII, consult. 5, n. 7, cum pluribus ibi allegatis; ubi insuper recte addit, quod si tota domus sit in fundo parochia *A*, et pro ipsa amplianda, illi adjungatur alind ædificium fundatum in vicina parochia *B*, istud ædificium adjectum accedit ad principale, et est ejusdem parochiæ *A*, dummodo prius ædificium sit adhuc nobilius, amplius et principalius, quia accessorium cedit principali. C. *Accessorium* 42. De regul. jur. in 9, 1. *Nihil dolo* 128, § *Cum principalis* 178, ff. *De regul. jur.*, et sic decernitur in *Statuto cleri Romani* cap. 3, § 17, teste Pignat., *loco cit.*, in fine.

(210. Habens sepulcrum majorum, si decedat sine sibi specialiter electa alia sepultura, debet sepeliri in ipso majorum sepulcro, textu expresso in cap. *Nos instituta* 1, De sepult., cap. *Cum quis* 2, et cap. *Is qui* 3, eod. in 6, juxta dicta supra n. 8. Et si alibi sepeliatur per vim, aut fraudulenter, seu alias invitis et insciis rectoribus ecclesiæ, in qua adest dictum sepulcrum suorum, est ipsi ecclesiæ restituendum cadaver simul cum omnibus emolumentis, ut dictum est de eo, qui non sepelitur in ecclesia a se electa. Vide *supra* n. 7, et sub verb. CADAVER, num. 11, ubi refertur, sic decisum fuisse in Alexandrina et in Calaritana, et sic confirmatum fuisse ab Alexandro VII, constitution. incip. *Alias pro parte*. Et sic respondit sac. congreg. Concil., *in Lunen.*, *Sarzanen.*, *Restitutionis cadaveris* 28 Novembris 1711; et *in Sorana Funerum* 24 Aprilis 1723, et sæpius alibi. Electio enim sepulturæ, et sepulcrum majorum in defectu electionis æquiparantur, et de similibus idem debet esse judicium. Leg. *Non possunt* 12, et leg. *Nam ut ait Pedius* 13, ff. *De legibus*. Ne ad imparia judicentur adversus dispositionem textus in leg. *Non debet* 41, ff. *De regul. jur.*, cap. *Non licet* 33, De reg. jur. in 6, cum concordantibus apud Rotam, p. XIX, tom. I, dec. 2, n. 11. Quamvis enim non expresse ipsum sepulcrum elegerit, tacite tamen et implicite censetur elegisse per dicta *supra* n. 10 et 12. Facti autem, et expressi idem est judicium; cap. ex part. II, *De rescript.*, leg. *Cum quid* 3, ff. *De rebus hæredit.*, et frustra exprimitur, quod jam intelligitur. Leg. *Cornelius* 69, ff. *De hæredib. instituend.*, leg. *Hæc verba* 3, ff. *De legatis* 1. Habetur enim pro expresso, quod tacite subintelligitur. Leg. *Fideicommissa* 11, § *Si filio*, ff. *De legatis* 111, cum similibus. Nec potest alibi sepeliri, neque de consensu hæredum et parentum, cum istis non competat facultas ipsi eligendi sepulturam, quam neque pater extra sepulcrum majorum potest eligere filio puberi et adulto; imo neque filio impuberi post mortem, per allata decreta et dicta supra n. 104. Unde caveant qui sic usurpant aliena cadavera; tenentur enim etiam in foro conscientiæ ad integram restitutionem, cum sic usurpent jura et bona aliena.

(211. Moriens in carcere, in quo detinetur custodiæ et correctionis causa, si non sibi elegerit sepulturam, vel non habeat sepulcrum majorum, sepeliendus est in parochia sui proprii domicilii: si vero damnatus fuerit ad carcerem in perpetuum vel ad certum tempus, sepeliendus est in parochia, cui subest carcer. Sic expresse per viam legis determinatum fuit in *Statuto cleri Rom.*, juxta ipsius novissimam compilationem, c. 3, litt. *F*, fol. 20, ibi: « Carceribus quoque ex quavis causa ad custodiam vel correctionem mancipati, si in illis mori contingat non electa sepultura, sepeliendi in ecclesia parochiali, in cujus parochia retinet domicilium, damnatos vero ad carceres in perpetuum, vel ad tempus, in ecclesia parochiali, cui subsunt carceres, tumulandos esse declaramus. » Et in effectu ita practicatum fuit de mense Martii 1707, favore Eccles. S. Mariæ Transtyberim pro carcerato defuncto in carceribus Capitolinis. Atque demum in præcisis nostris terminis probatur id practicari in carceribus novis ex attestatione eorumdem officialium in secretaria exhibita. Sic refert D. Ursaya, tom. I, part. II, discept. 30, n. 24 et seq. Et de facto sacra congreg. Concilii, *in Farfen. matrimonii* 26 Martii 1707, declaravit, quod matrimonium contractum ab eo, qui erat carceratus ad custodiam vel ad correctionem, coram parocho carcerum, nullum est. Si vero contraheretur ab eo, qui esset damnatus ad carcerem in pœnam perpetuo, vel ad tempus, tunc esset validum, quia in hoc secundo casu carceratus acquirit domicilium. Et hoc decretum legitur impressum in *Statuto cleri Romani*, cap. 3, *De jure eligendi sepult.*, n. 4, in addit., et sic cum pluribus aliis juxta nostram conclusionem tenent Pignatell., tom. VII, consult. 86, ubi in fine adducit etiam ipse ad id statum cleri Romani, dicitque exstare decretum pro ecclesia parochiali S. Mariæ Transpontinæ, et pro Ecclesia S. Blasii in via Julia pro captivis pariter in pœnam in carceribus novis; ac concludit tenendum esse, quod mancipati carceribus in pœnam per aliquod tempus si ibi moriantur, debeant sepeliri in parochia carcerum, et si contingat alibi sepeliri, debeatur quarta funeralis eidem parochiæ; quia cum sint servi pœnæ, contrahunt habitationem, ubi luunt pœnam, uti dicitur de relegatis per text. in l. *Filii libertorum* 22, § *Relegatus*, ff. *Ad municipalia*, ibi: « Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet; » quod Glossa in l. *Ejus qui* 27, § final., vers. *Unde arcetur*, eod. titul., et cum multis aliis Samuel., *De sepulturis*, disp. 5, controv. 9, conclus. 10, n. 14, intelligunt de relegatis in perpetuum; relegati autem, ac continuati

Digitized by Google

ad tempus sunt sepeliendi in eo loco et civitate, ubi debuissent sepeliri, ac si non essent relegati, ut expresse concludit Samuel., *loco cit.*, allegans ad id Bartolum, Abbatem, Felinum, Joan. Andream, Zabarellam, Lavorium, Florian., et alios.

(212. In sepulcro servi Dei cum fama sanctitatis decessi non est vetitum apponi aliquod signum insolitum ad dignoscendum, quod ibi sit sepultus; cultus enim publicus prohibitus non infertur, ex quo corpus servi tumulatum sit in sepulcro separato cum simplici inscriptione in lapide, aut in capsa collocata in sepulcro communi cum inscriptione nominis, aut in sepulcro magnifico; sic egregie et erudite suo more plurimis adductis docet card. de Lambertinis (fuit Summus Pontifex), lib. II *De servor. Dei beatific. et beat. canonizat.*, cap. 12, n. 12 et seq. Et ratio est, quia si hæc, et his similia libere fiunt erga illos, etiam, qui ex hac vita decedunt sine ulla sanctitatis fama, ut infinitis exemplis experientia demonstrat, multo magis fieri potuerunt erga eos, qui cum ipsa sanctitatis laude moriuntur: cum isti nedum deterioris, sed multo melioris et excellentioris conditionis præ illis haberi debeant. Tum quia, absque eo quod, ob id quidpiam commissum dici queat, seu contra jus commune, seu contra Urbani VIII decreta, aliasque Apostolicas sanctiones, summe hoc juvat ad probandam identitatem, de qua tractu temporis posset exoriri dubitatio, sicque difficilius fieri probatio, ut contigisse in casu nostræ beatæ Hyacinthæ de Marescottis testatur supralaudatus de Lambertinis, *loc. cit.*, n. 13. Unde ad avertendum dictum periculum, supradicta licere tradunt Pignatell., tom. IV, consult. 48; Castellin., *De certitudin. glor. sanctor.*, cap. 2, punct. 32, n. 41, et Molphes., cons. 45, n. 14, ibi: « Si enim hujusmodi viris sanctitate perspicuis locus ab aliis separatus, non daretur, sed simul cum aliis humarentur, non possent suo tempore ab aliis segregari et distingui, et sic ecclesia careret corporibus, et aliis sanctorum reliquiis, et sanctorum cultus maximam pateretur jacturam. » Sic refert et tenet cum plurimis aliis nunquam satis commendatus de Lambertinis, *loco cit.*, n. 12 et sequent., merito ibi, et per tot. attente et fructuose legendus.

(213. Patres Capuccini tenentur tradere, sicut alii, parochis quartam ceræ accensæ in associatione cadaverum, quæ ad eorum ecclesiam tumulanda deferuntur, et intortitiorum, quæ accendunt circa cadaver in eorum ecclesia expositum. Sacra congregat. Concilii, *in Aquensi, oppidi Ovadæ*, 19 Septembris 1732, et *in Lunen. Sarzanen.* 18 Martii 1737, ad tenorem constitutionis Benedicti XIII, incip. *Romanus Pontifex*, ac *in Oritana* 12 Februarii 1729.

(214. Adduntur attendenda, quæ sequuntur. Pro extractione, introductione vel transitu cadaveris delati ad sepulturam nequit exigi gabella aut vectigal; sic reprobatis contrarium sentientibus, nervose probat cardin. de Luca, *De regularibus*, discurs. 166, occasione prætentionis excitatæ pro cadavere cardinalis Giberti Borromæi, qui obiit in oppido Neptuni, et transportatus fuit ad urbem; et in fine testatur, ita vivæ vocis oraculo decisum fuisse a S. M. Alexandro VII, occasione ejusdem prætensionis Dohaneriorum pro translatione cadaveris infantis Margaritæ de Sabaudia, quæ in urbe pie decedens, Assisii sepulturam elegerat, quem aliis adductis, sequitur Ald. *ad Pamphil.*, decis. 323, n. 9; apud Ursaiam, *Institut. crimin.*, lib. III, titul. 9, n. 48 et 49. Et sic expresse declaravit sacra congregatio Immunitat., *in Firmana* 10 Junii 1653.

(215. Nec parochus occasione transitus per suam parochiam cadaveris alterius parochiæ et diœcesis potest prætendere aliquam partem ceræ, aut pecuniarum pro quarta funerali, aut alio titulo ab hæredibus defuncti, ut expresse statuit sacra congregatio Episcoporum et Regular., *in Placentina* 24 Novembris 1713, in respons. ad 2 dub. *Vide* verb. PAROCHUS, art. 2, num. 36, ubi alia ad rem per tot.

(216. Ante solis ortum, aut post illius occasum, absque licentia ordinarii, non possunt cadavera ad sepeliendum deferri. Sacra congregatio Concil., *in Novarien.* 15 Martii 1740, ad 4 dub. Et sic statuunt fere omnes synodi diœcesanæ, et signanter nostra Alexandrina celebrata anno 1734, tit. *De sepulturis*, vers. *Ante solis ortum*. Non potest tamen episcopus demandare sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut cadavera ante lapsum XXIV horarum ab emissione spiritus ad ecclesiam non deferantur. Sacra congr. Concil., *in Horton. Censurarum* 12 Decembr. 1705. Quamvis possit statuere, ut cadavera non sepeliantur, nisi XII saltem horis ab emissione spiritus; seu XXIV, si agatur de subitanea aut repentina morte decessis, ut statuitur in dicta Alexandrina synodo, *loco cit.*, et passim etiam in aliis.

(217. Additur adhuc attendenda ad rem sequens resolutio particularis congregationis a Clemente XI deputatæ, et adjecta *Statuto cleri Romani*, § 7 et 8, ac relata a sæpius laudato cardinali de Lambertinis volumine 5, notificatione 17, his verbis: « Infantes, qui nutricibus alendi extra propriam parochiam dantur, retinent domicilium in parochia parentum, atque ad illam pertinent, licet in alia parochia decedant. Patre vero orbatos quousque apud ipsam matrem aluntur, licet in potestate tutorum, non matris, exsistant, de parochia matris, non tutorum, esse declaramus. Si nutricibus alendi extra propriam dentur a matre, domicilium in parochia matris, si vero utroque parente caruerint, domicilium in parochia tutorum, non vero nutricum, retinere declaramus. Quod si nec tutores habeant, in parochia, in qua decedunt, tumulentur. »

(218. Attendenda sunt sequentia decreta relata ab eruditissimo P. Cavalieri, in *Agenda defunctorum*, et ibi doctissime commentata.

Digitized by Google

(219. Episcopus impediat cum omni diligentia ac pastorali sollicitudine abusum gentilitatis, quod feminæ in funere suorum liberorum, parentum aut maritorum capillos vellant; pœnas autem exigendas ipse non retineat, sed apud depositarium deponat. Sacr. cong. Episc. et Regular. 20 April. 1587. *Vide* verb. CADAVER, n. 24.

(220. In secundo triduo majoris hebdomadæ non possunt celebrari exsequiæ defunctorum, et officium, et preces recitentur privatim. Sacra R. C. 11 Aug. 1736, *in Placentina.*

(221. Defunctorum corpora in ecclesiis regularium tumulanda, deferenda sunt recto tramite, et per viam a parocho declarandam ad ecclesias ipsorum regularium, non autem prius ad parochialem. (222. Quod servandum erit etiam hæredibus defunctorum contradicentibus, et ad dictam parochialem prius deferri volentibus. S. R. C. 19 Decembr. 1671, *in Savonen.*

(223. Hæredes non tenentur vocare, nisi parochum. Sacr. congregat. Episcop. et Regular. 28 Septembris 1646.

(224. Si electio non fiat ab hæredibus, parochus ad funus vocare potest, quos voluerit, omissis etiam vicinioribus. Sacr. R. C. 6 Septembris 1613, *in Ferrar.*

(225. Quoties electio fit a parocho, clerici ecclesiæ debent externis præferri. Sacr. congregat. Episcop. et Regular. 23 April. 1649.

(226. Funus comitantes in parochiali ecclesia, vel in alia juxta loci consuetudinem omnino convenire debent. S. R. C. 8 Feb. 1641, *in Tropien.*

(227. Nullo modo permittendum est a funus comitantibus parochum exspectari per vias, vel ad domum defuncti, non obstante contraria consuetudine exspectandi per vias, vel ad domum defuncti. S. R. C. 12 Febr. 1633, *in Thelesina.*

(228. An liceat curatis, salvis eorum juribus parochialibus, impedire contra voluntatem hæredum defunctorum, ne regulares vocati ad funus, corpora defunctorum, ad quasvis ecclesias deferenda, una cum parochia et clericis personaliter associent? S. R. C. respondit: « Regulares in casu proposito non posse impediri. » Die 3 April. 1633, approbante Urbano VIII, die 25 Junii 1633, in sua constitut. *Nuper pro parte.*

(229. Parochi, capellani confraternitatum, sacerdotes aliique ecclesiastici, qui cotta induti interveniunt processionibus funeralibus, deferant, sicuti in aliis processionibus, birretum sacerdotale, non vero pileum, excepto tempore pluviæ et noctis, prout disponit Rituale Romanum, titul. *De process.*, et ut sæpe resolvit S. Rit. C. (230. Quæ quidem pilei prohibitio non solum est pro ecclesiastico sæculari, sed etiam regulari, licet sint parochi cotta induti. Clemens XI 9 Decemb. 1704, constit. *La Santità di nostro signore.*

(231. Nullo modo est tolerandus abusus, quod mortui curru clausi deferantur ad ecclesiam. Sacr. cong. Episcop. et Regul. 17 Martii 1650.

(232. An congregationi sacerdotum sæcularium sub invocatione sancti Philippi Nerii in associatione confratrum defunctorum competat præcedentia supra regulares? 2. An eidem congregationi occasione associationis eorumdem cadaverum liceat elevare propriam crucem? Ad primum et secundum *affirmative* respondit sacr. Rit. C. 19 Aug. 1719, *in Imolen.*

(233. In depositione defunctorum in verbis illis: *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur homo* (*Psal.* CXLII, 2); quando est mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt verba *servo tuo* immutari in *serva tua* vel *servis tuis* absque sacræ Rubricæ læsione, et servandum est Rituale. Sacra Rit. congreg. 14 Aug. 1697, *in Fanen.*

(234. In exsequiis parvulorum in feria V et VI, et Sabbato majoris hebdomadæ potest omitti *Gloria Patri* in psalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. Sacr. Rit. congreg. 16 Jun. 1677, *in Hispal.*

(235. Parvulorum sepulcrum ab aliis debet esse separatum. Sac. Rit. cong. 10 Decemb. 1620, *in civit. Castellan.*

(236. Parvulorum corpora possunt sepeliri etiam in ecclesiis regularium, si ibi est sepulcrum majorum, vel concurrente consuetudine, si ibi pater eligat sepulcrum. S. R. C. 12 Decembr. 1620, *in una civit. Castellan.*

(237. Sepulcrum eligere licet parentibus in quacunque ecclesia voluerint, etiam regularium, pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a parochis locorum impediri possunt, aut debent, præsertim si in dictis regularium ecclesiis sepeliri consueverint, vel in eis habeant sepulcrum majorum. Sac. congreg. Episc. et Regul. 20 Jan. 1610.

(238. Sacra congreg. Regul. et Episcop. examinata prius diligenter relatione episcopi, censuit licuisse et licere parentibus in ecclesia Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere sepulturam, ac propterea restituenda esse ipsorum fratrum ecclesiæ cadavera infantium jam deposita, præmissis, cæterisque quibuscunque non obstantibus. Die 20 Martii 1643.

(239. Exhumetur puella, et sepeliatur in sepulcro majorum, in quo sepeliri debent, quicunque carent facultate sibi eligendi sepulturam. Sac. congreg. Episcop. et Regul. 11 Oct. 1616, et præsertim si pater sic sepeliri intendat. Ead. cong. 22 Feb. 1641.

(240. Infantes, aliique quicunque, qui non habent facultatem sibi eligendi sepulturam, vel hac non electa decedunt, sunt tumulandi in sepulcro suorum majorum, vel in parochiali ecclesia. Sacra cong. Episcopor. et Regul. 16 Novemb. 1625.

(241. Clerici non sepeliantur in sepulcro suorum majorum, ubi est consuetudo eosdem sepeliendi in sepulcris separatis a laicalibus. Sac. cong. Episc. et Regul. 13 Maii 1610.

(242. Clericus, qui sibi non electa sepultura

Digitized by Google

decedit, sepeliri debet in sepulcro majorum, et non clericorum. Sac. Rit. congregat. 6 Maii 1705, *in Senogall.*

(243. Sepultura non electa, si uxor præmoriatur, et maritus habeat proprium sepulcrum, in ipso tumulari debet, quamvis extra limites parochiæ, ubi mortua est. Sac. R. cong. 15 Jan. 1633, *in Senogallien.*

(244. An cum fratres aliqui extra monasterium moriuntur, et a curatis sacramenta receperunt, possint ab eorum superioribus ad suas ecclesias deferri, parochis inconsultis? Resp. Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum ecclesias deferri, etiam parochis inconsultis. Sac. cong. Conc. 2 Julii 1620.

(245. Clerus sæcularis nihil potest prætendere propter exsequias, aut sepulturam monachorum, aut fratrum morientium extra claustra. Sac. congr. Episcop. et Regul. 24 Nov. 1634 et 24 Septemb. 1636.

(246. An in ecclesiis fratrum sepelienda sint cadavera eorum, qui ejusdem ordinis habitu induti, ex hac vita migrarunt? Resp.: Si conditiones in Bulla Aurea fel. rec. Sixti Papæ IV contentas, in ipsis adimpletas esse constiterit, videlicet quod a guardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio superiore, vel ab altero, cui id superior committendum duxerit, habitum receperint, et prædictus guardianus, vel alius superior eosdem præmonuerit, eorum cadavera propter habitus concessionem seu receptionem penes ipsos fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda, eo casu cum habitu religionis decedentes, in ecclesiis pariter ejusdem religionis ecclesiasticæ sepulturæ esse tradendos. Sacra congreg. Episcop. et Regul. 11 Decemb. 1615.

(247. Parochi superiores ecclesiarum sæcularium et regularium, sacristæ, et alii, ad quos spectat, non permittere debent, quod cadavera ecclesiasticorum sæcularium, præsertim sacerdotum, sicut etiam diaconorum et subdiaconorum transferantur ex propriis domibus ad ecclesias, vel in istis exponantur quocunque alio habitu, sive confraternitatum, sive religionum, sed cum sacris vestibus eorum ordini convenientibus, juxta dispositionem Ritualis Romani, tit. *De exsequiis*, et Clementis XI 9 Decemb. 1705.

(248. Canonici pluviali, planeta, dalmatica vel tunicella parati non debent deferre almutias; canonico vero defuncto induto planeta, seu dalmatica, vel tunicella imponi potest almutia super brachium. Sac. Rit. cong. 4 Aug. 1663, *in una Dalmatiarum.*

(249. Pileus episcopi demortui debetur ecclesiæ tumulanti, non cathedrali. S. cong. Episc. et Regul. 26 April. 1653.

(250. Ut in ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem (scilicet capitula, parochi, rectores, vicarii, sacristæ, ostiarii et alii custodes, etiam regulares) provideant, ut capsæ omnes, et deposita, seu alia cadaverum conditoria, super terram exsistentia, omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Pius V, constitut. *Cum primum Apostolatus* 1 April. 1566.

(251. Ecclesiæ non debent fodi, neque excavari pro sepultura, sed in sepulturis, sive tumbis profundis intra terram Christianorum cadavera sepeliri. Sac. cong. Episc. et Regul. 23 Jul. 1603.

(252. Non licet parochis majorem eleemosynam exigere pro defunctis in ecclesiis regularium sepeliendis, quam eis solveretur, si in propriis vel aliis sæcularium ecclesiis sepeliri deberent. Sac. congr. Episcop. et Regular. 27 Octobr. 1603, 2 Octob. 1643, 20 Mart. 1647, 27 Jan. 1651.

(253. Cæteris paribus non possunt parochi majorem eleemosynam exigere pro sepultura forensium, aut extraneorum, quam incolarum. Sacra cong. Episc. et Regul. 25 Maii 1640, 31 Mart. 1646, 10 Jun. 1653, et 10 Jun. 1654, ac 8 August. 1659.

(254. In ecclesiis regularium sine horum consensu non potest quis sepeliri, nisi sit propria defuncti parochialis, licet ibi sepulturam elegisset, aut ad rem donationem vel legatum fecisset. Sac. cong. Episc. et Regul. 2 Jun. 1587.

(255. Supra sepulcri tabulam pro libito ornamenta plana quælibet hæredes efformare valent, dummodo e solo non emineant, et absint coronæ, vulgo *cornici*. Sac. cong. Episcop. et Regul. 26 Maii et 6 Octob. 1645.

(256. Num illi, qui coram testibus duntaxat, licet absque scriptura, in regularium ecclesiis sepulturam sibi elegerint, ibidem sint sepeliendi? Sacra cong. Episcop. et Regul. respondit « in dictis ecclesiis esse sepeliendos, sine præjudicio tamen jurium parochialium, » die 11 Decemb. 1615.

(257. Consanguinei defunctorum, qui in ecclesiis regularium sepeliuntur, illis parentare in parochialibus, et aliis presbyterorum ecclesiis, etiam cathedralibus, compelli nullo modo possunt. Sacr. congreg. Episcop. et Regul. 14 Jun. 1639, cujus decretum approbavit Alex. VII, in sua const. *Alias pro parte*, sub datum 30 April. 1660.

• (258. Damnati ad mortem sepeliri non debent in ecclesia magnæ devotionis, si inde populus concipit horrorem et occasionem ecclesiæ minus frequentandæ. Sacra cong. Episcop. et Regul. 18 Martii 1590.

(259. In exsequiis post absolutionem, quæ fit supra cadaver in die obitus, vel supra tumulum in die anniversario, ℣. *Requiescant in pace*, subjungi debet: *Anima ejus et animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace*, sed super lecticam, seu castrum doloris in commemoratione omnium fidelium defunctorum, nihil est superaddendum. Sacr. Rit. congreg. 3 Dec. 1682, *in una canon. regul. Lateran.*

(260. Inhiberi non potest, quod non sepeliantur cadavera absque interventu duorum presbyterorum a capitulo deputatorum vice parochi, etiam ubi parochia spectat ad ipsum capitulum, quia unius assistentia sufficit.

Digitized by Google

Sac. cong. Episcopor. et Regular. 6 Martii 1593.

(261. Regulares primi debent invitari, quando cadaver sepeliendum est in eorum ecclesia. Sac. congregat. Episcop. et Regular. 9 Januarii 1595.

(262. Parochus minime excluditur, licet a defuncto accersiri tantum regulares jubeantur. Ead. sacr. cong. Episcop. et Regul. 21 Aprilis 1594.

(263. In Tudertina electionis sepulturæ, Francisca quondam Rugerii de Gregoriis, de terra Massæ diœcesis Tudertinæ, mortua est die 28 Maii 1721, et cum elegisset sepulturam coram duobus testibus in ecclesia PP. Tertii Ordinis S. Francisci, et repugnaret archipresbyter dictæ terræ, examinatis duobus testibus deponentibus pro tali electione et nolente archipresbytero, suos, quos prætendebat contrarios, examinari et facto sepelire cadavere in sua parochiali ecclesia; propositis in sacra congregatione Concil. dubiis : « I. An constet de electione sepulturæ in casu, etc., et quatenus *affirmative*. II. An sit locus exhumationi et restitutioni cadaveris, de quo agitur; et quæ emolumenta sint restituenda a parocho in casu, etc. » Dicta sacra congregatio 4 Julii 1722 respondit : « Ad I. *Affirmative*. Ad II. *Affirmative*, etiam quoad omnia emolumenta, *et amplius, et ad mentem*. Et mens est, quod cadaver exhumari non debeat. » (264. Deinde obtenta ab archipresbytero nova audientia et contendente electionem sepulturæ in ecclesia Patrum non posse dici probatam, et quatenus esset probata, non relevare, utpote factam ad suggestionem Patrum adversus textum in cap. *Animam*, De sepulturis in 6, proposito dubio : « An sit standum, vel recedendum a decisis; » die 4 Julii 1722, eadem sac. cong. die 21 Nov. 1722 respondit : « Ad primum in decisis; ad secundum in decisis, excepta exhumatione et restitutione cadaveris. » Sic apud *Thesaur. resolut.*, tom. II.

(265. In Senogallien. funerum, proposito inter alia hoc secundo dubio : « An testes super electione sepulturæ deponentes recipi debeant medio juramento per publicum notarium, sive potius sufficiat eosdem testes deponere ore tenus cum juramento coram ipsomet parocho vel vicario foraneo ? » Sacra cong. Conc. die 19 Decemb. 1739, respondit : « Ad II, *Negative* ad primam partem, et *affirmative* ad secundam. » Apud *Thesaur. resolutionum sacræ cong. Conc.*, tom. VI.

(266. Electio sepulturæ facta a confratribus, seu sodalibus alicujus congregationis, seu confraternitatis in die receptionis et professionis, etiamsi facta sit per publicum instrumentum, non sustinetur. Sic sac. congregat., die 3 August. 1743, quæ *in Alexanen. funerum*, ad septimum inter alia propositum dubium, « An electio sepulturæ facta in eadem ecclesia per publicum instrumentum seu alium actum ab aliis sodalibus dicti oratorii, in ipsorum respective receptione, et ante obitum non revocata sustineatur in casu. » Respondit : « Ad VII. *Negative*, et amplius. » Sic apud *Thesaur. resolutionum* dicti anni. *Vide* tom. II, verb. CONFRATERNITAS, art. 4, ubi varia ad rem.

(267. Pro sepultura infantium nutricibus extra propriam parochiam alendorum traditorum, a particulari congregatione a Clemente XI deputata, fuit resolutum ut sequitur : « Infantes, qui nutricibus alendi extra propriam parochiam dantur, retinent domicilium in parochia parentum, atque ad illam pertinent, licet in aliena parochia decedant. Patre vero orbatos, quousque apud ipsam matrem aluntur, licet in potestate tutorum, non matris, exsistant, de parochia matris, non tutorum esse declaramus. Si nutricibus alendi extra propriam parochiam dentur a matre, domicilium in parochia matris; si vero utroque parente caruerint, domicilium in parochia tutorum, non vero nutricum, retinere declaramus. Quod si nec tutores habeant, in parochia, in qua decedunt, tumulentur. » Sic habetur in additione ad *Statutum cleri Romani*, § 7 et § 8, ut refert cardin. Lambertin., deinde Summus Pontifex, volum. 5, notificat. 17, pag. 204. Et sic ubique observari convenit, cum stylus Curiæ Romanæ attendi debeat. Glossa 2, in cap. *Ad hæc summus*, De rescrip., et cum ipso procedendum esse in aliis curiis inferioribus, non autem cum praxi propriæ regionis, ut expresse tradit cardin. de Luca, *De judic.*, discurs. 34, n. 22, et discurs. 37, num. 20. Stylus enim Curiæ Romanæ facit jus, et pro lege habetur. Cap. *Ex litteris* 11, De constitut., cap. *Quam gravi* 6, De crimine falsi, cum Ecclesia Romana sit ordo, norma, et caput omnium Ecclesiarum. Cap. *Omnes*, et cap. *Sacrosancta* 2, dist. 22, cum similibus.

(268. Quoad sepulturam educandarum *vide* verb. MATRIMONIUM, art. 2, a num. 115 ad num. 121, et verb. MONIALIS, art. 1, n. 61, 62.

(269. In Tusculana reparationis ecclesiæ, inter alia dubia, propositis his sequentibus : « Tertio, an reparatio, et expurgatio respective quatuor sepulturarum exsistentium in d. ven. ecclesia, ac inservientium pro laicis adultis, fieri debeat sumptibus dictæ communitatis, sive potius dicti capituli in casu? Quarto, an reparatio et expurgatio aliarum duarum sepulturarum pariter in dicta ecclesia existentium et inservientium pro pueris et sacerdotibus, fieri debeat sumptibus capituli, vel archipresbyteri, sive potius communitatis in casu? » Sacra congr. Concil., die 11 Januar. 1748, respondit : « Ad III et IV *affirmative* quoad primam partem, et *negative* ad secundam. » Et proposita causa sub die 1 Martii 1738, sub dub. : « An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu? » Ead. sacr. congregat. respondit : « Ad III *in decisis* et ad IV *in decisis* quoad sepulturam sacerdotum; quo vero ad sepulturam puerorum, spectare ad communitatem. » Sic apud *Thesaurum resolutionum* dicti anni.

(270. Sepultura sacra denegatur decedentibus ex vulnere in duello accepto, licet extra locum pugnæ obierint. Bened. XIV,

Digitized by Google

constitut. incip. *Detestabilem*, § 9. *Vide* verb. DUELLUM.

(271. Sepulcrum in ecclesiis confraternitatum haberi potest, sed de licentia episcopi, uti sæpe decisum a sacr. congregatione. *Instit. eccles.* 105, § 124.

(272. Si confrater obeat, non electa sepultura, mandari non potest sepulturæ in ecclesia ejusdem confraternitatis, ut est decisum a sacra congregatione. *Ibid.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(273. De sepultura latissime licet egerit auctor, multa tamen dicenda essent, si limites additionum permitterent. Sed *vide* qui de hac materia accuratius agit. Bohemer., in tractatu *De jure parochiali*, sect. 4, cap. 2 per tot.

(274. Hic vero tria hæc adnotanda censuimus. *Primum* est, quandiu sit exspectandum, ut sepulturæ mandetur hominis cadaver? Nihil hac de re in jure definitum est. Cæterum constitutionibus plurium synodorum receptum est, ut post duodecim horas sepeliatur, si mors sit ex morbo secuta, et si repentina vel violenta, post viginti horas. *Vide* S. M. Benedictum XIV, *De synod. diœcesana*, lib, II, c. 6, § 8. Adde etiam *adnotat. ad synod. Fulginat. episcopi Baptistelli*, cap. 23, n. 6.

(275. Num autem cadaver hominis violenta morte erepti inhumari possit, nisi prius præfectus loci illud inspexerit; et si secus factum sit, an possit ipse loci præfectus demandare, ut exhumetur? *Vide* Mean, observ. 604 per tot.

(276. Secundum est, an liceat sepelire in loco sacro infantes sub dubiis reviviscentiæ signis baptizatos? Tantum abest ut liceat, ut congregatio S. Officii pluries decreverit, nec baptizandos quidem esse infantes hosce. Adi S. M. Benedict. XIV, *De synod. diœcesan.*, lib. VII, c. 6, § 11 et duob. sequent.

(277. Tertium est, an ecclesiastica sepultura carere debeant, qui decedunt ex vulnere in duello accepto, quamvis extra locum conflictus occubuerint et obtinuerint a peccatis simul et censuris absolutionem? Attenta autem constitutione Benedicti XIV, cui initium est: *Detestabilem*, et hi carere debent ecclesiastica sepultura. (278. Videtur enim Summus Pontifex imitatus sanctionem concilii Lateranensis relatam in c. *Felicis*, De torneamentis, qua cautum fuit, ne in loco sacro tumularentur ii, qui in torneamentis decedebant, tametsi antequam extremum vitæ spiritum ederent, non incerta pœnitentiæ signa exhibentes, absolutionem retulissent. « Quod (sunt ipsissima verba) si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura. »

RESPONSIO AUCTORIS.

(279. Quoad tempus exspectandum pro sepultura cadaverum, jam satis dixi ego verb. CADAVER, et in *Supplementis* ad idem verb. ex decretis sacr. congreg., nempe, quoad hoc servandam esse synodum diœces. Et insuper tradidi quomodo et qua facultate possunt exhumari cadavera morte violenta erepta et sepulta, pro facienda recognitione a curia laicali. Item jam tradidi ego, quoad decedentes ex vulnere in duello accepto, quamvis extra locum conflictus occubuerint et obtinuerint a peccatis simul et censuris absolutionem, etc., ut patet in meo *Supplemento*, verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, ubi refero nuper citatam constitutionem Benedicti XIV, *Detestabilem*, in qua habentur ad rem quinque propositiones damnatæ. *Vide* verb. DUELLUM, art. 2, n. 22.

APPENDIX,

Sive novus articulus ex aliena manu de sepultura.

(280. Ferraris noster num. 172 hujusce articuli brevi se expedit a quæstione jam toties, et novissime etiam acriter disputata, utrum scilicet catechumeni sine baptismo decedentes ecclesiastica privandi sint sepultura? Ab ea, ne dicam exagitanda, sed etiam tangenda prorsus abstinuissem, nisi mandatum accepissem maximi viri, cujus nutibus resistere mihi religio est. Ut autem ea, qua par est, claritate hæc controversia discutiatur, nonnulla in antecessum adnotanda duxi de variis catechumenorum gradibus et distinctionibus.

(281. Plures jamdiu fuisse catechumenorum classes, et gradus, res est apertissima in veteribus Ecclesiæ monumentis, quamquam tum auctores, qui sacris Christianorum ritibus illustrandis operam navarunt suam, tum ipsi theologi inter se non conveniant in iis enumerandis et distinguendis.

(282. Duos duntaxat recenset Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii (t. III *Operum ejusdem S. Doctoris*, edit. Maur., colum. 373) nempe *audientium* et *competentium*. Communiter tamen catechumeni in tres distribuuntur classes, quarum prima *audientium*, *genuflectentium* altera, tertia *competentium* seu *electorum*. In prima constituebantur illi, qui privata instructione exacta, publice in ecclesia instruebantur per episcopum. Ad secundam spectabant, qui participes consortesque fiebant orationum et exorcismorum, qui super catechumenos fundebantur. In tertia collocabantur, qui idonei ad baptismum judicati nomina sua dabant, ut nimirum inter illos recenserentur, qui jam proxime ad suscipiendum baptismum erant destinati, illisque symbolum tradebatur reddendum, postea baptismum suscepturi. *Vide* opus eruditi Josephi Vicecomitis, *De antiquis baptismi ritibus*, lib. II; Van-Espen, *J. E. V.*, part. XI, tit. 2, cap. 3 per totum; Tournely, *De sacram. baptismi*, qu. 3, art. 3; Juven., *Comment. hist. et dogm. de sacramentis*, dissert. 2, De bapt., cap. 2, art. 1; Du Cangii *Gloss.*, t. I, pag. 887, aliosque, tametsi viri eruditissimi eamdem non sequantur partitionem, quos inter Martene, qui l. I *De antiq. Christianorum rit.*, cap. 1, art. 6, *Genuflectentes* catechumenorum specialem classem constituisse negat, asseritque ita vocitari consuevisse catechume-

Digitized by Google

nos lapsos, qui pœnitentiæ peragendæ admittebantur, quapropter illos distinguit in *audientes*, *electos* et *competentes*. Eodem pacto catechumenos partitur Berti, *De theologicis disciplinis*, lib. XXXI, cap. 20, nisi quod *electis competentes* anteponat.

(283. Non est hic discutiendi locus, quænam harum sententiarum alteri sit præferenda. Illud tamen certe eruitur, non omnes catechumenos eodem in censu habitos fuisse, aut esse habendos, sed semper rationem habitam fuisse progressus quoad instructionem, mores, baptismi desiderium, aliaque id genus. Ab eadem regula recedendum non esse, si discedere eos ex hac vita contingat nondum baptizatos, pro certo habeo. Unde catechumenos omnes ad tres etiam classes esse revocandos existimarem.

(284. Ad primam pertinent illi, qui ignavia et torpore arrepti, vel ut suis magis magisque cupiditatibus indulgere possent, lavacro regenerationis sua mundare peccata negligebant, quales erant illi, qui primis Ecclesiæ sæculis senectutem, vel mortis articulum exspectabant, ut sacris undis regenerarentur. Eorum vanam fiduciam compescere, ac segnitiem maturare sancti Patres sæpe suis in sermonibus tentarunt, ut S. Basil., hom. 13, *Exhortat. ad sanctum baptisma* (tom. II *Operum*, edit. Maur., pag. 113); S. Gregorius Nazianzenus, orat. 40 (tom. I *Oper.*, pag. 652); S. August., serm. 132, n. 1 (tom. V, colum. 450); S. Jo. Chrysost., hom. *in Act.*

(285. In secunda constituuntur catechumeni, qui cum sint præcipuis Christianæ religionis mysteriis imbuti, Christianis moribus exornati, ac baptismatis desiderio flagrantes, inopinata morte absque baptismo corripiuntur.

(286. In tertia denique collocantur qui desiderio Christianæ fidei suscipiendæ manifestato, sese erudiendos tradidere. At nondum ejus capita præcipua callent, adeo ut de iis mysteriis, quæ necessario credenda sunt, ut loquuntur theologi, *necessitate medii* ad salutem, actus elicere nullatenus valeant.

(287. Præmissa hac enumeratione, dico primo, catechumenis sub priori specie contentis, si illis nondum regeneratis ultimum diem obire contingat, ecclesiasticam sepulturam nequaquam esse concedendam. Ratio evidens est. Nulli enim competit ecclesiastica gaudere sepultura, nisi sit Ecclesiæ membrum. Porro nemo inter Ecclesiæ membra est recensendus, nisi baptismate particeps fiat regni cœlestis; baptismate, inquam, vel aquæ, vel sanguinis, vel saltem flaminis, et ut a theologorum disserendi ratione non recedam, nisi baptismate, vel *in re*, vel *in voto* suscepto. Catechumenus autem, qui sæpius occasionem baptismatis suscipiendi posthabuit, nulla rationabili ratione coactus; quinimo baptismum pessumdedit, ut gentilibus moribus, quo fieri posset, tardius valediceret, baptismatis, neque *in re*, neque *in voto* factus est particeps; igitur neque consors factus dicendus est regni cœlestis, neque inter Ecclesiæ membra annumerandus, atque inde ecclesiastica prohibendus est sepultura.

(288. Dico secundo, si catechumenum in secunda collocatum classe sacris undis nondum ablutum ex hac vita migrare contingat, ecclesiasticis cæremoniis esse sepeliendum.

Constat id luculenter Patrum sacrorumque canonum auctoritate. Sane canon apertissimus est c. *Apostolicam*, De presbytero non baptizato, ubi Innocent. III ab episcopo Cremonensi consultus, quid sentiendum de presbytero sine unda baptismatis defuncto, respondet: « Quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, et cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus incunctanter. » Mittit episcopum ad legenda opera sanctorum Augustini et Ambrosii, ac tandem concludit: « Sopitis igitur quæstionibus doctorum, Patrum sententias teneas; et in ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro presbytero memorato. » Decretorius est Innocentii textus. Pro illis enim offerri preces et hostiæ publice in ecclesia nequeunt, qui jure privantur ecclesiasticæ sepulturæ. Si igitur pro presbytero non baptizato defuncto jubentur offerri publice in ecclesia preces et hostiæ, illum ecclesiastica potitum fuisse sepultura, absolute est pronuntiandum. Quod eadem ratio sit habenda de catechumeno nostro, ac de presbytero, de quo in canone, nullum, puto, dubitare posse; cum rationes a Summo Pontifice pro presbytero adductæ, æque militent pro catechumeno. Uterque sine baptismo decedit, uterque in sanctæ matris Ecclesiæ fide, et in Christi nominis confessione perseverasse creditur; uterque ab originali peccato solutus ac cœlestis patriæ gaudium adeptus præsumitur. Adde Innocentium pro sua stabilienda Patrum auctoritate sententia, orationem S. Ambrosii *De obitu Valentiniani* adhuc catechumeni vita functi adducere, scilicet, vult Pontifex ideo preces, hostiasque offerri debere pro anima illius presbyteri, quia easdem jusserat offerri S. Ambrosius pro anima Valentiniani, adeo ut si pro catechumeno offerri illæ non possent, Innocentii sententia prorsus collaberetur.

(289. Hinc est, quod idem Pontifex cap. *Debitum*, De baptismo, loquens de quodam Judæo, qui in mortis articulo constitutus semetipsum baptizarat, quanquam ejus baptisma nullum sit, ut pronuntiat Papa ibi, tamen addit: « Quod si continuo decessisset, ad patriam protinus evolasset, propter sacramenti fidem, etsi non propter fidei sacramentum. » Propter eamdem rationem c. *Veniens*, De presbytero non baptizato, æque pronuntiat: « Cum quis non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti, efficiatur procul dubio membrum Christi. »

(290. Innocentii III sententia nova non est in Ecclesia, sed antiquis Ecclesiæ canonibus, priscaque consuetudine fulta. Ea enim suum habet fundamentum in can. 78

Digitized by Google

concil. *Carthaginen.* IV, habiti anno 398 (tom. II *concil. Collect. Labb.*, colum. 1206), et can. 12, conc. *Arelat.* XI habiti an. 452, (tom. III, colum. 1012). Quanquam hujusmodi duo canones de pœnitentibus duntaxat loquantur defunctis non completa pœnitentia; cum tamen eadem sit hac de re ratio pœnitentium et catechumenorum; ideo in patrocinium hujusce sententiæ præfati canones citantur a theologis. Quidquid tamen sit de eorum efficacia pro nostra constabilienda sententia, eo tempore, quo iidem canones editi sunt, morem invaluisse fundendi in Ecclesia preces pro animabus catechumenorum aperte constat ex S. Ambrosio jam supra laudato, cujus præstat verba recitare. Is igitur in orat. *De obitu Valentiniani*, postquam numer. 51 et 52, eum gratiam baptismatis consecutum fuisse dixerat, quia baptizari optaverat, ac baptismi desiderium in eo vices baptismi suppleverat, num. 53, gregem suum hortatur, ut oblationibus Valentiniani animam prosequatur, ut sacris mysteriis requiem ejus poscat : neque separanda esse nomina (sacris in diptychis) Gratiani et Valentiniani, quamvis ille baptizatus obierit. « Date manibus, inquit, sancta mysteria, pio requiem ejus poscamus affectu. Date sacramenta cœlestia, animam nepotis nostri oblationibus prosequamur. Extollite, populi, mecum manus in sancta, ut eo saltem munere vicem ejus meritis rependamus... Nunquam ego piorum fratrum separabo nomina, merita discernam. » (Tom. II *Operum*, edit. monach. S. Mauri col. 1189.)

(291. Hæc eadem est S. Aug. sententia, ut constat ex l. IV *De baptismo contra Donatistas*, n. 30 et 32 (tom. IX *Operum*, col. 94 et 96), nec non S. Bernardi, epistola seu tractatu *ad Hugonem de S. Victore*, quam eorumdem SS. DD. Ambrosii et Augustini auctoritate, ubi confirmavit, subdit : « Ab his duabus columnis (Augustinum loquor, et Ambrosium) crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me errare aut sapere fateor. »

(292. Celebriores theologi et canonistæ id pro certo habent. Passerinus, *De stat. hom.*, tom. II, q. 187, art. 4, n. 63, et apud ipsum Lezana, v. *Sepultura*, n. 13 ; *Bordon.*, resp. 51, n. 119. Id etiam tenet card. Petra, *Comment. ad const.* 2 *Honor.* III, sect. unica, n. 58 ; Sayrus, *De censur.*, l. V, c. 16, n. 24; Barbosa, *De off. et potest. episcopi*, part. II, allegat. 28, n. 73 ; Bonac., *De matr.*, q. 4, punct. ult., n. 26 ; Thesaurus, *De pœnis*, part. II, vers. *Sepulcri violatio*, cap. 6, § *Limita quoad catechumenos* ; Pax Jordanus, *De re sacra*, l. V, tit. 12, num. 120; Murga, tom. I, tract. 2, disp. 4, dub. 7 ; Clericatus, *Decis. sacram.* 86, n. 29 et 30; Gonzalez, in c. *Ad Apostolicam*, De presbytero non baptizato ; Gagliardus, *Inst. jur. can.* l. II, tit. *De baptismo*, n. 42, et alii plures, qui citari possent.

(293. Non inficior, huic hucusque a nobis statutæ doctrinæ opponi posse concilii Brachar. I auctoritatem an. 563 celebrati : quod quidem concilium, postquam cap. 16 statuerat nullam commemorationem in oblatione esse faciendam pro iis qui sibimetipsis necem inferunt, vel pro sceleribus puniuntur, neque eorum cadavera cum psalmis ad sepulturam esse deducenda, cap. 17 ita decernit : « Item placuit, ut catechumenis sine redemptione baptismatis defunctis, simili modo, neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium. » (Tom. V *Concil.*, edit. Labb., colum. 841 et 842.)

(294. Enimvero hujusce concilii decreto occurrimus : 1, cum Lavor., tit. 12, cap. 15, n. 92, et Bordon., resp. 51, n. 20, asserentibus præfatum canonem intelligendum esse de catechumeno illo, de quo constaret ex culpa et negligentia non fuisse baptizatum, quo quidem in casu eum non esse fidelium sepultura donandum, nos etiam tradidimus ; 2, dicimus, Bracharensem synodum loqui de eo, quod ut plurimum accidit, nullatenus vero de casu necessitatis. Raro enim contingit ut catechumenus perfecte dispositus, et baptismi desiderio flagrans absque regenerationis sacramento decedat. 3, reponam cum eminentiss. cardinali Orsi, *Hist. eccl.*, lib. XLII, num. 62, tom. XIX, ubi relatis summatim præfatis duobus canonibus, subjungit : « Quanto ai due ultimi casi ha prevaluto nella chiesa l' uso contrario, fondato, quanto alle preghiere per le anime dei giustiziati, nel cap. 14, del 2 sinodo *Aurelianense*, e quanto alle anime dei catechumeni nell'esempio di S. Ambrogio. »

His breviter enucleatis de secunda catechumenorum specie, ad tertiam devenio. Dico igitur 3, catechumenis nondum in Christianæ religionis capitalibus mysteriis eruditis, atque ab hac vita migrantibus sine baptismate, non esse ecclesiasticam sepulturam concedendam.

(295. Palmare id est. In tantum enim catechumeni aliquando fidelium more sepeliuntur, in quantum fideles sunt, atque æternæ vitæ assequendæ capaces. Ille vero, qui præcipua Christianæ religionis capita ignorat, neque fidelis est, neque vitæ æternæ assequendæ capax. Sane absque cognitione et fide Trinitatis, et Incarnationis, nemo fidelis et Christianus dici potest. « Quod enim est (inquit S. August., l. *De dono perseverantiæ*, n. 2, tom. X *Operum*, col. 543) initium verius Christiano, quam credere in Christum ? » Fides autem in Christum, fidem cognitionemque Trinitatis et Incarnationis præsupponit. Porro eorumdem mysteriorum cognitionem necessariam esse ad salutem consequendam in confesso, id est apud omnes veri nominis theologos. Scio, aliquos laxioris doctrinæ patronos nonnunquam arbitratos fuisse, eamdem cognitionem *implicitam*, ut dicunt, sufficere. *Vid.* domin. Vivam, in *prop.* 1 *damnatam ab Alex. VII*, num. 9. Verum ego majoris facio mehercle auctoritatem Jesu Christi Domini mei, qui absque distinctionibus et ambagibus, *Joan.* XVII declarat : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te,*

Digitized by Google

solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum, quam horum scriptorum tricas.

ADDITIONES CASINENSES, UBI ETIAM DE QUARTA FUNERALI.

(296. Apud omnes ferme gentes etiam barbaras recepta probataque fuit mortuorum sepultura. Indignum quippe semper habitum est, corpus hominis, qui cæteris animantibus dignitate præstat, atque excellit, a feris dilaniari et in cibum absumi, necnon vi elementorum huc illuc distrahi atque disperdi. Subducenda quoque erant ab hominum aspectu cadavera visu odoreque fœda; et alia hujus generis motiva vel ex ipsis mundi incunabilis ad id præsto fuisse colligas licet. Hinc profecto sepeliendi officium humanitati ipsi præstari creditum est, adeoque nec inimicis, nec hostibus denegata sepulcra : *Nullum siquidem cum victis certamen, et æthere cassis.*

(297. Et profecto Seneca pater, lib. I *Controv.* inter jura non scripta, sed omnibus scriptis certiora, ponit *humum porrigere cadaveri.* Palinuri inhumati umbra apparuit Æneæ apud inferos conquesta, corpus inhumatum jacere. Virg., *Æneid.*, l. VI. Athenienses, cum eorum duces, magna victoria adepta, occisos insepultos reliquissent, eos capite damnarunt, bonis quoque publicatis. Diodor. Sicul., lib. XIII, cap. 100 et seq. Antigone cum periculo vitæ fratrem sepelivit, quem Creon tyrannus sepeliri prohibuerat. Sophocl., in *Antigone.*

Isocrates, in *Panathen.* Adrasti Argivorum regis memorabilem recitat sententiam : humare mortuos esse morem antiquum, et jus patrium, quo omnes inter se homines utuntur, quodque non ab humano proditum ingenio, sed a divina imperatum potentia videatur. Euripides jus hoc sepulcri νόμον βροτῶν, *legem hominum;* Lucanus, *hominum ritus;* Tacitus, *sortis humanæ commercium* vocant. Quique id juris aliis exsolvere detrectant, eos *hominem exuere* Claudianus dixit.

(298. Quod si quis in insepultum cadaver occurreret, saltem ei terram injicere debere ex veterum monumentis compertum habemus.

Varii porro apud gentes sepeliendi modi obtinuerunt. Condiebant Ægyptii mortuos, eosque domi servabant; alii cadavera, uti erant, *cremando*, cineres sepeliebant. Humanior et antiquior mos apud gentes *humatio* fuisse videtur, qua scilicet integra corpora humo tegebantur. Unde Cicero : « Mihi quidem, ait, antiquissimum sepulturæ genus fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, et ita locatum, ac situm, quasi operimento matris obducitur. » Lib. II *De leg.*, n. 22. Qui, *ibid.*, n. 25, de Atheniensibus addit : « Nam et Athenis jam illo more a Cecrope, ut aiunt, permansit *hoc jus humandi.* » Ita funeratus apud Thucydidem, l. IV Brasidas; apud Homerum Erato, Periandri uxor. Et longe antiquissimum exemplum ex veteribus patriarchis habemus, quibus humatio fuit usitata, uti ex *Genes.* cap. XXIII et XLVI, cuique est exploratum.

(299. Profecto cremationem cadaverum militiæ ratio, et putrescentium corporum multitudo videtur induxisse. Per plura sæcula apud Romanos ustio hujusmodi stetit : tandem fortasse tempore Commodi imperatoris sensim cadavera cremari desierunt; et Commodus ipse per humationem sepultus est. Certe ætate Ulpiani frequens erat humatio; quippe qui sepulcrum definit, « ubi corpus, ossave hominis condita sunt. » L. II, § 5, ff. *De religios. et sumpt. funer.*, etc. Adhuc tamen sub Theodosio Magno cremationis aliquis usus supererat, ut ex l. VI, c. Theodos. *De sepulcr. violat.*, colligere fas est; sed omnino illa sublata, humatio retenta fuit.

(300. Christianos vero quod attinet, ii omni tempore pium ac religiosum habuerunt mortuos sepelire, omnique honorificentiæ genere prosequi. Hinc Origenes *contra Celsum*, lib VIII, ait : « Rationabilem animam honorare didicimus, et hujus organa sepulcro honorifice demandare. » Et quidem, rejecta crematione, humationem usurparunt, idque, quia humatio benignior et humanior esset : « Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturæ timemus; sed et veterem, et meliorem consuetudinem humandi frequentamus : » ut ait Minutius Felix, in *Dialog.* Idem habet Tertull., *De anim.*, c. 51.

(301. Porro sævientibus in primæva Ecclesia persecutionibus, nihil antiquius ethnicis fuit, quam humationem Christianorum corporum impedire, cadavera immanibus belluis, vel rapacibus avibus objiciendo, vel ea cremando, cineresque in flumina aut ventos spargendo in futuræ resurrectionis (54) risum atque contemptum : « Nos vero (sic Eusebius, *Hist. eccles.*, lib. V, cap. 1, ubi *De martyribus Galliæ sub Marco Aur. Antonino* agit) gravissimo interim dolore premebamur, quod humare cadavera nobis non liceret. Nam neque noctis tenebræ nos juvare, neque auri vis flectere, neque preces ullæ animos eorum (*nempe paganorum in Christianos sævientium*) commovere potuerunt. Sed omni studio atque industria (ethnici) cadavera (Christianorum) custodiebant, quasi ingens lucrum facturi, si sepultura caruissent... Igitur martyrum corpora... cremata, atque in cineres redacta in præterfluentis Rhodani alveum sparsa sunt ab impiis (*scilicet a paganis*), ne ullæ deinceps eorum reliquiæ in terris superessent. Atque id agebant (ethnici), prorsus quasi Deo superiores esse, et resurrectionem illis adimere possent. »

(302. Loca vero quoad spectat, in quibus corpora sepulturæ traderentur, id pro explorato haberi potest, generaliter antiquitus

(54) Quippe etiam velut ad enutriendam spem resurrectionis humationem Christiani usurpasse videntur. Ex Prud., hym. 10.

Digitized by Google

fuisse extra urbes, civiumque domicilium. Apud Judæos mortui vulgo extra urbes et in cœmeteriis ad id destinatis sepeliebantur : accedit et ratio; siquidem « summa apud Judæos immunditia erat cadaverum, adeoque tangentes sepulcra, essent immundi septem diebus (55). Hinc ipsi sepulcra habebant non juxta templum, nec in urbibus, ne in ea incurrendo polluerentur, sed extra eas (ut patet *Luc.* VII, 12, et *Joan.* XIX, 41, de sepulcro Christi) in agris et locis separatis. » Ita Cornel. a Lapide, *Comment. in Numer.* XIX, 16 (56).

(303. Apud Græcos idem moris obtinuisse utique compertum est. Hinc Plato, lib. II *De legib.*, hæc habet : « Nullum in loco fecundo, et agro ad culturam apto sepulcrum fiat. Sed is locus corpora defunctorum recipiat, qui ad cætera inutilis, et ad id tantum commodus viventes minime lædit : nec enim a vivis, neque a mortuis terræ matris fecunditas impedienda est. »

(304. Romanos quod attinet, utique liquet, eorum sepulcra, sive corpora ipsa, sive eorum cineres urnis clausi sepelirentur, extra urbes collocata fuisse. Satis antiqua profecto est lex XII Tabularum, *hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.*

(305. Tantum ob virtutem clariores viri, atque de patria optime meriti, ut etiam Vestales, in urbe sepeliebantur. Postea cum hic mos extra urbem mortuos sepeliendi intermitti cœptus esset, eadem lex Duillio consule (an. ab Urb. cond. 454) relata est; deinde ab Adriano, Antonino Pio et Diocletiano (nempe secundo et tertio ær. vulg. sæculo) confirmata, ad reliquas Romani imperii urbes seu municipia extensa est, uti constat ex l. 3, § 5, ff. *De sepulcr. violat.*, ibi : « D. Adrianus rescripto pœnam statuit quadraginta aureorum in eos, qui *in civitate sepeliunt*, quam fisco inferri jussit, et in magistratus, eadem qui passi sunt; et locum publicari jussit, et corpus transferri : quid tamen si *lex municipalis* permittat in *civitate* sepeliri?... quia generalia sunt rescripta, *et* oportet imperalia statuta suam vim obtinere, et in omni loco valere, » et l. 11, cod. *De religiosis*, etc., in hæc verba : « Mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum jus polluatur, intra civitatem condi jampridem vetitum est III *Kalendas Octobris*..... anno 290 (57). »

(306. Extra urbes vero sepulcra plerumque ponebantur ad vias publicas, cujus instituti rationem hanc Varro, *De Latin. ling.*, lib. V, assignat, ibi : « Sepulcra ideo secundum viam sunt, quo prætereuntes admonerent, se fuisse, et illos esse mortales. » Erant autem sepulcra ista plerumque privata, perpauca publica; hæc tamen necessaria erant propter pauperes agris destitutos, quorum sepulturæ locus publicus, quem *puticulorum* nomine designabant, erat destinatus.

(307. Jam vero primis Ecclesiæ sæculis Christiani suorum fratrum corpora etiam extra urbes sepeliebant, nec enim leges publicæ, quod cæteris civibus denegabant, Christianis poterant permittere. Hinc veteres scriptores de sepulcris et monumentis martyrum, tanquam extra urbes constitutis in agris aut viis publicis, loquuntur.

(308. Pace Ecclesiæ data, idem institutum perduravit, stantibus publicis legibus, quæ urbanas sepulturas interdicebant. « Omnis civitas (ait scriptor quidam sub nom. Chrysost. homil. 17 *De fide*), omne castellum ante ingressum sepulcra habet. »

(309. Et Theodosius M. invalescentem Constantinopoli urbanam sepulturam, ann. 381 interdixit, et quæ in urbe, sive supra terram urnis clausa, sive sarcophagis corpora detinebantur, extra urbem transferri jussit : en tenor legis : « Omnia, quæ supra terram urnis clausa vel sarcophagis corpora detinentur, extra urbem delata ponantur, ut et humanitatis instar exhibeant et relinquant incolarum domicilio sanctitatem. Quisquis autem hujus præcepti negligens fuerit, atque aliquid tale ab hujus interminatione præcepti ausus fuerit moliri, tertia in futurum patrimonii parte mulctetur : officium quoque, quod sibi paret, quinquaginta librarum auri affectum dispoliatione merebitur... » Cod. Theod., tit. *De sepulcr. violat.*, l. 6.

(310. Itaque incognita fuit antiquis Christianis in ecclesiis sepultura : nec nisi peculiari privilegio imperatoribus Constantino, Theodosio M., Arcadio et Theodosio juniori datum est, ut in vestibulo ecclesiæ Apostolorum in urbe regia exstructæ eorum corpora quiescerent, ut ex Euseb. *De vit. Constant.*, lib. IV, cap. 71; Chrysostomo, homil. 25, *in II ad Corinth.*, et ex Nicephor., lib. XIV, cap. 58, constat. Deinceps vero mos in ecclesiis sepeliendi sensim cœpit invalescere : quippe Christiani apud martyres (quorum reliquiæ in ecclesiis condi jam inde cœptæ erant) post mortem quiescere aptum et religiosum, et ad eos sibi demerendos pium, arbitrabantur.

(55) *Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus.* (*Numer.* XIX, 16.)

(56) « Illud autem animadvertas licet, quod nulla erat constituta lex, certa sepulcris loca decernens : quare modo in *urbibus* spectabantur, *in hortis domorum*, in *agro*, in *montibus*, *prope viam*, *sub arboribus*. Regum Judæ sepulcra constituta erant *Hierosolymæ* (*III Reg.* XI, 10, 11); regum Israelis *Samariæ* (*III Reg.* XVI, 18). E regibus Judæ alii sepulturæ mandati sunt in hortis regiis (*II Reg.* XXI 18, 26), etc. Sic Calmet, Dissert. *De funeribus et sepultur.*, inserta in 5 vol. *Com. in S. Script. in proœmio ecclesiastic.* At vero negari non potest, generaliter sepulcra Judæorum extra urbes fuisse posita, ut ipse Calmetus ait in *Dict. Bibl.*, v. *Sepulcrum.* »

(57) Porro Romani extra urbes sepeliebant cadavera, ne funestarentur *sacra Civitatis*, inquit Paulus Ictus, lib. I *Sentent.*, tit. 21, § 2. Nimirum et ethnicis erat persuasum, diis superis sacrata loca solo aspectu, vel contactu rei funestæ contaminari, polluique etiam sacerdotes, si vel funus viderent, vel funeris domum ingrederentur.

Digitized by Google

(311. Atque hinc in aliquibus ecclesiis, præsertim Nolæ et Mediolani Christiani in ipsis ecclesiis, vel in earum exedris sepeliebantur : quod vero præcipue intelligendum est de ecclesiis extra urbes positis, quæ tunc plures erant ; non item de urbanis ecclesiis, ubi cadavera humari tum non licebat.

(312. Et revera quod in ecclesiis urbanis sepeliri non deberent, ex indubiis monumentis utique habemus exploratum. Porro conc. *Bracharense* primum, anno 563 habitum, id luculenter innuit can. 18, per hæc verba : « Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo in basilica Sanctorum sepeliantur; *sed si necesse est*, deforis circa murum basilicæ, usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc manet civitatis (nota), ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reverentia obtinere ? »

(313. Pari modo refertur apud Gratianum, caus. 13, quæst. 2, can. 15, decretum sub nomine synodi *Vaurensis*, verius ex concil. *Nannetensi*, an. 850, ita statuens : « Prohibendum est etiam secundum majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris ecclesiæ. Intra ecclesiam vero... nullatenus sepeliantur. » — Et in lib. I *Capitul. regis Francorum*, cap. 158, legitur ; « ut nullus deinceps in ecclesia mortuum sepelizt. »

(314. Proinde ex allegatis conciliorum et capitularium auctoritatibus eruitur. sæculis sexto, et duobus sequentibus *fideles* laicos in Occidentis ecclesiis in *atrio* vel *porticu* earumdem ecclesiarum, non vero intus, sepultos fuisse. Interim vero reges, episcopi, abbates, presbyteri meritis præstantes, ac laici sanctitate conspicui, in templis condi primo cœpti fuerunt, prout concilium *Moguntinum*, seu *Moguntiacum* an. 813, aperte ostendit, can. 52, ibi : « Nullus mortuus intra ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi, aut abbates, aut digni presbyteri, aut fideles laici. »

(315. Sæculo VIII, S. Theodulphus episc. Aurelianensis in epistola ad suos presbyteros prohibens, ut nemo in ecclesia sepeliatur, addit hanc clausulam : « Nisi talis sit persona sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, quæ per vitæ meritum talem vivendo, suo corpori defuncto locum acquisivit. » Apud Espenium, *De sepultur.*, cap. 2, num. 31.

(316. Tandem sæculo nono episcoporum et parochorum judicio, et arbitrio datum est decernere, quosnam in ecclesiis sepeliri dignos putarent, ut ex concil. *Meldensi* an. 845, can. 48, ubi quemlibet mortuum in ecclesia *quasi hæreditario jure* sepeliri prohibetur, *nisi quem episcopus, aut presbyter pro qualitate conversationis et vitæ dignum duxerit*. Atque ita receptus mos cadavera in ipsis ecclesiis humandi, adeo ut sepulcra etiam familiaria in iis exstruerentur.

(317. Quamvis autem a pluribus sæculis passim Christianis omnibus sepultura in ecclesiis permissa sit ; tamen etiam nunc fidelium dormitioni potius cœmeteria, quam ecclesia videntur destinata. Sane passim cavent synodi recentiores, ut fideles in cœmeteriis sepeliantur, tantumque selectis Christianis, qui vel Deo sacrati sunt, vel dignitate, vel virtutibus, vel nobilitate eminent, dormitionem in ecclesiis concedunt.

In concil. *Mediolanensi* I, sub S. Carol. Borom., p. II, cap. 61, monentur episcopi, « ut morem multis locis intermissum mortuos in cœmeteriis sepeliendi restituendum curent ; » additque : « et si cui locus sepulturæ deinceps dabitur in ecclesia, humi tantum detur. »

(318. Amplius Rituale Romanum edicit, quod : « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur. » Titul. 34, *De exsequiis*, § 9.

Et revera « cadaverum putredo semper est cum fetore, et dedecet in illo sacro loco, venerando thymiamate sæpissime perfuso, et munditiam redolente, graveolentia corpora condere, unde etiam ratio hæc vocatur civilis a Lavorio, *De sepult.*, tom. II, cap. 6, n. 90, ne aer putrefieret, et locus corrumperetur fetore cadaverum. »

Deinde « a frequenti cadaverum humatione tam fetor, quam humiditas provenire solet, et ita non omnino sanum habitaculum deveniret, prout evidenter hodie quoque dignoscitur in ecclesiis præsertim parochialibus, in quibus frequenter sepeliuntur cadavera. Proh bone Deus ! quam differunt ab illis ecclesiis in quibus nulla sepulcra effodiuntur ! » Baruffaldus, in *Rituale Romanum*, De exsequiis, tit. 34, § 9, n. 92.

(319. Quæres, an in quocunque loco fideles sepeliri possint ? R. Olim ex regulis jur. Romani sepeliri corpora humana poterant in quovis loco honesto, qui præterea ex hoc ipso *religiosus* fiebat, et consequenter extra commercium humanum positus, modo illud domino loci sciente, et non contradicente factum esset. § *Nullius* 7, et § *Religiosum* 9, Instit. *De rer. divis.*, l. *Invito* 2, cod. *De religios. et sumpt. funer.*

(320. Id vero per jus canonicum sublatum est secundum quod, ut locus aliquis ob sepulturam corporis humani ibidem factam, jure et privilegiis loci sacri ac religiosi gaudeat, non sufficit, quod privata, sed requiritur, ut publica episcopi auctoritate ad fidelium sepulturam sit deputatus, ut colligitur ex cap. *Ad hæc* 4, De religios. domibus. Talia de facto sunt ecclesiæ et cœmeteria. Schmalzgrueber, ad tit. *De sepult.*, n. 1.

(321. Jus vero istud sepulturæ non cuilibet Ecclesiæ competit, sed tantum parochialibus, et iis, qui jus illud, vel privilegio, vel consuetudine legitime præscripta obtinuerunt. Schmalzgrueber, *l. et n. cit.*

(322. Et primo id juris est ecclesiæ parochiali quoad parochianos omnes, aliosque,

Digitized by Google

quos recenset Lucius noster hic *supra*, n. 22, nisi forte alibi habeant sepulturam, in qua eorum majores sepeliri consueverint, vel ipsi eam sibi elegerint : Hoc enim est jus parochiale, ut habetur in Clement. *Dudum*, § *Hujusmodi*, De sepultur.... ita ut etiam parochus præferatur, et ante omnia sit restituendus, si fuerit spoliatus corpore jam sepulto, cum illud possit extrahi auctoritate superioris, tanquam non justæ sepulturæ traditum, et restitui ei, qui jus prælationis habet. Barbosa, *De offic paroch.*, cap. 26, n. 1.

(323. Quod quidem ex c. 5 et c. 10, *De sepult.* manifeste colligitur. Unde ait Schmalzgrueber, cit. tit. *De sepult.*, n. 77 : « Religiosi vel clerici sæculares, si in suis ecclesiis sepelire præsumant aliquem, qui de jure in aliqua parochia sepeliri debebat, debent restituere corpus, seu cadaver sepultum cum omnibus, quæ ratione illius acceperunt. »

(324. Ex privilegio autem jus sepeliendi fideles in templis et cœmeteriis suis habent *ordo Prædicatorum et minorum S. Francisci;* Clement., *Dudum*, § *Hujusmodi*, et Extravagant. *Super cathedram*, § *Hujusmodi quoque*, De sepultur. Quod privilegium aliis etiam religiosis communicari tradunt Molin. Donatus, *Prax. regular.*, tom. IV, tract. 9, q. 8, n. 2; Pirrhing, *De sepult.*, n. 30; Schmalzgrueber, ad cit. tit. *De sepult.*, n. 6.

(325. Quæres : quis dare jus, seu privilegium sepeliendi possit? R. Universim in tota Ecclesia dare potest Papa : præter Pontificem, illud dare potest legatus a latere intra suam provinciam, episcopus intra suam diœcesim, prælati alii jurisdictione quasi episcopali præditi, intra suum territorium. Idem, *ibid.*, n. 7.

(326. Ut tamen episcopus, vel alius præfatus inferior licite illud det, opus est justa causa et consensu capituli. Ratio est, quia ejusmodi privilegium, vel concessio reputatur inter causas arduas et præjudiciosas : atqui episcopus sine consensu capituli res arduas expedire, et in præjudicium unius Ecclesiæ jus illi competens dare alteri nequit, ergo, etc. (58). Ita in terminis d. Schmalzgrueber, *l. c.*, n. 7. Quod idem notant Abbas, in cap. 9, *De sepult.*, n. 9; Pirrhing, ad cit. tit. *De sepult.*, n. 32. — « A qua tamen concessione crederem abstinendum esse ab episcopo, cum agatur de præjudicio parochorum, qui habent intentionem fundatam in jure communi, ut ibi quis sepeliatur, ubi recepit sacramenta, et cæteroquin episcopus videretur derogare juri communi, quod spectat ad solum Papam. » Hæc habet Giraldi, in Barbos., *De offic. paroch.*, cap. 26, sub n. 14.

(327. Quæres utrum eligi sepultura etiam possit in ecclesiis monialium? Affirmant Samuel, Murga, Gonzalez, Tellez, Ventriglia; quod concedunt de ecclesia exteriori, quamvis de interiori, scilicet intra septa monasterii, negent. Sed dicendum, neque in ecclesia exteriori monialium eligi sepulturam, aut recipi corpora defunctorum posse absque licentia sac. congregationis. Et profecto « valde contradicit monialium sexui ac statui talis tumulatio mortuorum in earum ecclesiis etiam exterioribus, ne turbentur in earum quiete ab officio in funeralibus ibi necessario faciendo, et quidquid sit in puncto juris, videtur expresse declaratum a sacra congregatione Episcoporum et Regularium, *in Maceraten.* 8 Novemb. 1652, scilicet, quod corpora laicorum, sive virorum fuerint, sive mulierum, nequeant sepeliri in ecclesia exteriori monialium, licet solvere vellent pœnam synodalem; et ad talem effectum saltem requiritur licentia sacræ congregationis, necnon consensus monialium, ut *in Feretrana* 21 Novem. 1603, et eadem sacra congregat., *in Forosempronien.* 23 August. 1652, scripsit episcopo : « Essendo portata la notizia a questa S. C. « che si pensi di seppellire il cadavere di d. « Marchionne moglie del Cirusico di cotesta « città nella chiesa delle monache di S. Ber« nardo, dove si ha eletta la sepoltura, « questi eminentissimi miei signori mi hanno « comandato di avvertire a V. S. che essendo « ciò contro i decreti della medesima sac. « congregazione, non lo permetta in verun « modo senza expressa licenza dell' emi« nenze loro; » — et *in Gravinen.* 1 Octob. 1650 : « Nelle chiese, anche esteriori delle « monache, non si possono seppellire esteri, « e forestieri, nè uomini, nè donne, nè « anco prencipi, *ancorchè vi fossero sepolti i « loro maggiori.....* » Quare cum dictæ declarationes sint maximæ auctoritatis, omniaque tribunalia eas recipiant, præsertim sacra Rota, ut est notum, tollunt proinde omne dubium... (et) cum emanaverint præfata decreta per viam peculiaris dispositionis... videntur cessare omnia privilegia, non obstante consuetudine, nisi sit immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo. Imo ex declaratione sac. congregat. prædictæ, *in Sarzanen.* 29 Novemb. 1622, tenerentur moniales restituere corpora defunctorum in earum ecclesiis tumulata, si petantur, et omnia, quæ perceperunt, præsertim si non fuerint commista cum aliis ossibus, nec non annuum legatum ecclesiæ tumulanti relictum, ut *in Mediolanen.* 17 Februar. 1583 13 Jul. 1618 et 5 Julii 1647. — Ita cardinalis Petra, *Comment. ad constit. Apost.*, tom. II : *Comment. ad constitut.* 3 *Cœlestini III*, sect. 1, n. 29.

(328. Quod si quis decederet electa sepultura in ecclesia monialium, sepeliendus

(58) Quod episcopus concedere possit ecclesiæ non parochiali privilegium sepeliendi, hæsitare visus est Faguanus, cap. *Fraternitatem* 3, De sepult., n. 7, quasi hoc privilegium privative spectet ad Romanum Pontificem, argumento ducto ex Clementina *Dudum*, in qua Clemens V illud concessit regularibus ibi expressis; verum *affirmative* concludit his verbis ibi : « Communiter tenetur opinio, etiam episcopum posse hoc privilegium concedere.... dummodo id faciat de justa causa, et de capituli consensu, et dimissa parochiali ecclesiæ canonica portione. »

Digitized by Google

erit in sepultura majorum, vel si talem non habeat, in parochiali, ac si nullam elegisset sepulturam. « Nam cum electio sepulturæ non possit sortiri effectum, perinde se habet, ac si non elegisset 1. *Si quis sub condit.*, ff. *De test. tutor.*, et l. *Ex sensu*, § 1, ff. *De appellat.*, ac proinde subintrat dispositio legis, cessante dispositione hominis. » Hæc Pignatell., tom. IV, consultat. 177, n. 11.

(329. Solet tamen concedi licentia a sacra congregatione, tam pro construendo sepulcro, quam pro sepultura in ecclesiis monialium pro personis bene meritis. Petra, *ibid.*, n. 30.

(330. Quæres, quid sit *portio canonica parochialis*, vulgo *quarta funeralis? ℣. Est pars eorum*, quæ occasione funeris, et sepulturæ corporis extra parochiam tumulati, obvenerunt ecclesiæ tumulanti. De jure fere est quarta, cap. *Cum super* 8, De sepult., de consuetudine aliquando tertia, et aliquando media, cap. *Nos instituta* 1, et cap. *Relatum* 2, tit. cit., vel potius secundum Gloss., in cap. cit. *Nos instituta*, v. *Tertiam*, et text. cap. *Certificari.*, tit. eod., pro temporum et locorum varietate varia. Schmalzgrueber, ad tit. cit. *De sepult.*, n. 83. *Vide* v. *Quarta funeralis* per tot.

(331. Quarta vero funeralis solvenda venit ecclesiæ parochiali, in qua defunctus alioquin sepeliri debuisset, sive in illa parochia sit mortuus, sive in alia. Cap. cit. *Nos instituta.* — Quod si defunctus duo domicilia habuit in duabus parochiis, est distinguendum; nam si sacramenta, aliaque divina, dum vivebat, in utraque percepit, portio canonica inter utramque dividenda est. Cap. *Cum quis*, vers. *Cum ab eo*, De sepultur. in 6. At si in una solum sacramenta, aliaque divina percepit, vel in una quidem percepit sacramenta, in altera officia divina audivit, communior sententia vult, totam attribuendam illi ecclesiæ, in qua defunctus sacramenta percepit. Schmalzgrueber, cit. tit. *De sepult.*, n. 86.

(332. Solvi autem debet ista portio ab illa ecclesia, in qua sepultura electa est. Cit. cap. *Nos instituta*, cap. *Cum in nostra* 10, præd. tit. *De sepult.*, et Clement., *Dudum* 2, De sepult. Et hoc procedit, etsi ecclesia illa haberet privilegium sepeliendi eos qui apud ipsam sepulturam eligunt, prout constat ex cit. cap. *Cum in nostra;* quippe privilegium ejusmodi intelligendum venit conformiter juri communi, vi cujus quarta parochialis solvenda est parocho absque exceptione. Et etiamsi talis ecclesia sit exempta, ex Clement. *Dudum*, cit., quippe portio canonica solvenda est ecclesiæ parochiali, quod in ista defunctus sacramenta, aliaque divina perceperit. Schmalzgrueber, *loc. et num. cit.*

Quod juris obtinet, sive quis sepultus sit in cathedrali vel in sepulcro majorum. Schmalzgrueber, *ibidem*, n. 87. *Vide* v. QUARTA FUNERALIS, n. 8 et seqq.

Quæres quibus casibus portio canonica non debeatur? R. Non debetur:

I. Ex iis, quæ defunctus reliquit aliis ecclesiis ab ecclesia sepulturæ suæ distinctis. Glossa, in cap. 1, *De sepult.*, vers. *Judicii*; Schmalzgrueber, *loc. cit.*, n. 88.

II. Si relictum sit aliquid ecclesiæ, in qua funus ad tempus solum depositum est, et alio transferendum ad sepulturam perpetuam; quia in tali ecclesia sepulturam proprie non habet. Azor., apud Schmalzgrueber, *ibid.*

III. Si relictum sit ecclesiæ (in qua sepulturam defunctus accepit), pro ornamentis, fabrica, anniversario et ad cultum divinum perpetuum, sine fraude tamen. Barbosa, *De officio paroch.*, cap. 25, n. 47; Schmalzgrueber, *ib.*

IV. Si donatum vel legatum sit aliquid testamento ante sepulturam electam condito, adeoque independenter a sepultura a defuncto electa in tali ecclesia. Azor., apud Schmalzgrueber, *eod.*

V. Si Ecclesia parochialis diu nimis vacavit, ut defunctus in illa sacramenta aliaque divina percipere non potuerit; quia tunc cessat ratio illius exigendæ et consequenter jus ad illam. Wiest., apud Schmalzgrueber, *ibid.*

VI. Si dum defunctus decessit, ecclesia parochialis culpa rectoris fuit interdicta; quia tunc in ea defunctus sepeliri de jure non potuit, nec debuit. Idem, *ibid.*

VII. Si defunctus sit novitius religionis, et dum sanus erat, ingressus est monasterium, atque in illo, vel alibi, quo sanitatis causa se recepit, moriatur: quia tunc jam desiit esse parochianus alterius eccles. C. *De his* 4, De sepulturis; Schmalzgrueber, *ibid.*, n. 89.

VIII. Si legatum ecclesiæ parochiali a defuncto relictum sit ea quantitate, ut portionem canonicam ipsi debitam æquet, et ea conditione, ut ultra illud quartæ parochialis nomine nihil amplius exigatur. Donatus, *Prax. regular.*, tom. III, tract. 11, q. 22; apud dict. Schmalzgrueber, *l. c.*

IX. Si monasterium vel ecclesia a portione canonica præstanda, per privilegium Apostolicum specialiter exempta sit. Idem, *ibid.* Sed *vide* v. QUARTA FUNERALIS, n. 24.

X. Si obligationi portionis istius præstandæ parocho per consuetudinem legitime præscriptam fuit derogatum: talis autem erit, si fuerit annorum XL cum titulo, vel immemorialis sine titulo. Abbas, apud d.; Schmalzgrueber, *l. c.*

SEQUESTRATIO, SEU SEQUESTRUM.

SUMMARIUM.

1. Sequestratio seu sequestrum quid sit? — 2. Sequester quis sit, et unde dictus? — 3. Sequestratio, seu sequestrum differt a deposito? — 4. Sequestratio, seu sequestrum est duplex, scilicet sequestrum voluntarium et necessarium. — 5. Sequestrum voluntarium seu conventionale, quale sit? —

Digitized by Google

6. Sequestrum necessarium seu judiciale, quale sit? — 7. Sequestrari possunt res mobiles et immobiles, res corporales et incorporales, seu jura, res profanæ et spirituales. — 8. Sequestratio seu sequestrum voluntarium regulariter est permissum. — 9. Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, tamen post factam conventionem inter partes non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere. — 10. Item neque ipsi sequestri recipienti rem in custodiam licet sua sponte a tali officio recedere, nisi justa de causa, et interveniente auctoritate judicis. — 11. Sequestratio, seu sequestrum necessarium regulariter est prohibitum. — 12. Dantur tamen plures casus, in quibus licite potest fieri de jure sequestratio necessaria. Primo enim fieri potest ad instantiam alterius partis, quando reus dissipat fructus, quos conservare tenetur. — 13. Secundo, fieri potest sequestratio necessaria, nedum quando reus tales fructus actu dissipat, sed etiam cum rationabiliter timetur, ne ipsos dissipet aut dilapidet in futurum. — 14. Tertio, fieri potest, quando petitur res mobilis, et reus est suspectus, quod cum ea fugiat. — 15. Quarto, fieri potest, quando quis obligatus ad aliquid præstandum, non præstat, quamvis ad id monitus. — 16. Quinto, fieri potest in causis beneficialibus, quando duo de beneficio contendunt, et neuter adhuc possidet. — 17. Sexto, fieri potest, quando reus conventus est contumax. — 18. Septimo, fieri potest, quando periculum est, ne partes contendentes ad arma deveniant. — 19. Octavo, fieri potest, quando colonus negat locationem, et contra dominum super dominio prædii litigat. — 20. Nono, fieri potest, quando maritus vergit ad inopiam, vel periculum est, ne dotem dilapidet. — 21. Decimo, fieri potest, quando timetur de sævitia viri et non potest securitati uxoris sufficienter caveri. — 22. Undecimo, fieri potest, quando adest periculum, seu justus timor, ne sponsæ, de cujus matrimonio contrahendo lis agitur, aliqua violentia inferatur. — 23. Duodecimo, fieri potest, quando servi conqueruntur de tyrannide dominorum suorum, et rationabiliter timetur, ne ob id domini nimis sæviant in illos. — 24. Remedium juris ad evitandam sequestrationem in supra allegatis, et aliis casibus est sufficiens cautio seu satisdatio de restituenda re litigiosa, vel fructibus ejus in casu, quo pars adversa obtineat in causa victoriam. — 25. Imo per sufficientem, idoneam cautionem, seu satisdationem tollitur etiam sequestratio jam facta, dummodo datus fuerit fidejussor idoneus. — 26. Alia ad rem ad num. 48.

(1. Sequestratio seu sequestrum est rei controversæ, seu fructuum ejus apud tertium securitatis gratia legitime facta depositio. Sic in re communis. Et colligitur ex l. *Licet* 17 in princ., ff. *Depositi*, et ex leg. *Sequester* 110, De verbor. signific. (2. Unde sequester dicitur is, apud quem plures, nempe actor et reus, eamdem rem, de qua controversia est, deposuerunt, dictus ab eo quod ejus fidem partes contendentes, vel judex sequantur, dum res litigiosa ejus custodiæ committitur, cit. l. *Sequester* 110, ff. *De* verbor. significat., ibi : « Sequester dicitur, apud quem plures eamdem rem, de qua controversia est, deposuerunt. »

(3. Sequestratio seu sequestrum differt a depositio. Primo, quia deponi possunt etiam res illæ, de quibus nulla est controversia; sequestrari autem possunt duntaxat res illæ, de quibus est lis seu controversia, l. *Licet* 17, § 1, ff. *Depositi;* secundo, quia non solum plures, sed etiam unus duntaxat apud depositarium deponere potest; apud sequestrem autem nonnisi plures, l. *Propriæ* 6, l. *Licet* 17 in princip., ff. *Depositi;* tertio, quia illi, qui rem communem depositam deponunt, non singuli eam in solidum, sed pro sua quisque parte, quam in re habet, deponere censetur, leg. 2, § *Sed si duo*, et cit. l. *Licet*, ff. *Depositi;* qui autem apud sequestrem rem litigiosam deponunt, singuli in solidum deponunt, non pro parte, cit. l. *Licet* 17, ff. *Depositi*. Quarto, quia in deposito, quoties libuerit, res repeti potest; in sequestro autem non nisi post decisam controversiam. Arg. cit. l. *Sequester* 110, ff. *De verb. signific.*

(4. Sequestratio seu sequestrum est duplex, scilicet sequestrum voluntarium seu conventionale, et sequestrum necessarium sive judiciale. *Communis.* (5. Sequestrum *voluntarium* seu *conventionale*, est illud quod fit mutuo consensu, cum videlicet partes de re aliqua litigantes, rem illam mutuo consensu deponunt apud tertium sive sequestrem, ut eam interim custodiat, et postmodum tradat vincenti. Et dicitur *voluntarium* seu *conventionale*, quia illud faciunt, non coacte, sed propria sua voluntate et mutua conventione. (6. Sequestrum *necessarium* seu *judiciale* est illud quod fit auctoritate, sive mandato judicis utraque parte invita, vel certe alterutra; fit hoc dupliciter, vel motu proprio et ex officio, vel ad instantiam, ut plerumque fieri solet, unius partis litigantis, altera contradicente, ut quando actor petit sequestrari rem litigiosam, reo contradicente. Et dicitur *necessarium* sive *judiciale*, quia fit auctoritate judicis, invita utraque, vel saltem alterutra parte, et partes ipsæ litigantes necesse habent stare tali sequestro, eidemque plene obtemperare. *Communis.*

(7. Sequestrari possunt res mobiles et immobiles, res corporales et incorporales, seu jura, res profanæ et spirituales. Card. Tuschus, verb. *Sequester*, conclus. 101, n. 5; Barbosa, *ad Rubric.*, tit 17, *De sequestrat.*, n. 7; Pirrhing, lib. II *Decret.*, tit. 17, n. 4; Reiff., *ibid.*, n. 4, et alii passim.

(8. Sequestratio seu sequestrum voluntarium regulariter est permissum, quia est quædam species depositi, et consequenter est legitimus contractus. Cit. leg. *Licet*, ff. *Depositi*. Unde Gailus lib. I *Practic. observ.* 148, n. 7, expresse dicit, quod sequestratio, quæ fit ex voluntate et mutuo consensu partium, semper licita sit. L. *Si soluturus* 39, ff. *De solutionibus*, l. *Proprie* 6, ff. *Depositi*, l. *Interesse puto* 39, ff. *De acquir. possess.*

(9. Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, sicuti cæteri contractus approbati, l. *Sicut* 5, cod. *De actionibus et obligationibus;* tamen post factam conventionem inter partes, non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere, juxta illud vulgatum : « Quod a principio est voluntatis,

Digitized by Google

ex post facto fit necessitatis, » per notabilem textum in cit. leg. *Sicut initio* 5, cod. *De obligation. et actionibus.* (10. Item ob eamdem rationem neque ipsi sequestri recipienti rem in custodiam licet sua sponte a tali officio recedere, nisi justa de causa et interveniente auctoritate judicis. L. *Et apud quem* 5, § *Si velit*, ff. *Depositi*, et ibi Bartolus, in *Summario ;* Joannes monachus, in *Regula locupletari*, n. 5; Jason, in l. *Si fidejussor* 7, § *Si satisdatum*, n. 4, ff. *Qui satisdare cogantur ;* Pirrhing, *loco citat.*, n. 9; Reiff., *loc. cit.*, n. 7 et 8, et alii.

(11. Sequestratio seu sequestrum necessarium regulariter est prohibitum. *Communis* per text. in t. unic., cod. *De prohibita sequestratione pecuniæ*, et concordat cap. *Ad hoc* 1, De sequestratione, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Arbitrio ;* Rota, part. x, recent. dec. 277, n. 13. Et ratio est, quia non est judicium ab exsecutione inchoandum, sed requiritur, quod actor de suo jure doceat, et reum super debito convincat. Cit. l. unic., cod. *De prohibita sequestratione pecuniæ;* Rota, part. 1, recent. dec. 464, n. 2, part. VI, dec. 222, n. 2. Priusquam enim actor doceat de suo jure, stat præsumptio favorabilis pro reo; l. ult. cod. *De rei vindicat.*, et cap. *Ex litteris*, De probationibus, adeoque non est turbandus in sua possessione, seu ejus usu per sequestrationem auctoritate judicis factam, cum lite pendente, nihil sit innovandum. Cap. *A memoria nostra* 1, etc. *Laudabilem* 2; Ut lite pendente nihil innovetur, cum similibus, et expresse Glossa, in cap. *Dilectus* 2, De sequestratione, verb. *Sequestrari*, citatis ad id variis juribus.

(12. Dicitur autem notanter, quod « sequestratio seu sequestrum necessarium regulariter est prohibitum, » quia sunt plures casus in jure expressi, in quibus licite potest fieri sequestratio necessaria, seu auctoritate, vel mandato judicis. Primo enim fieri potest ad instantiam alterius partis sequestratio auctoritate, seu mandato judicis, quando reus dissipat fructus, quos conservare tenetur. C. *Dilectus* 2, et cap. *Ab eo* 3, De sequestratione.

(13. Secundo, fieri potest sequestratio necessaria, nedum quando reus fructus, quos conservare tenetur, actu dissipat, sed etiam cum rationabiliter timetur, ne ipsos dissipet, aut dilapidet in futurum. L. *Operatores*, § fin., ff. *De appellat.*, junctis cit. cap. *Dilectus* 2, et cap. *Ab eo* 3, De sequestratione.

(14. Tertio, sequestratio necessaria fieri potest, quando petitur res mobilis, et reus est suspectus, quod cum ea fugiat. L. *Si fidejussor*, § *Si satisdatum*, ff. *Qui satisdare cogantur*, et concordat lex *Senatusconsulto* 16, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Et deponatur*, ff. *De offic. præsidis.*

(15. Quarto, sequestratio necessaria fieri potest, quando quis obligatus ad aliquid præstandum, non præstat, quamvis ad id monitus, ut si canonicus, vel alius beneficiatus non resideat, nec inserviat ecclesiæ prout deberet; tunc enim possunt fructus beneficii sequestrari, donec causa sit decisa. Arg. cap. *Pervenit* 28, De appellat.

(16. Quinto, sequestratio necessaria fieri potest in causis beneficialibus, quando duo de beneficio contendunt, et neuter adhuc possidet. Tunc enim, lite pendente, potest judex fructus beneficii sequestrare, donec lis sit decisa, ne alioquin una pars cum alterius præjudicio in beneficium se intrudat. Arg. l. *Si quæ* 5, De famil. erciscund., et Clem. unic., *De sequestration.*

(17. Sexto, sequestratio necessaria fieri potest, quando reus conventus, est contumax; tunc enim res petita una cum fructibus potest interim sequestrari, cum actor, jure suo nondum ostenso, in possessionem mitti non possit, ne vitium intrusionis incurrat. Cap. *Olim* 25, De rescrip., cap. *Ex litteris* 2, De dolo et contumac., cap. unic. *De eo, qui mittitur in possess.* in 6.

(18. Septimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando periculum est, ne partes contendentes ad arma deveniant; tunc enim potest judex ex nobili suo officio rem controversam apud tertium sequestrare, donec lis decidatur, cum judicis sit impedire, ne ad arma et rixas deveniant, quos jurisdictione sua componere potest. Arg. l. *Si cujus* 13, § 3, ff. *De usufruct.*, ibi : « Cur enim, inquit Julianus, ad arma et rixam procedere patiatur prætor, quos potest jurisdictione sua componere? » Et concordat cap. *Cura* 1, et cap. *Significantibus* 2, De purgatione vulgari.

(19. Octavo, sequestratio necessaria fieri potest, quando colonus negat locationem, et contra dominum super dominio prædii litigat; tunc enim, nisi colonus cautionem det de restituendis fructibus si succubuerit, possunt fructus illi sequestrari, donec lis fuerit decisa. L. *Litibus*, cod. *De agricolis et censibus.*

(20. Nono, sequestratio necessaria fieri potest, quando maritus vergit ad inopiam, vel periculum est, ne dotem dilapidet; tunc enim sequestrari potest ipsa dos. L. *Si cum dotem* 22, § *Si vero*, ff. *Soluto matrimonio*, c. *Per vestras* 7, De donat. inter vir. et uxor.

(21. Decimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando timetur de sævitia viri, et non potest securitati uxoris sufficienter caveri. Cap. *Litteras* 13, De restit. spoliator.

(22. Undecimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando adest periculum, seu justus timor, ne sponsæ, de cujus matrimonio contrahendo lis agitur, aliqua violentia inferatur; tunc enim debet quodammodo sequestrari, et in loco tuto collocari. Cap. *Cum olim* 14, De sponsalib., cap. *Causam matrimonii* 14, De probationibus.

(23. Duodecimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando servi conqueruntur de tyrannide dominorum suorum, et rationabiliter timetur, quod ob id domini nimis sæviant in illos; tunc enim, lite pendente, potest et debet judex illæsos illos conservare, et si opus fuerit, sequestrare. Arg. institut. *De his, qui sui vel alieni jur.*

Digitized by Google

sunt, § *Seu major*, et l. 1, § *Quod autem*, ff. *De offic. præfecti urbis*; quod idem ampliandum est ad reljgiosos, qui conqueruntur de suis superioribus eos gravantibus. Arg. c. *Olim* 26, De accusationibus.

(24. Remedium juris ad evitandam sequestrationem in supra allegatis et aliis casibus regulariter est sufficiens cautio seu satisdatio de restituenda re litigiosa, vel fructibus ejus in casu, quo pars adversa obtineat in causa victoriam. L. *Senatusconsulto* 16, De officio præsidis, et concordant l. *Satisdatio* 1, l. *Si fidejussor* 7, ff. *Qui satisdare cogantur*, cum similibus; Rota, part. III, rec. dec. 381, num. 2.

(25. Imo per sufficientem et idoneam cautionem, seu satisdationem tollitur etiam sequestratio jam facta, dummodo datus fuerit fidejussor idoneus. Cit. l. *Si fidejussor* 7, § final., ff. *Qui satisdare cogantur*, et notat Bartolus, *ib.*, in *Summario*; Rota, part. II, recent. dec. 654, n. 5.

(26. Remedium apponendi sequestrum rebus asportatis in locis immunibus, quo usus fuit D. nuntius, improbatur a sacr. congregatione. Sacr. congr. Imm., *in Taurinen.* 28 Nov. 1693, lib. II *Decr.* Paul., pag. 208.

(27. Judex laicus non potuit relaxare sequestrum contra bona ecclesiastici, et ideo episcopus potuit procedere contra eum ad declarationem excommunicationis. Sacra congr. Immunitat., *in Casalen.* 25 Aprilis 1634, *ibi*, pag. 188.

(28. Solus judex concedens, non autem partes obtinentes sequestrum contra fructus bonorum ecclesiasticorum, incidit in censuras in bulla *Cœnæ Domini*. Sacra congr. Immunitat., *in Vercellen.* 25 Nov. 1636, lib. III *Decr.* Paul., pag. 18.

(29. Non possunt per regios ministros sequestrari vel detineri fiscales redditus debiti ecclesiis et ecclesiasticis. Sacr. congr. Immun., *in Sulmon*, 6 Jun. 1637, *ibi*, pag. 35.

(30. Nuntius curet removeri sequestrum appositum a regiis ministris super bonis mensæ episcopalis, alias civitas subjiciatur interdicto. Sacra congr. Imm., *in Meliten.* 19 Nov. 1675, l. I *Decr.* Altov., pag. 1172.

(31. Judex laicus, qui prævenit in sequestrando frumentum laici debitoris respectu ecclesiastici, licet deneget restitutionem ipsius frumenti postea sequestrati a curia episcopali, et depositati penes ipsummet judicem laicum, non incurrit excommunicationem. Sac. congr. Immun., *in Pisauren.* 4 April. 1702, libr. III *Decret.* Vallem., pag. 414.

(32. Episcopus mandet sequestrari res furatas pro indemnitate viduæ, in quolibet loco immuni reperiantur. Sacr. congr. Immun., *in Viterbien.* 15 Mart. 1692, lib. *Decr.* Grim., pag. 101.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. Possunt etiam liberæ personæ aliquando sequestrari. Uxores sequestrantur ob mariti insignem violentiam, quæ impedit quominus uxor, quæ a marito divertit, ipsi

restituatur. Cap. 8 et cap. 13 in fin., *De restit. spol.* (34. Cognoscendum vero summatim de ipsa violentia, eaque incontinenti demonstranda, tanta esse debet, ut habitare cum marito nequeat sine probabili periculo vitæ. Confer Cocceium, in dissert. *De sequestr. femin.*, c. 5, § 4. (35. Et quod hic notare oportet, haud attenditur, an ipsa uxor causam violentiæ præstiterit, dummodo periculum vitæ ipsi immineat. Nicolai, *De divort.*, part. II, c. 5, n. 75.

(36. Quid autem, si maritus offerat cautionem de non offendendo, annon tunc ipsa sit restituenda, et sequestrum relaxandum? Perpensis circumstantiis res decidi debet. (37. Porro si insidiæ vitæ structæ probabiliter ostensæ fuerint, vix est ut lubrico cautionis mulier se committere interim teneatur, quippe quæ malevolum animum haud mutat. Cocceius, *cit. loc.*, § 4, *Nicolai pariter*, eodem loc., n. 58. (38. Neque distinguitur utrum uxor adhuc juvenis, an vero provectæ ætatis fuerit. (39. In tali vero loco sequestranda, ubi vir nullam mulieri possit inferre violentiam; c. 8, *De restit. spoliat.*, et monasterium potissimum locus sequestri esse solet, cap. 14, *De probat.*, et sumptibus mariti alenda est. Coccei, *cit. loc.*, in fine

(40. De sequestratione uxorum prægnantium, quæ olim potissimum in usu erat, *Vide* Bohemer., in *Decretal.*, lib. II, tit. 17, § 7.

(41. Puellæ quoque interdum sequestrari solent, si de sponsalibus agatur et metuatur, ne vis ipsis inferatur et impediatur quominus liberum possint edere consensum; quo casu juxta cap. 4, *De sponsal.*, in domo, in qua nihil eas timere oporteat, sequestrandæ sunt, donec de principali causa cognitum fuerit. (42. Neque enim parentes puellas cogere possunt ad matrimonium contrahendum, ad quod præcavendum sequestrum necessarium est. Coccei, *loc. cit.*, c. 2, § 5; cardinal. de Luca, ad concil. *Tridentin.*, discurs. 26, n. 40 et seq.

(43. Sequestranda etiam est puella, si sponsus eam injuste detinet, ut libere reclamare, et voluntatem suam declarare non possit, vel si a consanguineis est circumsepta, ut libertas voluntatis deficere videatur. Cothmann., vol. 1, respons. 1, n. 437; Cludende, *Sequestr.*, cap. 8, caus. 7 et seq.; Reusner., lib. I, dec. 3 fere per tot.

(44. Si duo contendunt de sponsa, quam uterque contendit sibi matrimonio jungi debere, lite pendente sequestranda itidem est puella, ne forte in præjudicium ejus, qui potentius jus habet, alterum admittat. Gonzal., ad cit. cap. 14 in fin., *De sponsal.* (45. Quod tunc potissimum obtinere debet, si puella orbata est parentibus, sub quorum custodia vivere posset. (46. Alioquin parentibus potius relinquenda, sub gravissimo interdicto, ne alterutrum ex procis ad puellam accedere permittant. C. 4 *De spon. duor.*; Cocceius, *citat. loc.*, cap. 2, § 2; Carpzov., *Jurispr. consistor.*,

Digitized by Google

lib. III defin. 32. Multum tamen judicis arbitrio relinquendum est. (47. Quid enim si actor ostendat parentes alteri proco plus favere? Quid si monstret, ipsos parentes, præsertim matrem præpotentem in causa esse, quominus sponsalia legitime contracta consummentur?

(48. Denique si agatur de statu puellæ quæ se virginem esse adhuc asserit, cum jam ab altero cognita esse perhibetur, sequestrum decernitur. Cap. 14, *De testibus.*

SERVITUS.

SUMMARIUM.

1. Servitutis nomen dupliciter accipitur, scilicet pro subjectione et pro jure. — 2. Servitus ut sic quid sit? — 3. Servitus ut sic dividitur in personalem, realem et mistam; et quid sit servitus personalis? — 4. Quid sit servitus realis? — 5. Quid sit servitus mista? — 6. Servitus realis, alia est urbana, et alia rustica; et quæ utraque sit? — 7. Nomine prædii urbani in jure quid veniat? — 8. Prædium, cui servitus debetur, vocatur *dominans*, alterum autem appellatur *serviens*. — 9. Servitus realis urbana adhuc est duplex, nempe affirmativa et negativa: et qualis utraque sit? — 10. Servitutes urbanæ, tum affirmativæ, tum negativæ plures sunt, et assignantur, ad n. 12. — 13. Servitus realis rustica etiam est duplex, scilicet nominata et innominata: servitus nominata est illa, quæ nomen habet a jure impositum, et hujus sunt quatuor species, nempe iter, actus, via et aquæductus. — 14. Quid sit iter? — 15. Quid sit actus? — 16. Quid sit via? — 17. Quid sit aquæductus? — 18. Servitus rustica innominata quæ sit, et quotuplex sit? — 19. Servitus realis dividitur insuper in continuam, quasi continuam et discontinuam. — 20. Quæ sit servitus realis continua? — 21. Quæ sit quasi continua? — 22. Quæ sit discontinua? — 23. Servitus mista est triplex, nempe ususfructus, usus et habitatio. — 24. Quid sit ususfructus? — 25. Quid sit usus? — 26. Minus juris est in usu, quam in usufructu. — 27. Quid sit habitatio? — 28. Servitutem allegans tenetur eam probare. — 29. Quodnam tempus requiratur ad præscribendam servitutem, sive personalem, sive realem, tam affirmativam quam negativam, tam rusticam quam urbanam, continuam, quasi continuam et discontinuam, sive mistam, *remissive*. — 30. In servitutibus affirmativis possessio aquiritur facto. — 31. In servitutibus autem negativis, per probationem, ne aliquid fiat, et acquiescentiam prohibiti. — 32. Hinc dominus allegans præscriptionem in servitutibus negativis adversus subditos tenetur probare prohibitionem, et patientiam, et obedientiam. — 33. Unde in servitutibus negativis non incipit currere præscriptio, nisi a die prohibitionis. — 34. In materia servitutum conventiones sunt observandæ, quæ tamen debent esse claræ et expressæ. — 35. Viæ seu transitus servitus, a partibus contrahentibus præstari debet. — 36. Prætendens servitutem transitus debet probare transitum jure servitutis successive, cum potuerit esse jure familiaritatis. — 37. Ubi aliunde transitus haberi non possit, tenetur quis dare transitum in suo fundo, loquendo de transitu publico. — 38. Loquendo autem de transitu seu usu privato, potest quidem quis transire per fundum vicini, si aliunde viam habere nequeat. At debet solvi pretii æstimatio, et est in electione vicini dare transitum in parte sibi benevisa. — 39. Cessat autem servitus hujusmodi, si constet fuisse antiquitus practicatam aliam viam. — 40. Et si id non constet, justificandum est, usum transitus fuisse jure servitutis, credendo uti jure suo, sciente et patiente domino fundi, quod in dubio non præsumitur. — 41. Servitus aquæ ducendæ non solum ex capite vel fonte, sed etiam ex quacunque parte fundi constitui potest. — 42. Et talis servitus aquæ ducendæ constitui potest, sive per continuum fluxum sive per intervalla temporis, nempe pro certis diebus et horis — 43. Item talis servitus constitui potest, ut aqua dividatur per mensuras, scilicet per uncias et digitos. — 44. Circa aquæ cursum, quæ sint specialiter attendenda? — 45. In præjudicium alterius non licet antiquum aquæ cursum alterare. — 46. Quamvis dominus, per cujus fundum aqua ducitur, rivum et canale mutare possit, hoc tamen solum permittitur ad effectum, ut aqua per rivum novum ducatur ratione commodioris usus sui prædii. — 47. Aquæ servitus non acquiritur ex cursu naturali, ejusque usu, etiamsi per mille annos fluxerit in fundum inferiorem. — 48. Dominus fundi inferioris tenetur recipere aquam fundi superioris, si agatur de ejus naturali fluxu vel decursu, quem situs qualitas causet absque industria et opere manufacto. — 49. Si autem agatur de aquæ fluxu seu decursu proveniente ex hominum industria et opere manufacto, dominus fundi inferioris non tenetur recipere sibi præjudicialem aquam fundi superioris. — 50. Servitus in ecclesia cadit sub Extravagant., *Ambitiosæ*. — 51. Hinc servitus cryptæ et aditus subterranei, servitus fenestræ seu prospectus, servitus portæ seu transitus a domibus privatorum in ecclesias haberi non potest sine speciali indulto Apostolico. — 52. Subnectuntur *additiones ex aliena manu*, ad num. 85.

(1. Servitutis nomen dupliciter accipitur a juristis. Primo nempe pro subjectione seu obligatione, qua res seu persona unius est obligata alteri, ut ipsi quodammodo serviat, et in hoc sensu mancipia dicuntur premi servitute. Secundo autem modo accipitur pro jure illo, quod ex parte alterius correspondet dictæ obligationi, et in hac posteriori acceptione jurisperiti frequentius sumunt servitutem uti nos in præsenti, nempe pro jure fruendi vel utendi aliquo modo re aliena, vel aliquid circa eam impediendi.

(2. Servitus ut sic, est jus, quo adimitur aliquid libertati, quam dominus in re sua habet, et id conceditur personæ vel rei alienæ. Est in re communis, et desumitur ex l. *Quoties*, ff. *De servitutibus*.

(3. Servitus ut sic, dividitur in servitutem, personalem, realem et mistam. Servitus personalis, quæ debetur a persona personæ, est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Sic expresse in § *Servitus*, inst. *De jur. personar.*, ubi nota quod ponitur ly *contra naturam*, quia, ut docent communiter doctores cum Scoto, in 4, dist. 46, quæst. unica, quantum est de jure naturæ, omnes homines nascuntur liberi (59).

(59) Servitus personalis antiquo et medio ævo in usu fuit apud Romanos, aliasque gentes. Exstat de omni servorum apud Romanos præsertim genere, eorumque officiis egregius Laurentii Pignorii libet

Digitized by Google

*Non omnes servitutes personarum a personis debentur personis, sed quædam sunt servitutes, quæ personis quidem debentur, sed a rebus, vel propter res debentur. Ita recte distinguit Marcianus in l. 1, ff. *De servit.* : « Servitutes aut personarum sunt, aut usus, et usufructus, aut rerum, ut servitutes rusticorum prædiorum. » Servitutes autem prædiorum aliæ in solo, aliæ in superficie consistunt. L. 3, ff. eod. *.

(4. Servitus realis, quæ debetur a re rei, est quoddam jus prædio inhærens, et ipsius utilitatem respiciens, et alterius prædii jus, sive libertatem diminuens. Sic expresse Bartol., in l. 1, ff. *De servit.*, ubi nota, quod nomine *prædii* intelliguntur etiam agri, vineæ, domus, aliæque res servituti obnoxiæ.

(5. Servitus mista, quæ debetur a re personæ, est jus quoddam, quod habet persona aliqua utendi, fruendique rebus alienis, ut cum prædium alicujus servitutem debet alienis personis. Rota, part. I, dec. 199, num. 2, part. III, decis. 236, num. 1.

(6. Servitus realis, alia est urbana et alia rustica. Servitus realis *urbana* est illa, quæ debetur prædio urbano, sive ab urbano, sive a rustico prædio debeatur, dummodo urbano serviat. Pro dignoscenda enim qualitate servitutis realis inspiciendum est prædium, cui ea debeatur, ut ejusdem conditionis sit ac servitus ; unde servitus realis erit semper urbana, si prædium, cui debetur servitus, sit urbanum, quamvis a prædio rustico debeatur : servitus autem realis *rustica* est illa, quæ debetur prædio rustico. Patet id ex tot. tit. institut. et ff. *De servitutib. prædior. urbanorum et rusticorum.*

(7. Nomine prædii urbani in jure venit omne ædificium habitandi gratia factum, sive ruri, sive in urbe exsistat, una cum horto ipsi causa amœnitatis annexo. L. *Urbana* 198, ff. *De verb. signific.*, ibi : « Urbana prædia omnia ædificia accipimus, non solum ea, quæ sunt in oppidis, sed et si forte stabula sunt, vel alia meritoria in villis et in vicis, vel si prætoria voluptati tantum deservientia, quia urbanum prædium, non locus facit sed materia ; proinde hortos quoque, si qui sunt in ædificiis constituti, dicendum sit urbanorum appellatione contineri. » Et concordat, § *Prædium*, instit. *De servitutib.* Nomine autem prædii rustici venit id, quod colligendorum vel percipiendorum causa fructuum factum est, ut stabulum, horreum, ager, et hujusmodi, quæ non habitandi gratia erecta sunt, simulque ab ædificiis urbanorum prædiorum separata. L. *Eo jure utimur* 4, ff. *In quibus causis pignus*, etc., ibi : « Stabula, quæ non sunt in continentibus ædificiis, quorum prædiorum ea numero habenda sint, dubitari potest : et quidem urbanorum sine dubio non sunt, cum a cæteris ædificiis separata sint. » Et concordat cit. l. *Urbana* 198, ff. *De verb. signif.*, ibi : « Plane si plurimum horti in reditu sunt, vinearii forte, vel etiam olitorii, magis hæc non sunt urbana. »

(8. Prædium, cui servitus debetur, vocatur *dominans*. Alterum autem prædium, quod patitur servitutem, appellatur *serviens*. Sic communiter apud juristas, et Rota par. III, rec. dec. 239, n. 7 et 77.

(9. Servitus realis urbana adhuc est duplex, nempe affirmativa et negativa. Servitus affirmativa est illa, quæ exprimitur verbis affirmativis. Negativa econtra est illa, quæ exprimitur verbis negativis. *Communis.*

(10. Servitutes urbanæ tum affirmativæ, tum negativæ plures sunt, de quibus § *Prædiorum* 1, instit. *De servitutibus*, l. *Si intercedat* 1, l. *Urbanorum* 2, l. *Est et hæc* 3, l. *Luminum* 4, l. *Inter servitutes* 15, l. *Lumen* 16, l. *Si arborem* 17, l. *Fistulam* 19, l. *Servitutes* 20, l. *Si domus* 21, cum aliis similibus, ff. *De servitutibus prædiorum urbanorum*, l. *Altius* 8, l. *Si in ædibus* 9, cum similibus, cod. *De servitutibus et aqua*, atque per ordinem referuntur *in arbore servitutum*, *quæ est præfixa*, leg. 8, ff. tit. 2, *De servitutibus.*

(11. Et inter servitutes urbanas affirmativas signanter connumeratur *servus stillicidium avertendi*, id est jus derivandi stillicidium domus suæ in domum, vel aream vicini. Item *servitus projiciendi*, id est jus, quo quis ex fundo suo urbano in solum vicini aquam, aut fimum, aut quisquilias ei projicere licet. Item *servitus tignum immittendi*, et est jus, quo quis tignum, id est trabem super parietem sui vicini immittere potest. Item *servitus protegendi*, et est jus, quo alicui licet ædes suas protendere in solum vicinum, et sic in aream projicere ac porrigere mœnianis subgrundis, vel pensilibus ambulariis, ut tamen in vicino solo, vel pariete non insideant, nec conquiescant. *Protegere* enim est tectum projicere. *Mœniana* autem sunt quædam exterius porrecta ædificia ; et *subgrundia* pars tecti ultra structuram ædium projecta, et præeminens. Item *servitus prospectus*, *servitus luminum*, *servitus altius tollendi*, et hujusmodi, de quibus late in t. institut., ff. et cod. *De servitutibus*, etc., et signanter in *Legibus supracitatis*, præcipue in l. *Urbanorum* 2, ff. *De servitutibus prædiorum urbanorum*, ibi : « Urbanorum prædiorum jura talia sunt : altius tollendi et officiendi luminibus, vicini.... Item stillicidium avertendi in te-

De servis, Patavii 1693, et sæpe alibi. Alia tamen in eo reprehendit cl. Muratorius in dissertatione de servis inter societatis Florentinæ Columbariæ commentarios excusa. Legi quoque meretur Joannes Hermannus Stamm in tribus libris *De servitute personali*, Francofurti 1625, quorum primus veteris et recentis ævi jura circa servos prosequitur, secundus de *famulis* agit, tertius *de hominibus propriis*. A cultioribus Europæ provinciis pene exsulat hodie servitus personalis ; sed nihil apud Indos communius. Non omittenda hic *servitus pœnæ*, ad quam non solum a Romanis idololatris damnatos Christianos novimus ex Tertulliano, *Apolog.*, cap. 29, sed etiam ipsum apostolum Paulum Philippis discimus ex apostolorum Actis, c. XVI. Gorius legendus in *Symbolis litterariis Romanæ decadis* vol. 9, ubi pag. 78, iterum dedit Jo. Conradi Stiglizii, *De servitute pœnæ S. Pauli apostoli* librum.

Digitized by Google

ctum, vel aream vicini.... Item immittendi tigna in parietem vicini, et denique projiciendi, protegendive, cæteraque illis similia.

(12. Inter servitutes urbanas negativas signanter connumeratur *servitus stillicidium non avertendi*, et est jus, quod quis habet, ne vicinus stillicidium suum in domum, vel aream ipsius derivet, seu faciat cadere. L. *Urbanor.* 2, ff. *De servitutib. prædior. urbanor.* Item *servitus ne luminibus officiatur*, et est jus, quod quis habet, ne alter lumina sua per ædificationem ædium, vel plantationem arborum auferat, aut obscuriora reddat. L. *Luminum* 3, et l. *Inter servitutes* 15, ff. *De servit. prædior. urbanor.* Item *servitus, ne prospectui officiatur*, et est jus, quod quis habet, ne quid ei officiatur ad gratiorem et liberiorem prospectum. L. *Inter servitutes* 15, ff. *De servitut. prædior. urbanor.* Item *servitus altius non tollendi*, et est jus, quo quis potest inhibere vicino, ne altius ædificium extollat. Cit. l. *Urbanor.* 2, ff. *De servitut. prædior. urbanor.*, t. *Altius*, e servitutibus et aqua, l. *Si ædibus* 9, cod. eod.

(13. Servitus realis rustica est duplex, scilicet nominata et innominata. Servitus *rustica nominata* est illa, quæ nomen habet a jure impositum, et hujus sunt quatuor species, nempe iter, actus, via et aquæductus, textu expresso in l. *Servitutes rusticorum prædiorum sunt hæ: iter, actus, via, aquæductus*, et concordat § *Rusticorum*, instit. *De servitut.*, ibi: « Rusticorum prædiorum jura sunt hæc, iter, actus, via, aquæductus. »

(14. *Iter* est jus eundi, ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi, aut vehiculum, textu expresso in cit., § *Rusticorum*, instit. *De servitut.*, et cit. l. *Servitutes rusticorum* 1, ff. *De servit. prædior. rusticor.* Id autem, quod dicitur de jumento, intelligendum est solum de jumento separato ab ipso homine; nam qui habet jus itineris, potest etiam super equum sedens, vel lectica portatus incedere. L. *Qui sella* 7, et l. *Inter actum* 12, ff. *De servitut. prædiorum rusticorum.*

(15. *Actus* est eundi, ambulandi hominis, agendi jumentum, vel vehiculum. Itaque qui habet iter, actum non habet; qui autem habet actum, habet etiam iter, eoque uti potest etiam sine jumento, textu expresso in cit. § *Rusticorum*, et cit. leg. *Servitutes rusticorum.*

(16. *Via* est jus eundi et agendi, et ambulandi: via enim continet in se iter, et actum, et insuper jus trahendi tignum, seu trabem, aut saxum et rectam hastam ferendi. Cit. § *Rusticorum*, et l. *Servitutes rusticorum*, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Continet*, et concordat lex *Qui sella* 7, ff. eod..

(17. *Aquæductus* est jus ducendi aquam per fundum alienum, textu expresso in cit. § *Rusticorum*, et cit. l. *Servitutes rusticorum*, ibi: « Aquæductus est jus aquæ ducendæ per fundum alienum. »

(18. Servitus *rustica innominata* est illa, quæ non a jure nomen habet impositum, sed ab actu denominatur, et hæc etiam est multiplex. Prima dicitur *aquæ haustus*, et est jus hauriendæ aquæ de puteo vicini; § *Inter rusticorum* 2, instit. *De servitutibus prædiorum*, l. *Servitutes* 1, § 1, ff. *De servitutibus prædiorum rusticorum.* Item *pecoris ad aquam appulsus*, et est jus appellendi ad aquam pecora per fundum vicini, cit. § *Inter rusticorum*, et cit. l. *Servitutes.* Item *jus pascendi*, et est jus, quo in alieno pascuo licet pascere boves, pecus et equos prædii proprii causa. Cit. § *Inter rusticorum*, et cit. l. *Servitutes* 1, cum sequentibus, ff. *De servitutibus prædior. rusticor.* Item *calcis coquendæ*, et est jus, quo quis in fundo vicini ad utilitatem proprii prædii rustici potest coquere calcem. Cit. § *Inter rusticorum*, et cit. leg. *Servitutes.* Item *Arenæ fodiendæ*, et est jus, quo quis potest ex vicini fundo arenam, cretam seu lapides effodere ad proprii rustici prædii utilitatem, cit. § *Inter rusticorum*, et cit. l. *Servitutes*, et sic de similibus.

(19. Servitus realis dividitur insuper in continuam, quasi continuam et discontinuam. *Communis.*

(20. *Servitus realis continua* est illa, cujus et causa, et usus perpetuo durat, vel actu, vel potentia circa continuam hominis operam, ut servitus aquæductus, tigni immittendi, lumen et prospectum habendi, et hujusmodi. *Communis.* (21. *Servitus quasi continua* est illa, cujus usus perpetuo durat, potestate quidem, sed non actu, ut servitus stillicidii, servitus arenæ fodiendæ, calcis coquendæ, et hujusmodi. *Communis.* (22. *Servitus discontinua* est illa, cujus usus est in hominis actione, quæ, cum assidua non sit, nec esse possit, discontinua dicitur; ut iter, actus, aquæ haustus, et hujusmodi. *Communis.*

(23. Servitus mista est triplex, nempe ususfructus, usus et habitatio. *Communis.* (24. *Ususfructus* est jus alienis rebus utendi-fruendi, salva earum substantia. *Communis*, textu expresso, § *Ususfructus*, instit. *De usufructu*, ibi: « Ususfructus est jus alienis rebus utendi-fruendi, salva rerum substantia. »

(25. *Usus* est jus utendi tantum rebus alienis, salva earum substantia. *Communis* per text. in § instit. *De usu et habitatione*, et in l. *Cui usus* 2, ff. eod.

(26. Unde minus juris est in usu, quam in usufructu, et cui usus alicujus rei legatus est, uti quidem potest, frui vero eadem non potest. *Communis*, textu expresso in cit., § 2, instit. *De usu et habitat.*, ibi: « Minus autem juris est in usu quam in usufructu. Nam is, qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius habere intelligitur, quam ut oleribus, pomis, floribus, feno, stramentis et lignis ad usum quotidianum utatur. In eoque fundo hactenus ei morari licet, ut neque domino fundi molestus sit, neque iis, per quos opera rustica fiunt, impedimento, neque ulli alii jus, quod habet aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest. Cum is, qui usumfructum habet, possit hæc omnia facere: » et concordat l. *Planum* 12, ff. *De usu et habitatione*, ubi varie istud

Digitized by Google

exemplificatur, et signanter de illo, cui usus pecorum relictus est, qui potest quidem pecoribus uti ad stercorandum, et hujusmodi. At non potest pecorum fetus, ut lanam, aut lac, nisi in modica quantitate, et quatenus ad victum quotidianum opus habet, *ibi*, § 2: « Sed si pecoris ei usus relictus est, puta gregis ovilis, ad stercorandum usurum duntaxat, Labeo ait: sed neque lana, neque agnis, neque lacte usurum, hæc enim magis in fructu esse. Hoc amplius etiam modico lacte usurum puto, neque enim tam stricte interpretandæ sunt voluntates defunctorum. » Et sic de aliis consimilibus, ut *ibi*, in cit. l. *Planum* videre est.

(27. Habitatio est jus alienas ædes inhabitandi, easque etiam commodandi et locandi. *Communis*, per text. in § *Sed si cui* 5, instit. *De usu et habitatione*, ibi: « Sed si cui habitatio legata, sive aliquo modo constituta sit, neque usus videtur, neque ususfructus, sed quasi proprium aliquod jus, quanquam habitationem habentibus propter rerum utilitatem secundum Marcelli sententiam nostra decisione promulgatam permisimus non solum in ea degere, sed etiam aliis locare. »

(28. Servitutem allegans tenetur eam probare. Rota, part. XIV recent. decis. 416, num. 2, part. XVIII, t. II, decis. 667, num. 3. Et quidem plene et concludenter. Rota, part. V, tom. II, decis. 588, n. 7, decis. 590, num. 1, part. XIV, decis. 399, num. 1. Nec sufficit quasi possessio. Rota, part. IV, tom. II, decis. 101, num. 2, part. XVII, decis. 31, num. 14. Et quidem probare debet eam acquisivisse, vel ex pacto vel ex testamento, vel ex præscriptione. Rota, part. IV, t. II, decis. 101, nu. 3, part. XIV, decis. 398, num. 3, decis. 316, num. 3.

(29. Quodnam tempus requiratur ad præscribendam servitutem, sive personalem, sive realem, tam affirmativam, quam negativam, tam rusticam, quam urbanam continuam, quasi continuam, et discontinuam, sive mistam? *Vide* verb. PRÆSCRIPTIO, § 5, a n. 24 ad 29.

(30. In servitutibus affirmativis possessio acquiritur facto. L. *Si quas* 1, l. *Si aquam* 2, cod. *De servitut. et aqua*; Gratian., tom. I, disceptat. 89, n. 19; Panimoll., decis. 24, adnot. 1, n. 1, et alii passim. (31. In servitutibus autem negativis acquiritur per prohibitionem, ne aliquid fiat, et acquiescentiam prohibiti. L. *Sequitur*, § *Si viam*, ff. *De usucap.*, l. *Qui luminibus*, ff. *De servitutib. urban. prædior.*; Bald., in l. II, n. 54, vers. *Sed quæritur an per obedientiam ibi, et hoc verum*, cod. *De servitut. et aqua*; Panimoll., *loc. cit.*, n. 2; Gratian., *loco cit.*, n. 18, 19 et 20; Burat., decis. 38, n. 4.

(32. Hinc dominus allegans præscriptionem in servitutibus negativis adversus subditos, tenetur probare prohibitionem, patientiam et obedientiam. Gratian., disceptat. 364, n. 44; Afflict., decis. 388, n. 10; Thesaur., decis. 16, num. 8; Aym., consil. 861, n. 6; Ferentill., in *Addit. ad Burat.*, decis. 38, n. 8; Panimoll., *loco cit.*, n. 3, et alii. (33. Unde in servitutibus negativis non incipit currere præscriptio, nisi a die prohibitionis. Glossa celebris communiter recepta in l. *Qui luminibus*, ff. *De servitutib. urbanor. prædior.*; Rota, part. V, tom. II, recent. decis. 265, n. 36, part. VII, decis. 233, n. 59; Ripa in cap. *Cum Ecclesia Sutrina*, n. 50. De caus. possess. et propriet.; Burat., decis. 38, n. 4; Panimoll., *loco cit.*, n. 6, et alii passim.

(34. In materia servitutum conventiones sunt servandæ. Rota, part. IV, tom. I, decis. 250, n. 2. Quæ tamen debent esse claræ et expressæ. Rota, part. XVII, recent. decis. 252, n. 1.

(35. Viæ, seu transitus servitus a partibus contrahentibus præstari debet. Rota, part. XV, recent. decis. 402, n. 1. (36. Prætendens servitutem transitus debet probare transitum jure servitutis successive, cum potuerit esse jure familiaritatis. Rota, part. XIV, recent. decis. 398, n. 5.

(37. Ubi aliunde transitus haberi non possit, tenetur quis dare transitum in suo fundo, loquendo de publico, quia nempe via publica sit corrupta seu perempta. Card. de Luca, *De servitutib.*, disc. 23, sub n. 8, et disc. 94, n. 4. (38. Loquendo autem de transitu seu usu privato, potest quidem quis transire per fundum vicini, si aliunde viam habere nequeat; at debet solvi pretii æstimatio, et est in electione vicini dare transitum in parte sibi benevisa. Rota, part. V recent., tom. II, decis. 101, n. 25 et 26, part. XIV, decis. 398, n. 11 et 12; card. de Luca, *De servitut.*, discur. 23, sub. n. 8. (39. Cessat autem servitus hujusmodi, si constet fuisse antiquitus practicatam aliam viam. Rota, part. IV, tom. II, decis. 101, n. 27. (40. Et si id non constet, justificandum est usum transitus fuisse jure servitutis credendo uti jure suo sciente et patiente domino fundi, quod in dubio non præsumitur. Card. de Luca, *De regalibus*, disc. 136, n. 3; *De servitutibus*, disc. 95, n. 3.

(41. Servitus aquæ ducendæ, non solum ex capite, vel fonte, sed etiam ex quacunque parte fundi constitui potest. *Communis*, textu expresso in l. *Servitus aquæ ducendæ* 9, ff. *De servitutib. prædior. rusticor.*, ibi: « Servitus aquæ ducendæ vel hauriendæ, nisi ex capite vel ex fonte constitui non potest. Hodie tamen ex quocunque loco constitui solet. »

(42. Et talis servitus aquæ ducendæ constitui potest, sive per continuum fluxum, sive per intervalla temporis, nempe pro certis diebus et horis. L. *Rusticorum* 2, § *Si aquæductus*, ff. *De servitutib. præd. rusticor.*, l. *Si constituta*, l. *Si is, cui*, in princip., ff. *Quemadmodum servitus amittatur*, cum aliis per Cæpol, *De servitutib. rust. præd.* c. 86, n. 52, (43. Item talis servitus constitui potest, ut aqua dividatur per mensuras, scilicet per uncias et digitos. L. *Cum essent* 33, l. *Cum Lucius* 37, ff. *De servitutib. præd. rust.*

(44. Circa aquæ cursum tria sunt specialiter attendenda, scilicet lex, id est pactum, natura et vetustas, adeo ut lex ac natura

Digitized by Google

alterari non debeat, et quando apparet de vetustate et antiqua consuetudine, illi omnino standum sit. L. *Si cui aqua*, § 1, § 12, § 22, ff. *De aqua et aquæ pluviæ arcendæ;* Bero, consil. 144, num. 39, circa med. volum. 3. et alii passim.

(45. Hinc in præjudicium alterius non licet antiquum aquæ cursum alterare. L. *Unica*, vers. *Generaliter*, ff. *Ne quid in flumin. public.*, l. 1, § *Non autem*, ff. *De flumin.;* Rota, part. IV, tom. II, recentior. decis. 61, n. 2; Menochius, consil. 999, n. 12, et alii passim.

(46. Quamvis enim dominus, per cujus fundum aqua ducitur, rivum et canale mutare possit juxta glossam communiter receptam in l. *Si cui*, in ult. Gloss., ff. *De servitut.* Hoc tamen solum permittitur ad effectum, ut aqua per rivum novum ducatur ratione commodioris usus sui prædii, non autem ad effectum faciendi novum opus, et dummodo hujusmodi mutatio non noceat habenti servitutem aquæ ducendæ. L. *Prætor ait* 1, in princip., ff. *De rivis;* Glossa, in l. *Si cui*, ff. *De servit.*, cum aliis cumulatis per Bero, consil. 144, n. 20, vol. 3.

(47. Aquæ servitus non acquiritur ex cursu naturali, ejusque usu, etiamsi per mille annos fluxerit in fundum inferiorem propter libertatem ex eodem naturali cursu conservatam, cum res animæ expers, prout est in aqua, nullum jus tribuere possit, nisi concurrat actus hominis ad text. in l. *Proculus*, ff. *De damnis infectis;* Rota, part. IV, tom. II, recent. decis. 425, n. 3 et seq., et sacre alibi ; Mascard, *De probationib.*, conclus. 123, n. 14 ; Veronen., *De servit. aquæduct.*, n. 57, controvers. 310, n. 156; Marin., controvers. 16; Cancer., *Variar. resolut.*, part. III, cap. 5, n. 241, et alii passim.

(48. Dominus fundi inferioris tenetur recipere aquam fundi superioris, si agatur de ejus naturali fluxu vel decursu, quem situs qualitas causet, absque industria et opere manufacto; in tali enim casu dominus fundi inferioris prohibere non potest, ne aqua pluvialis, vel alia fundi superioris in eum decurrat. L. *Si cui* 1, § 10, 13, 22, ff. *De aqua et aquæ pluviæ arcendæ*, l. *Si aquæductus* 47, ff. *De contrahend. emption.;* Rota, part. XIV, recentior. decis. 461, n. 10; Surd., consil. 17, n. 14 et 27, consil. 23, n. 9 ; cardinal. de Luca, *De servitutibus*, decis. 93, n. 3, cum aliis ibi citatis. (49. Si autem agatur de aquæ fluxu, seu decursu proveniente ex hominum industria et opere manufacto, dominus fundi inferioris non tenetur recipere sibi præjudicialem aquam fundi superioris. L. *Si cui aqua* 1, § 1 et 13, ff. *De aqua, et aquæ pluviæ arcendæ.* Sic cardin. de Luca, *loco cit.*, n. 3, cum pluribus aliis ibi citatis, ubi ut supra conciliat leges, quæ in hoc videntur esse contrariæ.

(50. Servitus in Ecclesia cadit sub Extravagant. *Ambitiosæ;* card. de Luca, *De servitutib.*, disc. 17 per tot, *De alien.*, disc. 18, n. 8, *De præeminent.*, disc. 26, n. 13, et alii communiter; adeoque neque ei servitus passiva imponi, nec activa alienari potest sine Beneplacito Apostolico. Quaranta, in *Summa Bullar.*, verb. *Alienatio*, n. 22; Conrad., *Prax. dispensation.*, l. 9, cap. 4, n. 15; Monacell., tom. I, tit. 5, formul. 15, n. 20, ubi refert, sic expresse declarasse sac. cong. Concil., *in Albanens.* 21 Junii 1698, in qua agebatur de impositione servitutis immittendi tigna, et appodiandi super muros conventus PP. minorum conventualium.

(51. Hinc servitus cryptæ, et aditus subterranei, servitus fenestræ, seu prospectus, servitus portæ, vel transitus a domibus privatorum in ecclesias haberi non potest sine speciali Indulto Apostolico. *Vide* verb. Ecclesia, art. 5, verb. Fenestræ, verb. Porta, verb. Prospectus, ubi afferuntur ad id decreta.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Sufficere nic arbitramur, si aliqua addamus de servitutibus realibus in genere.

(52. Reales servitutes a prædiis dominantibus dicuntur vel urbanæ vel rusticæ. Prædia autem dicuntur vel urbana, vel rustica, ratione usus et destinationis.

(53. Utilior est servitutum distinctio in affirmativas, quæ in faciendo, et negativas, quæ in non faciendo consistunt. Illæ quasi traditione acquiruntur, hæ nuda promissione. Illæ præscribuntur ordinario modo, hæ vero requirunt prohibitionem alterius cum servientis acquiescentia conjunctam

(54. Denique ex male intellecta l. 14, ff. *De servitutib.*, doctores distinxerunt continuas a discontinuis ; illas dicentes, quarum usus continuo adest : has vero, quæ non habent certum continuumque exercitium, et proinde has impræscriptibiles dicunt, non illas.

(55. In omni vero servitute reali quatuor necessaria sunt. I. Legitima constitutio a parte concedentis; II. Legitima acquisitio respectu acquirentis; III. Duo, eaque vicina prædia, quorum alterum alteri præstet utilitatem. His addunt IV, causam perpetuam.

(56. Quod ad primum attinet, constituitur aliquando servitus a judice. L. 22, § 3, ff. *Famil. erciscund.*, ut plurimum vero a privato. (57. Hic, ut legitime constituat servitutem, debet habere dominium irrevocabile prædii : qui enim revocabile habet dominium, vix in sui præjudicium servitutem constituere valet. Confer Stryk, *in usu modern. Pandect.*, l. 8, tit. 1, § 10. (58. Tum habere debet dominium totius rei : rei etenim communi nec pro parte sua imponere dominus potest servitutem. L. 2, ff. *De servit.*, l. 6, § 1, ff. *Commun. Præd.* Adi Donell., *Comment. jur. civil.*, lib. XI, cap. 9, lit. *C* et sequent., et liberam demum potestatem disponendi habere debet. (59. Fit inde, quod proprietarius non aliter, quam cum consensu usufructuarii imponere servitutem potest fundo usufructuarii, per l. 15, ff. *De usufruct.* ubi pro *Ne quidem* legi debet, *Equidem*, ut l. 6, eod. declarat Bynkershœk, lib. I, observ. 11.

(60. Quod vero concernit secundum, de jure Romano tantum quilibet sibi servitu-

Digitized by Google

tem acquirere poterat. L. 5, c. *Commun. præd.* Sed aliter hodie. *Vide* Stryk., *in usu modern. pandect.*, tit. *Commun. præd.*, § 5; Schilter., exercit. 18, § 35.

(61. Acquiritur ultima voluntate, adeoque statim a morte testatoris transit. L. 19, § 1, ff. *Quemadmodum servitus amitt.* (62. Inter vivos per expressas conventiones accedente in affirmativis quasi traditione, seu patientia, et usu, vel inductione in prædium. (63. Ipso facto seu tacita voluntate non facile constituitur. L. 36, ff. *De servit. præd. urban.*, l. 1, ff. *De servit. legat.* Consule Hertium, dissert. *De servit. fact. constit.*, nisi usus rei legatæ foret inutilis. L. 30, *De servitut. præd. urban.*, l. 7, pr. L. 10, cap. *Commun. præd.*

(64. Acquiritur itidem præscriptione; si contra ipsum dominum possidentem sine titulo servitus exercetur, accedente scientia et patientia ejus. L. 1, pr. *Si servit. vindic.*, l. 2, c. *De servit.* (65. Tempus immemoriale olim vice tituli erat. L. 1 in fin., l. 2 princip., § 5, 6 et 7, leg. 23 in fin., *De aqua et aquæ pluv. arcend.* (66. Jure novo sufficit longissimi temporis præscriptio. (67. Si a non domino alteri constituta est bona fide accedente, et titulo etiam 10 vel 20 annis acquiritur. L. 2 in fin., c. *De præscript. longi tempor.* (68. Sed in discontinuis, ut plurimum immemoriale tempus hodie desiderant, quod per errorem in quibusdam locis introductum. Stryk., in *Usu modern. Pandect.*, tit. *De servit.*, § 6; *Muller. ad Struv.*, exerc. 13, thes. 39, litt. *K*.

(69. Quoad tertium inter duo prædia desideratur vicinia. L. 39, ff. *De serv. præd. urban.* leg. 5, ff. *De servit. præd. rustic.* (70. Ut non semper immediata esse debeat, nisi quam natura rei postulat. L. ultim., ff. *De servit. præd. rustic.*, l. 1, l. 14, ff. *De serv. præd. urb.*; Franzk., ad. tit., ff. *De servit.*, n. 28 et seq. Adde Donell., *Commentar. jur. civil.*, lib. XVII, cap. 2.

(71. Requiritur præterea ut alterum alteri præstet utilitatem, quæ non tantum ex commodo, sed etiam, luxu civitatum aucto, ex amœnitate æstimatur, ob quam etiam vicini sæpe interesse potest. L. 15, ff. *De servit.*, l. 3, § 1, ff. *De aqu. quotid. et æstiv.*; Noodt, lib. I *Probabil. jur.*, cap. 2, (72. præsertim in locis, in quibus voluptas in pretio est, in quibus meliorem prædiorum causam faciat. L. 6, ff. *De serv. præd. rustic.*

(73. Id vero, ubi non est servitus realis. L. 8, princip., ff. *De servit.* (74. Præstat autem utilitatem ordinarie omnibus fundi partibus. L. 23, § 3, ff. *De serv. præd. rustic.* Similiter ubi indefinite concessa, totus fundus servit. L. 21, eod. Civiliter tamen alter servitute uti debet; l. 9, ff. *De servit.* (75. Adeoque legatarius audiendus, si hæres per certam partem fundi velit servitutem assignare. L. 26, *De serv. præd. rustic.* (76. Aliquando etiam per arbitros hæc res determinatur. Confer Mev., part. III, decis. 372.

(77. Notandum vero quod ita utilitas est præstanda, ut alterum prædium aliquid patiatur, aut non faciat; de jure enim Romano nulla in faciendo consistit servitus. L. 15 in fin., ff. *De servit.* (78. Promissio hæc operatur obligationem mere personalem, quæ tertium possessorem non stringit. L. final. in fin., ff. *De contr. empt.*; Adi Stryk., *in usu modern. pandect.*; tit. *De servit.*, § 3. (79. Num autem hodiernis moribus servitus in faciendo consistere queat, *vide* Titium, *De servit. in faciendo consist.*

(80. Reliquum est, ut de quarto disseramus. Requirunt servitutes causam perpetuam seu naturalem. L. 28, ff. *De serv. præd. urb.*, quia servitutes natura sua sunt perpetuæ. (81. Admissæ vero fuerunt jure prætorio ex æquitate contra subtilem antiquorum jurisconsultorum philosophiam, seu contra jus civile, servitutes temporales. L. 4, ff. *De servit.* (82. Quia et hodiernis moribus non amplius hoc quartum requisitum in usu est. Qua de causa servitus foraminis hodie datur. Stryk., in *Usu modern. PP.*, tit. *De servit. præd. urban.*, § 18.

(83. Effectus constitutæ servitutis est a parte servientis prædii, quod nihil possit facere in præjudicium dominantis. L. 14, ff. *De servit. præd. rustic.* Omnia concedere debeat, sine quibus servitus exerceri nequit. L. 20, § 1, § *De servitut. præd. urban.* (84. A parte dominantis, quod perpetuo possit servitute uti, nisi ad tempus fuerit constituta, l. 4, ff. *De servit.*, non vero aliis rursus concedere; l. 24, ff. *Locati*, aut ultra prædii necessitatem eam extendere; l. 24, ff. *De serv. præd. rustic.*, quatenus prædio servienti inde nocetur; dict. l. 24. (85. Pactis tamen plus concedi potest, quam servitutis ratio permittit; l. 33, § 1, ff. *De serv. præd. rustic.*; Noodt., lib. I *Probabil.*, cap. 31.

SIGILLUM.

SUMMARIUM.

1. Sigillum pro annulo, et annulus pro sigillo usurpabatur antiquitus. — 2. Sigillorum usus fuit antiquissimus penes principes pro jurisdictione communicanda subditis per annuli traditionem. — 3. Imo usque ab origine mundi hos annulos pro obsignando fuisse traduntur multi. — 4. Sigilli nomen unde deducatur? — 5. Sigillum quid sit? — 6. Sigillum debet esse tale, ut deducat in notitiam sigillantis. — 7. Et si contineat imaginem, debet imago esse conformis originali. — 8. Sigillum dividitur in authenticum, in non authenticum: et quale sit utrumque. — 9. Quatuor sunt, quibus redditur sigillum vacillans, ac detrahitur ejus fidei, et assignantur usque ad num. 12. — 13. Sigillum dividitur insuper in publicum, et privatum, et quale sit utrumque. — 14. Sigillum probabilius non plene probat, nec plenam facit fidem sine subscriptione sigillantis in testamentis scriptis, sicut et in aliis casibus; ubi agitur de magno præjudicio, aut de jure vel consuetudine requiritur subscriptio. — 15. Opposita autem sententia est etiam probabilis. — 16. Scripturæ seu instrumenta, quæ habent sigillum authenticum seu publicum, plene probant. — 17. Scripta autem sigillo privato munita probant quidem, et valent in præjudicium illorum, qui ea scripserunt; non vero ad commodum eorum, nisi ab adversario fuerint approbata. — 18. Testamen-

Digitized by Google

ta, privilegia, et hujusmodi, in quibus sigillum est de solemnitate et substantia actus, absque dicto sigillo non habent vim probandi. — 19. Extra autem dictos casus, ac regulariter loquendo, sigillum in instrumentis ad substantiam actus non adhibetur, sed solum ad faciliorem ejusdem actus probationem. — 20. Sigillans scripturam videtur fateri omnia contenta in ipsa. — 21. Sigillum cum propriis insignibus habere debent omnia collegia, conventus, prælati, abbates, archidiaconi, et superiores omnes, ac officiales, et eo uti debent pro scripturis authenticis. — 22. Sigillo aureo vel argenteo uti non possunt regulares. — 23. Minister generalis O. S. P. N. Francisci de Observantia legitime usus fuit, et uti potest sigillo cum inscriptione *Minister Generalis totius ordinis Fratrum Minorum.* — 24. Afferuntur ad id decreta cum aliis ad rem ad num. 33.

(1. Sigillum pro annulo, et annulum pro sigillo usurpatum fuisse antiquitus ex Tacito, et aliis probat Cironius, ad tit. *De his, quæ fiunt a majori parte capituli,* et patet etiam ex utroque jure, ut in cap. *In nomine Patris* 1, distinct. 73, et in l. *Signatorius* 74, ff. *De verbor. significat.*, et l. *Argumento* 25, § *Ornamenta*, ff. *De auro et argento legato.* Idque etiam docent plures alii doctores cum cardinale Petra, *Commentar. ad constitut. Apostolic.*, § 3, *Proœmialis*, n. 48.

(2. Sigillorum usus fuit antiquissimus penes principes pro jurisdictione communicanda subditis per annuli traditionem, ut patet ex lib. *Esther*, III, ibi: *Tulit ergo rex annulum, quo utebatur, de manu sua, et dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag hosti Judæorum, dixitque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit, de populo age, quod tibi placet.* Et infra: *Litteræ signatæ ipsius annulo missæ sunt per cursores regis ad universas provincias.* Et *ibidem*, VIII, expresse habetur: *Scribite ergo Judæis, sicut vobis placet, ex regis nomine, signantes litteras annulo meo.* Et *III Reg.* XXI, habetur, quod Jezabel Achabi Samariæ regis uxor, litteras, quibus Naboth injustæ morti tradi imperabat, regio sigillo obsignavit, ibi: *Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, et signavit eas annulo ejus, et misit ad majores natu et optimates qui erant in civitate ejus.*

(3. Imo usque ab origine mundi hos annulos pro obsignando fuisse constat ex *Genes.* XXXVIII, ubi habetur quod Judas Thamari annulum dederit pignoris, et fidei loco. Nam si vocem Hebraicam attendamus, qua fuit usus Moyses, *ibidem*, quæ fuit *Gotam*, sigillum significat, et ob hoc a Moyse fuit verbum illud usurpatum, ut tenet Polyd. Virgil., *De inventor. rerum*, lib. VIII, c. 2, relat. ab emin. card. Petra, *loc. cit.*, n. 51.

(4. Sigilli nomen a parva statua derivari putat Thesaur., lib. II, *Q. forens.*, 100, n. 4 et seq., ex eo quod parvæ statuæ in ipsis sigillis adhibeantur; at vero alii diminutivum nomen *a signo* derivari prætendunt, nam in cognitionem alterius, scilicet cujus est sigillum, deducit ex Gl. in l. *Pediculis* 34, ff. *De auro et argento legat.*; Hoping, *De jure sigillorum*, c. 1, § 1, n. 6; card. Petra, *loc. cit.*, n. 47. Unde sigillum in præsentiarum accipitur pro imagine, qua ceræ impressa litteras obsignamus. Sicque in hac acceptione dicuntur *Litteræ sigillatæ*, id est sigillo apposito clausæ, obsignatæ seu munitæ. Calepinus, verb. *Sigillum.*

(5. Sigillum igitur est signum seu signaculum certis notis impressum. L. *Ad testium* 22, § *Signum*, ff. *Qui testamenta facere possunt*, l. *Omnibus* 1, § 2, l. *Tabularum* 2, § 4, ff. *Testamenta quemadmodum aperiantur;* Hoping., citat. cap. 1, § 3; card. Petra, *loc. cit.*, n. 75.

(6. Et sigillum debet esse tale, ut deducat in notitiam sigillantis. Argum. l. 3, *Stigmata* 3, cod. *De Fabricensibus.* (7. Et si contineat imaginem, debet imago esse conformis originali; alias si sit valde difformis, redderetur scriptura suspecta de falso. Scaccia, *De judic.*, lib. I, cap. 64, n. 27. Qua ratione Pontifex Innocentius III arguit falsitatem privilegii, quia sigillum non continebat figuram sigillantis. C. *Inter dilectos* 6, § *Sed contra privilegium*, De fide instrument., ibi: « Unde non episcopi, sed imperatoris videbatur fuisse sigillum, quod in una medietate Cæsaris imaginem exprimebat, et in altera medietate præsumebatur, vel filii vel conjugis imaginem habuisse. » Gonzalez, *ibidem*; Hoping., *loc. cit.*, cap. 8, § 1; Borel., lib. III *De magistrat. edict.*, cap. 13, n. 13; card. Petra, *loc. cit.*, n. 77.

(8. Sigillum dividitur in authenticum, et non authent. *Sigillum authenticum* est, quod multorum auctoritate comprobatum est, seu quod est certæ fidei; istud enim vocabulum *authenticum* ponitur pro re certæ fidei, seu quæ multorum auctoritate comprobata est, ut notant Spigelius et Joannes Calvinus, in *Lexico juris*, verb. *Authenticon. Sigillum non authenticum* econtra est illud, quod non est certæ fidei, sed ejus fides vacillat. Colligitur ex cit. c. *Inter dilectos* 6, De fide instrumentor., ubi abbas n. 4, ex ipso textu notat, quod quatuor sunt, quibus redditur sigillum vacillans, ac detrahitur ejus fidei.

(9. Primo scilicet, quando sigillum non congruit in sculpturis dignitati sigillantis; non enim potest rationabiliter præsumi sigillum esse illius, cui ascribitur, si sibi in imagine insculpta non convenit, ut expresse declaratur in c. cap. *Inter dilectos.*

(10. Secundo, quando litteræ sigilli sunt ita corrosæ vel sculpturæ ita consumptæ, ut ex eis oriatur æquivocatio, nec aliter possit certificari sigillum illum esse illius, cui ascribitur. Cit. cap. *Inter dilectos.*

(11. Tertio, quando sigillum patitur ita enormem fracturam, ut ex residuo non possit clare cognosci, cujus sit. Sic colligitur ex cit. cap. *Inter dilectos.*

(12. Quarto, quando sub sigillo charta reperitur perforata, et per glutinum novæ ceræ sigillum illud ipsi chartæ connexum, ut expresse habetur in cit. cap. *Inter dilectos*, et notant ibi doctores passim.

(13. Sigillum dividitur insuper in publi-

Digitized by Google

cum et privatum. *Sigillum publicum* est illud, quod publica auctoritate nititur, quia nempe detinetur a personis publicis, v. g. principe, magistratu, episcopo, capitulo, judice, et hujusmodi pro communicando robore scripturis ad suam jurisdictionem, seu officium pertinentibus, de quibus sigillis loquuntur doctores ad c. *Scripta vero authentica* 2, De fide instrum., et Glossa, *ib.*, verb. *Sigillum*. *Sigillum* autem *privatum* est illud, quod apponitur a persona privata ad secretum servandum, et notionem scribentis excitandam. Sic in re communis.

(14. Sigillum probabilius non plene probat, nec plenam fidem facit sine subscriptione sigillantis in testamentis scriptis, sicut et in aliis casibus, ubi agitur de magno præjudicio, aut de jure, vel consuetudine specialiter requiritur subscriptio. Covarruvias, *Pract. quæst.*, c. 22, n. 9; Mascardus, *De probat.*, conclus. 1309, n. 7; Reiffenstuel, lib. I *Decret.*, tit. 22, n. 94; Bartolus, in *Proœmio*, ff. n. 8, vers. *Item quæro, si est solum sigillum*, etc., allegans ad id l. *Ad testium*, § *Si quis ex testibus*, ff. *De testament.*, ubi dicitur : « Si quis ex testibus nomen suum non ascripserit, verumtamen signaverit, pro eo est atque si adhibitus non esset, » juncto summario, *ibidem*, ex eodem Bartolo desumpto expresse dicente : « Requiritur signatio et subscriptio, et alterum sine altero non valet. » Speculator, tit. *De instrum. editione*, § *Instrumentum ergo publicum*, n. 19, vers. *Item quod non est signatum*; Engel, lib. II *Decret.*, tit. 21, n. 18, et alii apud Mascard., *loco citato*, n. 6. Si enim solo sigillo plena fides præstanda esset, facile fraus, et dolus committi posset.

(15. Opposita autem sententia, quod nempe sigillum, ubi de ipso constat, probet et fidem faciat absque propria subscriptione sigillantis, nisi aliud legibus vel consuetudine institutum fuerit, est vere probabilis, et eam expresse tenent Innocentius, in cap. *Scripta* 2, In fine De fide instrumentorum; Menochius, lib. II *De arbitrar. judic., caus.* 113, n. 6; Decius, in cap. *Post cessionem*, n. 31, De probation.; Covarruvias, *loco citato*, n. 9 circa finem, et alii apud Mascard., cit. conclus. 1309, n. 5, arg. cit., cap. *Scripta* 2, De fide instrumentor., ubi ista duo æquiparantur, et alternative sufficere dicuntur, nempe subscripta per manum publicam facta et scripta habentia sigillum authenticum, ibi : « Nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publica aut authenticum sigillum habuerint, per quod possint probari. » In alternativis autem sufficit alterum adimpleri, textu expresso in cap. *In alternativis* 70, De regul. juris, *In alternativis..... sufficit alterum adimpleri*. Et concordat l. *In eo* 110, § 3, ff. *De regul. juris*, ibi : « Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterum esse factum. »

(16. Scripturæ seu instrumenta, quæ habent sigillum authenticum seu publicum, plene probant, cap. *Scripta* 2, De fide instrum., ubi statuitur, quod alicujus firmitatis robur non habeant instrumenta, si testes inscripti decesserint, nisi per manum publicam facta fuerint, aut authenticum sigillum habuerint, et tenent Glossa, *ibidem*, verbo *Authentica;* abbas, in *Summario;* Barbos., in *Collectan.*, n. 1; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 89; Mascard., cit. concl. 1309, n. 1, cum plurimis aliis ibi citatis.

(17. Scripta autem sigillo privato munita probant quidem, et valent in præjudicium illorum, qui ea scripserunt. L. *Generaliter*, cod. *De non numerat. pecun.*, l. *Publia*, § fin., ff. *Depositi*. Non vero ad commodum eorum, nisi ab adversario fuerint approbata. Citat. l. *Publica*, § fin., ff. *Depositi*, l. *Instrumenta domestica*, cod. *De probationib.*; Glossa, in cit. cap. *Scripta* 2, De fide instr., verb. *Authentica;* Bartolus, in *Summario*, cit. l. *Publica;* Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 90; Mascard., cit. conclus, 1309, n. 1, 4 et 40 ac seq., et alii plures.

(18. Testamenta, privilegia, et hujusmodi, in quibus sigillum est de solemnitate vel substantia actus; absque dicto sigillo non habent vim probandi. Menoch., l. 2 *De arbitr. judic.*, c. 113, n. 13; Felin., in cap. *Inter dilectos* 6, n. 5, De fide instrumentor.; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 97, et alii, per text. in leg. *Ad testium*, § *Si quis ex testibus*, ff. *De testament.*, et cit. cap. *Inter dilectos*, ubi recte advertunt quod, si ob enormem fracturam sigilli vacillat fides privilegii, tanto magis vacillabit, si sigillum penitus deficiat, seu nunquam appositum sit.

(19. Extra autem dictos casus, ac regulariter loquendo, sigillum in instrumentis ad substantiam actus non adhibetur, sed solum ad faciliorem ejusdem actus probationem. Sic Innocentius, in cit. cap. *Inter dilectos* 6, verb. *Sigillum*, De fide instrument.; abbas, *ibid.*, n. 3; Felin., *ibid.*, n. 5; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 98; Menochius, *loc. cit.*, caus. 113, n. 13 et 14, cum Hostiens. et cardin. ibi citatis, et alii plures, per text. in l. *Contractus* 17, cod. De fide instrument., ubi ad valorem instrumentorum plus non requiritur, quam quod « subscriptionibus partium confirmata, et si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, et postremo a partibus absoluta sint, » hoc est subscripta, ut explicat Glossa, *ibidem*, verb. *Absoluta*.

(20. Dicitur autem : « Sed solum ad faciliorem ejusdem actus probationem, » quia sigillans scripturam, contenta in ea præsupponit vera, et videtur fateri omnia contenta in ipsa, cum sigillum sit confirmatio quædam eorum, quæ in scriptura continentur, et probet consensum. Rota, part. X recent. dec. 200, n. 12; Alexander, consil. 147, n. 6 et 7, lib. II; cardin. Tusch., *Litt. sacr.*, conclus. 239, n. 1, cum Bald. et Romano ibi citatis, et alii passim.

(21. Sigillum cum propriis insignibus habere debent omnia collegia, conventus, prælati, abbates, archidiaconi et superiores omnes, ac officiales, et eo uti debent pro

Digitized by Google

scripturis authenticis. Conc. *Londin.* II, c. 29.

(22. Sigillo aureo vel argenteo uti non possunt regulares. Concil. *Nicæn. ex Arabico*, cap. 76.

(23. Minister generalis ordinis S. P. N. Francisci de Observantia legitime usus fuit, et uti potest titulo et sigillo cum inscriptione : « Minister generalis totius ordinis Fratrum Minorum : » ut hoc titulo insigniri consuevit a Summis Pontificibus, ut notat Dominicus de Gubernatis, in *Orbe Seraphico*, tom. I, lib. III, c. 10 circa finem, et signanter a Leone X, Clemente VIII, Paulo III, Sixto V, Urbano VIII, Greg. XV, Innoc. IX, et aliis sequentibus, et novissime a Benedicto XIII, constit. incip. *Universalis Ecclesiæ regimini*, et alia incip. *Dilectis filiis*, ibi : « Dilectis filiis ministro generali totius ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, nec non generali ministro Fratrum Conventualium ejusdem ordinis. » Et hoc, utraque parte informante, jam fuerat repetitis vicibus declaratum a sacra congregatione Rituum, prout ad litteram referuntur decreta a supradicto Dominico de Gubernatis, *loc. cit.*, tenoris sequentis.

« *Religionis S. Francisci.*

(24. « Cum procurator generalis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, sex ab hinc annis ægre ferret ministrum generalem de Observantia in præteritum usum fuisse, et in præsentiarum uti titulo et sigillo cum inscriptione : *Ministri generalis totius ordinis Fratrum Minorum*, recursum habuit ad Sanctissimum supplicans mandari reformari hujusmodi titulum tanquam non legitime dicto ministro generali de Observantia competentem. Et supplicatione per Sanctissimum ad hanc sacr. Rituum congregationem remissa ; eadem sacra congregatio discussionem hujus negotii ad referendum usque de anno 1625, commisit eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Muto, coram quo formato dubio de consensu ambarum partium : An titulus ministri generalis totius ordinis Fratrum Minorum, quo insignitur minister generalis Observantium, sit reformandus? Utraque parte sæpe sæpius in facto et jure desuper informante et audita ; ad relationem ejusdem eminentissimi cardinalis Muti causa acerrime in plena congregatione discussa, sacra Rituum congregatio respondit nihil innovandum, et ministrum generalem de Observantia legitime usum fuisse, et uti posse titulo et sigillo cum inscriptione *ministri generalis totius ordinis Fratrum Minorum*, et ita servari mandavit die 22 Martii 1631. »

« *Religionis S. Francisci.*

« Religio Minorum Conventualium conquesta est apud Sanctissimum de Decreto ab hac sacra Rituum congregatione emanato ad favorem ministri generalis de Observantia S. Francisci circa usum tituli et sigilli ministri generalis totius ordinis Fratrum Minorum, supplicans tanquam non audita in suis juribus audiri in signatura gratiæ, et mandari illustrissimo datario, qui concedat ad hoc supersessoriam necessariam.

« Ex adverso autem frater Alphonsus de Prato procurator generalis Minor. Observantium adiens et ipse cum supplici libello eumd. Sanctissimum, supplicavit, quod, stante jure suæ religioni quæsito tam ex bullis Pontificiis, quam ex novissimo decreto, parte adversa super usu d. tituli et sigilli per quinquennium, et ultra sæpuis audita et replicante, nemine ex eminentissimis Patribus contradicente, ad sui favorem edito, et etiam impresso, Sanctitas Sua dignaretur huic negotio perpetuum silentium, ut par est, imponere. Et utraque supplicatione per Sanctissimum ad hanc sacram congregationem remissa, eadem sacra congregatio unanimi eminentissimorum Patrum consensu censuit, ex hactenus deductis non esse locum novæ audientiæ. Et mandavit secretario alloqui cum Sanctissimo juxta mentem.

« Die 12 Aprilis 1631.

« Feria sexta die 21 Aprilis Ego secretarius allocutus fui cum Sanctissimo juxta mentem sacræ congregationis, et Sanctitas Sua mandavit mihi, ut loquerer, prout feci ad R. P. D. datarium pro imponendo perpetuo silentio.

« Ita reperitur in regestis congregationis sacrorum Rituum. In quorum fidem, etc. Hac die 9 Junii 1682.

« Loco ✠ Sigilli.

« Bernardinus Casalius secret. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(25. Sigillum est nota quædam impressum habens nomen et insigne, vel simul, vel alterutrum ad fidem rei conciliandam. Bottich., *De jur. sigillorum thesi* 8.

(26. Dividitur autem sigillum in publicum ac privatum. (27. Publicum, quod a persona publica in negotio suam privatam rem non concernente ad publicam fidem faciendam adhibetur. (28. Privatum, quod in negotiis privatis sigillantium adhibetur ; Nicol. Honthem., *De art. notar.*, cap. 11, n. 29 ; Gilman., decis. 51, n. 43.

(29. Ut autem omne sigillum maxime privatum rectam et legitimam faciat probationem, roburque scripturæ addat, in ejus appositione tria regulariter requiruntur a doctoribus, quos allegat Hoping., *De jur. sigill.*, cap. 11, n. 7. (30. *Primum* requisitum est, ut in scriptura, seu subscriptione exprimatur, cujus sit sigillum. (31. *Secundum* a quo sit appositum ; et *tertium* propter quod sit appositum, sive ex qua causa adjectum. (32. Si enim hæc non appareant, nec ex circumstantiis possint colligi, sigillum nihil operatur.

(33. An ad validitatem instrumenti a notario confecti requiratur sigillum ipsius? Prævaluit opinio affirmativa ; ut videre est apud Covarruv., *Practic. resol.*, t. II, cap. 20, n. 5 ; Moller., lib. IV *Semestr.*, cap. 15.

Digitized by Google

SIGILLUM SACRAMENTALIS CONFESSIONIS.

SUMMARIUM.

1. Sigillum sacramentalis confessionis quid sit? — 2. Sigillum sacramentalis confessionis obligat confessarium ad celanda peccata in confessione detecta triplici jure, scilicet naturali, divino et humano seu ecclesiastico. — 3. Ostenditur, quod obliget jure naturali. — 4. Item, quod obliget jure divino. — 5. Item, quod obliget jure humano seu ecclesiastico. — 6. Hinc obligatio servandi sigillum sacramentale, tam stricte ligat et urget, ut in nullo excogitabili casu directe vel indirecte revelari possit, quamvis salus propriæ vitæ, imo totius mundi inde penderet; quin imo licet per hoc omnium hominum damnatio impediri posset. — 7. Ad sigillum sacramentale qui teneantur ultra confessarium, ad num. 8. — 9. An inveniens chartam, in qua sunt descripta peccata personæ cognitæ, teneatur ad sigillum sacramentale? — 10. Talis inventor tenetur ad sigillum naturale sub mortali, si illa charta contineat gravia et diffamantia peccata. — 11. Si aliquis mutus, vel alias impeditus confiteatur confessario præsenti per scripturam, et tunc durante actione sacramentali, aliquis legat illam scripturam, is omnino ad sigillum sacramentale tenetur. 12. Ad sigillum sacramentale tenetur prælatus, seu superior, cui pœnitens, vel confessarius manifestavit pro licentia absolutionis obtinenda peccatum reservatum, quamvis pro absolutione remittat ad alium. — 13. Superior seu confessarius, qui postea ad superioritatis gradum fuerit assumptus, nullo modo uti potest ad exteriorem gubernationem ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuit, et dantur ad id decreta. — 14. Hinc confessarius, qui ex confessione socii conspirationis contra se, novit sibi parari insidias in itinere a se subeundo, sibi parari venenum in vino a se bibendo, et hujusmodi, si non, arripiendo tale iter, non bibendo tale vinum, et hujusmodi, sequeretur aliqua suspicio apud alios socios dictæ conspirationis de peccato confesso, aut periculum damni dicti pœnitentis, tunc teneretur dictus confessarius enixe se Deo commendare, et tale statutum iter arripere, tale vinum bibere, et hujusmodi. — 15. Secus autem si in similibus casibus tales concurrant circumstantiæ, quod nulla directe, aut indirecte oriatur suspicio peccati conspirationis confessi. — 16. Unde post supra allata decreta jam non videtur practice probabilis sententia docentium confessarium ex sola confessione cognoscentem pœnitentem suum indignum esse dignitate et officio, ad quod concurrit, posse ideo illi in electione gratuita et secreta denegare suum suffragium. — 17. Affertur ad id notabile documentum Scoti. — 18. Confessarius ordinarie loquendo, neque de petita et obtenta licentia pœnitentis potest uti scientia confessionis, et revelare ipsam sacramentalem confessionem. — 19. Potest autem id ex gravi quadam causa, et ad bonum finem de expressa et libera facultate ipsius pœnitentis. — 20. Sine expressa et libera licentia pœnitentis neque licet confessario loqui cum ipso pœnitente extra confessionem sacramentalem. — 21. Confessarius, qui in confessione gravem errorem commisit, quid circa id debeat et possit. — 22. Sub sigillo sacramentali cadunt omnia peccata, tam mortalia quam venialia, et circumstantiæ, et defectus naturales non solum ipsius pœnitentis, sed etiam complicis. — 23. Assignantur varii casus, in quibus confessarius per suas locutiones sigillum frangit. — 24. Confessarius se exponit periculo frangendi sigillum, si dicat: Prima mulier, quam audivi in confessione, fuit adultera. — 25. Confessarii violantes sigillum confessionis subjacent gravissimis pœnis, quæ assignantur, ad num. 26. — 27. Pœnitentia pro fractione sigilli quoad regulares quæ sit? — 28. Dictæ pœnæ impositæ contra violantes sigillum sacramentale non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ. — 29. Ut quis propter violationem sigilli incurrat prædictas pœnas, plura requiruntur; et primo requiritur, quod sit sacerdos confessarius. — 30. Alii autem revelantes non subjacent præfatis pœnis, sed puniendi sunt per judicem pœna extraordinaria. — 31. Secundo requiritur, quod confessarius revelet peccata in confessione sacramentali sibi a pœnitente exposita animo se accusandi, et absolutionem recipiendi; secus autem non. — 32. Tertio requiritur, ut confessarius revelet aliquod peccatum, vel mortale, quod sufficit, si revelet in genere, vel veniale, quod necesse est, ut revelet in specie. — 33. Quarto requiritur, ut confessarius revelet peccatum *præsumptuose*. — 34. Quinto requiritur, ut confessarius revelet peccatum alicui alteri, quam ipsi pœnitenti extra confessionem, sive ipsi sine ipsius licentia objiciat. — 35. Judex in causa violati sigilli sacramentalis est solus ecclesiasticus, minime vero laicus. — 36. Ex judicibus ecclesiasticis cuinam competat talis causa? An episcopo vel inquisitori. — 37. Ut judex ecclesiasticus instruere possit processum contra violatorem sigilli sacramentalis, non requiritur licentia pœnitentis. — 38. Quando confessarius violator sigilli se reum fatetur, non est opus alia probatione, ad hoc ut possit puniri pœna ordinaria. — 39. Quando confessarius dicit se peccatum non ex aliqua confessione sacramentali, sed tanquam aliunde sibi notum manifestasse, incumbit ei probare qua via et modo illius notitiam acquisierit. — 40. Quando autem fatetur confessarius se quidem peccatum ex confessione scivisse, sed cum licentia pœnitentis revelasse, tenetur id probare, si pœnitens ipse sit accusator. — 41. Secus autem, si alius sit accusator. — 42. Imo etiamsi pœnitens sit accusator, creditur confessario, si sit cæteroquin optimæ famæ et integritatis; secus autem si pœnitens sit melioris famæ et integritatis, quam ipse confessarius. — 43. Si autem cæteris paribus dubium exsistat, creditur potius confessario asserenti, quam pœnitenti neganti licentiam fuisse concessam. — 44. Ad probationem violati sigilli sacramentalis, sufficiunt etiam testes singulares. — 45. Afferuntur quæ novissime ad debitum sigilli sacramentalis custodiam disposuit Benedictus XIV. — 46. Alia ad rem ad num. 83.

(1. Sigillum sacramentalis confessionis est obligatio servandi secretum in omnibus, quæ in ordine ad absolutionem sacramentalem confessario aperiuntur. Est in re communis.

(2. Sigillum sacramentalis confessionis obligat confessarium ad celanda peccata in confessione detecta triplici jure, scilicet naturali, divino et humano, seu ecclesiastico. Ita Scotus, in 5, dist. 22, q. 2, et communissima aliorum. (3. Et quidem quod obliget *jure naturali*, clare patet quia, natura dictante, non est aliis faciendum, quod quisque sibi fieri non vellet, juxta illud vulgatum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* (*Tob.* IV, 16): Nemo autem vellet, quod suum secretum, ex quo aliqua infamiæ nota eidem posset inuri, manifestaretur, adeoque sigillum confessionis obligat jure naturali; alioquin lex naturæ de servanda fidelitate et secreto proximi celando violaretur.

(4. Quod autem obliget jure divino, clare

Digitized by Google

constat quia, dum Christus Dominus instituit sacramentum Pœnitentiæ, præcepitque confessionem, simul confessariis arctissimam hanc sigilli obligationem imposuit : quamvis enim hoc ex nullo textu scripto comprobetur, evincitur tamen ex expressa, continuata et constanti traditione ab apostolis ad hæc usque tempora. Traditiones autem divinæ tantam vim habent obligandi, ac verbum Dei scriptum. Unde Apostolus, II *ad Thessalonicens.* II, præcipit dicens : *Itaque, fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* In quem locum S. Joannes Chrysostomus sic scribit : « Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderit, sed multa etiam sine litteris, eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista, » et conc. *Trid.*, sess. IV, decreto *De canonicis Scripturis* sic expresse habet : « Sacrosancta œcumenica et generalis Tridentina synodus..... Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatas, ac continua successione in Ecclesia catholica conservatas pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. »

(5. Quod vero obliget *jure humano*, seu *ecclesiastico*, habetur expresse ex cap. *Sacerdos* 2, dist. 6, De pœnitent., ubi pœna depositionis a sacerdotali officio, et perpetuæ ignominiosæ peregrinationis erat imposita confessariis violantibus sacramentale sigillum, ibi : « Qui hoc fecerit, deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat, » et cap. *Omnis utriusque sexus* 12. De pœnitentiis et remissionib., ubi violatoribus sigilli confessionis constituitur pœna depositionis ab officio sacerdotali, ac perpetuæ pœnitentiæ in arcto monasterio peragendæ, ibi : « Qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum. »

(6. Hinc obligatio servandi sigillum sacramentale tam stricte ligat, et urget, ut in nullo excogitabili casu directe vel indirecte revelari possit, quamvis salus propriæ vitæ, imo totius mundi inde penderet; quinimo licet per hoc omnium hominum damnatio impediri posset. Communissima omnium Catholicorum.

(7. Ad sigillum sacramentale tenentur, ultra confessarium, etiam sequentes, nempe interpres, per quem facta est confessio. Item laicus, qui sacerdotem se fingens, confessionem excepit. Item ille, cui confessarius sacrilege revelavit peccatum. Item audientes tempore pestis, seu naufragii confessionem publicam. Item audientes casu, vel malitiose peccata, dum confitentur. Scotus, in 4, dist. 21, quæst. 2; Rosignol., *De pœnitentia*, part. I, qu. 7, art. 12, sect. 2, cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel, *Theolog. mor.*, tract. 14, dist. 9, quæst. 3, n. 36, ubi testatur de communi. Et ratio est, quia notitia ad eos pervenit ex confessione sacramentaliter facta, adeoque hujusmodi revelatio esset contra reverentiam sacramenti, et redderet odiosam ipsam sacramentalem confessionem.

(8. Item ad sigillum probabilius tenetur, qui per examen pœnitentem ad confessionem disponit. Item ille, cui pœnitens se aperit hodie, ut illum dirigat pro confessione crastina. Item doctor consultus a confessario super aliquo delicto, si ex illo noverit delinquentem. Item ille, cui pœnitens jam non potens scribere dictavit sua peccata, postea ex ipsius scripto confessurus. Item ille, cui pœnitens dicit, se velle confiteri, et propterea illum consulit, an et quomodo hoc vel illud peccatum teneatur confiteri, quamvis non illi, sed alteri confiteri velit. Gormaz, part. II, n. 391 ; La Croix, lib. III, part. II, n. 1052, cum pluribus aliis ibi citatis; Sporer, tom. III *Theolog. sacramental.*, part. III, cap. 7, qu. 3, a n. 848 ad 855, cum aliis ibi allegatis contra alios. Et ratio est quia, licet illa notitia non habeatur in confessione, nec ex concessione, habetur tamen per ordinem ad illam, adeoque hujusmodi revelatio esset contra reverentiam sacramenti, et redderet odiosam ipsam sacramentalem confessionem, unde, ne id eveniat, servandum est a supradictis sigillum.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Non solum probabilius, sed certe tenetur quis servare sigillum in casibus hic expositis.

RESPONSIO AUCTORIS.

Sed quod teneatur ad sigillum certe fateor et ego; an autem ad sigillum sacramentale vel naturale? non parva est inter doctores controversia. Hinc ponderet prudens lector *ibi* tradita a me n. 10 et 11, et pro æquitate resolvat.

(9. An autem inveniens chartam, in qua sunt descripta personæ cognitæ peccata, teneatur ad sigillum sacramentale? Variant doctores. Affirmativam enim sententiam tuentur Rodriguez, Fagundez, Malderus et alii plures apud Dian., part. II, tract. 4, resolut. 112; Navarrus, Graff., Vega, Gormaz, Diana, Tamburin., apud La Croix, *loco citat.*, n. 1953, et probabilius Sporer, *loc. cit.*, n. 857, et alii; et ratio est quia talis peccatorum scriptio fit propter confessionem, et reipsa videtur esse inchoata confessio, sive confessionem jam factam gerens. Negativam autem, scilicet inventorem talis chartæ non teneri ad sigillum sacramentale, sed solum ad sigillum naturale, defendunt et quidem probabilius Bonacina, *De Pœnitentiæ sacrament.*, disput. 5, qu. 6, sect. 4, punct. 3, n. 7, cum pluribus ibi allegatis; Castropal, Aversa, Illsung, Busemb. aliique multi apud La Croix, *loc. cit.*, n. 1953; Rosignol., *loc. cit.*, n. 17 ; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 37; Layman, Suarez, Navarr. aliisque congestis, Lugo, disputat. 23, sect. 2, n. 47, et valde probabilem hanc sententiam appellat etiam Sporer, *loc. cit.*, n. 858, et alii plures ipsam expresse tuentur : et ratio est quia illa charta seu notitia illius non pervenit ad in-

Digitized by Google

ventorem, nec in confessione, nec ex confessione, nec in ordine ad confessionem, cum pœnitens illam chartam scripserit solum, ut sua peccata sibi manifestet, et memoriam eorum retineat.

(10. Consentiunt tamen omnes utriusque sententiæ doctores, quod talis inventor teneatur ad sigillum naturale sub peccato mortali, si illa charta contineat gravia et diffamantia peccata; quinimo cognito, quod talia peccata contineat, debet sub gravi ab illius lectione abstinere.

(11. Insuper consentiunt omnes quod, si aliquis mutus, vel alias impeditus confiteatur confessario præsenti per scripturam, et tunc, durante actione sacramentali, aliquis legat illam scripturam, is omnino ad sigillum sacramentale teneatur; tunc enim illa scriptura lecta a confessario est locutio, vel confessio pœnitentis, cum non aliter confiteatur mutus ille, nisi scripturam.

(12. Ad sigillum sacramentale tenetur prælatus, vel superior, cui pœnitens, vel confessarius manifestavit, pro licentia absolutionis obtinenda, peccatum reservatum, quamvis pro absolutione remittat ad alium confessarium. Sic pluribus allegatis card. de Lugo, disp. 22, sect. 2, n. 34 et 35; Rosignol., *loc. cit.*, n. 12, cum aliis ibi citatis; La Croix, *loco cit.*, n. 1951, cum Suarez, Fagundez, Stoz, Aversa, et aliis ibi citatis; Sporer *loco cit.*, n. 853; Dicastill., disp. 11, n. 325, dicens id esse certum, quamvis alii contrarium doceant. Et ratio est quia prælatus aut superior, cui casus sunt reservati, in hac parte gerit vices confessarii, cum quodammodo exerceat jurisdictionem, in ordine ad pœnitentium absolutionem, adeoque, etc.

(13. Prælatus seu superior, vel confessarius, qui postea ad superioritatis gradum fuerit assumptus, nullo modo uti potest ad exteriorem gubernationem ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuit. Sic expresse statuit Clemens VIII, in decreto *De casibus reservatis*, die 16 Maii 1594, ibi: « Tam superiores pro tempore exsistentes, quam confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur, etc. Atque ita per quoscunque regularium superiores observari mandamus. » Hæc Pontifex. Et deinde die 18 Novembris 1682, editum fuit in congregatione generali universalis inquisitionis decretum prohibens, « Ne quis publice, aut privatim doceat, aut defendat licere uti scientia ex confessione acquisita cum gravamine pœnitentis, quamvis secluderetur quæcunque ejus revelatio, et quamvis multo majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur, mandans etiam universis pœnitentiæ ministris, ut a tali doctrina in praxim deducenda prorsus abstineant. » Sic apud Arsdekin, tom. II, pag. 238, et alios passim id referentes.

(14. Hinc confessarius, qui, ex confessione socii conspirationis contra se, novit sibi parari insidias in itinere a se subeundo, sibi parari venenum in vino a se bibendo, et hujusmodi; si non arripiendo tale iter, non bibendo tale vinum, et hujusmodi sequeretur aliqua suspicio apud alios socios dictæ conspirationis de peccato confesso, aut periculum damni dicti pœnitentis, tunc teneretur dictus confessarius enixe se Deo commendare, et tale statutum iter arripere, tale vinum bibere, et hujusmodi; quia sigillum sacramentale ob commune bonum fidelium, et reverentiam sacramenti fortius obligat, quam propria vita servanda, imo et quam salus totius mundi, juxta dicta supra n. 6. In tali enim casu ex circumstantiis indirecte saltem revelatur confessio, et frangeretur sigillum, quia socii conspirationis videntes confessarium post auditam confessionem non arripere certo statutum iter, seu divertere ab ipso jam arrepto, et non bibere tale vinum certo alias bibiturum, suspicarentur de delicto conspirationis confesso, et possent in socium irruere, sicque cum gravamine pœnitentis redderetur odiosa confessio, adeoque, etc.

(15. Si autem in similibus tales concurrant circumstantiæ, quod ex non arrepto, seu non continuato itinere, et non bibito tali vino, et hujusmodi, nulla directe aut indirecte oriatur suspicio peccati conspirationis confessi, quatenus nempe socii conspirationis complicem confitentem non viderunt, et hujusmodi, tunc dictus confessarius posset licite iter non arripere, seu jam arreptum divertere, vinum illud non bibere et hujusmodi, quia tunc confessarius uteretur jure suo ad evitandam mortem sine ullo incommodo seu gravamine pœnitentis, cum sic licite salvaret propriam vitam, et impediret pœnitentis, aliorumque peccatum, seu occasionem peccati, quod re ipsa non est gravamen, sed beneficium, nec ullam committeret irreverentiam in sacramentum; cum, ut supponitur, ex dictis circumstantiis nulla directe, aut indirecte posset oriri suspicio peccati confessi. Sic recte cum distinctione, ut supra docent Diana, part. v, tract. 11, resol. 46, cum Richardo, Navar. Suario et Soto, Felix Potestas, *loco cit.*, n. 3219 et seq.; Rosignol., *loco cit.* sect. 3, n. 12 et 13; La Croix, *loco cit.*, n. 1976 et seq., cum pluribus ibi allegatis, et alii plurimi, et sub data distinctione nostra sententia jam deberet esse communis.

(16. Unde post allata Decreta *sub* n. 13, jam non videtur practice probabilis sententia illorum auctorum, quamvis plures quam quadraginta referantur a Sanchez, *De matrimonio*, lib. III, d. 16, n. 2; Mendo, d. 10, qu. 8; Stoz, n. 244, qui docent confessarium ex sola confessione cognoscentem pœnitentem suum indignum esse dignitate seu officio, ad quod concurrit, posse ideo in electione gratuita et secreta denegare suum suffragium, quia utitur, ut dicunt ipsi, jure, quod habet ad non promovendum indignum; sic non potest magister novitiorum suo suffragio rejicere aut directe cooperari, quod ab aliis rejiciatur a professione novitius, quem propter vitia vel alios defectus, ex sola

Digitized by Google

confessione novit esse ineptum, aut fore perniciosum religioso ordini. Item nequit confessarius dimittere famulum, quem ex sola confessione cognovit non esse fidelem, et hujusmodi. Item neque confessarius, qui ex sola confessione novit aliquem de communitate vitio carnis deditum esse, et pronum ad seducendos alios, nequidem indirecte facere, ut, inde amoveatur. Item nequit confessarius negare eucharistiam, matrimonium, et hujusmodi, ei quem ex sola confessione novit esse indignum, impeditum, et hujusmodi. Item non potest superior religiosum, quem ex sola confessione novit esse concubinarium, e tali conventu aut officio removere. Et sic de similibus. Et ratio est quia, quidquid affert incommodum pœnitenti, quamvis absit periculum revelandi peccatum, et ita clam fiat, ut nemo advertat, merito reddit confessionem odiosam, si pœnitentes cognoscant sibi talia incommoda fieri posse propter solam cognitionem in confessione datam. Hinc confessarius vel superior debet in similibus se talem gerere, tanquam si nihil sciret; audita enim in sola confessione « minus scit quam quæ nescit, » inquit S. Augustinus, et « ex confessione scitum, » dicit S. Thomas, *Suppl.*, qu. 11, art. 1, ad 1. Cum enim id sciat ut Dei locum tenens, non potest uti pro humano commercio, alias divina confunderet cum humanis, adeoque de omnibus istis, et similibus silere debet, et totaliter se habere, ac si ea minime sciret, sicque se, et omnia Deo committere, cum hoc plurimum conducat ad reverentiam sacramenti, et ad augendam apud omnes securitatem sigilli. Sic Scotus, in 4, dist. 21, qu. 2, litt. *N*; Suarez, Vasquez, Præpos., Bonæsp., Dicastill., Stephanus, Aversa, Stoz, et alii cum La Croix, *loco cit.*, n. 1976 et seq.

(17. Unde Scotus, *loco citato*, de casu dicti superioris respectu sui subditi concubinarii in confessione cogniti loquens dat hoc commendabile documen: « Si dicas non apponi remedium ad salutem ovis suæ. Respondeo, consulat sibi in foro pœnitentiæ meliori modo, quo poterit, ut illum locum sibi periculosum dimittat; si noluerit, non attentet esse Deum, sed defectus occultos sibi secundum justitiam incorrigibiles Dei correctioni dimittat; » hinc neque licet superiori seu prælato ex sola tali notitia habita in confessione magis advertere et observare directe ipsum pœnitentem subditum, ut inde occasionem capiat ipsum ab officio seu loco removendi, quia sic redderetur odiosa confessio. Sporer, *l. c.*, n. 869 in fine, et alii supra citati.

* Confer Rituale Tullense, quod, teste Antoine cap. cit. 3, ad quæst. 5, monet, « ne parochus deneget testimonium bonæ vitæ et probitatis ei, cujus vita exterius est recte instituta, sed quem ex confessione scit esse improbum, vel benedictionem nuptialem iis, quos ex sola confessione scit contraxisse impedimentum dirimens ob crimen; ne moneat parentes ut diligenter invigilent filiæ cujus libidinem ex sola confessione novit; ne amoveat vicarium, ludimagistrum, etc., a suo munere ob crimina ex sola confessione nota. » Hinc rejicienda regula, quam Natalis Alexander, *De sacram. Pœnit.*, art. 10, num. 56, proponit his verbis : « Sacerdos, qui ex sola confessione novit aliquem indignum esse ecclesiastica dignitate vel præfectura, suffragium illi negare potest, et illius electioni contradicere. »

(18. Confessarius, ordinarie loquendo, neque de petita et obtenta licentia pœnitentis, potest uti scientia confessionis, et revelare ipsam sacramentalem confessionem, quia si pœnitens non ultro, sed tantum ad petitionem confessarii det ipsam licentiam loquendi, communiter censeri debet data ex metu reverentiali, adeoque invalide. Tamburin., *De confess.*, lib. III, n. 5; Dicastill., d. 12, n. 66; La Croix, *loco cit.*, n. 1958; vel certe cum periculo invaliditatis; La Croix, *loco cit.*; Diana, part. V, tract. 11, resolut. 10; Stoz., lib. II, num. 197, ubi addit quod, quamvis pœnitentes dicant se libenter eam dare, sæpe tamen in animo refugiunt, et sic sacramentum adhuc redditur odiosum, si confessarius ea licentia utatur. Tum quia negant plerique ex antiquioribus, ac præsertim Alensis, Durandus, et alii, et ex parte Scot., in 4, dist. 20, q. 1, § 5, et dist. 21, q. 2, litt. *L*, quia jus sigilli sacramentalis non est tantum ipsius confitentis, sed etiam totius communitatis fidelium, quæ alias maxime perturbaretur, et ipsius sacramenti, cui ipse pœnitens renuntiare non potest, licet ipse pœnitens possit cedere juri suo. Cap. *Si de terra* 6, De privileg., et l. *Si quis in conscribendo*, 19, cod. *De pactis*; non potest tamen cedere juri sacramenti, et totius communitatis fidelium. Cap. *Si diligenti* 12, De foro compet.

(19. Dicitur autem notanter *ordinarie loquendo*, quia ex gravi causa, et ob aliquem bonum finem, verb. gr. ad malum aliquod avertendum, ad consilium a doctiori petendum, et hujusmodi de expressa, libera et plene voluntaria licentia pœnitentis loquendi cum alio de suo peccato, aut alia re suæ confessionis, potest confessarius sine fractione sigilli caute cum eo loqui. Sic teste Sporer, *loco cit.*, n. 819, jam communissima doctorum cum S. Thoma, S. Bonaventura, et pluribus congestis; Suarez, disput. 31, sect. 5; Sanchez., lib. VI *Moral.*, c. 18; Layman., cap. 14, n. 14; Lugo, Tamburin., Diana, et alii passim. Tunc enim cum pœnitens dat expressam et liberam licentiam confessario loquendi de peccatis in confessione auditis, videtur cessare ratio secreti naturalis atque reverentiæ sacramenti et odiositatis confessionis. Argum. cap. *Significasti* 5, De adulteriis, ubi legitur, quod de licentia mulieris sacerdos, cui hæc confessa fuit, dixerit eam sibi confessam esse adulterium, nec tamen in hoc casu vel minimum sacerdos reprehenditur a Papa. Verum Barbosa, in citato cap. *Significasti*, n. 2; Navarrus, in cap. *Sacerdos* 3, distinct. 6, De pœnitent., n. 126, et alii, censent illud capitulum loqui, non de confessione sacramentali,

Digitized by Google

sed extra sacramentum tam per adulterum, quam per adulteram facta. Unde in similibus est valde caute procedendum, cum non expediat, quod pœnitens ex qualibet levi causa det confessario talem facultatem loquendi cum aliis de auditis in sua confessione, nec quod confessarius de ea facile utatur.

(20. Sine expressa et libera pœnitentis licentia neque licet confessario de auditis in confessione loqui cum ipso pœnitente extra confessionem sacramentalem; quamvis enim id proprie non sit fractio sigilli, uti cum pluribus docet Sanchez lib. III, *De matrimonio* d. 16, omnes tamen doctores tenent hujusmodi locutionem cum eodem sine ejus licentia esse illicitam, quia vere cedit in odium confessionis et sacramenti, et plerumque non sine rubore et offensa pœnitentis. Potest autem confessarius licite loqui extra confessionem cum pœnitente de auditis in sua confessione, si ipse pœnitens prior de illis loqui incipiat, quia tunc censetur ipse voluntariam et liberam ad id licentiam concedere.

(21. Confessarius, qui in confessione gravem errorem commisit, consulens v. g. bona fide tanquam licitum aliquem contractum, quem postea cognoscit certo esse illicitum, tenetur petere licentiam a pœnitente loquendi de materia confessionis præteritæ ad salutem animæ illius pertinente, et quamvis pœnitens deneget talem licentiam, probabilius adhuc potest de ea re loqui, ac errorem corrigere seu emendare. Sic Suarez, disp. 31, sect. 4, n. 3; Arsdekin, tom. II, pag. 266, n. 13; Felix Potest., *loco cit.*, num. 3233; Sporer, *loco cit.*, n. 722; Diana, *loco cit.*, resol. 26, cum aliis ibi allegatis; La Croix, *loco cit.*, n. 177, cum pluribus ibi citatis, Filliuc., Fenech., et alii; et ratio est, quia tunc confessarius proprie non loquitur extra confessionem, sed supplet, et perficit eam, quæ antea inchoata et imperfecta remanserat; tum quia in casu mali consilii nihil loquitur de confessione præterita, sed solum consilium male datum revocat.

(22. Sub sigillo sacramentali cadunt omnia peccata, tam mortalia quam venialia, non solum ipsius pœnitentis, sed etiam complicis. Item circumstantiæ peccatorum, et defectus naturales, ob quorum revelationem potest pœnitenti evenire infamia, vel aliud incommodum, et sic reddi odiosa confessio; tales enim peccatorum circumstantiæ, v. g. quod quis sit illegitimus, sit infamis, sit genere obscurus, et hujusmodi, a confessario manifestari non possunt sine fractione sacramentalis sigilli. *Communis.* Et ratio est quia sigillum sacramentale obligat ad celandum omne id, quod confessionem odiosam reddere potest; per revelationem autem supradictorum, et similium redditur odiosa confessio, cum sic inferatur gravamen et præjudicium pœnitentibus, adeoque, etc.

(23. Confessionis sigillum violat, si in genere dicat se absolvisse Paulum a peccato mortali, a casu reservato. Item si dicat, se Paulum non absolvisse, quia erat indispositus. Item si revelet aliquod peccatum veniale in specie, v. g. mendacium; secus autem si dicat solum in genere fuisse confessum veniale, cum certum sit debere pœnitentem ad minus veniale peccatum confiteri, ut absolutionem obtineat. Item sigillum frangit, si revelet pœnitentiam pro mortali imponi solitam, v. gr. Psalmos Pœnitentiales, Rosarium B. M. V., jejunium, et hujusmodi; non frangit tamen sigillum, si revelet pœnitentiam pro veniali imponi solitam, ver. gr. unum *Pater* et *Ave*, *Salve Regina*, *Alma Redemptoris*, et hujusmodi. Sic doctor. commun.

(24. Confessarius se exponit periculo frangendi sigillum, si dicat: Prima mulier, quam audivi in confessione, fuit adultera; unde cavere debent confessarii a similibus locutionibus; quia ex ipsis sæpissime oriuntur gravissima scandala, et casum referunt Ludovicus Bail, in *Examin. confessorum*, part. I in fine; Baptista Corrad., respons. 1, par. quæst. 333; Bissus, in *Hierurg.*, tom. II, litt. *S*, n. 146, § 25; Pittonus, *Constitut. Pontif. et decis. ad confessarios* n. 345, de quodam marito, qui interfecit uxorem, quia quidam confessarius in Italia dixerat coram quibusdam, primam mulierem, cujus confessionem exceperat, fuisse adulteram.

(25. Confessarii violantes sigillum confessionis sacramentalis subjacent gravissimis pœnis; et quidem in cap. *Sacerdos* 2, distinct. 6, De pœnitent. imposita erat eis depositio ab officio sacerdotali et perpetua ignominiosa peregrinatio, ibi: « Qui hæc fecerit (sigillum nempe violaverit) deponatur et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. » Quæ pœna perpetuæ ignominiosæ peregrinationis, ob justissimos fines fuit postea conversa in perpetuam detrusionem in arctum monasterium, pœna depositionis ab officio sacerdotali adhuc permanente. Cap. *Omnis utriusque sexus* 12, De pœnitentiis et remissionibus, ibi: « Caveat autem omnino, ne verbo aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat, quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum. »

(26. In præsentiarum autem ex recepta consuetudine detrusio in arctum monasterium mutata est in carceres perpetuos. Sic notant communiter moderni in hac materia scribentes, teste Rosignol., *loc. cit.*, sect. 5, num. 7; Reiffenstuel, lib. V *Dec.*, tit. 38, n. 4.

(27. Pœnitentia pro fractione sigilli quoad regulares consistit in jejunando ter in hebdomada, comedendo tantummodo panem et bibendo aquam humi in publico refectorio, in cujus postea porta pronus ab exeuntibus Fratribus conculcetur. Sacr. cong. Episcop., et Regular., *in una Augustinianorum* 5 Septembr. 1659, apud Nicol., in *Lucubrat.*, t. II; *Canon.*, lib. V, tit. 38, num. 17, *De pœnit.*

Digitized by Google

et remission., et Pittonum, *loc. cit.*, n. 963.

(28. Dictæ pœnæ impositæ contra violantes sigillum sacramentale, non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 4; Rosignol., *loc. cit.*, n. 6; Lugo, *De pœnitent.*, disp. 23, n. 247; Fagundez, *De præcept. ecclesiastic.*, lib. II, c. 17, n. 2; Onuphrius, *De sigillo*, sect. 5, qu. 2; Coninch., disp. 9, n. 70; Homobonus, tract. 5; *Exam. ad confession. de sigill.*, cap. 19, qu. 108, vers. ad secundam qu., et ali passim, per verba text. *Quibus hujusmodi pœnæ imponuntur*, ut patet in cit. c. *Sacerdos*, ibi: *Deponatur*, et cit. cap. *Omnis utriusque*, ibi: « Deponendum decernimus, et in arctum monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam detrudendum, » quæ verba, ut de se patet, important solum sententiam ferendam.

(29. Ut quis propter violationem sigilli incurrat prædictas pœnas, plura requiruntur. Primo quidem requiritur, quod violans sit sacerdos, quia in cit. cap. *Sacerdos*, et in cit. cap. *Omnis utriusque*, solis sacerdotibus confessariis talis pœna imponi jubetur; Menochius, *De arbitrar. judic.*, lib. II, cont. 6, cas. 414; Reginald., lib. V, num. 27; Coninch., disp. 9, dub. 4 ad fin.; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 5; Rosignol., *loc. cit.*, n. 4, et alii passim; cum enim talis dispositio sit pœnalis et odiosa, ad alios, præter expressos, non est extendenda cap. *Odia* 15, De regul. juris in 6, cum similibus.

(30. Alii autem revelantes assignati *supra* a n. 7 ad 12, non subjacent præfatis pœnis, sed puniendi sunt per judicem pœna extraordinaria juxta majorem vel minorem gravitatem patrati circa id delicti. Sic doctores citati, et alii.

(31. Secundo requiritur, quod confessarius revelet peccata in confessione sacramentali sibi a pœnitente exposita animo se accusandi et absolutionem recipiendi. Secus autem si essent sibi exposita, non in confessione sacramentali cum dicto animo, sed alio fine, etiamsi flexis genibus dixisset pœnitens: *Hoc tibi dico sub sigillo confessionis;* tunc enim confessarius non violaret sigillum sacramentale, sed solum sigillum naturale, adeoque, etc. Felix Potestas, tom. I, n. 3209, et tom. II, n. 39 et alii communiter.

(32. Tertio requiritur, ut confessarius revelet aliquod peccatum vel mortale, quod sufficit, si revelet in genere, dicendo v. gr. Paulus confessus est mihi peccatum mortale, vel veniale, quod necesse est, ut revelet in specie, dicendo v. gr. Paulus confessus est mihi mendacium, et hujusmodi; Suarez, *De pœnitentia*, disp. 33, sect. 8; Diana, part. V, tract. 11, resol. 41; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 6, et alii communiter; arg. cit. cap. *Sacerdos*, et cit. cap. *Omnis utriusque*, ubi de solis peccatis fit mentio.

(33. Quarto requiritur, ut confessarius revelet peccatum *præsumptuose*, id est graviter malitiose. Arg. cit. cap. *Omnis utriusque* 12, § *Caveat*, De pœnitentiis et remissionibus, ibi: « Præsumpserit revelare. » Reiffenstuel, *loco citato*, n. 7, et alii.

(34. Quinto requiritur, ut confessarius peccatum revelet alicui alteri, quam ipsi pœnitenti extra confessionem, sive ipsi sine ipsius licentia objiciat. Objiciens autem extra confessionem peccatum ipsi soli pœnitenti, non subjacet pœnæ ordinariæ, sed solum extraordinariæ. Granad., *De sacr.*, tract. 11, disp. 8, n. 3; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 8, et alii.

(35. Judex in causa violati sigilli sacramentalis est solus ecclesiasticus, minime vero laicus; cum enim talis causa ex annexo sacramento sit ex natura sua spiritualis, et ecclesiastica, soli judici ecclesiastico competere debet. Cap. *Decernimus* 2, cap. *Quando* 3, De judiciis, cap. *Ut inquisitioni*, § *Prohibemus*, De hæret.

(36. Cui autem talis causa competat ex judicibus ecclesiasticis, an scilicet episcopo vel inquisitori? Variant doctores: Aliqui enim dicunt expedire, ut deferatur ad inquisitores, cum propter injuriam sacramenti reddatur delinquens in fide suspectus: alii vero dicunt, quando est mera confessionis revelatio, inquisitores non debere se ingerere, quam praxim testatur Diana in eo tribunali per multos annos versatus tom. II, *De offic. et potest. inquisitor.*, resol. 95, cum Molfesio, in *Summa*, tom. I, tract. 7, cap. 23, n. 68. Unde quamvis ubi mera sit confessionis revelatio, talis causa spectet ad episcopum; si tamen habeat mistum errorem, ut si confessarius revelans dixisset, licitam esse revelationem sigilli, vel aliter ostendisset, se male sentire de sacramentis ecclesiasticis, tunc talis causa spectaret ad inquisitorem. Card. de Lugo, *De pœnit.*, disp. 23, n. 148.

(37. Ut judex ecclesiasticus instituere possit processum contra violatorem sigilli sacramentalis, non requiritur licentia pœnitentis, cujus peccatum fuit sacrilege revelatum, arg. cit. cap. *Sacerdos*, et cit. c. *Omnis utriusque sexus*, ubi, nulla prorsus facta mentione de habenda licentia pœnitentis, præcipitur, ut pœnæ ibidem statuæ inferantur contra tales violatores. Sic cum aliis Stoz, *Tribun. pœnitent.*, lib. III, q. 4, n. 284; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 11, et alii contra Gobat, in *Quinario*, tract. 5, cap. 42, sect. 7. Si enim requireretur ad id licentia pœnitentis, sequeretur, quod ipso pœnitente mortuo vel reddito amente, nunquam posset puniri talis confessarius, cum nunquam posset peti talis licentia, adeoque frustra essent statuti canones contra hujusmodi delicta reipublicæ Christianæ perniciosissima; quod non est dicendum.

(38. Quando confessarius violator sigilli se reum fatetur, non est opus alia probatione ad hoc, ut possit puniri pœna ordinaria. *Communis*, arg. cap. final. *De cohabitat. clericorum, et mulierum*, leg. *Generaliter* 13, cod. *De non numerata pecunia*, cum nulla alia detur major probatio, quam ea, quæ fit ex proprii oris confessione. Rota, part. IX, recent., t. I, decis. 98, n. 4, per text. in cap *Per tuos* 10, De probationib., l. *Cum te* 5,

Digitized by Google

cod. *De transac.*, et cit. l. *Generaliter* 13, cod. *De non numerata pecunia.*

(39. Quando confessarius dicit se peccatum, non ex aliqua confessione sacramentali, sed tanquam aliunde sibi notum manifestasse, incumbit ei probare, qua via et modo illius notitiam acquisierit. Arg. l. *Et incumbit* 2, ff. *De probationibus*, l. *Actor* 33, cod. eod. cap. *Bonæ memoriæ* 22, De election., cap. *Accusator* 6, q. 5, cum qui dicit, probare debeat. Si autem in tali probatione deficiat, et adhuc in negatione violati sigilli perseveret, nec possit plene convinci, ex præsumptione violati sigilli puniendus est pœna extraordinaria. Abbas, in cit. cap. *Omnis utriusque sexus* 12, n. 26, *De pœnitent. et remissionib.*; Silvester, verb. *Confessio* 7, n. 5; Lugo, *loc. cit.*, n. 151; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 13, et alii.

(40. Quando autem fatetur confessarius, sequidem peccatum ex confessione scivisse, sed cum licentia pœnitentis revelasse, tenetur probare, sibi revera datam fuisse a pœnitente talem licentiam revelandi, si pœnitens ipse sit accusator seu delator, et alias neget se talem licentiam ei dedisse. Lugo, *loc. cit.*, n. 171; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 14, et alii; et ratio est, quia cum talis licentia sit quid facti, non præsumitur sed probari debet ab allegante. Cap. *Cum in jure* 31, De offic. deleg., l. *In bello* 12, ff. *De capt. et postlim.*

(41. Secus autem si alius sit accusator: in tali enim casu contrarium probare incumbit ipsi alteri accusatori ob præsumptionem stantem pro confessario, qui bonus, et sigillum servans præsumitur, donec probetur contrarium. Cap. unic. *De scrutinio*, cap. final. *De præsumpt.*, et l. *Merito* 51, ff. *Pro socio.*

(42 Imo, etiamsi pœnitens sit accusator, creditur confessario, si sit cæteroquin optimæ famæ et integritatis; secus autem si pœnitens sit melioris famæ et integritatis, quam ipse confessarius. Sic cum aliis Diana, part. 1, tract. 11, resolut. 52; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 16, et alii.

(43. Si autem, cæteris paribus, dubium exsistat, creditur potius confessario asserenti, quam pœnitenti neganti licentiam fuisse concessam. Sic cum aliis Mascard., *De probationib.*, conclus. 951, n. 30; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 27, et alii ex illa ratione, quod in factis, quæ ad officium judicis spectant, et aliter fieri non possunt, pro judice præsumatur, arg. cap. *Hoc etiam* 38. caus. 2, q. 6. cap. *Absit* 14, caus. 11, quæst. 3.

(44. Ad probationem violati sigilli sacramentalis sufficiunt etiam testes singulares. Sic cum aliis Tanner., tom. IV, disp. 6, q. 9, n. 122; Stoz, *Tribunal. pœnitent.*, lib. II, n. 4, a n. 281; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 18, et alii. Et ratio est quia id exigit enormitas talis delicti reipublicæ Christianæ summe præjudicialis: tum quia tale delictum ordinarie difficilis est probationis, cum sacrilegi violatores sigilli non facile sigillum violent plurimis simul præsentibus, adeoque, etc.

(45. Quoad debitam sigilli sacramen alis custodiam attendendæ sunt novissimæ constitutiones editæ a Benedicto XIV, adversus confessarios exquirentes a pœnitentibus complicum nomina; in quarum prima data die 2 Junii 1746, incip. *Ubi primum*, insertis et confirmatis suis apostolicis litteris datis ad archiepiscopos et episcopos regnorum Portugalliæ et Algarbiorum, subjicit excommunicationi Summo Pontifici, præterquam in articulo mortis, reservatæ, omnes docentes oppositum, contradicentes, ac male interpretantes dictas Apostolicas litteras. Et decernit, confessarios præsumentes interrogare pœnitentes de nomine socii seu complicis, loco habitationis, et aliis similibus circumstantiis, et eisdem pœnitentibus, si manifestare noluerint, sacramentalem absolutionem denegantes, ultra peccati mortalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque gravioribus pœnis fore subjiciendos. Tam docentes, licitam esse dictam reprobatam praxim, quam in ejusdem praxis defensionem scribentes aut loquentes, et ejusdem reprobationem impugnantes ac perverse interpretantes; et ipsos confessarios contrafacientes cum suspicione gravi dogmatis, judicari ac puniri, mandat in officio S. Inquisitionis; cui sancto officio omnes scientes similes delinquentes denuntiare teneantur intra terminum dierum ipsis edictis præfigi solitum, sub pœnis non denuntiantibus per eadem edicta infligi consuetis. Confessarios autem contrafacientes sine dicta gravi dogmatis suspicione judicandos, et puniendos esse ab ordinariis, nec esse S. officio denuntiandos decernit.

(46. In secunda autem data sub 28 Septembris 1746, incipiente *Ad eradicandum*, confirmat et ampliat suas jam ad id editas Apostolicas litteras, decernens, ipsas non solum pro regnis Lusitaniæ et Algarbiorum, sed generalis definitionis et legis vim auctoritatemque habere, et declarans memoratam praxim in seipsa, et ubique locorum ac temporum Apostolica auctoritate reprobatam, atque damnatam esse et censeri deberi: nec ulli licitum esse contra doctrinam in præfato suo brevi contentam docere, scribere aut loqui, eamque impugnare aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire, sub pœnis adversus tuentes, asserentes aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a Sede Apostolica rejectas et condemnatas, et respective adversus contrafacientes mandatis Apostolicis et ecclesiasticis sanctionibus, statutis atque præscriptis.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(47. Esse suspectum de fide, et subjici judicio inquisitorum eum, qui revelat confessionem, et frangit sigillum, resolutum fuit a congregatione S. Officii 4 Decembris 1603, tum 29 Januarii 1604, et demum die 17 Junii 1605.

(48. Secuta fortassis fuit sacra congregatio opinionem nonnullorum doctorum tenentium, expedire hoc delictum inquisitoribus

Digitized by Google

deferri ex ratione illa, quod confessarius redditur suspectus de fide ex injuria, quam irrogat sacramento. De Leon., *De offic. confessor.*, tom. I, recollect. 22, n. 12; Campanil., *Diversor. jur. canon. rubric.*, 11, cap. 32, n. 5; Trasmier, *De polygam.*, lib. III, q. 2, n. 30 in fine, et latius n. 53, aliique plurimi.

(49. Sed, ut refert Albic., *De inconstant. in fide*, cap. 35, n. 88, 25 Martii 1619, ab eadem S. congregatione fuit resolutum, causam hanc non spectare ad S. Officium, et ita semper fuit postmodum servatum.

(50. Cæterum, ut subdit idem Albic., *ubi supra*, et convenit auctor, n. 36, prima opinio locum sibi vindicat, quando frangens sigillum confessionis haberet aliquem errorem in intellectu, ut si diceret, licitam esse revelationem sigilli, vel aliter ostenderet, se male sentire de ecclesiasticis sacramentis.

(51. Tum etiam procedit prima opinio, si ageretur de confessario, qui pluries sigillum confessionis fregit, idque quia ex hisce iteratis actibus insurgeret saltem levis aliqua suspicio hæresis. Albic., *citato loco.*

(52. Et demum amplectenda est prima opinio, si confessarius frangens sigillum confessionis esset homo malæ famæ, et alias de hæresi suspectus. Albic., *eod. loco.*

(53. An propter delictum hæresis licita sit revelatio confessionis, tum an aliis ex causis possit aliquando esse licita revelatio confessionis. *Vide* apud Albic., *loco pluries allegato.*

SIMONIA.

ARTICULUS I.

Simonia quoad ea quæ concernunt ejus originem, naturam, divisionem, materiam et pretium.

SUMMARIUM.

1. Simonia unde sit dicta et originem traxerit? — 2. Simonia quid sit? — 3. Simonia ex sua natura est peccatum mortale sacrilegii gravissimum. — 4. Simonia dividitur in Simoniam juris divini seu naturalis, et in Simoniam juris humani seu ecclesiastici. — 5. Simonia juris divini seu naturalis quæ sit. — 6. Simonia juris humani seu ecclesiastici quæ sit? — 7. Utraque dicta Simonia dividitur in mentalem, conventionalem et realem. — 8. Simonia mentalis quæ sit? — 9. Hæc Simonia mentalis, quamvis sit grave peccatum, nullam tamen inducit pœnam canonicam. — 10. Simonia conventionalis quæ sit? — 11. Et hæc Simonia conventionalis nullam adhuc inducit pœnam canonicam. — 12. Simonia conventionalis alia vocatur pure conventionalis, et alia mista, et quæ sit utraque. — 13. Simonia realis quæ sit? — 14. Ultra supradictas, alia additur species Simoniæ confidentialis, et quæ sit? — 15. Affertur ad id constitutio S. Pii V. — 16. Materia Simoniæ est res spiritualis, seu spirituali annexa. — 17. Per rem spiritualem quid intelligatur, ad n. 18. — 19. Per rem spirituali annexam quid intelligatur, et veniat, ad n. 20. — — 21. Pretium Simoniæ juris divini est omnis et sola res temporalis. — 22. Pretium vero Simoniæ juris ecclesiastici potest esse etiam aliquid spirituale. — 23. Extra materiam beneficiorum nunquam committitur Simonia, etiamsi propria auctoritate detur spirituale pro spirituali. — 24. Pretium Simoniacum in jure vocari solet, *munus*, et quid importet? — 25. Pretium, seu munus Simoniacum dividitur in munus a manu, munus ab obsequio, et munus a lingua. — 26. Per munus a manu quid intelligatur? — 27. Per munus ab obsequio quid intelligatur. — 28. Per munus a lingua quid intelligatur? — 29. Ad Simoniam requiritur pactum aliquod expressum, vel tacitum saltem ex una parte inchoatum. — 30. Non requiritur tamen necessario pactum expressum, sed sufficit pactum tacitum, seu implicitum saltem ex una parte inchoatum. — 31. Pactum, etiamsi solum obliget ex benevolentia, gratitudine ac fidelitate, et non ex justitia, adhuc continet Simoniam. — 32. Qui dat aliquid temporale tanquam motivum alicujus spiritualis sibi reciproce dandi, committit Simoniam, quam etiam committit recipiens tale temporale, si per hoc motus illi conferat dictum spirituale, quamvis nullum aliud pactum, ne implicitum quidem interveniat. — 33. Non est Simonia dare, seu præstare temporale sub spe consequendi spirituale, si spirituale non principaliter, et primario, sed solum secundario, et minus principaliter intendatur; secus autem si spirituale principaliter et primario. Et sic patet quid sentiendum de clerico famulatum præstante episcopo ob consequendum beneficium. — 34. Dare ex gratitudine temporale pro spirituali jam accepto, vel econtra, est Simonia, si fiat vi pacti, aut contractus taciti vel expressi; secus autem, si ex mera gratitudine sine ullo præcedenti pacto id fiat. — 35. Dantur tamen multa spiritualia, ob quæ quamvis jam recepta, non licet etiam mere gratis oblata acceptare ob specialem juris prohibitionem. — 36. Simoniam committit, qui temporale promittit, dat vel præstat alteri hac sola seu principali intentione, ut apud episcopum seu præsentatorem, vel patronum intercedat, roget, vel ipsum efficaciter commendet in ordine ad obtinendum beneficium ecclesiasticum. — 37. Simoniam committit, qui certat seu spondet, cum episcopo seu collatore beneficii pro mille aureis, quod ipse beneficium non sibi, sed alteri sit collaturus. — 38. Conferens beneficium pecunia interveniente, si arbitrium vendat, ipsum beneficium vendit Simoniace. — 39. Non est Simonia conferre alicui beneficium ecclesiasticum intuitu consanguinitatis, affinitatis, seu amicitiæ spiritualis. — 40. Non est Simonia conferre beneficium propter preces armatas, sive gravem metum incussum; dummodo tamen nullum interveniat pactum; secus autem, si intervenerit pactum. — 41. Non est Simonia, si quis det pecuniam infideli, ut recipiat baptismum, hæretico seu peccatori, ut convertatur, juveni, ut fiat clericus, dotem puellæ, ut fiat monialis, et hujusmodi. — 42. Alia ad rem, ad n. 49.

(1. Simonia dicta est, et originem traxit a Simone Mago; licet enim jam a pluribus ante ipsum Simonem Magum vitium istud commissum fuisset, ut a Balaam pretio conducto per Balac regem, ut malediceret populo Israel, sicuti habetur *Num.* XXII, a Giezi famulo Elisei prophetæ ut habetur *IV Reg.* V, a Jasone, qui pro sacerdotio multa talenta regi Antiocho obtulit, ut patet *II Machabæor.* c. V, et a Juda iniquo mercatore, qui triginta argenteis vendidit infinitum bonum Christum Redemptorem nostrum, cap. *Qui studet* 11, caus. 1, q. 1: attamen non ab istis, sed a Simone Mago vitium istud nomen desumpsit. Cum enim hic vidisset, quod per manuum impositio-

Digitized by Google

nem ab apostolis daretur Spiritus sanctus, talem mirabilem virtutem, remque maxime spiritualem vili pecuniarum pretio emere præsumebat, ut expresse habetur *Actor.* VIII, ibi : *Obtulit eis pecuniam dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum :* cujus exsecrabilem malitiam illico increpans S. Petrus, dixit ad eum : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Perfidus enim ille exsecrabili avaritia repletus intendebat pecunia virtutem illam consequi, ut eamdem cum quæstu et majorii temporali lucro exercere valeret, ut expresse habetur in cap. *Salvator* 8, caus. 1, q. 3, ibi : « Simon Magus, qui ad fidem ficte accessit, non Spiritum sanctum propter Spiritum sanctum, quo ipse erat indignus (quoniam, ut scriptum est (*Sap.* I, 5), *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*), sed ideo, quantum in ipso erat, emere voluit, ut ex venditione signorum, quæ per eumdem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. »

(2. Simonia « est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum pro re temporali ut pretio. » Est in re communis. Quamvis tamen alii clarius cum Suarez, tom. I, *De religion.*, tract. 3, lib. IV, cap. 1, eam definiant sic : « Simonia est sacrilegium, quo per emptionem, et venditionem, vel similem contractum res spiritualis, ut talis, pro temporali commutatur. » Sic enim comprehenditur omnis contractus, etiam innominatus. *Do ut des, do ut facias*, etc.

(3. Simonia ex sua natura est peccatum mortale sacrilegii gravissimum. *Communis.* Et quod sit sacrilegium, habetur expresse ex capit. *Audivimus* 1, caus., q. 3. Per eam enim indigne ac irreverenter tractantur res sacræ, seu spirituales, quod semper est sacrilegium : quod autem sit peccatum mortale gravissimum, clare habetur ex *Act.* VIII, ubi sanctus Petrus in Simonem Magum cum æternæ perditionis comminatione graviter invehendo dicit : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Unde Urbanus II, in capit. *Salvator* 8, caus. 1, quæst. 3, ait : « Nec apostolus emptionem Spiritus sancti, quam bene fieri non posse noverat, sed ambitionem quæstus talis et avaritiam, quæ est idolorum servitus, exhorruit et maledictionis jaculo perculit. » Item quod sit gravissimum peccatum, colligitur ex pluribus sacris canonibus, et signanter ex cap. *Quisquis* 5, caus. 1, q. 1, ubi Simonia vocatur *piaculare flagitium*, capit. *Reperiuntur* 8, caus. et quæst. ead., ubi appellatur *exsecrabile flagitium*, cap. *Eos qui*, caus. et q. ead., ubi Simoniaci « Judæ comparantur proditori, qui Judæis Dei occisoribus Christum vendidit, » cap. *Patet* 27, caus. 1, quæst. 7, ubi Pascalis Papa gravissimam hujus vitii malitiam et pravitatem paucis exprimere volens dixit expresse : « Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur, » et sic ex plurimis similibus.

(4. Simonia dividitur in Simoniam juris divini seu naturalis, et in Simoniam juris humani seu ecclesiastici. Sic Glossa communiter recepta in cap. *Ex part.* 12, verb. *Dimittere*, De offic. delegat., et canonistæ communiter. (5. *Simonia juris divini seu naturalis* est, quæ prohibetur, quia mala, et repugnans juri naturali ac divino, ut pro re temporali dare vel promittere rem vere spiritualem aut annexam, ver. gr. hostiam consecratam, sacramenta, reliquias, calicem consecratum et hujusmodi. Et dicitur *Simonia juris divini et naturalis*, quia natura ipsa, seu lumen naturale dictat, nimis indecens malum, et rei sacræ injuriosum esse, res vere spirituales a sola liberali Dei manu dependentes, et omnia temporalia sine comparatione superantes, non ut tales tractare, sed rebus temporalibus æquiparare, et hominum arbitrio, et æstimationi subjicere. (6. *Simonia juris humani seu ecclesiastici* est, quæ mala est, quia prohibita solo jure humano seu ecclesiastico et non ex natura rei, seu jure divino; et committitur, quando non quidem datur temporale pro spirituali, aut econtra, sed spirituale pro spirituali, vel temorale pro temporali contra legem tamen ecclesiasticam ex motivo religionis positam sub pœnis Simoniæ *juris divini* ob periculum et speciem ejusdem Simoniæ ; et dicitur *Simonia juris humani seu ecclesiastici*, quia ortum habet a sola lege humana seu ecclesiastica ; et talis *Simonia juris humani seu ecclesiastici* committitur in omni permutatione beneficiorum facta sine auctoritate superioris, quia licet per talem permutationis contractum non detur temporale pro spirituali, sed duntaxat spirituale pro spirituali ; nihilominus quia tanquam Simoniacum, et sub pœnis Simoniæ prohibitum est, ne id propria auctoritate fiat. Cap. *Quæsitum* 5, cap. *Cum olim* 7, De rerum permutat. labem Simoniæ ecclesiasticæ continet. Item Simonia juris humani seu ecclesiastici committitur, quando venduntur res, quæ revera tantum sunt temporales, ut cum venditur materia rei spiritualis, quæ secundum se est pretio æstimabilis, verb. grat. sacrum oleum, vel chrisma, quod prohibitum est solo jure ecclesiastico. Cap. *Non satis* 8, De Simonia ; vel cum venduntur quædam officia temporalia ordinata ad temporalium rerum Ecclesiæ administrationem, ut officium thesaurarii, œconomi, sacristæ et hujusmodi; quamvis enim hæc officia sint quid mere temporale, et consequenter in eorum venditione detur solummodo temporale pro temporali, tamen, quia ex quo talia officia ab ecclesiastica potestate et jurisdictione prælatorum a Christo data instituantur, Ecclesia id tanquam Simoniacum prohibuit. Cap. *Si quis episcopus* 8, caus. 1, quæst. 1, cap. *Salvator* 8, caus. 1, quæst. 3, cap. *Consulere* 38, De Simonia, cum similibus, venditio hujusmodi labi, et pœnis Simoniæ subjacet. Sic in re doctores communiter.

Digitized by Google

(7. Utraque dicta Simonia, tam juris divini seu naturalis, quam juris humani seu ecclesiastici dividitur in Simoniam mentalem, conventionalem et realem. *Communis.*

(8. Simonia mentalis est voluntas, seu propositum internum, quo quis dum dat, seu confert alteri rem spiritualem, intendit illum obligare ad reddendum aliquid temporale, aut econtra dum confert aliquid temporale, intendit illum obligare ad reddendum aliquid spirituale, ut si episcopus conferat beneficium clerico, ut ideo in compensationem obligatus sit ei servire, aut clericus serviat episcopo ea intentione, ut in mercedem debitam conferat beneficium, et tandem beneficium conferatur nulla tamen exterius reali, vel signis facta conventione seu pacto; unde, ut vides, hæc Simonia dicitur mentalis, non quia sit nudum propositum committendi Simoniam, etiamsi in nullum actum exteriorem exeat, uti datur etiam mentalis fornicatio, homicidium et hujusmodi, sed quia licet externum actum habeat, v. g. collationem rei spiritualis pro intenta re temporali, aut econtra; malitia tamen illius Simoniacæ intentionis se non prodit exterius, sed in sola mente remanet. *Communis.* (9. Et hæc Simonia mentalis, quamvis sine dubio sit grave peccatum a Deo cordium scrutatore districte puniendum, nullam tamen in quacunque materia inducit pœnam canonicam ab Ecclesia infligendam, cum ipsa judicet solum de externis et manifestis, et talis Simonia mentalis in foro externo probari non possit. Sic doctores communiter per text. in c. *Tua nos* 34, et cap. *Mandato nostro* 46, De Simonia.

(10. Simonia conventionalis, quæ supra mentalem addit conventionem seu pactum, est illa, quæ fit cum externo pacto, seu conventione expressa, vel tacita dandi, vel recipiendi quidpiam spirituale pro temporali, aut temporale pro spirituali, conventione tamen nondum impleta saltem ex utraque parte: adeoque jam gravius peccatum, quam Simonia mentalis; unde committitur Simonia conventionalis, non tantum, quando v. g. collato beneficio, non est solutum pretium, aut quando soluto pretio, non est collatum beneficium, sed etiam quando neutrum datum est, si de dando pactum, seu conventio præcesserit. Sic communis doctor. per textum in cap. *Cum essent* 13, De Simonia. (11. Et hæc Simonia conventionalis nullam adhuc inducit pœnam canonicam, non solum quando conventio ex neutra parte impleta est, ut tradit communissima doctorum, sed etiam quando est jam impleta ex una parte, et id non solum, si quis rem temporalem v. g. pretium dedisset, spirituale tamen v. g. beneficium nondum recepisset, quia jura imponentia pœnam Simoniacis requirunt traditionem rei spiritualis: verum etiam, si spirituale jam datum esset, sed temporale nondum receptum; sic ex communi docent Sanch., *Consil. moral.*, lib. II, cap. 3, dub. 10, num. 106; Reiffenst., *loc. cit.*, num. 229; Navarr. in *Manual.*, cap. 23, n. 104; Lessius, lib. II, cap. 35, dub. 27, et alii testantes, ita servare stylum curiæ, qui habetur pro jure et lege juxta communem doctorum. Arg. c. *Ex litteris* 11, De constitutionibus, et c. *Quam gravi* 6, De crimine falsi: at de hoc fusius *infra* art. 3.

(12. Simonia conventionalis alia vocatur *pure conventionalis*, et est illa, quæ sistit in pura mutua conventione, et ex neutra parte traditione rei conventæ impleta est; et alia vocatur *conventionalis mista*, et est illa, quæ ultra mutuam conventionem jam saltem ex una parte traditione rei conventæ impleta, et consummata est, et dicitur *mista*, quia participat aliquid de pure conventionali, nempe mutuam conventionem, et aliquid de Simonia reali, nempe traditionem rei conventæ saltem ex parte unius contrahentis. *Communis.*

(13. Simonia realis, quæ supra mentalem et conventionalem importat exsecutionem utrinque factam, est quando conventio de danda re spirituali pro temporali, aut econtra, ex utraque parte completa est, saltem inchoative, spirituali scilicet dato, et temporali saltem ex parte recepto, ut si conventa collatio beneficii facta jam sit, et pretii saltem pars sit soluta. Et hæc realis et completa Simonia inducit gravissimas pœnas canonicas, de quibus fuse *infra* art. 3. *Communis.*

(14. Ultra supradictas alia additur species Simoniæ, quæ dicitur *Confidentialis*, seu *Confidentia beneficiorum;* et est, seu committitur, cum quis alicui dat, vel confert, aut resignat beneficium ecclesiasticum, vel ad illud præsentat, et eligit, seu electum vel præsentatum instituit et confirmat cum certa confidentia et obligatione, id est cum expresso, vel tacito pacto, vel conditione, ut tanquam ex debito illud sibimet, vel alteri, ut fratri, nepoti, amico certo tempore iterum cedat seu resignet, aut ex eo pensionem, vel certam partem fructuum tribuat. *Communis.* Et clare patet ex constitutione 85 S. Pii IV, incip. *Romanum Pontificem*, et ex constitutione 85 S. Pii V, incip. *Intolerabilis*, ubi declaratur, quando et a quibus committatur dicta *Simonia confidentialis*, quomodo ob eam incurrantur pœnæ, et quomodo in foro externo probari possit; unde ad uberiorem et faciliorem notitiam hic ad litteram datur illa sancti Pii V, incip. *Intolerabilis.*

15. *Declaratio casuum, ac præsumptionum in causis confidentiæ beneficialis contra quoscunque etiam S. R. E. cardinales cum appositione pœnarum.*

« PIUS V, etc.

« Intolerabilis multorum perversitas, qui sacrosanctas constitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur, sæpe illarum auctores in necessitatem adducit, cautius providendi, quo pertinacium animi ab improbis conatibus graviore sanctione proposita reprimantur.

§ 1. « Bene quidem, et providenter fel. rec. Pius Papa IV, prædecessor noster, ad

Digitized by Google

tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum ecclesiasticorum corruptelam statuit et decrevit.

§ 2. « Verumtamen propter improbas multorum cupiditates prædictas, quæ ad purgandam hac pernicie Ecclesiam, et animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse gravius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem concitati, quod judices in causis hujusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes, et singulas causas ipsas ubicunque, inter quoscunque motas ad nos advocavissemus, et omnimodam hujusmodi causarum præsentium et futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem nobis et successoribus nostris reservavissemus, et super quibusdam coram nobis processum fuisset, variis inde, nec levibus conjecturis intelleximus, vitium quidem confidentiæ occulte irrepsisse, sed plerisque causis præsumptiones et conjecturas quæ ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, ejusque rei causa plurimos, qui ante litterarum prædictarum editionem hujusmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in judiciis confidentias ipsas, contempta constitutione prædicta, ecclesias, monasteria, et beneficia sic recepta ut prius retinere, alios, fructus, pensiones et alias res accipere; alios eorum exemplo ad similia et graviora fidentius commoveri. Multi enim ipsa beneficia jure retinere nequeuntes, alii ne cogantur ad sacros ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant aut defendant, alii propter crimina incapaces, quidam ut purgato delicto, vel absolutione consecuta, illa repetant, eadem in alios repetunt, et in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt, sæpe laicis et inhabilibus. Plerique vel senes, vel infirmi, ut beneficia in domibus suis perpetuent, illa renuntiarunt in alios, qui vel profanam familiam de fructibus ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum infantibus, aut nasciturus asservent, sacro interdum circuitu retrocessionis cum reservatione fructuum et aliarum rerum, aut accessu, præsertim ab illis, qui præstandorum jurium Cam. Ap. sunt immunes, alii aut incapaces, aut aliis beneficiis ecclesiasticis onusti, seu ecclesiastico ordine sese mancipare refugientes, aut mere laici beneficia ecclesiastica aliis conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum; ad hæc plerique ordinarii, et collatores, ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, ut fructus seu pensiones capiant eorumdem, aliisve faciant ministrari: alia item permulta hujuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas impie violatur, disciplinæ ecclesiasticæ nervus disrumpitur, et imminens patratur exitium animarum.

§ 3. « Quare nos volentes periculosam talium audaciam novi juris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus:

« Ut si quis quacunque auctoritate, ecclesiam vel monasterium, aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecunque, ex resignatione vel cessione cujuscunque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus, vel accessus eidem dimittatur, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur, ex eisdem hæc confidentia censeatur.

« Itidem si ordinarius, vel alius collator contulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium ecclesiasticum quovis modo vacans, ea conditione, tacita vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio collatoris, seu alterius cujuscunque contra juris communis ordinationem disponatur, sive ut eo provisus, fructus illius, vel partem, ad utilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat et remittat, seu pensionem illi vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per se, vel per alium scripto aut verbo jusserit, seu significaverit, persolvat, et periter si a patrono etiam laico, vel alteri præsentatori seu electori contingat id fieri.

« Ad hæc si clericus prædictæ cameræ, aut cardinalis, aut alius a solutione jurium ipsius cameræ, vel etiam cancellariæ Apostolicæ exemptus, post resignationem, vel cessionem alicujus extranei, de ecclesia, monasterio vel alio beneficio ecclesiastico in se, Apostolica vel alia auctoritate factam et admissam, illam vel illud etiam confectis litteris Apostolicis, et possessione apprehensa, in eumdem resignantem vel cedentem, modico spatio interjecto, veluti duorum vel trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, et ex illa retrocessione fructus ecclesiæ, seu monasterii, aut beneficii, vel eorum, seu pensio, seu quid aliud super his reservatum, aut regressus, seu accessus, et ingressus ad illam, vel illud ipsi clerico, vel cardinali, aut alii exempto sit fueritve concessus.

« Postremo, si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacunque auctoritate ecclesiam, monasterium vel aliud beneficium, quod ante vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quibus horum casuum confidentiæ pravitas sit contracta, casusque hujusmodi litteris prædictis comprehendantur, ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum.

§ 4. « Ad probandum vero plene confidentiarum abusum, inter alia etiam hæ præsumptiones et conjecturæ habeantur legitimæ. Videlicet:

Digitized by Google

« Si quis post cessam ab se ecclesiam, vel monasterium, aut beneficium, et publicatam resignationem, seu cessionem, captamque a successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius per se, vel alium, seu alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicunque successor illi, vel ejus propinquis ipsos, aut partem aliquam remiserit eorumdem.

« Si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel ejus parentes, aut propinquos, procuratores ad percipiendum vel locandum fructus beneficii dimissi, et illi vel illis de fructibus perceptis aut percipiendis donationem fecerit.

« Si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint.

§ 5. « Denique si quis pro concessione alicui facta, quacunque auctoritate de beneficio ecclesiastico, per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocunque.

§ 6. « Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones et conjecturas, pluresque hujusmodi præsumptiones et conjecturæ plenam probationem faciant in prædictis.

§ 7. « Cæterum criminosi et cæteri omnes, qui ad perhibendum in casibus Simoniæ testimonium, recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur.

§ 8. « Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus non intendendi contra se judicii, in crimine perseveret, utque hoc malum gravioris censuræ stimulo usquequaque prohibeatur, omnes et singulos, qui hucusque ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasve res intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reversi, et resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint, et qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus et singulis aliis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis et beneficiis obtentis, quæ pariter sub dicta reservatione comprehendi volumus, necnon fructibus, pensionibus et aliis rebus ecclesiasticis, ac etiam Romanæ curiæ, et aliis officiis temporalibus præsentium auctoritate privamus, et ad futura inhabiles decernimus, et in juris subsidium excommunicationis sententia innodamus, a qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quam a Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim advocatione causarum hujusmodi, et reservatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, Nobis et prædictis successoribus, ut prædictum est, facta, causis illis duntaxat exceptis, quæ jam coram Nobis pendere noscuntur, ac etiam iis, quas ratione ecclesiarum et monasteriorum, quorum dispositio in consistorio fieri consuevit, aut debet, itemque contra ordinarios collatores, episcopos et alios superiores prælatos, etiam cardinales haberi contigerit, uti jam aliis nostris litteris statutum est, audiendis, decidendis et terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus, ita deinceps quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, sublata eis et ipsorum cuicunque aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique judicari, interpretari et definiri debere, necnon irritum et inane quidquid secus in prædictis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 9. « Quocirca omnibus locorum ordinariis districtius injungimus, ut in suis quisque ecclesiis, civitatibus, diœcesibus et locis etiam exemptis ad prædicta studiose attendant, et quatenus illis relaxavimus in delinquentes severe animadvertant, si divinæ majestatis judicium, dictæque sedis censuram voluerint evitare. In cæteris vero causis et negotiis (Nobis, et prædictis successoribus exceptis) eosdem locorum ordinarios præsentium auctoritate delegamus, ut gratia et favore postpositis, pro se quisque cum venerit usus, contra prædictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suasque inquisitiones omnes sigillo obsignatas ad prædictam Sedem quamprimum transferant; ut Nos, et prædicti successores, in causis hujusmodi procedentes, quod justum fuerit, decernamus. Non enim singulis ordinariis ipsis prædictos omnes, et quoscunque alios etiam exemptos, etiam per edictum publicum, constito prius summarie, et extrajudicialiter de non tuto ad illos accessu citandi et monendi, eisque, ac judicibus ordinariis et delegatis, aliisque personis quibuscunque, ne prædictorum exsecutionem quoquo modo impediant, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eosdem ac alios contradictores et rebelles quoscunque per censuras et poenas ecclesiasticas, ac omnia alia juris, et facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii sæcularis, quandocunque opus erit, invocandi, cæteraque in prædictis omnibus et singulis necessaria faciendi et exsequendi plenam et liberam tenore præsentium concedimus facultatem.

§ 10. « Non obstantibus fel. rec. Bonifacii VIII, prædecessoris nostri de una, et in concilio generali edita de duabus diætis, aliisque Apostolicis constitutionibus et ordinationibus, quodque episcopis, collatoribus et prælatis prædictis, etiam cardinalibus, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim a prædicta sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut contra indulta hujusmodi ad judicium trahi non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, et ad ver-

Digitized by Google

bum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum exsistant per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta, effectum præsentium, aut attributæ prædictis ordinariis jurisdictionis explicatio seu exercitium, vel exsecutio impediri valeat quomodocunque, vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, cæterisque contrariis quibuscunque.

§ 11. « Litteris prædecessoris hujusmodi nihilominus in suo robore duraturis.

§ 12. « Volumus autem, ut præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque notarii publici manu, et cujuscunque curiæ ecclesiasticæ, vel prælati sigillo obsignata eamdem illam prorsus fidem, in judicio, et extra ubique locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

« Nulli ergo omnino, etc.

« Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Domini 1569, Kal. Junii, Pontific. nostri anno 4. »

(16. Materia Simoniæ est res spiritualis seu spirituali annexa. *Communis.*

(17. Per *rem autem spiritualem* pro qua tanquam materia, seu merce datur temporale vi Simoniæ, non intelligitur res incorporea, ut angeli, seu anima rationalis, sed omne et solum illud, quod aliquo modo donum supernaturale est, seu ad bonorum supernaturalium ordinem pertinet, et ad spiritualem animæ salutem ex institutione divina, vel humana est ordinatum. *Communis*, arg. cap. *Gratiæ* 1, cap. *Qui studet* 11, caus. 1, quæst. 1, cum similibus.

(18. Et hujusmodi *res spirituales* sunt omnes gratiæ gratum facientes, et gratis datæ. Omnia sacramenta et sacramentalia. Omnia divina officia, et orationes publicæ et privatæ. Omnis actus jurisdictionis ecclesiasticæ, ut absolutio a peccatis et censuris, collatio indulgentiarum, dispensatio in votis et juramentis, electio, postulatio, præsentatio, nominatio, institutio, collatio, investitura cujuscunque beneficii, officii ac dignitatis ecclesiasticæ, et hujusmodi, quæ ne Simoniace præstentur seu efficiantur, passim prohibetur. Sic doctores communiter per text. *Actor. apostolor.* VIII, 20, ibi : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* — *Matth.* X, 8, ibi : *Gratis accepistis, gratis date.* Cap. *Gratiæ* 1, cap. *Quisquis* 5, cap. *Reperiuntur* 7, cap. *Cui per pecuniam* 9, cap. *Qui studet* 11, cap. *Eos qui* 21, et cap. *Nullus episcopus* 124, caus. 1, quæst. 1, cap. *Non satis* 8, cap. *Cum in Ecclesiæ* 9, cap. *De hoc* 11, cap. *Nemo* 14, cap. *Veniens* 19, cap. *Ex tua* 20, cap. *Ad nostram* 21, cap. *Matthæus* 23, cap. *Ad aures* 24, cap. *De regularibus* 25, cap. *Nobis fuit* 27, cap. *Suam* 29, et cap. *In tantum* 26, De Simonia, cum similibus.

(19. Per *rem spirituali annexam* intelligitur illa, quæ quidem in se, et intrinsece spiritualis non est, sibi tamen annexam et conjunctam habet rem spiritualem, indeque *materia* seu *merx* Simoniæ ingreditur. *Communis.* Arg. cap. *Si quis dator* 2, cap. *Si quis episcopus* 3, cap. *Quæsitum* 4, c. *Si quis objecerit* 6, caus. 1, q. 3.

(20. Et hujusmodi *res spirituali annexæ* sunt juspatronatus, reditus beneficiorum, pensiones, primitiæ, decimæ, oblationes seu jura has percipiendi, labor actualis in administratione sacramentorum et celebratione missarum, templa, altaria, calices, vasa et paramenta sacra, Agnus Dei, et omnes aliæ res consecratæ seu benedictæ, quæ omnes ratione et intuitu talis connexionis cum consecratione seu benedictione, vel cum beneficio seu officio, aut ministerio spirituali sunt *materia* seu *merx* Simoniæ; unde qua tales vendi et emi, et in commercium poni passim prohibetur in jure, ut notant communiter doctores per text. in cit. cap. *Si quis dator* 2, cap. *Si quis episcopus* 3, cap. *Quæsitum* 4, cap. *Si quis objecerit* 7, cap. *Salvator* 8, cap. *Ex multis* 9, cap. *Res Ecclesiæ* 12, cap. *Pervenit* 13, cap. *Altare* 14, et cap. *Si quis præbendas* 15, caus. 1, quæst. 3, cum similibus.

(21. Pretium Simoniæ juris divini est omnis, et sola res temporalis, quæ datur vel offertur pro re spirituali vel spirituali annexa. *Communis*, per text. *Act. apostolor.* cap. VIII, vers. 20; *Matthæi* cap. X, num. 8; cap. *Gratiæ* 1, cap. *Quisquis* 5, cap. *Reperiuntur* 7, cap. *Qui per pecuniam* 9, cap. *Qui studet* 11, cap. *Eos qui* 21, c. *Nullus episcopus* 124, caus. 1, q. 1, cap. *Non satis* 8, cap. *Cum in Ecclesia* 9, cap. *De hoc* 11, cap. *Nemo* 14, cap. *Ad nostram* 21, cap. *Ad aures* 24, cap. *Nobis fuit* 27, cap. *Suam* 29, De Simonia, cum similibus.

(22. Dicitur autem notanter *pretium Simoniæ juris divini*, quia pretium Simoniæ *juris ecclesiastici* potest esse etiam aliquid spirituale, ut patet in materia beneficiorum, quæ licet sint quid spirituale, nihilominus si propria auctoritate fiat illorum commutatio aut transactio in materia, committitur Simonia juris ecclesiastici, quamvis solum detur spirituale pro spirituali. Cap. *Quæsitum* 5, cap. *Olim* 7, De rerum permut., cap. *Cum pridem* 4, De pactis, cap. *Constitutio* 4, De transact.

(23. Extra tamen materiam beneficiorum nunquam committitur Simonia, etiamsi propria auctoritate detur spirituale pro spirituali, v. g. reliquia pro reliquia, calix pro calice seu ciborio, et hujusmodi. *Communis.* Et ratio est, quia id nullo jure, nec divino, nec humano reperitur prohibitum; imo id licere constat ex sacra Scriptura, *Joann.* I, ibi : *Gratiam pro gratia.* Nulla enim irrogatur injuria rei sacræ, cum datur non pro re temporali, sed solum pro spirituali.

(24. Pretium Simoniacum in jure vocari solet *munus*, non quidem prout *munus* si-

Digitized by Google

gnificat donum gratuitum, sed prout importat onus seu debitum ex obligatione. *Munus* enim accipitur tribus modis, quorum unus est prout importat dictum onus, ut expresse habetur in l. *Munus tribus modis* 18, ff. *De verb. signif.*

(25. Pretium seu munus Simoniacum dividitur in munus a manu, munus ab obsequio et munus a lingua. *Communis*, textu expresso in cap. *Sunt nonnulli* 24, caus. 1, q. 1, ubi S. Gregorius Papa sic habet: « Aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua : munus quippe ab obsequio est subjectio indebite impensa, munus a manu pecunia est, munus a lingua favor. »

(26. Per *munus* igitur *a manu* intelligitur pecunia, cit. c. *Sunt nonnulli*, ibi : « Munus a manu pecunia est; » pro pecunia autem venit omnis res temporalis pretio æstimabilis, sive mobilis, sive immobilis, ut sunt equi, currus, vasa argentea, aurea, dolia vini, jura, census, pensiones, mutatio pecuniæ, debiti remissio seu dilatio, aut anticipata solutio debiti nondum finito termino, et hujusmodi. *Communis*, per text. in c. *Totum* 6, caus. 1, q. 3, ibi : « Totum quidquid homines habent in terra, omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur, servus, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum est, pecunia dicitur; ideo autem pecunia vocata est, quia antiquitus quod habebant, in pecoribus habebant. »

(27. Per *munus ab obsequio* intelligitur quodcunque ministerium, servitium seu obsequium temporale tacito vel expresso pacto pro re spirituali præstitum vel præstandum, et hoc præsertim pro beneficio, ita nimirum ut beneficium detur et accipiatur in compensationem ejusmodi ministerii, servitii seu obsequii, veluti in mercedem et solutionem ex justitia loco alterius mercedis temporalis solvendæ. *Communis*. Argum. cap. *Cum essent* 12, De Simonia, et cit. cap. *Sunt nonnulli*, ibi : « Munus quippe ab obsequio est subjectio indebite impensa. »

(28. Per *munus a lingua* intelligitur omnis laus, commendatio, patrocinium, advocatio, intercessio, et hujusmodi apud alium, v. g. apud episcopum ex pacto convento, tanquam res ex justitia debita in compensationem pro re spirituali v. g. pro beneficio. *Communis*. Arg. cit. cap. *Sunt nonnulli*, ibi : « Munus a lingua favor. »

(29. Ad Simoniam requiritur pactum aliquod expressum, vel tacitum saltem ex una parte inchoatum aut intentum dandi temporale pro spirituali, aut econtra : *Communis*. (30. Non requiritur tamen necessario pactum expressum, sed sufficit pactum tacitum seu implicitum saltem ex una parte inchoatum vel intentum, quo quis temporale dat animo et intentione alterum obligandi, aut movendi ad reciproce dandum spirituale, aut econtra. *Communis* per textus in cap. *Et si quæstiones* 18, et cap. *Tua nos* 34, De Simonia cum similibus. Unde Innocentius XI, die 1 Martii 1679, merito damnavit sequentem propositionem 45, in ordine: « Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra. » Et insuper hanc aliam sequentem 46, in ordine : « Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale. Imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis; » in quibus propositionibus supponitur, quod temporale pro spirituali detur cum aliquo pacto saltem implicito aut interpretativo, ut exponunt Viva, *ad ipsas propositiones* n. 1; Sporer, *loco cit.*, n. 36, et alii.

(31. Hinc colliges primo, quod pactum, etiamsi solum obliget ex benevolentia, gratitudine ac fidelitate, et non ex justitia, adhuc continet Simoniam; superaddit enim novum gravamen pretio æstimabile, quia qui pactum hujusmodi non servat, esto alia via obligationi gratitudinis satisfaciat, notatur saltem ut infidelis; tum quia gratitudo non obligat ad aliquod determinate præstandum, sicuti obligat pactum illud prævium, adeoque, etc. Unde Simoniaca sunt omnia hujusmodi pacta expresse vel tacite facta, verb. gr.: « Si mihi contuleris beneficium, obligo me ex gratitudine ad tibi præstandum famulatum sine ulla mercede. » Item: « Si mihi conferes beneficium, dabo tibi vas argenteum, non tanquam pretium, sed veluti motivum compensationis. » Item : « Si des mihi liberaliter vestem, dabo tibi liberaliter beneficium. » Et sic de aliis similibus, in quibus omnibus committitur Simonia, quia quamvis dicatur signate id fieri ex gratitudine, ex liberalitate, in compensationem, et hujusmodi, exercitate tamen admittitur nova obligatio distincta a debito gratitudinis, liberalitatis et compensationis, sicque revera non est gratitudo, liberalitas seu compensatio, sed pretium saltem æquivalenter et consequenter adest in his vera Simonia. Sic jam *Communis* post damnationem duarum allatarum propositionum, unde non sunt amplius attendendi doctores, qui contrarium antea scripserant.

(32. Colliges secundo, quod qui dat aliquid temporale, tanquam motivum alicujus spiritualis sibi reciproce dandi, ver. gr. ut alter moveatur ad conferendum sibi beneficium, committit Simoniam, quam etiam committit recipiens tale temporale, si per hoc motus illi conferat beneficium, quamvis nullum aliud pactum, ne implicitum quidem, interveniat. Sic tenent jam passim doctores cum Carden., dissertat. 27, cap. 2, *ad dictas propositiones damnat.*; Viva, *ibid;* Reiffenstuel, *loco cit.*, a n. 77; La Croix, lib. III, part. I, n. 73, et clare patet ex citatis propositionibus damnatis, et insuper ex cap. *Tua nos* 33, De Simonia, ibi : « Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per tempo-

Digitized by Google

ralia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, et clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio, tam ille, quam illi apud districtum judicem (qui est scrutator cordium, et cognitor secretorum: *Dan.* XIII, 42) culpabiles judicantur.» Et concordat capit. *Et si quæstione* 18, De Simonia, ibi : « Quod autem scriptum est : *Beatus qui excutit manus suas ab omni munere* (*Isa.* XXXIII, 15), de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere et pervertere solent. » Et ratio est clara, quia dans taliter temporale, proxime parat sibi viam ad beneficium; et ob id motus conferens illi beneficium, dat spirituale pro temporali, quod vere est Simoniacum.

(33. Colliges tertio, quod non sit Simonia dare seu præstare temporale sub spe consequendi spirituale, si spirituale non principaliter et primario, sed solum secundario, et minus principaliter intendatur; secus autem si spirituale intendatur principaliter et primario; unde clericus, si suum famulatum præstet episcopo intendens ob id principaliter et primario consecutionem beneficii, est Simoniacus; secus autem si principaliter et primario intendat gratiam prælati, seu cognitionem suæ habilitatis apud ipsum, et inde secundario speret consequi beneficium; sic expresse Glossa communiter recepta in cap. *Cum essent* 12, De Simonia, verb. *Promiserat*, ibi : «Potest ergo licite quilibet servire episcopo, vel alii spe futuræ remunerationis, nec committitur Simonia in tali spe, cum sine omni pactione vel conditione serviat. Dummodo principaliter hac intentione non serviat. » Et sic tenent abbas, in cit. cap. *Cum essent*, n. 4; Barbosa, *ib.*, n. 4; Silvester, verb. *Simonia*, quæst. 16, dist. 4; Navarrus, in *Manual.*, cap. 23, n. 102; Suarez, *De relig.*, lib. IV, cap. 45, n. 4, ubi dicit hanc esse sententiam omnium; Pirrhing, lib. I *Decret.*, tit. 3, n. 86; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 85 et seq., ubi dicit, esse in re communissimam theologorum et canonistarum, per textus in cit. cap. *Tua nos* 34, De Simonia; ubi postquam Summus Pontifex Innoc. III, de clerico, qui bona sua offerens Ecclesiæ rogavit, et speravit recipi in canonicum, ita respondit : « Si pure ac sine pacto, vel conditione qualibet rogans humiliter, in canonicum admittatur, et bona sua sibi retinere liceat pro præbenda, et clerici ejusdem Ecclesiæ pure consentiant, hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo Simoniacæ pravitatis ; » statim subjungit : «Si tamen, qui talem donationem facit ea intentione ducatur, ut per temporalia dona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, et clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri; sine dubio tam ille, quam isti apud districtum judicem (qui scrutator est cordium, et cognitor secretorum) culpabiles judicantur.» Quid clarius?

(34. Colliges quarto, quod dare ex gratitudine temporale pro spirituali jam accepto, vel econtra, sit Simonia, si fiat vi pacti, aut contractus taciti, vel expressi ante collationem rei spiritualis jam facti; secus autem si ex mera gratitudine sine ullo præcedenti pacto id fiat. Sic fere communis doctorum. Et quidem quoad primam partem clare patet ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI, et relatis sub n. 30. Et quoad secundam partem clare habetur ex cap. *Quidquid* 101, caus. 1, quæst. 1, ibi : « Nisi voluntarie oblata, » cap. *Dilectus* 30, De Simonia, ibi : « Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione oblatum, » cap. *Et si quæstione* 18, eod. cum similibus; et id patet ex communi recepta praxi et universali consuetudine, qua, ut observat Navarr., *Manual.*, cap. 23, n. 106, fere omnes ecclesiarum prælati, jurium peritissimi, et conscientia timoratissimi beneficia ecclesiastica conferunt iis, qui de se vel ecclesia per dona et obsequia temporalia sunt benemeriti, ut sic obligationi *antidorali*, seu *gratitudinis*, qua illi sunt obligati, rependendo spirituale pro temporali satisfaciant. Item ubique terrarum viget praxis, et consuetudo, quod piissimi doctissimique viri post acceptum jam spirituale, ver. gr. beneficium ecclesiasticum ad satisfaciendum obligationi *antidorali*, seu *gratitudinis* sine ullo scrupulo offerant temporalia dona suis benefactoribus, istique ex gratitudine sine ullo prævio pacto tacito vel expresso, data recipiant. Quin imo, sacra approbante et commendante Scriptura, omnes fideles obligationi *antidorali*, seu *gratitudinis*, qua aliis ob accepta beneficia temporalia astringuntur, satisfacere conantur per spiritualia, fundendo videlicet preces, offerendo sacrificia, et hujusmodi pro dictis suis benefactoribus. Et sic alii propter beneficia spiritualia a religiosis v. gr. accepta, ex gratitudine temporalia reddunt, et subministrant, id expresse approbante Paulo apostolo, *I ad Corinth.*, IX, 1, ibi : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*

(35. Dantur tamen multa spiritualia, ob quæ, quamvis jam recepta, non licet etiam mere gratis oblata acceptare ob specialem juris prohibitionem, ut patet de examinatoribus synodalibus, qui nec ante, nec post concursum possunt aliquid etiam sponte et gratuito oblatum a concurrentibus pro parochis acceptare, id expresse prohibente concilio *Tridentino*, sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 18. Item pro collatione ordinum, nec etiam gratis oblata recipi possunt, id expresse vetante eod. concil. *Trid.*, sess. XXI, *De reform.*, cap. 1. Item neque ante, nec post possunt etiam gratis oblata recipi pro recognitione aut expeditione indulgentiarum, reliquiarum, et hujusmodi, de quibus in suis propriis locis.

(36. Colliges quinto, quod Simoniam committit, qui temporale promittit, dat vel præstat alteri, v. g. ministro, vel familiari, aut amico episcopi, seu præsentatoris, vel patroni beneficii, hac sola, seu principali intentione, seu hoc primario, vel solo motivo,

Digitized by Google

ut apud episcopum, seu præsentatorem, vel patronum intercedat, roget, vel ipsum efficaciter commendet in ordine ad obtinendum ipsum beneficium ecclesiasticum. Talis enim per temporale parat sibi viam ad acquirendum spirituale, et revera illud temporale pro isto spirituali promittit, dat seu præstat. Sic Barbosa, in cap. *Nemo*, n. 4, De Simonia; Silvester, verb. *Simonia*, quæst. 6; Layman, *De Simonia*, § 6, n. 65; Navarr., *Manual.*, cap. 33; Bonacina, *De Simonia*, quæst 1, § 1, n. 14; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 122 et seq. cum communi, et certa aliorum, arg. cap. *Præsentium* 3, caus. 1, quæst. 5, ubi tanquam Simoniaca reputatur promotio ad sacerdotium obtenta per pecuniam, non episcopo, sed cuidam principali ejus, id est alicui familiari vel principali ministro illius datam, et cap. *Statuimus* 107, caus. 1, quæst. 1, ubi Nicolaus Papa tres enumerat species Simoniæ, quarum unam esse asserit, quando *Simoniaci Simoniace a non Simoniacis ordinantur*; id est quando ordinandi pecuniam, seu aliud temporale promittunt, dant seu præstant non episcopo, sed alicui ejus familiari et amico, hac primaria vel sola intentione, ut ipsis ab episcopo hujus ignaro promotionem ad ordines impetrent seu obtineant.

(37. Colliges sexto, quod Simoniam committat, qui certat et spondet cum episcopo seu collatore beneficii pro mille aureis, quod ipse beneficium non sibi, sed alteri sit collaturus. *Communis.* Et ratio clara est, quia illa astutia intendit movere episcopum seu collatorem ad sibi conferendum beneficium, cum æquivalenter faciat, ut ipse pro illa pecunia acquirenda sibi beneficium conferat lucrando mille aureos ex illa sponsione, quæ est revera palliata Simonia, cum sic non sit sponsio, sed emptio.

(38. Colliges septimo, quod conferens beneficium pecunia interveniente, si arbitrium vendat, ipsum beneficium vendit Simoniace. In tali enim casu Simoniace pretium accipit, et quamvis oretenus dicat, se vendere suum arbitrium, revera tamen beneficium vendit et peccat tum contra religionem, tum contra justitiam; colligitur aperte ex sequenti propositione 22, in ordine inter merito damnatas ab Alexandro VII, die 7 Septemb. 1665, ibi: « Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica interveniente pecunia, non exigit illa pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod sibi conferre non tenebatur. » Viva ad d. *Propositionem*, n. 5; Suarez, lib. III, *De Simonia*, cap. 59, et alii.

(39. Colliges octavo, quod non sit Simonia conferre alicui beneficium ecclesiasticum, seu aliud spirituale intuitu consanguinitatis, affinitatis seu amicitiæ. Sic S. Thom., 2-2, quæst. 100, art. 6 ad 2; Navarrus, *Manual.*, cap. 23, num. 107; Azorius, part. III, lib. XII, cap. 2; Pirrhing, lib. V, *Decr.*, tit. 3, num. 139; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 132, et alii passim. Quamvis enim talis collator aliunde peccet, si intuitu consanguinitatis, affinitatis seu amicitiæ conferat beneficia, seu alia spiritualia indignis, vel minus dignis, dignioribus neglectis, Simoniam tamen ob id non incurrit, cum nullum interveniat pactum, nec detur aliquid temporale pro spirituali; tum quia, si id esset Simonia, esset etiam Simonia fundere preces, offerre sacrificia pro aliquo, intuitu consanguinitatis, affinitatis seu amicitiæ, quod non est dicendum.

* « At Simonia est si conferas vel procures beneficium consanguineo aut affini, ut inde honoratior vel potentior, vel opulentior fias, aut tua familia. Item si beneficium procures extraneo, ut consulat tuis consanguineis, aut affinibus. Nam tunc datur spirituale intuitu commodi temporalis percipiendi. Ita S. Thomas, in 4, dist. 25, quæst. 3 ad 7, ubi ait: « Qui dat ratione consanguinitatis præbendam, si intendit aliquod bonum in seipsum redundans sic, quod magnificetur per hoc, et nobilitetur domus sua; vel quod ipse in consanguineis sit fortior, et sic ipse aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat, Simoniam committit. » Antoine, in tract. *De virtute religionis*, cap. 5, art. 3, in resp. ad quæst. 14 *.

(40. Colliges nono, quod non sit Simonia conferre beneficium, seu aliud spirituale propter preces armatas, seu gravem metum incussum; dummodo tamen nullum interveniat pactum. Suarez, lib. IV *De Simonia*, cap. 37, num. 10; Lessius, lib. II, cap. 53, num. 119; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 66; La Croix, *loc. cit.*, num. 84; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 141, testans de communi; et ratio est, quia cum ibi nullum interveniat pactum, talis collatio beneficii non fit tanquam pretium cum quo cessatio injuriæ seu metus incussi commutetur, sed solum tanquam medium spirituale offertur gratis ad tollendam injustam vexationem temporalem; secus autem esset dicendum, si collatio beneficii fieret cum pacto et conditione, quod alter in futurum nullum damnum inferret collatori, sed potius eum defenderet, quia tunc ratione talis pacti et novæ obligationis alteri impositæ in commodum ipsius collatoris esset Simonia, quia talis obligatio est pretio æstimabilis, adeoque, etc.

(41. Colliges decimo, quod non sit Simonia, si quis dat pecuniam infideli, ut recipiat baptismum, hæretico seu peccatori, ut convertatur, juveni, ut fiat clericus, dotem puellæ, ut fiat monialis, et hujusmodi. *Communis.* Et ratio est, quia in dictis casibus nullus intervenit contractus onerosus, sed solum gratuita promissio seu donatio, quamvis sub conditione et justissimo fine, quæ conditio, seu finis cedit non in commodum dantis, sed solum in spiritualem utilitatem recipientis, ut de se patet.

(42. Alia ad rem. *Vide* verb. BENEFICIA, verb. JUSPATRONATUS, verb. RESIGNATIO BENEFICIORUM, et signanter verb. ELECTIO, art. 3, num. 26, ubi datur per extensum constitutio Innocentii XII, de illicitis capitulationibus, et aliis multis ad rem.

Digitized by Google

43. * Commendæ, prioratus atque præceptoriæ ordinis Hierosolymitani a canonistis quidem tanquam beneficia habentur, in quibus si intercedant preces, pactiones et munera, Simonia committitur; id tamen negant communi consensu theologi, animadvertentes, non esse illis adnexum spiritualis ministerii exercitium, neque necessario conferri clericis; quæ duo exigunt beneficia, quanquam negari non potest, gravem abusum ea in re intercedere, quem tollere adnisus est Clem. XI, in suo Brevi ad magnum magistrum ejusdem ordinis, in quo etiam declarat: collationes hasce nullas et irritas esse, et fore. *De synod. diœces.*, lib. XII, cap. 5, § 15, nov. edit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

44. Mercari ecclesiam vel officium sacrum per ordinationem conferendum, esse idem flagitium censuerunt Patres, quod Simon Magus commisit Act. VIII, relatum vers. 9 seqq.; c. 1, q. 1. (45. Hoc cum omnium confessione constaret, illud inter gravissima scelera referendum, et primo quasi loco collocandum esse rati sunt, ita ut Gratianus et D. Raymundus de Pennafort primum locum inter ecclesiastica delicta dederint.

(46. Conceptus vero Simoniæ tam prolixum pedetentim ambitum accepit, ut quæ definitio ei conveniat, et facinus idem, quod Simon commisit, exprimat, non constet evidenter. Ex mente D. Thomæ definiri a plerisque solet: « Determinata voluntas ad emenda et vendenda spiritualia, usque adnexa. »

(47. Simonia in duas commoue species dividi potest, primariam et secundariam. Illa ambitum ecclesiasticum, hæc vero reliquas species quæ potissimum circa sacras actiones occupantur, complectitur.

(48. Non conveniunt vero omnes circa ea, quæ referenda sunt ad Simoniam secundariam.

(49. Fata hujus criminis historice optime illustravit, et insigni rerum copia exornavit Thomassinus, part. III, vet. et nov. *Eccl. Disciplin.*, lib. cap. 49 et seq. Feliciori vero conatu fata hujus criminis, tum latissimum ejus ambitum explicuit, tradiditque Perischius, in tract. *De Simonia;* succinctior est Hannius, *De crimin. ambit. eccles. seu Simonia.*

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt Simonias, quæ committuntur in electione, præsentatione, permutatione et resignatione beneficiorum, in ingressu et receptione ad religionem, et in administratione sacramentorum et sacramentalium, et præstatione functionum et actuum spiritualium.

SUMMARIUM.

1. Electio evadit Simoniaca, et consequenter nulla, cum pro consequenda aliqua prælatura seu dignitate datur, seu præstatur aliquod temporale manus, vel a manu, vel a lingua, vel ab obsequio. — 2. Et talis electio de jure est nulla etiam ante judicis sententiam. — 3. Talis electio est nulla, etiamsi Simonia sit occulta. — 4. Imo est nulla electio, etiamsi electus penitus ignoret Simoniam commissam ab aliis in procurandis votis ad sui electionem, nisi in hujus præjudicium fraudulenter fiat ab aliquo inimico. — 5. Hinc Simoniace electus tenetur in conscientia sub peccato mortali renuntiare episcopatum, prioratum, rectoratum, guardianatum, definitoriatum, provincialatum, generalatum; nec absolvi potest, prius quam renuntiet. Et hoc etiamsi Simonia sit occulta, sive commissa sit ab eodem, qui dignitatem obtinuit, sive ab aliis ipso quoque nesciente. — 6. Assignantur variæ electiones Simoniacæ, et nullæ propter illicitas pactiones electorum. — 7. Patroni a præsentatis nihil possunt exigere temporale, nisi quod in ipsa fundatione constat fuisse impositum. — 8. Præsentatio est Simoniaca, quando aliquid datur vel promittitur pro habendis vocibus, seu præsentationibus patronorum. — 9. Quamvis id fiat etiam ipso præsentato ignorante. — 10. Resignatio beneficii cum reservatione regressus, ingressus vel accessus, non potest fieri in manibus ordinarii Papa inferioris. Et quid sit regressus, ingressus vel accessus? — 11. Resignatio beneficii facta cum pacto, ut resignatarius solvat expensas factas olim a resignante in assecutione illius beneficii est Simoniaca, unde non potest fieri in manibus ordinarii Papa inferioris. — 12. Resignatio facta cum pacto, ut resignatarius solvat omnes expensas factas in admissione resignationis, atque in expeditione bullarum ab utraque parte cæteroquin faciendas, est Simoniaca, nec potest admitti ab ordinario Papa inferiore. — 13. Potest tamen fieri talis conventio, et pactio cum facultate et approbatione Summi Pontificis. — 14. Resignatio beneficii facta cum certa confidentia seu pacto inito, ut resignatarius postea illud suo tempore cedat certo suo consanguineo, vel affini, aut amico, est omnino illicita, nulla, et Simoniaca Simonia confidentiali. — 15. Pro voto habendo promittere officium, seu beneficium ecclesiasticum, est Simonia, et multo magis si fiat reciproce talis promissio, aut pactum. — 16. Simonia est dare temporale, ne eligatur dignus. — 17. Non est autem Simonia dare temporale, ne eligatur indignus aut minus dignus. — 18. Nisi tamen detur temporale, ut loco indigni aliquis certus eligatur. — 19. Dare temporale pro confirmatione obtinenda, seu ne impugnetur electio ab aliquo, qui justam impugnandi, seu contradicendi causam habet, est Simonia. — 20. Dare vel accipere temporale pro ingressu et receptione ad religionem est Simonia. — 21. Alia dicta et conclusa ad rem, *remissive*. — 22. Si monasterium reperiretur inops, mediis vel redditibus non sufficienter fundatum, licite consequenter absque Simonia peti et accipi possent temporalia ab ingredientibus illud; non quidem pro ipso ingressu, seu pro ipsa admissione ad religionem vel professionem, sed pro honesta sustentatione. — 23. Hodie autem circa id contrarium est sentiendum. — 24. An sit Simonia, si gratis dentur aliqua munera superioribus, vel aliis, ut facilius impetretur ingressus in religionem? — 25. Pro administratione sacramentorum vel sacramentalium, et pro functionibus ecclesiasticis ex pacto tacito, vel expresso dari, seu accipi quid temporale per modum pretii, est Simonia juris divini. — 26. Non est autem Simonia pro administratione sacramentorum, vel sacramentalium, seu pro functionibus ecclesiasticis, dare et accipere temporale per modum stipendii ad honestam sustentationem ministrorum ordinati. — 27. Clerici ecclesiæ ministri habentes ad sui honestam, et congruam sustentationem sufficientes ecclesiasticos redditus ipsis pro suis ministeriis assignatos Simoniam committunt, si pro functionibus ecclesiasticis, ad quas ex officio tenentur, temporalia etiam per modum stipendii exigant, quando illa nec jus, nec publica auctoritas, nec consuetudo per-

Digitized by Google

mittit. — 28. Pro actu vel exercitio jurisdictionis ecclesiasticæ temporale per modum pretii accipere est Simonia. — 29. Assignantur in specie qui in hoc Simoniam committunt. — 30. Adducitur et solvitur objectio. — 31. Adducitur et solvitur instantia. — 32. An episcopi, pro labore, quem habent in exsecutione dispensationum matrimonialium a Sede Apostolica sibi commissarum, possint exigere aliquid temporale, ubi ita exigendi viget consuetudo legitime præscripta. — 33. Non est Simonia etiam ex pacto exigere seu accipere, non per modum pretii, sed solum per modum stipendii ad honestam sustentationem aliquid temporale pro missis, orationibus, aliisque bonis operibus spiritualibus. — 34. Sunt tamen sub excommunicatione prohibitæ omnes ex pacto donationes, promissiones, et hujusmodi, quamvis istæ non sint acceptatæ, pro obtinenda pro se vel pro alio justitia, vel gratia aliqua apud Sedem Apostolicam, etiam apud mediatos intercessores. — 35. Affertur ad id Constitutio Alexandri VII, confirmata et extensa ex post ab Innocentio XII. — 36. Additur attendenda notabilis resolutio sacræ cong. Concilii. — Alia ad rem ad num. 39.

(1. Electio evadit Simoniaca, et consequenter nulla, cum pro consequenda aliqua prælatura, seu dignitate datur, seu præstatur aliquod temporale munus, vel a manu, vel a lingua, vel ab obsequio. Cap. *Quam pio* 2, caus. 1, quæst. 3, cap. *Nos satis* 8, et cap. *Mandato* 46, De Simonia, cap. *Monachi* 3, De statu monach.

(2. Et talis electio de jure est nulla, etiam ante judicis sententiam. *Vide* verb. ELECTIO, art. 4, num. 60, ubi dantur ad id jura.

(3. Talis electio est nulla, etiamsi Simonia sit occulta. Vide, *ibid.*, num. 61.

(4. Imo est nulla electio, etiamsi electus penitus ignoret Simoniam commissam ab aliis in procurandis votis ad sui electionem, nisi in hujus præjudicium fraudulenter fiat ab aliquo inimico. Vide, *ibid.*, num. 62.

(5. Hinc Simoniace electus tenetur in conscientia sub peccato mortali renuntiare episcopatum, prioratum, rectoratum, guardianatum, definitoriatum, provincialatum, generalatum, nec absolvi potest, priusquam renuntiet. Et hoc etiamsi Simonia sit occulta sive commissa sit ab eodem, qui dignitatem obtinuit, sive ab aliis ipso quoque nesciente. Vide, *ibid.*, num. 63.

(6. Assignantur variæ electiones Simoniacæ, et nullæ propter illicitas pactiones electorum. Vide, *ibid.*, num. 64.

(7. Patroni a præsentatis nihil possunt exigere temporale, nisi quod in ipsa fundatione constat fuisse impositum. Cap. *Sicut* 2, De supplenda negligentia prælator., cap. *Præterea* 23, De jurepatron. *Vide.* verb. JUSPATRONATUS, art. 4, num. 20.

(8. Præsentatio est Simoniaca, quando aliquid datur, vel promittitur pro habendis vocibus, seu præsentationibus patronorum. Arg. cap. *Veniens* 16, De Simonia. Vide, *ibid.*, num. 21.

(9. Quamvis id fiat etiam ipso præsentato ignorante. Cap. *Si alicujus* 59, De electione, cap. *Nobis* 27, De Simonia. Vide, *ibid.*, num. 22.

(10. Resignatio beneficij cum reservatione regressus, ingressus, vel accessus non potest fieri in manibus Summi Pontificis. Concil *Trident.*, sess. XXV, *De reformat.*, cap. 7; S. Pius V, constitut. incip. *Romani Pontificis providentia. Vide* verb. RESIGNATIO, n. 10.

(11. Resignatio beneficii facta cum pacto, ut resignatarius solvat expensas factas olim a resignante in assecutione illius beneficii, est Simoniaca. Unde non potest fieri in manibus ordinarii Papa inferioris. Vide, *ibid.*, num. 50.

(12. Resignatio facta cum pacto, ut resignatarius solvat omnes expensas factas in admissione resignationis, atque expeditione bullarum ab utraque parte cæteroquin faciendas, est Simoniaca, nec potest admitti ab ordinario Papa inferiore. Vide, *ibid.*, num. 51.

(13. Potest tamen fieri talis conventio et pactio cum facultate et approbatione Summi Pontificis. Vide, *ibid.* num. 52.

(14. Resignatio beneficii facta cum certa confidentia, seu pacto inito, ut resignatarius postea illud suo tempore cedat certo suo consanguineo, vel affini, aut amico, est omnino illicita, nulla, et Simoniaca Simonia confidentiali. Vide, *ib.*, num. 53 et per tot., ubi multa *De resignatione et permutatione beneficiorum.*

(15. Pro voto habendo promittere beneficium aut officium ecclesiasticum, seu spirituale, est Simonia, et multo magis, si fiat reciproce talis promissio, aut pactum, verb. grat.: « Dabo tibi tale beneficium, si dederis mihi tuum votum. Vel, Dabo tibi meum votum, si confers mihi tale ecclesiasticum officium, seu beneficium. » *Communis*, per text. in cap. *De hoc* 11, De Simonia.

(16. Simonia est dare temporale, ne eligatur dignus, Glossa communiter recepta in cap. *Nemo* 14, De Simonia, verb. *Celet*, et *ibi* Abbas num. 1; Pirrhing, *loco cit.*, num. 87; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 144, et alii passim. Argum. cap. *Nullus episcopus* 124, § *Si qui autem*, caus. 1, num. 1. Et ratio est, quia Simonia committitur, non solum quando datur spirituale pro temporali, sed etiam quando quis spirituale, quod impendere tenetur pro temporali interesse, vel commodo, dare vel præstare omittit.

(17. Non est autem Simonia dare temporale, ne eligatur indignus aut minus dignus. Sic Navarrus, in *Manual.*, cap. 23, n. 102, § 8; Palao, *De Simonia*, punct. 20, n. 8; Azorius, part. III, lib. XII, cap. Lessius, lib. II, cap. 35, dub. 19; Pirrhing, *loco cit.*, num. 87; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 145, cum Cajetan., Soto, Suarez, et alii ibi allegat. Arg. cap. *Dilectus* 28, De Simonia. Et ratio est, quia in tali casu non datur temporale pro spirituali, sed ne spirituale indigne et male conferatur.

(18. Nisi tamen detur temporale, ut loco indigni aliquis certus eligatur, quia tunc committitur vera Simonia, etiamsi detur illud temporale, ut neglecto indigno, seu minus digno, eligatur aliquis determinatus, quamvis omnium dignissimus. In tali enim casu vere datur temporale pro spirituali, nempe pro electione certæ et determinatæ

Digitized by Google

personæ, quod est Simoniacum, ut tenent supracitati doctores, et alii communiter.

(19. Dare temporale pro confirmatione obtinenda, seu ne impugnetur electio ab aliquo, qui justam impugnandi, seu contradicendi causam habet, est Simonia. *Communis*, quoad utramque partem; et quidem prima pars, scilicet *pro confirmatione obtinenda*, clare constat ex cap. *Sicut tuis* 33, De Simonia, ubi expresse declaratur, quod Simonia sit offerre vel dare temporale pro confirmatione obtinenda, cum confirmatio sit revera quid spirituale. Secunda autem pars, scilicet, *ne impugnetur electio*, habetur clare definita in cap. *Matthæus* 23, De Simonia, et concordat cap. *Cum pridem*, 4, De pactis.

(20. Dare vel accipere temporale pro ingressu aut receptione ad religionem est Simonia, et quidem juris divini. *Communis* ac certa textu expresso in cap. *Non sutis* 8, De Simonia, ibi : « Tam ille qui dederit, quam ille qui receperit vel consenserit, partem se cum Simone non dubitet habiturum, » juncto ejus summario, ubi sic expresse dicitur : « Simoniacum est pretium recipere pro ingressu religionis. » concordat cap. *Veniens* 19, De Simonia, ubi reprobatur etiam consuetudo contraria, et regulares transgressores, tam superiores quam subditi ab officio suspenduntur et obligantur ad restituendam pecuniam taliter receptam, et cap. *Dilectus* 30, De Simonia, juncto ejus summario, ubi sic expresse habetur : « Si per accusationem constat monachum Simoniace fuisse receptum, receptus et recipiens deponuntur; si vero per inquisitionem, receptus in arctius monasterium detruditur, recipienti vero, et majoribus pœna condigna imponitur. Et interim ab exsecutione ordinum sacrorum suspenduntur; » et cap. *Quoniam* 40, De Simonia, juncto ejus summario sic expresse dicente : « Religiosi pretio recepti una cum recipientibus de monasterio expelluntur, et in arctioribus monasteriis ad agendam pœnitentiam detruduntur; » et expresse Extravagant. *Sane* 1, De Simonia, ibi : « Sane multorum fide dignorum relatione didicimus, quod in nonnullis ecclesiis, monasteriis, prioratibus et aliis locis religiosis, tam virorum quam mulierum, ordinum, religionum et partium diversarum, detestabilis, et a canonibus reprobata servatur abusio, quod cum personæ aliquæ recipiuntur ab eis ad observantiam regularem, ipsæ temeritate præsumptuosa, pastus seu prandia capitulis et conventibus ipsarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et locorum, aut pecunias, aut jocalia, seu res aliquas ipsis ecclesiis, monasteriis, prioratibus et locis, seu præsidentibus eis ex statuto seu consuetudine, quæ corruptela est potius dicenda, tribuere compelluntur. » Et infra, postquam damna hujus vitii allegavit Summus Pontifex, districtius inhibet omnibus regularibus utriusque sexus : « Ne tam a maribus quam a mulieribus volentibus ingredi eorum religionem, ecclesias, monasteria, prioratus, domos seu loca, in earumdem personarum receptione, aut ante vel post illam, quoscunque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, jocalia aut res alias etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata vel deputanda directe vel indirecte petere, vel exigere quocunque modo præsumant... Illa duntaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes, et sponte et plena liberalitate, omnique pactione cessante, dare vel offerre ecclesiis, monasteriis, prioratibus, domibus et locis hujusmodi voluerint cum gratiarum actione licite recepturi. » Quid clarius ? Et ratio est etiam clarissima, quia religio omnino est quid spirituale, adeoque temporale dare et recipere pro ingressu et receptione ad ipsam est vera Simonia.

(21. Unde *vide* dicta et conclusa ad rem sub verb. Novitius, a num. 56 ad num. 65, et sub verb. Moniales, art. 2, a num. 52 ad 63.

(22. Si monasterium reperiretur inops, mediis vel reditibus non sufficienter fundatum, licite consequenter absque Simonia peti et accipi possent temporalia ab ingredientibus illud; non quidem pro ipso ingressu, seu pro ipsa admissione ad religionem, vel professionem, sed pro honesta sustentatione. Sic expresse sanctus Thomas, in 4, dist. 25, quæst. 3, art. 2 ad 7, ibi : « Cum possessiones alicujus loci religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo, qui in illo loco vult Deo servire, non quasi pretium religionis, sed ut habeat monasterium unde ei possit providere, et ideo non committitur Simonia : » et idem habet 2-2, quæst. 100, art. 3 ad 4, ibi : « Pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium; licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiunt monasterii opes. » Item sanctus Bonaventura, *Libello Apologetico in eos, qui ordini Fratrum Minorum adversantur*, q. 18, ibi : « Ubi vero pecunia recipitur propter personam, quam alias libenter reciperent, si haberent, unde eam pascerent, non videtur esse Simonia, dummodo forma cum intentione concordet. » Item sanctus Raymundus, in *Summa*, lib. 1, titul. 1, § 22, ibi : « Credo, quod possunt dicere : Non sufficiunt nobis (reditus), libenter suscipimus te ad spiritualia, ad temporalia non possumus, nisi habeamus plures possessiones, et tunc ille offerat se et sua. » Item Glossa in cap. *Quoniam* 40, De Simonia, verb. *Paupertatis*, ibi : « Posset dici, quod si ita pauperes sunt, quod non possunt ibi alias aliquo modo aliquem recipere, quia non habent ibi victum, sub hac forma possent recipi : Non habemus quid demus tibi pro victu, nisi tu portes tecum unde vivas. Dummodo tamen hoc non dicatur in fraudem, et sine aliquo pacto. » Et sic Silvester, verb. *Simonia*, quæst. 15, dict. 2; Navarrus, *De reditib. Eccles.*, quæst. 1, monit 61;

Digitized by Google

Layman, *De Simonia*, n. 38; Lessius, lib. II, cap. 35, dub. 12, assert. 3; Tamburin., *De jure abbat.*, tom. III, disp. 6, quæst. 9; Marchant., tom. III, tract. 10, tit. 9; quæst. 10, concl. 1; Pirrhing, *loco cit.*, n. 59; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 163; testans de communi tam theologorum quam canonistarum per text. in cap. *Quam pio* 2, caus. 1, q. 2. Et ratio est, quia tunc non daretur, nec exigeretur temporale pro spirituali, scilicet pro ingressu ad religionem, seu admissione ad professionem, sed ut quid necessarium pro victu, vestitu ac honesta sustentatione ingredientis seu profitentis, quod est etiam quid mere temporale.

(23. Hodie autem cum regulares tot solum stare debeant et possint in monasteriis, quot ali commode possint per reditus seu consuetas eleemosynas eorum: cap. *Periculoso* unic., § *Sane*, De statu regular. in 6, concil. *Trident.*, sess. XXV, *De regularibus*, cap. 3; Clemens VIII, constitut. 60, incip. *Nullus;* Paulus V, constitut. 9, incip. *Sanctissimus;* Urbanus VIII, constitut. 43, incip. *Cum sæpe;* Innocentius X, constitut. incip. *Inter cætera;* Innocent. XII, constitut. incip. *Nuper a congreg.*, stat, quod neque monasterium prætensum inops possit aliquid per pactum exigere ab ingredientibus pro illorum sustentatione, quin ejus religiosi labem Simoniæ *juris* saltem *ecclesiastici* contrahant. Unde quod non liceat aliquid peti seu exigi, neque titulo eleemosynæ pro admittendis ad habitum et professionem regularem, patet etiam ex declaratione sacræ congregationis Concilii, quæ *in una Leodien. pro P. P. Carmelitis Calceatis huic quæsito pro maribus facto* 9 *Februarii* 1697, respondit, *Servetur dispositio juris.* Sic refert Monacell., par. I, tit. 11, formul. 7, n. 8. De jure autem est, quod religiosi et religiosæ non debent, nec possunt pretio recipi ad religionem et professionem regularem. Cap. *Non satis* 8, cap. *Veniens* 19, cap. *Dilectus* 30, cap. *Quoniam* 40, De Simonia; et Extravagant. *Sane* 1, De Simonia; cujus extravagantis verba allata *supra* n. 20, sunt valde notanda, sicuti et sequentia verba cit. cap. *Quoniam* 40, De Simonia, ibi: « Paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare. » *Vide* verb. MONIALES, art. 2, n. 12, et a n. 52 ad 63, verb. NOVITIUS, a n. 56 ad 65, verb. REGULARES, n. 86 et 87.

(24. Non esse autem Simoniam, si gratis dentur munera superiori vel aliis, ut facilius impetretur ingressus in religionem, cum id nullo jure sit prohibitum, tenent cum aliis Diana, part. III, tract. 2, resolut. 64; La Croix, lib. III, part. I, n. 188. At ego cum aliis dicerem, et quidem ratione, et jure suffultus, quod si dicti superiores, vel alii religiosi tantæ sint auctoritatis et præpotentiæ in sua religione, ut unice vel principaliter ab ipsis dependeat ingressus seu admissio ad religionem, et sine temporalibus muneribus nunquam, seu vix acceptentur et admittantur juvenes ad religionem, tunc ab ipsis committitur vera Simonia, quia in tali casu munera temporalia sunt efficax causa, cur juvenes acceptentur et admittantur ad religionem, cum sine ipsis non soleant acceptari et admitti, vel tandiu differantur et procrastinentur, ut alio divertere cogantur, sicque Simoniaca praxi compellantur, non gratis, sed tanquam quid ab ipsis necessario velut pretium exactum talia munera temporalia tribuere, et consequenter committitur vera Simonia; cum revera in simili casu detur temporale propter spirituale, per text. in cap. *Non satis* 8, cap. *Veniens* 19, cap. *Dilectus* 30, cap. *Quoniam* 40, De Simonia, et extravagant. *Sane* 1, De Simonia. Et faciunt dicta *supra* n. 29, et sub verb. NOVITIUS, a n. 56 ad 65, et sub verb. MONIALES, art. 2, a n. 52 ad 63. Vide, *ibi.*

(25. Pro administratione sacramentorum vel sacramentalium, et pro functionibus ecclesiasticis v. g. benedictionibus, sepulturis, et hujusmodi ex pacto tacito vel expresso dari seu accipi quid temporale per modum pretii est Simonia juris divini. *Communis* textu expresso in cap. *Cum Ecclesiæ* 9, cap. *ad Apostolicam* 42, De Simonia, cap. *Placuit* 1, cap. *Quam pio* 3, cap. *Nullus* 4, caus. 1, quæst. 3, cum similibus; et ratio est clara, quia cum supradicta omnia sint quid spirituale, dare aut accipere pro illis temporale per modum pretii est vera Simonia. Vide *infra*, art. 3, n. 35 et 40, ubi probatur esse de jure divino.

(26. Non est autem Simonia pro administratione sacramentorum vel sacramentalium, seu pro functionibus ecclesiasticis dare et accipere temporale per modum stipendii ad honestam sustentationem ministrorum ordinati. *Communis;* per claros textus tum in variis sacræ Scripturæ locis, tum in sacris canonibus. *Lucæ* enim X, 7, expresse dicitur: *Dignus est operarius mercede sua. Matthæi* X, 10: *Dignus enim est operarius cibo suo. Epist. I ad Corinth.* cap. IX, 7: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* Et infra v. 11: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, de altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*, et c. *Ex his* 22, caus. 12, q. 1, expresse dicitur: « Lex enim Dei præcipit, ut qui altari deserviunt, pascantur de ipso, » et cap. *Cum secundum* 16, De præbend., præcise habetur: « Cum secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debeat de altari, et qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa nobis ratio persuadet. »

(27. Clerici Ecclesiæ ministri habentes ad sui honestam et congruam sustentationem sufficientes ecclesiasticos reditus ipsis pro suis ministeriis assignatos Simoniam committunt, si pro functionibus ecclesiasticis,

Digitized by Google

ad quas ex officio tenentur, temporalia etiam per modum stipendii exigant, quando illa exigere, nec jus, nec publica auctoritas, nec consuetudo permittit; in tali enim casu deest omnis justus titulus exigendi illa temporalia, adeoque si nihilominus exigantur pro dictis functionibus ecclesiasticis, seu spiritualibus, Simonia committitur. Ita S. Thomas, 2-2, quæst. 100, art. 3 ad 3; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 196, et ipso teste alii communiter.

(28. Pro actu vel exercitio juridictionis ecclesiasticæ seu spiritualis, temporale per modum pretii accipere est Simonia. *Communis*, textu expresso in cap. *Non satis* 8, c. *Cum in Ecclesia* 9, cap. *Cum sit Romana* 10, cap. *Nemo* 14, cap. *Ad nostrum* 21, De Simonia, cum similibus; et ratio est clara, quia jurisdictio, et potestas ecclesiastica est quid spirituale, adeoque vera Simonia est pro ejus exercitio et administratione exigere temporale.

(29. Hinc Simoniam committunt, qui pretium temporale exigunt pro dispensationibus super votis, juramentis, impedimentis matrimonii, ætate canonica, interstitiis, irregularitatibus. Item pro dispensationibus laborandi diebus festivis, nuptias celebrandi diebus vetitis, non jejunandi, et non abstinendi a carnibus diebus præceptis, et hujusmodi. Item pretium temporale exigentes pro absolutionibus a censuris ecclesiasticis, sive pro foro interno sive pro externo. Item pro pretio temporali aliis concedentes etiam pro unica vice jus eligendi, præsentandi, confirmandi aut instituendi ad beneficia ecclesiastica. Item pro pretio temporali conferentes officium, aut potestatem, seu jurisdictionem spiritualem, v. g. constituendo pro dicto pretio vicarios generales, aut officiales similes, quod Simoniacum specialiter etiam declaratur. Cap. *Ad nostram* 21, et cap. *Consulere* 38, De Simonia.

(30. Nec valet objicere, quod in curia Pontificia, approbante Pontifice, passim in dies pro dispensationibus exigantur et recipiantur taxæ temporales, adeoque quod id non sit Simonia. Non valet, inquam, quia præfatæ taxæ non exiguntur tanquam pretium dispensationum, sed vel dantur ut stipendia, ad sustentationem Summi Pontificis, et suorum officialium, et ad onera Pontificii status sustinenda quod est conforme juri divino et naturali per textus allegatos *supra* n. 26. Vel taxæ pecuniariæ exiguntur per modum *mulctæ*, ut per ejusmodi *mulctam* aliqualiter compensetur recessus a jure communi, cum æquum et rationabile sit, quod petentibus exemptionem a lege communi imponatur in compensationem aliud onus particulare, præsertim mulcta pecuniaria in pias causas applicanda; et eo major pecuniæ mulcta, quo difficilior petitur dispensatio, ut sic tales dispensationes, utpote odiosæ et derogantes juri communi, magis onerosæ reddantur petentibus, ne si facile, et cum paucis, seu non multis sumptibus obtineri possint, nimia licentia præbeatur eas importune petendi. Sic Suarez, lib. IV, *De Simonia*, cap. 20, n. 11; Lessius, lib. II, cap. 35, n. 58; Pirrhing, lib. V, *Decretal.*, tit. 3, n. 49; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 216; Zoesius, *ibid.*, n. 24, et alii passim.

(31. Nec valet instare, quod, hoc admisso respectu Summi Pontificis, possent etiam episcopi ex prædictis titulis vel causis temporale exigere; non valet, inquam, quia hoc est specialiter episcopis prohibitum a sacris canonibus citatis *supra* n. 28, et a conc. *Trident.*, sess. XXII, *De reform.*, cap. 5, sess. XXIV, *De reformat.* c. 5, sess. XXV, *De reform.*, cap. 18. In quibus episcopi et prælati Papa inferiores dispensare nequeunt. Argum. cap. *Inferior* 4, dist. 11, cap. *Cum inferior* 16, De majorit. et obedient., et Clement. *Nè Romani*, De election. Bene autem potest in ipsis dispensare Summus Pontifex, cum ipse sit supra omne jus canonicum, textu expresso in c. *Proposuit* 4, De concessione præbendæ, ibi: « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare. »

(32. Unde Garcias, *De beneficiis*, part. VIII, cap. 1, an. 102, cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 217, et alii plures defendunt, non posse, ne quidem episcopos, pro labore, quem habent in executione dispensationum matrimonialium a Sede Apostolica sibi commissarum exigere aliquid temporale, etiam ubi ita exigendi viget consuetudo legitime præscripta; et id probant ex concil. *Trident.*, *locis citatis*, et ex variis declarationibus sac. congregationis relatis ab ipso Garcia, *loc. cit.*, in quibus specialiter derogatur consuetudinibus quibuscunque etiam immemorabilibus. Quamvis tamen Sanch., *De matrimon.*, lib. VIII, disp. 35, n. 11, et alii sustineant expresse oppositum.

* Adeantur declarationes S. congregat. a Garcia relatæ, quidve ipsis caveatur, lectores inspiciant, easque privatorum quorumcunque theologorum opinionibus longe præferendas esse meminerint *. Vid. *Addit. Casin.* in fin. h. art.

(33. Non est Simonia etiam ex pacto exigere seu accipere aliquod temporale, non per modum pretii, sed solum per modum stipendii ad honestam sustentationem pro missis, orationibus, aliisque bonis operibus spiritualibus. *Communis*, ut patet ex praxi universali per textus allegatos *supra* n. 26. Unde merito in concilio *Constantiensi* a Martino V, inter propositiones Wicleffi damnata est etiam sequens 25, in ordine: « Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis eis in temporalibus subvenientibus; id est pro illis, qui ipsis dant temporalia. »

(34. Sunt tamen sub excommunicatione prohibitæ omnes ex pacto donationes, promissiones, et hujusmodi, quamvis istæ non sint acceptatæ pro obtinenda pro se vel pro alio justitia, vel gratia aliqua apud Sedem Apostolicam, etiam apud mediatos intercessores, qui vel promovere, vel impedire possent tales causas, et talis obtentio dec aratur irrita. Sic expresse Alexander VII, in

Digitized by Google

constitut. incip. *Inter gravissimas*, de datis, et promissis pro justitia vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda, confirmans et amplians constitutiones ad id editas a Bonifacio VIII et Gregorio XIII, unde cum sit vere digna, ut ab omnibus sciatur, et adamussim observetur, hic ad litteram datur.

(35. Confirmatio, innovatio, declaratio et extensio constitutionum Bonifacii VIII et Gregorii XIII, de datis et promissis pro justitia vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda.

« ALEXANDER Papa VII, etc.

« Inter gravissimas multiplicesque curas, quæ ex debito pastoralis officii humilitati nostræ divinitus commissi Nobis assidue incumbunt, illam peculiari studio amplectimur, ut justitiæ et gratiæ expeditiones, quæ apud Sedem Apostolicam in dies obtinentur, ea, qua par est, rectitudine peragantur, ne pernicioso cujusquam circa illas excessu Romanæ Curiæ existimatio ullatenus lædatur; sed ipsa curia in omnibus præclara semper splendeat laude integritatis et abusus quicunque ab illa procul arceantur. Quapropter operæ pretium facturos Nos existimamus, si ea, quæ a nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris simili consilio provide sancita sunt, ut in posterum firmius observentur, innovemus, illaque declaremus et extendamus, prout in Domino arbitramur rationi esse consentaneum.

§ 1. « Dudum siquidem emanarunt a fel. record. Bonifacio VIII et Gregorio XIII, Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris litteræ tenoris qui sequitur. Videlicet : Excommunicamus et anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum apostolor. Petri et Pauli, et nostra omnes clericos, religiosos et laicos utriusque sexus, sive sint familiares curiæ, sive alii undecunque, qui aliquod pactum fecerint, seu aliquod parvum vel magnum promiserint, vel promissionem receperint, aut ex pacto, sive promissione occulta, vel manifesta facta sub generalibus, et plenarie non expressis, sive sit sub specialibus et expressis aperte verbis, quidquam dederint aut receperint magnum, vel parvum, vel promissionem de quacunque re, aut utilitate propter hoc consequenda fecerint, vel receperint pro aliqua justitia, sive gratia pro se aut pro alio in causis, vel judiciis sive alias per litteras Apostolicas, et quibuscunque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda.

§ 2. « Et hanc sententiam ad promittentes et acceptantes, dantes et recipientes duximus extendendam.

Illos quoque, qui aliquem sciverint culpabilem in prædictis, et nobis intra dierum trium spatium non retulerint, vel alicui, per quem ad Nos verbum fideliter perferatur, simili decernimus sententiæ subjacere.

Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum (absque speciali mandato) nostræ absolutionis beneficium valeat obtinere, nisi forsan ad Nos habere accessum non posset in mortis articulo constitutus. Nec etiam ad absolutionis gratiam admittatur, nisi prius quantum dedit vel recepit, integraliter pauperibus largiatur.

Justitiam vero, sive gratiam sic obtentam nullius prorsus esse momenti volumus, omnique statuimus carere effectu et robore firmitatis.

Sed et scienter utentes ipsis simili sententia excommunicationis astringimus, et reservantes nobis absolutionem eorum cum præmissis in omnibus ad pœnas similes obligamus.

§ 3. « Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ab ipso Pontificatus nostri principio, quam maxime possumus, enitimur atque contendimus, ut domus, et curia nostra a sordibus expurgentur.

« Cui salubri consilio incumbens fel. rec. Bonifacius Papa VIII, excommunicavit et anathematizavit omnes clericos, religiosos, laicos utriusque sexus, sive familiares curiæ, sive undecunque alios, qui aliquod pactum facerent, seu quid parvum vel magnum promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta, sive sub verbis generalibus, et aperte expressis facta quidquam darent aut reciperent pro justitia sive gratia, sive pro se, sive pro alio in causis vel judiciis, seu alias per litteras Apostolicas, et quibuscunque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinendam, et eam sententiam ad promittentes et acceptantes, dantesque, et recipientes duxit extendendam. Illos etiam, qui sibi intra triduum non renuntiarent eum, quem in culpa esse scirent, vel alicui, per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententiæ subjacere, ac decrevit, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam absque speciali mandato suo absolutionis beneficium valeret obtinere, nisi in mortis articulo constitutus, sed nec quisquam admitteretur ad absolutionis gratiam, nisi prius erogatum esset pauperibus, quantum ille dedisset, vel etiam recepisset, justitiæ vero seu gratiæ expeditiones sic obtentæ nullius prorsus essent roboris vel momenti, et scienter illis utentes simili sententia innodavit, ac reservavit sibi absolutionem eorum cum prædictis, et ad pœnas similes in omnibus obligavit.

§ 4. « Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, ut plerique cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus adnixi, hujusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes turpissime nundinentur. Alii alios, quos gratia præstare arbitrantur, donis et pollicitationibus ambiant. Quidam etiam se talium operam atque industriam pretio et muneribus quæsiisse affingant. Quæ cum pessima sint, et curiæ præjudicia existimationem gravissime offendant, in eos, qui talia agunt, animadvertendum

Digitized by Google

fore arbitrati, constitutionem prædictam cum suis censuris et pœnis omnibus innovamus, easdemque omnes extendimus ad audentes qualescunque horum facinorum, quæ ascripsimus, dantesque illis et aliis supradictis auxilium, consilium vel favorem.

§ 5. « Quin etiam eos omnes omni beneficio et officio ecclesiastico, et sæculari sive temporali, perpetuo ipso jure privamus, ac privatos esse declaramus, et præterea infamiæ subjectos perpetuo, ac inhabiles ad illa, et alia esse volumus. A quibus etiam prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ cæteris sint exemplo.

§ 6. « Illis tamen, qui rem adhuc incognitam, complices, fautores et socios detexerint, impunitas concedatur. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1574, Nonis Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

§ 7. « Cum autem subinde variæ vulgatæ fuerint prædictarum Bonifacii et Gregorii prædecessorum constitutionum interpretationes, quarum aliquæ ipsarum constitutionum rigorem, non sine earum utilitatis diminutione et boni publici detrimento, contra eorumdem prædecessorum mentem nimium relaxant : hinc est, quod Nos omnem, quæ circa præmissa in posterum enasci posset, dubitationem tollere, et quamcunque speciem, suspicionem et occasionem damnatæ per constitutiones hujusmodi labis a curia prædicta, quantum Nobis ex alto conceditur, perpetuo excludere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione, nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine easdem præinsertas Bonifacii et Gregorii prædecessorum constitutiones cum omnibus et singulis censuris et pœnis, ac aliis quomodolibet contentis in illis (sublata tamen revelandi obligatione) tenore præsentium perpetuo confirmamus, innovamus, et adversus quemcunque usum seu contrarium usum, qui quoquomodo prætendi posset, restituimus et plenarie reintegramus.

§ 8. « Ac in eisdem constitutionibus casus, in quibus aliquid promittitur, datur, accipitur vel ponitur pro justitia vel gratia, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, et mistis, apud Sedem prædictam, et non solum ab ipso Romano Pontifice, verum etiam a quibuscunque ejus ministris judicibus et officialibus, etiam episcopis, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, et alia qualibet ecclesiastica, vel mundana dignitate et auctoritate præditis et fungentibus, aut ab aliis gratia, vel favore pollentibus, etiam eidem Summo Pontifici consanguinitatis vel affinitatis gradu quocunque conjunctis seu attingentibus, etiam laicis obtinenda in alma Urbe, aut in alio quocunque loco, in quo dictam curiam esse contigerit, comprehendi decernimus et declaramus.

« Præterea constitutiones hujusmodi, non tantum in actionibus jure naturali et divino prohibitis, quia malæ sunt, sed etiam in aliis, quæ ideo malæ sunt, quia jure humano, et prædictis Apostolicis constitutionibus, ac præsenti nostra interdicuntur, locum habere.

« Nec non mediatores, sive immediatos, sive mediatos, quotquot, et quicunque sint, et quavis dignitate, præeminentia, auctoritate, favore, consanguinitate atque affinitate, ut præmissum est, polleant et præfulgeant.

« Ac etiam promissiones, seu verba promissoria, dationes et receptiones factas ob bonum finem comprehendere, nec earum dispositionem ac pœnas evitari in casibus, in quibus cesset suspicio mali.

« Deinde illos etiam comprehendere, qui pro aliorum justitia vel gratia quomodolibet impedienda, vel differenda aliquid dant et recipiunt, vel deponunt, promittunt seu pollicentur, unde aliis damnum, vexatio vel molestia quomodocunque inferri et resultare posset, et mediatores quoscunque immediatos, sive mediatos.

« Insuper quæcunque verba seu signa etiam æquivoca, quovis modo apta inducere quamcunque obligationem justitiæ, aut fidelitatis in principali seu mediatore, etiam sub titulo remunerationis vel gratitudinis, a constitutionibus supradictis prohiberi.

« Quinimo non licere quidquam promittere dare vel accipere quibuscunque judicibus, ministris, officialibus, et aliis auctoritatem, aut potestatem habentibus, nec quibuscunque mediatoribus pro defensione juris quæsiti, sive assecutione quærendi etiam ad redimendam injustam vexationem, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore prædictis decernimus pariter et declaramus.

« Ad hoc dationes, promissiones et acceptiones pro guberniis vel aliis quibuscunque officiis et muneribus, etiam minoribus obtinendis, sive pro unica vice, sive in singulos annos, aut menses, vel aliter quomodocunque a constitutionibus prædictis interdici, neque judicibus, ministris ac officialibus pro gratia vel justitia obtinenda, etiam in his, quæ dependent ab eorum arbitrio, et ad quæ obligatione justitiæ non tenentur, quidquam dare, aut promittere, nec ipsis accipere licere.

« Neque etiam permissum esse officialibus vel ministris dictæ Sedis in provisionibus, sive earum occasione quorumcunque officiorum, etiam jurisdictionem, vel ejus exercitium annexum non habentium imponere pensionem ullam, responsionem, præstationem, vel onus, seu partem aliquam commodi, vel emolumenti ad sui, vel alicujus alterius cujuscunque favorem reservare absque expressa et speciali in casibus nostra, et Romani Pontificis pro tempore exsistentis licentia in scriptis singulis casibus ab utraque parte obtinenda.

« Insuper exigentes a partibus, vel aliis interesse habentibus, seu agentibus, ac mediatoribus quibuscunque pollicitationes, promissiones, pacta, vel recipientes aliquid sub assertione, quod judicum, ministro-

Digitized by Google

rum, officialium, aut magnatum, seu aliorum quorumcunque operam, auctoritatem, vel officia pretio, vel muneribus, aut promissionibus hujusmodi comparaverint, seu quæsiverint.

« Nec non pollicitantes, promittentes, offerentes, ac tradere tentantes, licet pollicitatio, promissio et oblatio non fuerint acceptatæ, neque traditio secuta, nullumque habuerint effectum.

« Ac etiam illos, qui ex eo quod gratias et favores ipsis ob familiaritatem, obsequia, ac servitia propriis dominis, vel aliis præstita debitos, seu ab ipsis speratos in aliorum cum propria ejusmodi juris vel spei jactura commodum, et beneficium transferunt, convertunt et impendunt, vel pro gratia seu justitia pro eis obtinenda aliquid recipiunt, sub memoratis constitutionibus contineri, illarumque pœnis, et censuris subjectos esse.

« Pro actuali vero labore circa expeditionem impetratorum non licere officialibus, curialibus et aliis quibuscunque recipere, nec illis polliceri, promittere, vel cum eis pacisci, nisi mercedem labori convenientem.

« Judicibus autem, officialibus, ministris quibuscunque, quibus incumbit expeditio gratiæ vel justitiæ, minime quidquam recipere, neque permitti illis polliceri, promittere, vel cum eis pacisci ultra taxas præscriptas, etiam ratione celerioris aut facilioris expeditionis.

« Quin etiam illicitum esse quidquam magnum, vel parvum judicibus, ministris quibuslibet offerre, promittere, pacisci seu polliceri, dare, vel ab ipsis recipere mediate vel immediate, etiam quod eorum animum movere non possit pro gratia vel justitia obtinenda.

§ 9. « Demum supradictarum constitutionum dispositionem, censuras et pœnas non censeri abolitas vel sublatas ob scientiam, patientiam seu tolerantiam Romani Pontificis, per quemcunque etiam longissimi temporis cursum, nisi speciali licentia, vel indulto in unoquoque casu a singulis partibus in scriptis particulariter obtinenda, fuerint expresse remissæ, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore paribus decernimus, statuimus et declaramus.

« Præfatasque constitutiones, ac censuras, et pœnas in eis contentas ad omnes et singulos casus supra expressos, quatenus opus sit, extendimus et ampliamus.

§ 10. «Præterea easdem Bonifacii et Gregorii prædecessorum constitutiones per alteram piæ memor. Clementis Papæ VIII, prædecessoris pariter nostri, quæ incipit: *Pro commissa*, anno Incarnationis Dominicæ 1692, decimo octavo Kal. Septembris editam, ad cæteras ditionis temporalis S. R. E. civitates, et loca immediate subjecta (præterquam quoad bona communitatum) minime extensas fuisse, neque per hanc nostram extendi, sed eos quidem omnino comprehendere, qui in aliis locis ejusdem status ecclesiastici, et cujusvis alterius partis mundi exsistentes pollicentur, promittunt, paciscuntur, mittunt, vel dari faciunt per litteras, vel mediatores, vel aliter quomodocunque, et qui ab eis recipiunt contra dictarum constitutionum dispositionem quidquam magnum vel parvum pro justitia vel gratia apud sedem prædictam obtinenda declaramus pariter et statuimus.

§ 11. « Postremo, tametsi credamus et speremus in Domino nunquam eventurum, ut aliquis ex venerabilibus Fratribus nostris episcopis, archiepiscopis, metropolitanis, primatibus et patriarchis, aut in quacunque alia etiam superiori ecclesiastica, quantumvis sublimi et speciali nota digna constitutis dignitate in præmissis quoquo modo delinquat; quia tamen diligentiam nostram in removendis ab eadem curia abusibus quibuslibet abundare potius, quam in aliquo deficere volumus, etiam episcopos, archiepiscopos, metropolitanos, primates ac patriarchas, cæterosque in quacunque alia etiam prædictis superiori, ac quantumvis sublimi et speciali nota digna constitutos dignitate, etiamsi per nostras et cancellariæ nostræ Apostolicæ regulas cautum sit, quod illi in constitutionibus per Nos editis et edendis, non comprehendantur, nec comprehensi censeantur, nisi in eisdem constitutionibus facta fuerit ipsorum expressa mentio, in prædictis constitutionibus, ut præmittitur, declaratis et extensis, ac in præsenti nostra quoad censuras comprehendi, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore similibus statuimus.

§ 12. Porro xenia solita, et esculenta, et poculenta, quæ judicibus, ministris et officialibus Romanæ curiæ exhiberi consueverunt, præfatis prædecessorum nostrorum litteris, ac præsentibus nostris minime prohibita fuisse, nec prohiberi decernimus.

§ 13. « Declarantes per præsentem nostram constitutionem similis record. Pii Papæ V etiam prædecessoris nostri contra ambientes dignitates et officia jurisdictionis administrationem habentia, eaque pretio seu promissione procurantes, quæ incipit: *Etsi Romani*, etc., Nonis Decembris anno sexto ejus Pontificatus emanatam, sed illam, ac cæteras ipsius Pii prædecessoris, et aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum quorumcunque constitutiones, ordinationes, canones et decreta in hac materia, vel circa eam hactenus edita, ac nostram et cancellariæ apost. regulam 67, qua statuimus, ut officiales Romanæ curiæ prædictæ nihil exigant ultra debitum, in suo robore remanere.

§ 14. « Ac decernentes, præsentes litteras, et in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod prædicti, et alii quilibet, etiam speciali nota et expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, seu causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt,

Digitized by Google

adductæ, verificatæ et justificatæ nullatenus fuerint, vel ex alia quacunque, quantumvis justa, legitima, juridica et privilegiata causa, colore, prætextu, occasione et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, seu interesse habentium, et aliorum quorumcunque consensus defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, limitari, ad viam seu terminos juris reduci, in jus vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcunque juris, facti vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium constitutionum, ac declarationum, et extensionum revocationibus, limitationibus, suspensionibus seu aliis contrariis dispositionibus unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab aliis exceptas, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, et plenarie reintegratas esse, et censeri, firmasque, validas et efficaces existere, et fore, ac ab omnibus, et singulis prædictis, et aliis, ad quos spectat, et pro tempore quandocunque spectabit, cujuscunque qualitatis, ordinis, gradus et conditionis fuerint, perpetuo, inviolabiliter et inconcusse observari.

§ 15. « Sicque, et non aliter, etc.

§ 16. « Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, et quod cardinales non comprehendantur sub regulis, et constitutionibus editis et edendis, nisi in eisdem facta fuerit ipsorum expressa mentio, ac cæteris nostris, et cancellariæ præfatæ regulis aliisque constitutionibus, etc.

§ 17. « Ut autem eædem præsentes litteræ, etc.

§ 18. « Quodque illarum transumptis, etc.

« Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 2 Maii 1656, Pontificatus nostri anno secundo. »

Quæ const. fuit confirmata, innovata et extensa ab Innoc. XII, const. incip. *Sacerdotalem*, merito videnda in *Bullario*, et apud Ursayam, *Inst. crim.*, lib. II, tit. 2, post n. 117.

(36. Additur attendenda sequens resolutio sacr. congregationis Concilii de anno 1686, relata a toties laudato card. de Lambertinis volumine 5, notification. 7, ut sequitur.

Alexandrina augmenti dotis canonicatus.

Vacante a pluribus mensibus canonicatu in Ecclesia collegiata Sanctæ Mariæ de Nive jurispatronatus Fratrum de Mantellis, sacerdos Thomas Maria Verrus proposuit dictis patronis, se dicti canonicatus dotem aucturum fore mediante assignatione cujusdam vineæ, expressa tamen lege adjecta, ut ad eumdem canonicatum debeat ab illis præsentari.

Timens nihilominus, id aliquam Simoniæ labem involvere, pro conscientiæ suæ serenitate proposuit infra scriptum dubium, quo audito, et narratorum veritatem comprobante episcopo, relatum fuit in proxima congregatione per modum summarii.

Cum autem eminentissimi Patres mandaverint illud in folio describi, decernendum nunc superest.

« An dicta conventio sit Simoniaca ? »

Sacra congregatio Concilii respondit :

« *Affirmative.* »

Vide cap. *Tua nos* 34, De Simonia, et Fagnan., *ib.*, n. 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(37. Tametsi statutum sit, ut refert auctor, n. 23, ne plures ad religionem admittantur, quam possit religio commode sustentare de suis proventibus aut consuetis eleemosynis : nihilo tamen minus praxis in pluribus monasteriis invaluit, ut ab ingredientibus non solum pecuniam recipiant et exigant, sed etiam de eadem prævio stipulentur monasterii superiores.

(38. Soletque communiter ex hac ratione excusari praxis hæc, quod id fieri liceat ratione sustentationis ac juris ad eamdem, pro quo aliquid ab ingredientibus recipi posse prætendunt auctores ; idque in monasteriis non solum indigentibus, sed et opulentis.

(39. At *vide* qui materiam hanc funditus examinat, et pluribus distinctis casibus resolvit, et quidem rectissime, Cocq., *De jur. justit. et annex.*, cap. 4, sect. 9.

ADDITIONES CASINENSES

Ad tradita ab auctore sub num. 32.

Præstat hic ad majorem illustrationem traditorum sub num. 32 hujus articuli, afferre declarationes sacr. congregationis, prout exstant apud Garciam, qui sic habet : « Adeo * gratis dispensationes concedendæ sunt, quod ordinarii seu vicarii, quibus committuntur dispensationes matrimoniales, et aliæ, non possunt quidquam accipere pro labore, et receptione, et examinatione testium, vel alio quovis titulo, ut in sequentibus declarationibus sanctæ congregationis. « Gratis adeo dispensationes matrimoniales concedendæ sunt, quod etiam ordinarii, quibus istæ dispensationes committuntur, suum officium gratis præstent, ita ut nec ipse vicarius aliquid suscipiat pro mercede ; notarius vero pro examinando testes, et sumendo cæteras informationes, quartam partem aurei seu ducati accipere possit, pro litteris vero absolutionum et dispensationum in foro conscientiæ tantum nihil a quoquam accipi possit, ut Romæ fit, declaravit S. D. noster Gregorius XIII. » *Alia :* « Gratis adeo dispensationes matrimoniales sunt, quod ii quibus committuntur, suum officium gratis præstare debent, examinando testes, et sumendo cæteras informationes ; et vicarius episcopi nihil prorsus potest accipere sive pro laboribus in studendo processu, sive pro decreto super dis-

Digitized by Google

pensationibus matrimonialibus habitis a S. Sede Apostolica.

« Et ita etiam declaratum fuit a S. congregatione contra vicarios archiepiscopi Burg., ut per D. Joan. Vela supra quæ declaratio Burg. sic ait : « Officiales ordina-« riorum, nec ipsi Ordinarii pro dispensa-« tionibus matrimonialibus ad eos remissis, « nihil possunt accipere, non obstante qua-« cunque consuetudine, etiam immemoriali, « in contrarium. »

Est etiam alia Hispalen. quæ sic ait : « Statutum concedens episcopis, ut certum « quid possint accipere in causis commissa-« riis, non habet locum in dispensationibus « matrimonialibus, etiamsi factum sit in sy-« nodo provinciali; notarius autem quartam « partem unius ducati accipere potest. »

« Et ideo in litteris dispensationum matrimonialium ponitur decretum, quod pro illarum executione nihil muneris aut præmii, etiam sponte oblati, accipi possit, ut in clausula posita supra parte VI, cap. 2, num. 103.

« Unde miror de officialibus seu vicariis aliquorum episcopatuum hujus regni (Hisp.), et particulariter hujus episcopatus Abuleni, qui contra dictum decretum pro dispensationibus matrimonialibus, quæ in vim litterarum Apostolicarum conceduntur, certum stipendium, seu sportulas exigunt in magnum periculum animarum.

« Et haud scio quomodo excusari possint ab excommunicatione contra eos lata in fine ipsarum dispensationum his verbis : « Volu-« mus autem quod, si, spreta monitione « nostra, hujusmodi aliquid muneris aut « præmii occasione præmissorum exigere, « aut oblatum recipere temere præsumpse-« ris, excommunicationis latæ sententiæ « pœna innodatus tandiu exsistas, donec per « satisfactionem condignam a Sede prædicta « absolutionis beneficium merueris obti-« nere. » Et in litteris dispensationum pro pauperibus cum copula, quæ propter infamiam, concedi solent, additur : « Et nihilo-« minus absolutio et dispensatio per te fa-« ciendæ prædictæ nullius sint roboris vel « momenti, » quæ clausula annullativa indu-« cit formam, ut per D. in l. 1, *De liber. et* « *posthum.*, et citatos part. sequent., cap. 2, « n. 230. »

« Nec possunt excusari dicendo, prout aliqui dicunt, quod per dictum decretum non prohibetur accipere stipendium seu mercedem pro labore, sed donativum, et quod Hispane dicitur, *cohecho*, quia utrumque clare prohibetur per dicta verba; per verbum enim *muneris* prohibentur donativa, seu *cohecho*, et per verbum *præmii* prohibetur stipendium, seu merces pro labore.

« Nec rursus possunt excusari aliqua consuetudine, etiam immemoriali, ut patet ex dicta declaratione Burgen. Tum quia est corruptela, et abusus, præsertim stante dicto decreto Papæ. Tum quia est interrupta per dictum decretum apud Navarrum consilio 1, *De feriis*.

« Tum etiam quia illa non potest juvare contra speciale decretum et præceptum Papæ, qui omnino vult gratis fieri dispensationes, P. Ravenas, *De consuet.*, sect. 4, num. 18.

« Et ita fuit declaratum in illa Gerunden. ad 6, et juxta id in concilio provinciali *Mediolan.* 5, part. III, titul. *Quæ ad matrimonium pertinent*, sic statuitur : « Pro dispensationum matrimonialium exsecutione, nihil quidquam prorsus muneris primitive etiam sponte oblati, ac ne pro labore quidem, qui in testibus ea causa examinandis, aliisve testificationibus excipiendis ponitur, episcopus aut vicarius ejus capiat; notarii vero pro examine testium quartam duntaxat partem aurei ad summum capiant licet. »

« Unde plane convincitur contraria sententia Thomæ Sanchez, *De matrimonio*, lib. VIII, disp. 35, a num. 9, et aliorum, quos sequitur novissime Salas, *De legibus*, disp. 20, sect. 10, num. 99, dicens quod commissarii dispensationum possunt accipere stipendium non obstante clausula. »

Et in terminis * ita tenent Navarr., *Consilio ultimo de rescript.*, et Zerola, in *Praxi episcopali, secunda parte*, verb. *Delegatus*, § 2, et verb. *Dispensatio*, § 2, ubi affert declarationes sanctæ congregationis ; Leo, in *Thesaur. eccles.*, cap. 17, num. 49, referens dictam declarationem Gerunden., et Sbroz., *De vicario episcopi* in addit. ad quæst. 36, ad lib. II, referens etiam declarationem Gerunden. et alias, et novissime Marcus Antonius Genuen., in *Praxi archiepiscopali curiæ Neapolitanæ*, cap. 25, num. 13.

Qui ait, quod delegatus, cui commissa est dispensatio, nil potest percipere pro labore impenso in capienda informatione, et aliis actis dispensationis ex claris verbis Brevis ibi : « Cujuscunque muneris aut præmii etiam sponte oblati, neque esculenta aut poculenta, Navarrus, *Cons. de rescript.*, neque pro studendo processu, ut declaravit sancta congregatio, neque etiam pro accessu ad examinandos testes commorantes in aliis locis : si tamen esset pauper, quod crederet, quod ratione interesse, quod pateretur in accessu pro vecturis equorum, posset aliquid accipere, et pariter si post concessam dispensationem vellent impetrantes habere transumptum dispensationis, non videtur, cur aliquid a vicario accipi non possit, sicut pro transumpto aliarum scripturarum, cum id non concernat dispensationem, notarius vero pro actis conficiendis, potest aliquid accipere, ut declaravit sancta congregatio. » Hæc Genuen.

Circa illud autem, quod ibi ait, quod pro accessu ad examinandos testes commorantes in aliis locis, non posset aliquid accipere, nisi esset pauper, videtur quod absolute posset recipere moderatas expensas, si expediret eum extra suum domicilium proficisci ad illos examinandos (et non committere examen, nec cogere testes, ut ad se veniant), juxta declarationem sanctæ congregationis Concilii in una castri Du-

Digitized by Google

rantis, quæ sic ait : « Episcopus potest, « sed non cogitur concedere litteras dimis- « sorias ordinario inferiori, pro examinan- « dis testibus in exsecutione dispensationis « matrimonialis ; potest autem cogere testes, « ut ad se veniant. Argum. cap. *Statutum*, « § *Insuper de rescr.* in 6. »

« Præterea, circa illud de transumpto videtur, quod sit intelligendum de transumpto ultra instrumentum dispensationis, pro quo instrumento dando cum litteris originalibus, seu bulla dispensationis, aut earum transumpto, nihil potest delegatus accipere, etc. Ita in terminis Gargias, *De benefic.*, part. VIII, cap. 1, n, 100 et seq.

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt pœnas Simoniæ, et restitutionem Simoniace acceptorum.

SUMMARIUM.

1. Ob solam et omnem Simoniam realem (confidentiali excepta) incurruntur ipso facto juris pœnæ. — 2. Et quidem per *Simoniam mentalem* nulla incurritur juris pœna. — 3. Item nulla incurritur juris pœna per *Simoniam conventionalem*, sive pure conventionalem, sive conventionalem mistam. — 4. Prima pœna contra Simoniam realem in ingressu religionis commissam, est, quod tam dantes quam recipientes aliquid Simoniace, si sint personæ singulares, excommunicationem, si conventus in communi, suspensionem ab officio capitulari ad jurisdictionem vel administrationem pertinente ipso facto incurrant. — 5. Secunda est, quod religiosi *Simoniace* recepti expellantur de suo monasterio, et in arctiori monasterio ad agendum ibi pœnitentiam detrudantur, et superior, et majores personæ monasterio detrudantur. — 6. Tertia est, quod rei Simoniæ pro ingressu religionis incurrant infamiam juris, et consequenter evadant irregulares, saltem si crimen sit notorium notorietate *juris*, aut *facti*. — 7. Professio tamen illorum adhuc est valida. — 8. Et ante emissam dictam professionem pœnæ ipso facto non incurruntur. — 9. Quamvis moniales sufficientes, et abundantes redditus pro honesta sustentatione ingredientium habentes, si pro ingressu ad religionem aliquid temporale exigant, æque ac alii regulares veram Simoniam committant, tamen pœnas juris non incurrunt. — 10. Prima pœna contra Simoniam realem in collatione et susceptione ordinum commissam, est, quod tam conferens, quam recipiens ordines per Simoniam realem sit ipso facto excommunicatus. — 11. Secunda est suspensio ordinantis a collatione ordinum saltem per triennium, et ordinati, donec ab ipsa suspensione fuerit per Sedem Apostolicam absolutus, etc. — 12. Tertia est, quod ordinatus scienter Simoniace præter excommunicationem, quam ipso facto incurrit, sit suspensus ab exsecutione omnium suorum ordinum, non solum Simoniace susceptorum, sed etiam aliorum, quamvis Simonia sit occulta. — 13. Prima pœna contra Simoniam realem in beneficiis ecclesiasticis commissam, est, quod tam illi, qui aliquod beneficium, seu officium ecclesiasticum, sive sæculare, sive regulare Simoniace conferunt, aut directe vel indirecte procurant, quam illi, qui ipsum sic acquirunt, incurrunt excommunicat. Papæ reservatam. — 14. Secunda est, quod collatio, provisio, et acquisitio hujusmodi beneficii aut officii Simoniace facta, sit ipso jure irrita et nulla, ita ut provisus teneatur sub animæ suæ damnatione illud sponte dimittere, et ad restitutionem omnium fructuum, si quos inde perceperit. — 15. Tertia est, quod qui Simoniace hujusmodi beneficium seu officium obtinuit, illud utpote nulliter obtentum ante omnem sententiam, non solum dimittere teneatur, sed ad alium obtinendum perpetuo inhabilis evadat, nisi Papa dispenset. — 16. Quarta est, quod qui Simoniace aliquod hujusmodi beneficium, aut officium, obtinuit, sit etiam inhabilis ad quæcunque alia beneficia ecclesiastica obtinenda. — 17. Quinta est, quod, qui Simoniace obtinet aliquod hujusmodi beneficium aut officium, sit privandus per sententiam judicis etiam aliis beneficiis prius canonice obtentis. — 18. Sexta est, quod qui Simoniace obtinet aliquod hujusmodi beneficium, sit per sententiam judicis etiam ab altaris ministerio perpetuo deponendus. — 19. Supradictas pœnas inducit etiam Simonia juris ecclesiastici in resignatione et permutatione beneficiorum commissa. — 20. Qui beneficium per Simoniam ab alio commissam obtinuit, tenetur illud etiam ante judicis sententiam dimittere, quamprimum rescit Simoniam esse commissam. — 21. Non tenetur autem beneficium dimittere ille, in cujus odium, ipso ignorante, Simonia ab alio commissa est. — 22. Item non tenetur beneficium dimittere, qui contra Simoniam ab alio pro beneficio obtinendo committendam expresse protestatur, quamvis ipse alius, ignorante dicto expresse contradicente, in *Simonia* pergat, eaque mediante, beneficium revera obtineatur. — 23. Teneretur tamen beneficium dimittere, si sciret, quod dictus alius, non obstante contradictione, et protestatione sua, nihilominus in Simonia pergeret, eaque mediante, beneficium obtineret. — 24. Et a fortiori teneretur tale beneficium dimittere, si per *Simoniam* alterius fuisset obtentum, sciente et non contradicente ipsomet, pro quo fuisset obtentum. — 25. Qui se ignorante aut omnino nesciente per *Simoniam* alterius est ordinatus, de rigore juris, donec dispensetur, tenetur ab exsecutione ordinis abstinere, postquam Simoniacam ordinationem resciverit. — 26. Prima pœna Simoniæ confidentialis est, quod præter excommunicationem ipso facto ratione ipsius incurrendam, privet non solum beneficio, circa quod *Simonia confidentialis* commissa est, sed etiam aliis beneficiis et pensionibus canonice obtentis. — 27. Secunda est, quæ inhabilem reddat totaliter Simoniacum ad idem, et alia quæcunque beneficia obtinenda. — 28. Tertia est, quod beneficium per *Simoniam confidentialem* nulliter acquisitum reservetur Summo Pontifici, ita ut nullus alius illud conferre valeat. — 29. Quarta est, quod fructus ex tali beneficio male percepti applicari debeant cameræ Apostolicæ. — 30. Quinta est, quod præfatæ pœnæ contrahantur, non solum per Simoniam realem, sed etiam per Simoniam conventionalem mistam. — 31. Quæ sint pœnæ statutæ contra dantes, vel promittentes pecuniam, seu temporalia pro obtinenda justitia seu gratia apud Sedem Apostolicam. — 32. Qui obtinuit Simoniace beneficium aut officium aliquod ecclesiasticum, tenetur sub mortali sponte illud una cum omnibus fructibus perceptis ante omnem judicis sententiam restituere ac dimittere, etiamsi Simonia sit occultissima. — 33. Qui temporale accepit sub conditione seu pacto dandi vel præstandi spirituale, et postea conditionem seu pactum non implevit, tenetur jure divino, seu naturali restituere totum acceptum. — 34. Qui pro electione, præsentatione, nominatione, etc., alicujus ad beneficium, seu officium ecclesiasticum, aliquid temporale recepit, tenetur illud restituere ante omnem judicis sententiam. — 35. Et quidem ad talem restitutionem tenetur de jure divino. — 36. Qui temporale accepit ratione beneficii ecclesiastici, tenetur illud restituere Ecclesiæ, in qua est beneficium, non ipsi danti, præsertim per sententiam judicis. — 37. Vel pauperibus. — 38. Ante sententiam tamen judicis posse, imo deberi Simoniace accepta restitui illis, a quibus sunt accepta, defendunt plurimi. — 39. Simoniace accepta ob ingressum in religionem, an

Digitized by Google

et cui debeant restitui? — 40. Simoniace accepta pro collatione ordinis, et administratione aliorum sacramentorum, et sacramentalium restitui debent de jure divino, et consequenter ante omnem judicis sententiam. — 41. Et talis obligatio restituendi Simoniace accepta oritur etiam ex Simonia mentali. — 42. Alia ad rem, ad num. 47.

(1. Ob solam et omnem *Simoniam realem* (confidentiali excepta) incurruntur ipso facto juris pœnæ. *Communis*, per text. in cap. *Presbyter* 3, cap. *Quisquis* 5, cap. *Quos* 6, cap. *Reperiuntur* 7, caus. 1, qu. 1, cap. *Salvator* 9, caus. 1, q. 3, Extrav. *Sane* 1, et cum detestabile 2, De Simonia, cum similibus in tot. tit. *De Simonia*, et S. Pius V, constitut. incip. *Cum primum*.

(2. Et quidem per *Simoniam mentalem* nulla incurritur juris pœna. *Communis*, per text. in cap. *Tua nos* 32, et cap. *Mandato* 46, De Simonia, ubi Simonia mentalis non judicatur ab Ecclesia, cui datum est de manifestis tantummodo judicare, sed judicanda relinquitur a districtissimo judice, qui scrutator est cordium, et cognitor secretorum.

(3. Item nulla incurritur juris pœna per *Simoniam conventionalem*, sive pure conventionalem sive conventionalem mistam. *Communis*, teste Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 239. Et ratio est, quia nullibi in jure reperitur aliqua pœna clare expressa contra Simoniam conventionalem, sive puram, sive mistam. In dubio autem non est asserenda pœna. Arg. c. *Odia* 15, De reg. juris in 6, ibi : « Odia restringi, et favores convenit ampliari. » Cap. *In pœnis* 49, eod., ibi : « In pœnis benignior est interpretatio. » L. *Interpretatione* 42, ff. *De pœnis*, ibi : « Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam asperandæ, » et cap. *In obscuris* 30, De regulis juris in 6, ibi : « In obscuris minimum est sequendum; » tum quia, ut testatur Navarrus, in *Manual.*, cap. 29, n. 104; Lessius, lib. II, cap. 35, dub. 27; Sanchez, *Consil. moral.*, lib. II, cap. 3, dub. 10, n. 106; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 259, et alii, ita servare solet stylus curiæ, qui habetur pro jure et lege, juxta communem doctorum. Argum. cap. *Ex litteris* 11, De constitut., et cap. *Quam gravi* 6, De crimine falsi.

(4. Pœnæ contra Simoniam realem in ingressu religionis commissam sunt sequentes : Prima est, quod tam dantes, quam recipientes aliquid Simoniace pro ingressu religionis, si sint personæ singulares, excommunicationem; si vero omnes religiosi capitulariter congregati, consentientes fuerint, suspensionem ab officio capitulari ad jurisdictionem vel administrationem pertinente ipso facto incurrant, aliis etiam pœnis in suo robore duraturis. Sic expresse Extrav. 1, *De Simonia*.

(5. Secunda est, quod religiosi Simoniace recepti expellantur de suo monasterio, et in arctiori monasterio ad agendum ibi pœnitentiam detrudantur, et superior, et majores personæ monasterii suspendantur, et etiam in arctiori monasterio detrudantur.

Cap. *Veniens* 19, et cap. *Quoniam* 40, De Simonia.

(6. Tertia est, quod rei Simoniæ pro ingressu religionis incurrant infamiam juris, et consequenter evadant irregulares, saltem si crimen sit notorium notorietate *juris* aut *facti*. Extravag., *Sane* 1, De Simonia, § Cæterum, ibi : « Nota infamiæ inde contracta. »

(7. Professio tamen illorum adhuc est valida, cum nullibi in jure ob id declaretur invalida. Sanchez, lib. II, consil., c. 3, dub. 104, n. 4; Lessius, lib. II, cap. 35, n. 132; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 354, et alii passim. Et ante emissam dictam professionem pœnæ ipso facto non incurruntur; unde si regulares nihil Simoniace recipiant, vel receptum iterum ante professionem restituant, aut ingressus ad sæculum non professus redeat, immunes sunt a dictis pœnis. Castropal., *De Simonia*, punct. 23, n. 3; Pirrhing, *loco cit.*, n. 71; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 255; Suarez, lib. IV, *De Simonia*, cap. 56, n. 7, et alii. (8. Et ratio est, quia, licet committatur Simonia statim post Simoniacum ingressum, præfatæ tamen juris pœnæ non incurruntur, nisi secuta professione; cum pactio Simoniaca principaliter sit ordinata ad professionem religiosam; adeoque si ipsa professio non sequatur, quia tunc pro admissione ad professionem nulla recipitur pecunia, sed gratis fit, non censetur perfecte consummata illa Simonia, et consequenter nec sufficiens pro inducendis pœnis a jure statutis; cum leges pœnales intelligi debeant cum effectu, nec extendi ultra casum expressum. Arg. cap. *Odia* 15, cap. *In pœnis* 49, De Reg. jur. in 6, et l. *Interpretatione* 42, ff. *De pœnis*.

(9. Quamvis moniales monasteriorum habentium sufficientes et abundantes reditus pro honesta sustentatione ingredientium, si pro ingressu et admissione ad religionem et professionem aliquid temporale exigant, æque ac alii regulares veram Simoniam committant; tamen pœnas juris non incurrunt, licet illud temporale se recipere dicant loco dotis ad honestam ingressæ sustentationem; dictæ enim pœnæ, seu censuræ respectu monialium revocatæ fuerunt per bullas plurium Pontificum, ut referunt doctores apud Suarez, disp. 22, *De censur.*, sect. 5, n. 14; et Pirrhing, *loco cit.*, n. 71, § *Cæterum*.

* Hic subjiciendam duco adnotationem a P. Philippo, a Carboneano appositam § *Nec obstat*, quæst. 4, art. 3, cap. 5, tractatus *De virtute religionis*, P. Antoine, *Theol. moral.*, tom. I, pag. mihi 271 seqq. : « Non adeo facile cum auctore pronuntiandum est, Simoniacum esse consuetum dotale subsidium, quod a cœnobiis exigitur a puellis sese Deo devoventibus : nam quamvis eam dotis pensationem plerique doctores improbaverint, usus tamen ubique receptus illam approbat, quodque magis est, Sac. congreg. Concilii, die 18 Septembris 1683, a Simonia immunem pronuntiavit : eadem-

Digitized by Google

que quæstione, in una Bononiensi iterum examinata die 14 Aprilis 1725, Sac. congreg. in eadem perstitit sententia, ut ait Benedictus XIV, lib. VII, *De synodo diœcesana*, cap. 58. Ubi subdit etiam sacram congreg. Concilii adhærendo doctrinæ S. Thomæ, 2-2, quæst. 100, art. 3, ad 3, sæpius decrevisse, a singulis sanctimonialium cœnobiis, ad normam decreti concilii *Tridentini*, sess. XXV, cap. 3, *De regular.*, tot esse moniales recipiendas, quot episcopi judicio, ex communibus redditibus aut consuetis eleemosynis sustentari possint : censuisse itidem a monialibus inter præfinitum numerum comprehensis, seu in demortuarum locum subrogandis, nihil esse monasterio pendendum, nisi interim monasterii redditus fuerint imminuti, nec amplius pares sint consueto sororum numero sustentando; ab his vero, quæ ultra præfinitum numerum recipiuntur, dotem persolvendam dixisse, cujus fructibus ali queant, quemadmodum refert Fagnan., in cap. *Non amplius de instit.*, n. 14, ubi inquit : « Verum sac. congreg. super negotiis episcoporum et regularium animadvertens sanctimonialium monasteria, sine dotium subsidio diu sustineri non posse, et propter ingruentes necessitates, et casus inopinatos, plerumque ad inopiam redigi, Summis Pontificibus approbantibus, prudenter sanxit, ut dotales eleemosynæ a monialibus memoratis persolverentur, tametsi numerus esset taxatus ad mensuram reddituum monasterii. » Deinde sacrarum Urbis congregationum decreta vindicat, et Van-Espenium refellit, qui in suo tract. *De Simonia*, circa ingressum in religionem cap. 3, § 3, absolute asserit, contra jus naturale et divinum, monasteria, « quorum proventus sunt sufficientes, ut numerum aliquem religiosorum sustentent, et tamen nullum gratis ad monasterium admittunt. » Nam licet sit juris naturalis et divini Simonia, quæ committitur, dum quidpiam recipitur tanquam pretium ingressus in religionem, tamen si illud recipiatur pro onere, quod sibi assumit monasterium, sustentandi religiosum, ad quod cæteroquin subeundum sufficiunt monasterii redditus, est Simonia tantum juris ecclesiastici. Tunc enim pretium sumitur pro eo onere alendi personam religiosam, quod est temporale et pretio æstimabile. Sed quod jus ad alimenta e monasterii proventibus percipienda profluat ex ipsa professione religiosa, et idcirco Ecclesia, ne ulla ratione pretium pro ea accipi videretur, districte vetuit, quidquam ab eo exigi, cui monasterium necessaria ad victum stipendia subministrare potest, atque hujus criminis reos in Simoniacorum classem retulit. Id omnium primo constituit septima synodus, quæ est Nicæna secunda celebrata anno 787, cap. 19. Antea enim, ut observat Thomassinus, part. III, *De vet. et nov. Eccles. discipl.*, lib. I, cap. 51, etsi plures leges latæ fuissent ad compescendam monachorum avaritiam, alimentorum obtentu pecunias ab illis extorquentium, qui sese Dei, ac religionis obsequiis mancipabant, nulli tamen in mentem venerat potuisse in hoc negotio Simoniam committi. Addit præterea, cum versemur in Simonia, quæ ortum habuit a sola lege ecclesiastica, mirum non esse, hanc potuisse nunc severius accipi, nunc justis de causis aliquantulum emolliri, prout vel augetur, vel minuitur præsumptio venditionis rei spiritualis, seu verius animi illam nundinandi, in qua præsumptione fundatur. Et recensitis diversis hac de re particularium Ecclesiarum statutis, ita subnectit : « In hac opinionum varietate, diu anceps hæserat sac. congreg. Concilii; sed cum experientia didicerit, nullum reperiri adeo opulentum sanctimonalium cœnobium, quod ad reparanda quotidiana suorum reddituum detrimenta non egeat novarum dotium accessione, firmiter tandem amplexata est S. Caroli decreta, eaque religiose observari voluit, quod non solum constat ex allegatis ejusdem decisionibus, sed adhuc clarius ex alia, quæ refertur in bibliotheca Præmonstratensi, pag. 356, cujus verba sunt : « Non vestiantur moniales, nec admittantur ad habitum, nisi prius parentes, vel illi, ad quos earum cura spectat, promptam habuerint pecuniam pro dote vel eleemosyna consueta : et illam deposuerint solvendam monasterio post emissam professionem. » Concludit denique, si hæc secum animo revolvat episcopus, non statim illicitum, et Simoniacum pronuntiabit dotale subsidium, quod a puellis sese in religionem recipientibus exigitur; neque faciles aures præbebit suasionibus hominum, vel qui ut propriæ pareant pecuniæ, suasque filias, sine ullo sumptu, religioni alendas tradant, monasteriorum opulentiam exaggerant, novamque pecuniam illis collatam in inutiles, ac voluptuosos sumptus erogari clamitant. Non idcirco tamen negamus, interdum expedire, dotis quantitatem imminui, et quandoque etiam prorsus remitti; sed quod in peculiaribus circumstantiis, et consulta prius sacra congregatione Concilii, fieri decet, non poterit synodali constitutione generatim, atque universim faciendum decerni : illud autem curabit episcopus, ne ultra præfinitam dotem monasterio pendendam, alia pecuniæ summa a puellis extorqueatur, in monialium commodum, aliosve usus impendenda, qui ad puellæ sustentationem nequaquam pertinent : id quippe, cum nulla ratione cohonestari valeat, adhuc remanet sub censura extravag. 1, *De Simonia*, inter comm., ubi Urbanus V, utriusque sexus regularibus districte inhibuit, ne ante, aut post cujusquam in religionem ingressum, « quoscunque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum, seu quamvis pium usum alium deputata vel deputanda directe, vel indirecte, petere vel exigere quoquo modo, præsumant. » Modum quoque imponent sumptuosis apparatibus, musicis concentibus, comessationibus, aliisque ejusmodi, quæ cum magno familiarum impendio, alicubi fieri solent in monialium ingressu et professione, omnem siquidem

Digitized by Google

mundanam pompam, omnem profanum luxum dedecere spirituales nuptias, quas eligit puella, quæ Deo et religioni se devovet, scite ponderat Navarrus, in tract. *De redditibus ecclesiasticis*, in fine quæstionis primæ, pag. 150, edit. Romanæ anni 1586, ubi hæc ad rem scripsit : « Quid, quæso, dicemus ad prodigas illas expensas, et profanos apparatus fieri solitos, ex pacto tacito vel expresso, dum puellæ vel ingrediuntur in monasterium, vel professionem emittunt? Quid aliud moderatius, quam ut hæc vehementer interdicantur et inculpentur, et puniantur illæ, quæ taliter faciunt? Et simul etiam doceantur, quam honestior appareat cunctis hæc inspicientibus, modesta quædam, humilisque temperantia, spirituali juncta contemplationi, quam pomposa profanitas, mundanæ cuidam admista voluptati, in funeralibus ejus, quæ per professionem moritur mundo, et nascitur, vel excrescit Deo. »

(10. Pœnæ contra Simoniam realem in collatione, et susceptione ordinum commissam sunt sequentes : Prima est, quod tam conferens, quam recipiens ordines per Simoniam realem sit ipso facto excommunicatus. Extravagant. *Cum detestabile* 2, De Simonia; cap. *Reperiuntur* 7, caus. 1, quæst. 1; Pirrhing, *loco cit.*, n. 156; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 257 et 258, et alii passim.

(11. Secunda est suspensio ordinantis a collatione ordinum saltem per triennium, et ordinati, donec ab ipsa suspensione per Sedem Apostolicam fuerit absolutus. Cap. *Si quis ordinaverit* 45, De Simonia. Item si Simoniæ crimen sit manifestum, tam ordinans quam ordinatus deponendus est a suo gradu et officio ecclesiastico, textu expresso in c. *Qui per pecuniam* 9, caus. 1, q. 1, ibi : « Qui per pecuniam quemque consecraverit, vel ab alio consecratus est, alienus a sacerdotio fiat. » Et ex constit. 91, Sixti V, incip. *Sanctum et salutare*, ordinans Simoniace a collatione quorumcunque ordinum, et primæ tonsuræ, et ab exsecutione omnium munerum Pontificialium, eo ipso suspensus, et ab ingressu Ecclesiæ interdictus exsistit, reservata harum censurarum absolutione Summo Pontifici, quamvis Simonia esset occulta; quas pœnas in suo robore permanere voluit Clemens VIII, quamvis dictam Bullam Sixti V, quoad aliqua puncta revocaverit ad terminos juris communis in sua constitut. 40, incip. *Romanum Pontificem:* et si interdictum violat, præter irregularitatem, quam incurrit vigore cap. *Cum medicinalis*, 1, et cap. *Is cui* 20, De sententia excommun. in 6, etiam suspensus est a regimine et administratione suæ Ecclesiæ, et perceptione omnium fructuum a beneficiis suis provementium; sic expresse cit. const. Sixti V, inc. *Sanctum et salutare*, non moderata, nec revocata quoad dictas pœnas contra Simoniacos a Clemente VIII, in dicta constitut. incip. *Romanum Pontificem.*

(12. Tertia est, quod ordinatus Simoniace scienter, præter excommunicationem, quam ipso facto incurrit. Arg. cap. *Reperiuntur* 7, caus. 1, quæst. 1, et Extrav. *Cum detestabile* 2, De Simonia, sit suspensus ab exsecutione omnium suorum ordinum, non solum Simoniace susceptorum, sed etiam aliorum, quamvis Simonia sit occulta, cit. Extravag. *Cum detestabile* 2, De Simonia; quæ a doctoribus communiter intelligitur de suspensione omnium ordinum, etiam non Simoniace receptorum, ut notat Pirrhing, *loc. cit.*, num. 160; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 262; Lessius, *loco cit.*, num. 135, et alii passim. Et si postea in tali suspensione aliquem actum ordinis exerceat, incurrit etiam irregularitatem. Cap. *Apostolicæ* 9, De clerico excommunicat., cap. *Is cui* 20, De sententia excommunicat. in 6. Et insuper incurrit privationem officiorum, et beneficiorum omnium, atque inhabilitatem ad ea, si fuerit sæcularis; si vero regularis, privationem vocis activæ, et passivæ, atque inhabilitatem ad eam, reservata dictarum pœnarum absolutione soli Summo Pontifici, etiamsi Simonia esset occulta; sic expresse cit. constitut. Sixti V, incip. *Sanctum et salutare*, non moderata, nec revocata quoad dictas pœnas contra Simoniacos a Clemente VIII, constitut. incip. *Romanum Pontificem.*

(13. Pœnæ contra Simoniam realem in beneficiis ecclesiasticis commissam sunt sequentes : Prima est, quod tam illi, qui aliquod beneficium, sive officium ecclesiasticum, sive sæculare, ut episcopatum, archipresbyteratum, canonicatum, et hujusmodi; sive regulare, ut generalatum, provincialatum, prioratum, guardianatum, rectoratum, definitoriatum, et hujusmodi, Simoniace conferunt, aut directe, vel indirecte procurant, eligendo, postulando, præsentando, commendando, et hujusmodi; quam illi, qui aliquo ex præfatis modis Simoniace beneficium, aut officium hujusmodi acquirunt, ipso jure et facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. Cit. Extrav. *Cum detestabile* 2, De Simonia, et S. Pius V, constit. 5, incip. *Cum primum.*

(14. Secunda est, quod collatio, provisio et acquisitio hujusmodi beneficii, aut officii Simoniace facta, sit ipso jure irrita et nulla, ita ut provisus teneatur sub animæ suæ damnatione illud sponte dimittere, et ad restitutionem omnium fructuum, si quos inde perceperit. C. *Si quis neque*, caus. 1, q. 1, c. *Matthæus* 23, De Simonia, et cit. Extrav. *Cum detestabile* 2, De Simonia, et S. Pius V, cit. constit. incip. *Cum primum.*

(15. Tertia est, quod qui Simoniace hujusmodi beneficium aut officium ecclesiasticum obtinuit, illud, utpote nulliter obtentum, ante omnem sententiam non solum dimittere teneatur, sed ad illud obtinendum perpetuo inhabilis evadat, nisi Papa dispenset. Cap. *Si alicujus* 59, De elect., cap. *Nobis fuit* 27, De Simonia, et S. P. V. cit. constit. incip. *Cum primum.*

(16. Quarta est, quod qui Simoniace aliquod hujusmodi beneficium seu officium ecclesiasticum obtinuit, sit etiam inhabilis ad quæcunque alia beneficia ecclesiastica obtinenda. Sic expresse S. P. V., citat. constitut., incip. *Cum primum.* Quam tamen

Digitized by Google

pœnam, vel non esse usu receptam, vel non obligare in conscientiæ foro ante condemnatoriam vel declaratoriam judicis sententiam. tenent Navarr., consil. 92, *De Simonia;* Castropalao, *De Simonia*, punct. 25; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 270; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 267, et alii.

(17. Quinta est, quod qui Simoniace obtinet aliquod hujusmodi beneficium aut officium ecclesiasticum, sit privandus per sententiam judicis etiam aliis beneficiis prius canonice obtentis, text. expresso in c. *Cum supra* 2. De confessis, cum similibus.

(18. Sexta est, quod qui Simoniace obtinet aliquod hujusmodi beneficium aut officium ecclesiasticum, sit per sententiam judicis etiam ab altaris ministerio perpetuo deponendus, textu expresso in cap. *De hoc* 11, De Simonia, cum similibus.

(19. Supradictas juris pœnas inducit etiam Simonia juris ecclesiastici in resignatione et permutatione beneficiorum commissa; sic contra paucos communior doctorum cum abbate, in cap. *Cum universorum*, De rerum permutat., num. 6; Pirrhing, *loco cit.*, num. 155; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 272; Layman, *De Simonia*, cap. ult., num. 66; Suarez, et alii passim. Sacri enim canones et constitutiones Pontificiæ, dum pœnas contra Simoniam statuunt ordinarie in genere, et indiscriminatim, de quavis Simonia reali loquuntur, adeoque etiam de Simonia juris ecclesiastici, quia ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Cap. *Quia circa* 22, De privileg., et l. *De pretio* 8, ff. *De Publiciana in rem action.* Tum quia plures sacri canones loquuntur de Simonia juris humani seu ecclesiastici, eamque pœnis juris subjiciunt, ut videre est in cap. *Quæsitum* 5, et cap. *Cum olim* 7, De rerum permut., cap. *De hoc* 11, De Simonia; Extravag. *Cum detestabile* 2, De Simonia, cum similibus.

(20. Qui beneficium per Simoniam realem ab alio commissam obtinuit, tenetur illud etiam ante judicis sententiam dimittere, quam primum rescit Simoniam esse commissam, textu expresso in cap. *Eos qui* 2, caus. 1, quæst. 5, c. *Nobis fuit* 27, et cap. *Sicut tuis* 33, De Simonia, ibi : « Secundum sacrorum canonum instituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur.»

(21. Non tenetur autem beneficium dimittere ille, in cujus odium ipso ignorante, Simonia ab alio commissa est, textu expresso in cit. cap. *Nobis fuit* 27, De Simonia, ibi : « Nisi constaret illos, qui promissum tale (nempe Simoniacum) fecerint per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse. »

(22. Item non tenetur beneficium dimittere, qui contra Simoniam ab alio obtinendo beneficio committendam expresse protestatur, quamvis ipse alius, ignorante dicto expresse contradicente, in *Simonia* pergat, eaque mediante beneficium revera obtineatur, in cit. cap. *Sicut tuis* 33, De Simonia, ibi : « Quoniam ex eo quod contra prohibitionem, et voluntatem tuam (a qua postmodum minime recessisti), aliquis, te penitus ignorante, promisit pecuniam, et exsolvit, nihil tibi debet ad culpam imputari. »

(23. Teneretur tamen beneficium dimittere, si sciret, quod dictus alius, non obstante contradictione et protestatione sua, nihilominus in Simonia pergeret, eaque mediante beneficium obtineret, quia sic acceptando videretur in re approbare *Simoniam*, et consentire in illam. Sic colligitur clare ex citat. cap. *Sicut tuis* 33, De Simonia, ubi excusatur a pœna nullitatis solum ille, qui post contradictionem ignorat beneficium ab alio *Simoniace* pro se obtineri, adeoque ille, qui scit, non excusatur hoc ipso, quod sciat beneficium pro se Simoniace fuisse obtentum. Eo vel maxime quod per verba textus allegati supra num. 20 : « Secundum sacrorum canonum instituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur. » Lessius, lib. II, c. 35, num. 143; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 261, et alii passim.

(24. Et a fortiori teneretur tale beneficium dimittere, si per *Simoniam* alterius fuisset obtentum, sciente et non contradicente ipsomet, pro quo fuisset obtentum. In tali enim casu ipsemet plene consentire videretur, quia, ut recte advertit Glossa communiter recepta in cit. cap. *Sicut tuis*, verb. *Præbere :* « Sæpe qui tacet, consentire videtur, » per textum in l. *Sicut proponis* 5, cod. *De nuptiis*, l. *Soluto matrimonio* 2, ff. *Soluto matrimonio*, cap. *Si servus* 19, dist. 54, et expresse cap. *Qui tacet* 43, De regul. juris in 6, ibi : « Qui tacet, consentire videtur. »

(25. Qui se ignorante, seu omnino nesciente, per Simoniam alterius est ordinatus, de rigore juris, donec dispensetur, tenetur ab exsecutione ordinis abstinere, postquam Simoniacam ordinationem resciverit. Argument. cap. *Præsentium* 3, caus. 1, q. 5, et cap. *De regularibus* 25, De Simonia. Poterit tamen cum taliter ordinato episcopus dispensare, prout habetur in cit. cap. *Præsentium* 3, caus. 1, qu. 5, et tenet Glossa, *ibidem*, quia talis, quamvis Simoniace fuisset ordinatus, tamen Simoniacus non esset, ut dicitur in cap. *De Simoniace ordinatis* 22, De Simonia.

(26. Simoniæ confidentialis pœnæ sunt sequentes : Prima scilicet, quod præter excommunicationem ipso facto ratione ipsius incurrendam, privat non solum beneficio, circa quod Simonia confidentialis commissa fuit, sed etiam aliis beneficiis et pensionibus canonice obtentis. Pius IV, constit. 85, incipient. *Romanum Pontificem*, et S. Pius V, constitut. 85, incip. *Intolerabilis.*

(27. Secunda est, quod inhabilem reddat taliter Simoniacum ad idem, et alia quæcunque beneficia obtinenda. Pius IV, cit. constitut. *Romanum Pontificem;* et S. Pius V, cit. constitut. incip. *Intolerabilis.*

(28. Tertia est, quod beneficium per Simoniam confidentialem nulliter acquisitum reservatur Summo Pontifici, ita ut nullus

Digitized by Google

alius illud conferre valeat: Pius IV et S. Pius V, in citatis constitutionibus.

(29. Quarta est, quod fructus ex tali beneficio male percepti applicari debent cameræ Apostolicæ. Pius IV, et V, in citat. Constitutionibus.

(30. Quinta est, quod præfatæ pœnæ contrahantur non solum per *Simoniam realem*, sed etiam per *Simoniam conventionalem mistam*. Sanct. Pius V, cit. constitut. incip. *Intolerabilis;* ubi S. Pontifex decernit pœnas contra Simoniam confidentialem statutas incurri, licet « ipsa Simonia confidentialis alterius tantum partis conscientia sit completa. » *Vide* ipsam constitutionem relatam *supra* artic. 1, n. 16.

(31. Quæ autem sint pœnæ statutæ contra dantes vel promittentes pecuniam, seu temporalia pro obtinenda justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam? Vide *supra* art. 2, n. 35, ubi ad id affertur per extensum constitutio Alexandri VII, de datis et promissis pro justitia vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda.

(32. Quoad restitutionem Simoniace acceptorum, tenendum est pro certo, quod qui obtinuit Simoniace beneficium, seu officium aliquod ecclesiasticum, tenetur sub mortali sponte illud una cum omnibus fructibus perceptis ante omnem judicis sententiam restituere ac dimittere, etiamsi Simonia sit occultissima. C. *Si quis neque*, caus. 1, quæst. 1, cap. *Matthæus* 23, De Simonia; Extravag. *Cum detestabile* 2, De Simonia; S. Pius V, constitut. 5, incip. *Cum primum.*

(33. Qui temporale accepit sub conditione, seu pacto dandi, vel præstandi spirituale, et postea conditionem, seu pactum non implevit, tenetur jure divino et naturali restituere totum acceptum. Communis ac certa. Et ratio est clara, quia sicuti dispensator eleemosynam gratis dispensare jussus pauperi, facit ei injuriam et ad restitutionem tenetur, si pro dicta eleemosyna ipsi pauperi tradenda, ab eo exigat et accipiat pecuniam, ita ad restitutionem tenetur, qui pro spiritualibus, quæ tanquam dispensator gratis distribuere debet juxta præceptum Domini, *Matthæi* x: *Gratis accepistis, gratis date*, temporalia exigit. Eo magis in nostro casu urget obligatio restitutionis ratione pacti expressi, quod non implevit.

(34. Qui pro electione, collatione, præsentatione, nominatione alicujus ad beneficium seu officium ecclesiasticum, aliquod temporale recepit, tenetur illud restituere ante omnem judicis sententiam. Communis, et certa, textu expresso in cap. *De hoc* 11, De Simonia, ibi: « Reges et principes ejus debes inducere, ut si quæ receperint a præfato episcopo, ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesiæ Oxoniensi sine diminutione restituant, cum ea sine gravi salutis periculo retinere non possint. »

(35. Et quidem ad talem restitutionem tenetur de jure divino. *Communis.* Cum enim talis non sit dominus, sed dispensator solum hujusmodi rei spiritualis, et a Domino Deo jussus, ut *gratis* distribuat, *Matth.* x: *Gratis accepistis, gratis date*, facit injuriam Domino Deo, et illi, a quo pro re spirituali temporale exigit; sicque peccat contra justitiam, et consequenter tenetur ad restitutionem de jure divino.

(36. Qui temporale accepit ratione beneficii ecclesiastici, tenetur illud restituere Ecclesiæ, in qua beneficium exsistit, et non ipsi danti, præsertim post sententiam judicis. *Communis*, et clare habetur ex cit. cap. *De hoc* 11, De Simonia, ubi expresse præcipitur, ut hujusmodi *Simoniace* accepta restituantur Ecclesiæ Oxoniensi.

(37. Advertunt tamen doctores cum sanct. Thoma, 2-2, quæst. 100, art. 6, ad tertium, posse tale temporale acceptum restitui pauperibus superioris arbitrio; imo multi asserunt jam legitime introductum esse, ut talia *Simoniace* accepta restituantur pauperibus, cum obligatio ea restituendi Ecclesiæ, et non alii, sit tantum lex humana seu ecclesiastica, cui potuit, et potest per legitimam consuetudinem derogari. Cap. *Cum tanto* 11, De consuetud.

(38. Ante sententiam tamen judicis posse, imo deberi talia *Simoniace* accepta restitui illis, a quibus sunt accepta, defendunt absolute Sotus, lib. IX, q. 9, art. 1, *De Simonia*, et § *Ad textum;* Moya, tract. 6, *Miscellan.* disputat. 4, quæst. 6, § 2, num. 13; Bannes, 2-2, quæst. 32, art. 7, dub. 2; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 296 et 297. Et probabiliter Palao, *De Simonia*, punct. 26, num. 5; Lessius, lib. II, cap. 36, dub. 31, num. 171, et alii.

* His assentiri videtur Antoine art. cit., quæst. 20, resp. 4, ubi scribit: « Si Simonia non sit in beneficiali materia, juxta multos accepta restitui debent ei, qui dedit; quia jure naturali res reddi debet ei, qui habet ejus dominium, nisi lex in pœnam ei reddi vetet. Sed qui dedit Simoniace, retinet dominium rei datæ, cum pactio Simoniaca sit nulla, nec proinde jus ullum transferat, et lex non prohibet reddi, quod Simoniace datum est, nisi Simonia fuerit realis in beneficio. Nam in cap. citato, ubi pecunia accepta dicitur restituenda esse mandanti, seu Ecclesiæ, agitur solum de Simonia reali in beneficio, nec idem ullibi statuitur in aliis casibus: unde hæc pœna cum sit quid odiosum non debet extendi ultra casus in lege expressos. Imo cap. 19, *De Simon.* præcipitur reddi pecuniam ei, qui religionem Simoniace fuerat ingressus *. »

(39. Simoniace accepta pro ingressu in religionem possunt retineri a monasterio in communi usu, at non ad specialem usum superioris, seu superiorissimæ, aut alterius singularis personæ, id enim, nempe quod talia Simoniace accepta communi monasterii usui, tanquam piæ causæ remanere et applicari possunt, expresse concessum fuit in Extravagant. *Sane* 1, De Simonia, ibi: « Insuper erga personas illas, quæ in præmissis recipiendo aliqua contra canonicas sanctiones peccasse notantur, volentes nos reddere gratiosos omnia recepta hujusmodi, si ad

Digitized by Google

communem usum monasteriorum seu locorum eorum sunt applicata, ea ad dictum usum concedimus retineri; si vero ad specialem usum abbatis vel abbatissæ, prioris aut priorissæ, aut alterius singularis personæ retineantur, illa venire præcipimus in communi. » Unde nullam esse obligationem ante judicis sententiam restituendi Simoniace accepta in ingressu religionis, sed posse retineri et applicari, ut supra, expresse tenent Pirrhing., *loc. cit.*, n. 183; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 298; Palao, *De Simonia*, punct. 26; Lessius, lib. II, cap. 35, dub. 30, et alii.

(40. Simoniace accepta pro collatione ordinis, et administratione aliorum sacramentorum, et sacramentalium restitui debent de jure divino, et consequenter ante omnem judicis sententiam. *Communis.* Et ratio est clara, quia, cum talia, et similia spiritualia ex mandato Domini Dei, *Matth.* x, gratis conferri et administrari debeant, si quod temporale pro eorum collatione seu administratione exigatur, fit gravis injuria Domino Deo, et illis, a quibus exigitur, sicque peccatur contra justitiam, et insurgit obligatio id restituendi de jure divino.

(41. Et talis obligatio restituendi Simoniace accepta oritur etiam ex *Simonia mentali;* licet enim ex ipsa nulla incurratur juris pœna per dicta et jura adducta *supra* n. 2, oritur tamen onus restituendi temporalia Simoniace accepta : quod onus non est pœna juris, sed obligatio ex justitia et jure divino procedens ob injuriam illatam tertio; quæ obligatio etiam occultissima delicta afficit, propter quæ tales mentales Simoniaci « apud districtum judicem (qui scrutator est cordium, et cognitor secretorum) culpabiles judicantur, » ut expresse cavetur in cap. *Tuæ nos* 34, De Simonia.

Alia ad rem *vide* verb. Electio, Jus patronatus, Præsentatio, Resignatio.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(42. Regulariter pœnæ contra Simonaicos haud incurruntur propter solam Simoniam conventionalem, ut recte notavit auctor, n. 3, et communiter tradunt Antonell., *De regim. Eccles.*, lib. VI, cap. 18, n. 13; Lotter, *De re benefic.*, lib. III, quæst. 19, n. 150 et seq.; Novar., in summ. *Bullar. Commentar.* 117. n. 19; Panimoll., decis. 91, adnot. 1, n. 35; Rot., in recent. decis. 141, n. 16, part. XVI, et cum aliis in *Marianen. Beneficii* 28 Januar. 1745, § 18, *cor clar. mem. Millin.*

(43. At in aliquibus casibus ex sola conventionali Simonia incurritur pœna nullitatis. Sic permutatio Simoniaca, quamvis nihil adhuc datum, vel factum sit, irrita est, caretque suo effectu. Rota, *coram Crisp.*, decis. 102, n. 3, *cor. Falconer.*, decis. 5, n. 10, *De benefic.*

(44. Idem dicendum de resignatione Simoniaca labe infecta, ut respondit Rota, in *Paderbonen. Beneficii* 10 Martii 1747, § 2, *cor. reverendiss. Molino*, ibi : « Dubitari namque non potest, quin detestabile scelus Simoniacæ pravitatis inducat omnino nullitatem resignationis, et beneficii privationem, etc. Quod procedit nedum in reali, verum in Simonia etiam conventionali, etsi effectu conventio caruerit, » et in confirmatoria 3 Junii 1747, § 1, *cor. eodem.*

(45. Et quod hic silentio prætereundum haud est, mox allegatæ *Decisiones in Paderbonen. Beneficii* magistrales sunt circa probationem Simoniæ, et fere singulares, nam ut plurimum Simonia excludi solet ex defectu idonearum probationum.

(46. Num etiam in electionibus ex sola Simonia conventionali incurratur pœna nullitatis electionis? *Vide* apud Mayr, in *Decretal.*, lib. v, tit. 3, n. 138.

(47. De peculiaribus pœnis, quas incurrunt Simoniaci pro varietate actuum, in quibus Simonia committitur, *vide* eumdem Mayr, in *Decretal. dict.*, lib. v, dict. tit. 3, a n. 133 ad plur. seq.

ARTICULUS IV.

Quoad ea, quæ concernunt causas, et titulos excusantes a Simonia, vel pœnis, ac restitutione Simoniace acceptorum. Et quoad ea, quæ concernunt dispensationem in pœnis Simoniæ, et absolutionem a censuris ob eam incursis, et judicem, et testes quoad eam.

SUMMARIUM.

1. Causæ et tituli excusantes a Simonia recensentur. — 2. Ab incursu Simoniæ excusat dare temporale ad redimendam vexationem injustam, quam quis patitur in jure spirituali jam plene quæsito, et quod habet in re. — 3. Item ab incursu Simoniæ excusat dare temporale ad redimendam injustam vexationem etiam in jure spirituali nondum quæsito, sed adhuc acquirendo, si dicta injusta vexatio veniat ab eo, qui solum nocere, non autem prodesse potest, ad tale spirituale obtinendum. — 4. Non excusat tamen ab incursu Simoniæ dare temporale ad redimendam injustam vexationem, si ipsa veniat ab eo, qui de jure prodesse potest ad tale spirituale obtinendum. — 5. Item non excusat ab incursu Simoniæ dare alicui, sive de jure ad beneficium prodesse valenti, sive non, temporale, ne vexationem justam incipiat, aut ab ea incepta desistat in beneficio, sive acquirendo, sive acquisito. — 6. Ab incursu Simoniæ excusat dare et exigere temporale propter laborem functioni aut ministerio spirituali extrinsecum, et per accidens conjunctum; secus autem propter laborem intrinsecum. — 7. Qualis sit et dicatur labor extrinsecus et intrinsecus. — 8. Ab incursu Simoniæ excusat etiam ignorantia vere invincibilis. — 9. Causæ omnes et tituli excusantes a Simoniæ culpa, excusant etiam ab ejus pœnis. — 10. Ignorantia tamen invincibilis pœnarum, censuris exceptis, non excusat ab eis ipsos Simoniacos. — 11. Et de facto transgressores legis puniuntur etiam pœnis, quas ignorant. — 12. Ignorantia vero censurarum excusat ab eis incurrendis, quamvis contra legem agendo quis gravissime peccet. — 13. Temporalia Simoniace accepta restituenda sunt, licet quis ea accipiendo ignoraverit se peccare. — 14. Præscriptio tamen legitima excusat a dicta restitutione Simoniace acceptorum; dummodo tamen habeat omnes conditiones ad ipsam necessarias. — 15. Ab excommunicatione incursa ob Simoniam commissam in ingressu religionis, vel beneficio ecclesiastico, solus Papa absolvere potest. — 16. Possunt tamen absolvere ab ipsa, si sit occulta, episcopi et regulares

Digitized by Google

privilegiati. — 17. Solus autem Summus Pontifex absolvere potest a censuris, aliisque pœnis incursis ob commissam Simoniam in susceptione et collatione ordinum, etiamsi Simonia sit occulta. — 18. Si beneficium simplex Simoniace fuit obtentum, beneficiario ignorante, potest episcopus dispensare, quod illud retinere, seu de novo acquirere possit, dummodo illud prius libere resignet. — 19. Idem potest episcopus, si est prælatura, aut dignitas, seu beneficium curatum, dummodo electio seu collatio illius per sententiam reprobata, seu cassata non sit; secus autem si per sententiam sit reprobata, seu cassata. — 20. In casu autem, quo talis Simoniaca electio, seu collatio reprobata, seu cassata fuerit per sententiam, non potest episcopus dispensare, ut talis beneficium *illa vice* retinere aut de novo acquirere possit, sed debet tale prius alteri conferre, et postea si iterum vacare contigerit, poterit rursus ei conferre. — 21. Pœnam inhabilitatis ad beneficium quodcunque episcopus dispensando tollere non potest, quando Simonia commissa est ab ipso beneficiario, vel ab alio ipso sciente et consentiente, etiamsi Simonia sit occulta. 22. — Et id procedit nedum in foro externo, sed etiam interno. — 23. Quando Simonia est publica, dispensatio pro foro externo obtineri debet a dataria. — 24. Quando autem est occulta, procuratur pro foro interno in sacra pœnitentiaria. — 25. In causis Simoniæ solus judex ecclesiasticus procedit, etiamsi reus sit laicus. — 26. Ad accusandos Simoniacos quivis testis etiam criminosus admittitur. — 27. Alia ad rem ad n. 37.

(1. Causæ et tituli excusantes a Simonia sunt potissimum sequentes: I. Si temporale pro spirituali, aut econtra detur omnino gratis sine ullo explicito, et implicito pacto; patet ex dictis art. 1, a n. 29 ad 30. II. Si post acceptum spirituale detur temporale, aut econtra, ex mera gratitudine ad satisfaciendum obligatione *antidorali;* patet ex dictis citat., art. 1, n. 34. III. Si temporale detur, ne eligatur indignus, aut minus dignus; patet ex dictis art. 2, n. 17. IV. Si ministris Ecclesiæ dentur temporalia non per modum pretii, sed solum per modum stipendii ad eorum honestam sustentationem pro administratione sacramentorum et sacramentalium, pro missis et aliis functionibus spiritualibus; patet ex dictis art. 2, n. 26 et 33. V. Si spirituale conferatur propter preces armatas, sive grave metum incussum sine tamen ullo pacto; patet ex dictis art. 1, num. 40. VI. Si temporale detur ad redimendam vexationem injustam; patet ex dicendis *infra* n. 2 et 3. VII. Si temporale detur propter laborem functioni, aut ministerio spirituali extrinsecum, et solum per accidens conjunctum; patet ex dicendis *infra* num. 6. VIII. Si interveniat ignorantia vere invincibilis; patet ex dicendis *infra* n. 8.

(2. Ab incursu Simoniæ excusat dare temporale ad redimendam vexationem injustam, quam quis patitur in jure spirituali jam plene quæsito, et quod habet in re. *Communis*, arg. c. *Quæsitum* 4, caus. 3, quæst. 3, et cap. *Dilectus* 28, De Simonia, ubi Simoniæ non arguuntur, qui ad redimendam injustam vexationem, quam patiebantur in jure jam quæsito, temporalia dederunt. Hinc S. Gregorius Magnus (ut ex Baronio refert Fagnanus in lib. VI, cap. *Nobis*, De Simonia, n. 105, pecuniam dedit imperatori Mauritio, pro confirmatione sui Pontificatus sine labe Simoniæ, quia, cum jam haberet jus quæsitum, seu in re ad Pontificatum per legitimam electionem, dictam pecuniam non dedit pro jure aliquo spirituali, seu pro Pontificatu emendo, utpote quem jam jure quæsito habebat, sed pro tollenda injusta et violenta vexatione, qua a justo exercitio sui legitimi Pontificatus tyrannice impediebatur, quod est quid temporale.

(3. Item ab incursu Simoniæ excusat dare temporale ad redimendam injustam vexationem etiam in jure spirituali nondum quæsito, sed adhuc acquirendo, si dicta injusta vexatio veniat ab eo, qui solum nocere, non autem prodesse potest ad tale spirituale, verb. gr. beneficium seu officium ecclesiasticum obtinendum. *Communis.* Et ratio est, quia in tali casu non dat quis temporale pro acquirendo spirituali, cum conclusio supponat talem injuste vexantem nihil penitus prodesse posse ad tale spirituale acquirendum, sed dat solum, et præcise, ut injustus vexans impedimenta non ponat per suas iniquas machinationes, infamando v. g. et denigrando ipsum apud eligentem, præsentantem, conferentem, confirmantem; seu alias injuste agendo contra ipsum, ne eligatur, præsentetur, instituatur, confirmetur, vel alias a beneficio acquirendo injuste et violente impediatur, uti injuste ipsum detinendo, aut quocunque modo impediendo, ne se conferat ad concursum, ad electorem, præsentatorem, collatorem, et hujusmodi: quæ omnia sunt quid mere temporale, et nihil positive influunt in beneficii seu officii ecclesiastici collationem et acquisitionem.

(4. Non excusat tamen ab incursu Simoniæ dare temporale ad redimendam injustam vexationem, si ipsa veniat ab eo, qui de jure prodesse potest ad spirituale, v. g. beneficium seu officium ecclesiasticum obtinendum. *Communis.* Et ratio est, quia in tali casu temporale datum vel promissum alicui, ne in electione v. g. præsentatione, et hujusmodi injuste deneget votum suum, vel alias injuste deneget debitam institutionem, confirmationem, collationem, et hujusmodi, positive influit in collatione et acquisitione spiritualis, cum non aliter tollatur seu redimatur dicta injusta negatio voti, institutionis, confirmationis, collationis, etc., nisi per actualem dationem temporalis; unde tunc datum temporale habet rationem pretii; sic autem dare temporale, ut detur spirituale, est verissima Simonia: habetur expresse in cap. *Matthæus* 23, De Simonia; juncto ejus summario sic præcise dicente: « Si contradicens electo, pro pecunia de voluntate electi tradita a contradictione cessat, electus postea confirmatus est Simoniacus, et beneficio renuntiare tenetur. » Et concordat cap. *Sicut tuis* 33, eodem, ubi tam episcopus injuste negans confirmationem canonice electo, quam illi, qui ad tollendam injustam episcopi vexationem pro obtinenda debita confirmatio-

Digitized by Google

ne pecuniam dederunt, *Simoniaci* habentur.

(5. Item non excusat ab incursu Simoniæ dare alicui, sive de jure ad beneficium prodesse volenti, sive non, temporale, ne vexationem justam incipiat, aut ab ea incepta desistat in beneficio, sive acquirendo, sive acquisito. *Communis*, arg. cap. *Cum pridem* 4, De pactis, cap. *Matthæus* 23, et cap. *Sicut tuis* 33, De Simonia; et ratio est clara, quia, quando quis in beneficio acquirendo, seu acquisito juste impugnatur, seu juste impugnari potest, vel nullum jus habet, vel saltem non firmum ad dictum beneficium, adeoque si mediante pecunia, vel temporali justam impugnationem, seu vexationem tollit, sibi parat viam ad spirituale per temporale, et medio temporali jus ipsum spirituale, vel saltem ejus firmitatem sibi comparat, quod vere est Simoniacum; unde vera est Simonia dare pecuniam, aut aliud temporale alicui, ne electionem, præsentationem, collationem seu possessionem beneficii juste et de jure impugnet, aut a justa impugnatione desistat, et hujusmodi.

(6. Ab incursu Simoniæ excusat dare et exigere temporale propter laborem functioni aut ministerio spirituali extrinsecum, et per accidens conjunctum; secus autem propter laborem intrinsecum. *Communis*. Et ratio est clara, quia labor extrinsecus est distinctus ab ipsa actione sacra et functione spirituali, licet per accidens sit ei conjunctus, adeoque retinet suum valorem, quem ex se tanquam quid temporale distinctum ab ipsa actione sacra habet, sicque propter ipsum absque incursu Simoniæ potest dari et exigi temporale, cum non sit Simonia dari, et exigi temporale pro temporali. Econtra tamen, quia labor intrinsecus non distinguitur ab ipsa actione sacra et functione spirituali, sed cum ipsa unum opus efficit, totusque est sacer, dari et exigi temporale pro ipso erit Simonia, per textum in cap. *Si quis objecerit* 7, caus. 1, quæst. 3, ibi : « Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. »

(7. Ille autem labor est, et dicitur extrinsecus functioni sacræ seu ministerio spirituali, et ei per accidens conjunctus, sine quo functio sacra, seu ministerium spirituale, adhuc in se bene fieri potest. Sic, v. gr. labor extrinsecus, et per accidens conjunctus celebrationi missæ, est itineratio per unam vel alteram horam ad locum distantem : unde cum talis itineratio ad celebrandam missam in dicto loco distanti sit quid temporale, non est Simonia pro ipsa dare et exigere temporale. Labor intrinsecus econtra est, et dicitur ille, sine quo functio sacra seu ministerium spirituale fieri nequit, sic verb. gr. pronuntiatio verborum, motus membrorum, et hujusmodi est labor missæ intrinsecus, eo quod sine isto et simili labore missa celebrari nequeat. Sic doctores communiter; unde cum talis pronuntiatio verborum, et motus corporis, utpote labor intrinsecus et necessarius pro celebratione missæ, et consequenter ab ipsa indistinctus, sit unum totum sacrum cum ipsa efficiens, ideo pro ipso solo nequit aliquid temporale pro pretio dari et exigi sine labe Simoniæ, cum sic esset vendere et emere spirituale pro temporali.

(8. Ab incursu Simoniæ excusat etiam ignorantia vere invincibilis. *Communis*. Et ratio est clarissima, quia ad peccatum requiritur consensus; ignorantis autem nullus est consensus. L. *Si per errorem* 15, ff. *De jurisdict. omnium judicum*, l. *Non idcirco* 9, cod. *De jur. et fact. ignorantia*; unde si ignorantia invincibilis per communissimam doctorum excusat ab omni peccato, excusabit infallibiliter etiam a culpa Simoniæ.

(9. Causæ omnes et tituli excusantes a Simoniæ culpa, excusant etiam ab ejus pœnis. *Communis*. Ubi enim nulla est culpa, ibi nulla debet esse pœna. Arg. leg. *Si putatur* 31, ff. *Ad legem Aquiliam*, leg. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*, cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus, ibi : « Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, » cap. *Sine culpa* 23, De regul. juris in 6, ibi : « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. »

(10. Ignorantia tamen invincibilis pœnarum ob culpam Simoniæ ab Ecclesia statutarum, ab eis non excusat, censuris exceptis, ipsos Simoniacos. *Communis*. Ignorantia enim solius pœnæ non tollit causam pœnæ, id est culpam, adeoque nec effectum, seu ipsam pœnam. (11. Et de facto delinquentes contra alias leges sub certa pœna aliquid prohibente, eadem pœna justissime plectuntur, quamvis ignorent ipsam pœnam, sub qua lex talia delicta prohibet; nec indiget hoc ulteriori probatione, cum quotidiana id demonstret experientia, et praxis omnium tribunalium ecclesiasticorum et laicalium, qua constat delinquentes, et legum transgressores variis affici pœnis, rotæ, combustionis, patibuli, decollationis, et hujusmodi, quamvis invincibiliter ignoraverint, delicta a se committenda et commissa pœnis hujusmodi subjacere.

(12. Notanter autem dicitur *censuris exceptis*, quia ignorantia censurarum excusat ab eis incurrendis, quamvis contra legem agendo quis gravissime peccet. *Communis*, textu expresso in cap. *Ut animarum periculis* 2, De constitutionibus in 6, ibi : « Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dummodo eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. » Et ratio manifesta est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, cap. *Qua fronte* 15, De appellationibus, ibi : « Sane si quis pro contumacia.... interdicto vel excommunicatione tenetur astrictus, » cum similibus. Contumacia autem non adest, ubi ignorantia censuræ habetur, cum ignorantia excuset a contemptu et contumacia, leg. *Si ignorans* 50, ff. *Locati*.

(13. Quamvis temporalia Simoniace accepta restituenda sint, licet quis ea acci-

Digitized by Google

piendo ignoraverit se peccare; cum obligatio talis restitutionis oriatur non tam a jure humano, seu ecclesiastico, quam a jure divino, seu naturali ex dictis art. 3, n. 32, ad 35, et consequenter, qui ea Simoniace accepit, restituere teneatur statim ac rescit illa tanquam aliena restitutioni esse obnoxia, etiamsi prius ipsa accipiendo id ignoraverit, ut tradunt communiter doctores; (14. Tamen præscriptio legitima excusat a dicta restitutione Simoniace acceptorum; dummodo tamen ad ipsam præscriptionem vere concurrant omnes conditiones ad ipsam necessariæ, de quibus abunde sub verb. PRÆSCRIPTIO per tot. Vide *ibi*, ubi plurima ad rem.

(15. Ab excommunicatione incursa ob commissam Simoniam in ingressu religionis, vel beneficio ecclesiastico solus Papa absolvere potest. *Communis*. Papa enim sibi illam specialiter reservavit in Extravag. *Sane* 1, et *Cum detestabile* 2, De Simonia.

(16. Ex privilegio tamen, quo regulares mendicantes absolvere possunt a casibus Papæ reservatis (qua de re legenda Appendix ad verb. CONFESSARIUS, artic. 4), possunt etiam absolvere ab ista excommunicatione, dummodo non sit publica, et ad forum contentiosum deducta. Ita Suarez, l. 4, *De Simonia* c. 61, num. 4; Castropal., *De Simonia*, punct. ult., n. 2; Reiffenstuel, lib. v *Decretal.*, tit. 3, n. 334, et alii. Sicut et posse episcopos absolvere a Simonia occulta declaravit sacra congregat. apud Castropal., *De Simonia*, punct. ult. n. 3; Reiffenst., *loc. cit*, n. 340 in fine.

(17. Solus autem Summus Pontifex absolvere potest ab excommunicatione, suspensione et interdicto, aliisque pœnis incursis ob commissam Simoniam in subreptione et collatione ordinum, etiamsi Simonia sit occulta; sic enim sibi expresse reservavit Sixtus V, constitut. 10, incip. *Sanctum et salutare*, cum expressa derogatione omnium privilegiorum, ac etiam concilii *Tridentini*, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 6. Vi cujus episcopi alias possunt « in omnibus irregularitatibus et suspensionibus a delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputatum in foro conscientiæ gratis absolvere; » sunt verba præcisa concilii. Nec quoad hoc dicta constitutio Sixti V est moderata aut revocata a Clemente VIII, constit. 41, incip. *Romanum Pontificem*, ut patet ex dictis *supra* art. 3, n. 11. Quamvis tamen circa id non esse dictam Sixti V Bullam ubique receptam putet Lessius, lib. II, c. 35, dub. 24, n. 134, apud Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 335.

(18. Si beneficium simplex Simoniace fuit obtentum ab aliis, beneficiario invincibiliter ignorante, consequenter beneficium bona fide acceptante, potest episcopus cum illo dispensare, ut tale beneficium de novo acquirere et retinere possit, dummodo illud prius libere resignet. *Communis*, textu expresso in c. *Si alicujus* 56, De electione, ibi : « Quamvis circa eum, qui ignoranter recipit simplex beneficium per Simoniacam pravitatem, post liberam resignationem, episcopi dispensatio toleretur. »

(19. Idem potest episcopus, si est prælatura, aut dignitas, seu beneficium curatum, dummodo electio seu collatio illius per sententiam reprobata, seu cassata non sit; secus autem, si per sententiam sit reprobata, seu cassata. Cit. cap. *Si alicujus*, ibi : « Si alicujus electionem propter Simoniam, eo ignorante, ac ratum non habente commissam, contigerit reprobari, cum eo super prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non potest episcopus dispensare, » juncto summario, *ibid.*, sic expresse sonante : « Cassata electione propter Simoniam etiam sine culpa electi, non dispensat episcopus ea vice cum cassato; secus, si electus libere resignavit; » Reiffenstuel, *loco cit.*, 337, et alii. (20. In casu autem, quo talis Simoniaca electio seu collatio reprobata seu cassata fuerit per sententiam, non potest episcopus dispensare, ut talis beneficium *illa vice* retinere, vel de novo acquirere possit; sed debet tale prius alteri conferri, et postea si iterum vacare contigerit, poterit rursus conferri tali *Simoniam* ab alio commissam invincibiliter ignoranti, quia tunc dicta Simonia purgabitur per intermediam personam, ut notat Glossa communiter recepta in cit. cap. *Si alicujus*, verb. *Illa vice*, per textum in cap. *Ex transmissa* 7, De filiis presbyteror., ibi : « Quo defuncto media intercessit persona, cui prædictum beneficium est collatum. » Et tenent Pirrhing, *loc. cit.*, n. 173; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 337, et alii communiter argument. cit. cap. *Si alicujus* 59, De electione.

(21. Pœnam inhabilitatis ad beneficium quodcunque episcopus dispensando tollere non potest, quando Simonia commissa est ab ipso beneficiario, vel ab alio, ipso sciente et consentiente, etiamsi Simonia sit occulta; tunc enim talis Simoniacus redditur perpetuo inhabilis non solum ad beneficium Simoniace obtentum iterum obtinendum, sed etiam ad quæcunque alia beneficia per jura et constitution. Pontific. cit. supra art. 3, n. 15 et 17. Super quibus episcopus dispensare nequit. Cap. *Inferior* 4, dist. 22, cap. *Nulli fas sit* 25, qu. 1, cap. *Institutionis* 25, qu. 2, cap. *Quod super his* 9, et cap. *Cum inferior*. 16, De majorit. et obed., Clement. *Ne Romani* § 1, De election., ibi : « Lex superioris per inferiorem tolli non potest. »

(22. Et id procedit, nedum in foro externo, ut tenent doctores communiter, sed etiam in foro interno, ut expresse declaravit sacr. congreg. apud Castropal., *De Simonia*, punct. ult., n. 3, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 340, his verbis : « Episcopus, etsi a Simonia occulta absolvere possit, non potest tamen Simoniacum rehabilitare ad be-

Digitized by Google

neficia in posterum obtinenda, neque ad ea retinenda, quæ per Simoniam occultam retinet. » Et sic tenent Pirrhing, *loc. cit.*, n. 173; Suarez, lib. IV, *De Simonia* cap. 61, n. 10 et 11, et communissima aliorum, teste Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 140, dicente jam in praxi tutam minime esse contrariam sententiam Henriquez, et paucorum aliorum putantium probabile esse, quod episcopus pro foro interno dispensare possit, si Simonia sit occulta.

(23. Quando Simonia est publica, dispensatio pro foro externo obtineri debet a dataria. Pyrr. Corrad., in *Praxi dispensation.*, lib. V, cap. 9, n. 13 et 14; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 343, et alii passim. (24. Quando autem est occulta, procuratur pro foro interno in sacra Pœnitentiaria. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 344.

(25. In causis Simoniæ solus judex ecclesiasticus cognoscere, et definitive pronuntiare potest, etiamsi reus sit laicus. Jul. Clar., lib. V, § *Simonia*, num. 7; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 142; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 348; Abbas, in cap. *Cum sit* 8, De foro competen., et *ibi* Glossa verb. *Malefactores*, et alii communiter : Simonia enim, cum versetur circa objecta spiritualia est causa spiritualis ; causarum autem spiritualium cognitio, et sententiæ pronuntiatio pertinet ad solos judices ecclesiasticos, privative quoad laicos, textu expresso in cap. *Decernimus* 2, De judiciis, ibi : « Decernimus, ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant. » Et concordat cap. *Lator* 5, cap. *Causam quæ* 7, Qui filii sunt legitimi, cap. *Contingit* 8, De arbitris, cum similibus.

(26. Ad accusandos Simoniacos quivis testis etiam criminosus admittitur, textu expresso in cap. *Tanta* 7, De Simonia ibi : « Tanta est labes hujus criminis, quod etiam servi adversus dominos, et quilibet criminosi admittuntur ad accusationem, » et concordant cap. *Licet Heli* 31, et c. *Per tuas* 32, eodem.

(27. In Simonia reali scienter contracta pro beneficio acquirendo, pœnitentiaria non revalidat titulum ejusdem beneficii etiam in casibus occultis, et in foro conscientiæ (in quo tamen dispensat ad exercitium ordinum), nisi forte agatur de Simonia ignorantia facti vel juris commissa, et orator, quamprimum id rescivit, dispensationem petierit; quod valet et in pensionibus, in quibus Simonia realis scienter contracta fuerit. Benedict. XIV, tom. I, constitutione 95, incipient. *Pastor bonus*, § 22.

(28. * Abstinendum est illi etiam a condonatione pretii Simoniaci, quando in Ecclesiam ipsam, vel pauperes debet erogari, nisi aliter suadeat paupertas delinquentium. *Ibid.*, § 23.

(29. Qui Simoniace intercessit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in subsidium restituere ecclesiæ vel pauperibus fructus a beneficiario male perceptos ante omnem sententiam. *Instit. eccles.*, 12, § 11.

(30. Si quis poscat a S. congregatione absolutionem a Simonia commissa in obtinendo beneficio, impetrare solet rescriptum, ut *dimittat, moneat et restituat*, nempe dimittat beneficium, moneat pro restitutione pretii accepti ecclesiæ, vel pauperibus, restituat fructus perceptos, *ibid.*, § 12.

(31. Si vero Simonia commissa est ab aliquo tertio, inscio beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo *ante possessionem;* quod valet ac si diceretur, modo id non rescierit ante acceptam beneficii possessionem. *Ibid.*, § 12.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(32. Summus Pontifex tametsi ea, qua pollet amplissima potestate, dispensare valeat super pœnis Simoniæ, in foro tum interno, tum externo, rarissime tamen hac potestate uti solet, teste Corrado, in *Prax. dispensat.*, lib. I, cap. 9, n, 13.

(33. Quinimo nunquam Simoniace proviso concessit retentionem beneficii, super quo Simonia commissa est, si eo sciente commissa sit. Idem auctor *ubi supra.*

(34. Cæterum si ignorante proviso Simonia sit commissa, nec ei concedit retentionem illius beneficii, sed ipsum noviter ei confert.

(35. Porro ubi Simonia sit publica, recursus haberi debet ad datariam Apostolicam, ibique proponenda est supplicatio pro utroque foro, et exprimi debent fructus ex beneficio Simoniace acquisito percepti, cum debeantur ii cameræ Apostolicæ, licet nonnunquam pro ipsis fieri soleat transactio.

(36. A proviso autem cum ignorantia Simoniæ sufficit eos exprimi fructus, qui percepti sunt post habitam notitiam Simoniæ, cum priores lucretur.

(37. At si Simonia sit occulta, recursus habetur ad sacram Pœnitentiariam cum supplicatione dispensationis pro foro interno tantum.

SOCIETAS, SEU SOCIETATIS CONTRACTUS.

SUMMARIUM.

1. Societas quid sit? — 2. Ad societatem quæstuosam, ut sit licita, quatuor potissimum requirantur conditiones, quæ assignantur. — 3. Contractus vulgo dictus trium contractuum secundum multos est illicitus et usurarius. — 4. Secundum tamen communiorem et probabiliorem sententiam est licitus, et minime usurarius. — 5. Ut justitia ficti contractus trium contractuum melius intelligatur, figuratur hic casus. — 6. Assignatur regula pro determinanda quantitate annui lucri ex hoc contractu societatis licite exigendi. — 7. Adducitur fundamentum hujus sententiæ deductum ex jure. — 8. Adducitur etiam ratio. — 9. Affertur et solvitur instantia. — 10. Affertur et solvitur alia instantia. — 11. Hactenus dicta procedunt etiam de societate animalium adjecto pacto assecurationis. — 12. In contractu societatis, si quid pereat sine ulla culpa sociorum, damnum censetur commune. — 13. Si autem quid pereat culpa lata, vel levi unius socii, tenetur solus talis socius ad dictum damnum. — 14. Ex dictis infertur primo, quod si res tradita in societatem fuerit furto sublata defectu debitæ custodiæ, teneatur ille, cui data fuerit, illam compensare, nec damnum sit commune utrique. — 15. Infertur secundo, quod non solum teneatur socius ex dolo,

Digitized by Google

culpa lata, et levi in ordine ad damnum, ex ea secutum, sed etiam in ordine ad lucrum cessans, et damnum emergens. — 16. Infertur tertio, quod ex culpa etiam levi alicujus ex sociis, teneantur etiam hæredes ejusdem delinquentis ad compensationem alteri ex sociis faciendam. — 17. Expensæ, quæ fiunt causa necessitatis, debent esse communes, et solvendæ sunt ex communi pecunia societatis. — 18. Hinc si ex necessitate societatis quis ex sociis proficiscatur in alias regiones, et sumptus majores faciat, quos non faceret domi se continens, debet ex bonis societatis quoad illos compensari. — 19. An autem deducendæ sint expensæ illæ, quas dictus socius domi fecisset, si alio profectus non fuisset, variant doctores, quidam enim affirmant, et alii negant. — 20. Conveniunt tamen, quod non essent solvendæ ex bonis societatis expensæ illæ, quæ inutiliter, et irrationabiliter fierent in conviviis, aliisque rebus non necessariis. — 21. Si socius aliquis absque sua culpa etiam levi ex causa societatis damnum aliquid incurrit, est ei compensandum ex pecunia societatis. — 22. Secus esset dicendum, si talis socius ex culpa in tale damnum incidisset. — 23. Sicuti etiam damna propria, quæ socius non ex causa societatis incurrit, debent ipsi soli, et non societati imputari. — 24. Societas finitur seu dissolvitur quatuor præcipuis modis, scilicet ex personis, ex rebus, ex voluntate et ex actione. — 25. *Ex personis* dissolvitur societas per mortem naturalem unius socii, quamvis societas cum pluribus contracta fuerit, et plures supersint. — 26. Item per mortem civilem. — 27. Item per maximam, et mediam capitis diminutionem, at non per minimam. — 28. Quid, quotuplex sit capitis diminutio, qualisque sit maxima, media et minima. — 29. *Ex rebus* dissolvitur societas, quando sors capitalis periit in totum, vel conditionem ita mutavit, ut non amplius sit in commercio hominum. — 30. Item societas dissolvitur publicatione bonorum. — 31. Item societas dissolvitur per cessionem bonorum. — 32. *Ex voluntate* dissolvitur societas per renuntiationem. — 33. Item finita negotiatione. — 34. *Ex actione* dissolvitur societas judicis judicio, et auctoritate. — 35. Item per stipulationem. — 36. Item quando socii non inscii separatim agere incipiunt, et unusquisque sibi negotiatur. — 37. Item quando ipsa actio perit. — 38. Perit autem actio temporis conventi lapsu, id est actione finitur societas, finito tempore ad societatem constituto. — 39. Item perit actio per sententiam judicis : et per novationem et delegationem. — 40. Finita seu dissoluta societate, divisio bonorum, seu lucri provenientis debet fieri inter socios ad æqualitatem juxta proportionem illius, quod quisque contulit in societatem. — 41. Finita seu dissoluta societate, attenta natura contractus, si alter ex sociis contulit rem seu pecuniam, et alter suam meram industriam, seu operam non majoris valoris dictæ pecuniæ, seu rei, capitale est restituendum ei, a quo datum est, et solum lucrum dividendum. — 42. Si finita et dissoluta societate, nullum sit lucrum dividendum, adhuc totum capitale est restituendum ei, qui illud contulit, et si capitale perierit, totum ipsi conferenti periit. — 43. Finita et dissoluta societate, si per ipsa nihil expresse determinet jus, et nulla inde contrahentes præcesserit justa pactio, divisio est facienda juxta probatam consuetudinem loci. — 44. Alia ad rem ad num. 55.

(1. Societas est contractus duorum vel plurium aliquid pretio æstimabile (utpote suam pecuniam, mercem, operam, industriam et hujusmodi) conferentium pro negotiatione aliqua honesta ad commune lucrum pro portione rerum contributarum inter socios dividendum. Est in re communis, et desumitur ex l. *Societatem* 4, l. *Societates* 5, l. *Si societatem* 6, ff. *Pro socio*, et instit. tit. 26, *De societate*.

(2. Ad societatem quæstuosam, ut sit licita, quatuor potissimum requiruntur conditiones. Prima conditio est, ut societas fundetur in negotiatione licita et honesta. Unde iniqua et invalida est societas, quæ instituitur et initur ad illicitum, et inhonestum commercium, ut ad meretricium, lenocinium, usuram, furtum, fraudem et quemcunque malum dolum. L. *Ea vero* 2, et leg. *Nec prætermittendum* 17, ff. *Pro socio*, * quibus adde l. 1, § 14 in fin., ff. *De tut. et rat. discr.*, l. 35, § 2, ff. *De contra empt.* *. Secunda, ut quilibet socius aliquid pretio æstimabile conferat in communem societatem, sive dein conferat pecuniam, aut mercem, sive operam vel industriam suam: * et si actu non conferi, saltem se collaturum polliceatur *. Plerumque enim pauperiores supplent sua opera et industria, quod alii præstant suis mercibus. L. *Societates* 5, et l. *Si societatem* 6, ff. *Pro socio*. * Ideo Diocletianus statuit societatem, uno pecuniam conferente, alio operam, posse contrahi, l. 1, cod. *Pro socio* *. Tertia, ut servetur æqualitas inter socios, tam quoad damna, quam quoad lucra, ita ut alius præ alio non lædatur, et lucrum, jactura, impendia et detrimenta communicentur inter omnes socios, pro rata cujusque sortis, nisi aliter conventum sit. L. *Si societatem* 6, et leg. *Si non fuerint* 29, ff. *Pro socio*, et § 1 et 2, instit. *De societate*. Quarta, ut capitale collatum in communem societatem subjaceat periculo conferentis, ita ut si pereat absque culpa socii, pereat illi, qui illud in societatem communem contulit; cum talis conferens sit solus dominus dicti capitalis, et quælibet res domino suo pereat; nisi tamen aliter conventum sit per pactum assecurationis per infra dicenda de contractu vulgariter dicto trium contractuum. Arg. c. *Contractus* 87, De regul. juris in 6, ibi: « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur, » et § 2, instit. *De societate*, et l. *Si non fuerint* 29, ff. *Pro socio*, et l. *Depositum* 1, § 6, ff. *Depositi*.

* Præcipuam conditionem omittit auctor, ut nempe bona fide contrahatur. Cum enim contractus fit, bona fides principaliter desideratur. Quapropter societas si dolo malo, aut fraudandi causa coita sit, ipso jure nullius momenti est; quia fides bona *contraria est fraudi et dolo*, l. 3, § 3, ff. *Pro socio*. Rursus requiritur, ut fiat animo lucri faciendi. Hinc donationis causa societas recte non contrahitur. L. 5, § 2, ff. *Pro socio*, l. 25, § *De mortis causa donat.* *.

(3. Contractus vulgo dictus trium contractuum, scilicet societatis, assecurationis capitalis et venditionis lucri incerti pro certo, secundum multos est illicitus et usurarius, si celebretur cum eadem persona, sive simul, sive successive. Sic Sotus, lib. VI. *De justit.*, qu. 6, art. 2; Filliucius, *De*

Digitized by Google

societat., cap. 19, n. 27; Arragonius, 2-2, qu. 78, art. 2; Bannez, 2-2, qu. 78, art. 4, *De societat.*, dub. 1; Rebellus, lib. xv, qu. 4; Azorius, *Institut. moral.*, p. III, lib. IX, cap. 4, quæst. 5, vers. *Ex his solvitur altera difficultas*, qui pro se citat sanctum Thomam, 2-2, quæst. 70, art. 2, ad quintum; sanctum Bernardinum Senens., part. II, serm. 39, art. 1, cap. 1, vers. *Primus casus*; sanctum Antoninum, part. II, tit. 1, cap. 7, § 7; Glossam, in cap. *Plerique* 14, qu. 3; Abbatem, in cap. *Per vestras*, De donationibus inter virum et uxorem; Rodulphum, in c. *Consuluit*, De usuris, part. II, qu. 19; Accursium, in leg. *Si non fuerint* 39, ff. *Pro socio*; Baldum, in leg. 1, c. *Pro socio*, innumerosque, tum canonici, tum civilis juris interpretes. Et sic tenet etiam Henno, tom. II, tract. 2, disp. 9, quæst. 5, conclus. unica. Et novissime cum pluribus aliis Pontas, verb. *Societas*, cas. 30 per tot., ubi mordicus hanc propugnat sententiam adducens ad id constitutionem 45 Sixti V, incip. *Detestabilis avaritiæ*, et multa alia ad rem, solvendo etiam contraria. V. *infra* n. 44.

(4. Communior tamen et probabilior sententia docet talem contractum trium contractuum esse licitum (60), et minime usurarium, quamvis cum eadem persona, sive simul, sive successive celebratum. Sic tenent Gabriel, in 4, dist. 15, quæst. 11, dub. 10; Major, in 4, dist. 15, quæst. 27; Valentia, disp. 5, tom. III, quæst. 24, punct. 2; Molina, *De justit. et jur.*, lib. II, cap. 24, dub. 3; Covarruv., lib. II *Variar. resolut.*, cap. 2, n. 3; Tolet., lib. V, cap. 41; Bartholomæus Medina, in *Instruction.*, § 27; Garcias, *De contractib.*, part. II, c. 17; Ludovicus Lopez, *De contractibus*, lib. I, cap. 65; Navarr., c. 19, n. 225; Angelus, verb. *Societas* 1, § 17; Silvester, verb. *Societas* 1, q. 2; Fumus, verb. *Societas*, n. 6; Layman., lib. III, sect. 5, tract. 4, cap. 20, n. 2; Bonacina, tom. III, disp. 3, *De contractib.*, q. 5, punct. 1, n. 3, vers. *Dixi nisi*; Reginald., lib. XXV, cap. 29, n. 396; Lugo, *De justit. et jur.*, sect. 2, num. 40; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 8, dist. 4, q. 10, n. 134; Petrus Marchant., *Tribunal.*, tom. II, tract. 8, tit. 5, sect. 8, dub. 2; Diana, part. I, tract. 30, *De contractib.*, resolut. 8; Sporer, tom. II, tract. 6, *De contractu societatis*, n. 58; La Croix, lib. III, part. II, n. 876, cum Busemb. et pluribus aliis ibi citatis. Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 2420, et alii innumeri. Et ex jurisperitis Hostiensis, in *Summa*, tit. *De usuris*, § *In aliis autem*, vers. *Porro fieri potest*; Joan. Andreas, in cap. *Per vestras de donation. inter virum et uxor.*, et alii, et videtur colligi ex l. *Si non fuerint* 29, § 1, ff. *Pro socio*, l. *Depositum* 1, § 6, ff. *Depositi*, c. *Per vestras* 7, De donationibus inter vir. et uxor., cap. *Contractus* 85, De regul. juris in 6.

(5. Ut justitia dicti contractus trium contractuum melius intelligatur, figuratur hic casus. Supponamus quod Titius det Caio mercatori mille florenos ad negotiandum, et dicti mille floreni Titii sint æqualis valoris cum industria Caii, et insuper quod spes lucri judicio prudentum, et peritorum sit de CCC florenis: in tali casu ex vi contractus societatis debentur Titio una cum sorte CL floreni, qui sunt dimidium lucri prudenter sperati; at quia ad Titium spectare deberet sortis seu capitalis periculum, ideo convenit cum Caio, ut periculum illud, et onus omne in se suscipiat assecurando sortem, seu capitale, pro cujus assecurationis et oneris suscepti compensatione relinquit ei majorem partem dicti lucri prudenter sperati, ita ut sola tertia pars, nempe C floreni pertineant ad ipsum Titium, et aliæ duæ partes, nempe CC floreni, spectent ad Caium; et quia adhuc in Titio manet incertitudo lucri sperati, ideo tertiam illam partem lucri sperati, scilicet C florenos, in spe incerta vendit Caio pro dimidio circiter, verb. gr. pro L vel LX florenis certis: spem enim lucri capiendi, non minus quam jactum retis justo pretio vendi posse nemo dubitat, ut recte advertit Sporer, *loc. cit.*, nu. 59. Dicti autem tres contractus, scilicet societatis, assecurationis et venditionis, sicuti secundum se sunt justi et licite celebrati cum tribus diversis personis, ut omnes fatentur, ita etiam justi et liciti sunt, si celebrentur simul cum eadem persona, quia nec unio, nec identitas personæ, destruit substantiam contractus. * Cæterum consentiunt omnes, inquit Antoine, in tract. *De contractibus*, cap. 8, quæst. 3, not. 2, non licere hos contractus celebrare cum eo, qui non putetur ex ea negotiaturus, v. gr. cum paupere, qui indiget ex illa pecunia ad suam sustentationem, vel ad solvenda debita. Quia tunc non esset nisi ficta societas, quæ usuram valeret, nec verus esset titulus aliquid supra sortem exigendi *.

(6. Pro determinanda tamen quantitate annui lucri ex hoc contractu societatis licite exigendi, attendenda est regula, quam ex cardinali de Lugo tradit Sporer, *loco cit.*, num. 60, nempe quod lucrum certum, quod socius conferens capitale exigere potest, debet esse ita moderatum, ut attento capitali, quod confert, et spe lucri, quod potest esse ex tali negotiatione, juste compensetur periculum, quod alter socius subit per assecurationem capitalis, et certi annui lucri, quod dare promittit. Unde fit quod aliquando vix quatuor, tria aut duo certa

Notæ Rom. Theol.

(60) Contractum trium contractuum nullatenus esse privata auctoritate censura notandum, lubens admiserem, monitum in hoc sequens sapientissimi ac circumspectissimi Pontificis Benedicti XIV, lib. X, *De Syn.*, cap. 7. Periculosum nihilominus, atque in praxi vix ab usura immunem illum pronuntiabo, ac proinde fideles deterrendos esse ab eo ineundo, ut plures præstitere episcopi, et synodi, optime advertit idem Pontifex, *ibid.*, nec diffitetur ipsemet Lucius, n. 44 hujus art. His positis, divinare non valeo, cur sententiam, quæ talem contractum licitum reddit, possit hic probabiliorem et communiorem appellare. Verum hujusmodi, similesque voces non semper rectam suam præseferunt significationem, cum a casuistis usurpantur.

Digitized by Google

exigi possint pro c collatis, quando scilicet secundum rectum judicium prudentum et peritorum mercatorum negotiatio suscepta non valde lucrosa est; econtra autem 6, 7, imo et 8 certa juste exigi possunt pro c collatis, quando secundum dictum rectum judicium prudentum et peritorum mercatorum negotiatio suscepta est adeo notabiliter lucrosa, ut alter socius ex remanente sibi lucro sufficienter satisfactus censeatur pro onere et periculo, quod subit ratione prædictarum assecurationum, nempe capitalis, et certi annui lucri : et ita Bonacina, disp. 3, *De contractibus*, qu. 3, prop. 13, cum supposuisset licite posse exigi v pro c, *ibid.*, n. 6, recte addit, in societate trium contractuum plus posse exigi, quando negotiatio majus lucrum affert.

(7. Unde, istis notatis, adducitur fundamentum hujus sententiæ desumptum ex l. *Si non fuerint* 29, § 1, ff. *Pro socio:* ubi præcise dicitur: « Ita coiri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit. Hoc autem non potest fieri, nisi assecurando capitale, et lucrum certum, ut explicat Glossa, *ibid.*, vers. *Damnum est*, ita ut nullum remaneat periculum damni subeundi. * Huic legi videtur obstare eadem lex § 2, ubi expresse prohibetur, quo minus contrahatur societas, in qua alter damnum, alter vero lucrum sentiat; sed respondetur casum esse longe diversum; nam casus de quo in § 1, supponit omne lucrum ad unum spectare, damnum vero ad alterum; sed § 2, statuitur, ut quis deducto damno lucrum sentiat, sive deducatur pacto, sive consuetudine, sive arbitrio boni viri *.

(8. Et favet etiam cap. *Advestras* 7, De donationibus inter virum et uxorem, ubi Innocentius III præcepit, ut dos uxoris, cujus maritus prodigus vergebat ad inopiam, daretur mercatori ad lucrum; quod dictus Pontifex non præcepisset, nisi supposuisset fuisse licitum sortem dotis præcipuam salvam præstare apud mercatorem susceptu-rum hujus summæ periculum, et intermedio tempore soluturum fenus æquum et honestum compensando se quæstu, quem societas pareret, ibi : « Mandamus quatenus dotem assignari faciatis eidem sub ea, quam potest, cautione præstare, vel saltem alicui mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictus vir onera possit matrimonii sustentare. »

(9. Accedit ratio, quia in illo contractu servatur justitia commutativa, cum, ut supponitur, assecuratio capitalis, et venditio lucri incerti fiant justo pretio; ergo est justus et licitus : sicuti enim fit justo pretio cum diversis personis, ita etiam cum eadem; quandoquidem personarum diversitas non mutat pretia rerum, nec variat rationem contractus : adeoque si talis triplex contractus celebratus cum diversis personis licitus est et non usurarius, ita etiam si celebretur cum eadem persona.

(10. Nec valet dicere, quod si tale capitale pereat, debeat perire ipsi conferenti, qui illius adhuc est verus dominus cum quælibet res domino suo pereat. Non valet, inquam, quia hoc verum est regulariter loquendo, ac secluso speciali pacto, quo quis periculum rei alienæ sponte in se suscipit : alias secus. Quamvis enim in simili commodatarius vel depositarius regulariter non teneatur de casu fortuito, quo res commodata vel deposita absque sua culpa periit; secus tamen, si præcesserit pactum de præstando casu fortuito, textu expresso in cap. *Cum gratia* 1, De commodato, et cap. *Bona fides* 2, De depositi. Contractus enim ex conventione legem accipere dignoscuntur. Cap. *Contractus* 85, De regul. jur., et l. *Depositum* 1, § 6, ff. *Depositi.*

(11. Nec valet instare, quod Sixtus V, in allegata constitut. 44, incip. *Detestabilis avaritiæ*, damnaverit omnes pactiones, quibus cavetur, ut capitale salvum maneat, sive contrahatur ad certum, sive ad incertum lucrum. Non valet, inquam, quia, ut referunt Comitolus, lib. III *Respons. Moral.*, quæst. 12, nu. 3, et ex ipso card. de Lugo idem Sixtus V, de sensu Bullæ interrogatus, respondit se in ea voluisse solum prohibere in contractibus societatis illas injustas pactiones, quas classici doctores condemnarent; et sic etiam asseveraverunt Patri Tuccio eximiæ præclarissimæ Societatis Jesu theologo, cardinalis Sanctæ Severinæ, et cardinalis Toletus, qui jussu Sixti V, dictam Bullam condiderunt. Accedit Rota, in *Romana Societatis*, die 3 Junii 1602, *coram Coccino decano*, ubi censuit dictam Bullam comprehendere solum casus usurarios de jure communi, additis tamen majoribus pœnis : quam decisionem refert Flavius Cherubinus, in *Compendio Bullarii schol.* 1, ad dictam *Bullam* 43 *Sixti V.* Tum quia Lessius, *loc. cit.*, num 33, apud La Croix, *loc. cit.*, num. 876, vers. *Hæ rationes*, et alii apud card. de Lugo, *loc. cit.*, num. 37, dicunt Sixtum V solum prohibuisse hujusmodi pactiones, quando apponuntur ex vi solius societatis, non tamen quando societati adjungitur alius contractus, quo socius propter pretium justum suscipit in se periculum capitalis assecurando illud, vel emit spem lucri incerti, offerendo pro illo partem minorem certam; nec S. Thomas, S. Antonin. et sanctus Bernardinus Senensis citati pro contraria sententia, si bene perpendantur, habent aliquid in re contra istam sententiam, ut ponderando eorum verba recte advertit doctissimus Rosignolus præstantissimæ religionis S. Pauli decollati, *De contractibus*, contract. 3, disquisit. 6, § 17, num. 8.

(12. Hactenus dicta procedunt etiam de societate animalium adjecto pacto assecurationis, ita ut possit tradi rustico seu pastori certus numerus pecorum, ovium, vaccarum, et hujusmodi cum communi participatione fructuum, sed cum hoc, quod periculum non ad dantem, sed ad accipientem spectet, ut scilicet teneatur pro pereuntibus totidem substituere, et adhuc annuam pensionem solvere, sed minorem, quam alias deberet,

Digitized by Google

ut sic fiat justa, et æqualis compensatio pro illo onere imposito et suscepto, diminuendo scilicet tantum de lucro respectu conferentis, quantum importat onus periculi, quod suscipit ille, cui conferuntur. Sic Lessius, lib. II, cap. 35, dub. 5; Molina, *loc. cit.*, disp. 503; Layman, *loc. cit.*, num. 4; Sporer, *loc. cit.*, nu. 60, et ipso teste communis aliorum contra paucos : et ratio est, quia in tali contractu societatis nulla proprie intervenit usura, cum unica sedes usuræ sit mutuum. In tali autem contractu cum tali pacto nullum proprie intervenit mutuum, nec formale, nec virtuale, cum non transferatur dominium rei collatæ in recipientem, uti reperitur de ratione mutui, quandoquidem per mutuum proprie transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, adeoque, etc. Tum quia mutuum consistit in rebus non frugiferis, sed usu absumendis, ut pecunia, frumentum, vinum, et hujusmodi. In dicto autem contractu dantur res frugiferæ, adeoque pars fructuum pro eis juste exigi potest, non obstante tali pacto; dummodo tantum diminuatur de lucro, seu de ipsa parte fructuum respectu conferentis, quantum importat onus periculi, quod suscipit ille, cui conferuntur.

* Antequam ulterius progrediamur, videndum quomodo contrahatur societas, et de variis societatis speciebus. Et quidem primo ad contrahendam societatem, nihil præter consensum contrahentium requiri, exploratum est. Quare « societatem coire et re, et verbis, et per nuntium posse, dubium non est. » L. 4, ff. *Pro socio*. Sæpius hæc lex societatis contractui adjicitur; ut quis certam partem in societate ferat; quod si non fuerint partes societati adjectæ æquas eas esse constat, quin rem mutet, ut quis duas, alter tres partes habeat. L. 29, ff. eod. Quoad lucrum si contrahentes noluerunt partem certam cuique socio competentem definire, possunt eam relinquere arbitrio boni viri, licet hic unus ex sociis sit. L. 6, l. 76, l. 78, l. 79, l. 80, ff. eod. Sed in societate hoc modo coita observandum est quod, « si societas coita sit ex his partibus, quas Titius arbitratus fuerit, si Titius antequam arbitraretur, decesserit, nihil agit, nam id ipsum actum est, ne aliter societas sit, quam ut Titius arbitratus sit. » L. 75, ff. eod. Interdum etiam contractui societatis adjiciuntur leges circa tempus, quo duratura sit, incipiet aut finietur. Nam « societas coiri potest vel in perpetuum, id est dum vivunt, vel ad tempus, vel ex tempore, vel sub conditione. » L. 1, ff. eod. Quod si coiretur societas duratura in æternum, nulla ipso jure esset societas l. 70, ff. eod. Diximus societatem sub conditione contrahi posse, quod nunc ita obtinuit, at vero antiquitus quæstio fuit vel maxime discussa. Hujus controversiæ rationem affert Cujacius. Cum contractus societatis, saltem universorum bonorum singulari jure dominium rerum, quæ conferuntur, transferat; fingebatur in ea intervenisse mancipatio: porro mancipatio nec diem, nec conditionem recipit, ideo ex istorum sententia non poterat societas sub conditione coiri. At Justinianus omnem penitus diremit quæstionem statuens « societatem contrahi posse non solum pure, sed etiam sub conditione : voluntates etenim legitime contrahentium omni modo conservandæsunt. » L. 6, cod. *Pro socio*.

Quoad vero diversas societatis species, easdem enumerat Ulpianus, l. 5, ff. *Pro socio* : « Societas contrahitur sive universorum bonorum, sive negotiationis alicujus, sive vectigalis, sive etiam rei unius. » His alia etiam addi potest societas, nempe universorum, quæ ex quæstu veniunt, quæ longe differt a priori omnium bonorum societatis specie. In omnium bonorum societate non requiritur necessario, ut omnes socii æqualem partem conferant, cum qui minus confert, opera sua supplere possit. L. 5, ff. *Pro socio*. Contracta societate, omnia sociorum bona illico communicantur, licet specialiter non intervenerit traditio, quæ semper præsumitur. L. 1, § 1, l. 2, ff. eod. Ab universali communione unice excipiuntur nomina debitorum, quæ, cum cohæreant personæ, non communicantur. L. 3, ff. eod. Quod attinet ad ea, quæ socii post contractam societatem acquirunt, ea quidem non ipso jure societati quæruntur, sed ea socius, ex quacunque acquisiverit conferre tenetur. L. 3, § 1, l. 52, § 16; l. 75 et l. 74, ff. eod. Quinetiam dos, quam uni ex sociis uxor ejus attulit, societati acquiritur, cum sua tamen causa, scilicet, ut ex ea sustineantur onera matrimonii. L. 65, § 16, l. 66, ff. eod. Intellige tamen socium omnia bona et lucra conferre debere, modo ex justa et legitima causa procedant. Nam si ex illegitima, ut ex furto, rapina, maleficio, adulterio, et similibus, non tenetur conferre, sicuti alii socii tenentur damna pro his rependere, si tamen non permiserunt, ut communicarentur lucra illicita. L. 52, § 17, 18, l. 53, l. 54, l. 55, l. 56, l. 57 et l. 59, ff. eod. Quoad onera vero, quæ ferre cogitur societas, sciendum est, æs alienum cujusque socii ad societatem pertinere. Item ad hujus societatis onus spectabit quidquid ad suos, familiæque suæ necessarios usus unusquisque ex sociis erogabit. L. 73, § 1, ff. eod. Idem dicendum etiam de dotibus filiarum, cum ex necessitate dentur, circa quas plures excitat et resolvit quæstiones Papinianus in l. 81, ff. eod., tum circa constitutionem, tum circa solutionem, quæ ideo videnda est, cum non modo locum habere possit in societate omnium bonorum, sed etiam in aliis societatibus, si in his conventum sit, ut dotes filiabus sociorum sumptibus societatis constituantur.

Societas universorum, quæ ex quæstu veniunt, contrahi intelligitur, cum societas simpliciter contrahitur. Ita docent Ulpianus et Saulus, in l. 7, l. 8, et l. 13, ff. *Pro socio*. Inter quæstus recensentur etiam, et in hanc societatem conferri debent stipendia militiæ, et salaria. L. 52, § 8, ff. eod. Verum in hac societate socius non tenetur conferre

Digitized by Google

hæreditates, donationes, cujusque generis sint, legata, et alia hujusmodi. Cum enim hæc a merito personali vel naturali debito alicujus procedant, in quæstu esse non videntur, ideo in hanc societatem non veniunt. L. 9, l. 10, l. 11, l. 71, § 1, ff. eod. l. 45; § 2, ff. *De acquir. hæred.* Econtra vero societas hæc non tenetur pro ære alieno sociorum, nisi in communem arcam pecuniæ versæ sint. L. 82, ff. *Pro socio.*

Tertia societatis species est cujuslibet honestæ negotiationis. In hac societate si quæ pecuniæ, aut res ad exercendam negotiationem destinentur societati, non statim atque destinatæ sunt, communes fiunt, sed tunc demum cum reipsa collatæ fuerint. L. 8 in princ., et § 1, ff. eod. Huic porro societati acquiritur omnis quæstus, qui ex illa negotiatione proficiscitur, non autem is, quem aliunde socii faciunt. L. 52, § 9, ff. eod.

Ab hac societate non valde dissimilis est societas vectigalium, quæ a præcedente in hoc tantum differt, ut morte unius ex sociis non solvatur, quod proprium est hujus societatis tantum, sed duret inter superstites, quin etiam ut hæres defuncti in societatem succedat, si ita ab initio conventum fuit, quod infra de solutione societatis indicabimus.

Quinta societatis species est societas rerum certarum, vel unius rei, puta unius prædii. L. 2, cod. *Pro socio*, l. 3, § 2, ff. eod. tit. In societate unius rei quemadmodum et in societate unius negotiationis, illud demum lucrum, vel damnum confertur, quod propter illam rem contingit. L. 52, § 6, ff. eod. Insuper socius illud lucrum non confert, quod duntaxat propter suam partem sentit. L. 63, § 6, ff. eod.

Superest ut aliquid attingamus de jure sociorum circa societatem. Socius portionem, quam in rebus communibus habet, in quemlibet transferre potest. L. 3, et l. 4, cod. *De com. rer. alien.* Absit tamen quod quis ex sociis plus parte sua alienare possit, licet omnium bonorum societas sit. L. 68, ff. *Pro socio.* Quinimo socius non modo potest portionem suam tantum alienare, sed neque valet aliquid in re communi jure dominii agere invito altero, ut si quis ædificare velit invitis aliis, ei non permittitur. L. 28, ff. *De com. divid.*, l. 27, § 1, ff. *De servit. urb. præd.*, l. 11, ff. *Si servit. vindic.* Notandum tamen quod, licet quis ex sociis impediri possit, quo minus in fundo communi ædificet, non tamen cogi potest ad demoliendum opus jam factum, nisi absente socio, ad læsionem ejus ædificaverit. L. 28, ff. *Com. divid.*, vers. *Sed etsi.*

Socius non potest suis sociis alium socium asciscere citra eorum consensum, et si quid damnum sentiat societas ob hunc socium ascititium, ipse tantum præstabit, nullo habito respectu utilitatis, quam socius hic attulerit societati, nisi demum cæteri etiam socii consenserint, ut hic socius ascititius in societate admitteretur. L. 19, l. 21, l. 23 in princip., et § 1, l. 24, l. 25, l. 26, ff. *Pro socio.* « Nam socii mei socius, meus socius non est. » L. 47, § fin. *De reg. jur.*

(13. In contractu societatis, si quid pereat sine ulla culpa sociorum damnum censetur commune. *Communis*, per text. in l. *Cum duobus* 52, § 4, ff. *Pro socio.*

(14. Si autem quid pereat culpa lata, vel levi unius socii, tenetur solus talis socius ad ipsum damnum, socius enim tenetur versus socios de dolo, culpa lata et levi, non tamen levissima. *Communis.* Et quidem quod teneatur de dolo evincitur aperte ex § *Socius* 9, instit. *De societate*, leg. *Cum duobus* 52, § 2 et 3, ff. *Pro socio*, cum similibus. Quod teneatur socius de culpa lata, habetur clare ex cit. § *Socius* 9, instit. *De societate*, leg. *Non ob eam* 25, et l. *Socius* 72, ff. *Pro socio*, cum similibus. Quod teneatur socius etiam de culpa levi, demonstrat manifesta ratio, quia contractus societatis est ex illis, qui conferunt ad utriusque contrahentis utilitatem; in istis autem contractibus contrahens tenetur, nedum de dolo et culpa lata, sed etiam de levi, textu expresso in l. *Si ut certo* 5, § 2, ff. *Commodati*, l. *Contractus* 33, ff. *De regul. juris*, cum similibus, adeoque, etc. Quod autem non teneatur socius de culpa levissima, habetur clare ex cit. § *Socius* 9, institut. *De societate;* ubi expresse sic dicitur : « Culpa autem non ad exactissimam diligentiam redigenda est, » quod expresse habetur etiam in cit. l. *Socius* 72, ff. *Pro socio*, ibi : « Culpa autem non ad exactissimam diligentiam redigenda est. »

(15. Ex dictis infertur primo quod, si res tradita in societatem, fuerit furto sublata defectu debitæ custodiæ, teneatur ille, cui data fuerat, illam compensare, nec damnum sit commune utrique. *Communis*, per text. in l. *Cum duobus* 52, § 1, 2 et 3, ff. *Pro socio.*

(16. Infertur secundo quod non solum teneatur socius ex dolo, culpa lata et levi in ordine ad damnum ex ea secutum, sed etiam in ordine ad lucrum cessans et damnum emergens. *Communis*, claris textibus in leg. *Cum duobus* 52, § 11, ff. *Pro socio*, et l. *Socium* 60, ff. eod.

(17. Infertur tertio quod ex culpa etiam levi alicujus ex sociis teneantur etiam hæredes ejusdem delinquentis ad compensationem alteri ex sociis faciendam. *Communis*, claris textibus in l. *Hæres* 40, ff. *Pro socio*, et leg. *Verum* 63, § 8, ff. eod., ubi expresse dicitur : « In hæredem quoque socii pro socio, actio competit, quamvis hæres socius non sit, licet enim socius non sit, attamen emolumenti successor est. »

(18. Expensæ, quæ fiunt causa societatis, debent esse communes et solvendæ sunt ex communi pecunia societatis. *Communis*, textu expresso in l. *Cum duobus* 52, § 15, ff. *Pro socio*, cum similibus.

(19. Hinc si ex necessitate societatis aliquis ex sociis proficiscatur in alias regiones, et sumptus longe majores faciat, quos non faceret domi se continens, debet ex bonis societatis quoad illos compensari. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Cum duobus* 52, § 15, ff. *Pro socio*, cum similibus.

(20. An autem deducendæ sint expensæ

Digitized by Google

illæ, quas dictus socius domi fecisset. si alio propter societatem non fuisset profectus? Variant doctores. Detrahendas enim esse defendunt Major in 4, dist. 15, quæst. 47; Angelus, verb. *Societas*, n. 12; Silvest., v. *Societas* 1, quæst. 12; Filliucius, tractat. 8, cap. 3, nu. 73; Gama, decis. 213; Rosignol., *De societate*, contract. 7, prænot. 13, num. 5, vers. *Limita quarto*, et alii hac ducti non spernenda ratione jure suffulta, quod expensas, quas socii in rebus suis privatis faciunt, vel facere deberent, ex suo solvere debent. L. *Cum duobus* 52, § 15 et 16, ff. *Pro socio*. Non esse autem detrahendas sustinent Lessius, l. II, cap. 25, dub. ultim., n. 35; Azorius, l. IX, cap. 5, quæst. 8; Reginaldus, l. XXV, cap. 27, n. 395; Layman, *loc. cit.*, n. 5; Bonacina, *loc. cit.*, punct. 4, n. 3; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 145; Navarr., *Manual.*, cap. 17, n. 285 et alii, hac ducti ratione, quod jura præscribentia expensas hujusmodi faciendas esse de bonis societatis, absolute loquuntur sine ulla restrictione, ut patet ex cit. l. *Cum duobus* 52, § 15 et 16, ff. *Pro socio*, et similibus. Quod autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Cap. *Quia circa* 22, De privileg., et l. *De pretio* 8, ff. *De Publiciana in rem actione;* accedit praxis, et consuetudo, quæ est optima legum interpres; leg. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus;* c. *Cum dilectus* 8, De consuetudine, quæ ubi vere adsit, est servanda. Argum. cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine.

(21. Conveniunt tamen omnes, quod non essent solvendæ ex bonis societatis expensæ illæ, quæ inutiliter et irrationabiliter fierent in conviviis, aliisque rebus non necessariis; istæ enim cum non cederent in bonum societatis, nec de bonis societatis, sed de bonis propriis eas inutiliter et irrationabiliter facientis essent solvendæ. Cum justum non sit, ut quod pro se inutiliter consumitur, in aliorum perniciem transfundatur; peccata enim suos debent tenere auctores. L. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*, c. *Quæsivit* 2, De his quæ fiunt a majori parte capituli. Nec debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. Leg. *Non debet* 7, ff. *De regul. jur.* cap. *Non debet* 22, De regul. juris in 6.

(22. Si socius aliquis absque sua culpa, etiam levi, ex causa, seu ratione societatis damnum incurrit, quia, v. g. ad merces comparandas profectus in latrones incidit, qui eum vestibus, et pecunia etiam propria spoliaverunt, vel se aut servum ejus vulneraverunt, et proinde ad se vel servum curandum multas fecit expensas, tales expensæ solvendæ sunt ex pecunia societatis. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Cum duobus* 52, § 9, ff. *Pro socio*, cum similibus.

(23. Dicitur autem notanter: *absque sua culpa etiam levi*, quia secus esset dicendum, si dictus socius ex sua culpa in tale damnum incidisset, v. g. pergendo contra expressam consociorum prohibitionem per viam periculosam, latronibus obsessam, provocando alium rixis, in quibus fuit vulneratus, et hujusmodi. *Communis*, argum. cit. l. *Cum duobus* 52, § 4 in fine, ibi: « Nam sicuti lucrum, ita damnum quoque commune esse oportet, quod non culpa socii contingit, » ubi nota ly « quod non culpa socii contingit; » ex quibus verbis stat clarum, quod non debeat esse commune damnum, quod culpa socii contingit ut, *ibid.*, 18, ibi: « Si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere. » Socius enim tenetur, nedum de dolo et culpa lata, sed etiam de culpa levi *per jura adducta supra* num. 13. Tum quia justum non est, ut societas damnum patiatur ex culpa alicujus socii. Peccata enim suos debent tenere auctores. L. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*, cap. *Quæ sicut*, 2, De his quæ fiunt a majori parte capituli; et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, ut expresse statuitur in cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionib. Nec debet aliquis alterius odio prægravari, textu expresso in cap. *Non debet* 22, De regul. jur. in 6, leg. *Non debet* 74, ff. *De regul. jur.*

(24. Dicitur etiam notanter *ex causa, seu ratione societatis*, quia damna propria, quæ socius aliunde incurrit, v. g. quia iter ad proprium commodum arripuit, et inde a latronibus pecunia et rebus fuit spoliatus, seu vulneratus fuit, vel ob privatas inimicitias seu rixas fuit vulneratus, et hujusmodi, non debent societati imputari, sed ipsi soli. *Communis*, textu expresso in l. *Socium qui* 60, § 1, *Pro socio*, et concordat cit. l. *Cum duobus* 52, § 18, ibi: « Si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere. »

(25. Societas finitur seu dissolvitur quatuor præcipuis modis, scilicet ex personis, ex rebus, ex voluntate et ex actione, textu expresso in leg. *Verum est* 63, § 10, ff. *Pro socio*, ibi: « Societas solvitur ex personis, ex rebus, ex voluntate, ex actione; ideoque sive homines, sive res, sive voluntas, sive actio interierit, distrahi videtur societas. » Et concordant L. *Societatem* 4, et leg. *Actione* 65, ff. eodem, et institutione *De societate* § 4, 5, 6, 7 et 8.

(26. *Ex personis* dissolvitur societas per mortem naturalem unius socii, quamvis societas cum pluribus contracta fuerit, et plures supersint, cit. leg. *Societatem* 4, l. *Verum* 63, § 10, et leg. *Actione* 65, § 9, ff. *Pro socio*, et § *Solvitur* 5, institut. *De societate*. Nisi enim in coeunda societate aliter convenerint socii, hæres socii defuncti non succedit, cum censeatur electa industria personæ, textu expresso in cit. leg. *Actione* 65, § 9, ff. *Pro socio*, et cit. § *Solvitur* 5, institut. *De societate;* imo Pomponius docet « adeo morte unius socii dissolvi societatem, ut nec ab initio pacisci possimus, ut hæres etiam succedat societati. » L. 59, ff. *Pro socio*, cui cohæret etiam Ulpianus, in l. 35, ff. eod. Unde hæres socii defuncti non succedit in locum ejus, nisi novo consensu ineatur societas. Leg. *Nemo potest* 35, et l. *Plane* 37, ff. *Pro socio*.

* Non ita accidit in societatibus vectigalium, quæ, uno defuncto, manet inter su-

Digitized by Google

perstites, « sed ita demum si pars defuncti ad personam hæredis ejus ascripta sit, ut hæredi quoque conferri oporteat. Quod ipsum ex causa æstimandum est. » L. 59, vers. *Hæc ita*, ff. *Pro socio*. Et quidem ipso jure citra ullam conventionem. In hoc consistit, ut inquit Janus a Costa ad instit. § 5, *De societate*, prima differentia hujus societatis, a reliquis societatibus, quæ, ut supra notavimus, morte unius socii solvuntur, nec durant inter superstites nisi ita convenerit post mortem ipsius socii. Quin etiam in societate vectigalium hæres defuncti in societatem succedet, sed ita demum si hæc lex societati dicta sit, ut pars defuncti ipsi ascriberetur, id est ut in societatem in parte defuncti succederet. Valet enim hæc conventio in societate vectigalium, et hæc est secunda differentia, in qua differt a cæteris societatibus, in quibus talis conventio non admittitur, ut supra monuimus. *Vide* Janum a Costa, *loc. cit* Cæterum, ut observat doctissimus Scultingius, quamvis ex speciali lege hujus societatis possit hæres defuncti cogere socios, ut ipsum asciscant in socium pro parte defuncti, et vicissim ipse ab eis cogi possit, non tamen fit ipso jure socius, sed dum fuerit ascitus. L. 63, § 8, ff. *Pro socio*. Est tamen casus, in quo hæc etiam societas solvi poterit per mortem unius ex sociis, ut colligitur ex superius citata lege 59, per hæc verba : « Quid enim si is mortuus sit, propter cujus operam maxime societas coita sit? aut sine quo societas administrari non possit. » Possunt enim esse justæ causæ, cur neutrum fieri debeat, et tunc nec durare debet societas inter superstites. Item possunt esse causæ, cur, manente societate, pars defuncti non debeat ascribi hæredi, puta quia non est idonea persona, et tunc quidem non poterunt cogi alii socii ad hunc hæredem asciscendum.

Quod diximus, morte socii solvi societatem, hanc limitationem recipit, scilicet si integris omnibus manentibus, alter decesserit, deinde tunc sequatur res, de qua societatem coierunt, tunc eadem distinctione utemur, qua in mandato, ut si quidem ignota fuerit mors alterius, valeat societas; si nota, non valeat. L. 65, § 10, vers. *Quod si*, ff. *Pro socio*. Puta duo coierunt societatem ad rem emendam, uno ex his mortuo, alter qui mortem ignorat, rem emit, valebit societas poteruntque socius, et hæres socii mortui invicem agere pro socio, quasi emptio facta esset vivo socio.

Quamvis autem morte unius socii solvatur societas, hæres nihilominus socii mortui in omnia hujus jura, quæ ex ante gestis pendent, succedit. L. 40, et l. 65, § 9, vers. *Sed quod*, ff. *Pro socio*. Illud denique observandum est quod, quamvis ad hæredem socii non transeat, nihilominus si novus intercedat consensus, potest continuare societas. L. 37, ff. eod. *

(27. Et istud extenditur etiam ad mortem civilem alicujus ex sociis, qualis censetur incurri per exsilium et professionem religiosam. Argum. cit. *Juribus*, et § *Minor* 2, instit. *De capitis diminutione;* cum enim censeatur electa in societate industria personæ, et ignoretur qualis futura sit industria hæredis exsulis, seu professi, non potest ipse hæres in ejus locum succedere, nisi novo consensu ineatur societas. Cit. l. *Nemo potest* 35, et l. *Plane* 37, ff. *Pro socio*.

(28. Item dissolvitur societas per maximam et mediam capitis deminutionem, non per minimam; textu expresso in cit. l. *Verum* 63, § 10, ff. *Pro socio*, ibi : « Intereunt autem homines quidem maxima, aut media capitis deminutione, aut morte. »

(29. Quid autem et quotuplex sit capitis deminutio, habetur in institut. *De capitis deminutione*, in princip., ibi : « Est autem capitis deminutio proprii status mutatio : eaque tribus modis accidit : nam aut maxima est capitis deminutio, aut minor (quam quidem mediam vocant), aut minima. Et § 1, expresse dicitur : « Maxima capitis deminutio est, cum aliquis simul et civitatem et libertatem amittit, quod accidit in his qui servi pœnæ efficiuntur atrocitate sententiæ; vel libertis, ut ingratis erga patronos condemnatis; vel his qui se ad pretium participandum venundari passi sunt. » Et § 2 sic : « Minor, sive media capitis deminutio est, cum civitas amittitur, libertas vero detinetur, quod accidit ei, cui aqua et igni interdictum fuerit. Vel ei qui in insulam deportatus est. » Et § 3, sic : « Minima capitis deminutio est, cum civitas retinetur, et libertas, sed status hominis commutatur; quod accidit in his, qui cum sui juris fuerint, cœperunt alieno juri subjecti esse, vel contra : veluti si filiusfamilias a patre emancipatus fuerit, est capite deminutus. » Et §4, sic : « Servus autem manumissus capite non minuitur, quia nullum caput habuit. » Et § 5, sic : « Quibus autem dignitas magis quam status permutatur, capite non minuuntur, et ideo a senatu motos capite, non minui constat. » * Cæterum societatem permanere, licet filiusfamilias a patre emancipatus sit, vel quis adrogatus sit, docent Ulpianus et Paulus in l. 58, § 2, et l. 65, § 11, ff. *Pro socio*. Notandum quoad adrogatum, quod licet post adrogationem in societate continuet, societas tamen ad adrogatorem non transit, ut habet idem Paulus, in cit. l. 65, § 11 in princ. *

(30. *Ex rebus* dissolvitur societas, quando sors capitalis periit in totum vel conditionem ita mutavit, ut non amplius sit in commercio hominum, quia v. g. facta est religiosa et Deo consecrata, cit. lege *Verum*, § 10, ibi : « Res vero, cum aut nullæ relinquantur, aut conditionem mutaverint; neque enim ejus, quæ jam nulla sit, quisquam socius est, neque ejus, quæ consecrata... sit. »

(31. Item societas dissolvitur publicatione bonorum, cit. l. *Verum*, § 10, ibi : « Publicatave sit; » et cit. l. *Actione* 65, § 12, ff. eod., ibi : « Publicatione quoque distrahi societatem diximus : quod videtur spectare ad universorum bonorum publicationem, si socii bona publicentur, nam cum in ejus

Digitized by Google

locum alius succedat, pro mortuo habetur, et § *Publicatione* 7, instit. *De societate*, ubi habentur fere eadem verba.

(32. Item societas dissolvitur per cessionem bonorum, cum quis ære alieno et egestate oppressus bonis suis cedit. § *Item si quis* 8, instit. *De societate*, ibi : « Si quis ex sociis mole debiti prægravatus bonis suis cesserit, et ideo propter publica aut privata debita substantia ejus veneat, solvitur societas, » et cit. l. *Societatem* 4, ff. *Pro socio*, juncta Glossa, *ib.*, verb. *Egestate*; ubi expresse dicit : « Ut si quis ex sociis bonis cesserit. » * His addi etiam potest l. 65, § 1, ff. eod., quæ sic habet : « Bonis a creditoribus venditis, distrahi societatem Labeo ait *. »

(33. *Ex voluntate* dissolvitur societas per renuntiationem, textu expresso in cit. l. *Verum*, § 10, ibi : « Voluntate distrahitur societas renuntiatione. » Intellige tamen per renuntiationem seu consensum mutuum omnium sociorum; alias vero, si unus solummodo renuntiat, ipse quidem a se liberabit socios suos, se vero non liberabit ab ipsis, quando societatis interfuit, non dirimi tunc societatem, textu expresso in cit. l. *Actione* 65, § 3 cum seq., ff. *Pro socio*, et concordat § *Manet* 4, instit. *De societate*.

(34. Item finitur societas finita negotiatione, textu expresso in cit. lege *Actione*, § 10, ibi : « Item si alicujus rei societas sit, et finis negotio impositus, finitur societas ; » et § *Item* 6, institut. *De societate*, ibi : « Item si alicujus rei contracta societas sit, et finis negotio impositus est, finitur societas. »

(35. *Ex actione* dissolvitur societas, judicis judicio et auctoritate, id est quando, excitata inter socios controversia, per judicem dirimitur per dissolutionem contractus; l. *Actione* 65 in principio, ff. *Pro socio*, ibi : « Hoc ipso, quod judicium ideo dictatum est, ut societas distrahatur, renuntiatam societatem, sive totorum onerum, sive unius rei societas coita sit. »

(36. Item actione dissolvitur societas per stipulationem, id est per novationem seu delegationem, quando unus socius, non renuente, sed potius altero acceptante, obligationem suam, quam contraxit versus ipsum in celebratione contractus, in tertiam personam transfundit, quam delegat, vel unam in alteram obligationem commutat, cit. leg. *Actione*, in principio, ibi : « Actione distrahitur, cum aut stipulatione aut judicio mutata sit causa societatis. »

(37. Item actione dissolvitur societas, quando socii non inscii separatim agere incipiunt, et unusquisque eorum sibi negotiatur, textu expresso in lege *Itaque* 64, ff. *Pro socio*, ibi : « Itaque cum separatim socii agere cœperint, et unusquisque eorum sibi negotiatur, sine dubio jus societatis dissolvitur. »

(38. Item actione dissolvitur societas, quando ipsa actio perit, textu expresso in cit. l. *Verum* 65, § 10, ff. *Pro socio*, ibi : « Ideoque sive homines, sive res, sive voluntas, sive actio interierit, distrahi videtur societas. »

(39. Perit autem actio temporis conventi lapsu, id est actione finitur societas, finito tempore ad societatem constituto, textu expresso in cit. l. *Actione*, § 6, ibi : (40. « Quod si tempus finitum sit, liberum est recedere, quia sine dolo id fit. » Item perit actio per sententiam judicis. Arg. cit. *Jur.*, *supra* num. 34. Item per novationem, seu delegationem. Argum. cit. *Jur.*, *supra* num. 35.

(41. Finita seu dissoluta societate, divisio bonorum seu lucri provenientis debet fieri inter socios ad æqualitatem juxta proportionem illius, quod quisque contulit in societatem, ita ut, si æqualem pecuniam, vel industriam contulerint, æquale lucrum recipiant, et si inæqualem contulerint pecuniam vel industriam, inæquale etiam ad proportionem lucrum reportent. *Communis*, per text. in l. *Si societatem* 6, ff. *Pro socio*, ibi : « Si societatem (mecum) coieris, ea conditione, ut partes societatis constitueres, ad boni viri arbitrium ea res redigenda est, et conveniens est viri boni arbitrio, ut non utique ex æquis partibus socii simus. Veluti si alter plus operæ, industriæ, pecuniæ in societatem collaturus sit; » et in leg. *Si non fuerint* 29, ff. eod., ibi : « Si vero placuerit, ut duas partes vel tres habeat, alius unam, an valeat? Placet valere, si modo aliquid plus tulit societati, vel pecuniæ, vel operæ, vel cujuscunque alterius rei... Quod ita demum valebit (ut et Sabinus scribit), si tanti sit opera, quanti damnum est. Plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat quam pecunia. Item si solus naviget, si solus peregrinetur, pericula subeat solus. » Et concordat, § *De illa* 2, instit. *De societate*.

(42. Finita seu dissoluta societate attenta natura contractus, si alter ex sociis contulit rem seu pecuniam, et alter suam meram industriam, et operam non majoris valoris dictæ pecuniæ, seu rei, capitale est restituendum ei, a quo datum est, et solum lucrum dividendum. Abbas, cons. 77, col. 2; Bolognetus, in *Apostil.* ad cons. 99; Joan., *De anan.*; Lapus, allegat. 94, n. 3; S. Thomas, 2-2, quæst. 78, art. 2 ad 5; Silvester, verb. *Societas* 1, qu. 20; Angelus, verb. *Societas*, § 17; Sotus, lib. VI *De justit.*, quæst. 6, art. 1 in fine; Navarrus, in *Enchirid.*, cap. 17, num. 353; Lessius, lib. XXV, dub. 20, a num. 15 ad 20; Mantica, lib. VI, tract. 14, n. 17; Rosignol., *De societat.*, contract. 7, num. 3, et alii, argum. citatis *Juribus*, num. antecedenti, aliis in toto titul. *Pro socio*, et tit. *Familiæ erciscundæ*, et titul. *De communi dividendo*, ubi dicitur sociis capitale integre reddendum, et nullibi fit mentio de capitali dividendo. Et ratio est, quia, si capitale esset inter dictos contrahentes dividendum, non esset æqualis utriusque contrahentis conditio. Conferens enim capitale, non posset habere nisi jus ad lucrum proportionatum cum amissione partis capitalis; conferens autem operam et industriam haberet jus ad lucrum etiam proportionatum, et in-

Digitized by Google

super ad determinatam partem capitalis, quod non est dicendum, adeoque, etc. Tum quia, si capitale perit, perit ipsi conferenti, ergo si remanet, eidem remanere debet. Unde Cabassutius, *Juris canonici theor. et prax.*, lib. VI, cap. 13, num. 7, sic concludit : « His adde, Sixtum V, in Extravagante : *Detestabilis avaritiæ*, ita sentire, sortem, finita societate, tradendam esse illi qui eam contulit, si exstat. »

(43. Si finita et dissoluta societate, nullum sit lucrum, adhuc totum capitale est restituendum ei qui illud contulit. Et si capitale perierit, totum ipsi conferenti periit. Sic contra paucos fere communis doctorum, et signanter Cabassutius, *loco cit.*, num. 3, ubi inter alia requisita ad justam societatem, hoc quartum enumerat sic expresse dicens : « Quarto, ut singuli subeant damna, et expensas pro rata quoque eorum quæ ex parte sua contulerunt, atque seorsim totam incurrant jacturam eorum quæ in sortem contulerunt, ut qui pecuniam contulit, totum pecuniæ suæ periculum subeat, si absque socii culpa levi aut lata pereat; si vero salva pecunia nihil obveniat lucri, socius alter, qui suum laborem vel industriam, contulit, subeat solus jacturam industriæ seu laboris; pecunia vero tota ad eos redeat, qui eam contulerunt. » Et infra, num. 7, concludit : « Si pecunia pereat, perire illi debet, qui eam contulit, ergo si supersit, eidem tradenda est, ut qui sentit onus, sentiat quoque commodum. Cap. *Qui sentit onus* 55, De reg. juris, et secundum naturam est, commodum cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. » L. *Secundum naturam* 10, ff. *De regul. juris.*

(44. Finita et dissoluta societate, si pro ipsa nihil expresse determinet jus, et nulla inter contrahentes præcesserit justa pactio, divisio est facienda juxta probatam consuetudinem cujusque loci, seu regionis, quia quando nihil conventum est in contractibus, et jura nihil determinate præscribunt, id actum præsumitur, quod consuetum est. L. *Quod si nolit* 31, § 20, ff. *De ædilitio edicto*, l. *Si prius* 17, § 1, ff. *De aqua et aquæ pluviæ arcendæ*. Et hoc cum omnimodo fundamento, cum consuetudo sit jus non scriptum, seu jus quoddam moribus utentium comprobatum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex, textu expresso in cap. *Consuetudo* 6, dist. 1, ibi : « Consuetudo est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. »

(45. Advertendum est circa dicta de contractu vulgo trium contractuum, quod Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. IV, cap. 50, asserit, disputari adhuc, an revera fuerit a Sixto V peculiari constitutione super illo edita, prohibitus talis contractus, et erudite allatis, et scite suo more ponderatis utriusque sententiæ rationibus, recte concludit, quod episcopi in synodo a definitionibus super eo abstinere debent, sed subditos suos ab illo, utpote periculoso, dehortari. Vide ipsum *ibi*, ubi plurima egregie tradit ad rem scitu dignissima, et Rosignolum, *loco* a nobis *cit. supra*, sub num. 10, ubi sub num. 5, utramque sententiam recte conciliat.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(46. Tria hic addere libet. Primum est, quod societas jus quodammodo fraternitatis complecti dicitur. L. 63, ff. *Prin.*, ff. *Pro socio*. Hinc autem varia deduxere Romani jurisconsulti. (47. Nam infamiam minantur socio illi, qui perfide agit. L. 6, ff. *De his qui notantur infamia*. (48. Beneficium competentiæ inter socios locum habere statuunt, qualiscunque fuerit societas. L. 22, § 1, l. 63, ff. *Pro socio*. (49. Nec obstat lex 16, ff. *De re judicat.*, quam corruptam esse docet Noodt, in *Commentar. ad digest.*, tit. cit. *Pro socio*. (50. In rationibus reddendis multum fidei, et jurejurando ejus qui administravit, relinquunt, ubi de majori quantitate non est sermo. Confer Leyser., spec. 184, num. 9.

(51. Alterum est, quod non aliter socius ex contractu alterius acquirit et obligatur, quam si nomine societatis tanquam institor, et secundum normam præscriptam seu voluntatem sociorum contraxit. L. 4, § 1, ff. *De exercit. act.*, si in communem arcam pecuniæ versæ sint. L. 8, ff. *Pro socio*. Alias si socius proprio nomine contraxit, reliquis jus agendi contra tertium non nascitur, nec reliqui obligantur. L. 13, c. *Si cert. petat.*; adi Lauterbech., *De oblig. socior. quæ oritur ex conventione cum extraneo inita.*

(52. Tertium demum est, quod *contractus trinus* fuit approbatus a Rota, *in Lucana pecuniaria* 21 Januarii 1744, § 3, *cor. em. Bussio*, ibi : « Cum enim hujusmodi persolutio et immissio pecuniarum in negotium, sit contractus in dicta civitate usitatus, et nuncupetur depositum mercantile continens trinum contractum, nempe societatis, assecurationis capitalis, et conventionis fructuum, ex quo honestum, et limitatum lucrum retrahi valet, etc., utique fructus exacti a canonico in dicta quantitate scutorum 557, 12, reputandi amplius non erunt illicitæ usuræ provenientes ex credito mere pecuniario, sed legitimæ obventiones conventæ in dicto novo contractu, innovativo præcedentis crediti fructiferi, quæ justo titulo exigi non poterant absque ullo onere et obligatione restitutionis. »

(53. Quinimo tradit supremum tribunal in mox allegata decisione, quando initus dici queat trinus hic contractus, ut ex § 4, et plur. seq. * De societate videndus egregius tractatus nuper editus a doctissimo advocato Zanchio, qui fuse de hac re agit. *

* *Additiones novæ.*

(54. Contractum trinum cum socio aut sociis initum damnant Antoine in tractatu *De contractibus*, cap. 8, quæst. 2; Cuniliati, tract. 10, *De 7 Decal. præcepto*, cap. 5, § 2; Colet in continuatione *Prælectionum theologicarum*; Honoratus Tournely, in tract. *De contractibus*, part. II, can. 4, concl. 1, et

Digitized by Google

alii, quos recensere longum esset. Confer Petrum Ballerinium, in Appendice ad opus ab eodem editum hoc titulo : *De jure divino et naturali circa usuram*, *Bononiæ* 1748, opuscul. 2, cap. 3. Præ omnibus autem legendus est Daniel Concina, in opere, quod inscribitur *Usura contractus trini dissertationibus historico-theologicis demonstrata, Romæ* 1746. Hic enim non modo omni argumentorum genere contractum istum usurarium esse pugnat, sed etiam singula, quæ ab ejus patronis, atque adeo a Lucio nostro a num. 7 ad 11, pro eodem ab usuræ labe purgando afferuntur, copiose et accurate refellit, objectaque a sacræ Romanæ Rotæ decisionibus, præsertim in *Lucana pecuniaria*, ad quam decisionem *Additionum* auctor num. 52 et seq. provocat, petita diluit.

(55. De societate autem animalium, de qua Ferraris num. 11, juvat hic referre, quæ S. Carolus Borromæus in concilio I *Mediolanensi provinciali* anno 1565. Actor. part. II, cap. *De usuris* decrevit. Sunt autem hujusmodi : « In societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur ad custodiam, sive ut operas præstet, omnes casus, etiam fortuiti, semper sint periculo ejus qui dederit, nisi id alterius socii dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit. Nec fiat pactum, ut sors sit semper salva, etiam ex primis fetibus. Neve quidpiam certum, præter sortem, ex fructibus animalium quotannis solvatur. Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, si illa absque dolo aut negligentia ejus, qui conduxit, deteriora fiant, id semper sit damno ejus qui locarit. Si autem animalia dentur æstimata, ita ut sors danti salva sit, nihil omnino percipi possit. »

SOCIETAS INTER FRATRES.

SUMMARIUM.

1. Fratres, defunctis parentibus, possunt inire inter se contractum societatis. — 2. Per hoc tamen, quod fratres habeant hæreditatem seu patrimonium indivisum, et de communi mensa vivant, non censentur strictam et rigorosam societatem omnium bonorum iniisse. — 3. Hinc frater habens hæreditatem et patrimonium indivisum cum aliis fratribus, non tenetur per hoc communicare ipsis lucrum a se acquisitum ex publici alicujus officii administratione. — 4. Item non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum acquisitum per negotiationem nomine proprio factam, quamvis cum hæreditaria communi pecunia ; dummodo ratione talis negotiationis non deficiat operibus debitis communioni et indivisioni fraternæ. — 5. Intellige tamen dummodo talis frater non fuerit tutor aut curator aliorum fratrum. — 6. Lucrum autem acquisitum per negotiationem nomine communi factam, est aliis communicandum. — 7. Fratres viventes ex communi mensa post obitum patris, inita societate, non repetent quæ contulerunt ad communem victum. — 8. Posset autem frater, qui plus contulit, illud repetere, si non fuit prius inita societas. — 9. Excipe tamen, nisi alii fratres fuerint pupilli, amentes aut furiosi. — 10. Frater, qui, inita societate, dotavit de propriis bonis sororem, potest ab aliis fratribus compensationem repetere. — 11. Frater non habens expressam societatem omnium bonorum cum aliis fratribus, si ex bonis communibus filiam suam dotet, debet in divisione eam dotem in suam partem computare. — 12. Secus autem si habuerit dictam expressam societatem omnium bonorum. — 13. Frater habens præ aliis filios laborantes in utilitatem communionis fraternæ, si non inierit cum aliis dictam expressam societatem omnium bonorum, potest exigere compensationem proportionatam dictis laboribus. Et sic frater non habens filios potest exigere ab habente filios illud plus, quod in ipsis alendis fuit consumptum, nisi tamen aliter sit conventum, aut aliud ferat legitima consuetudo. — 14. Secus autem si dicti fratres inierint inter se expressam rigorosam societatem omnium bonorum. — 15. Frater habens uxorem lucra acquirentem ex aliqua peculiari arte aut professione, si ipsa uxor tenebat lucrum separatum, aut conjectari possit, quod noluerit societatem contrahere, non tenetur illud in divisione aliis fratribus communicare, compensato tamen defectu uxoris in aliis operibus domesticis propter exercitium talis artis aut professionis. — 16. Sic a fortiori non tenetur frater communicare lucra acquisita ex bonis paraphernalibus suæ uxoris, si ipsa uxor sibi expresse reservaverit talia lucra, aut conjectari possit, quod noluerit communicare. — 17. Secus autem si ipsa uxor, et suus vir cum ejusdem fratribus iniissent expressam societatem omnium bonorum. — 18. Ratione enim hujusmodi rigorosæ societatis communicari debent quæcunque ex quallibet causa acquisita. — 19. Nec obstat, quod in tali societate bona unius fratris sint multo plura bonis alterius. — 20. Ast debet adverti, quod non intelligitur contracta hæc rigorosa societas, nisi frater, seu socii specialiter, aut expresse voluntarie convenerint, quod sit omnium quorumcunque bonorum societas. — 21. Nec dici potest societas omnium bonorum illa, quæ vocatur simpliciter, et comprehendit sola lucra ex quæstu. — 22. Pro quæstu intelligitur id, quod ex opere, artificio, industria vel cura, et diligentia cujusque provenit. — 23. Unde ratione societatis simpliciter contractæ non communicatur hæreditas, legatum, vel id quod est donatum. — 24. Tenetur autem frater ratione societatis simpliciter contractæ communicare thesaurum inventum, sive in suo communi fundo, sive in alieno. — 25. Socius vero non frater, sed extraneus, ratione talis societatis tenetur communicare aliis sociis solum thesaurum repertum in fundo alieno, et non repertum in suo. — 26. Semper autem esset communicandus cum aliis sociis sive fratribus, sive extraneis talis ubicunque repertus thesaurus, si inter ipsos fuisset inita rigorosa societas omnium bonorum. — 27. Debitum contractum ab uno fratrum post obitum patris, est de communi solvendum, si conversum fuerit in communem utilitatem. — 28. Secus autem si conversum fuerit in solum privatum commodum contrahentis. — 29. In contentione in quem usum fuerit debitum conversum, onus probandi spectat ad illum, qui tale debitum contraxit ; qui si non probet fuisse conversum in communem utilitatem, debet solvere de proprio. — 30. Et mortuo fratre, qui debitum contraxit, onus probandi fuisse tale debitum conversum in communem utilitatem spectat ad creditorem. — 31. Delictum, seu maleficium unius fratris socii omnium bonorum non nocet aliis fratribus. — 32. Præscindendo a societate, fratres in divisione hæreditatis paternæ et maternæ afferre debent ad partitionem communem, quæ ab ipsis viventibus acceperunt : dummodo ipsis expresse, vel tacite per conjecturas non præsumantur donata seu condonata. — 33. Primo igitur debet frater adducere et computare in suam partem, pecuniam, quam

Digitized by Google

pater consumpsit pro studiis ipsius, si pater apud se habebat ipsius filii bona castrensia, aut quasi castrensia. Secus autem si non habebat. — 34. Secundo, debet frater adducere libros, quos pater vivens ipsi tradidit pro studio, si sint considerabilis quantitatis et valoris; secus autem si tales libri essent modicæ quantitatis et pauci valoris. — 35. Et sic est dicendum de pecunia ei tradita a patre pro emendis libris, quam si in magna quantitate insumpsit in ludos aut meretrices, tenetur computare in suam partem; secus autem si in modica quantitate. — 36. In omni tamen casu, quo libri adducendi sint, et computandi, computari debent secundum solum valorem præsentem tempore divisionis. — 37. Tertio, debet frater adducere, quæ de bonis communibus post mortem patris insumpsit in prosecutione studii incepti ante mortem patris. — 38. Quarto, debet frater adducere expensas factas in assequenda post mortem patris laurea doctoratus. — 39. Non sunt autem computandæ expensæ factæ ab ipsomet patre pro obtinendo doctoratu, dignitate vel beneficio filio, nisi aliter constet tacite vel expresse de sua voluntate. — 40. Sunt tamen computandæ expensæ factæ a patre pro obtinendis filio aliis officiis, quæ vendi et transmitti possunt ad hæredes et posteros. — 41. Quinto, conferre debet frater secundum valorem præsentem vestes, torques, et alia ornamenta a patre tradita ipsius uxori, si adhuc exstent, et sint pretiosa, et non sint necessaria ad quotidianum usum. — 42. Secus autem si non amplius exstent, nec sint pretiosa et sint necessaria ad quotidianum usum. — 43. Nec tenetur ea conferre, quamvis sint pretiosa, quoties constat patrem ea nurui donasse. — 44. Sexto, conferre debet frater munera, arrhas et alias sponsalitias donationes a patre factas propter suas nuptias. — 45. Filius volens succedere patri licet non teneatur conferre, quæ ab ipso valide accepit donatione simplici ei facta ex mera liberalitate, tenetur tamen conferre quæ ab ipso accepit donatione, non ex mera liberalitate, sed ob causam, etc. — 46. Non sunt tamen computandæ in divisione expensæ factæ a patre occasione convivii nuptialis, celebrationis primi sacri, ingressus et professionis religiosæ, vel promotionis ad doctoratum, aut ad aliquam dignitatem, si filius non habebat bona propria. — 47. Nec tenetur frater computare, quæ pater illi dedit præ aliis ad cibum, vestitum et equitatum. — 48. Nec tenetur conferre, quæ a patre vivente accepit ob merita extraordinariorum obsequiorum, dummodo accepta non excedant merita. — 49. Septimo, conferre debet frater, quæ pater insumpsit in ipsius liberatione a captivitate, a carcere aut a pœna ipsi pro delicto debita, si pater declaraverit esse computanda in divisione; si autem declaraverit non esse computanda, aut non expresserit, an vellet computari, non sunt computanda. — 50. Octavo, conferre debet bona profectitia. — 51. Non tamen bona castrensia, aut quasi castrensia. — 52. Nec bona adventitia. — 53. Nono, conferre debet frater, quæ accepit a patre titulo patrimonii ad sacros ordines, vel ad nuptias contrahendas. — 54. Non tenetur tamen conferre, si nolit succedere patri in hæreditate. — 55. Decimo, conferre debet frater expensas factas a patre ad ejus bona adventitia augenda ad perpetuam notabilem utilitatem, si constat quod pater ea fecerit animo repetendi. Et quid, si dubitetur de tali animo? — 56. Sic econtra si pater notabiliter dilapidaverit bona adventitia unius filii, tenentur alii in divisione compensare.

(1. Fratres, defunctis parentibus, possunt inire inter se strictum et rigorosum contractum societatis, ita ut omnia lucra et damna fiant communia. *Communis*. « Contractus enim ex conventione legem accipere dignoscuntur, » textu expresso in cap. *Contractus* 85, De regulis juris in 6, et in l. *Contractus* 23, ff. *De regul. juris*, ibi : « Nam hoc servabitur, quod initio convenit : legem enim contractus dedit. »

(2. Per hoc tamen, quod fratres habeant hæreditatem seu patrimonium indivisum, et de communi mensa vivant, non censentur talem strictam et rigorosam societatem iniisse. L. *Cum duobus* 52, § 6, ff. *Pro socio*; l. *Ex parte* 39, § 3, ff. *Familiæ erciscundæ* cum similibus; Bartolus, in l. *Si patronus* 4, cod. *Communia utriusque judicii*; Azorius, part. III, lib. IX, cap. 59; Filliucius, tract. 38, cap. 6, quæst. 6, num. 145; Silvester, verb. *Peculium* 2, qu. 4; Bonacin., *De contractibus*, disp. 3, quæst. 6, punct. 7, num. 2; Rosignol, *De societate*, contract. 7, prænot. 37, num. 1, et alii passim; et ratio est quia ad contrahendam strictam et rigorosam societatem, qua omnia lucra et damna communia fiant, requiruntur verba, aut signa aperte indicantia talem contractum societatis, cum de natura talis strictæ et rigorosæ societatis requiratur, quod sit conventio duorum vel plurium aliquid pretio æstimabile conferentium pro negotiatione aliqua honesta ad commune lucrum pro portione rerum contributarum inter socios dividendum. L. *Societatem* 4, l. *Societate* 5, l. *Si societatem* 6, ff. *Pro socio*, et institut. tit. 26 *De societate*, adeoque, etc.

(3. Hinc frater habens hæreditatem seu patrimonium indivisum cum aliis fratribus, non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum a se acquisitum ex publici alicujus officii administratione, quia, nisi aliter sit expresse conventum, indivisio hæreditatis seu patrimonii, et consequenter societas ex ipsa indivisione proveniens inter fratres se extendit solum ad bona hæreditaria, et ad lucra ex illis provenientia, non vero ad alia bona et lucra aliunde fratribus obvenientia, uti sunt bona acquisita donatione, hæreditate, dignitate, officio seu industria non debita tali fraternæ societati seu divisioni. L. *Cum duobus* 52, § 6, ff. *Pro socio*, l. *Cui muneris* 12, ff. *De muneribus et honoribus*, cum similibus; Azorius, cit. cap. 19, qu. 4; Filliuc., *loc. cit.*, num. 136; Silvester, *loco cit.*, qu. 20; Bonac., *loco cit.*, num. 2; Rosignol, *loco cit.*, num. 4, et alii.

(4. Item frater habens hæreditatem indivisam cum aliis fratribus, non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum acquisitum per negotiationem nomine proprio factam, quamvis cum hæreditaria communi pecunia; dummodo ratione talis negotiationis non deficiat operibus debitis communioni et indivisioni fraternæ, quia tunc esset communicandum aliis fratribus pro parte correspondente operibus debitis tali communioni et indivisioni fraternæ. L. *Qui aliena* 8, cod. *Si quis alteri vel sibi*, l. *Si patruus* 4, cod. *Communia utriusque judicii*, l. *Titium et Mœvium* 47, § 6, ff. *De administrat. tutor.*, cum similibus; Bald., in l. *Si pecunia* 1, cod. *Si quis alteri vel sibi*; Sil-

Digitized by Google

vester, *loco cit.*. qu. 17 et 18; Rosignol, *loco cit.*, num. 17 et 19, et alii.

(5. Intellige tamen dummodo dictus frater non fuerit tutor aut curator aliorum fratrum, quia tunc lucrum acquisitum per negotiationem cum communi hæreditaria pecunia factam, licet nomine proprio, et non communi, est communicandum aliis fratribus. L. *Si tutor vel curator* 2, ff. *Quando ex facto tutoris vel curatoris;* Silvester, *loco cit.*, quæst. 18; Baldus, in l. *Si pecunia* 1, cod. *Si quis alteri vel sibi*, et in l. *Si ut proponis* 8, cod. *De rei vindic.*, et alii.

(6. Lucrum acquisitu ab uno ex fratribus per negotiationem factam cum communi hæreditaria pecunia nomine communi, debet etiam communicari aliis fratribus. *Communis.* Et ratio clara est, quia quod fit de communi, et nomine communi, est commune.

(7. Commanentibus simul pluribus fratribus post obitum patris, si unus de suis bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, aut aliunde suis aliquid in communem victum impenderit, non potest illud repetere, si inter ipsos fuerit prius inita societas ad communem victum. Baldus, in l. *Cum duobus* 52, ff. *Pro socio;* Silvester, *loco citat.*, quæst. 22; Azorius, cit. cap. 19, vers. *Sexto quid dicendum;* Rosignol, *loc. cit.*, num. 4, et alii. Et ratio est quia, stante tali societate, non habetur consideratio ad illud plus ab ipso fratre in communi victu impensum, cum societatis jure intelligatur consumptum, cap. *Si duo fratres*, tit. 12, lib. II. *Feudorum.* Tum quia cum illud plus impenderit in illis usibus, ad quos inita est societas, præsumitur illud donasse, nisi aliter se expresserit, adeoque non potest illud repetere.

(8. Posset autem dictus frater illud plus repetere, si non fuerit prius inita societas cum aliis fratribus; sic citati doctores, et alii. Et ratio est quia nullo jure, nec titulo naturalis pietatis obligatur unus frater ad alendos alios fratres de suo, quando isti, ut in hoc casu supponitur, habent ex bonis communibus quantum sufficit ad suam honestam sustentationem, adeoque potest illud plus impensum repetere. L. *Nesennius* 34, ff. *De negotiis gestis.*

(9. Excipe tamen, nisi alii fratres fuerint pupilli, amentes aut furiosi, quia in tali casu, quamvis non fuerit inter ipsos inita societas, non posset dictus frater illud plus impensum repetere, nisi ante impensionem protestatus fuerit, se nolle illud plus gratis impendere seu donare. Sic doctores citati *supra* num. 7, et alii. Et ratio est quia, seclusa tali protestatione, illud plus impensum per dictum fratrem in communem victum fratrum pupillorum, amentium aut furiosorum præsumitur gratis datum, seu condonatum, adeoque illud repetere nequit. C. l. *Nesennius*, 34, ff. *De negotiis gestis.*

(10. Frater, qui inita societate cum aliis fratribus, dotavit de propriis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus sororem, quam etiam alii fratres dotare tenebantur, potest pro rata ab aliis compensationem repetere. Bartolus, in lege, *Si patruus* 4, cod. *Communia utriusque judicii;* Azorius, *loc. cit.*, cap. 19, qu. 5; Filliuc., tract. 38, cap 7, n. 146; Bonacina, *loc. cit.*, n. 8, et alii. Et ratio est quia talis frater utiliter gessit negotium aliorum fratrum, adeoque potest ab ipsis pro rata compensationem repetere.

(11. Frater habens cum aliis fratribus hæreditatem indivisam, et sic solum societatem simpliciter, et non expresse contractam societatem omnium bonorum, si ex bonis communibus filiam suam dotet, debet in divisione bonorum, eam dotem in suam partem computare. Speculator, in tit. *De judic.*, § *Sequitur*, vers. *Quid si unus;* Bart., in l. *Si patruus* 4, cod. *Comm. utriusque judicii;* Silvester, *loc. cit.*, quæst. 20 cir. fin.; Azorius, *loc. cit.*, cap. 19, vers. *Quin.*: Rosign., *loc. cit.*, disquis. 4, § 9, num. 4, cum aliis ibi citatis. Et ratio est quia, cum non est inita inter fratres expressa societas omnium bonorum, omnes expensæ factæ de hæreditate communi et indivisa in utilitatem unius duntaxat, debent ipsi soli imputari. Unde cum talis dos fuerit erogata in utilitatem duntaxat illius fratris, qui tanquam pater tenebatur dotare suam filiam de bonis propriis, si eam dotavit de communibus, tenetur eam in suam partem computare. Arg. l. *In hoc judicium* 14, ff. *Communi dividendo*, cum similibus.

(12. Si autem dictus frater nedum habuerit cum aliis fratribus hæreditatem indivisam, et solum societatem simpliciter, sed etiam expresse contraxerit cum ipsis rigorosam societatem omnium bonorum et debitorum, tunc talis dos est extrahenda ex bonis communibus absque eo quod teneatur postea ipsam in suam partem computare. Silvester, *loc. c.*, q. 28, cum Baldo ibi allegato; Azorius. *loco cit.*, c. 19, vers. *Nono quæritur;* Rosignol., *loco cit.*, prænot. 27, num. 6, et alii per text. in l. *Si socius pro filia* 81, ff. *Pro socio.* Et ratio est quia ratione hujusmodi societatis omnia bona, lucra, commoda, debita, damna et pericula fiunt communia fratribus sic sociatis. L. *Ea vero* 3, et l. *Cum duobus* 62, § 8, ff. *Pro socio*, adeoque unius frater debet alteri contribuere, ut filiam dotet, sive pro contrahendo matrimonio, sive pro ingredienda religione, et sic de similibus aliis expensis faciendis. Tum quia in hujusmodi societate talis censetur intervenire conventio; contractus autem ex conventione legem accipere dignoscuntur, textu expresso in cap. *Contractus*, De regulis juris in 6, et l. *Contractus* 23, De regulis juris.

(13. Hinc frater habens præ aliis filios aptos ad laborem, et re ipsa laborantes in commodum et utilitatem communionis et indivisionis fraternæ, si non inierit cum aliis fratribus expressam societatem omnium bonorum, potest in divisione (nisi aliter sit conventum, aut aliud postulet legitima consuetudo) exigere stipendium proportionatum labori præstito a suis filiis, cum labor

Digitized by Google

sit pretio æstimabilis, et dignus sit operarius mercede sua. *Luc.* x, 7; *Matth.* x, 10. Et sic etiam frater non habens filios potest in divisione (nisi aliter sit conventum, aut aliud ferat legitima consuetudo), exigere a fratre habente filios illud plus, quod in ipsis alendis fuit consumptum. Navarrus, cap. 17, num. 161; Bartolus, Baldus, et alii apud Felicium, cap. 13, num. 91, et cap. 27, num. 64 et 71; Bonacina, *loc. cit.*, punct. 7, num. 7, cum aliis ibi allegatis. Et ratio clara est, quia sicuti habens filios laborantes in utilitatem communionis et indivisionis fraternæ potest in divisione exigere stipendium proportionatum eorum labori, ita alter non habens filios potest in divisione exigere ab habente filios illud plus, quod in ipsis alendis fuit consumptum juxta dicta *supra* num. 11.

(14. Si vero dicti fratres inierint inter se expressam rigorosam societatem omnium bonorum et debitorum, nec habens filios laborantes posset in divisione exigere stipendium pro tali labore, nec alter carens filiis posset exigere sumptus factos in alendis filiis alterius fratris per dicta et jura adducta *supra* num. 12.

(15. Frater habens uxorem lucra acquirentem exercitio alicujus artis seu mercaturæ, vel quia esset obstetrix aut chirurgica, etc., si ipsa uxor lucrum separatum tenebat, aut ex aliis conjectari posset, quod societatem contrahere nolebat, non tenetur in divisione illud lucrum aliis fratribus communicare, sed ipsa uxor tenetur solum erogare viro, et aliis ejusdem fratribus tantum lucri, quantum secundum judicium boni viri corresponderet operibus communibus et obsequialibus a mulieribus suæ conditionis in domo fieri solitis, quibus ipsa propter exercendam talem artem aut professionem defecisset, quia cum ipsa teneatur talia officia et obsequia præstare ex vi sui status et conditionis, si non præstet ob acquirendum aliud lucrum, debet ex illo lucro illa compensare. Silvester, *loco cit*, quæst. 32, cum aliis ibi allegatis; Rosignol., *loco cit.*, disquisit. 4, § 10, num. 2 et 3, et alii.

(16. Sic a fortiori non tenetur frater in divisione communicare aliis fratribus lucra acquisita ex bonis paraphernalibus seu extradotalibus suæ uxoris, si ipsa uxor sibi expresse reservaverit talia lucra, aut ex aliis conjecturis appareat voluisse ipsa sibi reservare, et nullatenus aliis communicare. Nec obstat, quod dictus frater habens ex commissione suæ uxoris administrationem talium bonorum paraphernalium, lucra inde provenientia insumpserit in communem utilitatem, quia per hoc non censetur, quod voluerit aliis fratribus communicare, sed donare, cum non sit verisimile, quod voluerit talia lucra auferre sibi et suis filiis, et dare alienis; unde si ipse insumpsit in utilitatem communionis fraternæ, potest in divisione ea ab aliis fratribus exigere, quia quidquid solus expendit de suo in re communi (nisi aliud sit conventum, aut ex conjecturis constet) potest in ejus rei divisione repetere. L. *In hoc judicium* 14, ff. *Communi dividendo.*

(17. Secus autem esset dicendum, si ipsa uxor et suus vir cum ejusdem fratribus iniissent expressam rigorosam societatem omnium bonorum, et dicta lucra acquisita ex suis artificiis vel ex suis bonis paraphernalibus fuissent insumpta in communem utilitatem dictæ societatis; (18. quia ratione hujusmodi rigorosæ societatis communicari debent quæcunque ex qualibet causa acquisita, videlicet ex labore, opera, industria, negotiatione, donatione, legato, hæreditate. L. *Ea vero* 3, ff. *Pro socio.* Item quæcunque obveniunt ex bonis castrensibus vel quasi castrensibus. Leg. *Cum duobus* 52, § 8, ff. *Pro socio.* Et generatim omnia acquisita ex quolibet jure, titulo vel causa ac omnia debita contracta, damna et impensæ. Leg. *Cum duobus* 52, § 19, ff. *Pro socio*, ibi: « Socium universa in societatem conferre debere, Neratius ait, si omnium bonorum socius sit; » et concordat lex *Ea vero* 3, § 1, ff. eod., ibi: « Cum specialiter omnium bonorum societas coita est, et tunc hæreditas, et legatum, et quod donatum est, aut quaque ratione acquisitum communioni acquiritur, » juncta leg. *Si societatem universarum fortunarum* 73, ff. eod. (19. Nec obstat, quod in tali societate bona unius fratris sint multo plura bonis alterius, quia, ut patet ex adductis juribus, est proprium et peculiare hujus rigorosæ societatis, quod omnia cunctorum sociorum bona communicentur. (20. Ast debet adverti, quod non intelligitur contracta hæc rigorosa omnium bonorum societas, nisi fratres seu socii specialiter et expresse inter se voluntarie convenerint, quod sit omnium quorumcunque bonorum societas. L. *Ea vero* 3, ff. *Pro socio.*

(21. Nec dici potest societas omnium bonorum illa quæ vocatur societas simpliciter, quia societas simpliciter, nisi inter fratres seu socios fuerit expresse conventum, quod sit omnium bonorum, intelligitur solum contracta, ut sit universorum, quæ veniunt ex quæstu, hoc est si quid lucri ex emptione, venditione, locatione, conductione descendit, textu expresso in l. *Coiri societatem* 7, ff. *Pro socio.* (22. Pro quæstu autem intelligitur id, quod ex opera, artificio, industria vel cura, et diligentia cujusque provenit. L. *Quæstus* 8, ff. *Pro socio.* (23. Unde ratione societatis simpliciter contractæ non communicatur hæreditas, legatum vel si quid donatum est, quia hæc veniunt ex charitate, liberalitate vel alia causa, et non ex quæstu. L. *Nec adjecit* 9, ff. *Pro socio.*

(24. Tenetur autem frater ratione societatis simpliciter contractæ communicare cum aliis fratribus thesaurum inventum, sive in suo communi fundo sive in alieno, quia aliqua sua opera, industria, diligentia vel labore illum quæsivit, sicque talis thesaurus ex quæstu venire videtur. Argu-

Digitized by Google

ment. cit. leg. *Quæstus* 8, digest. *Pro socio*.

(25. Socius vero non frater seu extraneus tenetur ratione talis societatis simpliciter contractæ communicare cum alteris sociis solummodo thesaurum repertum in fundo alieno propter adductam rationem; non tamen thesaurum repertum in suo fundo, agro vel domo, quia tunc perinde esset, ac si rem suam amissam invenisset, aut nesciens ubi esset, postea reperisset. Sic expresse Azorius, *loco cit.*, cap. 17, vers. *Octava*, et alii. (26. Semper autem esset communicandus cum aliis sociis sive fratribus, sive extraneis talis ubicunque repertus thesaurus, si inter ipsos fuisset inita rigorosa societas omnium bonorum, per dicta et jura adducta *supra* num. 18; juncta l. *Si societatem universarum fortunarum* 73, ff. *Pro socio*.

NOTÆ ROMANI THEOLOGI.

Ut scias dominium, quod inventores in thesaurum acquirunt, hanc ex P. Gabriele Antoine, *De just. et jure*, cap. 2, exhibere placuit doctrinam : jure naturali et gentium thesaurus totus est inventoris; nam quæ nullius sunt, fiunt jure naturali et gentium primi occupantis. Thesaurus autem nullum habet dominum; nam definitur in jure: « Vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat: » L. 31, ff. *De acquir. rer. dom.* Ubi per pecuniam intelliguntur quævis opes mobiles, ut vasa, gemmæ, annuli, catenæ aureæ, etc. Dicitur autem vetus depositio : nam si non sit vetus, non censetur thesaurus, sed res inventa, quæ domino, et in ejus defectum, ejus hæredibus restitui debet : qui si cognosci nequeant, impendi debent in usus pios, quia sunt bona incerta : « Si quis autem vel lucri causa vel metus, vel custodiæ, condiderit sub terra, non est thesaurus, cujus etiam furtum fit. » L. *Nunquam*, ff. *De acquir. rer. dom.*

Jure tamen civili communi obligante in conscientia, hæc statuta sunt de thesauro. 1. Thesaurus totus est illius, qui eum in proprio fundo reperit; instit. *De rer. dom.* Si tamen arte magica ibi inventus sit, totus pertinet ad fiscum, saltem post sententiam judicis. 2. Qui fortuito thesaurum in fundo alieno reperit, est dominus dimidii, alterum vero dimidium tenetur ante sententiam judicis tradere domino speciali fundi, sive sit princeps, sive privatus, ex instit. *De rer. divis.*, quæ dispositio non est pœnalis, sed definitiva proprietatis rerum. 3. Thesaurus de industria quæsitus in fundo alieno sine consensu domini, totus est domini. L. unica, cod. *De thes.* Varii tamen putant inventorem non teneri ante sententiam judicis tradere nisi dimidium, ob hæc verba legis ex ea parte pœnalis; « totum locorum domino reddere compellatur. » 4. Si thesaurus inveniatur in platea, loco vel via publica, juxta multos dividi debet cum fisco, juxta alios totus est inventoris. In his vero sicut in aliis spectandæ sunt speciales locorum leges, vel consuetudines, et servandæ. Sic in Gallia thesaurus in alieno fundo repertus, in tres partes æquales dividi debet, quarum una sit inventoris, altera domini fundi, tertia dynastæ, seu alterius justitiarii, vel regis, si solus in loco sit altus justitiarius. Thesauri vero a domino fundi inventi media pars est inventoris, alia dynastæ vel regis. Imo circa hoc variæ sunt in variis provinciis consuetudines.

RESPONSIO AUCTORIS.

Circa dominium, quod inventores in thesaurum acquirunt, ultra ea, quæ hic trado, ego aliâ quamplura tradidi jam in verb. *Dominium*, art. 3, a n. 26 ad 45, inclusive, ubi cum assistentia juris et doctorum assignavi, quando et quomodo ab inventoribus in thesaurum dominium acquiratur, et quando non. *Vide* ibi multa ad rem.

(27. Debitum contractum ab uno fratrum post obitum patris, est de communi solvendum, si conversum fuerit in communem fratrum utilitatem. *Communis*, per textum in l. *Omne æs*, 27, ff. *Pro socio*, l. *Si hi* 1, l. *Quod si* 3, ff. *De in rem verso*, cum similibus. (28. Si autem tale contractum debitum conversum fuerit in solum privatum commodum contrahentis, non esset de communi solvendum. *Communis*, textu expresso in l. *Jure societatis* 82, ff. *Pro socio*, cum similibus, et facit l. *Non debet* 74, ff. *De regul. juris*, et cap. *Non debet* 22, De regul. juris in 6. (29. In contentione inter fratres in quem usum fuerit debitum conversum, onus probandi spectat ad illum, qui tale debitum contraxit : qui si non probet fuisse conversum in communem utilitatem, debet ex suo solvere, quia in tali contentione alii fratres sunt veluti rei in judicio, et qui debitum contraxit, est actor : actori autem incumbit probare; quod si non probet, reus absolvitur. L. *Qui accusare* 4, cod. *De edendo*; l. *Actor* 23, cod. *De probation.*, l. *Ei* 2, ff. *De probat.* (30. Et mortuo fratre, qui contraxit debitum in contentione inter creditorem, et reliquos fratres debitores, onus probandi tale debitum fuisse conversum in communem ipsorum utilitatem spectat ad creditorem uti actorem, propter dicta et jura adducta numero antecedenti. Sic in universum Rosignol., *loco cit.*, disquisit. 4, § 7, cum aliis ibi allegatis.

(31. Delictum seu maleficium unius fratris socii omnium bonorum, non nocet aliis fratribus. L. *Cum duobus* 52, § 2 et 28, *Pro socio*. Unde si talis frater delinquens condemnetur propter delictum, seu maleficium ad pœnam, solvere debet de suis et non de bonis societatis, textu expresso in cit. § 18, ibi : « Si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere. » Et ratio est, quia sicuti societas non est inita de lucris provenientibus ex culpa, ut ex furto, homicidio, adulterio, perjurio, cit. l. *Cum duobus* 52, § 17, et l. *Quod autem ex furto* 53, ff. *Pro socio*, ita

Digitized by Google

neque censetur inita de damnis, quæ frater delinquens sentire debet in pœnam. Cit. l. *Cum duobus* 52, § 3 et § 18, ff. *Pro socio.*

(32. Præscindendo a societate inter fratres jure novo in l. *Ut liberis* 17, cod. *De collationib.*, Authent. *Ex testamento*, cod. eod. titul. auth., *De Triente et semisse*, § *Illud quoque collat.* 3, statutum est, quod ipsi in divisione hæreditatis paternæ et maternæ adducant ad partitionem communem, quæ ab ipsis viventibus acceperunt, dummodo ipsis expresse vel tacite per conjecturas non præsumantur donata seu condonata. Et hic in specie assignantur ea, quæ in partitione hæreditatis adduci debent, vel non.

(33. Primo igitur in divisione cum reliquis fratribus debet alter frater adducere et computare in suam partem pecuniam, quam pater consumpsit pro studiis ipsius, si pater apud se habebat ipsius filii bona castrensia, vel quasi castrensia. Colligitur ex l. *Filius a parte* 18, ff. *De petitione hæreditatis*, et ex l. *Si parte* 7, cod. *De dotis promissione.* In tali enim casu præsumendum est quod pater administratorio nomine egerit de dictis bonis ipsius filii, et noluerit insumptam pecuniam condonare in præjudicium aliorum filiorum, cum ille haberet de propriis bonis sufficientia ad dicta studia; secus autem si pater non haberet apud se ulla filii bona, quia in tali casu præsumendum est, quod pater eam pecuniam contulerit ut absolutus dominus, et liberaliter donaverit. L. *Quæ pater* 32, ff. *Famil. ercisc.*; Molina, tom. II, disp. 239; Lopez, part. II, c. 2, concl. 3; Silvester, *loco cit.*, qu. 8, cum Baldo ibi allegato; Rosign., *loco cit.*, prænot. 27, n. 7 et 13; Bonac., *loco cit.*, punct. 7, § unic. n. 7; Navarr., Vasquez, Sa, Zechio ibi citatis, et aliis passim.

(34. Secundo, debet frater adducere in partitionem cum reliquis fratribus, juxta dicta num. antec., libros quos pater vivens ipsi tradidit pro studio, si sint considerabilis quantitatis et valoris. Molina, Lopez, Zechius, Tuschus, et alii citati et secuti a Bonacina, *loco cit.*, n. 9, quia in tali casu non est præsumendum, quod pater voluerit illos ipsi donare, cum ex hac donatione magna consurgeret inæqualitas inter fratres; secus autem si tales libri essent parvæ quantitatis et pauci valoris, quia in tali casu adesset præsumptio de liberali paterna donatione. (35. Et sic dicendum est de pecunia ei tradita a patre pro emendis libris, quam si in magna quantitate insumpsit in ludos aut meretrices, tenetur computare in suam partem; secus autem si in exigua quantitate, quia circa hanc exiguam quantitatem, quamvis pater præsumatur invitus quoad modum, non tamen quoad substantiam, sicque potius præsumitur, quod pater voluerit illam ei condonare, quam ut ipsam in suam partem computaret, Navarrus, Molina, Zechius, Vasquez, Lopez, et alii allegati et secuti a Bonacina, *loco cit.*, num. 10. (36. In omni tamen casu, quo libri adducendi et computandi sint, computari debent secundum valorem, quem habent tempore divisionis, et non secundum valorem, quem habuerunt. Glossa, in l. *Illud* 29, cod. *De collat. in V Ponderat.*; Rosignol., *loco cit.*, n. 15, et omnes alii allegati *supra* num. 34.

(37. Tertio, debet frater adducere in partitionem, quæ de bonis communibus post mortem patris insumpsit in prosecutione studii incepti ante mortem patris, quia factum per patrem viventem inceptum in favorem alicujus ex filiis, non obligat hæredem, nisi quatenus erat obligatus. L. *Et si filius* 15, ff. *De muneric. et honoribus*, l. *Si filia* 20, § 6, ff. *Familiæ erciscundæ*, l. *Honores* 7, § 2, ff. *De decurionibus.* Pater autem non erat obligatus ad expensas in prosecutione studii dicti filii. Silvester, *loc. cit.*, qu. 11, cum Bartolo ibi allegato; Rosignol., *loc. cit.*, n. 8, et alii.

(38. Quarto, computare debet frater expensas factas in assequenda post mortem patris laurea doctoratus, quia doctoratus est novus actus distinctus ab ipso studio, l. *Si servus legatus* 108, § 5, ff. *De legatis* 1. Nec alii fratres ad ipsas expensas tenentur. Silvester, *loco cit.*, qu. 11 in fine, cum Baldo ibi citato; Rosignol., *loc. cit.*, n. 9; Azorius, *loc. cit.*, c. 19, vers. *Octavo*, et alii.

(39. Non sunt autem conferendæ expensæ factæ ab ipsomet patre pro obtinendo doctoratu, dignitate vel beneficio, nisi aliter constet tacite, vel expresse de voluntate dicti patris. L. *Hic titulus* 1, § 16, ff. *De collat. bonorum*; Bartolus, *ibid.*; Silvester, *loco cit.*, quæst. 26; Bonacina, *loco cit.*, num. 15, et alii. (40. Sunt tamen conferendæ expensæ factæ a patre pro obtinendis filio aliis officiis, quæ vendi et transmitti possunt ad posteros et hæredes, l. *Illud* 40, cod. *De collationib.*; Covarruv., part. III, *Variar.*, cap. 19, num. 4; Molina, *loco cit.*; disp. 241, cum Bartolo et Gomezio, ibi cit., Bonacina, *loco cit.*, num. 17, cum aliis ibi allegatis, et alii apud Vasquez, in opusc. *De testamentis*, cap. 7, dub. 9. Et ratio est quia hæc officia censentur bona profectitia, adeoque in divisione sunt conferenda quoad pretium, seu æstimationem illorum.

(41. Quinto, conferre debet frater secundum valorem præsentem vestes, torques, et alia ornamenta a patre tradita ipsius uxori, si adhuc exstent, et sint pretiosa, et non sint necessaria ad quotidianum usum. Arg. l. *Illud*, seu *Id vestimentum* 25, ff. *De peculio.* Et ratio est quia illa non præsumuntur ei a patre donata, sed ad solum usum concessa. L. *Mortis suæ causa* 53, ff. *De donationibus inter virum et uxorem.* (42. Non debet autem frater ea conferre, si non amplius exstent, nec sint pretiosa et sint necessaria ad quotidianum usum. Et ratio est quia recipiens non tenetur compensare concessa ad usum, si post usum non remaneant, nec minus si remaneant, si non sint pretiosa, et sint necessaria ad quotidianum usum, tenetur ea conferre, quia in ordine ad ista currit justa præsumptio, quod pater ea do-

Digitized by Google

naverit uxori filii, et a principio tenuit donatio inter socrum et nurum. L. *Ex anno* 15, ff. *De donationibus inter virum et uxorem*, l. *Si dos* 85, ff. *Ad leg. Falcid.* (43. Item nec tenetur frater ea conferre, quamvis sint pretiosa, quoties constat patrem ea nurui, seu respective ejus uxori donasse, nam illa essent de libero dominio ipsius uxoris; cum a principio tenuerit donatio inter socrum et nurum per jura mox adducta, juncta l. *Filius* 5, ff. *De dotis collatione;* Silvester, *loc. cit.*, quæst. 12; Sanchez, lib. VI, *De matrimon.*, disput. 25; Rosignol., *loc. cit.*, n. 12; Navarrus, cap. 17, n. 116; Bonacina, *loco cit.*, n. 12, et alii passim.

(44. Sexto, conferre debet frater munera, arrhas et alias sponsalitias donationes a patre factas propter suas nuptias, quia censentur donationes factæ ob causam matrimonii, sicuti censetur facta dos. L. *Ut liberis* 17, cod. *De collationibus.* (45. Filius enim volens succedere patri, licet non teneatur conferre, quæ ab ipso valide accepit donatione simplici ei facta ex mera liberalitate, ut patet ex leg. *Illud* 20 circa finem, cod. *De collationibus*, tenetur tamen conferre quæ ab ipso accepit donatione non ex mera liberalitate, sed ob causam, verbi gratia ob nuptias, ob dotem, ob susceptionem ordinum, ob ingressum religionis, et hujusmodi per cit. leg. *Illud*, cum similibus; cum donata ob causam de sua natura conferri debeant, ex quo præsumantur tradita in compensationem legitimæ. Vasquez, *l. cit.*, dub. 6; Emmanuel Sa, verb. *Hæreditas*, n. 43; Bonacina, *loc. cit.*, n. 13; Sanchez, cit. disp. 25, cum pluribus aliis ibi allegatis. (46. Non sunt tamen computandæ in divisione expensæ factæ a patre in convivio ob nuptias filii, seu occasione primi sacri celebrati, aut ingressus et professionis religiosæ, vel promotionis ad doctoratum, aut ad aliquam dignitatem, si filius non habeat bona propria, quia tales expensæ pertinent ad rationabilem administrationem bonorum patris, et ad alimenta filiis debita, nec magis censentur factæ ob filium, quam in honorem ipsius patris. Molina, tract. 2, disp. 238, vers. *De expensis*, cum Bartolo, Gomezio, et aliis ibi allegatis; Tuscus, concl. 417; Vasquez, *loc. cit.*, dub. 6, n. 46; Sa, *loc. cit.*, n. 43; Bonacina, *loco cit.*, n. 11, cum aliis ibi citatis. (47. Nec tenetur frater in divisione computare quæ pater illi dedit præ aliis ad cibum, vestitum et equitatum, quia stat rationabilis præsumptio, quod pater illa liberaliter ei donaverit seu condonaverit. Navarr., c. 18, n. 160; Vasquez, *loco cit.*, dub. 8, n. 155; Bonacina, *loco cit.*, n. 8, et alii.

(48. Nec tenetur frater conferre quæ a patre vivente accepit ob merita extraordinariorum obsequiorum; dummodo accepta non excedant merita. L. *Si pater* 34, ff. *De donationibus;* Molina, disp. 233; Navarr., cap. 17, n. 144 et 145; Silvester, verb. *Donatio* 2, qu. 7; Vasquez, *loc. cit.*, dub. 10, n. 163; Bonac., *loc. cit.*, n. 18, cum aliis ibi allegatis.

(49. Septimo, conferre debet frater quæ pater insumpsit in ipsius liberatione a captivitate, a carcere, aut a pœna ipsi pro delicto debita, si pater declaravit esse computanda in divisione: pater enim licet teneatur alere filium, non tamen tenetur cum gravamine aliorum filiorum innocentum ipsius delinquentis delicta solvere; si autem declaraverit non esse computanda, aut non expresserit, an vellet computari, non sunt computanda in divisione, quia tunc præsumi debent ex paterna pietate condonata, cum non sit addenda afflictio afflicto. Cap. *Cum percussio* 7, qu. 1, cap. *Ex part.* V, De clerico ægrotante; dummodo tamen pater non habeat bona propria ipsius filii. Tuscus, conclus. 417; Vasquez. *loc. cit.*, dub. 8. n. 155; Navarrus, cap. 17, num. 165; Bonacina, *loco cit.*, n. 19, cum pluribus aliis ibi allegatis.

(50. Octavo, conferre debet frater bona profectitia, quia horum bonorum dominium pertinet ad patrem. § 1, institut. *Per quas personas cui acquiritur.* (51. Non debet tamen conferre bona castrensia, aut quasi castrensia, quia horum dominium absolute pertinet ad filium. Leg. *Castrensi* 11, ff. *De castrensi peculio*, leg. *Hic titulus* 1, Nec castrense, ff. *De collatione bonorum.* (52. Nec bona adventitia, leg. *Ut nemini* 21, cod. *De collationibus.* Adventitiorum enim bonorum dominium, directum, seu proprietatem habet filius. L. *Cum oportet* 6, cod. *De bonis quæ liberis.*

(53. Nono, conferre debet frater quæ accepit a patre titulo patrimonii ad sacros ordines, vel ad nuptias contrahendas, quia traditio horum bonorum non est donatio omnino libera, sed ob causam; donata autem ob causam, et non ex mera liberalitate, conferri debent in partitionem. L. *Illud* 20 circa finem, cod. *De collationibus.* Ast tamen jus fructus percipiendi dum vivit, spectat ad ipsum solum, nec debet eos fructus afferre in partitionem. Molina, disp. 233, § *Hujusmodi autem;* Hugo, tom. I, disput. 5, sect. 1, n. 37; Sporer, tom. II, tract. 6, in *Complement. septim. præcept.*, cap. 1, sect. 2, n. 51; Bonacina, *loco citat.*, n. 5, vers. *Respondeo secundo*, cum aliis ibi allegatis.

(54. Non tenetur tamen conferre, si nolit succedere patri in hæreditate, sed contentus sit re sibi tradita, quia is solum conferre tenetur, qui vult in hæreditate cum aliis succedere. L. *Fuit quæstionis* 7, ff. *De dotis collatione;* Molina, disp. 237, vers. *Reditum;* Emmanuel Sa, *loco cit.*, n. 42; Bonacina, *loco cit.*, n. 4, cum Gomezio, et Zechio ibi citatis, et alii.

(55. Decimo, conferre debet frater in divisione expensas factas a patre ad ejus bona adventitia augenda ad perpetuam considerabilem utilitatem, si constet, quod pater eas fecerit animo repetendi; et si dubitetur de tali animo, attendenda est quantitas dictarum expensarum, et si parva sit, præsumi debet, quod non habuerit animum repetendi; si vero magna sit, ita ut quantitas expensarum factarum excedat quantitatem fructuum perceptorum, est præsumendum,

Digitized by Google

quod animum habuerit repetendi dictas expensas, cum non sit credibile, quod voluerit pater unum filium ditare cum magno detrimento aliorum. Navar., cap. 17, n. 163; Bonacina, *loco cit.*, n. 15, et ipso teste alii communiter. (56. Sic econtra, si pater dilapidaverit bona adventitia unius filii, alii fratres in divisione tenebuntur compensare, cum obligatio ex justitia transmittatur ad hæredes, et hæreditas, seu res transeat cum suo onere. L. *Alienatio*, ff. *De contrahend. emptione*, l. *Pomponius*, § *Cum quis*, ff. *De acquir. poss.*, l. *Via constituti*, § *Quicunque*, ff. *De servitut.*, l. *Fiscus* 6, ff. *De jure fisci*, Clementin. 1, *De censibus*, cum similibus; Emmanuel Sa, verb. *Hæreditas*, n. 45; Bonacina, *loc. cit.*, num. 13 in fine, et alii.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(57. Inter fratres potest esse communio tantum mensæ fructuumque bonorum patrimonialium, tum potest esse societas universalis. (58. Ex hoc autem solum, quod fratres concorditer vixerint, promiscue, ac pro indiviso bona possederint, vix habetur communio mensæ et fructum bonorum patrimonialium. (59. Quinimo id procedit, etiamsi adsit pactum, ut omnia lucra et damna sint communia; quippe quia potest pactum hoc verificari in bonis tantummodo patrimonialibus, quorum respectu inter ipsos erat communio. Confer Rotam, *in Romana seu Spoletana fideicommissi* 1 Februarii 1734, § 7 et plur. sequent., *cor. bon. mem. vicecom.*, et 4 Julii 1765, § 9 et duob. sequent., *cor. illustriss. Figueroa.*

(60. Societas vero universalis, per quam omnia tum industriæ, tum fortunæ lucra communicantur, vel requirit expressam conventionem, vel deducenda est ex necessariis actibus et argumentis, de quibus *vide* Rotam, *in Romana hæreditatis super fidejussione* 6 Maii 1751, § 5, *coram eminentissimo Bussio*. Adde etiam idem supremum tribunal *in dict. Romana seu Spoletana fideicommissi* 1 Februarii 1734, § 5 et 7, *cor. bon. mem. vicecomit.*, et 4 Julii 1755, § 9, *cor. illustriss. Figueroa.*

(61. Num acquisitio proprio nomine facta ab uno ex fratribus excludat inter ipsos societatem universalem? Quæstionis est. (62. Obtinuit distinctio, quod si certo constet, et quidem vel expresse vel tacite, de societate universali, eam minime excludat mox dicta acquisitio, quia tunc proprio nomine acquirens, communi sociorum nomine acquisivisse videtur. (63. At si de societate universali, nec ex conventione expressa, nec ex argumentis indubiis constet, præfata acquisito urget in ejus exclusionem. Michalor., *De fratrib.*, part. II, cap. 17, n. 16 et sequent.; Constant., *ad statut. Urb.*, annot. 21, n. 41; Rot., *in Spoletana divisionis bonorum* 5 Februarii 1745, § 12, et *in Recineten. communionis universalis* 25 Junii 1747, § 6, *utraque cor. bon. mem. vicecomite.*

(64. Ex indole societatis universalis res communi periculo ita pereunt, ut unus alteri ex sociis nonnisi de inexcusabili culpa, probatoque dolo teneatur. Rota, *in Romana hæreditatis super fidejussione* 5 Maii 1751, § 6, *cor. eminentissimo Bussio.*

SODOMIA.

Vide verb. LUXURIA, *a n.* 50 *ad* 63.

SOLEMNITATES PRO ALIENANDIS REBUS ECCLES.

Vide verb. ALIENATIO, *art.* 2

SOLEMNITATES CONTRACTUUM.

Vide verb. CONTRACTUS *per tot.*

SOLIDUS.

Vide verb. CATHEDRATICUM, *n.* 4, *et verb.* DONATIO, *art.* 1, *n.* 30.

SOLLICITATIO AD TURPIA.

ADDITIONES CASINENSES.

Ad tradita ab auctore, sub v. CONFESSARIUS, art. 7.

(65. Ad majorem illustrationem eorum, quæ a Lucio nostro circa materiam sollicitationis tradita sunt sub v. CONFESSARIUS, art. 7 per tot., lubet hic afferre constitutionem Benedicti XIV, incip. *Sacramentum Pœnitentiæ* cum declaratione super eadem constit. aliisque ad rem notandis, hoc sane pacto.

(66. « BENEDICTUS, episcopus, servus servorum Dei.

« Sacramentum Pœnitentiæ, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad universi Dominici gregis curam superna dispositione vocati, omne studium et pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne, quod post amissam baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per dæmonum fraudem et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium: et quod in salutem et curationem animarum a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, exsecrabili scelestorum quorumdam sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur.

Digitized by Google

§ 1. « Dudum quidem a fel. rec. Gregorio Papa XV, prædecessore nostro, per suas litteras in forma brevium sub datum Romæ apud S. Mariam Majorem die XXX Augusti 1622, Pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscunque sacerdotes audiendis confessionibus deputatos, ad turpia et inhonesta sollicitantes : et deinceps successivis temporibus ad earum litterarum interpretationem ac declarationem plura subinde a congregatione vener. Fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium inquisitorum sub die XI mensis Februarii anno Domini 1661, prodierunt decreta, et a rec. mem. Alexandro Papa VII, pariter prædecessore nostro in congregatione generali Sanctæ Romanæ universalis Inquisitionis die 24 Septemb. 1675, coram eo habita, inter alias ab evangelica veritate, et sanctorum Patrum doctrina alienas et dissonas propositiones, sexta videlicet, et septima, huc revocandæ, damnatæ et prohibitæ fuerunt. Nos itaque mature perpendentes quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exacte observari, et quanti ad infirmas oves curandas, et decorem S. Ecclesiæ Dei retinendum intersit, ne aliqui sacerdotes pœnitentiæ sacramento nefarie abutentes pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant; sed animo secum recolentes, se a Christo Domino præsides et judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati ac dignitati muneris convenit, tam venerandum sacramentum administrent : motu proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra præfatas litteras hujusmodi, ac omnia et singula decreta prædicta ad illarum interpretationem et declarationem emanata, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus : atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, et mandamus omnibus hæreticæ pravitatis inquisitoribus, et locorum ordinariis omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum et locorum universi orbis Christiani in suis respective diœcesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant et procedant contra omnes et singulos sacerdotes, tam sæculares quam regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectos, quorumcunque ordinum, institutorum, societatum et congregationum, et cujuscunque dignitatis et præeminentiæ, aut quovis privilegio et indulto munitos, qui aliquem pœnitentem, quæcunque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione, aut prætextu confessionis, vel extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint : et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis severe animadvertant per condignas pœnas juxta memoratam Gregorii prædecessoris nostri constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus : dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme et Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat ob probationum defectum, impunitum, jam alias in præfata constitutione tributam procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia et alia adminicula concurrant.

§ 2. « Meminerint præterea omnes et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere juxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denuntiandi inquisitoribus, sive locorum ordinariis prædictis, personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a confessario, non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.

§ 3. « Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, et Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant : ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcunque persona, quæ exsecrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentes confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, a quocunque sacerdote, quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, præterquam a Nobis, nostrisque successoribus, nisi in fine vitæ et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis et successoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.

§ 4. « Demum magnopere cupientes a sacerdotalis judicii et sacri tribunalis san-

Digitized by Google

ctitate omnem turpitudinis occasionem, et sacramentorum contemptum, et Ecclesiæ injuriam longe submovere, et tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, et, quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, dæmonis potius, quam Dei ministri, loco eas per sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, et aliquorum in theologia magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus episcopis per synodales suas constitutiones jam factum esse novimus, omnibus et singulis sacerdotibus, tam sæcularibus quam regularibus cujuscunque ordinis ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, et quovis privilegio, et indulto, etiam speciali expressione et specialissima nota, et mentione digno suffultis, auctoritate Apostolica, et nostræ potestatis plenitudine interdicimus, et prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocunque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacunque auctoritate et jurisdictione ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus exsistit, quam ei, per præsentes has Nostras adimere intendimus : et nihilominus si quis confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem nobis solis, nostrisque successoribus duntaxat reservamus, ipso facto incurrat.

§ 5. « Declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cujuscunque jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur *Cruciatæ sanctæ*, aut alterius cujuslibet Indulti, confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, et in hoc casu nullus confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati et pœnitentis genere, jurisdictione, ut præfertur, careat, et absolvendi facultate a Nobis privatus exsistat, habendus sit pro confessario legitimo et approbato. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, præsertim, quæ nuncupantur *Cruciatæ sanctæ*, vel Jubilæi universalis, et plenarii, nec non quibusvis ecclesiarum, et monasteriorum, et ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§ 6. « Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes locorum ordinarii, tam præsentes quam futuri pro tempore exsistentes in approbatione confessariorum, tam prædictam constitutionem Gregorii prædecessoris, quam præsentem hanc nostram ab omnibus sacerdotibus approbandis attente legi, et accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut sacrum ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Memores præterea sint, se locum tenere, ac vices obire summi atque æterni sacerdotis, qui sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus et pulsantibus eorum culpa cœlum claudatur, ne deperditæ oves ad ovile Dominicum redire properantes eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne prodigi filii egentes, et saucii ad cœlestem Patrem revertentes nefaria eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

§ 7. « Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis et Basilicæ principis Apostolorum, nec non cancellariæ Apostolicæ, curiæque generalis in monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatæ fuissent : utque ipsarum præsentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§ 8. « Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ voluntatis, sanctionis, præcepti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum

Digitized by Google

Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1741, Kal. Junii Pontificatus, nostri anno primo.

« X. subdatarius.

« *Pro domino cardinali* Passioneo.

« GAETANUS AMATUS. »

(67. DECLARATIO

Super constitutione præcedenti contra sollicitantes.

« Benedictus Papa XIV, ad futuram rei memoriam.

« Apostolici muneris partes in procuranda præcipue rerum sacrarum pura illibataque penitus administratione versari debere intelligentes, non modo et assiduis hortationibus, et justa, ubi res postulat, legum severitate, ut ab ecclesiasticis quibusque ministris sancta sancte tractentur, quantum eum Domino possumus, providere studemus ; verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire, ac roborare pro eorumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non prætermittimus.

§ 1. « Sane cum Nos alias quamdam nostram constitutionem, cujus initium est, *Sacramentum Pœnitentiæ*, anno Incarnationis Dominicæ 1741, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri anno primo editam, omnibus et singulis sacerdotibus tam sæcularibus quam regularibus interdixerimus et prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo et deficiente tunc quocunque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso excipere, auderet, ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla atque irrita omnino esset tanquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione et facultate ad valide absolvendum necessaria ipsi per Nos vigore ejusdem constitutionis adempta privatus exsisteret, et alias prout in memorata constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi voluimus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictæ constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minime existimamus, ne lex incertis conjecturis et opinionibus jactata in sensus a mente Nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat atque enervetur.

§ 2. « Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum eum Domino possumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratam constitutionem Nostram omnibus et singulis in ea contentis tenore præsentium, qualenus opus sit, confirmamus, illamque integre penitus, et omnino, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari præcipimus et mandamus. Præterea habita super his cum venerabili Fratre nostro Vincentio episcopo Prænestino Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali Petra nuncupato, pœnitentiario Nostro majori, ac dilectis filiis officii pœnitentiariæ Apostolicæ ministris, qui rem jussu nostro mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus edicimus ac declaramus, eadem constitutione singulis, ut supra sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocunque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, ita interdici reipsa, et prohiberi prædicto modo tunc audire et absolvere, ut si alius aliquis sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo sacerdos fuerit, sive alias ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse sacerdos simplex confessionem excipere, ac absolutionem impertire.

§ 3. « Porro, si casus urgentis qualitas et concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo personæ confessionem vocari aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo nequeat, tunc alium sacerdotem perinde haberi censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi sacerdos, et serio animadvertat, fore reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam nostram constitutionem inobedientiæ, latisque in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi ultro ipso confingat, ubi non sunt : imo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti locus patest illius confessionis absque ullius infamia vel scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ constitutionis declaramus, et nunc quoque ita ipsi faciendum esse distincte mandamus et præcipimus.

§ 4. « Quod si idem sacerdos aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit : aut ubi infamiæ vel scandali periculum timeatur, si alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo mortis, ut præfertur, constitutæ, sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut præ-

Digitized by Google

mittitur, necessaria causa cogente præsumpserit, quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte pœnitentis dispositiones a Christo Domino ad sacramenti Pœnitentiæ valorem requisitæ non defuerint (non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti quantumvis indigno necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat), nihilominus sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta constitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, et huic Sanctæ Sedi reservatam incurrat, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus atque statuimus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quæ in præfata nostra constitutione voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

§ 5. « Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die octava Februarii 1745, Pontificatus nostri anno quinto.

« D. cardinalis PASSIONEUS. »

(68. DECRETUM

Contra sollicitantes, et sacrificio missæ abutentes ad sortilegia.

Feria 5 die quinta Augustini 1745.

In generali congregationis sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram D. N. D. Benedicto divina Providentia Papa XIV, et eminentissimis ac reverendissimis DD. S. R. E. cardinalibus adversus hæreticam pravitatem inquisitoribus generalibus, a sancta Sede Apostolica specialiter deputatis :

Sanctissimus D. N. sollicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui sacrosancto missæ sacrificio, ac salutaris Pœnitentiæ sacramento, ad animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illarum perniciem et damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum sacerdotes tam sæculares quam regulares cujuscunque ordinis, instituti, congregationis et societatis etiam de necessitate exprimendæ vel in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, aut prætexto, ad turpia sollicitantes, vel sacrificio missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a jure, et Apostolicis constitutionibus, ac signanter S. mem. Sixti V et Gregorii XV, contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati sacrificii celebrationem, quodque ejusmodi decretum significetur singulis cujuscunque ordinis superioribus ac præpositis, ad hoc ut de illo, sicuti et de prædictis, aliisque summorum Pontificum constitutionibus, juxta præscriptum in generali decreto supremæ Inquisitionis, die 15 Decemb. 1733, semel saltem in anno, id est feria VI, post Octavam Assumptionis beatæ Mariæ Virginis in publica mensa, vel in capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper quocunque generali, vel provinciali capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congressu suos subditos ac religiosos commonendos curent, ejusdemque commonitionis coram suprema congregatione juratum testimonium exhibeant.

(69. Aliqua alia supremæ Inquisit. decreta quod attinet. P. Laurent. Cozza in dubiis selectis circa sollicitationem refert; sunt porro hujusmodi, pag. 19 : « Paulum V, sub die 29 Novembris 1612 declarasse, quod etiam ex vi constitutionis Pii IV, comprehederentur sollicitantes masculos : et ita rescripsisse cardinalem Mellinum an. 1613 sub die 28 Februarii ad Petrum Castillo inquisitorem generalem Lusitaniæ. » Pag. 62 in eadem congregatione : « improbatam fuisse opinionem, quæ ab onere denuntiandi pœnitentem eximit, *si cum confessario convenerit in simulatione confessionis, ut liberius de rebus inhonestis tractarent.* » Pag. 32: « die 21 Febr. 1661, improbatam fuisse opinionem illorum, qui contendebant, non esse denuntiandos sacerdotes, qui propter alterius sollicitationem abjuraverint. » Pagina 164, decisum fuisse 17 Novembris 1624, « confessarios sollicitantes non esse cogendos ad denuntiandos seipsos. »

(70. Hæ insuper sunt propositiones ab Alexand. VII 24 Septembris 1665, damnatæ: « 1. Confessarius qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus; 2. Modus evadendæ obligationis denuntiandæ sollicitationis est si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

(71. « Quæritur, an sit denuntiandus confessarius consentiens mulieri sollicitanti in confessione? Affirmant Salmant., et aiunt, contrariam sententiam non esse probabilem post Bullam Gregorii XV, ubi expresse sunt denuntiandi non solum confessarii sollicitantes, sed etiam inhonestos tractatus habentes; et idem sentiunt Mazzot... Concina,. Potestas,.. item Salmant... cum Dian., Leand., Sousa, etc. — Negant vero Bonac., Palaus.., Escob.., cum Acunna, Hurtad., Sousa et Sanctarell., item Prado, Bordon., Homob. et Trull. apud Salmantic... Ac Roncaglia.. ad hanc sententiam inclinare videtur, dicens cum Bordon., Sanctarell., etc., quod rationi a Salmant., allatæ responderi possit, verba Bullæ intelligenda esse de tractatibus turpibus, quorum confessarius sit auctor. Atque Diana... hanc probabilem, ac tutam dicit. At mihi pro dicta sententia alia ratio occurrit, quæ habetur apud Bonacin. et quæ potior videtur.

« Ratio est, quia ex Bulla eadem Gregor.

Digitized by Google

mandatur confessariis, ut moneant de obligatione denuntiationis, non jam quoscunque pœnitentes, qui cum confessariis inhonestos tractatus habuerint, sed illos, *quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos;* quare infertur, quod pœnitens licite, si vellet, posset confessarium in dicto casu denuntiare, juxta primam probabilem sententiam, sed videtur probabilius, ad hoc pœnitens non obligari; quia, ut ipse obligationem subeat denuntiandi confessarium, requiritur, ut fuerit ab illo sollicitatus. Etsi igitur confessarius non eximitur a crimine ob inhonestum tractatum in confessionario, eximitur tamen pœnitens ab obligatione denuntiationis, dum non reperitur sollicitatus. Et recte censetur, noluisse Pontificem obligare pœnitentes ad denuntiandum confessarios, quos ipsi tentaverint, ob magnam difficultatem, quæ deterreret pœnitentes ad denuntiandum in isto casu, quo peccatum ab ipsis causam habuerit; tum quia, si denuntiarent, valde periclitaretur eorum fama; tum quia lex nimis ardua tunc eis redderetur.

« Quidam Neotericus scripsit præfatam opinionem fuisse proscriptam a Benedicto XIV, per Bullam *Sacramentum*.. Sed perperam id asseruit; nam Pontifex ibi tantum dixit denuntiationem esse faciendam, etiamsi *inter confessarium et pœnitentem mutua fuerit*. Longe autem differt sollicitatio mutua, ab ea, quæ fit a muliere, et cui confessarius consentit, cum DD. valde distinguant primum casum ab altero... ubi dicunt sollicitationem mutuam tum evenire, cum confessarius sollicitatus a pœnitente ad unam turpitudinis speciem, ad aliam, mulierem sollicitat, aut etiam cum confessarius a pœnitente sollicitatus prius dissentit, et sermonem divertit, et deinde post aliquod intervallum ipsam sollicitat; atque in his casibus mutuæ quidem sollicitationis auctores aliqui, ut Castrop., Peyrin. et Acunna sentierunt, non adesse obligationem denuntiandi; et hæc est opinio, quæ a Pontifice damnata fuit, et quidem juste: in hujusmodi enim casibus jam verificatur, quod pœnitens vere manet sollicitata, et vere confessarius sollicitat; at in nostro casu cum confessarius simpliciter sollicitatus consentit, minime verificatur, nec dici potest quod mulier sit sollicitata. Quando autem cooperatio confessarii dicenda sit simplex consensio, aut etiam mutua sollicitatio, id pendet a circumstantiis sermonis et tractatus, qui inter confessarium et pœnitentem intercedunt. » Ita in terminis D. Alphonsus de Ligorio, *Theolog. moral.*, De sacram. Pœnitent., nu. 681. Eademque habet in opere homo Apost., *De pœnit.*, cap. 8, nu. 173.

(72. Amplius ex sententia Jac. Pignatelli : « Non proceditur in S. Officio contra confessarium, qui extra locum et occasionem confessionis dicit mulieri sibi confiteri volenti, ut adeat domum suam, et adeuntem carnaliter cognoscit. Hujusmodi enim casus non est comprehensus in constitut. contra sollicitantes (61). »

(73. « Confessarius, qui post requisitam mulierem, an velit confiteri, et negative respondentem, sollicitat ad turpia, deposita prius stola, et extra confessionarium, non punitur in S. Officio. » *Consult. canonic.*, t. I, consultat. 104, n. 14.

(74. « Quæres, an crimen sollicitationis ad actus inhonestos in sacramentali confessione sufficienter probetur per testes singulares?

« Tenendum est, non probari sufficienter per testes singulares, nisi etiam concurrerint adminicula, indicia et præsumptiones. Ita sancivit Gregorius XV, die 30 Augusti 1622, constitutione sua, cujus initium *Universi Dominici gregis*, in hæc verba : « Dan« tesetiam facultatem. S. R. C. cardinalibus « et generalibus inquisitoribus, ne delictum « tam enorme, Ecclesiæ Dei tam perniciosum « remaneat ob defectum probationum impu« nitum, cum difficilis sit probationis, te« stibus etiam singularibus, concurrentibus « *præsumptionibus, indiciis, et aliis admini*« *culis*, delictum probatum esse, arbitrio « suo judicandi. »

(75. Ex quibus advertit Del Bene, *De offic. S. Inquisit.*, p. II, dub. 235, sect. 14, petit. 1, a. 2(62) : « Primo, quod hoc arbitrium non conceditur omnibus, sed solum S. R. E. cardinalibus S. Officii inquisitionis et generalibus inquisitoribus, ac propterea cæteri inferiores processum compilantes non habeant hujus-

(61) Alludit ad constitutionem Greg. XV, incip. *Universi Dominici*, etc., allatam a Lucio nostro sub v. CONFESSARIUS, art. 7.

(62) Hæc porro apud Del Bene : « Circa quam dispositionem Pontificiam (* de qua hic *supra* *) adverte, quod hoc arbitrium (* attenta dispositione Gregorianæ constitutionis *) non conceditur omnibus, sed solum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus congregationis S. Officii, et generalibus inquisitoribus, ut propterea cæteri inferiores processum compilantes non habeant hujusmodi arbitrium.

« Adverte 2 quod non potest formari prædictum arbitrium et judicium, nisi testes singulares sint talis qualitatis, et adminicula, indicia et præsumptiones sint talis conditionis, ut conjunctim habeant tantam vim, quod moveant et urgeant judicem ad judicandum, delictum esse commissum, sicque reddant delictum moraliter evidens; quia arbitrium et judicium debet esse regulatum secundum rationem.

« Adverte 3 quod testes singulares, quotquot sint, non sufficiunt, nisi concurrant adminicula, indicia et præsumptiones; quia Pontifex concedit facultatem judicandi, delictum esse probatum per testes singulares, concurrentibus indiciis, adminiculis et aliis præsumptionibus, cum quibus vult conjungi testes singulares. Necessarium igitur erit, quod conjunctim concurrant adminicula, judicia et aliæ præsumptiones.

« Adverte 4 quod licet Pontifex concedat, cum qualitas delicti, utpote difficilis probationis, sic exigat, uti probationibus minus legitimis; non tamen vult, quod eæ sint imperfectæ in suo genere.

« Quapropter circa qualitatem testium pro hoc delicto sollicitationis probando, non sunt admittendæ meretrices, nec aliæ femellæ viles, et fide non dignæ, sed tantum honestæ, quibus par est, ut habeatur fides. » Sic citat Del Bene, *De offic. S. Inquisit.*, part. II, dub. 237. sect. 14, petitio 1, n. 1 et seqq.

Digitized by Google

modi arbitrium. Deinde quod non po'est formari prædictum arbitrium ac judicium, nisi testes singulares sint talis qualitatis, et adminicula, indicia et præsumptiones sint talis conditionis, ut conjunctim habeant tantam vim, quod moveant et urgeant judicem ad judicandum, delictum esse vere commissum, sicque reddant delictum moraliter evidens. Quia arbitrium et judicium debet esse regulatum secundum rationem, et prout de jure. Bartol., in Extravag., *Ad reprimendum*, num. 8; Paris., cons. 8, num. 21, lib. IV; Duran., decis. 5, num. 3; Merlin., decis. 400, num. 5; Ludovis., decis. 165, num. 1; Rot., decis. 285, num. 1, p. 1, rec., et alii passim. Ut scilicet testes singulares cum adminiculis, indiciis ac præsumptionibus æquipolleant plene probationi testium contestium, quæ de jure requiritur ad reum condemnandum. Prostremo, quod licet Pontifex concedat, quod qualitas delicti, utpote difficilis probationis, sic exigat uti probationibus minus legitimis, non tamen vult, quod eæ sint imperfectæ in suo genere. » Ita Pignatell., *Consult. canonic.*, tom. I, consultat. 104, n. 1 et seqq.

(76. Liceat etiam ex eodem auctore, quæ sequuntur, exscribere : « Confessarii non debent interrogare mulieres pœnitentes, an fuerint unquam in confessione sacramentali ad inhonesta sollicitatæ. » *Loc. cit.*, n. 10.

(77. « Ordinarii approbando confessores, tenentur injungere observationem constitut. (Gregor.) *Contra sollicitantes*, ne alias incidant in illius pœnas, eamque facere illi legi ac intimari, ita ut, nedum sciant pœnas in ea contra sollicitantes contentas, sed etiam puniendos fore, si pœnitentes sollicitatas non hortabuntur juxta d. constitutionem ad denuntiandum sollicitantes; eorumque arbitrio remittitur id etiam facere cum jam approbatis. » *Ibid.*, n. 11. Quod etiam in Benedicti XIV constitut. superius allata, fuit disertis verbis inculcatum.

(78. « Mulier sollicitata, si non consenserit, tenetur denuntiare confessarium. Si vero consenserit, tenetur denuntiare sollicitationem, ac verba, et actus turpes confessarii, et tacere suum consensum, quam non tenetur propalare, neque respondere etiam ad interrogata ab episcopo vel inquisitore. Quod si dubitat consensum posse a confessario propalari, monenda est confessarium de hoc non posse interrogari, sique id ex se fateatur, non esse scribendum. » *Loc. cit.*, n. 12.

Idem clarius habetur ex litteris S. congreg. S. Officii ad archiepiscopum Neapolitanum datis, et vicario Salernitano atque archiepiscopo Mediolanensi apud Dian., p. IV, tract. 5, res. 31, et apud episcopum Lyciensem, in 2, *Syn. diœc.*, tenoris sequentis:

« Archiepiscopo Neapolitano. Doppo essersi avuto lunga, e matura considerazione sopra il dubio significato da più bande, se i penitenti siano obbligati a denunciare i confessori, dai quali sono stati sollecitati nel luogo, o nell'atto della confessione, quando

hanno consentito alla sollecitazione, nostro signore, e questi miei signori illustrissimi nella congregatione tenuta avanti Sua Santità ai 25 di Luglio passato, doppo d'aver anche sentito il parere d' una particolar congregatione deputata per questo effetto, hanno risoluto, che qual si voglia penitente è tenuto a denunciare il confessore, ancorchè gli abbia consentito, e non è tenuto a propalare il proprio consenso, nè sopracciò s' interroghi dal vescovo, e dall' inquisitore, o dai loro vicarii, avanti dei quali deporrà; nè meno il confessore denunciato, procedendosi poi contro di lui nei constituti, che gli si faranno, s'interroghi sopra detto consenso, e in caso ch' egli volesse dirlo da se, non si scriva il suo detto, come in ordine alla persona sollecitata non spettante a l' officio della S. Inquisizione. Le parti adunque di V. S. illustrissima sono di significare la detta risolutione ai confessori, e incaricargliene strettamente l' osservanza, acciocchè nei casi, che occorrono alla giornata, conforme al tenore della constitutione pubblicata di Gregorio XV, di s. m. contro i confessori sollecitanti, significhino a' penitenti l' obbligo, che hanno di denunciare i confessori, da' quali saranno stati sollecitati, e havendoli consentito, e facendo difficoltà in iscoprire il proprio consenso, conforme alla risoluzione che si è fatta, dicano loro apertamente, che non sono tenuti a propalare il detto consenso, e che tanto essi penitenti, quanto i confessori sollecitanti, procedendosi contro di essi, non saranno di ciò interrogati, e dicendo da se, non si scriverà, nè riceverà il loro detto. E quando il penitente tuttavia persistesse nella medesima renitenza, nostro signore si contenta, che dal vescovo, o dall' inquisitore si dia autorità al confessore di ricever per scrittura, e con giuramento la denuncia per portarla subito a chi avrà data l' autorità di pigliarla. E se oltre le cose suddette occorrerà altro caso grave, per lo quale non si possa il penitente indurre a denunciare, vuole Sua Santità, che se ne scriva qui, e s' aspetti la risposta, e intanto si soprasseda nell' assolutione, e tanto si contenterà V. S. illustrissima di far osservare nella sua diocesi, facendo registrare la presente negli atti di cotesta Corte per informatione sua, e dei suoi successori, i quali dovranno aver mira, che la presente risolutione riguarda solo quei penitenti, che per avere acconsentito, fanno difficoltà di denunciare; ma quei, che non hanno acconsentito, o avendo acconsentito non sono in ciò renitenti, non dee il confessore porre difficoltà alcuna, ma lasciare che indifferentemente, e liberamente sodisfacciano all' obbligo, che hanno di denunciare, conforme alla detta constitutione, compiacendosi anche V. S. illustrissima di mandar copie della presente a' vescovi suoi suffraganei, acciocchè da essi ancora sia fatta osservare la sudetta risolutione. E per fine a V. S. illustrissima umilissimamente bacio le mani.

Digitized by Google

« Di Roma li 27 di Setembre 1624, il cardin. Millino. » *Ibid.*, n. 14.

(79. Lubet quoque et hæc ex eodem scriptore referre :

(80. « Al molto R. sign. il sign. vicario generale di Salerno. — Acciocchè più fondatamente si proceda contro i sollecitanti in confessione, questa suprema congregatione ordina, che per lo detto d' una sola donna non venga a costituire il preteso reo, senza prima darne qui avviso con relatione delle qualità della donna, del denunciante, e del denunciato, ed allora si scriverà a V. S. se debba, o no procedere a costituirlo, e carcerarlo. Sarà anche V. S. contenta di significare questo medesimo ordine ai vescovi suoi comprovinciali, acciocchè ancora da essi sia eseguito. Il signor Iddio le conceda ogni bene.

« Di Roma a' 17 di Luglio del 1624. Il cardinal Millino. » *Ibid.*

(81. « Instructio porro pro muliere denuntiare recusante, quæque est typis Romanis edita in dicta par. II *Synodi diœcesanæ* Lyciensis sub anno 1669, est tenoris sequentis :

« Si fà un memoriale dalla denunciante, nel quale narra di aver da esporre cose pertinenti al tribunal del S. Officio, che perciò priega sua signoria illustrissima commettere a persona religiosa, che con ogni segretezza vada a ricevere detta denuncia nel tal luogo, a fine di liberare da ogni scrupolo la conscientia di essa supplicante, sottoscrivendo a' piedi del memoriale il nome, e'l cognome di essa esponente, potendo mandarsi detto memoriale del confessore al prelato, il quale udendo dire, che gli si va a proporre negotio spettante alla santa inquisitione, dee riceverlo con grandissimo segreto, assumendo almeno due persone gravi, religiose, e zelanti, una delle quali se ne servirà per scrivere gli atti, che occorrono, come sarebbe.

« Die 10 mense Maii anni 1686, in Palatio Episcopali N. in aula interiori ejusdem solitæ habitationis illust. ac rever. D. Episcopi N. coram eodem D. illust. ac rever., assistente R. D. canonico cathedralis N. et in præsentia mei D. N. sacerdotis Ecclesiæ N. actuarii assumpti ad hunc actum, comparet R. P. F. N. N. professus sacerdos theologus ordinis N. exponens videlicet : « Vengo avanti a V. S. illustrissima a portarle questo memoriale contenente negotio del S. Officio consegnatomi da N. N. la quale con occasione, che io sono andato a confessare alla chiesa N. mi è stato dato da lei, a fine che io con ogni segreto lo presenti a V. S. illustrissima, acciochè deputi una persona, che riceva la denuncia di questa supplicante, la quale mi ha detto, che se venisse di persona, darebbe da sospettare altri negotii a' suoi parenti, il che le potrebbe cagionar gran danno.

« Ovvero se la supplicante non saprà scrivere, potrà inviare detto religioso a dire a bocca tutto ciò, che chi sa scrivere direbbe per memoriale, e si procederà nel

modo come di sopra dal prelato, *mutatis, mutandis.*

« L' attuario noterà ogni cosa per extensum.

« Tunc illustrissimus dominus ex prædictis commisit eidem P. Fr. N. N. professo religionis, etc., ut accedat ad locum N. ad finem ac cipiendi denuntiationem faciendam a N. N. juxta instructionem tribunalis S. Officii, quam præcepit sibi dari a me Notario assumpto, exacto prius juramento, tam a prædicto R. P. N. N. tangente, prout tetigit sacra evangelia, et pro veritate omnium supradictorum, et pro bene ac fideliter recipienda denuntiatione sibi danda, ac sub silentio omnia retinendi, quam a vobis assistentibus, et a me de non præsentia propalando, nec in totum, nec in partem, prout juravimus tactis prædictis evangeliis, imponendo dicto Patri, et vobis de toto præsenti negotio silentium sub pœna excommunicationis latæ sententiæ statim incurrendæ in casu contraventionis eidem illustr. respectu assistentis, et mei ipsius, et sanctissimi dom. Papæ respectu prædicti R. P. et fuit dimissus præsens tutus cum mandato, ut omnes subscribamus.

« Ego Pater Fr. N. N. professus S. T. P. ord. N. prædicta omnia exposui.

« Ego N. N. canonicus Ecclesiæ N. assistens deputatus interfui.

« Ita est.

« N. N. sacerdos Ecclesiæ N. actuarius assumptus ad hunc actum ab illustrissimo D. N. episcopo N.

« Il Delegato del vescovo anderà con carta, e calamaio, se non potrà accompagnarsi col notaio predetto, o assistente, almeno esso solo nel luogo, tempo, e giorno più opportuno per osservanza del segreto, e venendo la denunciante, ha da scrivere nel presente modo.

« Die... mense... anni, etc., in tali loco s' accerta, che sia fuori del confessionario, e non potendosi, si noti il luogo, ubi solent sacramentales confessiones excipi, sed hæc omnia extra sacramentum Pœnitentiæ, comparet coram me N. N. professus talis religionis, qui de mandato illustriss. et reverendiss. D. episcopi N. accessit ad finem, etc., talis de tali ætatis suæ annorum... ut dixit, et ex aspectu apparet sæcularis, vel monialis, professa vel bizocca, vidua q. N. N. vel uxorata, etc., e ponendo il nome del padre, della madre, luogo dove habita, professione, che esercita, confini della parochia, paese, o tempo, che ne manca, statura, pelo, segnali, e altre circostanze, che ponno descrivere la persona, quando non fusse ben nota alla Corte Vescovile, sponte, non citata, neque vocata, quæ medio ejus juramento sibi per me dato, tactis sanctis Evangeliis mei Breviarii, prout tetigit de veritate dicenda, prius monita de gravitate ejusdem fuit interrogata ad quid venerit, quæ respondit :

« Sono venuta, come dissi, a V. reverenza la settimana passata, che mi voleva io sgravare la coscienza, già che mi havete detto, che sono obbligata di denunciare il confes-

Digitized by Google

sore, che mi ha parlato di cose brutte, quando io mi confessava, desidero sapere, se avete parlato a monsignor illustrissimo, e che vi ha detto.

« Cui a me fuit dictum habere in commissis recipiendi formaliter suam denuntiationem, ac proinde pro exoneratione suæ conscientiæ explicite fuit interrogata, ut dicat quidquid sibi occurrerit circa prædicta a se superius nominata. Respondit, e si pongano le sue proprie parole volgari che, dice, ben vero siano chiare, et esplicative il confessore sollecitante per nome, cognome, religione, e dignità, giorno, mese, anno, volte, che sollecitò, segni, contrasegni, abitatione, luogo, dove abita, o abitava il sollecitante, parole dette, expresse, segni, seu atti fatti, e tutte le circostanze, che conducono alla replicata chiarezza del sollecitante, o della sollecitatione.

« Avvertendo, che se la persona non si sapesse esplicare, il deputato con gl' interrogatorii, che anderà facendo, farà esplicare le cose predette necessariamente.

« Gl' interrogatorii, benchè si diano in volgare, si scrivano in Latino. Verbi gratiæ.

« Interrogata, quænam verba specialia, vel quosnam actus inhonestos fecerit prædictus N. confessarius ipsi testi exponenti, ei dicat explicite, et clare omnia.

« Respondit, mi disse, etc.

« Se la sollecitatione è di qualche tempo passato, e che dice.

« Interrogata, quare prius non exoneravit suam conscientiam denuntiando prædictum.

« Respondit, etc.

« Interrogata de contestibus.

« Respondit: Questo fatto è passato da solo à solo frà me, e'l detto N. N. mentre io mi confessava nel confessionario, come ho detto di sopra, e perciò non v'è persona, che lo possa deporre.

« Interrogata, an exerceat aliquam inimicitiam, vel aliquam exercuerit cum d. N. N. confessario, vel cum suis consanguineis, aut amicis, vel econtra.

« Respondit, etc.

« Interrogata, cujus famæ sit prædictus N. N. confessarius, et an audierit aliquando ab aliis similia prædictum N. N. patrasse.

« Respondit, etc.

« Si avverta, che le riposte (non mi ricordo) non s'ammettano, ma si domanda doppo quelle, et fuit dictum a me, ut bene recordetur, etc.

« Se parlasse con ira, e con passion grande, che dasse sospetto d'inimicitia, dal notaro, o dal deputato si noti, videlicet locuta est nimis iracunde, etc., vel animose, aut temere.

« Interrogata, an viderit ipsa comparens prædictum N. N. confessarium fecisse aliqua opera spiritualia, videlicet orare, eleemosynas elargiri, missas auscultare, et similia.

« Respondit, etc.

« Quibus habitis, ego ipse mandavi, ut se subscribat, imponendo silentium, ut nullatenus alicui dicat, se revelasse et denuntiasse, prædicta in totum, vel in partem contra prædictum N. N. confessarium sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, reservatæ ipsi D. illustrissimo episcopo; e se sarà necessario S. D. Papæ. Et fuit dimissum examen, præstito denuo juramento tactis, etc., prout tetigit de silentio observando super prædictis.

« Io N. N. ho deposte come sopra.

« Overo † Et quia scribere nescit, fecit signum crucis cum calamo a me dato.

« Ita est, ego N. N. professus ordinis N. de mandato illustr., etc., accessi et interrogavi.

« Le scritture sopra questa materia non si confidino a'ministri, ma o si consegnino al tribunale supremo, ovvero si sugellino, scrivendovi sopra, *Scritture, che appartengono al tribunale del S. Officio*, quali nissuno può aprire, lacerare, bruciare, o occupare sotto le pene imposte nella Bolla del B. Pio V, che comincia, *Si de protegendis*, cautelandosi, a fine che in vita detti negotii passino come quelli del sugello sacramentale, e prevedere in caso di morte non vadino in potere dei commissarii degli spogli, ministri della Sede vacante, o Cortegiani di prelati defonti, i quali per o più, non avendo molto coscienza, o publicano i negotii, o li consegnano in mano delle parti per mercede. E questo basti per una brieve, e facile instruzione.

(82. « Per maggior chiarezza si pone una formola di denuncia, cioè le parole della donna sollecitata.

« Per disgravio della mia coscienza denuncio al tribunale del S. Officio, e per esso a V. S. o a V. R. che viene in nome di monsignor illustriss. come averà da un mese, che essendo andata a confessarmi nella chiesa N. N. nella festività N. 20. del mese di Settembre, m' inginocchiai nel confessionario di mano destra dell'altare sotto il pulpito di detta chiesa, dove stava ascoltando le confessioni D. N. N. Prete secolare, o regolare, e mentre stava io in detto confessionario confessando sagramentalmente i miei peccati, mi disse parole disoneste, e sensuali, e che averebbe voluto, et o fece il tal'atto, e dette queste parole (e si narra distintamente il fatto). Del che ne rimasi scandalizzata. E questo è quanto occorre.

« Interrogata, etc., ut melius explicet illa verba (se pure fossero state dette ambigue, o dubie) e seguita come sopra.

« Ricevuta la scritta rivelatione, il prelato avverta di conservarla con ogni segreto. Se il caso sarà grave, ovvero fossero più rivelazioni contro uno stesso confessore, potrà detto vescovo farne copia, avvertendo di dare il giuramento, quando assume persona grave per far detta copia, e inchiuder gli atti in una sua, che potrà scrivere alla congr. del S. Officio di Roma, a fine che gli ordini, come si hà da portare in tal caso, e chiegga l'instruzione per non errare, avvertendo di più di non far alcuno motivo contro il denunciato, acciocchè non penetri esser reo

Digitized by Google

nel tribunale, nè communichi tal segreto al suo superiore, o ad altro, che sia nel mondo, perchè sarebbe error grave in materia di S. Officio. » Ita apud Pignatellum, *loc. cit.*

(83. Qui in partes schismaticorum, hæreticorum et mahumetanorum degunt, licet subjecti sint constitutionibus contra sollicitantes, tamen in iis locorum circumstantiis, in quibus nulla spes adsit punitionis denuntiati, atque mulieres sine periculo et infamia denuntiare nequeant, denuntiatos vero facile pœnam declinare posse credatur, recurrendo, vel ad episcopos schismaticos, vel ad laicos judices infideles, ex decreto sacræ congr. S. Offic., die 21 Febr. 1630, attentis supradictis causis, absolvendi sunt et liberandi ab hujusmodi onere denuntiandi; moneri tamen debent, « ut cessantibus supranarratis periculis, et impedimentis, teneantur denuntiare. »

(84. Pœnas contra sollicitantes quod attinet, in constitutionibus Gregorii XV, et Bened. XV, nec non in decreto SS. Inquisitionis, *de quo supra* contentas eæ ex consensu DD. non incurruntur, nisi post sententiam, cum privent jure acquisito.

SOLUTIO.

SUMMARIUM.

1. Solutio proprie sumpta quid sit? — 2. Ad solutionem tenetur quicumque est debitor, seu obligatus. — 3. Debitor, qui solvendo amplius non est, si sit laicus, debet cedere bonis, ac permittere, ut bona ejus subhastentur, ut ex eis creditores, servato juris ordine, percipiant quantum cuique eorum debetur, quandiu aliquid adest. — 4. Quis juris ordo servandus sit pro solvendis ipsis creditoribus, cum non sufficiunt debitoris bona ad cuncta solvenda debita? *remissive.* — 5. Quomodo per cessionem bonorum liberetur debitor ab onere solutionis faciendæ, et quæ de ipso in facti contingentia concludenda occurrant? *remissive.* — 6. Si debitor, qui solvendo non est, sit clericus, non tenetur cedere bonis, nec excommunicari, incarcerari aut aliter molestari potest. — 7. Qui rerum suarum liberam administrationem non habent, non possunt sine auctoritate tutoris, aut respective curatoris valide solvere. — 8. Procurator tam specialis quam universalis potest valide solvere pro debitore, cujus est procurator. — 9. Imo etiam quivis alius pro debitore, etiam invito et ignorante, solvere ac satisfacere, eumque a debito liberare potest. — 10. Est tamen advertendum quod solvens pro alio sciente et volente habet contra illum actionem mandati; solvens autem pro alio ignorante habet contra illum actionem negotiorum gestorum; solvens tamen pro alio expresse nolente et contradicente nullam habet actionem, vel jus ad recipiendum ab eo, quod pro ipso solvit. — 11. Successor in beneficio ecclesiastico tenetur solvere debita facta ab antecessore pro vera utilitate seu necessitate ecclesiæ vel beneficii. — 12. Imo successor in beneficio tenetur solvere debita contracta ab antecessore pro sua necessaria, honesta ac decenti sustentatione. — 13. Ut successor in beneficio teneatur solvere debita antecessoris, debet prius creditor probare, quod pro vera utilitate seu necessitate Ecclesiæ, aut saltem pro necessaria prælati sustentatione fuerint contracta. — 14. Sufficit tamen, quod creditor probet tunc temporis verum casum utilitatis, vel necessitatis Ecclesiæ, quamvis non probet in eam pecunias, vel aliam rem creditam fuisse conversam. — 15. Nullatenus vero tenetur successor in beneficio solvere debita ab antecessore contracta alio titulo. — 16. Solutio primum fieri debet ipsi creditori etiam invito; et si creditor accipere nolit solutionem, poterit debitor pecuniam debitam magistratui consignare, sicque se, et a debito principali, et ab usuris liberare. — 17. Nequit vero fieri solutio creditori, qui liberam rerum suarum administrationem non habet. — 18. Potest tamen fieri solutio tutori aut curatori ejusdem. — 19. Item recte fit solutio creditoris procuratori, tam generaliter quam specialiter ad solutionem accipiendam deputato. — 20. Si debitore penitus ignorante, seu nesciente, procurator a creditore tali officio privetur, vel ei, ne solutionem accipiat, specialiter mandetur, adhuc debitor recte ei solvit, et liberatur a sua obligatione: secus autem si id sciat. — 21. Item recte fit solutio servis ac filiisfamilias, si ad accipiendam solutionem specialiter vel generaliter sint deputati. — 22. Item recte fit solutio creditori creditoris, nisi ab ipso creditore expressa ad id habeatur contradictio. — 23. In qua specie et quo valore monetæ facienda sit solutio? *remissive.* — 24. Debitore exsistente in culpabili mora solvendi, si interim contingat monetarum mutatio, ipse solus damnum sentire debet. — 25. Quando in conventione speciali certum tempus ad solvendum præfixum est, debet exacte a debitore observari; et hoc etiamsi creditor non urgeat solutionem. — 26. Unde si ex culpabili mora solvendi præfixo et determinato tempore creditor aliquod damnum patiatur, est ei resarciendum a debitore culpabiliter moroso. — 27. Si certum tempus determinatum sit in favorem debitoris, prout ordinarie fieri solet, potest debitor ante finitum tempus conventum solvere, et creditor tenetur solutionem acceptare. — 28. Si autem tempus determinatum sit in gratiam creditoris, debitor ante elapsum illud tempus solvere non potest: nec creditor solutionem accipere tenetur. — 29. Si vero nullum tempus pro solutione sit determinatum, potest debitor eam differre, donec creditor eam petat. — 30. Limitatur tamen primo conclusio in casu, quo solutio sit debita ex delicto. — 31. Et si creditor ex tali culpabili mora aliquod damnum patiatur, est ei a tali debitore resarciendum. — 32. Limitatur secundo, in casu, quo creditor ex timore etiam reverentiali debitum petere non audet aut illud ignorat. — 33. Alia ad rem de tempore solutionis seu restitutionis faciendæ? *remissive.* — 34. Solutio seu restitutio in quo loco, et cujus expensis vel periculis fieri debeat? *remissive.* — 35. Quilibet debitor regulariter loquendo tenetur simul, et semel totum solvere debitum; nec tenetur creditor solutiones per partes accipere. — 36. Limitatur tamen conclusio primo in casu, quo specialiter conventum sit inter debitorem et creditorem, quod solutio fiat per partes. — 37. Limitatur secundo, in casu, quo debitum per partes contractum sit. — 38. Limitatur tertio, in casu, quo debitor ex diversis causis seu contractibus debita contraxerit. — 39. Unde cum quis ex pluribus causis est debitor, et aliquam solutionem facit, in ejus potestate est exprimere, quod potius debitum velit solutum: si vero nihil exprimat, est in potestate creditoris, pro quo voluerit debito talem solutionem accipere. — 40. Cum hoc tamen, quod si nihil exprimat, censeatur semper solutum debitum magis onerosum. — 41. Quando debitor una cum capitali simul usuras debet per partialem solutionem factam, censentur solutæ usuræ, quamvis debitor capitale se solvere exprimat. — 42. Debitum tollitur etiam sine solutione per acceptilationem. — 43. Acceptilatio quid sit? — 44. Unde ut acceptilatio valeat, debet sic fieri, ut appareat, cujus debiti ex pluribus remissio petatur. — 45. Si autem pluribus debitis ex pluribus

Digitized by Google

stipulationibus factis gravatus non pro uno vel altero determinato debito, sed pro omni indefinite roget, tunc per acceptilationem omnia debita, quamvis ex pluribus stipulationibus provenientia, censentur sublata seu remissa. — 46. Debitum tollitur et solutio fieri censetur etiam per justam compensationem. — 47. Quandonam justa et licita compensatio fieri possit, et quænam conditiones ad ipsam requirantur? *remissive*. — 48. Qui per errorem solvit, quod non jure naturali, nec civili debebat, solutum condicere seu repetere potest. — 49. Qui per errorem solvit indebitum jure naturæ, debitum vero jure civili, solutum pariter condicere, seu repetere potest sive per errorem facti, sive juris solverit. — 50. Qui indebitum jure civili, et debitum jure naturali solvit per errorem seu ignorantiam facti: modo ignorantia non sit crassa vel supina, potest solutum repetere seu condicere. — 51. Si autem id solvat per errorem seu ignorantiam juris, repetere seu condicere non potest. — 52. Qui sciens, se non debere, et nihilominus solvit, non potest solutum condicere seu repetere. — 53. Et procedit conclusio, etiamsi talis dederit hac mente, quod velit iterum repetere. — 54. Secus autem esset, si animo dubio, incerto aut titubante solvisset. — 55. Asserens se indebitum solvisse, et condictionem intentans, probare debet, quod fuerit indebitum.—56. Secus autem esset, si adversarius negaret se a condicente solutionem accepisse. — 57. Pro faciliori captu supradictorum datur hic definitio *condictionis*. — 58. Datur definitio *indebiti*. — 59. Subnect. *Addit. ex al. man.* ad num. 74.

(1. Solutio proprie sumpta, est idonea ac sufficiens debiti præstatio seu satisfactio. tempore et loco convenienti legitime facta. Sic in re communis.

(2. Ad solutionem tenetur quicunque est debitor seu obligatus; debitum enim, seu obligatio non tollitur, nisi solutione et satisfactione. Institut. *Quibus modis tollitur obligatio*, in principio, ibi : « Tollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur.»

(3. Debitor, qui solvendo amplius non est, si sit laicus, debet cedere bonis, ac permittere, ut bona ejus subhastentur, ut ex eis creditores, servato juris ordine, percipiant quantum cuique eorum debetur, quandiu aliquid adest. L. *Qui bonis cesserint* 1, cod. *Qui bonis cedere possunt*, cum similibus.

(4. Qui autem juris ordo servandus sit pro solvendis ipsis creditoribus, cum non sufficiunt debitoris bona ad cuncta solvenda debita? *Vide* verb. RESTITUTIO, art. 4, a num. 29 ad 73.

(5. Quomodo vero per cessionem bonorum liberetur debitor ab onere solutionis faciendæ, et quæ de ipso in facti contingentia concludenda occurrant? *Vide* verb. RESTITUTIO, art. 5, a numer. 49 ad 59.

(6. Si debitor, qui solvendo non est, sit clericus, non tenetur cedere bonis, nec excommunicari, incarcerari, aut aliter molestari potest, si vere inops sit, et ad inopiam sine sua culpa devenerit, et juratam cautionem præstet de solvendo, cum ad pinguiorem fortunam venerit. *Communis*, per textum in cap. *Odoardus* 3, De solutionibus, juncto ejus summario, sic expresse habente : « Si clericus non habeat unde satisfaciat suis creditoribus, non debet excommunicari, nec aliter molestari, præstabit tamen cautionem saltem juratoriam, de solvendo, cum venerit ad pinguiorem fortunam.» Assignantur tamen quoad hoc a doctoribus variæ limitationes videndæ apud Barbosam, in d. c. *Odoardus*. a n. 6, et alios canonistas, *ibi*. Vide *Addit. Casin.* in fin. h. Rubricæ.

(7. Qui rerum suarum liberam administrationem non habent, uti sunt pupilli habentes tutorem, minores, furiosi et prodigi habentes curatorem, sine auctoritate tutorum, et respective curatorum valide solvere non possunt. *Communis*, textu expresso in l. *Quod si* 14, § 8, ff. *De solutionibus*, et § *Nunc admonendi* 2 in fine, Institut. *Quibus alienare licet, vel non.** Sed si pupillus dederit nummos, non fient accipientis, vindicarique poterunt, ut in cit. l. 14, § fin. Hæc tamen regula suam habet limitationem ex ead. lege, *ibid.* Nam si is, cui fuit soluta pecunia, eam bona fide consumpsit, convalescet solutio, nec amplius poterit vindicari. *Plane si fuerint consumpti, liberabitur.* Sed nec omnes, qui liberam rerum suarum administrationem non habent, prohibentur solvere creditoribus. Reus criminis inquisitus prohibetur in fraudem fisci alienare, nihilominus recte solvit, nec enim in fraudem alienat, qui solvit, quod debet. L. 42, ff. *De solut.* Filius pariter familias, qui peculii castrensis administrationem habet, solvere non prohibetur, argumento leg. 84, ff. eod. Multo magis convalescit solutio facta a filiofamilias, si eam ratam habeat pater, vel tacite, vel expresse, argumento pariter leg. 66, *De fidejus.* Quæ leges, quamvis de servis loquantur, nunc tamen recte accommodantur filiisfamilias*.

(8. Procurator, tam specialis quam universalis, potest valide solvere pro debitore, cujus est procurator. *Communis*, textu expresso in l. *Procurator* 58, et l. *Sed et id* 59, ff. *De procuratoribus*, l. *Quodlibet* 87, ff. *De solutionibus*.

(9. Imo etiam quivis alius pro debitore etiam invito ac ignorante solvere, ac satisfacere, eumque a debito liberare potest. *Communis*, text. express. in leg. *Solutionem* 23, et leg. *Solvere* 53, ff. *De solutionibus*, ibi : « Solvere pro ignorante, et invito cuique licet, *addita* ibidem *ratione* : cum sit jure civili constitutum, licere etiam ignorantis, invitique meliorem conditionem facere. » Et concordat lex *Solvendo* 39, ff. *De negotiis gestis*, ubi redditur eadem ratio.

(10. Est tamen hic advertendum, quod solvens pro alio sciente et volente, habet contra illum actionem mandati. Arg. l. *Si remunerandi* 6, § 2, ff. *Mandati*. Solvens autem pro alio ignorante habet contra illum actionem negotiorum gestorum ad repetendum ab ipso, quod pro eo solvit, nisi debitoris interfuerit eam pecuniam non solvi, text. expresso in l. *Cum pecuniam* 43, ff. *De negotiis gestis*. Solvens tamen pro alio expresse nolente et contradicente, nullam habet actionem, vel jus ad repetendum ab eo, quod pro ipso solvit. Arg. l. *Si rem* 40, ff.

Digitized by Google

De negotiis gestis, et cit. l. *Si remunerandi* 6, § 2, ff. *Mandati*.

* Verum observandum est, eum, qui pro alio solvit, nomine debitoris solvere debere, alioquin, nec se, nec debitorem liberat; non se, quia alienam pecuniam solvit; non debitorem, quia ipsius nomine non solvit, sed debitor se tueri tantummodo potest exceptione doli mali, ne, si aliter observaretur, creditor in lucro versaretur. L. 7 et l. 25, ff. *De solut.*

Potest etiam creditor sibimet efficaciter solvere, ut mulier possit satis fieri de dote, si habeat administrationem bonorum mariti. L. 48, ff. eod. Item possessor pignorum, si pignus vendat, et quantum ei debebatur, accipiat, liberabitur debitor. L. 26, ff. eod. *Vide* etiam l. 8, § fin., ff. *Quib. mod. pign. solv.*

(11. Successor in beneficio ecclesiastico, ut in episcopatu, prælatura, et quocunque beneficio etiam simplici, tenetur solvere debita facta ab antecessore pro vera utilitate vel necessitate Ecclesiæ seu beneficii. *Communis*, text. expres. in c. *Ad hoc* 1, De solutionibus, ibi : « Sicuti filius debita patris solvere tenetur, ita prælatus, sui prædecessoris pro Ecclesiæ utilitate contracta : » juncto ejus summario sic expresse habente : « Successor in beneficio tenetur solvere debita prædecessoris pro necessitate Ecclesiæ contracta. »

(12. Item successor in beneficio tenetur solvere debita contracta a suo antecessore pro sua necessaria, honesta ac decenti sustentatione. Sic Abbas, in d. cap. *Ad hoc*, n. 2; Barbosa, *ib.*, n. 3; Fagnan., *ib.*, n. 10, citans ad id Rotæ decisionem, Flaminius Paris., *De resignation.*, lib. 1, q. 16, num. 15; Engel. lib. III *Decretal.*, tit. 23, nu. 18; Reiffenst., *ib.*, nu. 16, et alii; et ratio est, quia etiam hæc debita propter unionem, quam habet rector cum Ecclesia, censentur contracta pro necessitate Ecclesiæ, eo quod Ecclesia teneatur suum rectorem alimentare. C. *Cum secundum* 16, De præbendis, ibi : « Cum secundum Apostolum qui altari servit, vivere debeat de altari, et qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa pro nobis ratio persuadet. »

(13. Ut successor autem in beneficio teneatur solvere debita antecessoris, debet prius creditor probare, quod pro vera utilitate seu necessitate Ecclesiæ, aut saltem pro necessaria prælati sustentatione fuerint contracta. *Communis*, per text. in c. *Ea etiam*, § 1, caus. 10, quæst. 2, ibi : « Is creditor hic intelligatur, qui quod credidit, probat in utilitatem divinæ domus processisse. » Et concordat c. *Quod quibusdam* 4, De fidejussoribus, ibi : « Nisi forte in utilitatem, domus ipsius manifeste constiterit redundasse. »

(14. Sufficit tamen quod creditor probet tunc temporis adfuisse verum casum utilitatis vel necessitatis Ecclesiæ, quamvis non probet, in eam pecunias, vel aliam rem creditam fuisse conversam; sic Glossa communiter recepta in cit. c. *Ea etiam* 21 ad fin., caus. 10, q. 2, verb. *Probat.*; Abbas, in cit. cap. *Ad hoc* 1, De solutio., n. 7; abbas, in cit. c. *Quod quibusdam* 4, De fidejussorib., n. 7; Reiffenst., *loco cit.* n. 19, et ipso teste communis aliorum, arg. l. *Utilitatem* 1, § 9, et l. *Lucius* 7, ff. *De exercitoria actione.*

(15. Nullatenus vero tenetur successor in beneficio solvere debita ab antecessore contracta, non pro utilitate aut necessitate Ecclesiæ, nec pro necessaria sui sustentatione, sed alio titulo. *Communissima* per claros textus in cap. *Si quorumdam* 1, De solutionibus, cap. *Quod quibusdam* 4, De fidejussorib., c. *Gravis* 1, De depósito, cap. *Ea etiam* 2, caus. 10, q. 2. Et ratio est, quia clerici debita contrahentis incuria, culpa vel prodigalitas, non debet nocere Ecclesiæ, textu expresso in cap. *Delictum* 76, De regul. juris in 6, ibi : « Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. » Peccata enim suos debent tenere auctores, l. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*, cap. *Quæsivit* 2, De his, quæ fiunt a majori parte capituli.

(16. Solutio primum fieri debet, ac potest, ipsi creditori, etiam invito, si ipse creditor liberam rerum suarum habeat administrationem, et ipsa solutio fiat debito loco et tempore; et si creditor solutionem accipere nolit, poterit debitor pecuniam debitam magistratui consignare, sicque se et a debito principali, et ab usuris liberare. *Communis*, text. exp. in l. *Oblatione* 9, cod. *De solutionibus*, ibi : « Oblatione totius debitæ pecuniæ solemniter facta, liberationem contingere, manifestum est. Sed ita demum oblatio debiti liberationem parit, si eo loco, quo debetur, solutio fuerit celebrata, » cum similibus.

(17. Nequit vero fieri solutio creditori, qui liberam rerum suarum administrationem non habet; unde si quis debitum solvat pupillo sine auctoritate tutoris vel minori, prodigo, amenti sine auctoritate curatoris, et pecunia soluta perdatur, seu male consumetur, denuo pro solutione debiti conveniri potest. *Communis*, per text. in § *Nunc admonendi* 2, institut. *Quibus alienare licet vel non*, l. *Pupillo*, ff. 15, De solutionibus.

(18. Potest tamen fieri solutio tutori aut curatori ejusmodi creditoris non habentis liberam rerum suarum administrationem. *Communis*, textu exp. in l. *Quod si* 14, § 7, l. *Solutam* 49, ff. *De solutionibus*, et cit. § *Nunc admonendi* 2, instit. *Quibus alienare licet, vel non*, cum similibus.

(19. Item recte fit solutio creditoris procuratori tam generaliter, quam specialiter ad solutionem accipiendam deputato. *Communis*, textu expresso in l. *Vero* 12 in principio, ff. *De solution.*, et l. *Qui hominem* 34, § 3, ff. eodem.

(20. Si debitore penitus ignorante seu nesciente, procurator a creditore tali officio privetur, vel ei, ne solutionem accipiat,

Digitized by Google

specialiter mandetur, adhuc ipse debitor recte ei solvit et liberatur a sua obligatione; secus autem, si id sciat. *Communis*, per claros textus in l. *Vero* 12, § 2, ff. *De solutionib.*, et cit. l. *Qui hominem* 34, § 3, et l. *Dispensatori* 5, ff. eodem.

(21. Item recte fit solutio servis ac filiisfamilias, si ad accipiendam solutionem specialiter sint deputati, vel liberam et universalem habeant administrationem. *Communis*, per claros textus in l. *Vero* 12, l. *Si quis* 18, l. *Qui hominem* 34, l. *Solutam pecuniam* 49, ff. *De solutionibus*, cum similibus.

(22. Item recte fit solutio creditori creditoris, nisi ab ipso creditore expressa ad id habeatur contradictio. Arg. leg. *Si liber* 36, ff. *De negotiis gestis*, l. *Solutum* 11, § 5, ff. *De pignoratitia actione;* unde casu, quo creditor a tali debitore adhuc solutionem prætenderet, posset dictus debitor se liberare exceptione doli mali, dicendo: Sine tua contradictione jam solvi tuo creditori. L. *Si opera* 6, ff. *De doli mali et metus exceptione*, et ibi Baldus, Perez, *De solutionibus*, n. 6; Silvester, verb. *Solutio*, q. 14; Reiffenst., *loco cit.*, n. 26, et alii.

(23. In qua specie et quo valore monetæ facienda sit solutio? *Vide* verb. MONETA, a n. 13 ad 25.

(24. Debitore exsistente in culpabili mora solvendi, si interim contingat monetarum mutatio, ipse solus damnum sentire debet. *Communis:* mora enim cuique sua, non alteri nocere debet. C. *Mora sua* 25, De reg. jur. in 6, ibi: « Mora sua cuilibet est nociva. »

(25. Quando in conventione speciali certum tempus ad solvendum præfixum est, debet exacte a debitore observari. *Communis*, per textum in l. *Solidum* 85, ff. *De solutionibus*, ibi: « Solidum solvitur, non minus quantitate, quam die. » Et hoc etiamsi creditor non urgeat solutionem, quia dies statuta interpellat pro eo, textu expresso in c. *Potuit* 4, De locato et conducto, ibi: « Non obstante, quod ei, ut canonem solveret, non exstitit nuntiatum, cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellet; » et concordat l. *Magnam* 12, cod. *De contrahenda stipulatione*, et l. *In emphiteuticariis* 2, cod. *De jure emphiteutico.* (26. Unde si ex culpabili mora solvendi præfixo et determinato tempore creditor aliquod damnum patiatur, est ei resarciendum a debitore culpabiliter moroso, quia tunc est causa, quod patiatur illud grave interesse lucri cessantis et damni emergentis; cum qui causam damni dat, damnum dedisse videatur. C. *Si culpa* 9, De injuriis et damno dato, l. *Qui occidit* 30, § 3, ff. *Ad legem Aquiliam;* adeoque, etc.

(27. Si certum tempus determinatum sit in favorem debitoris, prout ordinarie fieri solet, l. *Cum tempus* 17, ff. *De regul. juris*, potest debitor ante finitum tempus conventum solvere, et creditor tenetur solutionem acceptare, textu expresso in l. *Quod certa* 70, ff. *De solutionib.*, ibi: « Quod certa die promissum est vel statim dari potest, totum enim medium tempus ad solvendum promissori liberum relinquitur; » et concordat l. *Qui res* 98, § 4, ff. eodem, cum similibus; et ratio clara est, quia omnes libere possunt his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare, textu expresso in l. *Si quis in conscribendo* 29, cod. *De pactis*, ibi: « Cum alia sit regula juris antiqui, omnes licentiam habere, his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare, » et cap. *Si de terra* 6, De privilegiis, ibi: « Cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare. »

(28. Si autem tempus determinatum sit in gratiam creditoris, prout fit, quando pro summa capitali mutuo accepta dari debet usura; debitor ante elapsum illud tempus solvere non potest, nec creditor solutionem accipere tenetur; et sic in aliis similibus casibus. *Communis*, per textum in l. *Javolenus* 15, ff. *De annuis legatis.*

(29. Si vero nullum tempus pro solutione sit determinatum, potest debitor eam differre, donec creditor eam petat. *Communis*, arg. l. *Debitores præsentes* 10, cod. *De pignor.*, l. *In fideicommissi* 3, ff. *De usuris*, quando enim creditor non petit solutionem, tunc debitor prudenter præsumere potest creditorem quoad talem dilationem solutionis non esse invitum.

(30. Limitatur tamen prima conclusio in casu, quo solutio sit debita ex delicto, v. g. furto, tunc enim solutio seu restitutio facienda est statim moraliter, quam primum absque notabili incommodo fieri potest; etiamsi non petatur a creditore, quia tunc talis debitor ex delicto, etiam sine petitione creditoris, est in culpabili mora solvendi seu restituendi. *Communis*, textu expresso in l. *In re furtiva* 8, § 1, ff. *De condictione furtiva*, ibi: « Semper enim moram fur facere videtur. » (31. Et si creditor ex tali culpabili mora aliquod damnum patiatur, resarciri debet a culpabiliter moroso debitore. *Communis*, per dicta et jura adducta *supra* n. 26. *Vide* verb. RESTITUTIO, art. 3, n. 87.

(32. Limitatur secundo conclusio in casu, quo creditor ex timore etiam reverentiali debitum petere non audet, aut illud ignorat, tunc enim debitor censetur esse in culpabili mora ex tempore, quo arbitrio prudentis viri solvere potest ac debet; et ita ad præsens intelligi debet id, quod expresse dicitur in l. *In omnibus* 14, ff. *De regul. juris*, ibi: « In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur. » Sic Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 48; Silvester, verb. MORA, q. 1, et alii passim.

(33. Alia ad rem de tempore solutionis seu restitutionis faciendæ. *Vide* verb. RESTITUTIO, art. 3, a num. 83 ad 103.

(34. Solutio seu restitutio in quo loco, et cujus expensis et periculis fieri debeat? *Vide* verb. RESTITUTIO, art. 4, a n. 1 ad 27.

(35. Quilibet debitor, regulariter loquendo, tenetur simul, et semel totum solvere debitum, nec tenetur creditor solutiones per

Digitized by Google

partes accipere. *Communis*, per text. in l. *Tutor* 41, et Lucius, ff. *De usuris*, l. *Plane* 3, ff. *Familiæ erciscundæ*, ubi etiam redditur ratio ibi : « Quia sæpe et solutio, et exactio partium non minima incommoda habet. »

(36. Limitatur tamen conclusio primo in casu, quo specialiter conventum sit inter debitorem et creditorem, quod solutio fiat per partes. *Communis*, per textum in l. *Arbitraria* 2, § 4, ff. *De eo, quod certo loco dari oportet ;* et ratio est quia, ut expresse dicitur in cap. *Contractus* 85, De reg. jur. in 6 : « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur, » et justa pacta servanda sunt, l. *Antigonus* 1, De pactis, ibi : « Inita pacta suam obtineant firmitatem, » cap. *Qualiter* 3, eod., ibi : « Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur ; » l. *Si quis in conscribendo* 29, cod. *De pactis*, ibi : « Pacta conventa, quæ neque contra leges, neque dolo malo inita sunt, omnimodo observanda sunt. »

(37. Limitatur secundo, in casu, quo debitum per partes contractum sit, quia obligatio eo modo tolli potest, quo contracta est. *Communis*, per textum in l. *Nihil tam naturale* 35, ff. *De regul. juris*, ibi : « Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est. »

(38. Limitatur tertio, in casu, quo debitor ex diversis causis seu contractibus debita contraxerit, nempe unum debitum ex causa seu contractu locationis, aliud ex contractu seu causa emptionis, aliudve ex causa seu contractu mutui, et sic de aliis; tunc enim debitor potest, quod vult ex illis debitis solum solvere, et non tenetur omnia dicta debita simul solvere. *Communis*, textu expresso in l. *In potestate* 1, cod. *De solutionibus*, ibi : « In potestate ejus est, qui ex pluribus contractibus pecuniam debet tempore solutionis exprimere in quam causam reddat ; » et concordat l. *Quoties* 1, ff. *De solutionibus*, ibi : « Quoties quis debitor ex pluribus causis unum debitum solvit, est in arbitrio solventis dicere, quod potius debitum voluerit solutum, et quod dixerit, id erit solutum. »

(39. Unde cum quis ex pluribus causis est debitor, et aliquam solutionem facit, in ejus potestate est exprimere, quod potius debitum velit solutum : si vero nihil exprimat, est in potestate creditoris, pro quo voluerit debito talem solutionem accipere; textu expresso in c. l. *Quoties* 1, ff. et cit. l. *In potestate* 1, cod. *De solutionibus*. (40. Cum hoc tamen, quod si nihil exprimat, censetur semper solutum debitum magis onerosum. Sic aperte additur in c. l. *Quoties* 1, ff. *De solutionibus :* « Dummodo (creditor) in id constituat solutum, in quod ipse, si deberet, esset soluturus, quoque debito se exoneratus esset, si deberet... Æquissimum enim visum est creditorem ita agere rem debitoris, ut suam ageret ; » et concordat l. *In his* 5, et l. *Cum ex pluribus* 97, ff. eod.

(41. Quando debitor una cum capitali simul usuras debat per partialem solutionem factam, censentur solutæ usuræ, quamvis debitor capitale se solvere exprimat, textu expresso in l. *In his vero* 5, § 3, ff. *De solutionibus*, ibi : « Apud Marcellum lib. XX *Digestorum*, quæritur, si quis ita caverit debitori in sortem et usuras se accipere, utrum pro rata, et sorti, et usuris decedat ; an vero prius in usuras, et si quid superest in sorte ? Sed ego non dubito, quin hæc cautio in sortem, et in usuras, prius usuras admittat, tunc deinde, si quid superfuerit, in sortem cedat. »

(42. Debitum tollitur etiam sine solutione per acceptilationem. *Communis ;* textu expresso in § *Item* 1, instit. *Quibus modis tollitur obligatio*, ibi : « Item per acceptilationem tollitur obligatio, » et l. *Pluribus* 6, ff. *Acceptilatione*, ibi : « Id solum per acceptilationem sublatum est. »

(43. Acceptilatio autem est imaginaria solutio seu habitio rei pro recepta per interrogationem debitoris et responsionem creditoris facta. « Quod enim Titio debetur, si id Titius velit remittere, poterit sic fieri, ut patiatur hæc verba debitorem dicere : Quod ego tibi promisi, habes ne acceptum ? Et Titius respondeat : Habeo. » Sic expresse habetur in citat. § *Item* 1, instit. *Quibus modis tollitur obligatio*, et concordat cit. l. *Pluribus* 6, ff. *De acceptilatione*, ibi : « Pluribus stipulationibus factis, si promissor ita accepto rogasset : Quod ego tibi promisi, habesne acceptum ? Siquidem apparet, quid actum est, id solum per acceptilationem sublatum est ; si non apparet, omnes stipulationes solutæ sunt. » *Vide* verb. JURAMENTUM, art. 1, n. 20.

(44. Unde ut acceptilatio valeat, debet sic fieri, ut appareat cujus debiti ex pluribus remissio petatur. Unde in cit. l. *Pluribus* subjungitur : « Si ego aliud accepto tuli, aliud tu rogasti, nihil valere acceptilationem. » (45. Si autem pluribus debitis ex pluribus stipulationibus factis gravatus, non pro uno vel altero determinato debito, sed pro omni indefinite roget, tunc per acceptilationem omnia debita, quamvis ex pluribus stipulationibus provenientia, censentur sublata seu remissa. Citat. l. *Pluribus*, ibi : « Si quidem apparet, quid actum est, id solum per acceptilationem sublatum est, si non apparet, omnes stipulationes solutæ sunt. »

(46. Debitum tollitur, et solutio fieri censetur etiam per justam compensationem. *Communis* per textum in l. *Dedisse* 76, ff. *De verbor. significat.*, ibi : « Dedisse intelligendus est etiam is, qui compensavit, » et l. *Si debitor* 4 : « Qui potiores in pignore, » ubi dicitur : « Nihil interesse, solveritne aliquis, an compensaverit ? »

(47. Quandonam autem licita et justa compensatio fieri possit, et quænam conditiones ad ipsam requirantur ? *Vide* verb. COMPENSATIO per tot.

(48. Qui per errorem solvit quod nec jure naturali, nec civili debebat, solutum condicere seu repetere potest. *Communis*

Digitized by Google

per text. in l. *Nunc videndum* 1, et l. *Si quis* 2, ff. *De condictione indebiti*, l. *Pecuniæ indebitæ* 1, l. *Cum et soluta* 3, cod. eod. cum similibus; et ratio clara est, quia jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem, textu expresso in l. *Nam hoc* 14, ff. *De condictione indebiti*, ibi : « Nam hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiorem, » leg. *Jure naturæ* 206, ff. *De regul. juris*, ibi : « Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiorem: » cap. *Locupletari* 17, De regul. juris in 6, ibi: « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. »

(49. Qui per errorem solvit indebitum jure naturæ debitum vero jure civili, solutum pariter condicere seu repetere potest sive per errorem facti, sive juris solverit. Glossa, in cap. *Is qui* 4, De solutionibus, verb. *Indebitum;* Abbas, *ib.*, num. 14; Pirrhing, lib. III *Decretal.*, tit. 23, num. 2; Reiffenstuel, *ib.*, num. 70, et alii arg. l. *Si non sortem* 26, § 3, ff. *De condictione indebiti*. Et ratio est quia, quando agitur de damno vitando et non lucro captando, ut in hoc casu, non solum non nocet error seu ignorantia facti, sed nec error, aut ignorantia juris, textu expresso in l. *Error* 8, ff. De juris et facti ignorantia, ibi : « Cæterum omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet. »

(50 Qui indebitum jure civili, et debitum jure naturali solvit per errorem seu ignorantiam facti, modo ignorantia non sit crassa vel supina, potest solutum repetere seu condicere. Gloss. 2, in cit. cap. *Is qui* 4, De solutionibus, verb. *Indebitum;* Abbas, *ib.*, num. 12; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 33; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 71, et alii, arg. leg. *Nec supina* 6, et l. *Error* 8, ff. *De juris et facti ignorantia*. (51. Si autem id solvat per errorem seu ignorantiam juris, repetere seu condicere non potest, quia talis ignorantia non excusat. Glossa, *loc. cit.;* Abbas, *loc. cit.*, num. 12; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 33, et alii per text. in l. *Ignorantia* 1, l. *In omni parte* 11, leg. *Plurimum* 3, l. *Juris ignorantiam* 4, l. *Error* 8, leg. *Regula* 9, ff. *De juris et facti ignorantia*, et leg. *Cum quis* 10, cod. eod., ubi expresse, ac repetitis vicibus habetur, quod juris ignorantia non prosit. Imo in cit. leg. *Regula* 9, ff. *De juris et facti ignorantia* pro regula traditur expresse ut sequitur : « Regula est, juris quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere: » et in citat. l. *Cum quis* 10, cod. eod., sic præcise statuitur: « Cum quis jus ignorans indebitam pecuniam solverit, cessat repetitio. Per ignorantiam enim facti tantum repetitionem indebiti soluti competere tibi notum est. »

(52. Quis sciens, se non debere, et nihilominus solvit, non potest solutum condicere seu repetere. *Communis*, textu expresso in l. *Nunc videndum* 1, § 1, ff. *De condictione indebiti*, ibi : « Si sciens se non debere, solvit, cessat repetitio. » cum similibus; et ratio est quia talis præsumitur donare, nam ut expresse dicitur in l. *Cujus* 53, ff. *De reg. jur.:* « Cujus per errorem dati repetitio est ejus consulto dati donatio est. » (53. Et procedit conclusio, etiamsi talis dederit hac mente, quod velit iterum repetere, textu expresso in l. *Quod quis* 50, ff. *De condictione indebiti;* ibi : « Quod quis sciens indebitum dedit hac mente, ut postea repeteret, repetere non potest. » Secus autem esset, si animo dubio, incerto ac titubante solvisset, textu expresso in l. *Pro dubietate* 11, cod. *De condictione indebiti*, ibi : « Quod nos decidentes sancimus, omnibus, qui incerto animo indebitam dederint pecuniam, vel aliam quamdam speciem persolverint, repetitionem non denegari. » (54. Et ratio est, quia, ut expresse statuitur in l. *Non debet* 41, § 1, ff. *De regul. juris:* « In re obscura melius est favere repetitioni, quam adventitio lucro. »

(55. Asserens se indebitum solvisse, et condictionem intentans, probare debet, quod fuerit indebitum. *Communis*, textu expresso in cap. *Is qui* 4, De solutionibus, ibi : « Is, qui conqueritur, indebitam pecuniam se solvisse, probare tenetur, quod indebite sit soluta, » l. *Cum indebito* 25, ff. *De probationib.* Præsumptio enim stat contra ipsum, quia, ut expresse dicitur in cit. l. *Cum indebito*, « qui... solvit, nunquam ita resupinus est, ut facile suas pecunias jactet, et indebitas effundat. »

(56. Secus autem esset, si adversarius negaret se a condicente solutionem accepisse. Tunc enim si de solutione accepta convincatur, ipse probare debet id, quod solutum accepit, sibi revera debitum fuisse. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Is qui* 4, De solutionibus, ibi : « Nisi adversarius solutionem inficians exinde convincatur, tunc enim diffitenti onus incumbit probandi, quod debitum recepisset. » Et cit. l. *Cum de indebito* 25, De probationibus.

(57. Ad facilius capienda hactenus dicta observandum est, quod conditio indebiti est actio personalis, quam quis habet contra eum, cui indebitum, hoc est aliquod, quod ei non debet, per errorem solvit. Sic in re communis, arg. l. *Nunc videndum* 1, Quod indebitum 7, l. *Indebiti solutio* 15, ff. *De condictione indebiti*, leg. *Pecuniæ indebitæ* 1, l. *Cum et soluta* 3, l. *Si per ignorantiam* 6, l. *Fideicommissum* 7, cod. eod., cum similibus.

(58. Indebitum autem est quasi contractus re initus, quo is, qui rem indebitam per errorem solutam accepit, ad eamdem reddendam obligatur. Sic expresse Pirrhing, *loc. cit.*, num. 30, et alii per textum in l. *Si quis*, § 4, ff. *De obligationibus et actionibus*, et § *Item* 15, inst. *De obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De præsumpta solutione, de qua frequenter in foro disseritur, paucis hic agendum.

(59. Solutionem præsumptionibus probari posse non ambigitur. At quænam præsum-

Digitized by Google

ptiones efficaces sint, videndum. (60. De exsistentia chirographi penes debitorem dubitatur, an ea præsumptionem inducat solutionis. In primis autem constare debet, an chirographum a debitore in medium productum, sit illud ipsum, quod antea in manibus crediteris fuit, idque quia accidere potest, ut debitor sciens, creditorem amisisse chirographum, aliud confecerit. (61. Constito de identitate chirographi, alia deinde inspectio occurrit, num voluntate creditoris debitor chirographum consecutus sit, an eo inscio et invito? (62. Hic autem ita distinguunt doctores. Si debitor suspectus sit, vel creditoris domesticus, aut alias familiariter cum eo conversetur, creditorem admittunt, ut juramento asserat chirographum se inscio ad debitorem pervenisse. (63. Econtrario autem si debitor vir sit probatæ vitæ et integritatis, ut suspicio subreptionis locum sibi vindicare nequeat, ejus juramento creditur, si testetur creditorem sibi chirographum reddidisse. Anton. Fab., in *Cod.* lib. XVIII, tit. 3, defin. 24; Carpzov., *Jurisprud. forens.*, part. II, constit. 29, defin. 12; adde Freyer, *De solut.*, c. 11, memb. 1, num. 20 et seq.

(64. Quid juris de chirographo cancellato? Si chirographum cancellatum reperiatur apud debitorem, nec domesticum creditoris, nec alia de causa suspectum, ipse debitor vel ad juramentum admittitur, creditorem cancellasse, vel creditor onus probandi contrarium in se suscipere tenetur. Carpzov. et Freyer, *locis mox allegatis*. (65. Quod si chirographum apud creditorem cancellatum reperiatur, solutio præsumitur, nisi ipse creditor manifestis probationibus contrarium ostendat. Brunemann, ad l. 24 fer. per tot., *De solut.* (66. Dubitatio major est, si chirographum cancellatum penes tertium reperiatur. Sunt qui existimant debitorem eo ipso non esse liberatum, cum chirographum illi tertio, saltem custodiæ causa traditum fuerit, et sic præsumptio cancellationis a creditore factæ cesset; *vide* Freyer, *ubi supra* num. 23, et ab eo allegatos. (67. Quod tamen ita intelligendum reor, nisi aliæ probationes concurrant. (68. Denique si chirographum confecit illudque in protocollo notarii cancellatum reperiatur, solutionis præsumptio exinde non aliter oritur, quam si cancellationem consensu creditoris factam esse probetur, confer Menoch., *De præsumpt.*, lib. III, præsumpt. 141, a. 19.

(69. Succedit privata debitoris adnotatio. Pro regula autem tenendum est quod, etsi debitor in libro quodam, in quo consignare soleat res quotidie gestas, aut rationes rerum suarum, scripserit, se alteri solvisse, hoc ipsi neutiquam proficiat, cum alias hac ratione quilibet debitor se a vinculo obligationis facile liberare posset. (70. Interim tamen regula hæc exceptionem patitur, ut ex adnotatione debitoris præsumptio factæ solutionis resultet, si simul aliæ circumstantiæ eidem adminiculentur. (71. De his autem circumstantiis, *vide* Mevium, part. IV, decis. 121 per tot.

(72. Sunt et aliæ præsumptiones factæ solutionis. Huc pertinet, quando creditor distulit multos per annos petere creditum, v. g. si non petit vivo debitore, sed defuncto eo, hæredes convenit, et tamen creditor est persona cauta, et diligens alias in exigendo, aut est pauper, aut non admodum dives. (73. Idem dicendum, si creditor a debitore mutuum petiit, tum si creditor administravit bona debitoris, atque ita sibi solvere potuit, rationes tamen non reddidit; tum si quis per tres apochas probet, se tribus annis proximis usuras solvisse; (74. tunc enim nisi creditor recipiens usuras ultimas protestando sibi consuluerit, easdem usuras ratione præteriti temporis etiam solvisse censetur. Fachin., lib. XIII, controv. 89; Finckelth., observ. 115; Mev., part. IV, decis. 345 et 355, utrobique fer. per tot. Sed consule præ cæteris Freyer, *De solut.*, cap. 12, memb. 6 per tot., qui de his omnibus fusius agit.

ADDITIONES CASINENSES.

(75. Quamvis utique clerico adsit obligatio solvendi, quippe justitia ipsa dictante *jus suum* unicuique tribuere, attamen si ob inopiam solvendo non sit, non tenetur ob debita bonis cedere, neque potest excommunicari, incarcerari aut aliter molestari, c. *Odoardus* 3, De solution. Neque tenetur creditori cedere bona omnia, quæ de præsenti habet; sed potest de bonis, quæ possidet, deducere, sibique reservare, quæ pro honesta sustentatione necessaria quidem sunt. Glossa, ad cit. cap. *Odoardus*, vers. *Ad pinguiorem;* Menochius, Abbas, Engel, Covarruv. apud Reiffenstuel, ex *De solut.*, n. 7, cum communi.

(76. Jam vero ut hujusmodi privilegio clericus perfruatur, requiritur:

I. Quod omnino ob inopiam solvere nequeat; nam si ad solvendum sit potens, etiam quoad partem, et contumaciter recuset solvere, in carcerem conjici, et in subsidium excommunicari potest. Schalmzgrueber, ad cit. tit. *De solution.*, n. 33.

(77. II. Ut de inopia, ob quam debitor non est solvendo, constet; et hinc illam probare debet saltem summarie et præsumptive ex fama, vel communi hominum æstimatione, aut redditumm suorum tenuitate. Idem, *ibid.*

Audiamus insuper Fagnanum, qui hæc habet: « Requiritur, ut de hujusmodi paupertate constet, ut patet in littera (textus cit. cap. *Odoardus*) ibi: « Quatenus si con« stiterit, quod prædictus Odoardus in to« tum, vel pro parte non possit solvere. » Rota, decis. 998, part. III, divers. ubi propterea decisum fuit quemdam abbatem, qui habebat beneficium valoris quinquaginta scutorum, non esse admittendum ad beneficium h. capitis (*Odoardus*), quia constabat eum non esse pauperem, et ideo Rota assignavit abbati scuta triginta pro victu et scuta viginti assignavit pro creditoribus. » Ad cit. cap. *Odoardus*, De solut., n. 31.

(78. III. Ut ad inopiam et impotentiam

Digitized by Google

solvendi redactus non sit propria sua culpa aut dolo. Schmalzgrueber, *loc. et n. cit.* « Verumtamen (ita pariter docet Fagnanus) si clericus debitor esset in dolo, hoc beneficio non gauderet, (eo) quod dolosus non est admittendus ad beneficium. » Cap. *Odoardus*, *loc. cit.*, n. 44.

(79. IV. Ut clericus conveniatur ratione debiti in causa civili; quia super crimine criminaliter conventus, et ad pœnam pecuniariam condemnatus, si solvendo non sit, non effugit carcerem, « sed quod in ære non habet, luere in cute debet. » Abbas, in cit. cap. *Odoardus*, n. 5; Schmalzgrueber, *ibid.*, n. 34.

(80. V. Ut conveniatur actione personali, nam conventus actione reali non potest uti hoc beneficio, quod personale duntaxat est. Fagn., num. 52; Schmalzgrueber, *ibidem.*

(81. VI. Ut recognoscat, et fateatur debitum; nam si hoc neget pertinaciter, et postea de eo convictus fuerit, privilegium istud allegare non potest. Pirrhing, ad cit. tit. *De solut.*, n. 23; Schmalzgrueber, *l. c.*

(82. VII. Ut præstet cautionem idoneam de solvendo, si ad pinguiorem fortunam pervenerit cit. cap. *Odoardus*; nam inopia et impotentia solvendi non exstinguit, sed tantum suspendit obligationem solvendi in tempus melioris fortunæ. Idem Schmalzgrueber. *Ib.*

(83. Porro « illud in præsentiarum advertere oportet, clericum semel ad beneficium h. cap. (*Odoardus*) admissum, non prohiberi iterum admitti, etiam post rem judicatam, et in exsecutione sententiæ, dummodo tamen beneficium h. cap. non se extendat extra diœcesim petentis. » Barbos., *Collect. DD. in Decret.*, ad c. tit. De solut., c. 3, n. 4.

(84. « Amplia privilegium *hujus textus* extendi ad moniales, cum in eis detur par ratio, quæ in clericis, prout judicatum fuit in senatu Portugalliensi, et in supremo supplicationis regni Lusitaniæ. » Barbos., *l. cit.*, n. 5.

Verum privilegium, de quo hic locum non habet:

(85. I. « Ubi clericus esset debitor alicujus, qui esset pauperior ipso clerico. » Barbosa, *l. c.*, n. 7.

(86. II. « Quando clericus esset perjurus, et suspectus de fuga, et debitum descenderet ex dolo; tunc enim poterit carcerari. » Idem, *ib.*, n. 10.

(87. III. « Limita (etiam) in clerico debitore ratione depositi penes se facti, quia adversus exactionem talis debiti non poterit opponere de privilegio hujus cap. » Barbosa, *ib.*, n. 13.

(88. IV. « Limita (quoque) in clerico, qui suscepit terminum, postquam fuit condemnatus ad solutionem debiti; namque ipse non poterit se lætari de beneficio hujus capitis. » Id., *ib.*, n. 14.

V. « Limita, quando clericus convenitur pro debito dependente ex delicto, vel quasi; nam tunc et capi, et carcerari poterit. » Id., *ib.*, n. 15.

(89. VI. « Limita (pariter) in clerico dolo versato cum creditore, veluti si tempore contractus se finxit non esse clericum, altero contrahente id ignorante, aut abscondit de bonis, ne solveretur debitum creditori, vel pendente judicio super debito principali, bona in extraneos alienet gratia fraudandi creditorem... (Unde) Marc. Ant. Genuensis... resolvit, quod clericus, qui in fraudem creditorum bona consumpsit, non debet gaudere privilegio h. textus, sicut nec occultans illa, aut debita contrahens sub spe gaudendi hujusmodi privilegio. » Prælaud. Barbosa, *l. c.*, n. 17.

(90. VI. « Limita (etiam) in clerico hærede, non confecto inventario, qui non potest uti beneficio hujus cap. » Idem, n. 19.

(91. VII. Pari modo « Limita in clerico administrante bona aliena, ut quia fuisset tutor vel curator, et malam rationem reddidisset de administratis. » Idem, n. 22.

(92. Quæres, quinam clerici gaudeant privilegio h. cap.?

(93. Certum est gaudere hujusmodi privilegio clericos in majoribus constitutos, item minoristas, sed beneficium ecclesiasticum habentes; aut si isto careant, habitum et tonsuram clericalem deferentes, alicui ecclesiæ ex mandato episcopi deserviant, vel in seminario, aut in studio aliquo generali versentur. Schmalzgrueber, *l. cit.*, n. 35.

(94. Dubium est de iis, qui in minoribus constituti, nulli ecclesiæ serviunt, nec in studiis ex episcopi mandato versantur. Non conveniunt DD., quibusdam negantibus, affirmantibus aliis. Fagn., cap. cit. n. 24, 25, distinguit: nam si hujusmodi clerici in minoribus constituti, imo prima solum tonsura initiati, conjugati non sint, et habitum, ac tonsuram deferant, affirmat iis competere dictum privilegium, propter generalitatem cap. *Odoardus*. At si abjectis clericatus indiciis, publice se pro laicis gerant, aut conjugati sint, negat iis patrocinari privilegium allegatum; quia tales, licet characterem ordin. indelebilem habeant, et retineant, in omnibus tamen ut laici reputantur. Schmalzgrueber *ib.*, n. 36.

(95. Quæres item, an clericus possit dicto privilegio renuntiare? « Verius est non posse renuntiare: ita communiter. Ratio est quia privilegium hoc non est privatus singulorum, sed publicus favor totius ordinis seu status clericalis, ne videlicet in opprobrium istius, clerici cogantur mendicare, aut alias sordide vivere; publici autem favoris renuntiatio nulla est, l. *Jus publicum* 38, ff. *De pact.* Proceditque hoc, etsi renuntiationi adjectum sit juramentum; quia juramentum hoc bono publico præjudiciosum est, et consequenter jurantem non ligat. » Schmalzgrueber, *ib.*, n. 39. Vide *Addit. Casinenses*, sub v. IRREGULARITAS, vers. *Inter crimina*, etc.

Digitized by Google

SOMNIUM.

SUMMARIUM.

1. Somnium quid sit. — 2. Assignantur secundum varios varia genera somniorum, ad num. 4. — 5. Secundum tamen posteriores theologos somnia dividuntur in divina, dæmoniaca et naturalia. — 6. Divina somnia quæ sint. — 7. Assignantur varii fines divinorum somniorum ex sacra Scriptura. — 8. Et adducuntur multa alia divina somnia ex historiis sanctorum. — 9. Dæmoniaca somnia quæ sint. — 10. Assignatur inventum dæmoniacorum somniorum. — 11. Naturalia somnia quæ sint. — 12. Somnia naturalia proficiscuntur, vel a causa intrinseca somniantis, vel a causa illi extrinseca: intrinseca nascuntur quædam potissimum ab anima, et dicitur *causa animalis;* et quædam potissimum a corpore, et vocatur *causa corporalis.* — 13. Intrinseca causa animalis quæ sit? et assignantur varia somnia ex ipsa procedentia. — 14. Bonorum hominum somnia meliora sunt quam malorum. — 15. Intrinseca causa corporalis quæ sit? — 16. Extrinseca naturalis causa somniorum quæ sit. — 17. Species imaginabiles in somniis causatæ producunt in somniantibus varios effectus, qui assignantur, et præsertim patent in noctambulantibus seu melius somnambulantibus. — 18. Traditur modus seu regula pro discernendis somniis an sint divina, an dæmoniaca, an naturalia? — 19. Quando constat non esse somnia naturalia, et dubitatur an sint divina vel dæmoniaca, tutius est ea caveri et contemni ut dæmoniaca. — 20. Divinorum somniorum observatio est licita, at interpretatio convenit solum illis quibus a Deo facta est interpretationis revelatio. — 21. Dæmoniacorum somniorum observatio, ut fraudes dæmonis caveantur, est licita, sed ad occultorum vel eventuum futurorum scientiam seu cognitionem habendam, est illicita. — 22. Observatio et interpretatio somniorum naturalium habentium in suis effectibus connexionem seu adæquationem cum suis causis, est licita, sive causa intrinseca animalis, sive intrinseca corporalis. — 23. Quid, si causa naturalis somniorum sit extrinseca? — 24. Peccat graviter, qui ex somniis tam procedentibus ex causis intrinsecis, quam extrinsecis divinat futura contingentia, aut quæcunque dependent ab humanæ voluntatis arbitrio. — 25. Unde est graviter peccaminosa omnis illa divinatio per somnia, qua ex ipsis prædicitur seu creditur aliquid eventurum, quod nullam prorsus habet connexionem cum illis. — 26. Et multo gravius peccant, qui nedum somniis sibi fortuito obvenientibus firmiter credunt, sed et ipsa cum abusu rerum sacrarum ex animo procurant. — 27. Non est tamen culpandus peccati saltem mortalis qui, sine ulla superstitione et sortilegio, sed ex mera curiositate perquirit thesaurum absconditum sibi in somniis manifestatum. — 28. Item non est condemnandus peccati mortalis, qui dubitans, an thesaurus fuerit sibi manifestatus per defunctum apparentem, an per somnium, ipsum perquirit, nulla adhibita fide somniis. — 29. Nec sic est culpandus, qui nulla adhibita fide et habita superstitione, terram fodit ad inveniendum thesaurum ibi sibi a dæmone indicatum. — 30. Similiter non peccat mortaliter observans somnia non omnino eis credens, sed tantum propter alia somnia aliquod de se non malum operatur, ut evitet quædam mala sibi in ipsis minata. — 31. Cavendum tamen semper est, ne firma præstetur similibus somniis fides, imo generaliter loquendo nulla est ipsis fides et observatio præstanda.

(1. Somnium est phantasma in somno factum, id est apparitio phantastica in somno facta; ex Aristotele, lib. *De somno et vigilia;* sive visum, quod in somno apparet. Et ut ex Richelet habet Pontas, verb. *Somnium*, in princip. Somnium est motus vis imaginandi, quæ dormientis in sensibus exprimit formam rei effictæ conformem.

(2. Somnia ex Macrobio, lib. I *De somn. Scipion.*, quem sequitur Salisber, lib. II, dividuntur in quinque genera, scilicet in insomnium, spectrum, somnium, visum et oraculum; sed Artemidorus, lib. I, cap. 2, quinque ad duo revocavit, insomnium nempe et somnium; sub insomnio spectrum, sub somnio comprehendit visum et oraculum, quoniam hæc illud consequuntur. Sic refert Delrius, *Disquis.*, t. II, lib. IV, cap. 3, quæst. 5, vers. *Macrobius.*

(3. Auctor libri *De spiritu et anima* (sive is sit Hugo Victorinus, sive alius) cap. 25, *operis* quinque somniorum genera enarrat, videlicet oraculum, visionem, somnium, insomnium phantasma. « *Oraculum*, inquit, est cum in somnis aliqua sancta gravisque persona, vel etiam Deus eventurum aliquid aperte, vel non eventurum, faciendum, vel evitandum nuntiat. *Visum* est, cum id, quod viderat quis, eodem modo, quo apparuerat, evenit. *Somnium* est quid figuris tectum, quodque sine interpretatione intelligi non potest. *Insomnium* est, cum id quod fatigaverat vigilantem, ingerit se dormienti, ut cibi cura, vel studium. *Phantasma* est, quando quis dormire cœpit, et adhuc se vigilare existimat, aspicereque videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas, aut lætas, aut turbulentas. » Sic habet Beyerlinck, *Theatr. vitæ humanæ*, verb. *Somnium*, fol. 348, litt. *H.*

(4. Sanctus Gregorius, lib. VIII *Moralium*, cap. 13, et l. IV *Dial.*, cap 48, « sex genera somniorum ex totidem causis orta commemorat; aut enim, inquit, ex plenitudine, vel inanitate corporis somnia exsistunt, aut ex antecedentibus diurnis curis, aut ex illusione dæmonis, aut ex cogitatione hominis simul et illusione dæmonis, aut ex revelatione Dei, aut denique ex cogitatione hominis simul et revelatione Dei, sicque rectissime, ut Delrius observat, *loc. cit.*, concl. 2, somnia tribus auctoribus ascribit; Deo, naturæ et dæmoni. »

(5. Unde posteriores theologi ea diviserunt in divina, dæmoniaca et naturalia, quam divisionem, variis aliis relictis, et nos amplectimur.

(6. Somnia igitur divina, seu cœlestia, sunt illa quæ a Deo inspirantur, sive id faciat immediate per se, sive ministerio angelorum, ut plerumque accidit. Unde sanctus Thomas, 2-2, quæst. 95, art. 6, in corpore, sic ait: « Spiritualis autem est quandoque quidem a Deo, qui ministerio angelorum aliqua hominibus revelat in somniis. »

(7. Divinorum seu cœlestium somniorum varii fines reperiuntur in sacra Scriptura. I. Ut quis a malo absterreatur, sicut factum

Digitized by Google

Abimelech, *Gen.* xx, et regi Meraræ et Labano, *Genes.* xxxi. Et id insinuat Job, cap. iv, numer. 13 et 14, ibi : *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt ;* et cap. vii, num. 14, ibi : *Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties.* II. Ut adhortetur ad aliquod bonum, ut Gedeonem *Judic.* vii, et Judam, ejusque exercitum *II Machabæorum* xv. III. Ut moneat vel doceat quid agendum, ut B. Joseph *Matth.* i *et* ii, et tres magos *Matth.* ii. Et hunc finem indicat Job, cap. xxxiii, num, 15 et seq., ibi : *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperuit aures virorum, et erudiens eos instituit disciplina,* etc. IV. Ut spiritum prophetiæ, aut aliud spirituale donum simul largiatur, ut *Joelis* cap. ii, num. 28, ibi : *Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ ; senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt.* Et patet de dono sapientiæ et prudentiæ in somniis dato Salomoni *III Reg.* iii. Et de promissione obventuræ dignitatis Joseph *Genes.* xxxvii, et Mardochæo, *Esther* xi. V. Ut revelet aliquod mysterium, ut *Genes.* xxviii, aut alicujus reipublicæ, vel regni, seu imperii vicissitudinem, ut Israelis *Genes.* xli. Ægypti et Nabuchodonosor *Daniel* ii et iv.

(8. Ad hæc capita reduci possunt multa somnia divina, quorum in historiis sanctorum fit mentio, ut illa Africana apud Victorem Uticen., *De persecut. Vandalic.*, oblata Eusebio episcopo Carthaginensi. Item somnium oblatum monacho Cluniacensi Beatæ Virginis, tempore S. Odonis apud Joann. monachum, l. iii *Vitæ Odonis*, cap. 9. Item aliud Berthæ matri S. Suitberti apud B. Marcellinum cap. 1 *Vitæ S. Suitberti.* Item aliud S. Abramio confessori, Metaphrast., in ejus *Vita.* Item aliud Henrico imperatori, Rupert., in *Vita S. Hereberti*, cap. 7, num. 26. Item aliud S. Hugoni Gratianopolitano apud Guidonem, in ejus *Vita.* Item aliud Theodosio imperatori, aliud Mauricio imperatori, aliud Arnobio rhetori, aliud Bardæ, aliud Eulogio apud Delrium, *Disquis. magicar.*, t. III, c. 3, q. 6, conc. 4, et multa alia apud Fulgosium, l. i *Exemp.*, c. 5, et apud Beyerlinck, *l. c.*, f. 285, § *Somnia divina*, et alia innumera apud alios.

(9. Dæmoniaca somnia sunt illa, quæ mali spiritus studiose dormientibus immittunt, vel ad perturbationes animi ciendas, ut libidinem, iram, odium, desperationem, vel ad occultorum aut futurorum significationem. Sic expresse Delrius *loc. cit.*, post conclusionem 4, vers. *Diabolica somnia*, et colligitur ex S. Gregorio, l. viii *Moral.* in cap. 7, Job cap xiii, epist 9, alias 115. S. Th., 2-2. q. 95, art. 6 in corpore ; Blesensis, epist. 65, et alii passim.

(10. His dæmoniacis somniis totum intentum malignorum et fraudulentorum illorum spirituum est homines ad peccata deducere, eosque præsertim incautos ac ignaros vanis superstitionibus imbuere, si eos aliquorum somniorum eventu ad habendam ipsis fidem reduxerint, sicque eos deceptos ad enormia, nefanda ac sacrilega crimina pertrahere, ut communis doctorum ac quotidiana experientia etiamnum docet.

(11. Naturalia somnia sunt illa, quæ communiter ortum ducunt ab affectione et dispositione animæ et corporis somniantis. Beyerlinck et Pontas, *loc. cit.*, et alii passim. (12. Et hæc somnia naturalia proficiscuntur vel a causa intrinseca somnianti, vel a causa illi extrinseca. Intrinseca nascuntur quædam potissimum ab anima, et tunc dicitur causa animalis, et quædam potissimum a corpore, et vocatur causa corporalis

(13. Intrinseca causa animalis est, quando somnia obveniunt de rebus, quibus cogitatio vigilantis valde fuit intenta, et per diem ipse somnians circa illas multum occupatus fuit, juxta illud *Ecclesiastes* cap. v, num. 2, ibi : *Multas curas sequuntur somnia.* Unde Lucretius, *Poemat.*, apud Beyerlinck, *loc. cit.*, fol. 286, § *Animalia*, sic habet :

> In somnis eadem plerosque videmus obire,
> Causidicos causas agere, et componere leges
> Induperatores pugnare, et prælia obire :
> Nautas contractum cum ventis degere bellum;
> Et quo quisque fere studio defunctus adhæret,
> Aut quibus in rebus multum simus ante morati.

(14. Et ad hæc pertinent somnia de rebus et personis, in quas odio, amore, timore aut spe vehementer afficimur ; hinc liberales, et benefici somniant se aliis largiri, mendici petere, cantores canere, philosophi disputare, avari pecuniam congerere, vindicativi de inimicis ulcisci, et alii alia similia. Unde Aristoteles, i *Ethicor.*, cap. 13, dicit bonorum hominum somnia meliora esse, quam malorum, propterea quod consilia, quæ ad virtutum officia exercenda sollicite agitant, eadem eis in somno occurrunt.

(15. Intrinseca causa corporalis nascitur a præsenti dispositione, ac temperamento corporis, quod vel inedia exhaustum, vel crapula repletum, vel humore aliquo nimis prædominante ægrescit, vel alio interiore vitio laborat ; unde ex variis his causis varia nascuntur somnia. Cholerici enim somniant colores flavos, rixas, jurgia, inimicitias, incendia, et hujusmodi ; sanguine redundantes rubentia, ignes, ustiones, hortos, convivia et læta omnia ; melancholici funera, caliginem, tenebras, solitaria loca, nocturnas oberrationes, tetra spectra tristiaque cuncta ; phlegmatici mare, aquas, balnea, navigationes, submersiones, tardam et impeditam a noxiis fugam. Qui viscido humore affectas obstructasque habent partes cerebri posteriores, illi comprimi ac suffocari videntur in somniis, et Latini vocant hunc *incubum* morbum. Qui sinceris purisque succis constant, somniant se volutari inter odoratos, suavesque flores, et econtra qui fœtidis putridisque sunt repleti humoribus, somniant se versari in cloacis, sepulcris, sordidis ac cœnosis locis.

(16. Extrinseca naturalis causa somniorum est, quando dormientis imaginatio ab agente extrinseco movetur. Hujusmodi autem agens est duplex ; alterum est aer ambiens ;

Digitized by Google

alterum impressio, sive influxus corporum cœlestium; sicut enim corpora cœlestia suo in materiam corpoream influxu varias formas lapidum, metallorum plantarumque gignunt, sic influendo in phantasiam, quæ organis corporeis est immersa, possunt a cœlestibus corporibus produci species imaginabiles effectui a corporibus illis cœlestibus promananti conformes, ut erudite suo more ratiocinatur doctissimus Delrius, *loc. cit.*, post conclusionem secundam, vers. *Naturalis extrinseca*. Unde ut habetur in *Lexico Medico Castello-Brunoniano*, verb. *Somnium* : « Somnia sunt operationes, quæ fiunt inter dormiendum ab astris in homine. »

(17. Species imaginabiles in somniis causatæ sunt quandoque in somniante adeo impressæ, ut distincta afferat verba, recte ad interrogata respondeat, aut e lecto surgat aliquid exterius facturus, tute etiam in locis periculosis perambulet, et denuo adhuc dormiens lectum repetat, ut patet de noctambulantibus, seu melius somnambulantibus, cum nedum noctu, sed etiam interdiu id accidat, ut observat *Lexicon Medicum Castello-Brunonianum*, verb. *Somnambulo*, referens quemdam celebrem olim somno meridiano indulgentem inter dormiendum surrexisse, deambulasse, cum conjuge locutum fuisse, a qua etiam rursus ad sellam, in qua dormiverat, reductus, paulum adhuc dormivit, evigilans deinde omnium plane fuit ignarus. Hæc ibi; nec desunt alia consimilia exempla.

(18. Pro discernendis somniis, an sint divina, an dæmoniaca, an naturalia, habendus est recursus ad patrem spiritualem aliasque pias et instructas personas, ut suis consiliis ea dilucident, et in subsidium suis orationibus lumen pro eorum vera discretione et intelligentia a Deo exquirant. Sic communiter doctores cum S. Thoma, 2-2, q. 95, art. 7 in corpore : Hac tamen retenta pro certa regula quod, quando Deus somnium immittit, solet simul hominem lumine interiori certum reddere hoc somnium a se profectum et cœlitus immissum fuisse, ut recte docet Delrius, *loc. cit.*, post conclusionem quintam, vers. *Discernere;* et relinquit ipsum hominem totum hilarem, humilem, devotum ac pium. Quando autem dæmon somnia immittit, talia somnia aut visiones habentes evadunt tristes, spiritu audaces, elati et superbi, impuri, ac omni malitiæ proclives, ut advertit Clericatus, *Nelle sue spiche*, verb. *Sogni*, num 898. Tunc vero somnia sunt naturalia, quando mere procedunt a phantasmatibus in memoria motis ab operationibus diebus antecedentibus factis, aut intenta voluntate et desiderio diebus sequentibus faciendis, aut ab humoribus a stomacho elevatis ad cerebrum, ubi generantur somnia rerum extravagantium, ridicularum ac penitus infructuosarum, ut notat Clericat., *loc. cit.*, num. 899.

(19. In summa, concludit doctissimus Delrius, *loc. cit.*, vers. *Discernere*, hoc est observandum, si constet neque ex animali, neque ex corporali causa somnium fuisse natum, sicque non esse naturale, dubitetur autem adhuc utrum sit a Deo vel a dæmone? tutissimum est, si ut a dæmone immissum caveatur et contemnatur juxta illud *Ecclesiastici* cap. XXXIV, num. 6 et 7, ubi traditur esse contemnenda extrinseca somnia, quæ non constat a Deo fuisse immissa, ibi : *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum, multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis.*

(20. Divinorum somniorum observatio licita est, at interpretatio solis convenit illis quibus a Deo facta est interpretationis revelatio. Delrius, *loc. cit.*, concl. 5, et alii communiter. Prima pars de se patet, quia somnia divina nobis immittuntur a Deo, ut ea observemus, ac ab ipsis instruamur, moneamur et corrigamur. Secunda pars habetur ex *Daniele* cap. II, num. 27, ibi : *Mysterium, quod rex interrogat sapientes, magi, arioli et aruspices nequeunt indicare regi, sed est Deus in cœlo revelans mysteria, qui indicavit tibi;* et *ibid.*, num. 30, subjungit : *Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plus quam in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est, sed ut interpretatio regi manifesta fieret;* et *I ad Corinth.*, c. V, num. 11, ibi : *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

(21. Dæmoniacorum somniorum observatio, ut fraudes dæmonis caveantur, est licita, sed ad occultorum, vel eventuum futurorum scientiam, seu cognitionem habendam, est illicita. Sic expresse Delrius, *loc. cit.*, conclus. 4, et alii passim. Prima pars de se patet; quia hoc est animæ valde salutare, et aliquando necessarium, ut sic dæmonis fraudulentæ astutiæ eludantur, et peccata, ad quæ per ipsas nos intendit inducere, evitentur. Secunda pars probatur, quia hoc est Dei lege prohibitum *Levit.* c. XIX, num. 26 : *Non augurabimini, nec observabitis somnia; Deuteron.* cap. XVIII, num. 10, ibi : *Nec inveniatur in te qui... observet somnia;* et *Ecclesiastic.*, cap. XXXIV, num. 6 et 7, per verba adducta *supra* num. 19. Tum quia non potest horum interpretatio citra miraculum haberi, nisi ex pacto implicito vel explicito, cum dæmone, quod est omnino illicitum, dicente expresse Apostolo *I ad Corinth.*, cap. X, num. 20 : *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum*

(22. Observatio et interpretatio somniorum naturalium habentium in suis effectibus connexionem seu adæquationem cum suis causis, est licita, sive causa sit intrinseca animalis, sive intrinseca corporalis. Sic Delrius, *l. c.*, concl. 3, et communis aliorum cum S. Thoma, 2-2, q. 95, art. 6 in corpore. Prima pars, quando videlicet causa est intrinseca animalis, clare patet : Si enim quis sit lascivis somniis, fœdisque illusionibus inquinatus, potest, imo debet causam talium somniorum inquirere, et cognoscens ipsa provenire ex quo obscenis lectionibus, libidinosis cogitationibus aut turpibus colloquiis operam dederit, debet similes lectiones, cogitationes et colloquia cavere, ac vitare, et sic de

Digitized by Google

similibus. Secunda pars, quando scilicet causa est intrinseca corporalis, est etiam de se clara, nam ut docent Aristoteles, lib. *De divinatione per somnia*, cap. 1, et Hippocrates, lib. *De insomniis*, et 6 *Epid.*, et S. Thomas, cit. quæst. 95, art. 6 in corpore, et alii passim admonent medicis notanda et expendenda esse ægrotantium insomnia seu somnia, ad eorum morbos dijudicandos et curandos. Ex ea namque observatione satis probabilem de qualitate morbi conjecturam eliciunt, et qui humores intus lateant qui eorum defectus, vel exsuperantiæ sint, dignoscunt; si quis enim somniet de occupationibus igneis, signum est choleræ prædominantis; si de aereis, sanguinis abundantis; si de aqueis, multi phlegmatis, si de terreis, melancholiæ, et sic de similibus, et ideo potes licite sibi per congruentes medicinas præcavere. Qua de re Galenus, lib. *De præsagio ex somniis sumendo* refert, quod cum quidam somniasset alterum crus sibi factum lapideum, mox ea corporis parte paralyticus evasit.

(23. Si causa naturalis somniorum sit extrinseca juxta dicta *supra* n. 16, et talis causa non sit tam a somniante remota, quin possit ab illa naturaliter affici et pati, tunc dicta somnia includunt aliquid probabilitatis, adeoque observari et interpretari licite possunt, ut patet de podagricis et herniosis, qui possunt affici et pati a causis futuræ cras pluviæ, sicque de illa aliquod suum somnium interpretari. Secus autem dicendum est, si causa extrinseca sit adeo a somniante remota, ut non possit ab illa naturaliter affici et pati: sic enim, cum non potest quis hic hodie affici et pati a causis futuræ pluviæ post triennium propter temporis distantiam, nec a causis futuræ statim pluviæ in Moscovia propter loci intercapedinem, non potest de tali pluvia aliquod suum somnium interpretari, cum causæ hujusmodi nihil pertineant ad ipsius corporis temperamentum et dispositionem, nihilque possint in ipso agere seu operari, adeoque somniorum a similibus extrinsecis causis provenientium observatio est penitus incerta et fallax. Et si aliquando respondeant eventui, id a casu fit vel ab intelligentia quapiam revelatur, ut recte observat Delrius, *l. c.*, post. concl. 3, vers. *Quando naturalis causa est extrinseca.*

(24. Peccat graviter, qui ex somniis, tam procedentibus ex causis intrinsecis, quam extrinsecis, divinant futura contingentia, successus fortuitosque casus, aut quæcunque dependent seu manant ab humani arbitrii voluntate, sive somniantis, sive alterius. *Communis.* Et ratio est, quia hæc non dependent a causis naturalibus, aut temperamento corporis, nec ab astris, cum nullam habeant naturalem connexionem cum illis; et omnis similis divinatio est expresse prohibita, tum ex sacra Scriptura *Levitic.* XIX; *Deuteronom.* XVIII; *Isaiæ* XLVII; *Ecclesiastici* XXXIV; et ex cap. *Illud*, cap. *Illos*, cap. *Sed et illud*, caus. 26, quæst. 5, et præcipue in constit. Sixti V, incip. *Inscrutabili judiciorum.*

(25. Unde est graviter peccaminosa omnis illa divinatio per somnia, qua ex somniis prædicitur, aut creditur aliquid eventurum, quod nullam prorsus habet connexionem cum illis. Eodem enim modo est loquendum de divinatione per somnia, ac de divinatione per astra, quæ est prohibita, etiamsi tales divinatores id non certo affirmare asserant, et protestentur, ut expresse dicit Sixtus V, in cit. constit. incip. *Cœli et terræ creator.*

(26. Hinc caveant illi qui, nedum somniis sibi fortuito obvenientibus firmiter credunt, sed et ipsa cum abusu rerum sacrarum, eas nocte capiti in lecto supponentes, vel alibi reponentes ex animo procurant atque exspectant ut ex iis inde divinent nomina in ludis vulgo seminariorum dictis sortitura. Proh dolor! quot in istis crimina, quot sacrilegia, quot diabolica sortilegia!

(27. Non esset tamen culpandus peccati saltem mortalis, qui sine ulla superstitione et sortilegio, sed ex mera curiositate pergeret ad locum thesauri absconditi sibi in somnis manifestati, ibique terram effoderet, quia videtur id tantum esse actus levitatis et vanitatis. Sic Henno, tom. I, tract. in *Decalogum*, disp. 1, q. 4, art. 5, concl. 4; La Croix, lib. III, part. I, tract. 1, cap. 1, dub. 2, num. 10; Tamburinus, lib. II, cap. 6, § 1, n. 22, ubi, ut etiam ex ipso refert La Croix, *loc. cit.*, dicit hominem in somno sæpius admonitum, ut certo loco terram effoderet, sicque reperiret ollam auro plenam, non peccasse graviter, quamvis deceptus sit, et invenerit ollam plenam nigris carbonibus.

(28. Item non esset condemnandus peccati mortalis, qui dubitans an thesaurus fuerit sibi manifestatus per defunctum apparentem, an per somnium, terram effodit, ut rei veritatem detegat, nulla tamen fide somniis adhibita. Sic expresse Henno, *loc. cit.*, et alii. (29. Nec sic esset culpandus, qui nulla adhibita fide et habita superstitione, terram foderet ad inveniendum thesaurum ibi sibi a dæmone indicatum, quia non videtur peccaminosum uti scientia a dæmone accepta, ubi saltem non fuit abeo explicite aut implicite petita, nec ullus intercessit ad eum recursus. Sic expresse Henno, *loc. cit.*; Lessius, in *Auct.*, verbo *Magia*, cap. 6; La Croix, *loc. cit.*, dub. 3, num. 25 et alii.

(30. Similiter non est mortale observare somnia, quando quis non omnino credit rem in somnio sibi ostensam esse veram, sed futuram, sed tantum propter tale somnium aliquod de se non malum operatur, ut evitet mala sibi in somnio minata. Sic Suarez, *De relig.*, tom. I, tract. 3, lib. II, cap. 13, num. 25; La Croix, *loc. cit.*, dub. 2, num. 10; Tamburinus, *loc. cit.*, et alii. Et ratio est, quia licet ibi sit aliqua levitas, vel simplicitas, aut nimia timiditas, tamen non apparet gravis malitia, quia, ut expresse dicit La Croix, *loc. cit.*, non tam credit illud

Digitized by Google

esse a Deo, aut ideo esse verum, quam posse aliunde esse verum.

(31. Cavendum tamen semper est, ne firma præsletur similibus fides: imo generaliter loquendo nulla est ipsis fides, et observatio præstanda ex *Levit.* c. XIX; *Deuter.* c. XVIII; *Isa.* c. XLVII; *Ecclesiast.* c. XXXIV; et ex dictis *supra* n. 19, 21, 23 et 24. Unde monet *Ecclesiastes*, cap. V, num. 6, quod *ubi sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri, tu vero Deum time;* et *Ecclesiasticus*, cap. XXXIV, num. 1 et seqq., quod *Somnia extollunt imprudentes, quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia;* et *ibid.*, num. 7, subjungit, quod *multos errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis.* Quod et revera docet experentia: nam eos, qui curiose ad somnia attenderunt, somniorum interpretatio subsecuta in gravissimas calamitates, et in interitum præcipites egit, ut Agamemnonem Homericum, Cyrum Persarum regem, Xerxem, Onomarchum, Antigonum et Pompeium, teste Delrio, *l. cit.*, post conclusionem quintam, vers. *Discernere* in fine. Nec desunt, et utinam deessent, recentiora exempla eorum, qui bona temporalia, corpus et animam ex nimia, superstitiosa ac sacrilega somniorum observantia misere perdiderunt.

Vide verb. PONTIUS PILATUS, ubi de somnio ab ejus uxore habito nocte Passionis D. N. J. C.

SOMNUS.

SUMMARIUM.

1. Somnus quid sit? — 2. Somnus quomodo causetur? — 3. Cibi, qui plurimum vaporem sursum efferunt, somniferi appellantur, et qui pluribus abundant humoribus, procliviores sunt ad somnum. — 4. Somnus alius diurnus, alius nocturnus. — 5. Somnus diurnus alius antemeridianus, qui tolerabilis est, nec omnino noxius. — 6. Et alius meridianus, seu pomeridianus, qui si sine debitis cautionibus capiatur, valetudini non parum nocet. — 7. Afferuntur mala, quæ gignere solet somnus pomeridianus sine debitis cautionibus captus. — 8. Assignantur cautiones adhibendæ in tali somno ad dicta mala evitanda. — 9. Aptissimum tempus pro somno capiendo est nocturnum. — 10. Arguuntur noctu vigilantes, et diu dormientes. — 11. Somnus appellatur filius noctis. — 12. Suavior et sanior evadit somnus nocturnus, si cœna hominis fuerit sobria. — 13. Quamvis sanior sit somnus nocturnus, homines tamen noctu dediti studiis et orationibus etiam diurnum somnum capere consuescunt exemplo ad id Jesu Christi. — 14. Quoties horis sit somnus capiendus. — 15. Somnus variis epithetis a Tertulliano laudatur. — 16. Somnus a Paulo IV Summo Pontifice vocabatur donum Dei. — 17. Afferuntur quidam versiculi de somno. — 18. Solimanus Turcarum tyrannus putavit se evitare perjurium occidendo dormientem Ibrahimum, quem jurejurando promiserat non occisurum viventem.

(1. Somnus, secundum Aristotelem, lib. *De somno et vigilia*, est ligamentum omnium sensuum ad animalis quietem et salutem institutum. (2. Obstruentibus enim vaporibus e ventriculo ascendentibus ad caput sensus communis aditum, iisdemque cerebri membranam opplentibus, sicque quasi ligatis internis ac externis sensibus, anima et corpus sine ulla operatione quiescunt, donec consumptis dictis vaporibus ipsi interiores et exteriores sensus soluti, pristinam suam operativam virtutem recuperent seu reassumant. (3. Unde cibi illi, qui plurimum vaporem sursum efferunt somniferi appellantur, et phlegmatici, aliique abundantioribus repleti vaporibus seu humoribus uti et infantes ad somnum procliviores redduntur. Sic ex Aristotele Beyerlinck, *Theatr. vitæ humanæ*, verb. *Somni causa efficiens.*

(4. Somnus quoad tempus ipsum sumendi, alius est diurnus et alius nocturnus. (5. Diurnus rursus duplex est, alius antemeridianus, qui fit jejuno ventriculo, qui tolerabilis est, nec omnino noxius, cum tunc vacuo ventre et materia exhalationum non suppetente, mala, seu morbi non obrepant. (6. Alter meridianus seu pomeridianus qui, si sine debitis cautionibus capiatur, valetudini non parum nocet. Unde apud Plautum, in *Mostell.*: « Non bonus somnus est de prandio, » et Schola Salernitana: « Si vis vivere sanum, fuge somnum meridianum. »

(7. Somnus enim pomeridianus cibos in ventriculo non concoquit, sed corrumpit, ructus flatusque parit, cerebrum multa crassa, mordacique humiditate atque fuligine replet, unde gravedines, oscitationes, pendiculationes, vertigines, catarrhi, capitis dolores, anginæ, apoplexia, incubus, epilepsia, paralysis et alii morbi frigidi atque mortiferi promanant. (8. Nonnulli tamen certis cautionibus adhibitis mitiora, ac minime periculosa illa sibi efficiunt, primum consuetudine, et longo usu, deinde non protinus a cibo, neque capite demisso dormiendo. Præterea vel somno plenius indulgendo, vel parum longo utendo, postremo non subito, nec raptim, sed paulatim vigiliam revocando. Sic ad literam Beyerlinck, *loc. cit.*, § *Tempus.* (9. Ubi subjungit, quod aptissimum somno tempus est nocturnum, propterea quod ipsum noctis silentium quietem advocat, et circumfusi aeris frigiditate innatus calor facilius sese colligit, et ad interiora revocat, cum somnus, ut Aristot., cap. 3, *De somno et vig.*, asserit, antiperistasis quædam sit naturæ conveniens. (10. Unde Seneca, lib. XXII, epist. 123, eos reprehendit, qui ut quidam in eadem urbe antipodes, noctes vigilant, dies dormiunt, quos appellat lychnobios, id est *lucernarios*, aitque ejusmodi homines contra naturam vivere. Quod factitasse Heliogabalum imperatorem testatur Lampridius, in ejus *Vita.*

(11. Unde somnus appellatur filius noctis,

Digitized by Google

et nox somni datrix a poetis, teste Serra, in suis *Synonymis*, et Beyerlinck, *loco cit.*, § *Tempus*, vers. *Nec inscite.* (12. Et suavior evadit nocturnus somnus, si cœna homini fuerit sobria, et parcus homo in esu et potu, juxta illud scholæ Salernitanæ :

Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis,

et habetur expresse ex *Ecclesiastico*, cap. XXXI, n. 24, ibi : *Somnus sanitatis in homine parco, dormiet usque mane, et anima illius cum ipso delectabitur.*

(13. Quamvis autem sanior sit somnus nocturnus, homines tamen noctu dediti studiis et orationibus, etiam diurnum seu pomeridianum somnum capere consuescunt, uti solent regulares utriusque sexus hora pomeridiana silentium indicere, et aliquantulum somni ac quietis capessere, ad id habito exemplo a nostro Salvatore Jesu Christo, qui uti solitus nocte orare, quadam die naviculam suorum discipulorum ingressus ibi suavissimum somnum capiebat, a quo suscitatus ipsos a maritima procella salvavit, *Matth.* cap. VIII, n. 24 et 25, ibi : *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat, et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum dicentes : Salva nos, perimus.*

(14. Quotis autem horis sit somnus capiendus? Varii variant juxta variorum varias corporis dispositiones et animi applicationes. Medici ad horas 6, 7 aut 8, constituunt, tale enim temporis intervallum sufficit concoctioni et viribus naturæ reparandis. Clerical., in suis *Spicis*, verb. *Somno*, n. 908, refert a suo satis docto et erudito grammaticæ magistro sic didicisse : « Un buon scolare non deve dormire più di cinque ore; un buon predicatore non più di 6; un buon padre di famiglia ore 7; un gran poltrone ore 8. » Ursaya, in II *Miscellan. sacro et profano*, litt. *S*, n. 51, sic habet : « Quattro o cinque al viandante, altrettante al mercatante; cinque o sei allo studente, ed otto ad altra gente. Tutte sono al vecchio buone, nove e dieci al dormiglione, e chi più è un gran poltrone. »

(15. Somnus ex Tertulliano c. 44 *De anim.* est recreatio corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem fecit, auferens rerum etiam colorem. (16. Ex quo forsan motus fel. rec. Paulus IV dicere solebat, posse ut libet somnum capere, non in hominis situm facultate, sed esse Dei donum. Indeque cum nocte aliqua obdormire non poterat, surgebat quidem e lecto, sed neminem excitabat, neque omnino alicui molestiam afferebat, ne somno, quem Dei donum appellabat, quempiam privaret, ut per hæc præcisa verba id advertit Ciacc., in ejus *Vita*, § *Vitæ puritas*, et Ursaya, *Instit. crim.*, lib. II, tit. 5, n. 195.

(17. Et idem Ursaya, in I *Miscell. sacro et profano*, litt. *S*, numer. 195 et sequent. de somno, sic habet :

Si somnus nihil est nisi mors, nil mors nisi somnus;
Quo plus in vita dormio, vivo minus.
Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

(18. Unde Solimanus Turcarum tyrannus, qui jurejurando promiserat, nunquam velle occidere Ibraimum ejus primarium ministrum, viventem, die 15 Martii 1535, fecit illum occidere quando dormiebat, asserens hoc modo juramentum non fregisse. Sic ex aliis refert ipse Ursaya, in II *Miscellaneo sacro et profano*, litt. *S*, n. 50.

SORS.

SUMMARIUM.

1. Sors in genere varie accipitur. — 2. Sors specialiori et usitatiori modo sumpta quid sit? — 3. hæc sors dividitur in divinatoriam, consultoriam et divisoriam. — 4. Sors divinatoria quid sit? — 5. Sors consultoria quid sit? — 6. Sors divisoria quid sit? — 7. Sortes divinatoriæ sunt omni jure illicitæ. —8. Sic est illicita versio cribri ad divinandos fures, homicidas, sagas, etc. — 9. Sortes consultoriæ possunt ex circumstantiis esse licitæ vel illicitæ, et assignatur quando tales sint. — 10. Sanctus Augustinus et sanctus Pater meus Franciscus, aliique sancti sanctissime his sortibus consultoriis usi sunt. — 11. Apud meam variasque alias religiones adest pius usus sortiendi singulis annis et mensibus sanctum tutelarem. — 12. Illicitæ sunt sortes a gentilibus vocatæ Homericæ seu Virgilianæ.— 13. Item illicitæ sunt sortes a quibusdam Christianis vocatæ sortes sanctorum. — 14. Sortes divisoriæ extra casum electionis ecclesiasticæ sunt licitæ; dummodo nihil superstitionis aut injustitiæ contineant.—15. Hæ sortes divisoriæ sunt in praxi apud omnes. — 16. Per nullam sortem fieri possunt elections ecclesiasticæ. — 17. Affertur et solvitur objectio de exemplo S. Matthiæ.—18. Jure merito fuerunt prohibitæ elections ecclesiasticæ per sortem. — 19. Imo neque per sortem lis dirimi potest, etiamsi duo omnibus meritis ac qualitatibus æquales æqualibus votis electi ad beneficium ecclesiasticum ambo consentiant in sortem.—20. In tali discordia quid agendum. — 21. Aliæ lites et discordiæ in causis beneficialibus extra casum electionis, licet non possint per sortes dirimi propria ac privata auctoritate partium, possunt tamen per sortes dirimi interveniente judicis auctoritate, ad num. 35.

(1. Sors interdum sumitur promiscue pro fortuna vel fato, juxta illud Virgilii l. III *Æneid.* :

... Hic exitus illum sorte tulit.

Aliquando sumitur pro statu, juxta illud psalm. XXX : *In manibus tuis sortes meæ.* Sæpe sumitur pro prima et capitali pecunia in societatem, seu contractum collata, juxta illud Terentii in *Adelph.* :

Heu mihi etiam de sorte nunc venio in dubium?

quo sensu sors etiam accipitur leg. *Acceptam* 19, codic. *De usuris*, cap. *Conquestus* 8, De usuris. (2. Specialiori autem et usitatiori modo sumitur pro eo, quod præ-

Digitized by Google

ciso hoc fine agitur, ut ejus eventu spectato, aliquid occultum vel dubium innotescat v. g. quid cuique debeat competere ; seu sors est inquisitio fortunæ aut divinæ Providentiæ de aliquo contingenti humanoque evento, vel signum datum, per quod distinguantur res confusæ ab invicem.

(3. Porro hæc sors est triplicis generis, nempe divinatoria, consultoria et divisoria, ut tradunt communiter doctores cum S. Thoma, 2-2, q. 95, art. 8. (4. Sors divinatoria est superstitiosa inquisitio rerum occultarum vel futurarum, quæ naturaliter sciri non possunt. (5. Sors consultoria est inquisitio divini consilii circa res agendas vel cavendas. (6. Sors divisoria est investigatio ex consensu partium, cui in dubio res aliqua tribuenda sit.

(7. Sortes divinatoriæ sunt illicitæ et damnatæ a jure divino, canonico et civili. Jure divino vetitæ et damnatæ sunt *Exodi* capit. XII ; *Leritici* cap. XIX et XX ; *Numer.* cap. XXIII ; *Deuteronom.* cap. XVIII ; *II Regum* cap. XXIII. Jure canonico prohibitæ sunt in cap. *Illud* 6, cap. *Cui* 7, cap. *Illos* 8, cap. *Sed et illud* 9, cap. *Si de arca* 10, cap. *Licet* 11, caus. 26, q. 2, cap. *In tabulis* 1, cap. *Extuarum* 2, De sortilegiis, et caus. 26, quæst. 5 per totum. Jure civili interdictæ sunt in l. *Artem* 2, l. *Nullus* 3, leg. *Eorum* 4, leg. *Nemo* 5, leg. *Multis* 6, leg. *Et si* 7, leg. *Culpa* 8, et leg. *Quicunque* 9 ; cod. *De maleficis et mathematic.* (8. Et quidem jure merito sunt sortes divinatoriæ damnatæ, utpote involventes tacitam vel expressam dæmonis invocationem, quandoquidem nec ex natura rei, nec ex Dei, aut Ecclesiæ ordinatione inserviunt rei manifestandæ. Et huc reducitur versio cribri, qua impii quidam homines tentant divinare fures, homicidas, sagas, etc., et sic de similibus.

(9. Sortes consultoriæ possunt ex circumstantiis esse licitæ vel illicitæ. Illicitæ sunt, si fiant sine gravi necessitate, sine debita reverentia ad Deum, et sine modo proportionato : ubi enim sufficit consilium humanum, illicitum est exercitium sortis consultoriæ pro habendo consilio divino, cum hæc et similia præstentur solum divinitus, quando non potest humanitus provideri. Unde in tali casu omnis sors consultoria est irreverentia, et Dei tentatio ; adeoque illicita ; licitæ autem sunt sortes consultoriæ, si fiant urgente necessitate cum debita reverentia et precibus devoto ad Deum fusis, et non fiant pro officiis seu beneficiis ecclesiasticis ; tales enim sortes consultoriæ per se primo non ordinantur ad cognoscenda futura contingentia, sed solum ad tollendas dubietates circa res agendas vel cavendas, quæ dubietates solo humano consilio decerni non possunt, unde licite in tali casu implorare quis potest divinum consilium per sortes consultorias, ut per eas dignetur Deus indicare quid sibi agendum sit, aut cavendum, juxta illud *Proverbior.* XVI : *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.*

(10. Et de facto religiosissime et sanctissime secundum Deum his sortibus consultoriis usi sunt S. Augustinus, ut fatetur ipsemet lib. VIII *Confession.*, cap. 13, et Seraphicus meus parens sanctus Franciscus, ut scribit sanctus Bonaventura in ejus *Vita* cap. 13, ibi : « Immissum est ejus menti per divinum oraculum, quod in aperitione libri Evangelici aperiretur ei a Christo, quid Deo in ipso et de ipso maxime foret acceptum Oratione itaque cum multa devotione præmissa, sacrum Evangeliorum librum de ipso altari sumptum in sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium virum utique Deo devotum et sanctum ; sane cum in trina libri aperitione semper passio Domini occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actionibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus et doloribus passionis, antequam ex mundo transiret. » Et sic etiam plures alii sancti apud citatos auctores a Beyerlinck, *Theatr. vitæ humanæ*, verb. *Sors*, § *Apud Christianos.* (11. Hinc apud meam variasque alias religiones invaluit pius usus sortiendi singulis annis et singulis mensibus sanctum tutelarem, ut et consuescunt multæ aliæ sæculares piæ personæ.

(12. Sunt tamen illicitæ sortes consultoriæ a gentilibus vocatæ Homericæ seu Virgilianæ, eo quia, aperto Homeri seu Virgilii codice, versus, qui primo visui occurrissent, assumebantur in oraculi omen. Livius, lib. XXII.

(13. Item illicitæ sunt sortes consultoriæ a quibusdam Christianis vocatæ sortes sanctorum, eo quia ad libri sacri aperitionem, vel ad sacræ lectionis auditionem, putant aliqui vaticinium captare ex sententia inibi occurrente. Tales enim consultoriæ sortes saltim vitio vanitatis laborant, cum nullo Spiritus sancti instinctu, nulla gravi necessitate cogente, nulla ratione sufficienti ad ipsas honestandas fiant, adeoque jure merito prohibentur cap. *Aliquanti* 6, cap. *Si quis* 9, caus. 26, q. 5, et sanctus Clemens lib. VII *Constit. Apostolic.*, c. 7, dictæ prohibitionis rationem reddit, dicens hoc studium ducere ad idololatriam.

(14. Sortes divisoriæ, per quas ex consensu partium in dubio discernitur cui res aliqua tribuenda sit, extra casum electionis ecclesiasticæ, sunt licitæ, dummodo nihil superstitionis aut injustitiæ contineant : has enim sortes divisorias approbavit ipsemet Deus, *Num.* cap. XVI et XXXIII ; *Deuteronom.* cap. I ; *Paralip.* cap. XXV et XXVI. Sic terra per sortem divisa est : *Numer.* cap. XXVI ; vers. 5, et cap. XXXIII, vers. 54, et cap. XXXVI, vers. 2 ; *Deuteronom.* cap. I, vers. 28 et 31, vers. 7 ; *Josue* cap. XIV. Sic captus fuit Jonathas ; *I Regum.*, caput XIV. Sic deprehensus Jonas a nautis cum a facie Domini fugeret ; *Jon.* cap. I. Sic detectus fuit Achan, *Josue* cap. VII. Sic sorte exiit Zacharias, ut incensum poneret in altari ; *Lucæ* cap. I.

(15. Unde videmus in quotidianam praxim deduci has divisorias sortes tum a politicis et juristis, tum a canonistis et theologis ad

Digitized by Google

determinandas seu declinandas lites, ad dividendas hæreditates et spolia, ad decernenda munera et officia sæcularia, et ad multa alia hujusmodi; quæ sortes sunt revera licitæ, si nihil superstitionis aut injustitiæ contineant. *Proverbiorum* enim XVIII expresse dicitur: *Contradictiones comprimit sors, inter potentes quoque dijudicat.*

(16. Per nullam autem sortem fieri possunt electiones ecclesiasticæ, cum sic fieri sit expresse prohibitum in capit. *Ecclesia vestra* 3, De sortilegiis, ibi: « Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes, » et in l. *Sacris* 47, cod. *De episcop. et clericis*, ibi: « Neque ex sortibus, neque ex fortuitis circumstantiis; » et concordat c. *Quia propter* 42, De election., ubi Innocentius III, præscribens modos in electionibus necessario servandos, methodum de mittendis sortibus omnino siluit, et omnes alias eligendi formas præter res ibi assignatas, nempe scrutinii, compromissi et inspirationis, decrevit penitus irritas ac nullas, ibi: « Aliter electio facta non valeat: » volens insuper quod attentantes eligere contra tres dictas formas ea vice priventur potestate eligendi, ibi: « Qui vero contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur. » Pirrhing, lib. V *Decret.*, tit. 21, num. 8 et seq.; Zoesius, *ibidem*, num. 5; Reiffenstuel, *ibidem*, num. 8, et alii passim.

(17. Nec valet objicere exemplum de sancto Matthia apostolo per sortem ad apostolatum evecto, *Act. apostolorum* cap. II, num. 26, ibi: *Et dederunt sortes, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim apostolis.* Non valet, inquam, quia in c. *Non exemplo* 4, caus. 26, q. 2, expresse sic habetur: « Non exemplo Matthiæ, vel quod Jonas propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum privilegia singulorum (ut Hieron. ait) communem legem omnino facere non possint (63): » tum quia etiam dato, quod electio sancti Matthiæ non fuerit facta ex speciali privilegio et manifestatione, seu revelatione divinæ voluntatis, uti factam fuisse docuerunt sanctus Dionysius, *De ecclesiastica hierarchia*; *sanctus Hieronymus*, in c. I *Jonæ*, et Beda, relat. in citat. cap. *Non exemplo Matthiæ*; nec ex consueta sortitione, et simul aliquo signo cœlesti visibili, ut voluerunt Origenes, homil. 1, in *Josue*, et sanctus Augustinus, conc. 2, in *Psalm.* XXX. Nec facta fuerit partim consilio proprio et judicio, et partim auxilio sortium, ut asserunt nonnulli; nec mediate ab apostolis, et immediate a Deo, ut sustinent alii volentes, quod duplex fuerit electio, mediata scilicet per suffragia, et immediata per sortem seu voluntatem Dei; sed facta fuerit talis electio per communem sortem ex usu et more Veteris Testamenti acceptam ab apostolis, ut defendunt sanctus Laurentius Justinianus, in sermon. *De sancto Matthia*, et Abulensis, in cap. VII *Josue*, q. 41; adhuc tamen non valet hodie tale exemplum ad convalidandas electiones ecclesiasticas factas per sortes, cum ad evitandas fallacias, fraudes et astutias in electionibus per sortes oriri solitas, fuerint ex post reprobatæ et damnatæ similes electiones per sortes in citato cap. *Ecclesia vestra* 3, De sortilegiis, et in c. l. *Sacris* 47; cod. *De episcop. et clericis*, juncto cap. *Quia propter* 42, De election., ubi declaratur irrita et nulla electio, quæ non sit facta una ex tribus formis ibi assignatis, nempe scrutinii, compromissi et inspirationis.

(18. Et quidem jure merito fuerunt damnatæ et reprobatæ tales ecclesiasticæ electiones per sortem, cum sors sit meri casus, seu cæcæ fortunæ et non liberi arbitrii electionis, et virtutis, et dum ignorationi et fortuito casui adhæret, sæpe iis dimissis, qui sunt virtute præditi, eos in medium producit, qui indigni sunt, ut de illis ulla ratio habeatur, ut recte advertit sanctus Joannes Chrysostomus, homil. 2, cap. 1, *ad Ephes.*, et alii passim.

(19. Imo neque per sortem iis dirimi potest, etiamsi duo omnibus meritis, qualitatibus, virtutibus ac dotibus æquales æqualibus votis electi ad beneficium ecclesiasticum, ambo consentiant in sortem. Sic Glossa final. et abbas in cap. *Ecclesia vestra* 3, De sortilegiis; Pirrhing, l. V *Decretal.*, tit. 21, num. 10; Zoesius, *ibid.*, num. 4; Reiffenstuel., *ibid.*, num. 10, et l. I *Decretal.*, tit. 6, § 3, num. 63; Miranda, tom. II *Manual. prælatorum*, cap. 23, num. 18; Redn., *Jus canonic. politic.*, tom. I, tit. 6, num. 44, et alii. Et ratio est, quia stante æqualitate votorum (quidquid sit de æqualibus candidatorum conditionibus) nondum adest ulla electio, cum electio debeat fieri per majorem partem votorum, et non per mediam, seu æqualem partem, uti esset in casu, adeoque talis electio diceretur absolute celebrata per sortem, quod est expresse prohibitum per cit. jura in c. *Ecclesia vestra* 3, De sortilegiis, leg. *In sacris* 47, cod. *De episcopis et clericis*, juncto c. *Quia propter* 42, De election. (20. Unde in tali discordia res per compromissarios determinanda est, vel adeundus est superior, qui electores ad novam electionem vel concordiam compellat intra certum præfixum tempus, quo sine nova electione seu concordia elapso, poterit ipse superior via devolutiva eligere, ut docet Glossa communiter recepta in cap. *Duobus* 14, verb. *Teneantur*, De rescriptis in 6; Suarez, tom. IV *De relig.*, lib. II *De superstit.*, cap. 12, num. 7; Sanchez, lib. II *Moral.*, cap. 3, num. 74; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 10; Redn., *loc. cit.*, num. 44, et alii contra Glossam, in *Rubric.*, verb. *Sortes*, caus. 26, q. 1, ubi tenet posse in tali casu

(63) Videtur scilicet id singulare fuisse S. Matthiæ privilegium; quia enim cæteri apostoli a Christo immediate vocati erant, voluit et Christus electionem Matthiæ sibi vindicare, ne collegis suis inferior videretur. Ideo apostolis internæ inspirationis afflatu auctor fuit, ut sortem ea in electione adhiberent.

Digitized by Google

litem per sortem dirimi, ibi : « Sed quæ fiunt necessitatis causa, non sunt illicitæ, ut si contentio esset de electione aliquorum, et esset paritas utriusque in omnibus, exemplo Matthiæ possunt fieri sortes, » etc., et Garciam, part. v *De beneficiis*, cap. 1, num. 205 et seq. ; asserentem in certo casu ac paritate votorum tandem esse deveniendum ad sortes.

(21. Aliæ autem lites et controversiæ in causis beneficialibus extra casum electionis, licet non possint per sortes dirimi propria ac privata auctoritate partium, possunt tamen per sortes dirimi interveniente judicis auctoritate. Pirrhing, *loc. cit.*, num. 14; Suarez, *loc. cit.*, num. 13 et 14; Sanchez, *loc. cit.*, num. 79, et alii.

(22. Et ratio primæ partis est, quia si tales lites beneficiales per sortes componerentur propria ac privata auctoritate partium, posset fieri ut per talem sortem beneficium obtineret, qui nullum canonicum et legitimum titulum haberet contra cap. *Beneficium* 1, De reg. juris in 6, ubi expresse dicitur quod « beneficium ecclesiasticum potest licite sine institutione canonica obtineri, » et contra cap. *Cum qui unic. de eo qui mittit in possessionem*, ubi prohibetur, ut ne litibus beneficialibus aliquid fiat, per quod ad beneficia ingressus vitiosus patere possit, ibi : « Ne propter hoc ad ea ingressus patere valeat vitiosus. » Nam cum neuter ex litigantibus possit privata sua auctoritate aut pacto alteri dare legitimum titulum beneficii, nec constet uter litigantium habeat justum titulum, ideo stat grave periculum, ne is, super quem cadit sors, obtineat et possideat beneficium sine justo titulo. Tum quia talis litis seu controversiæ beneficialis compositio per sortes nequit fieri sine pacto et conventione partium ; omne autem pactum propria et privata auctoritate initum circa beneficia litigiosa est Simoniacum, cap. ultim. *De pactis*, c. *Quam pio* 2, caus. 1, q. 2, et concordat cap. *Super eo* 7, De transactionibus, c. *Quæsitum* 5, De rer. permut., cap. *Super hoc* 6, De renuntiat., cap. *Matthæus* 23, De Simonia, cum similibus.

(23. Ratio autem secundæ partis, quod nempe lites et controversiæ beneficiales per sortes dirimi possint, interveniente judicis auctoritate est, quia si partes litigantes super beneficio pactum aliquod, consentiente et approbante judice, ineant, et juxta illud judex sententiam proferat, vigore talis sententiæ is, cui a judice beneficium litigiosum adjudicatum est, illud vere consequitur ex titulo sufficienti, nempe titulo et auctoritate sententiæ judicialis, ac proinde cessat Simonia et periculum vitiosi ingressus, quia, auctoritate judicis interveniente, purgatur utrumque vitium, et Simoniæ et vitiosi ingressus, quod utrumque intervenit, non interveniente in tali pacto judicis auctoritate : sicque eadem ratione cessabit utrumque periculum, et Simoniæ et vitiosi ingressus, si pactum de lite beneficiali per sortes componenda, interveniente judicis auctoritate et approbatione sit initum, adeoque, licet dictæ lites et controversiæ beneficiales non possint per sortes dirimi propria ac privata auctoritate partium, possunt tamen per sortes dirimi interveniente judicis auctoritate et approbatione.

NOVÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(24. De usu sortis in electione canonica aliqua tetigimus in addit. ad verb. ELECTIO, artic. 1, num. 9 et duob. sequent. Hic vero illud accuratius expendendum, an re vera Honorius III, in cap. 3, *De sortileg.*, in electione canonica omnino improbaverit usum sortis.

(25. Verba hujus capituli sunt : « Ecclesia vestra nuper episcopo destituta, circa modum electionis diversos incipientes tractatus unum tandem elegistis ex vobis per sortem. Is iterum tres elegit, qui episcopum Ecclesiæ nominarent. Nos, tali examinato processu, multa reprehensione dignum putamus, sortem in talibus perpetua prohibitione damnantes. »

(26. Negari sane haud potest Honorium III, in recitato capitulo uti verbis valde momentosis adversus sortem. (27. At enim vero plurima occurrunt, quæ interpretationem suadent, quod capitulum hoc intelligi non debeat, nisi de sorte divinatoria, conjuncta scilicet cum opinione Deum sorte recturum esse electionem.

(28. Primo enim, id vult, inscriptio totius tituli *De sortilegis*, quo verbo plerumque denotantur *Divinatores*.

(29. Deinde cum alia decreta in cap. 4 sequenti conquirenda sint, quæ sortis usum approbant, in dubio certe verba Honorii assumenda sunt de sortis abusu.

(30. Tum ipsa decreti historia id fere dicit. Quia collegæ Ecclesiæ Lucanæ, cum in electione episcopi inquirere debuissent in merita candidatorum, omissa cura hac, fiduciam in judicio sortis posuerunt. Quod merito illis exprobrat Honorius. Si enim sors illorum fuerit lusoria, tum levitas et incuria erant accusandæ electorum. Sin autem divinatoria, tum coargui poterat superstitio, et religionis nimietas, qua in globulis fiduciam posuerant divinæ voluntatis, cum illam quærere debuissent in usu rationis meritorum virtutumque utriusque candidati.

(31. Neque est, quod dicat aliquis, Lucanos tamen non elegisse ipsum episcopum judicio sortis, sed tantum electores, ut adeo pertinere videatur ad genus electionis, per compromissum.

(32. In promptu enim est responsio : « Qui sorte decernit electores, ille viam sortis facit electo ; » neque inter hunc et casus alios quidquam interest, quam quod sortis usus concurrere possit in electione vel *immediate*, vel *mediate*, vel *directe*, vel *indirecte*. Utrumque recte omnino prohibetur. (33. Alia vero est ratio compromissi facti cum judicio et usu rationis, alia cæcæ et superstitiosæ sortis. Primum admittunt canones, alterum merito refellunt.

Digitized by Google

(34. Ex his non improbabiliter sustineri potest, capitulum 3 loqui non *de sorte rationabili*, cui præcessit *examen candidatorum*, non de lusoria, neque etiam de necessaria, sed *de genere sortis superstitiosæ, divinatoriæ, temerariæ.*

(35. Eo vel maxime, quod in casu hoc *sortis rationabilis* metui nequit, ut homo indignus eligatur, quæ est ratio cur communiter usus sortis improbatur. In eo enim candidati jam fuerunt missi sub examen industriæ, virtutis, litterarum. Breviter : aliud est eligere per sortem, aliud factam electionem judicio sortis definire. *Vide* Natalem Alexandr. virum antiquitatum Ecclesiæ callentissimum, qui *Historiæ ecclesiasticæ* sæculo 1, dissert. 6, hanc quæstionem ex instituto resolvit, idque his tandem verbis : « Probatur usus sortis, si modo episcopatus candidati sint digni, et ita pares, ut vix inter eos sit meritorum discrimen. Quia ubi humanæ prudentiæ judicium deficit, divina voluntas consulenda, et ejus omnia committenda providentiæ. Sic inter antistites, qui tempore pestis manere debeat, merito sortis usu indagatur, suasore Augustino (64).

SORTILEGIUM.

(1. Sacerdotes abutentes sacrificio missæ ad sortilegia, præter alias pœnas, incurrunt insuper perpetuam inhabilitatem ad celebrationem missæ ex decreto sanctæ universalis Inquisitionis edito de mandato Benedicti XIV, die 5 Augusti 1745.

(2. Alia ad rem vide infra verb. *Superstitio* a num. 33 ad 44.

SPADONES.

Vide verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, *art.* 2, *n.* 38, 39, *et verb.* PATRIA POTESTAS *num.* 7.

SPATULOMANTIA.

Vide verb. SUPERSTITIO, *num.* 24.

SPECTACULA.

(1. Spectacula inverecunda, uti sunt puerorum et adolescentum nudorum cursus et luctæ, etiamsi longa consuetudine introductæ, ne permittantur ab episcopis legibusque latis prohibeantur, mandat Benedictus XIV, in Encyclica ad episcopos Campaniæ, incip. *Nihil profecto ; Bull.*, tom. I, n. 60.

SPES.

Vide verb. VIRTUS, *a n.* 21 *ad* 35.

SPICÆ.

(1. Spicarum collectio post absolutam messem pauperibus permittenda indicitur a Benedicto XIV, tom. I, constit. 56, incip. *Acerbi plane doloris*, directa archiepiscopis et episcopis ditionis ecclesiasticæ, in qua adducit Scripturas, quibus clarius et luculentius constat agrorum dominos ad exercendam hanc in pauperes liberalitatem Dei ipsius oraculo edoceri. Videlicet *Levitici* cap. XIX, ibi : *Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges : neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes; Ego Dominus Deus vester.* Et rursus *Deuteronom.* cap. XXIV : *Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris, ut tollas illum ; sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit ab arboribus, non revertêris ut colligas, sed relinques advenæ, pupillo et viduæ. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ, pupilli et viduæ.*

(2. Adducit insuper illud *Ruth* cap. II, ubi habetur eam socrui suæ Noemi dixisse : *Vadam in agrum, et colligam spicas quæ fugerint manus metentium, ubicunque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam.* Et paulo post in agrum Booz ingressam, spicas collegisse, ibi : *Itaque, et colligebat spicas post terga metentium ;* cum vero percontanti Booz quænam esset illa mulier, Moabitidem esse responderetur, nec deessent qui testarentur illam a primo mane ad eam usque horam spicas collegisse. *Audi*, inquit, *filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco, sed jungere puellis meis, et ubi messuerint, sequere ; mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi ;* præterea tantum pii viri animus a contumeliis abfuit, ut eam non colligere tantum relictas, sed integras spicas metere passus sit, jubens ea de causa messoribus : *Etiamsi vobiscum metere vo-*

(64) Lib. 1 *De doct. Christ.*, c. 28, et epistola 180, *ad Honoratum*. Huc spectat canon. tertius concilii Barcinonensis habiti a. 599 sub Reccaredo rege, et Gregorio M. Pontifice.

Digitized by Google

luerit, ne prohibeatis eam. Quare cum sese domum Ruth recepisset, et tantam frumenti copiam socrui suæ ostendisset acceptam; illa memori ac grato animo collectas fruges datori censuit referendas, inquiens : *Sit benedictus, qui misertus est tui.* Hæc ille, *loco cit.*, qui, *ibid.*, § 6, majori, quo potest paternæ charitatis sensu hortatur et obtestatur, ut episcopi causam pauperum, quæ causa Dei est, omni ope et conatu tueantur, in suam veluti clientelam suscipientes pauperes, dignum pietate sua zelum exhibeant, suis primum vocibus et exhortationibus, ac mandatis, etiam in singulis diœcesum suarum parochiis inter missarum solemnia evulgandis commendetur egenorum causa, agnoscatque populus quam turpe ac Christiano nomini indecorum sit, messe jam absoluta, pauperes ab agri fluibus amoveri. Potissimum vero intelligant agrorum domini colligendarum spicarum morem immaturo consilio sublatum fuisse in iis locis, in quibus diuturno usu jam invaluerat, ibique restitui omnino oportere. Ubi vero hæc consuetudo recepta adhuc non sit, pro viribus inducatur in solatium egenorum, qui gravi saltem, si non extrema, laborant inopia, quique in difficilium temporum angustiis magis magisque conficiuntur. Sic idem in laudata constitutione *Acerbi plane doloris.*

(3. Spicarum egenis collectoribus permittitur sine alio libera extractio quocunque tempore in ditione ecclesiastica, etiam extra statum ecclesiasticum. Idem tom. II, constitution. 53, incip. *Quo die*, n. 11.

SPIRITUS SANCTUS.

(1. Spiritus sancti processio a Patre et Filio est vere credenda. Benedict. XIV, constitut. 47 incip. *Etsi pastoralis*, § 1 (65). Etsi autem Græci teneantur credere etiam a Filio Spiritum sanctum procedere, non tamen tenentur in Symbolo pronuntiare. Unde particula *Filioque* in Symbolo omitti potest a Græcis. Idem, *ibidem*. Non tamen ab Albanensibus, qui eam recitare consueverunt. Idem, *ib.* (2. Nec ab Italo-Græcis, si a locorum ordinariis, vel ob suspicionem hæresis, vel ob scandalum, vel ob aliam causam requisiti fuerint: tunc enim particulam illam *Filioque* in Symbolo pronuntiare tenentur. Idem, *ibid.*

(3. Spiritus sancti imagines sub humana juvenis forma damnantur et prohibentur. Idem constit. 145, incip. *Sollicitudini*, § 10, 23, 33 ad 37. Spiritus sancti tamen imagines in forma columbæ approbantur et permittuntur. Idem, *ib.*, § 16 ad 20 et 36. Item in figura linguarum ignis uti repræsentatur mysterium Pentecostes. Idem, *ib.*, § 21 et 36. *Vide* verb. IMAGINES.

SPOLIATOR, SPOLIATUS.

SUMMARIUM.

1. Spoliator qui dicatur? — 2. Spoliatus quis sit? — 3. Primum remedium, quod habet spoliatus ad recuperandam possessionem, est interdictum *Unde vi*, et quid importet? — 4. Dictum remedium, seu beneficium, vel interdictum *Unde vi*, quibus et adversus quos competat? — 5. Secundum remedium est condictio ex cap. *Sæpe* 18, De restitutione spoliatorum, et quid importet? — 6. Tertium remedium est condictio ex cap. *Redintegranda*, 1, caus. 3, q. 1, et quid importet? — 7. Quartum remedium est condictio ex l. *Invasor* 5, codic. *Unde vi*, et quid importet? — 8. Quintum remedium est condictio ex l. *Si quis in tantam* 7 cod. *Unde vi*, et quid importet? — 9. Sextum remedium est condictio ex l. *Cum quærebatur* 11, cod. *Unde vi*, et quid importet? — 10. Septimum remedium est condictio ex l. *Exstat*, ff. *De iis, quæ vi metusve causa*, et quid importet? — 11. Octavum remedium habetur *ex officio judicis*, et quid importet? — 12. Ut spoliatus ante omnia sit restituendus, quid probare debeat. — 13. Dicta Regula *Spoliatus ante omnia est restituendus*, procedit, non solum quando quis vi, vel clam fuit spoliatus a privato, sed etiam quando quis est spoliatus a suo prælato seu judice extrajudicialiter, seu non servato juris ordine. — 14. Regula illa *Spoliatus ante omnia est restituendus*, fallit primo, quando spoliatus consentit, ut spoliator ante restitutionem super proprietate rei sibi competente audiatur. — 15. Secundo, quando notorium est, quod proprietas rei spolio ablatæ non pertineat ad ipsum spoliatum, sed ad spoliatorem. — 16. Tertio, quando spoliatus ante factam suam spoliationem libere renuntiavit dominio rei spoliatæ. — 17. Quarto, quando spoliatus post spoliationem cum spoliatore pactum inivit, vel juravit sponte, quod nolit agere possessorio recuperandæ. — 18. Simile autem pactum initum cum spoliatore ante spoliationem non valet. — 19. Mulier propria auctoritate sub prætextu impedimenti a marito se separans, sicque eum possessione spolians, si non habet probationes incontinenti paratas ad probandum impedimentum dirimens matrimonii, est plenarie restituenda marito, et quoad cohabitationem, et quoad torum, donec ipsa probationes offerat præparatas. — 20. Si vero tanta esset viri sævitia, ut mulieri trepidanti non posset sufficiens securitas provideri, tunc non solum non esset ei restituenda, sed ab eo potius removenda. Et econtra si possit dictæ mulieri sufficiens securitas provideri, est ipsa ante causæ cognitionem restituenda marito. — 21. Spoliator violentus restituere debet spoliato non solum rem ablatam, sed etiam cum ipsa omnes fructus, tum exstantes tum consumptos, imo etiam illos, quos non percepit, et prior possessor spoliatus

(65) Præter Natalis Alexandri dissertationem, habes t. III *Thesauri theologici Zachariani* P. Michaelis le Quien dissertationem p. 302, *De processione Spiritus sancti*, tomo autem II, ejusdem *Thesauri* p. 525, Petri Pithœi *Historiam* habes *controversiæ veteris de processione Spiritus sancti* cum Petavii dogmatibus theologicis conferendam. Eodem pertinet P. Ignatii Frantz dissertatio *super formulis Græcorum et Latinorum de confitenda Spiritus sancti processione*, seu quæstio theologica, anne perinde sit cum Ecclesia catholica dicere *Spiritum S. a Patre Filioque procedere?* vel cum Græca, *procedere ex Patre per Filium.* Vide indicatum tomum III *Zachariani Thesauri*, pag. 348.

Digitized by Google

percipere potuisset, si suam possessionem continuasset. — 22. Unde antequam dictus spoliator audiatur super prætensa rei ablatæ proprietate, est restituendus spoliatus, non solum in pristinam possessionem liberam, ut antea; sed etiam ad omne id, quod sive ratione fructuum non perceptorum, sive ratione factarum expensarum amisit, et damnum passus est. — 23. Nec talis spoliator excipere potest contra spoliatum per objectionem criminis.— 24. Nisi tamen opponatur talis criminis exceptio, quæ personam spoliati reddat inhabilem ad agendum, ut est excommunicatio. — 25. In civilibus non admittitur spoliationis exceptio facta ab alio, quam ab actore. — 26. In criminalibus autem admittitur spoliationis exceptio, etiam a quocunque tertio facta, dummodo fiat intra quindecim dies, et sit de tota substantia, vel majori parte. — 27. Spoliatus excipiens spoliationem factam a tertio intra certum tempus a judice statuendum debet petere restitutionem, alias non juvat exceptio. — 28. Agenti super rebus ecclesiasticis non obstat exceptio spoliationis privatarum rerum; vel e converso.— 29. Alia ad n. 32.

(1. Spoliator hic dicitur quicunque, sive privatus, sive judex, alium vi, vel clam extrajudicialiter, et non servato juris ordine, de possessione alicujus rei, seu juris ejicit, aut alias injuste privat seu spoliat. Ita in re communis arg. c. *Conquerente* 7, De restitutione spoliatorum, cum aliis similibus, et tot. titul. ff: *De vi et de vi armata*, et c. *Unde vi*.

(2. Spoliatus econtra dicitur, qui vi, vel clam a quocunque privato sive judice extrajudicialiter, et non servato juris ordine, de possessione alicujus rei seu juris est ejectus, aut alias injuste privatus seu spoliatus. Sic in re comm., arg. cit. c. *Conquerente* 7, De restit. spoliator. cum aliis similibus, tot. tit. ff. *De vi armata*, et cod. *Unde vi*.

(3. Remedia juris præcipua, quæ habet spoliatus ad recuperandam possessionem, sunt sequentia. Primum remedium est interdictum *Unde vi*, sic dictum a primis verbis prætoris illud proponentis in l. *Prætor ait* 1, ff. *De vi et de vi armata*, ibi: « Unde tu illum vi dejecisti? » per quod interdictum duo statuuntur in favorem spoliati; primo scilicet ut spoliatus ante omnia restituatur in pristinam possessionem, ita ut spoliator volens agere aut probare proprietatem rei ablatæ, non sit audiendus, nisi prius rem ablatam restituerit, etiam prædoni. Cap. *In litteris* 5, De restitutione spoliator., et c. *Super spolatione* 4, De ordin. cognition. Et secundo, ut spoliatus restituatur ad totam causam, id est non solum in pristinam possessionem liberam, ut antea arg. c. *Pisanis* 19, § *Porro*, De restitutione spoliator., sed etiam ad omne id, quod ibi amisit, licet ad spoliationem nihil perveherit. L. *Prætor ait* 1, § 1, ff. *De vi et de vi armata*, l. *Si de possessione* 4, cod. *Unde vi*, c. *Redintegranda* 3, caus. 3, q. 1, c. *Gravis* 11, De restitut. spoliator. Et hoc jure merito in odium spoliationis; Clement. unic. *De causa possess. et proprietat.*

(4. Dictum beneficium seu interdictum *Unde vi* competit ei soli et omni qui vere dejectus est, sive sit dominus directus, sive utilis, sive non sit dominus, ut prædo: item hæredibus eorumque successoribus adversus omnes, qui per se, vel per alium spoliarunt, aut spoliationem demandarunt, aut spoliationem suo nomine factam ratificarunt. C. *Cum ad sedem* 15, De restitutione spoliatorum, et Glossa communiter recepta, *ib.*, verb. *Interdictum Unde vi*, cum pluribus ibi citatis.

(5. Secundum remedium recuperandæ possessionis est condictio, ex cap. *Sæpe* 18, De restitutione spoliatorum, ratione cujus spoliatus potest agere contra quemcunque tertium possessorem, qui rem invasam scienter recipit, ita ut ille cogatur rem ablatam restituere, quamvis spoliatus non probaverit ejus proprietatem, sed duntaxat spoliationem, textu expresso in cit. c. *Sæpe*, § *Unde*, De restitutione spoliatorum.

(6. Tertium remedium recuperandæ possessionis est condictio, ex cap. *Redintegranda* 3, caus. 3, q. 1, vi cujus spoliatis et ejectis episcopis, per quos veniunt omnes ecclesiastici, et secundum probabiliorem et communiorem sententiam etiam laici, omnia bona, sive mobilia, sive immobilia in eodem loco, ubi sibi erepta fuerunt, redintegrari seu restitui jubentur, et quidem ante accusationem, ita ut spoliatus ante factam restitutionem omnium sibi ablatorum accusari non possit, et accusatus respondere non teneatur, antequam omnia sibi fuerint restituta, textu expresso in cit. c. *Redintegranda* 3, caus. 3, q. 1.

(7. Quartum remedium recuperandæ possessionis est condictio, ex l. *Invasor* 5, cod. *Unde vi*; quod datur et contra eum, qui per vim loca aliqua invasisse probatur, et contra eum, qui per errorem et bonam fidem occupavit possessionem rei alienæ, qui tenetur, non obstante errore ac bona fide, restituere possessionem occupatam, textu expresso in cit. l. *Invasor* 5, cod. *Unde vi*.

(8. Quintum remedium recuperandæ possessionis est condictio, ex l. *Si quis in tantam* 7, cod. *Unde vi*, per quod, qui propria auctoritate violenter ingreditur possessionem penes alium constitutam, cogitur in primis hanc possessionem alteri restituere; et deinde si invasor fuit dominus dictæ rei, ultra possessionem, amittit etiam ejus dominium, et si non fuit dominus, compellitur insuper ad dandam seu restituendam æstimationem rei, textu expresso in cit. l. *Si quis in tantam* 7, cod. *Unde vi*. Quæ tamen pœna amissionis dominii, aut reddendæ æstimationis rei intelligitur solum habere locum post sententiam judicis, ut notat Glossa communiter recepta, *ib.*, verb. *Amittant*.

(9. Sextum remedium recuperandæ possessionis est condictio, ex l. *Cum quærebatur* 11, cod. *Unde vi*, quod datur adversus eum qui dolose occupavit possessionem rei alienæ vacantem, et sic tanquam prædo rem occupatam ejusque possessionem restituere

Digitized by Google

cogitur. textu expresso in cit. l. *Cum quærebatur* 11, cod. *Unde vi.*

(10.Septimum remedium recuperandæ possessionis est condictio, ex l. *Exstat*, ff. *De iis quæ vi metusve causa*, per quod creditor, qui per vim aut propria auctoritate rem vel pecuniam sibi debitam accepit, aut vi illata solvi fecit, cogitur rem acceptam restituere, et insuper perdit jus crediti, et actionem adversus debitorem, textu expresso in cit. l. *Exstat*, ff. *De iis quæ vi metusve causa*, et l. *Creditores* 7, ff. *ad legem Juliam*, De vi privata.

(11. Octavum remedium recuperandæ possessionis habetur *ex officio judicis*, et competit illi, qui non possidet, sed solum detinet rem, et postmodum ipsa spoliatur, ut *commodatarius*, *depositarius*, *conductor ad breve tempus*, et similes; isti enim, cum non possideant, sed solum detineant, l. *Officium* 9, ff. *De rei vindicatione*, si spolientur detentione talium rerum, non habent ullum ex hucusque enumeratis ordinariis remediis possessoriis ex defectu possessionis, et ideo, sic suadente æquitate, est eis indultum remedium extraordinarium ac subsidiarium, ut possint nempe implorare officium judicis ad recuperandam rerum præhabitarum detentionem, a qua eciderunt. Arg. l. *Aquilius* 27, ff. *De donationibus*, l. *Et non tantum* 19, ff. *De petition. hæreditat.*, c. *Quia* 11, De judiciis, cap. *Bonæ memoriæ* 15, De appellat., cum similibus.

(12.Ut spoliatus ante omnia sit restituendus, ut ante omnia esse restituendum, jam diximus *supra* n. 3, *per jura ibi adducta*: si agat ex remedio, *interdicti Unde vi*, duo probare debet, scilicet se possedisse et se fuisse spoliatum tali sua possessione; cap. *Consultationibus* 10, De officio delegati, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Possessionem et dejectionem*, l. *Prætor ait* 1, § *Interdictum autem*, ff. *De vi et vi armata*, ibi : « Interdictum autem hoc nulli competit, nisi ei qui tunc cum dejiceretur, possidebat. » Si autem agat ex remedio, cap. *Redintegranda* 3, caus. 3, q. 1, sufficit quod ipse spoliatus probet suam priorem possessionem, et novam alterius, seu spoliatoris conventi prætensam possessionem; probata enim justa priore possessione, nova præsumitur clandestina et vitiosa, cum duo insimul eamdem rem, et eodem modo possidere non possint; l. *Licet causam* 9, § *Ex præmissis de probationibus*, cum similibus.

(13.Dicta Regula : *Spoliatus ante omnia est restituendus*, procedit non solum, quando quis vi, vel clam fuit spoliatus a privato, ut est indubitatum apud omnes, sed etiam quando quis est spoliatus a suo prælato seu judice extrajudicialiter, seu non servato juris ordine, textu expresso in cap. *Conquerente* 7, De restitutione spoliatorum.

(14. Regula illa : *Spoliatus ante omnia est restituendus*, fallit in aliquibus casibus. Primo scilicet quando spoliatus consentit, ut spoliator ante restitutionem super proprietate rei sibi competente audiatur, textu expresso in cap. *Licet* 1, De restitutione spoliator. Et ratio clara est, quia beneficium restitutionis est privilegium juris, cui libere renuntiare potest spoliatus; cap. *Si de terra* 6, De privileg., et l. *Si quis in conscribendo* 29, cod. *De pactis.*

(15. Secundo, quando notorium est quod proprietas rei spolio ablatæ non pertineat ad ipsum spoliatum, sed ad spoliatorem; tunc enim spoliatus ob notorium defectum proprietatis, veluti dolosus jure repellitur, textu expresso in cap. *Dolo facit* 59, De regul. juris in 6, ibi : « Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem : » et concordat l. *Dolo facit* 8, ff. *De doli mali et metus exceptione.*

(16.Tertio, quando spoliatus ante factam suam spoliationem, libere renuntiavit dominio rei spoliatæ, textu claro in cap. *Accepta* 3, De restitutione spoliator. Nec obstat c. *Sollicite* 2, cod. tit., quia loquitur de renuntiatione, nec ante spoliationem facta, quæ non censetur libera, ut argumentatur ibi Pontifex : « Quia non est verisimile, quod sponte juri suo renuntiaverit, qui renuntiavit spoliatus. »

(17.Quarto, quando spoliatus post spoliationem cum spoliatore pactum inivit, vel juravit sponte, quod nolit agere possessorio recuperandæ; pacta enim inita sunt custodienda et promissa, sunt opere complenda. C. *Antigonus* 1, et c. *Qualiter* 3, De pactis, l. *Juris gentium* 7, § 7, ff. *De pactis*

(18.Dicitur autem notanter *post spoliationem*, quia simile pactum initum cum spoliatore ante spoliationem non valet textu expresso in l. *Si unus* 27, § 3 et § 4, ff. *De pactis*; et ratio est, quia tale pactum initum ante spoliationem præberet ansam delinquendi, et animaret homines ad spoliandum, ac proinde veluti continens turpem causam merito reprobatur a jure, et non valet; l. *Si unus*, § 3 et § 4, ubi expresse dicitur : « Pacta, quæ turpem causam continent, non sunt observanda, veluti si paciscar, ne furti agam, vel injuriarum, si feceris; expedit enim timere furti, vel injuriarum pœnam, sed post admissa hæc, pacisci possumus. »

(19.Mulier propria auctoritate sub prætextu impedimenti, v. gr. consanguinitatis, a marito se separans, sicque eum possessione spolians, si non haberet probationes incontinenti paratas ad probandum impedimentum dirimens matrimonii, est plenarie restituenda marito, et quoad cohabitationem, et quoad torum, donec ipsa probationes offerat præparatas. Sic expresse decisum habetur in cap. *Litteras* 13, § *Quod si non habeat*, De restitutione spoliator. Et ratio est, quia, ut ibidem subjungitur, præsumitur mala fides contra ipsam, eo quod propria temeritate, et absque judicio Ecclesiæ a viro suo recesserit; unde stante tali casu, viget regula generalis, quod *spoliatus ante omnia sit restituendus.*

(20.Si vero tanta esset viri sævitia, ut mulieri trepidanti non posset sufficiens securitas provideri, tunc non solum non esset ei restituenda, sed ab eo potius removenda. Et econtra, si possit dictæ mulieri sufficiens

Digitized by Google

securitas provideri, est ipsa ante causæ cognitionem restituenda marito, textu expresso in cit. c. *Litteras* in fine, ibi : « Si vero tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet ei restitui, sed ab eo potius amoveri, alioquin sufficienti (si fieri potest) securitate provisa, profecto videtur conjux ante causæ cognitionem restituenda marito. » Et concordat c. *Ex transmissa* 3, c. *Ex conquæstione* 10, c. *Ex part.* 14 De restitutione spoliator., et c. *Intelleximus* 1, De ordine cognitionum.

(21. Spoliator violentus restituere debet spoliato, non solum rem ablatam, sed etiam cum ipsa omnes fructus, tum exstantes, tum consumptos, imo etiam illos quos non percepit, et prior possessor spoliatus percipere potuisset, si suam possessionem continuasset. *Communis*, textu expresso in cap. *Gravis* 11, De restitutione spoliator., et l. *Si de possessione* 4, cod. *Unde vi.*

(22. Unde, antequam dictus spoliator audiatur super prætensa rei ablatæ proprietate, est restituendus spoliatus, non solum in pristinam possessionem liberam ut antea, arg. c. *Pisanis* 19, § *Porro*, De restitutione spoliat., sed etiam ad omne id, quod ibi, sive ratione fructuum non perceptorum, sive ratione factarum expensarum amisit, et damnum passus est, licet ad spoliatorem nihil pervenit. L. *Prætor ait* 1, § 1, ff. *De vi et vi armata*, l. *Recte possidenti* 1, l. *Ut pulsos* 2, l. *Auctoritate* 3, et l. *Si de possessione* 4, cod. *Unde vi*; c. *Redintegranda* 3, caus. 3, q. 1, c. *Gravis* 11, De restitutione spoliatorum. Et hoc jure merito in odium spoliationis, Clem. unic. *De causa possession. et propriet.* Et sic Rota, *in Lavellen. seu Melphien. pecuniaria* 16 Novemb. 1610, *coram Ubaldo*, et *in Romana Silvæ* 15 Maii 1628, *coram Verospio*, allegat. a Barbosa, in cit. cap. *Gravis* n. 4, et sic doctores communiter.

(23. Nec talis spoliator excipere potest contra spoliatum per objectionem criminis; prius enim, ut supra, restituendus est actor spoliatus, antequam de crimine objecto per exceptionem audiatur reus spoliator, textu expresso in cap. *Item cum quis* 6, De restitut. spoliator, ibi : « Non occurrit nobis, quod illius objectio admitti debeat, vel principalis causæ propter hoc exsecutio retardari, quoniam criminaliter adversus eum ante restitutionem agere non potest, cum præsumatur ejus exsistere inimicus. »

(24. Nisi tamen opponatur talis criminis exceptio, quæ personam spoliati reddat inhabilem ad agendum, ut est excommunicatio, cum excommunicatus in judicio non sit ut actor audiendus, nec ibi stare possit, nisi tanquam reus. Cap. *Intelleximus* 7, De judiciis, c. *Conspiratores* 5, can. *Nullus anathematizatorum* 6, caus. 3, q. 4, cum similibus.

(25. In civilibus non admittitur spoliationis exceptio facta ab alio, quam ab actore, textu expresso in cap. *Frequens* 1, De restitutione spoliator. in 6.

(26. In criminalibus autem admittitur spoliationis exceptio etiam a quocunque tertio facta, dummodo fiat intra quindecim dies, et sit de tota substantia, vel majori parte, textu expresso in cit. cap. *Frequens.*

(27. Spoliatus excipiens spoliationem factam a tertio intra certum tempus a judice statuendum, debet petere restitutionem, alias non juvat exceptio, et accusabitur, exceptione non obstante, textu expresso in cit. c. *Frequens*, § *Solet.*

(28. Agenti super rebus ecclesiasticis non obstat exceptio spoliationis privatorum rerum. Vel econverso, textu expresso in cit. cap *Frequens*, § *Ad hoc*, ibi : « Ad hoc sancimus, ut rerum privatarum spoliatio agenti super ecclesiasticis, vel econtrario, nullatenus opponatur. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. Adversus violentos spoliatores alia præter interdictum *Unde vi* sunt prodita remedia, puta accusatio ex lege Julia de vi publica et de vi privata; nec non constitutiones variæ recentiores, quibus vis coercetur, comprehensæ in l. 7 et seq., c. *Unde vi.*

(30. Pinguiora vero præ cæteris sunt remedia juris canonici moribus hodiernis passim comprobata ex cap. *Sæpe contingit*, De restitut. spoliator., et can. *Redintegrandæ* 3, et 4, caus. 3, quæst. 1. Interdictum enim *Unde vi* tantum locum habet in rebus immobilibus et incorporalibus, quæ immobilium jure censentur, et tantum competit contra dejicientem, non item contra tertios rei possessores, et quidem intra annum.

(31. At remedium ex canone *Redintegrandæ* ad omnes omnino res extensum fuit, et adversus omnes rei possessores datum, sive bona, sive mala fide, sive cum, sive sine titulo possideant, et sive titulus, ex quo possident, sit onerosus, sive lucrativus sit, idque sine temporis distinctione.

(32. Sed an hæc, quæ usu recepta sunt de remedio ex capite *Redintegrandæ*, consona revera sint menti auctoris ipsius, *vide* Bœhmer. ad titul. *De restit. spoliat.*

SPOLIUM.

SUMMARIUM.

1. Spolia ecclesiasticorum beneficiatorum sine testamento aut facultate testandi decedentium spectant ad cameram Apostolicam. — 2. Spolia ecclesiasticorum beneficiatorum morientium sine facultate testandi pertinent ad cameram Apostolicam; eorumque dispositiones nullæ sunt, etiamsi sint ad pias causas. — 3. Spolia beneficiatorum morientium extra residentiam, etiamsi habuerint facultatem testandi, pertinent ad cameram Apostolicam. — 4. Spolia bonorum clericorum ex illicita negotiatione acquisitorum pertinent ad cameram Apostolicam. — 5. Spolia regularium vagantium et morientium extra claustra pertinent ad cameram Apostolicam, nisi habeant facultatem testandi. — 6. Non est tamen id intelligendum de omnibus bonis, sed de illis solum quæ acquisierunt extra claustra degentes. — 7. Hinc a fortiori manent religioni, et illi debentur bona illorum religiosorum, qui per accidens ex a

Digitized by Google

claustra decedunt. — 8. Spolium regularium solet erogari per prælatos regulares in usum conventus absque beneplacito Apostolico, etiamsi sit pecunia deposita absque vinculo in banco publico. — 9. Spolia cardinalium ubicunque decedentium non pertinent ad cameram Apostolicam. — 10. Spolia curialium et prælatorum habentium facultatem testandi non pertinent ad cameram Apostolicam.—11. Conclavistæ non subjacent spolio. — 12. Moriente clerico, sive Romano, sive curiali, sive incola ab intestato, si Romæ, vel intra spatium decem millariorum moritur, succedunt hæredes. — 13. Spolia fieri non possunt a collectoribus, etc., de iis beneficiatis, quorum beneficia non excedunt fructus ducatorum auri triginta de camera; et si faciunt, tenentur restituere, et per censuras ad hoc cogi possunt. — 14. Spoliorum causæ agitandæ sunt cum citatione commissarii cameræ. — 15. Spoliorum nomine, quæ ad cameram Apostolicam pertinent, non intelliguntur paramenta ecclesiæ, vasa, libri ecclesiæ gradualia, missalia, et hujusmodi. — 16. Vasa, ornamenta, vestimenta, et hujusmodi clerici decedentis intestati, si jam fuerunt dicata Deo, ecclesiæ vel oratorio expresse, non spectant ad hæredes ab intestato. — 17. Item ad hæredes non spectant prædicta, si Deo, ecclesiæ vel oratorio fuerint dicata, etiam solum tacite. — 18. In dubio autem non concurrentibus supradictis, talia vasa, ornamenta, vestimenta, et hujusmodi spectant ad hæredes ab intestato. — 19. Donatio in dubio non præsumitur, sed probari debet. — 20. Constitutio S. Pii V, loquitur concurrente ecclesia cum spolio, non autem concurrente ecclesia cum hærede.—21. Dicta Piana constitutio disponit solum de acquisitis ex fructibus beneficiorum, seu redditibus ecclesiasticis, non autem ex patrimonialibus, aut officiis lucrosis personalibus. — 22. Hinc hæredes beneficiati habentis opulentum patrimonium ante beneficii consecutionem, non debent amoveri a possessione bonorum, donec discutiatur an bona fuerint acquisita ante vel post beneficii consecutionem, et an ex fructibus beneficii, vel ex fructibus patrimonii seu officii lucrosi personalis. — 23. Ad cognoscendum ex quibus redditibus sint acquisita bona beneficiati habentis patrimonium, seu lucrosum officium personale, quid sit attendendum. — 24. Si clare constet clericum non habuisse alia bona, quam illa ecclesiæ, nec etiam aliquod officium personale lucrosum exercuisse, tunc sine dubio censenda sunt talia bona acquisita ex fructibus ecclesiasticis, adeoque cadere sub spolio et deberi ecclesiæ. — 25. Si autem dubium sit, an clericus ultra bona ecclesiæ, habuerit etiam bona propria, vel aliquod lucrosum officium personale tunc præsumitur clericum acquisivisse ex fructibus ecclesiasticis; at si talia bona ab hæredibus clerici possideantur, onus probandi, quod fuerint acquisita ex fructibus ecclesiasticis, spectat ad cameram, et respective ad ecclesiam, ubi ipsa ad talia bona succedat. — 26. Quando constat clericum simul habuisse bona ecclesiæ, et etiam patrimonialia, seu officia personalia lucrosa, nec constare potest, ex quibus fructibus fuerint talia bona acquisita, quid? — 27. Omnia spolia archiepiscoporum et episcoporum in insula Sardiniæ, et extra, non tamen in Italia decedentium, abdicantur ab eorum successoribus, et applicantur respectivis ecclesiis pro fabrica et manutentione. — 28. Spolium clericorum non est in usu in statu Mediolanensi, sed ex antiqua consuetudine transit ad eorum hæredes. — 29. Spolia archiepiscoporum et episcoporum, in regno Neapolis spectant ad ecclesias metropolitanas et cathedrales. — 30. Jus spolii ubi et quomodo sit receptum?—31. Spolia defunctorum canonicorum S. Salvatoris Bononiæ spectant ad eorum religionem. — 32. Spolia defunctorum Equitum Hierosolymitanorum non spectant ad cameram Apostolicam, sed ad eorum religionem. — 33. Nec eorum bona spectant ad hæredes sanguinis, sed religioni acquiruntur: quod procedit etiam de bonis patrimonialibus, aut aliunde quæsitis. — 34. Advertitur, tamen religionem Hierosolymitanam ex urbanitate dimittere suis militibus, et eorum hæredibus, omnia sua bona immobilia, nec fieri spolia, nisi de mobilibus et se moventibus. — 35. Spolium omnium eorum, quæ ab episcopo quæsita fuerunt a priori ecclesia, a qua fuit translatus, debetur eidem ecclesiæ. — 36. Spolium omnium rerum ad usum, et cultum divinum spectantium debetur ecclesiis quibus episcopi præfuerunt. Et de his episcopi nequeunt disponere per ultimam voluntatem, et contractum lucrativum donationis; sed solum per contractum onerosum ad satisfaciendum creditoribus, si alia bona non sufficiant. — 37. Etiam spolia beneficiatorum sunt dividenda proportionaliter inter ecclesias quibus præfuerunt.—38. Spoliorum tamen nomine non veniunt distributiones canonici defuncti.—39. Alia ad rem ad num. 61.

(1. Spolia ecclesiasticorum beneficiatorum, qui decedunt sine testamento, vel sine facultate testandi disponunt, et illa, quæ ultra facultatem remanent, pertinent ad cameram Apostolicam. Paulus III, 29 constit. incip. *Romani*.

(2. Spolia ecclesiasticorum beneficiatorum morientium sine facultate testandi pertinent ad cameram Apostolicam, eorumque dispositiones nullæ sunt, etiamsi sint ad pias causas. Pius IV, constit. 8, incip. *Grave nimis*.

(3. Spolia beneficiatorum morientium extra residentiam, etiamsi habuerint facultatem testandi, pertinent ad cameram Apostolicam. Pius V, constit. 91, incip. *In suprema*.

(4. Spolia bonorum clericorum ex illicita negotiatione acquisitorum pertinent ad cameram Apostolicam. Pius IV, constitut. 19, incip. *Decens*.

(5. Spolia regularium vagantium et morientium extra claustra pertinent ad cameram Apostoli am nisi habeant facultatem testandi; Gregorius XIII, constit. 43, incip. *Officii nostri*. (6. Advertit tamen Passerinus, *De statib. homin.*, tom. III, pag. 189, artic. 8, num. 529, talem constitutionem non habere locum de omnibus bonis religiosorum, sed de illis solum quæ acquisierunt extra claustra degentes; de his bonis loquitur constitutio Pauli IV, 14, inc. *Postquam*, et patet etiam ex citat. const. Greg. XIII, ubi dicitur tempore, quo extra claustra hujusmodi fuissent acquisita, et tandem § 3 statuit, ut bona omnia per regulares degentes extra claustra acquisita spectent ad cameram Apostolicam, ideo quæ religiosus acquisivit, antequam egrederetur de claustro, concludit dictus Passerinus, religioni manent, nam fuerunt jam illi acquisita. *Vide infra* num. 39.

(7. Hinc a fortiori manent religioni, et illi debentur bona illorum religiosorum, qui cum legitima facultate suorum superiorum itinera arripientes, vel apud parentes, amicos et benefactores, religiosas vacationes obeuntes per accidens ibi decedunt.

Digitized by Google

Et ita censuit sacra congregat. Episcop. et Regul., *in Vercellen.* 11 Aprilis 1650, et 30 Junii 1604, apud Pignatell., tom. VIII, cons. 85, allegans ad rem alia decreta sac. congr. S. Officii.

(8. Spolium regularium solet erogari per prælatos regulares in suum conventus absque beneplacito Apostolico, etiamsi sit pecunia deposita absque vinculo in banco publico, quia vere non est pecunia destinata ad emptionem. Sacra congr. Concilii, die 28 Februarii 1654, tom. XIX *Decret.*, pag. 319, proposito dubio : « N. superior regularis quærit pro quiete suæ conscientiæ, an si ipse pecunias provenientes ex spolio religiosi defuncti juxta consuetudinem monasterii pure absque aliquo vinculo deposuerit in banco publico civitatis, illas postea juxta eadem consuetudinem erogando in dictum usum, et necessitates urgentes ipsius monasterii ob penuriam et infirmitates supervenientes, ut ex partitis libri ejusdem monasterii liquere asseritur, inciderit in pœnas expressas in decreto *De rebus regul. non alienand.* inhærente etiam constitutione Pauli II, eo quod prius non obtinuerat licentiam. Sacr. congreg. secundum ea, quæ proponuntur, respondit non incidisse.» Sic refert cardin. Petra, tom. V *Comment. ad constitut.* 5 *Pauli II*, sect. 2, n. 33.

(9. Spolia cardinalium ubicunque decedentium non pertinent ad cameram Apostolicam. Pius IV, constitut. 19, incip. *Decens.*

(10. Spolia curialium et prælatorum habentium facultatem testandi, non pertinent ad cameram Apostolicam. Pius IV, const. 19, incip. *Decens.*

(11. Conclavistæ non subjacent spolio. Gregor. XIV, constitution. incipient. *Romanus*, § 10.

(12. Moriente clerico sive Romano, sive curiali, sive incola, ab intestato, si Romæ, vel intra spatium decem milliariorum moritur, succedunt hæredes. Paulus V, constit. 18, incip. *In eminenti*, § 4, Alexander VII, constitut. incip. *Nos volentes.*

(13. Spolia fieri non possunt a collectoribus, etc., de iis beneficiatis, quorum beneficia non excedunt fructus ducatorum auri triginta de camera, et si faciunt, tenentur restituere, et per censuras ad hoc cogi possunt. S. Pius V, constit. 42, incip. *Rom. Pontif.*

(14. Spoliorum causæ agitandæ sunt cum citatione commissarii cameræ. S. Pius V, constit. 51, incip. *Attendentes.*

(15. Spoliorum nomine, quæ ad cameram Apostolicam pertinent, non intelliguntur paramenta ecclesiæ, vasa, libri ecclesiæ, gradualia, missalia, et aliæ res sacræ, etiam auri et argenti, ac quæcunque alia bona, quæ per quoscunque episcopos ad usum et cultum divinum, etiam in eorum privatis ædibus, et capellis, vel oratoriis destinata tempore eorum obitus reperiuntur; quæ etiam sub quibusvis facultatibus testandi, et alias disponendi minime comprehenduntur, sed ea omnia ad eorum ecclesias idque proportionaliter habita ratione fructuum et temporis, quo beneficia, si plura fuerint, possederunt, nec ad hæredes ex testamento, vel ab intestato deveniunt. S. Pius V, constit. 42, incip. *Romani Pontificis.*

(16. Vasa, ornamenta, vestimenta, et hujusmodi clerici decedentis intestati, si jam fuerunt dicata Deo, ecclesiæ vel oratorio expresse, non spectant ad hæredes ab intestato. *Communis.* Quod enim semel Deo dedicatum est, ad humanos usus amplius redire non debet. Can. *Nulli licet* 3, caus. 12, q. 2, can. *Quod semel* 4, caus. 19, q. 3, can. *Ligna* 36, et can. *Vestimenta* 40, dist. 1, *De consecrat.*, cap. *Ad hæc* 2, De religiosis domibus, cap. *Mancipia* 3, De rerum permut., cap. *Semel* 51, De reg. juris in 6, l. *Si quis sepulcrum* 12, § 1, ff. *De religiosis et sumptibus funerum.*

(17. Item ad hæredes non spectant prædicta, si Deo ecclesiæ vel oratorio fuerint dicata, etiam solum tacite, ut si haberent signum, vel insignia ecclesiæ, vel essent ita apta tali ecclesiæ, ut viderentur fuisse a primæva sua emptione, vel confectione ipsi dicata, vel aliæ consimiles adessent conjecturæ, quibus posset rationabiliter præsumi ipsa fuisse tacite dictæ ecclesiæ dicata, seu donata. Rota divers., part. III, lib. III, decis. 582, n. 7 et 9; Ventriglia, tom. II, adnot. 16, § 1, num. 11, et alii, arg. citatis juribus. Unde ex Menochio, lib. II *De arbitr. judic.*, caus. 88, num. 8, judicis arbitrio est reliquendum, quænam conjectura ad præsumendam donationem sufficiat, quia conjecturæ in facto consistunt. Arg. l. *Sed si quis* 14, § 7, ff. *De religiosis et sumptibus funerum.*

(18. In dubio autem, non concurrentibus supradictis, talia vasa, ornamenta vestimenta, et hujusmodi spectant ad hæredes ab intestato; sic expresse pluribus adductis, defendit Ventriglia, *loco cit.*, a num. 12 ad 18, ubi testatur sic respondisse in facti contingentia, et secundum suum votum sic fuisse judicatum in quadam curia episcopali quoad sequentem casum :« Reverendus quondam N. N. dum viveret, emit ad suum proprium privatum usum et commoditatem nonnulla vasa, ornamenta seu vestimenta ecclesiastica et sacerdotalia, et deinde creatus canonicus ecclesiæ N. adhuc bona prædicta pro suo usu retinuit in eadem ecclesia, successive ab hac vita decessit, nulla facta particulari dispositione prædictorum bonorum. »

(19. Et ratio est, quia in tali casu bona prædicta non debent censeri donata ecclesiæ, quia donatio in dubio non præsumitur, sed probari debet per text. in l. *Cum de indebito* 25, ff. *De probationibus et præsumptionibus.* Imo potius error, seu actus invalidus, quam donatio præsumitur : Mascardus, *De probationibus*, conclus. 554, num. 4; Menochius, lib. II *De arbitr. judic.*, casu 88, num. 3; Barbosa, *De axiomat. usu frequent.*, verb. *Donare;* Flaminius Parisius, *De resignat. benefic.*, lib. IX, q. 19, num. 5; Aretin., in l. *A Titio*, num. 3, De verbor. obligat.; Ventriglia, *loc. cit.*, num. 15, et

Digitized by Google

alii; unde cum donans dicatur perdere per Glossam in c. 1, *De donationibus*, et nemo præsumatur suum jactare et perdere, per cit. l. *Cum de indebito* 25, ff. *De probationibus et præsumptionibus*, et l. *Campanus* 47, ff. *De bonis libertorum*, merito damnatur præsumptio donationis, prout fuisse damnatam in simili casu asserit Riccius, in *Decis. cur. archiepisc. Neapol.*, decis. 296, ubi quidam privatus fecerat argentea candelabra cum stigmatibus cujusdam monasterii, illaque penes monasterium reposuit, et adhuc contra monasterium fuit judicatum non fuisse donata, ut ad litteram refert Ventriglia; *loc. cit.*, n. 15.

Qui insuper n. 16 subdit, quod non obstat cit. *supra* n. 15, constitutio 42 S. Pii V, incipiens *Romani Pontificis*, ubi disponitur vasa, ornamenta, vestimenta, et hujusmodi in hæreditate beneficiati inventa, non ad spolium, sed ad ecclesiam beneficii spectare, quia prædicta constitutio loquitur concurrente ecclesia cum spolio, quod cum ficta persona sit, et odiosa, præsumendum est, defunctum ecclesiam spolio præferre voluisse; non autem loquitur constitutio concurrente ecclesia cum hærede, ut in casu nostro. Unde cum simus in diverso casu, non est facienda extensio de uno ad alium casum, cap. *Quæ a jure* 28, De regul. juris, et ibi Glossa communiter recepta verb. *Quæ a jure*, ubi ad id plura jura adducit, l. *Quod contra* 141, ff. *De regul. juris*, cum similibus, maxime cum non militat eadem ratio; a diversis enim non fit illatio. L. *Papinianus* 20, ff. *De minoribus*, c. *Ad audientiam* 12, De decimis, ad late tradita per Everardum, in sua *Topica*, loco: *a ratione legis*, etc., fol. 57.

(21. Tum quia dicta Piana constitutio disponit solum de acquisitis ex fructibus beneficiorum, seu reditibus ecclesiasticis, non autem ex patrimonialibus aut officiis lucrosis personalibus, ut quia clericus habebat officium lucrosum in curia, erat doctor, publicus lector, et hujusmodi, ut tradunt Navarr., *De spoliis cleric.*, § 1, n. 4; Bursat., cons. 376, n. 28, vers. *Attamen cessat*; Barbosa, *De jure ecclesiastic.*, lib. III, c. 17, n. 62; Azor., *Instit. moral.*, tom. II, lib. VIII, cap. 2, q. 11; Panimol., decis. 20, adnot. 2, n. 11; Bellet., *Disquisit. cleric.* I part., tit. *De bonis cleric.*, § 9, n. 5; Ventriglia, *loco cit.*, n. 17; Rota, *in Forolivien. de Monsignoribus* 26 Februarii 1603, *coram Penia*. In nostro autem casu talia bona non fuerunt empta ex fructibus beneficii, cum supponantur empta ante beneficii consecutionem, adeoque non cadunt sub spolio, sed spectant ad hæredes, ut cavetur in cap. 1 *De testament.*, in cap. *Manifesta*, et in cap. *Sicut manifesta* 12, q. 1, et tradunt Panimoll., decis. 20, adnotat. 2, num. 6; Navarr., *loco cit.*, § 5; Ventriglia, *loc. cit.*, num. 17, et alii per textum in l. *Edicto* 3, cod. *De edicto divi Adriani tollendo*, ubi hæredi tradendam esse possessionem omnium bonorum defuncti disponitur.

(22. Hinc hæredes beneficiati habentis pingue patrimonium ante beneficii consecutionem non debent amoveri a possessione bonorum, donec discutiatur, an bona fuerint acquisita ante, vel post beneficii consecutionem, et an ex fructibus beneficii, vel ex fructibus patrimonii, seu officii lucrosi personalis? per textum clarum in cap. *Nulli dubium* 1, caus. 12, q. 5 in fine, ibi: « Nec ei sine cognitione de his, quæ possidet quidquam auferre. » Et tradunt Panormit., in cap. *Cum esses*, n. 24, vers. *Sed possessor*, De testament.; Bursat., cons. 376, n. 13; Zabar., consil. 79, n. 2, vers. *Unde in casu nostro*; Roman., cons. 159, n. 5, vers. *Tertio casu principali*; Redoan., *De spoliat. clericor.*, q. 9, num. 33 in fine; Aloysius Leo in *Thesaur. for. eccles.*, part. III, c. 3, n. 25; Filliuc., *Oper. moral.*, tract. 43, c. 5 in fine; Panimol., *loc. cit.*, n. 12, et alii passim.

(23. Ad cognoscendum autem ex quibus reditibus sint acquisita bona beneficiati habentis patrimonium, seu officium personale lucrosum, attendenda est summa fructuum beneficii, ex qua summa, et non ex patrimoniali, seu personali lucro detrahenda sunt alimenta beneficiati, et suæ familiæ, ac omnes expensæ necessariæ, aliæque factæ pro eleemosynis et piis operibus; unde, si talis summa ex reditibus beneficii non sit tam ingens et exuberans, ut ex ipsa, detractis supradictis omnibus, adhuc remaneant superflui reditus, ex quibus verisimiliter detegatur fuisse dicta bona acquisita, tunc censenda sunt acquisita ex fructibus patrimonii et officii personalis lucrosi, quæ in tali casu non cadunt sub spolio, sed spectant ad hæredes; sic Innocentius, in c. *Cum in officiis* 27, De testamentis, ibique communiter cæteri canonistæ, teste Panimol., *loc. cit.*, n. 13, apud quem etiam communis aliorum.

(24. Si vero clare constet clericum non habuisse alia bona, quam illa ecclesiæ, nec etiam aliquod officium personale lucrosum exercuisse, tunc sine dubio censenda sunt talia bona acquisita ex fructibus ecclesiasticis, adeoque cadere sub spolio, et deberi ecclesiæ. *Communis*, per text. in cap. *Cum unusquisque*, De peculio clericor., et c. 1, caus. 2, q. 3, cum similibus.

(25. Si autem dubium sit, an clericus ultra bona ecclesiæ habuerit etiam bona propria, vel aliquod officium personale lucrosum; tunc præsumitur clericum acquisivisse ex fructibus ecclesiasticis; sed si talia bona ab hæredibus clerici possideantur, onus probandi, quod fuerint acquisita ex fructibus ecclesiasticis, spectat ad cameram, et respective ad ecclesiam, ut ipsa ad talia bona succedat. Menoch., *De arbitr. judic.*, cas. 165, n. 9 et 10, et *De præsumpt.*, lib. III, præsumpt. 13, n. 7, cum pluribus aliis ibi allegatis; Gratian., *Disceptat. forens.*, c. 381, n. 1, tom. II; Panimol., *loc. cit.*, n. 14 et 19, et alii passim.

(26. Quando tamen constat, clericum simul habuisse bona ecclesiæ, et etiam patrimonialia, seu officia personalia lucrosa, nec

Digitized by Google

constare potest, ex quibus fructibus fuerint talia bona acquisita, tunc præsumitur fuisse acquisita ex utrisque, et dividi debent personaliter inter ipsius clerici hæredem, et ecclesiam, seu cameram arbitrio judicis, bene attenta et animadversa qualitate et quantitate tum patrimonii seu officii personalis lucrosi, tum fructuum ecclesiæ; et sic, an fructus ecclesiæ excedant, an vix sufficere possint ad commodam clerici sustentationem? quæ integra prius sumi debet ex ipsis fructibus ecclesiasticis, juxta dicta *supra* n. 23, argum. cap. *Cum secundum Apostolum* 16, De præbend., et similibus. Sic ex Abbat., cardin. Zabarall., Bald., Alexandr., Socin., Roman., Menoch., *De arbitr. judic.*, casu 195, n. 7 et 8, lib. III, præsumpt. 53, n. 5; Panimol., *loc. cit.*, n. 18, et alii passim (66).

(27. Omnia spolia archiepiscoporum et episcoporum in insula Sardiniæ, et extra, non tamen in Italia decedentium abdicantur ab eorum successoribus, et applicantur respectivis ecclesiis pro fabrica et manutentione: et hoc vigore Brevis S. Pii V, ad instantiam regis catholici emanati. Rota, part. IV, rec. tom. III, dec. 560, n. 7 et 8, et dictum Breve confirmatum fuit etiam a Clemente VIII, Rota, *ibid.*, c. 9 et seq.

(28. Spolium clericorum non est in usu in statu Mediolanensi, sed ex antiqua consuetudine transit ad eorum hæredes. Rota, part. IV, recent., tom. III, dec. 529, n. 5 et seq., card. de Luca, *De benefic.*, disc. 10, n. 5 et 9.

(29. Spolia archiepiscoporum et episcoporum in regno Neapolis spectant ad ecclesias cathedrales et metropolitanas. Innoc. XII, constit. incip. *Inscrutabili*, et Benedict. XIII, constit. incip. *Sacrosancti apostolatus*, ubi ad id ampliat, etiamsi episcopi moriantur extra residentiam. *Vide infra* n. 44.

(30. Jus spolii non est receptum in Gallia, neque in Germania, neque in Belgio, neque in Lusitania. At in regno Castellæ sola episcoporum, non autem aliorum beneficiatorum spolia, cameræ Apostolicæ acquiruntur. In Italia autem, tam beneficiatorum inferiorum, quam episcoporum spolia fisco cedunt Apostolico, ut testantur Martinus Navarra, tract. *De spoliis*, § 14; Azorius, part. II, lib. VIII, c. 5, et alii.

(31. Spolia defunctorum canonicorum S. Salvatoris Bononiæ spectant ad eorum religionem. Rota, part. XIV, dec. 363, n. 14.

(32. Spolia defunctorum equitum Hierosolymitanorum non spectant ad cameram Apostolicam, sed ad eorum religionem. Rota, part. VIII, rec. decis. 51, n. 11.

(33. Nec eorum bona spectant ad hæredes sanguinis, sed religioni acquiruntur. Rota, part. IV, dec. 76, n. 1 et 2, et adnotat. ad decis. 16, n. 9, part. III, quod procedit, non solum de bonis quæ ad eos perveniunt intuitu suæ religionis, sed etiam de patrimonialibus, aut aliunde quæsitis, et non solum ex dispositione statutorum religionis, sed etiam juxta juris communis dispositionem. Rota, part. II, dec. 76, num. 1, et adnot. ad dec. 16, num. 8, part. III. Religio enim succedit ad exclusionem omnium in hæreditatibus militum defunctorum et in omnibus et singulis eorum bonis. Rota, part. IX, tom. I, dec. 30, num. 43, et adnotat. ad dec. 10, num. 8, part. III. Et eorum bona deferuntur in thesauro religionis ex constitutione Clementis VIII et S. Pii V. Rota, part. IV, dec. 76, n. 7.

(34. Advertendum tamen est, religionem Hierosolymitanam ex urbanitate dimittere suis militibus, et eorum hæredibus omnia sua bona immobilia, nec fieri spolia, nisi de mobilibus et se moventibus. Rota, part. IX, tom. I, dec. 302, n. 17.

(35. Spolium omnium eorum, quæ ab episcopo quæsita fuerunt ex priori ecclesia, a qua fuit translatus, debetur eidem ecclesiæ. Sic pluries statuit sacr. congr. Conc., et signanter in *Cathacen.*, seu *Suessana Spolii*, in qua ad dubium: « An bona mobilia, libri, pecuniæ, cæteraque (præter sacra paramenta) inventa tempore obitus bon. mem. Francisci Gorii episcopi Suessani, prius episcopi Cathacen. apud ipsum, spectent ad ecclesiam Cathacen., vel potius ad ecclesiam Suessanam? » Ead. sacr. congr. Conc., die 28 Sept. 1709, respondit, quod « bona quæsita ex fructibus ecclesiæ Cathacen. spectabant ad eamdem. » Et reproposito eodem dubio die 35 Jan. 1710, sacra congregatio *stetit in decisis*, uti habetur lib. LIX *Decret.*, pag. 331, et lib. LX, pag. 27.

Et in *Trevicana*, seu *Tricaricen.*, in qua propositis quatuor hisce dubiis.

« I. An mobilia, libri, pecuniæ, argenta, aliaque bona (præter sacra paramenta) bon. mem. Simonis Viglini prius episcopi Trevicani, et postea Tricaricen. reperta tempore ejus obitus, spectent ad ecclesiam Trevicanam, vel potius ad ecclesiam Tricaricen. in casu, etc.

« II. An paramenta, et vasa sacra, aliaque argenta, et supellectilia ad usum capellæ et cultum divinum destinata, reperta, ut supra, debeantur ecclesiæ Trevicanæ, vel potius dictæ ecclesiæ Tricaricen. in casu, etc.

« III. An argenta, et mobilia, aliaque bona ab ecclesia Trevicana commodata d. bon. mem. episcopo Viglino, tunc episcopo Trevicano, debent eidem ecclesiæ Trevicanæ restitui in casu, etc., et quatenus affirmative.

« IV. An, et a quo, et quibus bonis, illis non exstantibus, debeat solvi illorum pretium in casu, etc.

Sacra congr. Conc., die 6 Jul. 1726, respondit: « Ad I et II pertinere ad eccle-

(66) Quæ a sequenti numero traduntur, conferantur cum iis quæ Thomassinus, p. 3, lib. II, cap. 57, postquam superioribus capitibus historiam exhibuit juris spoliorum a primis Ecclesiæ sæculis ad sæculum XIV, de Pontificio jure spoliorum primum a Clemente VII, tempore schismatis Avenionensis, ut ipse existimat, inducto collegit.

Digitized by Google

siam Trevicanam. Ad III. *Affirmative*. Ad IV. solvenda esse ex hæreditate episcopi. » Sic apud *Thesaurum resolution.* sacr. congreg. Concil., tom. III.

« Ac *in Acerrarum, seu Matheranen., et Acheruntina Spolii*, » in qua ad dubium : « An capitula ecclesiarum Matheranensis et Acheruntinæ teneantur restituere capitulo ecclesiæ Acerrarum bona descripta, et contenta in inventario facto per bon. memor. episcopum Positanum 30 Septemb. 1723. Respondit *Affirmative*. Sic apud dict. *Thesaurum*, tom. VI et VII. »

(36. Spolium ornamentorum, paramentorum, aliarumque rerum ad usum et cultum divinum spectantium, debetur ecclesiis, quibus episcopi præfuerunt ; et de his rebus episcopi nequeunt disponere per ultimam voluntatem et per contractum onerosum, ad satisfaciendum creditoribus, si alia bona non sufficiant. Proposito enim dubio in sacr. congreg. Conc. : « An creditoribus defuncti episcopi in subsidium, si alia bona non sufficiant, satisfaciendum sit ex bonis etiam benedictis, seu pontificalibus, non obstante constitutione 24 B. Pii V. » Sacra congreg. Conc., die 29 Maii 1683, respondit *Affirmative*. Prædicta enim Bulla 42, incip. *Romani Pontificis*, sustulit solum contrarias dispositiones de dictis bonis factas per ultimam voluntatem et per contractum lucrativum donationis, secus autem per contractum onerosum, ut firmant Guttier., Roderic., Garcia et Salgad. citati in expositione causæ in d. *Trevicana*, seu *Tricaricen.* apud *Thesaurum resolution.* S. congreg. Conc., tom. III.

(37. Item spolia beneficiatorum, qui pluribus ecclesiis præfuerunt, esse dividenda proportionaliter inter dictas ecclesias statuit S. Pius V, in d. constitut. 42, incip. *Romani Pontificis*, et tenent Gavant., in *Manual. episcop.*, verb. *Spolium*, n. 4.

(38. Spoliorum tamen nomine non veniunt distributiones canonici defuncti. Sac. cong. Episcop. et Regul., 29 Nov. 1600, apud Gavant., *loc. cit.*, n. 1.

(39. Numero 6 addendum est, quod sic in terminis resolvit sacr. congregatio Spoliorum, *in Pistorien.*, die 11 Decemb. 1731, quod nempe dicta constitutio Gregorii XIII loquatur, et intelligenda sit solum de bonis de novo acquisitis a regularibus tempore, quo degebant extra claustra, et non de illis quæ jam acquisierant antequam e claustris egrederentur, sicuti nec de illis bonis patrimonialibus, quæ regulares ante ingressum in religionem renuntiassent cum pacto reversivo in casu reditus ad sæculum ex indulto Apostolico. Cum enim D. Sigismundus de Selesis canonicus regularis Lateranensis ex indulto Apostolico provisus de canonicatu in cathedrali Pistoriensi similem fecisset renuntiationem ante ingressum in religionem, articulo acriter discusso, prodiit resolutio dictæ sacræ congregationis contra reverendam cameram sub hac formula, *Nihil constare pro camera.* (40. Et sic etiam censuit Rota, dec. 151, n. 18 et seq., part. VI, recent., et eadem sacr. congr. Spoliorum, *in Bononien.* 15 Septemb. 1701, apud Scarfanton., part. III, addit. 20, n. 17, 27, 28 ac per tot., ubi plura tradit ad rem scitu dignissima, et pluribus adductis, recte declarat, quod camera Apostolica succedit regulari extra claustra degenti, etiam de licentia suorum superiorum in bonis quæsitis per eum extra eadem claustra, in bonis autem intra claustra quæsitis succedit religio, quæ pariformiter succedit in bonis acquisitis a religioso vacante extra claustra, et postea ad monasteria reverso, in eoque mortuo, quia constitutio Gregorii loquitur solum de religiosis extra claustra vagantibus, et extra ea decedentibus, ut recte observant Navarr., in *Summa Bullar.*, part. II, canon. 9 ; Ricc., part. IV, dec. 179 et decis. 177 ; Capon., discept. 256, n. 8, cum aliis ab ipso allegatis, *loc. cit.*, n. 29, 30 et 31.

(41. Spolio subjiciuntur bona a clericis, etiam curialibus, acquisita per negotiationem. Benedict. XIV, tom. I, constitut. 53, incip. *Apostolicæ servitutis*, § 1 et 3. (42. Spoliorum commissarii tenentur quotannis rationem reddere in computisteria cameræ Apostolicæ. Idem, tom. II, constitut. 6, incip. *Apostolicæ Sedis*, n. 26.

(43. Spoliorum subcollectores eludi possunt a clericis, si isti bona ecclesiæ, quæ supersunt, pauperibus erogent, neque in commodum congregent cognatorum, ut recte advertit card. Baronius ad ann. 379, n. 64, de his collectoribus loquens inquit, « de quorum importuna exactione cum multi querantur, hos facile vitabunt, et prudenter arte deludent, qui bona Ecclesiæ, quæ supersunt, non congregarint, sed in pauperes erogarint. » Quem sequitur Thomassin., *De beneficiis*, part. III, lib. II, cap. 17, sub n. 9, prout adducit Benedict. XIV, *De synodo diœcesana*, lib. III, c. 8, n. 7.

(44. Spolia archiepiscoporum, episcoporum et reliquorum prælatorum regni Neapolitani ab Innocentio XII, constitut. incip. *Inscrutabili*, addicta fuerunt ecclesiis, quibus antistites hujusmodi, dum viverent, præfuerunt. Benedict. XIV, constitution. incip. *Pastoralis sollicitudo*, § 2. Innocentianam constitutionem iteratis additis declarationibus Benedict. XIII, in constitut. incip. *Sacrosancti Apostolatus officium*, et in constitut. incip. *Romanum decet Pontificem*, defendit adversus cavillosas quorumdam interpretationes. Idem, *ibid.*, § 3 et 4. Qui subinde § 8 et sequent. novam formam assecurandis, custodiendis, distribuendisque spoliis hujusmodi prælatorum præscribit, prohibendo nempe, quod viventibus præsulibus, canonici, capitula, quibus spoliorum applicandorum cura spectat, quidquam attentent : item ecclesiarum indemnitatem vicario generali præsulis ægrotantis demandando. Demortui inde præsulis spolia esse diligenter custodienda, et ad id claves obsignatorum cubiculorum a præfato vicario generali esse tradendas vicario capitulari et canonicis deputatis, per actum solemnem coram iisdem testibus, explendum, et nota

Digitized by Google

rio, similiter litteris consignandum ; ac præcipiendo, quod, his omnibus absolutis, nequaquam liceat rem ullam in defuncti spolio repertam, vendere, aut alia ratione alienare, nisi postquam ecclesiæ de novo pastore seu rectore provisum fuerit, atque hic ejusdem ecclesiæ possessionem adeptus fuerit ; quia possessione adepta, præscribit regulas servandas ab ipso circa res in defuncti spolio repertas. Quicunque interim sede vacante, quocunque modo spolia illa administrarunt, vel administrationi præfuerunt, novo præsuli rationem reddere tenentur. Idem, *ibid.*, § 12.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(45. Beneficiariis nulla secundum canones est potestas disponendi causa mortis de fructibus beneficiorum tam collectis quam colligendis, rebusque sibi obventis ab ecclesia, vel pecunia beneficii comparatis, sed ipsi post suum decessum omnia ecclesiæ suæ restituere debent. Cap. final. *De pecul. cleric.*

(46. Nec de rebus patrimonialibus testari olim poterant clerici viventes vitam communem. Canon. *Nolo* 12, q. 1. (47. Post solutam vero clericorum communitatem, de rebus patrimonialibus ad libitum testari eis concessum, sed nequaquam de ecclesiasticis proventibus. Cap. 2, *De testam.*

(48. Post constitutam rerum ecclesiæ partitionem in episcopum, clerum, fabricam et pauperes, dubitatum fuit, an episcopus nomine ecclesiæ intelligeretur ad effectum succedendi. At Alexander III, in decretali ad capitulum Cassanense in cap. 22, *De testament.* definivit, quod nomine ecclesiæ non episcopus, vel successor clerici morientis, ubi est collegium clericorum, sed communis congregatio intelligatur, quæ rerum in hæreditate clerici remansarum debet canonicam distributionem et curam habere : ubi autem non est collegium, sed in loco defuncti unus est ordinandus, ipsemet successor eamdem, sicut et alia ipsius ecclesiæ in Dei timore dispenset. (49. Et Bonifacius VIII, in cap. *Quia sæpe* 50, De elect. in 6, cohærenter sanxit, ut bona a prælatis cathedralium et collegiatarum dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, in utilitatem dictarum ecclesiarum expendantur, vel futuris successoribus debeant fideliter servari, comminando in particulares occupatores pœnam suspensionis ab officiis et beneficiis.

(50. Nihilo tamen minus consueverant episcopi bona clericorum decedentium ab intestato usurpare, sibique vindicare, vel ex privilegio Sedis Apostolicæ, vel ex consuetudine. (51. Privilegii monumentum habetur in cap. *Cum sibi* 28, De verb. signif. (52. Consuetudinem vero probavit Bonifacius VIII, in cap. *Præsenti* 9, De offic. Or. in 6. (53. Et hanc Bonifacii constitutionem probavit concilium *Constantiense*, sess. XXXIX, sub titul. *De spol.*

(54. Interea que ortum suum sæculo XIII habuisse videtur reservatio spolii decedentium clericorum in favorem cameræ Apostolicæ. Innocentius enim IV primus omnium constituit anno 1246, ut si clericus extunc decederet intestatus, ejusdem bona in usus domini Papæ converterentur, ut Matthæus Parisiensis refert ad dictum annum 1246. Aliæ postmodum ab aliis Summis Pontificibus puta a Clemente VI, anno 1346, et ab Innocentio VI, anno 1352, conformes editæ fuerunt constitutiones.

(55. Quoniam vero aliqui in dubium revocabant, an bona et spolia prælatorum tempore obitus remanentia, ad cameram Apostolicam generatim pertinerent ex aliqua generali constitutione Apostolica, propterea quod collectores in variis, sed non universis provinciis Romani Pontifices destinassent ; Paulus III tandem, anno 1541, Bullam edidit, quæ incipit *Romani Pontificis providentiam*, declarantem bona hujusmodi prælatorum sine facultate testandi decedentium ubicunque ad cameram Apostolicam spectare, et per collectores Apostolicos exigi debere.

(56. Hanc constitutionem confirmavit et declaravit Julius III immediatus successor, anno 1550, in Bulla cui initium : *Dudum ex certis*, quibus præscripsit fructus beneficiorum exactos, et cum reliquis clericorum bonis profanis commistos ac incorporatos, ad liberam beneficiatorum dispositionem, ubi a Sede Apostolica obtinuerint indultum disponendi, spectare ; fructus vero tam inexactos, quam non commistos ad cameram Apostolicam reservari debere in locis, ubi collectores adsint Apostolici. Ad clericorum autem hæredes profanos, sive ab intestato sive ex testamento vigore quarumcunque facultatum condito, aut legatarios nequaquam pertinere fructus maturatos in ipsorum clericorum vita, sed non exactos.

(57. Idem Summus Pontifex anno 1550, in Bulla quæ initium habet : *Cupientes*, quibusvis prælatis et ecclesiasticis urbem Romam incolentibus, vel curiam sequentibus, liberam facultatem indulsit, si in dicta curia et districtu decesserint, disponendi et testandi de quibuslibet rebus intuitu etiam ecclesiæ quæsitis in favorem quarumlibet personarum, nec non transmittendi res easdem ecclesiasticas ab intestato ad suos legitimos successores. (58. Deinde anno 1553, ad se avocavit causas spoliorum coram aliis quam thesaurario Pontificio, ejusve ministris pendentes, easque eidem thesaurario commisit generali spoliorum in tota Italia collectori.

(59. Fuerunt et aliæ constitutiones circa eamdem materiam latæ ab aliis Summis Pontificibus, scilicet S. Pio V, anno 1560, 1564 et 1667, Gregorio XIII, anno 1577, Innocentio XII, anno 1693, et Benedicto XIII, anno 1726.

(60. Hic vero prætereundum haud est, sub Sixto V, ortum habuisse transactiones spoliorum inter nuntium Pontificium nomine Curiæ Apostolicæ, singula fere capitula civitatum et diœcesum regni Neapolitani, et pleraque Italiæ, hoc pacto initas, ut solum quotannis conventa pecuniæ quantitate in favorem cameræ, possessores beneficiorum, eorumque profani hæredes exem-

Digitized by Google

pti sint a spolio, præter quam in casu illicitæ negotiationis. Vigore igitur harum transactionum beneficiarii fere omnes, qui annuam summam pro transacto spolio persolvunt subcollectori cameræ Apostolicæ, bona intuitu ecclesiæ quæsita, et fructus beneficiorum jam collectos, et exactos ad hæredes profanos ab intestato transmittunt, et de iis pro libito disponunt ac testantur.

(61. In locis igitur, in quibus transactio spolii confecta non sit, datur locus ipsi spolio.

SPONSALIA.

SUMMARIUM.

1. Sponsalia et sponsus unde dicantur? — 2. Sponsalia triplicitèr potissimum sumuntur, et quomodo?—3. Sponsalia proprie accepta definiuntur.— 4. Ad valorem sponsalium de futuro plura requiruntur. Primo, requiritur quod promissio futuri matrimonii sit vera, ac seria, et non ficta, seu simulata. — 5. Affertur et solvitur instantia. — 6. Ficte, aut simulate, seu jocose, vel dolose tantum promittens alteri matrimonium, quamvis in foro interno non teneatur servare tale promissum, peccat tamen sic promittendo, et tenetur resarcire totum damnum alteri inde secutum. — 7. In foro autem externo quivis præsumitur vere, et serio promisisse; unde ad servandum promissum debet condemnari, nisi legitime fictionem, seu simulationem, aut jocum, seu dolum probet. — 8. Secundo, ad valorem sponsalium requiritur quod promissio sit deliberata, et libera ab omni gravi metu et errore circa personam. — 9. Tertio, requiritur quod talis promissio sit verbis, aut aliis signis externis sufficienter manifestata. — 10. Quarto, requiritur quod promissio sit mutua et reciproca ab utraque parte facta. — 11. Quinto, requiritur quod sponsalia contrahantur inter personas de jure habiles. — 12. Ætas legitima requisita, et sufficiens, tam in femina quam in masculo, pro contrahendis sponsalibus, est septennium completum. — 13. Unde sponsalia ante completum septennium unius aut utriusque ordinarie sunt invalida, et nulla, quamvis illa loco liberorum contraxerint parentes, nisi liberi facti septennio majores, ea ratificent.—14. Adducitur et solvitur instantia. — 15. Extraordinarie tamen possunt etiam talia sponsalia esse valida, si nempe in aliquibus malitia suppleat ætatem. — 16. Si duo impuberes septennio majores sponsalia contrahant neuter ab illis ante pubertatem resilire potest; bene vero post illam. — 17. Nec in tali casu qui primo sit pubes, tenetur alterum exspectare, donec etiam ille pubescat, sed potest statim ac pubescit pro libito resilire. — 18. Si autem pubes cum impubere contrahat sponsalia, tunc pubes non amplius resilire potest; bene vero impubes, cum ad pubertatem pervenerit. — 19. Impubes, quamvis possit, cum ad pubertatem pervenerit, a sponsalibus resilire, tamen debet statim pubertatem adeptus, id facere. — 20. Facultas resiliendi a sponsalibus impuberibus a jure concessa post adeptam pubertatem, habet locum, tam in foro interno, quam in foro externo. — 21. Talis facultas resiliendi a sponsalibus probabilius non est censenda concessa impuberibus, si ipsa sponsalia juramento confirmaverint, quamvis tamen opposita sententia sit probabilis. — 22. Sponsalia de præsenti, seu matrimonium ab impuberibus nulliter contractum, valet in vim sponsaliorum, seu transit et resolvitur in sponsalia de futuro. — 23. Matrimonium autem nullum ex aliquo essentiali defectu, ut celebratum sine proprio parocho, non resolvitur in sponsalia de futuro, etiamsi secuta sit copula in figura matrimonii. — 24. Ad valorem sponsaliorum non requiritur præsentia parochi et testium. — 25. Item ad valorem sponsalium non requiritur consensus, aut consilium parentum, aut eorum sub quorum cura exsistunt sponsalia contrahentes.— 26. Ut licite tamen contrahant filii sponsalia, requiritur saltem, ut prius desuper consulant parentes, quamvis eorum consilium non semper sequi teneantur. — 27. Parentes contrahere possunt sponsalia pro suis filiis puberibus, sive impuberibus, et si ipsi filii expresse, vel tacite consenserint, obligantur ad illa, et ex eis oritur justitia publicæ honestatis. — 28. Parentes, nedum contrahere possunt sponsalia pro suis filiis præsentibus, sed etiam pro ipsis absentibus, et sponsalia ignorantibus; et si ipsi filii post scientiam dicta sponsalia ratificaverint expresse vel tacite, ad illa obligantur. — 29. Sponsalia contracta a parentibus pro filiis, sive præsentibus, sive absentibus, aut ignorantibus, et nec expresse, aut tacite consentientibus, et a fortiori contradicentibus sunt invalida, et nulla. — 30. Item invalida, et nulla sunt sponsalia contracta a filiis per gravem metum eis a parentibus, seu ab aliis injuste incussum. — 31. Talia sponsalia ex gravi metu inita neque firmantur juramento. — 32. Nec tale juramentum obligat, nec ulla indiget relaxatione, aut absolutione. — 33. An sponsalia contracta per metum reverentialem sint invalida et nulla. — 34. Sponsalia contracta per metum levem, etiamsi injuste incussum, sunt valida. — 35. In foro externo generaliter loquendo, nisi aliunde de intentione constet, censenda sunt contracta vera sponsalia per illa verba, quæ juxta communem intelligentiam, et communem loci usum, aut consuetudinem loquendi, veram promissionem futuri matrimonii significant. — 36. Assignantur in specie verba certo significantia et importantia sponsalia. — 37. Assignantur verba certo non sponsalia sed matrimonium significantia. — 38. Assignantur verba sub dubio constituentia sponsalia, nisi major expressio addatur.—39. Hæc verba *Non ducam aliam, seu nullam aliam ducam, quam te, vel præter te, aut nisi te*, probabilius non faciunt sponsalia, nisi aliquando ex circumstantiis alia intentio constet. — 40. Non solum verbis, seu epistolis similia verba continentibus, sed etiam signis seu factis consensum internum exprimentibus sponsalia contrahuntur.—41. In foro externo generaliter loquendo sponsalia contracta esse censentur, ac præsumuntur per illa signa seu facta, per quæ, concurrentibus circumstantiis juxta communem intelligentiam, ac usum et consuetudinem loci voluntas, seu sensus internus contrahendi exprimi et manifestari solet. — 42. Sic concurrente circumstantia præcedentis tractatus matrimonii, seu verbi unius, censentur et præsumuntur contracta sponsalia per immissionem, seu donationem, et receptionem annuli. — 43. Item concurrente circumstantia præcedentis tractatus matrimonii per remissionem, seu donationem et acceptationem aliorum munerum juxta morem sponsorum censentur et præsumuntur contracta sponsalia. — 44. Item in simili circumstantia præcedentis tractatus matrimonii per porrectionem manus ab uno factam, et ab altero sine renitentia et contradictione acceptatam censetur, et præsumuntur contracta sponsalia. — 45. Per omnia autem supradicta, si non concurrat circumstantia præcedentis tractatus matrimonii, nec ad hoc speciale quid habet consuetudo loci, non censentur, nec præsumuntur contracta sponsalia in foro externo.— 46. Quando verba, signa aut facta, omnibus consideratis, adhuc remanent dubia, an inducant vera sponsalia, vel non? et qui ea protulit, aut edidit, negat ea protulisse, aut edidisse intentione promittendi matrimonium: tunc judex debet negantem absolvere, præsertim si ei delato juramento purgatorio, juret absolute non habuisse talem

Digitized by Google

intentionem. — 47. Quando vero verba, signa aut facta secundum communem usum aut consuetudinem loci sunt clara et sponsalia vere significant, tunc negans condemnari debet, nec debet admitti ad juramentum, quamvis dicat se ad obtinendum usum corporis, vel ob alium similem finem jocose, ficte, dolose aut fraudulenter prodidisse seu edidisse, nisi jocum, fictionem, dolum aut fraudem legitime probaverit. — 48. Quando verba, signa aut facta clare significant sponsalia, et reus absolute negat, se ea protulisse aut edidisse, nec actor id plene probare potest, quid in tali casu facere debeat judex, et cui juramentum sit deferendum? — 49. Sponsalia vera, quamvis occulta, obligant sub mortali. — 50. Sponsalia obligant tempore ad nubendum præfixo, nisi justa causa excuset. — 51. Et procedit conclusio, quamvis in hoc casu pars altera non urgeat. — 52. Unde, si ratione culpabilis moræ unius altera pars aliquod damnum patiatur, debet illud damnum ei penitus resarcire. — 53. Si autem intervenerit aliqua rationabilis causa, possunt licite sponsalia differri quoad effectuationem matrimonii. — 54. Si nullum certum tempus sit præfixum ad contrahendum matrimonium, tenetur quisque contrahere, altero exigente, quamprimum commode potest. — 55. Recusans post legitima sponsalia contrahere matrimonium, potest et debet ad id compelli per competentia juris remedia, nisi rationabilis causa obstiterit. — 56. Et conclusio procedit, sive sponsalia fuerint jurata, sive non. — 57. Pro compellendo tali renuente contrahere matrimonium debet judex ecclesiasticus ante omnia ipsum renuentem debito modo monere, adjunctis etiam minis, ut suæ obligationi satisfaciat, promissum matrimonium contrahendo. — 58. Deinde si monitione, et minis judex ecclesiasticus nihil proficiat cum tali renuente matrimonium contrahere, potest etiam adhibere nedum pœnam pecuniariam, sed et carceres, aut alias pœnas corporis afflictivas, si eas adhibendi occasionem habeat. — 59. Et si nec etiam incarceratione, aut aliis pœnis corporis afflictivis aliquid efficiat, tunc potest et debet renuentem etiam censura excommunicationis ad nubendum compellere. — 60. Si autem episcopus, non adhibita carceratione aliisque pœnis corporis afflictivis, statim censuras adhibeat pro compellendo ad contrahendum matrimonium talem renuentem, illicite quidem, sed tamen valide aget, et censuræ sic statim inflictæ valebunt. — 61. Si tandem, adhibitis omnibus supradictis mediis, etiam censuris, adhuc renuat cum tali nubere, non potest finaliter cogi ad nubendum, sed debet dimitti et absolvi, præsertim si adverteretur magna animorum aversio, ita ut ex tali futuro matrimonio forent timenda jurgia, scandala, verbera, mutilationes, perpetuæ inimicitiæ, aut alia similia gravia incommoda. — 62. Nec quid novi induxit circa id concilium Tridentinum, sed in suo robore reliquit dispositionem juris canonici de non cogendo finaliter ad nubendum talem renuentem nubere. — 63. Unde recusans matrimonium contrahere post sponsalia, potest quidem moneri, et juxta sacrorum canonum præscripta compelli comminatione censurarum, non autem potest præcise cogi, et potissimum ubi adsit aliqua justa causa resiliendi a sponsalibus; quo casu judex potest quidem monere, ut ad effectuationem matrimonii deveniat, non autem potest cogere neque per censuras, et præsertim si timeatur quod censuræ sperni possint, vel quod per matrimonium coacte initum gravius malum oriri possit. — 64. In tali enim casu potest judex omnino abstinere a censuris, si prudenter prævidet, quod illæ nihil efficient, uti prævidere potest, si animi aversio nimia dignoscitur. — 65. Et in casu, quo talis renuens matrimonium effectuare, fuerit ob id excommunicatus, tunc judex ecclesiasticus, non solum sponsum petentem absolutionem absolvere potest, postquam diu stetit excommunicatione innodatus, sed eumdem etiam non petentem absolvere tenetur. — 66. Tempus autem, quod decurrere debet, antequam talis renuens excommunicatus absolvatur, regulariter solet esse illud unius anni, quamvis Rota in particularibus facti circumstantiis censuerit esse 16 vel 17 mensium. — 67. Nec in tali casu poterit licite sponsa adhuc urgere negationem talis absolutionis a censura. — 68. Poterit tamen sponsa licite jure exigere compensationem omnium damnorum emergentium ex hac dissolutione. — 69. An autem pars innocens, etiamsi nullum damnum patiatur, possit ab altera parte sine legitima causa a sponsalibus recedente exigere pœnam conventam? seu an sit licitum et validum in sponsalibus apponere pœnam solvendam ab illo, qui ab eis injuste recedit? Negant multi. — 70. At probabilius affirmant plures alii. — 71. Affertur ratio pro sententia affirmativa, ad n. 74. — 75. An et quando resilientes a sponsalibus amittant arrhas? — 76. Sponsalia rite contracta, variis justis de causis, dissolvi possunt. Primo, sponsalia puberum etiam jurata, valide et licite dissolvi possunt mutuo consensu. — 77. Secundo, dissolvi possunt per recessum unius a sponsalibus, sive juste, sive injuste. — 78. Quando autem una pars injuste recedit, non tenetur altera pars recedere, sed potest injuste recedentem cogere ad sibi nubendum. — 79. Tertio, dissolvuntur, si unus sponsorum sine licentia alterius longius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi. — 80. Affertur, et solvitur instantia, ad n. 81. — 82. Quarto, dissolvuntur per dilationem nimiam matrimonii ultra tempus, vel terminum præfixum ad finiendam obligationem. — 83. Secus autem per dilationem ultra tempus vel terminum præfixum non ad finiendam, sed tantum ad differendam, seu exsequendam obligationem contrahendi matrimonium. — 84. Quid si nullum tempus sit præfixum ad contrahendum matrimonium? — 85. Quinto dissolvuntur per ingressum in religionem professione secuta. — 86. Per solum etiam ingressum in religionem, licet professione nondum secuta, dissolvuntur sponsalia ex parte illius, qui in sæculo remanet. — 87. Per solum autem ingressum in religionem, professione non secuta, non dissolvuntur sponsalia ex parte ingredientis. — 88. Sexto, dissolvuntur ex parte utriusque per susceptionem sacrorum ordinum. — 89. Non dissolvuntur tamen per susceptionem ordinum minorum, saltem ex parte eos suscipientis. — 90. Per votum ingrediendæ religionis probabilius non dissolvuntur illico sponsalia, sed solum suspenduntur ex parte ipsius voventis. — 91. Per tale autem votum dissolvuntur illico ex parte non voventis. — 92. Per votum suscipiendi sacros ordines probabilius non dissolvuntur sponsalia ex parte sponsi voventis. — 93. Solvuntur tamen per tale votum ex parte sponsæ. — 94. Per votum simplex perpetuæ continentiæ non dissolvuntur sponsalia ex parte voventis, bene vero ex parte alterius. — 95. Septimo, dissolvuntur per matrimonium valide postea, licet illicite, contractum cum alia sponsa. — 96. An autem per tale matrimonium cum alia initum dissolvantur in perpetuum priora sponsalia, vel non? Affirmant multi. — 97. At tamen probabilius negant alii plures. — 98. Affertur et solvitur instantia. — 99. Sponsalia priora legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora cum alia persona celebrata, etiamsi hæc posteriora sint juramento confirmata. — 100. Prima sponsalia legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora, etiamsi posterioribus sponsalibus accesserit copula, si secunda sponsa conscia fuerit priorum sponsalium. — 101. Imo priora sponsalia legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora, etiamsi posterioribus sponsalibus accesserit copula, et pars illa, cum qua posteriora sponsalia fuerunt contracta,

Digitized by Google

ignara fuerit priorum sponsalium, et consequenter fuerit decepta.— 102. Octavo, dissolvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis per fornicationem, sive a sponso, sive a sponsa post sponsalia commissam. — 103. Sponsalia dissolvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis per fornicationem etiam ante sponsalia commissam, ab innocente tamen ignoratam. — 104. Adducitur et solvitur instantia. — 105. Ob fornicationem sponsæ, sive præcedentem, sive subsequentem sponsalia potest sponsus ipsa sponsalia dissolvere, etiamsi sponsa fuerit vi oppressa. — 106. Item sponsus sponsalia dissolvere potest etiam ob oscula, amplexus aut tactus impudicos a sponsa libere et voluntarie admissos vel exercitos.— 107. An autem, si uterque sponsus fornicationem commiserit, seu similia oscula, similesque amplexus, aut tactus impudicos voluntarie admiserit vel exercuerit, et in omnibus casibus supradictis, in quibus licet sponso sponsalia dissolvere, liceat etiam sponsæ; affirmant multi. — 108. At negant plures alii communius. — 109. Limitatur tamen recte hæc negativa sententia in casu, quo sponsus cum pluribus fornicationem commisisset, ita ut valde vitiosus in hoc censeretur.— 110. Item in casu quo ex unica fornicatione prolem haberet. — 111. Item si oscula, tactus et amplexus impudici exerciti a sponso sint valde frequentes. — 112. Non dissolvuntur per notabilem mutationem ex parte unius supervenientem post contracta sponsalia. — 113. Assignantur in specie mutationes notabiles, et ad id sufficientes in bonis animi, ad num. 114. — 115. Assignantur in specie mutationes notabiles, et ad id sufficientes in bonis corporis. — 116. Assignantur in specie mutationes notabiles, et ad id sufficientes in bonis fortunæ.—117. An una parte remanente in suo statu, si pars altera ex inopinato fiat notabiliter ditior aut honoratior, possit propterea hæc ab illa resilire? — 118. Decimo, dissolvuntur per subsequens impedimentum dirimens. — 119. Tenetur tamen, qui tale impedimentum sua culpa posuit, impetrare a Papa dispensationem suis sumptibus, si pars innocens velit. — 120. Quando causa dissolvendi sponsalia est certa, per se loquendo jure communi non requiritur ad dissolvenda dicta sponsalia auctoritas judicis. — 121. Potest tamen auctoritas judicis ad id requiri per accidens. — 122. Quando sponsalia sunt certa, causa autem ea dissolvendi dubia de *jure*, *vel facto*, tunc necessario requiritur judicis auctoritas pro utroque foro. — 123. Judex in causis sponsalium, et matrimoniorum est solus ecclesiasticus. — 124. Et jure ordinario est solus episcopus. — 125. Nomine episcopi hic intelligitur etiam vicarius generalis etiam absque speciali ad id mandato. — 126. Item vicarius capitularis Sede vacante. — 127. Judex autem laicus, seu sæcularis nullimode se ingerere potest in his causis. — 128. Alia ad rem ad num. 159.

(1. Sponsalia a *spondendo* sunt dicta, textu expresso in l. *Sponsalia* 2, ff. *De sponsalibus*, ibi : « Sponsalia autem dicta sunt a spondendo; » mos enim olim erat, et adhuc nunc est, ut cupiens uxorem ducere, eam peteret, ac petat prius ab illis sub cujus cura et potestate puella exsistebat, ac exsistit, et illi deinde ipsi petenti puellam in matrimonium dare spondebant, seu promittebant, ac spondent, seu promittunt, cit. l. *Sponsalia* 2, ff. *De sponsalibus*, ibi : « Nam moris fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras. » * Addi potest testimonium quoque Auli Gellii *Noct. Attic.*, lib. IV, cap. 4, qui antiquos sponsalium ritus declarat, et addit consuevisse actionem dari *ex sponsu*, si quis renuebat accipere in uxorem, vel si quæ nubere recusabat, et judex æstimabat litem pecunia. *Vid.* etiam Gronov. ad Gellium., Brisson., in lib. *De rit. nupt.*; Plaut., in *Cur.*, act. II, scen. 2*. Unde ille, cui petita puella in uxorem spondebatur seu promittebatur, ac spondetur seu promittitur, dictus est et dicitur *sponsus*, et illa, quæ spondebatur seu promittebatur, ac spondetur seu promittitur, dicta est, et dicitur *sponsa*, id est promissa, textu expresso in leg. *Unde* 3, ff. *De sponsalibus*; ibi : « Unde sponsi sponsæque appellatio nata est. » Et illi qui petitam puellam sic promittebant ac promittunt, dicti sunt et dicuntur *sponsores*, et dies, in quo sic spondebatur ac spondetur, dictus est ac dicitur *sponsalis*. Reiffenstuel, lib. IV *Decret.*, tit. 1, § 1, n. 2, et alii arg. l. *Sponsalia* 1, et cit. l. *Sponsalia* 2, et l. *Unde* 2, ff. *De sponsalibus*.

(2. Sponsalia tripliciter potissimum sumuntur. Primo omnino improprie pro arrha scilicet, et muneribus, quæ a sponso sponsæ dabantur ac dantur, arg. l. *Quidam* 1, c. *Si nuptiæ ex rescripto* : « Qui parentum sponsionem de nuptiis filiarum implere desiderant, vel sponsalia, hoc est arrharum data nomine reddi præcepto legum cum statuta pœna deposcunt. » Secundo minus proprie, pro ipso scilicet matrimonio rato et non consummato, arg. c. *Sicut* 22, et c. *Si inter* 31, De sponsalibus; ubi sicut et passim in jure matrimonium ratum *sponsalia de præsenti* dicitur ad distinctionem *sponsalium* proprie talium, quæ non sunt ipsum matrimonium jam rite contractum, sed sola sponsio seu promissio de eodem in futurum contrahendo, et propterea *sponsalia de futuro* appellantur, ad distinctionem *sponsalium de præsenti*. Tertio, proprie pro ipsa scilicet promissione futuri matrimonii.

(3. Unde sponsalia sic proprie accepta ita definiuntur : « Sponsalia sunt mentio et repromissio nuptiarum futurarum. » Sic expresse in leg. *Sponsalia* 1, ff. *De sponsalibus*; et concordat c. *Nostrates* 3, caus. 30, quæst. 5, ibi : « Sponsalia futurarum sunt nuptiarum promissio. » Et conveniunt in re doctores communiter sponsalia sic definientes : « Sponsalia sunt futuri matrimonii mutua deliberata promissio signo sensibili expressa inter personas de jure habiles. »

(4. Hinc ad valorem sponsalium de futuro plura requiruntur. Primo enim requiritur quod promissio futuri matrimonii sit vera ac seria, et non ficta seu simulata. *Communis*, arg. l. *Obligationum* 3, ff. *De action. et oblig.*, et c. *Ex sponsalibus* unic., De sponsalibus in 6, ubi sponsalia dicuntur *nulla ex defectu consensus*, etc. *Ubi non est* 1, caus. 30, q. 2, ibi : « Ubi non est consensus utriusque, non est conjugium, ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, et e converso, nihil faciunt; » consensus autem internus vere contrahendi ac sese obligandi deest in ficte et simulate promittente, adeoque, etc.

(5. Nec valet, dicere, quod ficte et simu-

Digitized by Google

late promittens exhibuerit consensum externum, adeoque etiam ficta et simulata externa promissio sufficiat ad valorem sponsalium. Non valet, inquam, quia talis fictus et simulatus externus consensus sine formali consensu interno non sufficit ad valorem sponsalium, nec obligationem contrahendi de futuro inducit. *Communis*, text. exp. in c. *Tua nos* 28, De sponsalibus, hac addita ratione : « Cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri, quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit, et deficit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale, » et l. *Simulatæ* 30, ff. *De ritu nuptiarum*, ibi : « Simulatæ nuptiæ nullius momenti sunt. » Et ratio clara desumitur ex can. *Humanæ aures* 13, caus. 31, q. 7, quia, ut ibi expresse dicitur : « quia non debet aliquis verba considerare, sed animum et intentionem; » et ut cantat commune axioma, *Actus agentium* non operantur ultra voluntatem eorum. L. *In agris* 19, ff. *De acquir. rer. domin.*, l. *Non omnis* 19, ff. *De rebus creditis*, capite *Cum olim* 38, De præbend.

(6. Ficte, seu simulate, aut jocose, vel dolose tantum promittens alteri matrimonium, quamvis in foro interno, seu coram Deo, et in foro conscientiæ non teneatur servare tale promissum per dicta et jura adducta *numero antecedenti;* peccat tamen sic promittendo, et tenetur resarcire totum damnum alteri inde secutum. *Communis*, per text. in cap. *Si culpa* 9, De injuriis et damno dato, ibi : « Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata..... jure super his satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat; si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam. » Et concordat cap. *Si vixati* 1, cap. *Si quis* 2, cap. *Si bos* 3, cap. *Si læserit* 4, cap. *Si egressus* 5, cap. *Si quis domum* 6, cap. *Olim* 7, cap. *In nostra* 8, eod. tit., cum similibus.

(7. In foro autem externo quivis præsumitur vere et serio promisisse. Unde ad servandum promissum debet condemnari, nisi legitime fictionem seu simulationem, aut jocum seu dolum probet, quia, ut dicitur in l. *Labeo*, art. 7, § 2, ff. *De supellectili legata*, in foro externo : « Nemo existimandus est dixisse quod non mente agitaverit; » et ut habetur in l. *Generaliter* 13, eod. *De non numerata pecunia:* » Nimis enim indignum esse judicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eumdem casum infirmare, testimonioque proprio resistere. » Et ratio est quia alias, si ad id non condemnaretur, posset quivis facillime in foro externo sponsalia eludere, et ex iis sibi incumbens onus nubendi pro libitu subterfugere, dicendo se tantum ficte, et simulate, aut jocose, seu fraudulenter promisisse contra expressam dispositionem juris statuentis, quod fraus et dolus nemini patrocinari debent, cap. *Sedes* 15, et cap. *Ex tenore* 16, De rescriptis, cap. *Ex litteris* 2, De dolo et contumacia, cap. *Tua* 12, De clericis non residentib., l. *In fundo*, ff. *De rei vindicat.*, l. *Cum hi*, ff. *De transactionib.*, l. *Si legatarius*, cod. *De legatis*, cum similibus. *Vide infra*, num. 46.

(8. Secundo, ad valorem sponsalium requiritur, quod promissio sit deliberata et libera ab omni gravi metu, et errore circa personam. *Communis*, arg. cap. *Dilectus* 24, cap. *Tua nos* 26, De sponsalibus, l. *Furor* 8, De sponsalib., cum similibus. Et ratio est, quia alias non potest intervenire legitimus requisitus voluntarius consensus.

(9. Tertio, requiritur quod talis promissio sit verbis aut aliis signis externis sufficienter manifestata, quia promissio mera interna seu mente retenta, nec sufficit, nec obligat, cum intentio mente retenta nihil operetur in humanis contractibus. *Communis*, arg. l. *Cum in plures* 60, § *Locato*, ff. *Locati*.

(10. Quarto, requiritur quod promissio sit mutua et reciproca ab utraque parte facta. *Communis*, arg. l. *Sponsalia*, 1, ff. *De sponsalibus*, ubi ut patet textu allato *supra* n. 3, sponsalia definiuntur, *mentio et repromissio*, id est mutua et reciproca partium promissio. * Neque de jure civili satis erat, ut hæc promissio concurreret inter sponsum et sponsam, sed ulterius requirebatur consensus parentum, in quorum potestate erant l. 35, ff. *De rit. nupt.*, l. 12, cod. *De nuptiis*, ideoque plena tunc libertate non gaudebat matrimonium pront nunc; utrum magis expediat, an non, nostrum non est perscrutari*.

(11. Quinto, requiritur quod sponsalia contrahantur inter personas de jure habiles, id est nullo impedimento perpetuo sive dirimente, sive solum impediente affectas, habentes legitimam ætatem, ut docent doctores communiter.

(12. Ætas autem legitima requisita, et sufficiens, tam in femina quam in masculo, pro contrahendis sponsalibus, est septennium completum. *Communis*, per textum in cap. *Litteras* 4, cap. *Accessit* 5, cap. *Ad dissolvendum* 13, De desponsatione impuberum in 6, c. *Ubi* unic., caus. 30, q. 2, l. *Sponsalibus* 14, ff. *De sponsalibus.* * Videri posset temporibus Augusti requisitum fuisse decennium, ut in Dione Cassio legimus lib. LV. Verum hoc sancivit Augustus, non ut sponsalia ante hanc ætatem contracta irrita essent, sed ut qui talia sponsalia contraheret, quæ intra biennium non poterat exsequi, præmiis, quæ imperator per legem Juliam sponsis ac maritis indulgebat, non gauderet, ac pro cælibe haberetur, ut ex ipsa lege Julia eruitur, in quam vide interpretes, præsertim eruditum Heinnecium*.

(13. Unde sponsalia ante completum septennium unius aut utriusque ordinarie sunt invalida et nulla, quamvis illa loco liberorum contraxerint parentes, nisi liberi facti septennio majores ea ratificent. *Communis*, textu expresso in c. *Si infantes* unic., De desponsatione impuberum in 6, ibi : « Si infantes ad invicem, vel unus major septennio, et alter minor sponsalia contraxe-

Digitized by Google

rint ipsi, vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu alias verbo vel facto ipsorum liquido appareat, eosdem in eadem voluntate factos majores septennio perdurare : sponsalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minime convalescunt, et ideo cum sint nulla, ratione defectus consensus, publicæ honestatis justitiam non inducunt : » et concordat can. *Ubi* unic., caus. 30, q. 2.

(14. Nec valet objicere, quod ex c. *Tua nos*, De desponsat. impuber., filius postquam pervenerit ad perfectam ætatem, debeat adimplere, non solum sponsalia, sed et matrimonium a patre loco illius, usum rationis nondum habentis, contractum. Non valet, inquiam, quia, ut, *ibid.*, n. 7, advertit Fagnan. et communis canonistarum, dictus textus est intelligendus, quod filius debeat ea adimplere ex debito honestatis, non autem necessitatis.

(15. Dicitur autem notanter, quod sponsalia contracta ante completum septennium sunt invalida *ordinarie*, quia extraordinarie possunt etiam talia sponsalia esse valida, si nempe in aliquibus malitia, seu potius prudentia (67) suppleat seu præveniat talem ætatem. Sicut enim valet matrimonium contractum ante legitimam ætatem, si malitia, seu prudentia suppleat, seu præveniat ipsam requisitam ætatem per dicta et certa jura adducta sub verbo MATRIMONIUM, art. 2, n. 22, ita a fortiori sic valere debent sponsalia. Ita Joan. Andreas, in cap. *Juvenis* 3, De sponsalibus, n. 9; Covarruv., p. 1, *De sponsalibus*, cap. 2, n. 1; Fagnan. lib. IV *Decretal.* in c. *Ubi non est* 2, De desponsat. impub., n. 5, ubi ex Navarr. testatur de communi; Sanchez, lib. I, disp. 16, n. 9; Silvester, verb. *Sponsalia*, q. 2, dist. 2; Pontas, verb. *Sponsalia*, cas. 1; Reiffenstuel, lib. IV *Decretal.*, tit. 2, n. 4, et communior aliorum contra paucos, arg. cap. *Juvenis* 3, De sponsalibus, ubi habetur, ex sponsalibus ab impubere minore septennio contractis, ortum esse impedimentum *publicæ honestatis*, adeoque fuisse valida, cum tale impedimentum non oriatur, nisi ex validis sponsalibus, tam de jure antiquo, arg. cit. cap. *Si infantes* unic., De desponsatione impuberum in 6, quam novo concil. Trident., sess. XXIV, *De reformatione matrimonii*, c. 3. Unde si valida fuerunt talia sponsalia, hoc solum fuit, quia in ipso malitia, seu prudentia supplevérat, seu prævenerat ætatem, uti recte notat Glossa, in cit. cap. *Juvenis*, verb. *Dubia ad finem;* tum quia jura generaliter requirunt ad valorem sponsalium septennium completum, quia ordinarie ante illud tempus non censetur adesse usus rationis, defectu cujus non potest præberi necessario requisitus consensus, arg. cit. cap. *Si infantes* unic., De despons. impuber. in 6, ibi : « Cum sint nulla, ratione defectus consensus, » ergo quando malitia, seu prudentia extraordinarie supplet, seu prævenit ætatem, habetur sufficiens usus rationis, et consequenter sufficiens consensus requisitus ad valorem sponsalium; cum ratio legis sit anima legis; l. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnatorum* : et ubi eadem est ratio eadem etiam debeat esse juris dispositio, l. *Illud*, ff. *Ad legem Aquiliam*, et cap. *Inter corporalia* 2, De translat. episcop.

* Petrus Colet in continuat. *Prælectionum* Honorati Tournely in tract. *De matrimonio*, cap. 3, sect. 2, tom. VIII, pag. *mihi* 103 : « Huic postremæ opinioni, inquit, facile adhæserim in locis ubi contraria certo usu inducta non fuerit, quod propter casus infrequentiam difficile est. Nihilominus auctor fuero, ut propter dubium, et Ecclesiæ reverentiam ad episcopum recurratur. Quamquam et satius fuerit, ut is pro virili obstet, ne sponsalia etiam a septennibus contrahantur. Parisiis tamen, Argentoracti, et aliis pluribus in locis, cautum est duntaxat, *ne affidentur impuberes, nisi saltem sint annorum 7 completorum.* * »

(16. Si duo impuberes septennio majores sponsalia contrahant, neuter ab illis ante pubertatem resilire potest, bene vero post illam. *Communis*, textu expresso in c. *De illis* 7, et c. *A nobis* 8, De desponsatione impuberum. (17. Nec in tali casu, qui primo fit pubes, tenetur alterum exspectare, donec etiam ille pubescat, sed potest statim ac pubescit, pro libitu resilire, cit. cap. *De illis* 7, § *Si vero;* Glossa, *ibid.*, verb. *Minoris*, licet contrarium dicat *ibid.*, verb. *Cum sponsalia;* Sanchez, lib. I *De sponsalibus*, disp. 51, n. 9; Pirrhing, lib. IV *Decret.*, tit. 2, n. 6; Reiffenst., *ibid.*, n. 14, testans de communi. Et ratio est, quia frustra exspectatur eventus, cujus nullus est effectus, cap. *Cum contingat* 36, De officio judicis delegati, adeoque si prius pubes factus potest altero pubertatem adepto resilire, poterit etiam statim. (18. Si autem pubes cum impubere contrahat sponsalia, tunc pubes non amplius resilire potest, bene vero impubes, cum ad pubertatem pervenerit, textu expresso in cit. cap. *De illis* 7, § *Mulier;* et ratio differentiæ est, quia cum contractus possit ex parte impuberis claudicare, ideo in favorem ipsius tantum potest retractari, sicut si minor sine tutoris auctoritate contractum cum majore ineat, propter dictam rationem illi soli resilire permissum est, l. *Non eo minus* 14, De procuratoribus.

(19. Impubes, quamvis ex dictis possit,

(67) Phrasis hæc, *malitia supplet ætatem*, aliter intelligitur in sponsalibus, aliter in matrimonio. In ordine ad sponsalia, malitia vel potius prudentia, dicitur ætatem supplere, quando ante tempus a jure ad illa præscriptum adest sufficiens rationis usus. In ordine vero ad matrimonium, malitia supplet ætatem, quando ante tempus matrimonio præfixum, quod est in maribus an. 14, et in puellis ann. 12, ubicunque completorum, non solum adest sufficiens rationis usus, ac judicii discretio, sed etiam prodit se potentia ad coitum et generationem; potentia hæc coeundi vocatur etiam pubertas naturalis, et hæc in quibusdam præcedit pubertatem legalem, id est ætatem, quam leges ex præsumptione communiter contingentium determinaverunt.

Digitized by Google

cum ad pubertatem pervenerit, a sponsalibus resilire, tamen debet statim pubertatem adeptus id facere, alioquin postea non poterit, quia ex quo non statim contradixit, censetur tacite sponsalia ratificare, præsertim si sponsi nomen adhuc patiatur, aut familiaritatem continuet, vel munera det, aut recipiat. Covarruv., in lib. IV *Decretal.*, part. I, cap. 5, § 1, n. 2; Engel, lib. IV *Decretal.*, tit. 2, n. 6; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 15; Pirrhing, *ibid.*, n. 7, notabil. 2; Sanchez, cit. disp. 51, n. 15, et alii passim; statim autem dicitur resilire, si circiter intra triduum resiliat, seu contradicat, quia in jure dicitur in continenti aliquid fieri, quod intra triduum, seu triduo proximo fit. L. *Sententiis* 3, cod. *De errore advocatorum*, ibi: « Ex continenti, id est triduo proximo contradixisse, » l. *Cum specialis* 18, De judiciis, ibi: « Illico autem, id est intra triduum proximum sine ulla dilatione. »

(20. Facultas resiliendi a sponsalibus, impuberibus a jure concessa post adeptam pubertatem, habet locum, tam in foro interno quam in foro externo, ita ut ex solo impuberis dissensu post adeptam pubertatem absque alia causa in utroque foro licite dissolvi possint sponsalia; jus enim consulere voluit immaturo et mutabili puerorum judicio, ne tanto vinculo indissolubiliter seu irrevocabiliter obligari possint, sicque tenendum est omnem obligationem sublatam esse etiam in foro conscientiæ. Arg. cit. cap. *De illis* 6, cap. *A nobis* 8, De desponsat. impuberum, cum similibus. Sic doctores supracitati (68).

(21. Talis autem facultas resiliendi a sponsalibus probabilius non est censenda concessa impuberibus, si ipsa sponsalia juramento confirmaverint. Glossa, in cit. cap. *De illis*, verb. *Judicio Ecclesiæ*; Ancharan., in cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus; Covarruv., in lib. IV *Decretal.*, part. I, cap. 5, § 1, n. 3; Sanchez, lib. I *De sponsalibus*, disp. 51, n. 22; Becanus, tract. *De sacram.*, cap. 43, q. 26, n. 7; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 8. et communior aliorum, teste Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 16, quamvis ipse *ibi* cum aliis sentiat oppositum; et nostra conclusio clare desumitur ex cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, ubi expresse statuitur, quod si impuberes sponsalia juramento confirmaverint, ea dissolvere non amplius possint, juncto ejus summario, in quo sic expresse habetur: « Qui juravit cum aliqua contrahere, si non subest impedimentum, per censuram ecclesiasticam contrahere compellitur. » Quamvis tamen non sit improbabilis opposita sententia propugnata a Reiffenstuel, *loc. cit.*, et ab aliis ab ipso allegatis. * Confer Colet, *loc. cit.*, p. 103 *.

(22. Sponsalia de præsenti, seu matrimonium ab impuberibus nulliter contractum valet in vim sponsalium; seu transit et resolvitur in sponsalia de futuro. *Vide* verb. MATRIMONIUM, art. 2, n. 26.

(23. Matrimonium autem nullum ex aliquo essentiali defectu, ut celebratum sin proprio parocho, non resolvitur in sponsalia de futuro, etiamsi secuta sit copula in figura matrimonii. *Vide* dict. verb. MATRIMONIUM, art. 2, n. 2 et 3.

(24. Ad valorem sponsalium non requiritur præsentia parochi et testium. *Communis*, ac certa, sic enim pluries declaravit sacra congregat. Concilii, ut testantur Sanchez, *De matrimonio*, lib. I, disput. 12, n. 2; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 22, et alii. *Vide infra*, n. 139.

(25. Item ad valorem sponsalium non requiritur consensus aut consilium parentum, aut eorum sub quorum cura exsistunt sponsalia contrahentes. *Communis*, arg. cap. *Sufficiat* 2, caus. 27, q. 2, ibi: « Sufficiat eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur: » et concordat cap. *Veniens* 12, De sponsalibus; et conc. *Trid.*, sess. XXIV, *De reform. matrimonii*, cap. 1. (26. Ut licite tamen contrahant filii sponsalia, requiritur saltem, ut prius desuper consulant parentes, quamvis eorum consilium non semper sequi teneantur. *Communis*, arg. c. *Aliter* 1, caus. 30, q. 5, can. *Honorantur parentes* 14, caus. 32, q. 2, cap. *Tua nos* 1, De desponsation. impuber., l. *In sponsalibus* 7, § 1, ff. *De sponsalibus*, cum similibus. *Vide infra* n. 140.

(27. Parentes contrahere possunt sponsalia pro suis filiis puberibus, sive impuberibus; et si ipsi filii expresse vel tacite consenserint, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur ad illa, et ex eis oritur justitia *publicæ honestatis*. *Communis*, textu expresso, in cap. *Si infantes* unic., § *Porro*, De desponsation. impuber. in 6; ibi: « Porro ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, et ex eis oritur justitia publicæ honestatis. »

(28. Parentes, nedum contrahere possunt sponsalia pro suis filiis præsentibus, sed etiam pro ipsis absentibus, et sponsalia ignorantibus, et si ipsi filii post scientiam dicta sponsalia ratificaverint expresse vel tacite, obligantur ad illa. *Communis*, textu expresso, in cit. cap. *Si infantes*, § *Porro*, ibi: « Et est idem, si filii tempore sponsalium absentes et etiam ignorantes, eadem sponsalia post scientiam ratificaverint tacite vel expresse. »

29. Sponsalia contracta a parentibus pro filiis, sive præsentibus, sive absentibus, aut ignorantibus, et nec expresse, nec tacite consentientibus, et a fortiori contradicentibus, sunt invalida et nulla, et nullatenus obligant ipsos filios, nec inde oritur justitia publicæ honestatis. *Communis*, textu ex-

(68) Negat id Colet, *loc. cit.*, pag. 106. Antoine autem *De matrimonio*, cap. 1, in resp. ad quæst. 5, de sponsalibus agens: « Impubes, inquit, cum pervenerit ad pubertatem, potest pro libito illa dissolvere; nisi intercessit copula, cap. 19 *De sponsal.* »

Digitized by Google

presso, in cit. cap. *Si infantes*, § *Porro*, ibi : « Alias ex sponsalibus contractis a parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publicæ honestatis justitia inde surgit. »

(30. Item invalida et nulla sunt etiam sponsalia contracta a filiis per gravem metum eis a parentibus seu aliis injuste incussum. Sic Abbas, in cap. *Ex litteris* 11, De desponsatione impuber., num. 2; Reifenst., lib. I *Decret.*, tit. 40, n. 45, et lib. IV *Decretal.*, tit. 1, n. 13; Rosignol., *De sponsalib.*, 1, contract. 14, prænot. 5, sect. 4, n. 21 et 22, cum pluribus ibi citatis; Sporer, tom. III, part. IV, cap. 1, sect. 2, *De sponsalibus*, n. 170, cum aliis ibi citatis; Layman, lib. III *Theolog. moral.*, tract. 4, cap. 7, n. 3; Barbosa, lib. II *Decretal. collectan.* ad cap. 2, n. 6, *De eo qui duxit in matrimonium*; Joannes Angelus Bossius, *De matrimon. contract.*, cap. 12, n. 238 et seq.; Basilius Pontius, lib. XII, cap. 8, § ultim., num. 75; Pontas, verb. *Sponsalia*, cas. 8, et sic communior et probabilior sententia doctorum, quos citat, et sequitur Sanchez, lib. IV *De matrimon.*, disp. 19, n. 2 et 3; Diana, part. IH, tract. 4, resolut. 378, contra alios. Sic etiam videtur statui in c. *Ex litteris* 11, De desponsation. impuber., et arguitur a pari de matrimonio, quod ex gravi metu injuste incusso contractum ipso jure nullum est, atque invalidum, textu expresso, in cap. *Cum locum* 14, cap. *Veniens* 15, cap. *Consultationis* 28, De sponsalibus et matrimonio, et patet ex dictis sub verb. MATRIM. QUOAD IMPED., a n. 103 ad 107, et sub verb. MATRIMONIUM, art. 2, n. 4, 5, 6, 7 et 49. Id enim, quod jure statutum est de metu irritante ipsum matrimonium, est quoque intelligendum de metu respectu sponsalium, cum hæc sint via ad illum, et connexorum idem sit judicium; arg. cap. *Translato*, De constitutionibus, cum similibus; unde etiam leg. *Orator* 16, ff. *De sponsalibus*, in simili habetur, quod prohibitis in persona senatorum nuptiis, etiam sponsalia ipso jure prohibita censeantur; tum quia fieri non potest, ut aliquis promissione sui obligetur ad actum seu contractum invalidum, adeoque cum matrimonium invalide contrahatur a persona gravi metu compulsa per jura supra adducta, et communem doctorum, etiam sponsalia, seu promissio matrimonii talem personam non obligant, et sunt ipso jure nulla et invalida. Tum etiam, quia omnia, quæ fiunt metu et vi declarantur esse ipso jure nulla, textu expresso in c. *Abbas* 2, De his quæ vi metusve causa fiunt, ibi : « Quæ metu et vi fiunt, de jure debent in irritum revocari. »

(31. Talia sponsalia ex gravi metu inita neque firmantur juramento. Sic desumitur ex cap. *Ex litteris* 11, De desponsat. impuber., et docent Sanchez, *loco cit.*, disp. 21, num. 3, cum pluribus aliis ibi allegatis; Diana, *loco cit.*; Sporer, *loco cit.*, testans ex aliis de communi; Rosignol., *loco cit.*, n. 21; Natta, consil. 451, n. 3; Seraphinus, *De privileg. jur.*, *privileg.* 100, n. 11; Barbosa, lib. II *Decret. collectan.* ad cap. 2, n. 6, *De eo qui duxit in matrimon.*; Coninck, *De matrimon.*, disp. 28, n. 47; Basilius Pontius, lib. XII, cap. 8, § ultim., n. 55; Joan. Angelus Bossius, *De matrimon.*, cap. 12, n. 239; La Croix, lib. VI, part. III, n. 108; Dominicus Solus, in 4, dist. 2, q. 1, art. 3, § *Aliud deinde*, et alii plures contra alios. Et ratio est quia juramentum ex genere suo non supplet defectum consensus substantialiter requisiti ad validitatem contractus, ut notant communiter doctores, in c. fin. *De procuratorib.* in 6. Sponsalia autem per metum gravem inita sunt irrita ex defectu consensus substantialiter requisiti, ut patet ex dictis supra, adeoque per juramentum non possunt absolute revalidari; et confirmatur per text. in cap. *Significavit* 2, De eo qui duxit in matrimonium, ubi expresse statuitur quod ille, qui post matrimonium metu contractum et juratum aliam duxit, debeat permanere cum secunda, et prius matrimonium sit invalidum : tum quia juramentum sequitur naturam, et conditiones actus, et contractus, et obligationis, cui apponitur, l. fin., cod. *De non numerata pecun.*, nisi aliud specialiter expressum habeatur in jure; ergo quia sponsalia gravi metu inita habent hanc naturam, quod sint invalida, et nulla ex dictis *supra* n. 30, eorum naturam non immutabit, sed sequetur, juramentum adjectum; tum etiam quia votum solemne religionis metu gravi emissum est nullum, textu expresso, in cap. *Perlatum* 1, De his, quæ vi metusve causa fiunt; et concordat cap. *Cum dilectus* 6, eod., cum similibus, et patet ex dictis et juribus adductis sub verb. METUS, n. 14 et 17. Votum autem solemne religionis æque præstans est ac juramentum, adeoque etiam juramentum pari metu præstitum est nullum.

(32. Nec tale juramentum obligat, nec ulla indiget relaxatione aut absolutione Rossignol., *l. c.*, n. 22; et ipso teste Butrius, Panormitan. et doctores communiter in cit. cap. *Ex litteris* 11, De desponsat. impuber.; Joann. Angelus Bossius, *De matrimon.*, cap. 12, n. 143; Rodriguez, tom. I *Summæ*, cap. 231, conclus. 4, et cap. 244, concl. 4; Azorius, *Instit. moral.*, part. I, lib. I, cap. 29, qu. 6; Basilius Pontius, lib. IV, cap. 6, n. 12; La Croix, *loco cit.*, num. 108; Layman., lib. III *Theol. moral.*, tr. 4, c. 6, n. 3; Sporer, *loc. cit.*, n. 170, et alii contra alios; et ratio est, quia ut patet ex dictis *num. antecedenti*, juramentum adjectum contractui per metum gravem inito non ligat, et nullum est; vinculum autem, quod non est, neque indiget solutione seu relaxatione; hocque clare patet ex cit. cap. *Ex litteris* 11, De desponsat. impuber., ubi est sermo de sponsalibus juratis; tum quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis; cap. *Quanto* 18, De jurejurando, can. *Inter cætera* 22, caus. 22, quæst. 4, cum similibus, adeoque non potest obligare ad servanda sponsalia de jure nulla, utpote per iniquum et injustum gravem metum extorta, sicque nulla indiget relaxatione aut absolutione,

Digitized by Google

cum jus illud ab initio irritet, ut recte dicit La Croix, *loco cit.*, n. 108.

(33. An sponsalia contracta per metum reverentialem sint invalida et nulla, *Vid.* verb. METUS a n. 20, ad n. 24, et discurre proportionaliter, sicut *ibi*.

(34. Sponsalia contracta per metum levem, etiamsi injuste incussum, sunt valida. *Vide* verb. MATRIMON. QUOAD IMPEDIMENTA, art. 1, n. 195, et discurre proportionaliter sicut *ibi*, quia solus, et omnis metus sufficiens ad invalidandum matrimonium, regula generali tradita a Sporer, *loco cit.*, n. 170, est sufficiens ad invalidanda sponsalia.

(35. In foro externo generaliter loquendo, nisi aliunde de intentione constet, censenda sunt contracta vera sponsalia per illa verba, quæ, juxta communem intelligentiam et communem loci usum aut consuetudinem, loquendi veram promissionem futuri matrimonii significant. *Communis*, per clarum text. in cap. *Ex litteris* 6, De sponsalibus, l. *Labeo* 7, ff. *De supellectili legata*, l. *Semper in stipulationibus* 35, ff. *De regulis juris*.

(36. In specie verba certo significantia et importantia sponsalia sunt sequentia, et similia v. g. « Promitto, me obligo, do tibi filem meam, quod te ducam. *Vel* habeas me infidum, nisi te ducam; *Vel* accipiam te. *Vel* sub mea fide te ducam. *Vel* promitto, me ducturum te in meam, vel in sponsam meam. *Vel* accipiam te in uxorem, *si altera respondeat:* Ego te accipiam in virum. *Vel* non alium, sed te ducam. *Vel* promitto tibi tecum contrahere matrimonium. *Vel* in crastinum te *ducam;* » et hujusmodi. Sic expresse tradunt Tamburinus, lib. VIII, tract. 3, cap. 2, § 5, n. 7; Sporer, *loco cit.*, n. 179; Gobat, tom. I, tract. 10, n. 48, testans cum Sanchez, et aliis de communi; Reiffenstuel l. IV *Decret.*, tit. 1, n. 30, ubi sequentia verba tanquam certo signantia sponsalia enumerat. « Promitto tibi matrimonium, et ego tibi. *Vel* obligo me, quod velim tibi nubere. *Vel* te ducere. *Vel* tecum contrahere. *Vel* per fidem meam. *Vel* quam vere vivo. *Vel* quam vere homo sum. *Vel* quam vere ita vocor. *Vel* quam vere honestus sum, ducam te, vel accipiam te, nubam tibi, etc. *Vel* sim nequam. *Vel* sim infidelis, *Vel* diabolus me rapiat, nisi ducam te, etc. *Vel* tu sis futura mea uxor. *Vel* volo te habere pro futura mea uxore. » Quamvis enim non in omnibus supradictis habeatur expresse terminus *Promitto, juro, me obligo*, etc., sed simpliciter dicatur: « accipiam te, ducam te, volo te accipere, ducere, » etc., tamen cum per similia verba, juxta communem intelligentiam, communemque usum et consuetudinem, loquendi vera futuri matrimonii promissio intendatur et significetur, ita sic loquentes et promittentes, vera sponsalia intendisse, præsumi et judicari debet. Arg. cit. cap. *Ex litteris* 6, De sponsalibus, l. *Labeo*, ff. *De supellectili legat.*, l. *Semper in stipulationibus*, ff. *De reg. juris*, dummodo tamen semper accedat similis reciproca et mutua utriusque partis promissio per dicta *supra* n. 10.

(37. Verba certo non sponsalia, sed matrimonium significantia sunt sequentia, et similia, v. g.: « Accipio te in meam. *Vel* habeo te in uxorem. *Vel* jam ex nunc reputo te in uxorem. *Vel* jam ex nunc reputo posthac, ab hoc tempore providebo tibi ut meæ uxori. *Vel* semper, seu posthac omnibus diebus vitæ meæ habebo, tenebo te pro mea uxore. *Vel* ex nunc, posthac eris mea uxor. *Vel* ex nunc accipio te in maritum, » et hujusmodi verba mutuo, et reciproce prolata: Quamvis enim ea verba futuri temporis, « mea eris, habebo, tenebo, tractabo, providebo, » ex se significent, et constituant tantum sponsalia, quatenus tamen additur ejusmodi particula: « Jam, exnunc, semper, omnibus diebus vitæ meæ, etc.; » jam important etiam verum consensum de præsenti, adeoque verum matrimonium, etiam ubi receptum est concilium Tridentin. si interveniat legitima parochi et testium præsentia. Sic Tambur., *l. cit.*, n. 29; Sporer, *loco cit.*, n. 10; Gobat, *loco cit.*, n. 51 et seq., et alii passim arg. c. *Si inter virum* 31, De sponsalibus, v. *Add. Cas.* in fine hujus art.

(38. Verba sub dubio constituentia sponsalia, nisi major expressio addatur, sunt sequentia, et similia; v. g.: « Te desponsabo. *Vel* tecum sponsalia contraham. *Vel* volo contrahere tecum. *Vel* placet te ducere. *Vel* propino tibi ad matrimonium. *Vel* promitto tibi amorem et fidelitatem, » et alia hujusmodi; similia enim verba, nisi alia addantur, vel adsint aliæ circumstantiæ, non continent certo, sed tantum dubie promissionem matrimonii, cum si loquamur de ultimis, amor et fidelitas possint etiam in aliis rebus præstari; vel si loquamur de primis, potest per illa intelligi tantum promissio sponsalium, non matrimonii; et si loquamur de cæteris aliis, per illa significatur tantum animus, seu propositum faciendi sponsalia, seu affectus ad matrimonium; at per illa necdum admittitur obligatio, nisi major expressio addatur, aut tales intercedant circumstantiæ, unde cognoscatur per similia verba sic loquentes vere promittere futurum matrimonium, sicque vera et certa contrahere sponsalia cum obligatione promissum matrimonium realiter effectuandi. Sic Gobat, *loc. cit.*, a n. 43; Sporer, *loco cit.*, a n. 180; La Croix, lib. VI, part. VI, a n. 126; Reiffenstuel, *loco cit.*, a n. 33, cum pluribus aliis apud ipsos.

(39. Hæc verba: *Non ducam aliam*, seu *Nullam aliam ducam quam te*, vel, *præter te*, aut *nisi te*, probabilius non faciunt sponsalia, nisi aliunde ex circumstantiis alia intentio constet, seu colligatur. Sanchez, lib. I *De matrim.*, disp. 19, n. 5, cum pluribus ibi allegatis; Gutierez, *Canonicar. qq.*, lib. I, q. 21, n. 13; Layman, *Theol. moral.*, tract. 10, part. I, cap. 1, n. 2; Sporer, *loc cit.*, n. 185; Alciat. in leg. *Actione*, cod. *De transactione*; Aversa, q. 8, sect. 3; La Croix, lib. VI, part. 3, n. 427, cum aliis ibi citatis; Gobat. tom. I, tract. 17, n. 60; Reiff.,

Digitized by Google

l. c., n. 33; Tamburin., *loco cit.*, num. 60; Rota, part. IV, decis. 656, tom. III recent., n. 4; Pontas, verb. *Sponsal.*, cas. 24, et alii plures contra alios : ratio est, quia similia verba faciunt solummodo sensum exceptivum, seu exclusivum, et conditionatam promissionem, nempe, *Si aliquam sum ducturus, ducam te.* Unde quamvis vi talis promissionis eam ducere deberet, si nubere vellet; arg. *Si sterilis* 21, § 5, *De act. empt.*, tamen omnino etiam abstinere potest a matrimonio.

Et sic censuit sac. cong. Concil., *in Vintimilien. Sponsalium*, die 1 Junii 1709, ubi de sponsalibus contractis sequentibus verbis: « Io infrascritto Antonio Levame dico e prometto di non sposare altra figlia che la signora Benedetta Gena, come anche promette lei di non sposare altro giovine che me, *discussis dubiis* 1. An constet de validitate sponsalium inter Antonium Levame et Benedictam Genam, et quatenus *affirmative*, 2. An dictus Antonius Levame sit cogendus, vel potius possit ab eis recedere contrahendo cum altera in casu, » etc., *fuit rescriptum* « ad 1. Ex hactenus deductis non constare de sponsalibus absolutis. Ad 2. *Negative* quoad primam partem et quoad secundam dilata. » Et reproposita causa sub consueto dubio, « an sit standum, vel recedendum a decisis, in casu, » etc. Die 28 Septemb. ejusdem anni 1709, dictum rescriptum fuit confirmatum et additum fuit, « Antonium posse cum altera muliere matrimonium contrahere. » Et sic etiam respondit ead. sacr. Cong., *in Mediol. Sponsalium*, die 13 Julii 1725.

(40. Non solum verbis seu epistolis similia verba continentibus, sed etiam signis seu factis consensum internum exprimentibus sponsalia contrahuntur. *Comm.* arg. c. *Cum apud* 23, De sponsal., ubi habetur, etiam mutum contrahere posse sponsalia, addita hac ratione : « Cum quod verbis non potest, signis valeat declarare ; » et concordat cap. *Tuæ* 25, eod. et cap. *Si infantes* unic., De desponsat. impub. in 6.

(41. In foro externo, generaliter loquendo, sponsalia contracta esse censentur, ac præsumuntur per illa signa seu facta, per quæ concurrentibus circumstantiis juxta communem intelligentiam, ac usum et consuetudinem loci, voluntas seu sensus internus contrahendi exprimi et manifestari solet. *Communis*, arg. c. *Ex litteris* 7, De sponsalibus, l. *Labeo* 6, ff. *De supellectili legat.*, et l. *Semper* 34, ff. *De regul. juris*, ibi : « Semper in stipulationibus, et in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est. Aut si non appareat quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. »

(42. Sic concurrente circumstantia præcedentis tractatus matrimonii, seu verbi unius, censentur et præsumuntur contracta sponsalia per immissionem, seu donationem et receptionem annuli. Arg. cap. *Si quis* 15, caus. 26, q. 2, cap. final. *De desponsat. impuber.*; Glossa communiter recepta in cap. *Si inter* 32, verb. *Dicente*, De sponsalibus, Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 57 ; Sporer, *loco cit.*, num. 189; Mascard., *De probationibus*, concl. 1024, n. 2 et seq.; Sanchez, lib. I *De matrim.*, disp. 22, n. 3, et alii passim ; et ratio est, quia præcedente contractu aut verbo unius de futuro matrimonio, traditio annuli facta a juvene, et acceptatio ejusdem facta a puella secundum communem usum et æstimationem hominum habentur pro certo signo consensus ad futurum matrimonium, adeoque in foro externo per id censentur et præsumuntur contracta vera sponsalia. Arg. cit. cap. *Ex litteris*, cit. l. *Labeo*, et l. *Semper*.

(43. Item concurrente circumstantia præcedentis tractatus matrimonii per missionem seu donationem, et acceptationem aliorum munerum juxta morem sponsorum, censentur et præsumuntur contracta sponsalia, Sanchez, *loc. cit.*, n. 5, cum aliis ibi allegatis ; Sporer, *loc. cit.*, n. 190 ; Gobat, *loco cit.*, n. 69; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 59, et alii. Currit enim eadem ratio in simili circumstantia de donatione et acceptatione aliorum munerum, ac de donatione et acceptatione annuli ; ubi autem eadem est ratio, eadem est legis dispositio. L. *Illud* 32, ff. *Ad legem Aquiliam*, et cap. *Inter corporalia* 2, De translat. episcop. Cum ratio legis sit anima legis, l. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnatorum*, adeoque, etc.

(44. Item in simili circumstantia præcedentis tractatus matrimonii per porrectionem manus ab uno factam, et ab altera sine renitentia et contradictione acceptatam censentur et præsumuntur contracta sponsalia; Sanchez, *loc. cit.*; Sporer, *loco cit.*, n. 188; Gobat, *loco cit.*, n. 66; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 60, et ipso teste alii communiter per dicta, et jura adducta n. 42 et 43.

(45. Per omnia autem supradicta, si non concurrat circumstantia præcedentis tractatus matrimonii, nec ad hoc speciale quid habeat consuetudo loci, non censentur nec præsumuntur contracta sponsalia in foro externo. Abbas, in cap. final. *De desponsat. impuber.* n. 7; Mascardus, *loc. cit.*, n. 2 et seq.; Sanchez, *loc. cit.*, disp. 22, n. 1 ; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 66, et alii communiter. Et ratio est, quia donatio et acceptatio annuli aliorumque munerum, sicut porrectio et acceptatio manus, sunt signa et facta æquivoca, cum etiam ob alias causas fieri possint, et soleant, arg. cap. *Illud* 11, De præsumptionibus ; fieri enim possunt, ut interdum solent, ob turpem vel etiam castum amorem, ob amicitiam, ob signum memoriæ, ob mutuum affectum, aut ob spem futuri matrimonii, adeoque, etc.

(46. Quando verba, signa, aut facta, omnibus consideratis, adhuc remanent dubia, an inducant vera sponsalia, vel non? et qui ea protulit, aut edidit, negat ea protulisse, aut edidisse intentione promittendi matrimonium; tunc judex debet negantem absolvere, præsertim si, ei delato juramento purgatorio, juret absolute non habuisse talem intentionem; in dubio enim magis

Digitized by Google

præsumitur pro libertate, quam pro obligatione l. *Adrianus* 47, ff. *De obligationibus et actionibus*, ibi : « Ubi de obligando quæritur, propensiores esse debemus nos, si habeamus occasionem ad negandum ; ubi de liberando ex adverso quæritur, ut faciliores simus ad liberandum , » et concordat cap. *Ex litteris* 3, De probationibus, ubi expresse dicitur, quod « promptiora sint jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, » et c. *In obscuris* 30, De regulis juris, in 6, ibi : « In obscuris minimum est sequendum, » id est quod minus obligat et onerat: tum quia in dubiis, ambiguis et obscuris recurrendum est ad mentem proferentis, eique saltem jurato credendum. Arg. cap. *Cum in tua* 6, § final. *Qui matrimonium accusare possunt*, et c. *Pastoralis* 4 in fine, *De exceptionibus*, cap. *Præsentium* 31, De testibus, can. *Si verum esset* 1, caus. 31, quæst. 2, cum similibus; et sic in specie tenent Gallus, lib. II *Observat.* 48, n. 24 et seq.; Felinus, in cap. *Quando*, De præsumptionibus, n. 6; Reiffenst., *loco cit.*, n. 45, et alii passim; et universaliter quando de mente et conscientia alicujus agitur, statur juramento illius, uti recte docet Glossa communiter recepta in cap. *Significasti* 16, De homicid. voluntar., verb. *Si ita est.*

(47. Quando vero verba, signa aut facta secundum communem usum et consuetudinem loci sunt clara et sponsalia vere significant, tunc negans condemnari debet, nec debet admitti ad juramentum, quamvis dicat se ad obtinendum usum corporis vel ob alium similem finem jocose, ficte, dolose aut fraudulenter protulisse, aut edidisse, nisi jocum, fictionem, dolum aut fraudem legitime probaverit : turpitudinem enim suam allegans jam suspectum se facit, et indignum fide, sicque minus habilem ut ei juramentum deferatur ; nam « allegans suam turpitudinem non est audiendus, nec fides est ei præstanda, » maxime ubi id potest esse in præjudicium tertii. Arg. c. *Inter dilectos* 8, De donationibus, et Glossa, *ibid.*, verb. *Turpitudinem*, adducens varia jura et alia Glossa, in cap. *Officii*, De pœnitent. et remissionib. Hocque satis evincit textus in l. *Mercedem*, cod. *De condict. ob turpem causam*, leg. *Transactione* , cod. *De transactionib.* Sic expresse, pluribus adductis, defendit Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 7, 8 et 48. *Vide supra* n. 7, et verb. JURAMENTUM, artic. 2, a numer. 25.

(48. Quando verba, signa aut facta clare significant sponsalia, et reus absolute negat se ea protulisse aut edidisse, nec actor id plene probare potest; quid in tali casu facere debeat judex, et cui juramentum sit deferendum? *Vide* verb. JURAMENTUM, art. 2, n. 26, et discurre proportionaliter sicut *ibi.*

(49. Sponsalia vera, quamvis occulta, obligant sub mortali. *Communissima*, argum. cap. *Præterea* 2, De sponsalibus, ubi expresse statuitur, quod « hi, qui matrimonio contrahendo pure, et sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, et modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent, » et cap. *Ex litteris* 10, eodem titulo, ubi sub excommunicationis pœna mandatur, ut qui sponsalia contraxit, præstitam fidem de nubendo observet, ibi : « Mandamus quatenus... eum moneas, et si non acquieverit monitis, ecclesiasticis censuris compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet ; » pœna autem excommunicationis non debet infligi, nisi pro peccato mortali, cap. *Nemo* 41, caus. 11, q. 3, ibi : « Non nisi pro mortali debet imponi crimine ; » in Ecclesia enim non datur major pœna ipsa excommunicatione, can. *Corripiantur* 17, caus. 24, q. 3, ibi : « Qua pœna in Ecclesia nulla major est, » adeoque, etc.

(50. Sponsalia obligant tempore ad nubendum præfixo, nisi justa causa excuset. *Communis*, arg. l. *Solutum* 85, ff. *De solutionibus*, ibi : « Solutum solvitur non minus quantitate quam die ; » contractus enim ex conventione legem accipere dignoscuntur, ut expresse dicitur in cap. *Contractus* 85, De reg. juris in 6, et pacta justa servanda sunt, leg. *Si quis in conscribendo* 39, cod. *De pactis*, capit. *Antigonus* 1, et cap. *Qualiter* 3, De pactis, cum similibus.

(51. Et procedit conclusio, quamvis in hoc casu pars altera non urgeat, quia dies statuta interpellat pro homine, arg. cap. *Potuit* 5, De locato et conducto, ibi : « Non obstante quod ei, ut canonem solveret, non exstitit nuntiatum, cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellet. » Et concordat l. *Magnam* 12, cod. *De contrahenda stipulatione*, et l. *In Emphyteuticariis* 2, De jure emphyteutico, ubi clare ad rem.

(52. Unde si ratione culpabilis moræ unius, altera pars aliquod damnum patiatur, debet illud damnum ei penitus resarcire, arg. c. *Mora sua* 25, De regul. jur. in 6, ibi : « Mora sua cuilibet est nociva, » qui enim occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, cap. *Si culpa* 9, De injuriis et damno, l. *Qui occidit* 30, § 3, ff. *Ad legem Aquiliam.*

(53. Si autem intervenerit aliqua rationabilis causa, possunt licite sponsalia differri quoad effectuationem matrimonii, arg. c. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, ubi dicitur, quod ob rationabilem causam possint sponsalia omnino dissolvi, ibi : « Nisi rationabilis causa obstiterit, » unde a fortiori ob eam licite differri poterunt, et ideo *supra* n. 49, fuit notanter dictum : « Nisi justa causa excuset, » quia, ut statuitur cap. *Imputari* 41, De regul. jur. in 6, « imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum, » et ex capit. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus ibi : « Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit. »

(54. Si nullum certum tempus sit præfixum ad matrimonium contrahendum, tenetur quisque contrahere altero exigente, quamprimum commode potest. Sanchez, l. I, *De sponsalibus*, disp. 28, n. 2; Tamerus, tom. IV, disp. 8, q. 1, dub. 3, n. 35;

Digitized by Google

Pirrhing, lib. IV *Decretal.*, tit. 1, n. 16; Diana, part. III, tract. 4, resolut. 245, et alii plures. Et ratio est, quia id generale est in omni debito, cui dies certus præfixus non est. Non enim prius tenetur debitor solvere, quam creditor postulaverit, l. *Debitoris* 10, De pignoribus; Reiffenstuel autem, *loco cit.*, n. 143; Pontius, Castropal., Coninck., Ledesma, et alii ab ipso ibi allegati tenent, quod sponsalia in tali casu obligent ad contrahendum matrimonium statim, quam primum commode, et humanitus fieri potest, etiamsi ab aliqua ex spondentibus parte monitio aut requisitio non fiat. At recte Sporer, tom. III, part. IV, cap. 2, n. 420, dicit facile has sententias conciliari, si dicatur obligari quidem statim, quia natura promissionis est ut servetur quamprimum moraliter, et humano modo servari potest, at excusari hujusmodi sponsos, quoties alter non requirit, cum posset, quia tunc censetur remittere, et non curare de dilatione, quod et admittit Reiffenstuel ipse *loco cit.*, n. 149, concedendo quod altera pars censeatur remittere, si tales adsint circumstantiæ aut signa, ex quibus prudenter colligi possit dictam partem alteram dilationi consentire. Cæterum quoad hoc servandum salutare monitum sacræ congregationis Concilii apud Sporer, *loco cit.*, n. 420, et Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 151, referentes ex Gallemart. dictam sacram congregationem ad Trident., sess. XXIV, capit. 1, sic provide statuisse: « Monendi sunt sponsi ut, factis sponsalibus, quamprimum contrahant matrimonium per verba de præsenti coram parocho et testibus, ne sponsæ stupri periculum subeant. »

(55. Recusans post legitima sponsalia contrahere matrimonium potest, et debet ad id compelli per competentia juris remedia, nisi rationabilis causa obstiterit. *Communis*, ac certa per textum in cap. *Præterea* 2, De sponsalibus, ubi expresse statuitur, quod « hi, qui de matrimonio contrahendo pure, et sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, et modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent, » et cap. *Ex litteris* 10, eod titul., ubi expresse mandatur: « Fraternitati Tuæ mandamus, quatenus, si hoc tibi constiterit, eum moneas, et si non acquieverit monitis, ecclesiasticis censuris compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet. »

(56. Et conclusio procedit, sive sponsalia fuerint jurata, sive non, ut tradunt communiter doctores, et Rota, part. III, recent. decis. 742, num. 1, part. IV, tom. I, decis. 451, num. 2, decis. 666, sub num. 2, adnot. ad decis. 431, num. 62, part. IV, tom. II, et decis. 163, num. 4, et seq., part. IX, tom. I. Et ratio est, quia judex ecclesiasticus potest et non debet jurantem tantum, sed etiam simpliciter promittentem, aut contrahentem debitis juris remediis ad observanda promissa et pacta compellere, præsertim ad instantiam partis, cap. *Antigonus* 1, De pactis, ibi: « Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus (si se non cohibuerit) ecclesiasticam sentiat disciplinam; » et cap. *Qualiter* 3, eod., ibi: « Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur; » juncto ejus summario, ubi expresse dicitur: « Judex debet studiose agere, ut promissa adimpleantur. »

(57. Pro compellendo tali renuente contrahere matrimonium, debet judex ecclesiasticus ante omnia ipsum renuentem debito modo monere, adjunctis etiam minis, ut suæ obligationi satisfaciat, promissum matrimonium contrahendo. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, ibi: « Moneas, et si non acquieverit monitis... compellas; » et concordat cap. *Non invenitur* 41, caus. 23, q. 4, ubi pro ratione et modo præscribitur, ut monitio severitatem præcedat.

(58. Deinde si monitione, et minis judex ecclesiasticus nihil proficiat cum tali renuente matrimonium contrahere, potest etiam adhibere nedum pœnam pecuniariam, sed et carceres, aut alias pœnas corporis afflictivas, si eas adhibendi occasionem habeat. Fagnan., in capit. *Pervenit.* 2, De adulteriis, a num. 10; Barbosa ad concil. *Triden.* sess. XXV, cap. 3, *De reformat.*, num. 28; Castropal., *De sponsalibus*, disp. 1, punct. 8, num. 2; Marc. Anton. Genuens. in *Practic. eccles.*, quæst. 780, num. 4; Antonell., in *Prax.*, lib. V, cap. 2, num. 3 et seq.; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 157, qui testatur supradictos doctores cum communi, et hodie certa asserere, judicem ecclesiasticum in causis tam civilibus quam criminalibus ad se pertinentibus omnino posse carceribus et aliis pœnis corporis afflictivis laicos compellere, quin et debere hoc facere, antequam ad censuras excommunicationis aut interdicti contra eos in præfatis causis procedat.

(59. Et si nec etiam carceratione, aut aliis pœnis corporis afflictivis aliquid efficiat, tunc potest et debet renuentem etiam censura excommunicationis, ad nubendum compellere. *Communis*, textu expresso, in cit. cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, ibi: « Et si non acquieverit monitis, ecclesiasticis censuris compellas ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet; » et concordat concil. *Tridentin.*, session. XXV, *De reformat.*, capit. 3, § *Quod si executio.*

(60. Si autem episcopus, non adhibita carceratione, aliisque pœnis corporis afflictivis, statim censuras adhibeat pro compellendo ad contrahendum matrimonium talem renuentem, illicite quidem, sed tamen valide, aget, et censuræ sic statim inflictæ valebunt. Sic Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, 96, num. 39, et ad concil. *Tridentin.*, sess. XXV, *De reform.*, capit. 3, num. 21, cum Guttierez, Campan., Escobar, Mascard., Ant. Genuens. et aliis ab ipso citatis, dict. allegat. 96, num. 39; Reiffenstuel, *loco citat.*, num. 162, et alii. Et ratio est quia concil. *Trident.*, *loco citat.*, non annullat censuram latam contra modum ibi præ-

Digitized by Google

scriptum, sed tantum declarat illicitam, cum non imponat formam necessario observandam, sed tantum tradat instructionem, ut docent supracitati doctores arg. leg. *A. D. Pio*, § *In vindicatione*, ff. *De re judicata*; ubi statuitur modus observandus in quavis exsecutione facienda, hanc pariter admittere interpretationem, ut exsecutio aliter facta non subjaceat nullitati. Sic expresse Barbosa ad concil. *Trident.*, *loco citat.*, et cit. allegat. 96, n. 39, cum plurimis ibi cit.

(61. Si tandem, adhibitis omnibus supradictis mediis, etiam censuris, adhuc renuat cum tali nubere, non potest finaliter cogi ad nubendum, sed debet dimitti et absolvi, præsertim si advertatur magna animorum aversio, ita ut ex tali futuro matrimonio forent timendæ perpetuæ inimicitiæ, jurgia, scándala, verbera, mutilationes, et alia similia gravia incommoda. Sic Rota, part. IV, recentior., tom. III, decis. 651, n. 10 et 11, part. XV, decis. 145, n. 6, ubi n. 7, subjungit, nec posse damnari ad pœnam pecuniariam seu conventionalem; ne quis pœnarum metu cogatur ad matrimonium, in quo omnimoda libertas consensus esse debet, ut prosequitur *ibidem*, num. 8. Et sic Glossa final. in cap. *Pervenit* 2, De adulteriis; Joannes Andreas, in cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, n. 12, et *ibi* Ancharanus, n. 5; Covarruvias, *De sponsalibus*, part. I, cap. 4, n. 3 et seq.; Gutierez, *De jurament.*, part. I, cap. 51, num. 4; Sanchez, lib. I, *De sponsalibus*, disp. 29, n. 7 et 8; Gobat, tom. I, tract. 10, n. 127 et seq., cum aliis ibi citatis, Sporer, *loco cit.*, n. 421, cum aliis ibi allegatis; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 163, et ipso teste, *Communis aliorum*, arg. capit. *Requisivit* 17, De sponsalibus, ubi Lucius III Papa sic expresse respondet: « Requisivit a Nobis Tua Fraternitas qua censura mulier compelli debeat, quæ jurisjurandi religione neglecta, nubere renuit ei, cui se nupturam interposito juramento firmavit? Ad quod breviter respondemus quod, cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere; » quod intelligi debet de finali et nimia coactione, juxta dicta supra et cit. cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, ubi censuris compelli jubetur renuens nubere, « nisi rationabilis causa obstiterit. » Revera autem videtur obstare rationabilis causa non compellendi ipsum censuris ad sic nùbendum, cum judex ex circumstantiis prudenter colligere possit præfatam animi aversionem, ex qua indubitanter oritura forent tot ingentia dicta mala et gravia incommoda, arg. can. *Principatus* 23, caus. 1, q. 1, ubi ex verbis S. Leonis Papæ expresse dicitur: « Difficile est, ut bono peragantur exitu quæ malo sunt inchoata principio, » adeoque, etc.

(62. Nec quid novi induxit circa id concilium Tridentin. sed in robore reliquit dispositionem juris canonici in cit. cap. *Requisivit* 17, De sponsalibus, de non cogendo finaliter ad nubendum talem renuentem nubere, ut habetur ex sequenti declaratione sacr. congregat. Concilii relata ab Ursaya, tom. III, part. I, decision. 19, num. 216, his verbis:

« Hieracen., præsupposito quod matrimonium sit factum absque parochi præsentia, et duorum vel trium testium, quo casu irritum declaratur a *Tridentino* concilio, sess. XX *De reformatione matrimonii*, cap. 1, vers. *Qui aliter*; Quæritur:

« An dictum matrimonium transeat in sponsalia de futuro, ita ut cogi possit vir per censuras, aliaque juris remedia ad servandam fidem sponsæ, quando maxime secuta sit copula?

« Et an si fuerint secutæ promissiones, et data fides de contrahendo matrimonium per verba de futuro, possit cogi nolens contrahere ad contrahendum per verba de præsenti cum solemnitatibus sacri concilii, cum jure canonico videatur contrarium decisum ex cap. *Requisivit*, De sponsalibus.

« Die..... Novembris 1589. Quoad primum S. C. censuit non transire. Quoad secundum de cogendis contrahentibus ad observanda sponsalia, nihil novi induxisse concilium *Trident.* A. card. Caraffa. » Lib. VI *Decretor.*, fol. 62.

Et abstinendum esse a coactione reluctantis sponsi, vel sponsæ, et permittendas nuptias cum alia, seu alio censuit sacr. congregat. Concil., *in Senogallien. Sponsalium* 1 Septemb. 1714, *in Majoricen. Sponsalium* 24 Aprilis 1724, *in Mediolanen. Salernitanen. Sponsalium* 18 Julii 1725, *in Neapolitana* 17 April. 1728, et *in Gallipolitana Sponsalium* 28 Februarii 1773, apud *Thesaurum resolution. sacræ congreg. Concilii in dict. Gallipolitana* tom. VI. Nec etiam cogenda sunt effectuari sponsalia inter consanguineos seu affines inita sub conditione Apostolicæ dispensationis obtinendæ; ipsa enim declarata fuerunt irrita et invalida a sacra congregatione Concilii *in Brugnaten. Sponsalium* 26 Januar. 1709, et *in Januen. Sponsalium* 12 Decembr. 1733, apud dict. *Thesaurum* tom. VI.

(63. Unde recusantem matrimonium contrahere post sponsalia, posse quidem moneri, et juxta sacrorum canonum præscripta compelli comminatione censurarum, non autem posse præcise cogi, propugnat Rota, part. IV recentior., tom. III, dec. 656, n. 10 et 11, part. XVI, dec. 142, n. 6, et potissimum ubi adsit aliqua justa causa resiliendi a sponsalibus: quo casu judex potest quidem monere ut ad effectuationem matrimonii deveniat, non autem potest cogere, neque per censuras, et præsertim si timeatur, quod censuræ sperni possint, vel quod per matrimonium coacte initum gravius malum oriri possit. Rota, part. X, rec. decis. 19, n. 3 et 44, part. XIV, decis. 185, n. 5. (64. In tali enim casu potest judex omnino abstinere a censuris, si prudenter prævideat quod illæ nihil efficient, ut prævidere potest si animi aversio nimia dignoscatur. Sic Covarruv., *De sponsalibus*, part. I, cap. 4, § 1, n. 5;

Digitized by Google

Sanchez, *loco cit.*, n. 4 et 7, cum pluribus aliis ibi allegatis; Reiffenstuel. *loco cit.*, n. 164; Gobat, *loco cit.*, num. 128, et plures alii.

(65. Et in casu quo talis renuens matrimonium effectuare fuerit ob id excommunicatus, tunc judex ecclesiasticus non solum sponsum petentem absolutionem absolvere potest, postquam diu stetit excommunicatione innodatus, sed eumdem etiam non petentem absolvere tenetur : in simili enim casu æque pia ac laudabilis praxis Ecclesiæ est talem excommunicatum etiam non petentem, imo invitum absolvere, « sponsoque primævam libertatem restituere, » juxta præcisa verba Rotæ, et ad terminos auctoritatum allegatarum *in Comen. Sponsalium* 10 Junii 1705, § *Concurrente, coram Molin.* Sic refert et tenet expresse Ursaya, tom. II, part. I, discept. 21, n. 244, et tom. III, part. I, discept. 19, n. 252, et sic tenet cum pluribus aliis Gobat, *loco cit.* num. 128 et 129. * De hoc tamen vide distinctionem allatam infra *novæ additiones ex aliena manu*, quæ omnino necessaria est *.

(66. Tempus autem, quod decurrere debet, antequam talis renuens excommunicatus absolvatur, regulariter solet esse illud unius anni, ne postea efficiatur de hæresi suspectus, juxta disposita in concil. *Tridentin.*, sess. XXIII, cap. 3, cum concordant. apud Menoch., *De arbitrar.*, cas. 416, num. 55. Verum tamen est, quod ex particularibus facti circumstantiis Rota, in decis. 242, num. 13, *coram Duran.*, censuit esse XVI mensium, et *in Majoricen. Censurarum* 15 Januarii, 1515, § *Longum, coram card. Scotto*, censuit esse spatium XVII mensium. Sic Ursaya, tom. III, part. I, citat. discep. 19, num. 254.

(67. Nec in tali casu poterit licite sponsa adhuc urgere negationem talis absolutionis a censura, ut recte docet Gobat, *loco cit.*, num. 120, ubi insuper dicit cum Perez, disp. 11, sect. 1, num. 4, quod quando est clarum periculum supradictorum gravium malorum emergens ex horrore quem sponsus habet adversus sponsam, tunc sponsalium etiam juratorum obligatio hoc ipso cesset, arg. cit. cap. *Ex litteris* 40, De sponsalibus, ibi : « Nisi rationabilis causa obstiterit, » et cit. cap. *Requisivit* 17, eod. ibi : « Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. »

(68. Quamvis autem dicta sponsa non possit in tali casu licite adhuc negationem talis absolutionis urgere, potest tamen licite jure exigere compensationem omnium damnorum emergentium ex hac dissolutione, ut tradunt communiter doctores et expresse Rota, *in Majoricen. Censurarum* 15 Januarii 1715, § final. *coram card. Scotto*, ubi eo tempore, quo demandavit absolutionem sponsi renuentis effectuare sponsalia, adjecit modum, qui fuit refectionis omnium expensarum in causa facti. cum reservatione jurium respectu mulieris in congruo judicio petendi dotem, quatenus illa de jure deberetur eidem mulieri.

(69. An autem pars innocens, etiamsi nullum damnum patiatur, possit ab altera parte sine legitima causa a sponsalibus recedente, exigere pœnam conventam; seu an sit licitum et validum in sponsalibus apponere pœnam solvendam ab illo, qui ab eis injuste resilit? Variant doctores. Negant enim id fieri posse S. Thomas, in 4, dist. 27, qu. 2, art. 3 ad 4, sic expresse dicens : « Quandoque autem apponitur conditio pecuniæ per modum pœnæ, et tunc, quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat, nec potest exigi pœna illa ab eo qui non vult matrimonium complere; » Rota part. XV, recent. dec. 142, n. 7 et 8; S. Antoninus, part. III, *Summ. theol.*, tit. 1, cap. 18; Tamburin., lib. VIII *De matrimon.*, tract. 3, § 3; Tannerus, tom. IV, disp. 8, qu. 1, n. 44; Dicast., disp. 1, dub. 26, n. 36; Beja, part. I, cas. 1; Onnate, *De contractibus*, disput. 34, n. 15; Tancredus, lib. I, dist. 30, n. 1; Kugler, part. I, n. 42; Aversa, qu. 8, sect. 9; Sanchez, lib. I, disp. 30, n. 2, asserens sic omnes sentire secum; Pontas verb. *Sponsalia*, n. 56, asserens similes pœnales conventiones, aut pactiones nunquam tenere, nec in foro interiori, nec in exteriori, quamvis essent juramento firmatæ, cum non liceat jusjurandum servare præstitum ob rem legibus ecclesiasticis vetitam nec efficiendam sine peccato saltem veniali, quod et tenet Sanchez, et Aversa *loco citato*, cum multis aliis. Et quidem stando in rigore juris tum civilis, tum canonici, videtur hæc sententia tenenda. Etenim in jure civili, l. *Titia* 134, ff. *De verborum obligationibus*, sic expresse habetur : « Respondit ex stipulatione, quæ proponeretur, cum non secundum bonos mores interposita sit, agenti exceptionem doli mali obstaturam, quia inhonestum visum est vinculo pœnæ matrimonia obstringi, sive futura, sive jam contracta; » et in l. *Mulier* 5, cod. *De sponsalibus* in fine, ita expresse statuitur : « Extra definitionem hujus legis, si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat; » et in l. *Libera* 2, cod. *De inutilibus stipulationibus*, sic reperitur præcise sancitum : « Libera matrimonia esse antiquitus placuit, ideoque pacta, ne liceret divertere, non valere, et stipulationes, quibus pœnæ irrogantur ei, qui, quæve divortium fecisset, ratas non haberi constat; » et in jure canonico cap. *Gemmas* 29, De sponsalibus et matrimonio, sic clare disponitur : « Cum itaque libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda, mandamus, quatenus si ita est, eumdem B. ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, ecclesiastica censura compellas. »

(70. Nihilominus probabilius id fieri posse, nempe licite et valide apponi posse in sponsalibus pœnam solvendam ab eo, qui ab illis injuste recesserit, et talem conven-

Digitized by Google

tam pœnam obligare affirmant Gothofr., in cit. l. *Titia* 134, ff. *De verb. obligat.*, vers. *Quin inhonestum;* Barb., in citat. cap. *Gemmas* 29, De sponsal. n. 89; Engel, lib. IV *Decret.*, tit. 1, § 2, n. 7; Reiffenstuel, *ibid.*, a n. 187; Layman, lib. V, tract. 10, part. II, cap. 1, n. 9; Henno, tom. II, tract. *De matrimon.*, disp. 1, quæst. 9, conclus. 2; Bosco, in *Theol. sacramental.*, disp. 11, *De matrimon.*, sect. 1, conclus. 11; Basilius Pontius, *De matrimon.*, lib. XII, cap. 19, n. 8; Coninch, disp. 22. dub. 5; Diana part. III, tract. 4, resolut. 211; Suarez, tom. II, *De relig.*, lib. II *De juram.*, cap. 23 n. 5; Vasquez, *Opuscul. de testament.* c. 3, n. 28. Castropal., *De sponsalibus*, disp. 1, punct. 9, n. 3; Gobat., tract. 10, cas. 4, a n. 172; Perez, *De matrimon.*, disp. 7, sect. 1, n. 6; Delbene, capit. 8, disp. 19, sect. 4; Haunold., *De justitia*, tom. I, tract. 4, a n. 362; Molina, Lessius, La Croix, lib. V, part. III, n. 148, cum pluribus aliis ibi citatis, et valde probabile censet Pirrhing lib. IV, tit. sect. 1, n. 23, vers. *Extendunt*, et plures alii.

(71. Et ratio est, quia tales pœnales conventiones nec sunt contra jus naturale, nec contra jus positivum, adeoque validæ sunt, et licitæ. Quod non sint contra jus naturale concedunt omnes, etiam ipsimet adversarii, cum ipsemet Deus injuste resilienti apponat pœnam damnationis æternæ, ut patet *supra* n. 48, et Ecclesia pœnam pecuniariam, carceris et excommunicationis, ut patet *supra* n. 56 et 57, quod non facerent, si appositio pœnæ solvendæ ab injuste resiliente esset contra jus naturale.

(72. Quod autem tales conventiones pœnales non sint contra jus positivum, tum civile, tum canonicum, clare patet, quia in tantum in allatis juribus reprobantur tales pœnales conventiones, in quantum per ipsas læderetur libertas ad matrimonium requisita, prout fatentur etiam ipsimet adversarii, eo quod hanc rationem allegent omnia *supra citata jura*. Atqui tales conventiones pœnales non lædunt libertatem ad matrimonium requisitam : ergo, etc. Probatur minor : libertas ad matrimonium requisita non tollitur per graviores pœnas, nempe per pœnas corporis afflictivas, per carceres, per excommunicationem, per pœnam damnationis æternæ, sub quibus a Deo et Ecclesia compelluntur sponsi ad non resiliendum injuste, et sine legitima causa a promisso matrimonio; ergo neque libertas requisita ad matrimonium tollitur per dictam pœnam conventionalem omnibus supradictis longe minorem, arg. l. 22, ff. *De adult.* Quod autem pœna æterna gravior et major sit pœna temporali de se patet, et quod corporalis gravior, et major sit pecuniaria, clare constat, arg. leg. *In servorum*, § fin. *De pœnis*, et quod excommunicatio sit gravior et major pœna, quæ in Ecclesia dari possit, habetur expresse in can. *Corripiantur* 17, caus. 24, qu. 3, ibi : « Qua pœna in Ecclesia nulla major est. »

(73. Tum quia posset negari suppositum, quod per dictam conventionem pœnalem tollatur libertas, cum, contractis rite sponsalibus, nulla pars libertatem amplius habeat resiliendi injuste, et sine legitima causa a dictis sponsalibus, arg. cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, ibi : « Si non acquieverit monitis, ecclesiasticis censuris compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat. » Quia, ut omnes etiam ipsimet adversarii concedunt, sponsalia rite contracta obligant sub mortali, adeoque sub pœna æterna ad promissum matrimonium effectuandum, sicque libertatem adimunt sponsis injuste, et sine legitima causa resiliendi, eisque necessitatem moralem effectuandi dictum promissum matrimonium imponunt, et consequenter libertas moralis non datur ad resiliendum sine causa. Quod enim est inhonestum, hoc secundum leges est impossibile, quia de jure illud tantum possibile et fieri posse censetur, quod licite fieri potest; can. *Fraternitatis* 15, caus. 22, q. 2, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Quod potest :* hinc allegata jura ab adversariis prohibent quidem pœnales conventiones tollentes libertatem ad resiliendum juste, et cum legitima causa, quod et nos ultro concedimus. At non prohibent pœnales conventiones ad non resiliendum injuste et sine legitima causa, cum ad injuste resiliendum, contractis rite sponsalibus, moralem libertatem nulla pars amplius habeat : sicque talia jura permittunt fieri conventiones pœnales ad non resiliendum injuste, et sine legitima causa, quæ est nostra conclusio.

(74. Tum etiam quia valide et licite apponi posse pœnam, ne quis injuste a sponsalibus resiliat, dictamque pœnam ab injuste resiliente posse licite exigi a parte innocente, et debere solvi a parte rea injuste resiliente, conceditur expresse et statuitur in constitut. seu novella 18 Leonis imperatoris : *ut in sponsalibus constituta pœna exigatur*, vere digna, ut integra legatur; unde cum ibi habeatur tam clare et explicite dicta dispositio, cessat penitus ratio dubitandi de jure civili. Imo etiam de jure canonico, quia, ubi casus vel materia in jure canonico obscure disponitur, uti in præsenti (cum in cit. cap. *Gemmas* 29, De sponsalibus, sermo sit de sponsalibus inter pueros ante septennium contractis per parentes, uti patet ex textu, et fatentur omnes cum Sanchez, *loc. cit.*, n. 3, a quibus utpote invalidis non licet argumentari ad sponsalia ab adultis valide contracta); in jure autem civili habetur de tali casu vel materia, clara dispositio (uti in præsenti, cum citata constitutio, seu novella 18 Leonis imperatoris contineat ad rem clarissimam, et expressissimam dispositionem), etiam in foro canonico causa decidi debet juxta jus civile, arg. cap. *Intelleximus* 1, De novi operis nuntiatione, ubi Summus Pontifex Lucius III sic expresse pronuntiat : « Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur. » Ubi Glossa, verb. *Adjuvantur*, notabiliter infert : « Et ita in

Digitized by Google

causa ecclesiastica leges possumus allegare, ut, etiamsi canones deficiant, possit judicari secundum leges, » et Abbas, *ibidem*, n. 3, merito concludit, quod « causa Ecclesiæ debet decidi per jus civile in defectum canonum; omnes enim leges principum non contradicentes canonibus sunt approbatæ per Ecclesiam, ut patet hic. » * Confer Antoine, *De matrimonio*, cap. 1, quæst. 5, n. 9, et addit. ad Cuniliati tract. 14, *De sacram. in particul.*, cap. 7, § 1, num. 9.

(75. An et quando resilientes a sponsalibus amittant arrhas. *Vide* verb. *Arrha* *. Olim renuente sponso, arrha cedebat lucro sponsæ; l. 3, cod. *De spons.*; sed si mulier renuebat, cogebatur restituere arrham cum quadrupli pœna. L. un. *Cod. Theod. si nupt. ex rescript. pet.* l. 6, cod. eod., *De sponsal.*, l. unic. cod. eod., si recte prov. spons. et cum pater sponsæ arrhas suscipiebat, eidem pœnæ se obligabat l. 6, cod. eod., *De spons.* Ex posterioribus vero constitutionibus, justis concurrentibus causis renuendi, arrham tenetur sponsa restituere l. 5, § 1, cod. *De spons.*, l. 16, cod. *De episc. aud.* l. 56, cod. *De episc. et cler.* *

(76. Sponsalia rite contracta variis justis de causis dissolvi possunt. Primo sponsalia puberum, etiam jurata, valide et licite dissolvi possunt mutuo consensu. *Communis*, per text. in cap. *Præterea* 2, De sponsalib., juncto ejus Summario, in quo expresse sic habetur: « Sponsalia de futuro dissolvuntur, si sponsi se dissolvunt, etiamsi fuerint jurata. » Et ratio est, quia ut dicitur cap. *Omnis res* 1, De reg. juris in 6: « Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, » et concordat lex *Nihil* 35, ff. De regul. jur., ibi: « Nihil tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvi, quo colligatum est, » cum similibus.

(77. Secundo, dissolvi possunt sponsalia per recessum unius a sponsalibus; recedente enim una parte a sponsalibus, sive juste sive injuste, etiam altera pars recedere potest. *Communis*. Et quidem si una pars juste recedat, jam hoc ipso solvit sponsalia et altera pars libera manet; si autem injuste recedat, procedit illud vulgatum: « Frangenti fidem, fides frangatur eidem, » arg. l. *Qui fidem* 16, de transactionib. et cap. *Frustra* 75, De regul. juris in 6, ibi: « Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat. »

(78. Quando tamen una pars injuste recedit, non tenetur altera pars recedere, sed potest injuste recedentem tenere sibi obligatum, ita ut hic teneatur eidem volenti adhuc nubere. *Communis*. Et ratio est, quia peccata suos debent tenere auctores, l. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*, cap. *Quæsivit* 2, De his, quæ fiunt a majori parte capituli. Item, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, cap. *Cognoscentes* 2, De constit. Nec debet aliquis alterius odio prægravari, cap. *Non debet* 22, De regul. jur. in 6, l. *Non debet* 74, ff. *De regul. jur.* Et nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest, l. *Non fraudantur* 134, § 1, ff. *De reg. jur.*, « ne videatur de sua malitia commodum reportare, » cap. *Intellexi-mus* 7, De judiciis.

(79. Tertio, dissolvuntur sponsalia, si unus sponsorum sine licentia alterius longius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi, tunc enim altera pars ad alia vota transire libere potest: *Communis*, textu expresso in cap. *De illis* 5, De sponsalibus, ibi: « De illis autem, qui, præstito juramento, promittunt, se aliquas mulieres ducturos, et postea eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis, si non amplius in facto est processum, ad alia se vota transferre: » juncto ejus summario sic dicente: « Si sponsus de futuro ante copulam ad remota se transfert, sponsa libere cum alio contrahit. »

(80. Nec obstant leges civiles, ut l. *Si is qui* 2, cod. *De sponsalibus*, ubi statuitur, sponsum absentem intra eamdem provinciam biennio esse exspectandum. l. *Liberum est* 2, cod. *De repudiis*, ubi sancitur esse triennio exspectandum, si extra provinciam absit, l. *Sæpe juste* 17, ff. *De sponsalibus*, ubi decernitur triennio, quadriennio, et ulterius esse exspectandum, si unus ex sponsis ob aliquam causam necessariam absit. Non obstant, inquam, quia præfatæ leges correctæ fuerunt a jure canonico cit. cap. *De illis* 5, De sponsalibus; cui juri canonico absolute standum esse in utroque foro, quando sponsus alio se confert ex voluntaria, justa quidem, sed non necessaria causa, docent Henriquez, Rodriguez, aliisque citatis, Sanchez. lib. 1 *De matrimon.*, disp. 54, num. 5, Tamburin, *loc. cit.*, c. 1, num. 9, apud Sporer, *loc. cit.*, num. 244, et minime attendendas esse prædictas leges in nostro casu, quando scilicet unus sponsorum sine licentia alterius longius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi, docet cum aliis Reiffenstuel, *loc. cit.* num. 215. (81. Quamvis tamen plures doctores, ut Silvester, Canisius, Layman, *loc. cit.*, num. 14, Glossa, et alii apud ipsos dicant, prædictas leges non esse a jure canonico correctas in casu, quo sponsus ex causa necessaria seu voluntaria, justa tamen, et utili, v. g. ob bellum justum, ob studia, ob negotiationem et hujusmodi diutius abest, deinceps reversurus, et in similibus casibus sponsam debere exspectare saltem tantum temporis, quantum constituet judex ecclesiasticus illud moderando ad breviorem terminum, et significando sponso, intra quem teneatur redire, alioquin sponsam liberam fore; quæ opinio est probabilissima, et mihi videtur in praxi sequenda, cum sic concilietur jus civile cum canonico, nec sit contra nostram conclusionem sub num. 75; nam ipsa loquitur de casu, quo unus sponsorum sine licentia alterius longius discedit animo non redeundi, seu sine spe brevi redeundi: hinc in casu,

Digitized by Google

quo deinceps reversurus absit ob aliquam supradictam necessariam, seu voluntariam, justam tamen et utilem causam; tunc sponsa revera exspectare debere aliquanto tempore judicis arbitrio, consideratis occurrentibus circumstantiis, significando interim sponso intra quod tempus redire teneatur, alioquin ipsam sponsam liberam fore, ut jam dictum est; et sic in praxi observari asserit Sporer, *loc. cit.*, num. 244. Et sic si sponsus sit in loco propinquo, quod requiri et admoneri debeat, ut intra certum tempus nubat, docet Sanchez, *loc. cit.*, num. 11, Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 215, et alii passim.

(82. Quarto, sponsalia dissolvuntur per dilationem nimiam matrimonii ultra tempus, vel terminum præfixum ad finiendam obligationem; qui enim differt inire matrimonium ultra tempus, vel terminum in sponsalibus sic præfixum, censetur a sponsalibus resilire, sic, ut altera pars etiam juste resilire, et ad alia vota se transferre possit. *Communis* per text. in cap. *Sicut* 22, De sponsalibus. Et leg. *Fidejussor* 29, § final. ff. *Mandati*; et ratio clara est, quia, ut habetur in cap. *Contractus* 85, De regulis juris in 6, « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur, » et concordat l. *Contractus* 23, ff. *De regul. juris.*

(83. Si autem dilatio fiat ultra tempus, vel terminum præfixum, non ad definiendam, sed tantum ad differendam, seu ad exsequendam obligationem contrahendi matrimonium, ita ut usque ad illud tempus, verb. grat. usque ad Pascha, nulla pars obligetur, sed solum incipiat obligatio post illud tempus, tunc nequeunt dissolvi sponsalia ex eo, quod intra illum terminum matrimonium non sit effectuatum, sed manet adhuc obligatio illud effectuandi. *Communis*, argum. leg. *Continuus* 137, § 2, ff. *De verbor. obligat.*, et l. *Celsus* 23, ff. *De recept. qui arbitrium receperunt.* Et ratio est, quia cum tempus est præfixum, non ad finiendam, sed tantum ad differendam, seu exsequendam obligationem contrahendi matrimonium, duplex consurgit obligatio: prima matrimonium contrahendi; secunda tali tempore contrahendi: unde licet hæc secunda obligatio violetur, et ob eam violationem altera pars juste resiliat, manet tamen prior obligatio absoluta, et principalis, scilicet matrimonium contrahendi si altera pars adhuc velit.

(84. Si vero nullum certum tempus præfixum sit ad matrimonium contrahendum, discurrendum est sicuti *supra* num. 53.

(85. Quinto, sponsalia dissolvuntur per ingressum in religionem professione secuta: *Communissima*; per professionem enim religiosam solvitur etiam ipsum matrimonium ratum, cap. *Ex publico* 7, De convers. conjug. adeoque multo magis sponsalia de futuro.

(86. Per solum etiam ingressum in religionem, licet professione nondum secuta, dissolvuntur sponsalia ex parte illius qui in sæculo remanet, ita ut is a promissione sit liber, et si velit, ad alia vota se transferre possit. Sic Innocentius, in cap.

Veniens, Qui clerici, vel voventes, et ibi Ancharan., num. 1; Joan. Andr., num. 2; Sanchez, lib. I, disp. 42, num. 2; Layman, lib. V, tract. 10, part. I, cap. 2, num. 3; Sporer, *loc. cit.*, num. 247, cum Soto, Navarr. Henriquez, Rodriguez, Coninch., Tamburin., et aliis ibi citatis; Reiffenstuel, *loco citato*, num. 226, testans de communi aliorum contra Durandum, et alios apud Sanchez, *loc. cit.* Et ratio est, quia illa pars, quæ religionem ingreditur, ipso facto significat se mutasse voluntatem, et sponsalibus, ac juri suo renuntiasse, adeoque relinquit alteram partem liberam; tum quia per ingressum in religionem fit notabilis mutatio ex parte ingredientis; per notabilem autem mutationem ex parte unius solvuntur sponsalia, et tollitur obligatio ex parte alterius; arg. cap. *Quemadmodum* 25, De jurejurando, et cap. *Per vestras* 7, De donation. inter virum et uxorem.

(87. Per solum autem ingressum in religionem, professione non secuta, non dissolvuntur sponsalia ex parte ingredientis, sed manet adhuc obligatio ex parte ipsius, ita ut si remanens in sæculo velit exspectare, et adhuc eum habere velit, teneatur eam ducere, si, non secuta professione, a religione egrediatur: Engel. lib. IV *Decretal.*, tit. 1, § 3, num. 7; Pirrhing, *ibid.*, num. 50; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 227; Sporer, *loc. cit.*, num. 248; Layman, *loc. citat.*, et alii communiter contra Sanchez lib. I, disp. 42, num. 4, dicentem etiam ex parte ingredientis dissolvi sponsalia, saltem si bona fide ingrediatur; et ratio nostra est, quia solus ingressus in religionem, non secuta professione, nec ex natura sua, nec ex jure aliquo positivo solvit sponsalia, adeoque, etc. Quod enim ex natura sua non solvat sponsalia, clare patet, quia novitius egredi potest e religione, et sponsalia adimplere; quod autem ea non solvat ex jure aliquo positivo, constat ex eo quod nullum tale jus allegari possit; nam. cap. *Verum* 2, et cap. *Ex publico* 7, De conversione conjugatorum, cum similibus non loquuntur de ingressu, sed de sola professione, adeoque talis juris positivi dispositio facta de sola professione non debet extendi ad simplicem ingressum sine professione, quia cum sit odiosa, utpote in præjudicium alterius vertens, restringi potius quam extendi debet, argum. cap. *Odia* 15, De regul. juris in 6, ibi: « Odia restringi, et favores convenit ampliari. »

(88. Sexto, sponsalia dissolvuntur ex parte utriusque per susceptionem sacrorum ordinum. *Communis*. Et ratio est clara, quia per susceptionem sacrorum ordinum redditur impossibilis adimpletio sponsalium, cum ordines sacri ob solemne votum castitatis ipsis annexum reddant suscipientes incapaces matrimonii contrahendi, cap. *Presbyteris* 8, dist. 27, cap. *Ante* 1, cap. *Sacerdotibus* 2, dist. 31, cap. *Omnium* 1, cap. *Multorum* 2, cap. *De illo* 4, cap. *Si quis* 7, cap. *Subdiaconis* 9, dist. 30, et c. *Quod votum* unic., De voto, et voti redempt. in 6. Extravag. Joan. XXII, *Antiquæ concertationi unic. de*

Digitized by Google

voto, et voti redempt.; concil. *Tridentin.*, sess. XXIV, canon. 9, adeoque, etc.

(89. Non dissolvuntur tamen sponsalia per susceptionem ordinum minorum, saltem ex parte eos suscipientis. *Communis.* Et ratio est evidens, quia per susceptionem ordinum minorum non redditur impossibilis adimpletio sponsalium, cum ordines minores non repugnent cum matrimonio, sed promoti ad ipsos possint adhuc valide et licite nubere, adeoque sponsalia contracta tenentur, quantum est ex parte sua, adimplere: dicitur autem notanter saltem *ex parte eos suscipientis*, quia si sponsus, inscia vel invita sponsa, suscipiat ordines minores, probabilius solvuntur sponsalia ex parte ipsius sponsæ, ita ut hæc alteri pro libito nubere possit, ut contra Sanchez, lib. I, disp. 47, n. 1, docent Gobat tract. 10, cas. 8, n. 321; Tannerus, *De sponsalibus*, disp. 8, tract. 4, qu. 1, n. 53; Sporer, *loc. cit.* n. 256; Reiffenstuel, *loc. cit.* n. 230, et alii. Et ratio est, quia tunc sponsus revera videtur remittere sponsæ jus suum in illam, cum suscipiendo ordines minores, censeatur velle etiam ascendere ad ordines majores, et sic statum assumere incompossibilem cum matrimonio, per jura adducta *num. anteced.* Tum quia videtur tunc fieri ex parte sponsi notabilis mutatio, ob quam communiter nollent puellæ contrahere cum illo quem scirent in clericum ordinandum, adeoque ob similem sponsi notabilem mutationem solvuntur sponsalia ex parte sponsæ. Argum. cap. *Quemadmodum* 25, De jurejurando, et cap. *Per vestras* 7, De donation. inter virum et uxorem.

(90. An autem etiam per votum ingrediendi religionem, aut suscipiendi ordines sacros, vel etiam per simplex votum castitatis dissolvantur sponsalia? variant doctores, et quidem quoad votum ingrediendi religionem, Layman, *loc. cit.*, num. 4; Gobat, *loc. cit.*, num. 314, et alii volunt ipsum dissolvere sponsalia ex parte utriusque, id est tam ex parte voventis, quam non voventis, quia, dicunt ipsi, promissio matrimonii tacite involvit conditionem seu exceptionem, « Nisi elegero statum perfectiorem. » Castropal. autem, *De sponsalibus*, disp. 1, punct. 20, num. 4; Tamburinus, lib. II, num. 7; Sporer, *loc. citat.*, num. 252; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 234; La Croix, lib. VI, part. III, num. 190, et plures alii probabilius docent quod per tale votum religionis non illico dissolvantur sponsalia, sed solum suspendantur ex parte ipsius voventis; et ratio est, quia tale votum ante professionem secutam non constituit statum, sed relinquit potestatem adhuc implendi sponsalia: cum fieri possit, ut talis vovens religionem, nullibi suscipiatur; vel susceptus tempore novitiatus, iterum egrediatur: in quo casu, cum cesset obligatio voti, subintret obligatio servandi sponsalia, si altera pars in sæculo remanens adhuc sic velit, ut in simili jam dictum est *supra*, num. 83, de ingrediente religionem sine præcedente voto. Nec illa tacita conditio, seu exceptio asserta ab adversariis intellecta in promissione matrimonii quidquam probat contra nostram conclusionem, quia talis conditio, seu exceptio intelligitur solum in ordine ad ipsum statum perfectiorem religionis in effectu, et secuta professione, non autem in ordine ad solum ejus votum, vel actualem ingressum sine effectuatione professionis; tum quia tacita illa conditio seu exceptio inest solum votis, seu promissionibus Deo factis, non autem factis homini, alias enim posset quis cuncta promissa etiam jurata homini facta ex illa tacita conditione seu exceptione negligere, quod falsissimum est, ut late ostendit Castropalao tract. *De juramen.* Et hoc clare ostenditur exemplo: si quis enim vellet dare vel vovere Deo domum, seu vineam, aliamve rem, quam alteri jam serio promisit, et ad quam alter jus jam habet, id certo non liceret, nec valeret, utpote tertio injuriosum, quamvis alias Deo, aut piæ causæ dare talem rem sit perfectius, quam dare homini. Aliud autem est in votis, seu promissionibus Deo factis, utpote in quibus Deus ipse solus promissarius est, qui utique remittit, vel remittere censetur votum minus perfectum, si loco ipsius perfectius præstetur, cap. *Pervenit* 3, De jurejurando. Ratio autem potissima cur liceat religionem ingredi et profiteri cum præjudicio sponsæ, non est quia religio est status perfectior, sed quia a jure sic concessum est, arg. Extravag. Joan. XXII, *Antiquæ concertationi unic. de voto et voti redemptione*; ubi quamvis ordines sacri constituant statum perfectiorem, tamen cautum habetur, quod per ordines sacros matrimonium ratum non dirimatur, uti per professionem religiosam, addita hac ratione: « Cum nec jure divino, nec per sacros canones reperiamus hoc statutum. »

(91. Conveniunt tamen doctores omnes, quod per simile votum dissolvantur illico sponsalia ex parte non voventis seu remanentis in sæculo, quia hoc ipso, quod quis licite vovet assumere statum repugnantem matrimonio, censetur renuntiare sponsalibus, et juri sibi ex ipsis acquisito, adeoque partem alteram relinquere liberam, ut cui vult, nubat; licet etiam possit, si velit, expectare effectuationem professionis, et ea non effectuata, compartem suam ad matrimonium urgere per dicta *supra* num. 82 et 83.

(92. Quoad votum suscipiendi sacros ordines, ipsum solvere sponsalia ex parte utriusque tenent Sotus, *De justitia*, lib. V, q. 1, art. 3; Henriquez, lib. XI, cap. 14, num. 3; Bonacina, q. 1, *De matrimonio*, p. 5, n. 20; Dicastill., disp. 478; Gobat, *loc. cit.*, num. 319, et alii quicunque tenentes, quod post contracta sponsalia possint suscipi sacri ordines. Et ratio istorum est quia sponsalibus videtur inesse hæc tacita conditio seu exceptio: « Nisi voluero ad statum perfectiorem transire, » qualis revera est status clericalis respectu status conjugalis, adeoque, etc. Sanchez autem lib. I, disp., 47, num. 5; Coninch., disp. 23, dub. 3, num. 25; Castro-

Digitized by Google

pal., *De sponsalibus*, disp. 1, punct. 19; Rebell., lib. IV *De matrimon.*, quæst. 6, sect. 5; Engel, lib. IV *Decret.*, tit. 1, num. 8; Pirrhing, *ibid.*, num. 57; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 236; Perez, d. 9, sect. 6; La Croix, lib. VI, part. IV, num. 196 et 200, cum Palud., Krim., et aliis ibi citatis, et plurimi alii, quotquot docent, non posse licite suscipi sacros ordines post contracta valida sponsalia, probabilius docent, per votum suscipiendi sacros ordines non dirimi sponsalia ex parte sponsi voventis; et ratio patet per dicta *supra* num. 86, ubi enervatur etiam illa prætensa ab adversariis tacita conditio seu exceptio imbibita sponsalibus; tum quia hoc ipso, quod sponsus in casu non possit licite suscipere sacros ordines, nec licite, nec valide potest emittere votum illos suscipiendi, cum votum de re illicita, nec licitum, nec validum sit, arg. cap. *Quando* 18, De jurejur.

(93. Per tale autem votum solvi sponsalia ex parte sponsæ tenent Sanchez, *loc. cit.*, num. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 235, et alii passim doctores utriusque adductæ sententiæ; et ratio patet ex dictis *supra* num. 83 et 87. Quamvis enim tale votum sit nullum, ipse tamen sponsus, quantum est in se, revera intendit, et vult assumere statum cum matrimonio incompossibilem, adeoque censetur renuntiare sponsalibus, et juri sibi ex ipsis acquisito, ita ut sponsa, cognito tali voto, possit pro libito, cui voluerit, nubere, cap. *Veniens* 5, Qui clerici vel voventes; vel ita nulliter voventem ad sibi nubendum per viam juris cogere.

(94. Quoad votum simplex perpetuæ continentiæ idem dicendum est, ac de voto suscipiendi sacros ordines, quod videlicet non dissolvat sponsalia ex parte voventis, bene vero ex parte alterius. Sic Barbosa in cap. *Veniens* 5, Qui clerici vel voventes, num. 2; Abbas, *ibid.*, num. 2; J. Andreas, num. 3, et canonistæ communiter, ac omnes supracitati doctores, et alii arg. cit. cap. *Veniens* 5, Qui clerici vel voventes; et ratio est eadem, quæ num. 88 et 89 est adducta de voto suscipiendi sacros ordines.

(95. Septimo, dissolvuntur sponsalia per matrimonium valide postea, licet illicite, contractum cum alia persona. *Communis*, per textum in c. *Sicut* 23, c. *Si inter* 31, De sponsalibus, et c. *Duobus modis* 1, De sponsa duorum. Quamvis enim, qui jam valide contraxit sponsalia cum una persona, illicite postea contrahat matrimonium cum alia, nihilominus tale matrimonium valet, et sponsalia solvit, etiamsi priora sponsalia fuerint juramento firmata, textu expresso in cit. cap. *Si inter*, ibi: « Sive sit juramentum interpositum, sive non, » cum similibus.

(96. An autem per tale matrimonium cum alia initum dissolvantur in perpetuum priora sponsalia, ita ut, quamvis hæc uxor moriatur, aut profiteatur in religione, sponsus non amplius teneatur ducere primam sponsam, et econtra? variant doctores: Paludanus enim, Gabriel, Henriqu., Bonac., Becanus, Filiuc., Villalob., Lessius, Laym. Sanch., lib. I, disp. 48; apud La Croix, lib. VI, part. III, n. 201; Tannerus, tom. II, disp. 1, dub. 4, num. 56 et 57; Dicastill., disp. 1, dub. 37; Pirrhing, lib. IV *Decretal.*, tit. 1, num. 59; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 243, et alii affirmativam sententiam tuentur, et dicunt id satis colligi ex cit. cap. *Si inter* 31, De sponsalibus, cap. *Duobus modis* 1, De sponsa duorum et can. ult. caus. 27, quæst. 2, ex quibus constat, quod sponsalia per matrimonium cum alia contractum solvuntur, adeoque omnino exstinguuntur et non tantum suspenduntur; obligatio autem semel exstincta non amplius reviviscit; can. *Quæris* 129, dist. 4, *De consecrat.*, l. *Qui res* 98, § 8, *De solutionibus*, ibi: « In perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest; » tum quia superveniens fortior et major obligatio matrimonii videtur exstinxisse totaliter debiliorem et minorem obligationem priorum sponsalium, sicuti votum strictioris religionis exstinguitur per professionem secutam in religione laxiore, textu expresso in cap. *Qui post votum* 5, De regularibus, in 6.

(97. Negativam autem, nempe non penitus per dictum matrimonium exstinctam esse obligationem priorum sponsalium quoad sponsum, qui primam fidem violavit, sed solum suspensam fuisse, ita ut, remanente libero, teneatur priora sponsalia adimplere ducendo primam sponsam, si ipsa velit, defendunt probabilius Adrian., Ledesm., Hurtad., Vega, Pontius, Aversa, Mastrius, Castropal, Krimer, Kugler, et alii citati et secuti a La Croix, *loc. cit.*, num. 201; Coninch, disp. 23, dub. 4, cum pluribus ibi allegatis; Herincx, disp. 4, num. 42; Tambur., cap. 5, § 5, num. 3; Silvius, in *Supplem. S. Thomæ*, q. 43, art. 3; Pontas, verb. *Sponsalia*, cas. 18; Sporer, *loc. cit.*, *De sponsalibus*, num. 263, et alii plures, arg. cap. *Quidem* 3, De conversione conjugatorum, ubi statuitur, quod qui invita uxore professionem in religione emisit, et ob id postea de jure uxori restituitur, si talis uxor præmoriatur, non possit aliam uxorem ducere, sed teneatur votum continentiæ observare, cum vivente uxore fuerit quidem tale votum ex parte suspensum, sed non totaliter exstinctum. Et ratio est, quia licet verum sit secundum allegata jura ab adversariis, quod obligatio semel exstincta non amplius reviviscat, tamen ex nullo jure constat obligationem illam priorum sponsalium omnino exstinctam esse, cum cit. c. *Sicut* 22, c. *Si inter* 31, De sponsalib., c. *Duobus modis* 1, De sponsa duorum, et c. ult. caus. 27, q. 2, ut legenti patet, non definiat an talis obligatio omnino exstinguatur, vel solum interea suspendatur.

(98. Nec valet paritas adducta de voto strictioris religionis exstincto penitus per professionem secutam in religione laxiore, quia in tantum id evenit, quia professio est vinculum et impedimentum ex se perpetuum, quod sola morte tollitur. Vinculum autem seu impedimentum matrimonii non est perpetuum, sed tantum durans ad vitam conjugis nec aliter potens dissolvere priora

Digitized by Google

sponsalia, quam quatenus cum illis erat incompatibile, qua proinde incompatibilitate sublata per mortem conjugis, omnino reviviscet prius vinculum et obligatio : sicuti si quis post votum simplex castitatis emissum matrimonium contraxit, post mortem conjugis statim votum integre revivi-scit, cum tale votum pro tempore, quo duravit illud matrimonium, fuerit quidem suspensum, at non omnino exstinctum. Tum quia non potest dici, quod sponsus per tale matrimonium illicite cum alia contractum post priora valida sponsalia, sit constitutus in meliori conditione, quam antea; quia, ut expresse dicitur in l. *Non fraudantur* 134, § 1, ff. *De regul. jur.* : « Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. » *Ne*, ut habetur expresse in c. *Intelleximus* 7, De judiciis : « Ne videatur de sua malitia commodum reportare : » adeoque sicuti ante tale illicitum. matrimonium stricte obligatus erat dictis prioribus sponsalibus, ita etiam post solutum tale matrimonium per mortem conjugis, iisdem ligatur, teneturque ducere primam sponsam, si ipsa velit, cum illa per tale matrimonium remanserit penitus libera a dictis sponsalibus, ut omnes concedunt: nam rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, textu expresso in cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus, et « peccata suos debent tenere auctores, » l. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*, c. *Quæsivit* 2, De his quæ fiunt a majori parte capituli ; nec debet aliquis alterius odio prægravari textu expresso in l. *Non debet* 74, ff. *De reg. jur.*, c. *Non debet* 22, De reg. jur. in 6.

(99. Sponsalia priora legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora cum alia persona celebrata, etiamsi hæc posteriora sint juramento firmata. Unde standum est priori sponsæ, seu sponso, si ipsa seu ipse velit. *Communis*, arg. c. *Sicut* 21, De sponsalibus, et c. unic. *De sponsalibus*, in 6. Et ratio est, quia quod uni jam promissum est, ac vi promissi jure debetur, non potest amplius alteri promitti; et si talis promissio alteri fiat, nihil valet, quamvis juramento firmetur, quia cum tale juramentum, utpote in præjudicium tertii, sit illicitum, nullimode obligat, textu expresso in c. *Non est obligatorium* 18, De reg. jur. in 6, ibi : « Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. » Cum juramentum non sit institutum, ut esset vinculum iniquitatis, c. *Quanto* 38, De jureju erando, ibi : « Cum juramentum, non ut esset iniquitatis vinculum fuerit institutum. » Et concordat can. *In malis* 5, caus. 22, q. 4, ibi : « In malis promissis rescinde fidem..... impia est enim promissio quæ scelere implebitur. »

(100. Priora sponsalia legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora, etiamsi posterioribus accesserit copula, si secunda sponsa conscia fuerit priorum sponsalium. *Communis*. Et ratio est, quia cum ipsa secunda sponsa conscia fuerit priorum sponsalium, fit eo ipso particeps delicti iniquæ promissionis, adeoque contra jus prioris sponsæ nihil prætendere potest, quia nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest, ut expresse dicitur in l. *Non fraudantur* 134, § *De reg. jur.* *Ne*, ut dicitur in c. *Intelleximus* 7, De judiciis : « Ne videatur de sua malitia commodum reportare. »

(101. Imo priora sponsalia legitime contracta non dissolvuntur per alia sponsalia posteriora, etiamsi posterioribus sponsalibus accesserit copula, et pars illa, cum qua posteriora sponsalia fuerunt contracta, ignara fuerit priorum sponsalium, et consequenter fuerit decepta, unde adhuc subsistunt sponsalia priora, et nulla sunt posteriora; arg. l. *Non dubium* 5, vers. *Sed et si*, cod. *De legibus*, et c. *Illud* 8, De jurepatron., sic Sanch., l. 1 *De sponsal.*, disp. 49, num. 5; Guttier., *De matrim.*, c. 27, num. 7 in fine; Henriq., lib. xi, *De matrim.*, cap. 13, num. 3; Reiffenst., *loco cit.*, num. 7, et alii contra alios : et ratio nostra est, quia per injuriam posteriori illatam non debet, nec potest auferri jus suum priori, cum rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non debeat, cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus, nec debeat aliquis alterius odio prægravari, leg. *Non debet* 74, ff. *De regulis juris*, cap. *Non debet* 22, De regulis juris in 6. Tum quia maxima sic aperitur via dolis et fraudibus, cum quivis ad se liberandum a propria sponsa, et cum alia conjungendum, posset quoties vellet, alteri spondere, et cum ipsa copulam habere, non sine ingenti animarum periculo et gravi reipublicæ detrimento, contra omnia jura clamantia, quod non debeat aperiri via malitiis, et fraus et dolus nemini debeant patrocinium impertiri. L. *Cum hi*, ff. *De transactionib.*, l. *Legatarius*, cod. *De legatis*, cap. *Ex litteris* 2, De dolo et contumac., c. *Sedes* 15, c. *Ex tenore* 16, De rescriptis, et c. *Tuæ* 12, De clericis non resid., cum similibus (69).

(102. Octavo, sponsalia dissolvuntur ex

(69) Si quis, vel quæ, cum duabus aut duobus sponsalia de futuro contrahit, nec copulam habuit cum secunda sponsa, irrita et nulla sunt sponsalia posteriora, etiamsi juramento sint firmata ; consequenter adhærere tenetur priori sponsæ, si hæc velit. Sanchez, *De matrim.*, lib. 1 *De sponsal.*, disput. 50 eoque teste, unanimis et certa aliorum ratio est ; quia quod uni jam promissum est, ac vi promissi jure debetur, alteri promitti amplius non potest.

Nec obstat, quod secunda sponsalia quis firmet juramento ; quia cum tale juramentum sit in præjudicium tertii, illicitum et vinculum iniquitatis est, ac propterea obligatorium non censetur. Reiffenstuel, ad tit. *De spons. duor.*, num. 5.

Amplius, etsi posterioribus sponsalibus accedat copula, aut etiam imprægnatio, nulla hæc sunt et irrita, quando pariter cum prima sponsa copula habita fuit, aut posterior sponsa conscia fuit sponsalium ab ipso sponso cum alia ante initorum. *Communis, et certa.* Ratio primæ partis est, quia si cum prima quoque sponsa copula intercessit, ejus, utpote prioris, jus est potius et majus. Reiffenstuel, *ibid.*, n. 6, Schmalzgrueber, ad cit. tit. *De spons. duor.*, n. 43.

Ratio secundæ partis est, quia, si ea pars, cum qua contracta sunt posteriora sponsalia, conscia

Digitized by Google

parte innocentis, non vero nocentis, per fornicationem, sive a sponso sive a sponsa post sponsalia commissam. *Communis.* Et quidem quod solvantur ex parte innocentis, expresse deciditur c. *Quemadmodum* 25, De jurejurando; et quod non solvantur ex parte nocentis, caret omni dubio, quia, ut expresse dicitur in l. *Non fraudantur* 134, § 1. ff. *De regulis juris*, nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest. *Ne*, ut habetur in cap. *Intelleximus* 7, De judiciis : « Ne videatur de malitia sua commodum reportare. » Peccata enim suos debent tenere auctores, l. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*, cap. *Quæsivit* 2, De his, quæ fiunt a majori parte capituli. Unde pars nocens compelli potest ad nuptias, si pars innocens velit, quia, ut expresse dicitur in cap. *Quod ob gratiam* 61, De regul. jur. in 6 : « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum ; » et concordat l. *Quod favore* 6, cod. *De legibus;* cum rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conveniat, cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus. Nec debeat aliquis alterius odio prægravari; l. *Non debet* 74, ff. *De regul. juris;* et cap. *Non debet* 23, De regulis juris in 6, et, ut dictum est, peccata suos debent tenere auctores, cit. l. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*, cap. *Quæsivit* 2, De his, quæ fiunt a majori parte capituli.

(103. Sponsalia dissolvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis, per fornicationem etiam ante sponsalia commissam, ab

fuit priorum sponsalium, jam hoc ipso particeps fuit delicti iniquæ promissionis, ac nullitatis ejusdem ; consequenter contra jus prioris sponsæ prætendere nihil potest, Reiffenst., *l. et n. cit.*

Dubium procedit solum casu quo prioribus sponsalibus carnale commercium non accessit, accessit autem secundis, et sponsa hæc altera sponsalium prius initorum fuit ignara. Major, in 4 dist. 27, q. 3 ; Coninch., dub. 28, *De sacram.*, dub. 4, concl., n. 34 ; Rebell., lib. IV *De obligat. just.*, q. 8, sect. 8, n. 56 ; Pont., lib. XII, cap. 14, n. 4 ; Palao, tract. 28, d. 1, part. XXII, n. 6 ; Honor., tit. *De spons.*, n. 15, existimant eo casu sponsalia priora utrinque solvi, et posteriora adimpleri debere. Fundantur, quia per copulam fit anticipata quædam traditio corporis, quæ cum ante Tridentinum habuerit vim inducendi matrimonium, c. *Veniens* 15, et c. *Is qui fidem* 30, De spons., hodie saltem inducet sponsalia cum posteriore; et quæ cum alia persona prius inita sunt, dissolvet : arg. l. *Quoties*, cod. *De rei vindic.*, ex cujus dispositione, si res, quæ *uni* est vendita, *alteri* postea vendatur iterum, et tradatur, licet *primo* facta sit injuria, venditio tamen secunda tenet. 2. Cum duo inter se certant, *unus* de lucro captando, *alter* de damno vitando, *huic* potius favendum est, quam *illi :* atqui in proposito casu *secunda sponsa* certat de damno vitando, *prima* solum de lucro captando : ergo *secundæ* favendum est præ prima. 3. Qui post votum religionis vel castitatis emissum corrupit virginem, tenetur eamdem ducere, non obstante voto prius emisso ; ergo etiam in proposito casu tenebitur ducere *secundam*, si eam corruperit, non obstantibus sponsalibus cum prima. Atque hæc sunt rationum momenta a cit. scriptoribus allata ad rem, de qua sermo est. Imo Malaguzzi, in *Manual. paroch.* tom. I, part. V, colloq. 7, vers. *Dixisti, effectus inter sponsalium*, etc., hanc sententiam omnino tenendam asserit per hæc verba : *Discip.* « Mihi oritur dubium, an si quis videlicet post fidem futuri matrimonii datam uni, copulam habeat cum alia, spe matrimonii atque actuali ejusdem sponsione allecta, teneatur primam, num vero secundam ducere in uxorem ? *Magist.* Tantum abest, ejusmodi sponsum teneri a prima sponsione, quinimo hæc rescissa statim evadit, et secundam ducere debet in uxorem. Enimvero obligatio ineundi connubium cum ista ignorante priora sponsalia, oritur ex contractu oneroso, ratione videlicet usus corporis sui permissi sub tali conditione, quod scilicet in uxorem assumet ; ubi prior sponsio est omnino libera, atque gratuita, uti asserit Castropal., p. XXII, n. 26 ; Rebell., lib. IV *De oblig. just.*, q. 8, sect. 8, n. 56, et alii. »

Maschat, quamvis opinioni Lucii nostri faveat, limitat tamen sententiam suam hoc sane modo : « Excipe locum (sic ille), ubi Tridentinum non viget : ibi enim si copula facta est affectu maritali, sponsalia secundæ transeunt in matrimonium, » ad tit. *De spons. duor.*, n. 3.

Addit insuper, *ibid* : « In illo casu quo sponsa secunda defiorata, ignara priorum sponsalium, pateretur damnum aliter non reparabile, nisi per matrimonium, sponsa prior, saltem ex charitate, teneretur remittere jus suum, ut docet Sanchez ; ad id tamen in rigore ab episcopo cogi non posset ; quia non apparet jus aliquod, ratione cujus cogatur aliquis cedere jure suo, ut proximus a gravi damno liberetur. In praxi parochus, vel episcopus suadere potest amicabilem compositionem, si hæc sit possibilis. »

Verum Sanchez, ubi ob damnum secundæ sponsæ defloratæ obventum, priora sponsalia cedere posterioribus astruit, id etiam tenet, nempe judicis officium sese exserere in hoc casu posse. En integer locus Sanchezii : « Ex quadam tamen æquitate aliquando servanda esset prior opinio (" *quæ nempe favet posterioribus sponsalibus, secuta copula* "), quando defiorata grave damnum pateretur, magnamque honoris jacturam, prior vero leviter læderetur : nam tenetur modicum illud damnum sustinere, ad vitandum proximi malum. Sic Ludov. Lopez... ait posse in hoc casu judicem damnare ut secundam ducat. » *De matrim.*, lib. I, disp. 49, n. 6. Hæque Sanchezii doctrina congruentior sane, quam illa Maschatii aliorumque esse videtur.

Doctissimus Clericatus, proposito dubio, ut supra nec pro affirmante, nec pro negante opinione se pronuntiat, dicens : « Circa quod duæ sunt opiniones. Una negat, asserens per hanc copulam nihil esse derogatum obligationi priorum sponsalium ; et sponsum, non obstante carnali copula habita cum secunda, teneri ducere primam ; nam non potuit derogari primæ obligationi : et licet secunda patiatur damnum in fama ob copulam, resarcienda est per dotem, aut alio opportuno remedio.

« Altera (opinio) affirmat, priora sponsalia solvi ad effectum, ut sponsus possit cum secunda carnaliter cognita matrimonium contrahere. » Et post allatas rationes, et auctoritates a nobis hic supra adductas, nempe Pontii, Rebell., Coninch., Pal., quibus addit Leandr., Mastr. et Salmanticenses, concludit per hæc verba : « Ex quorum DD. sententia deducitur, hæc secunda sponsalia cum copula producere etiam impedimentum publicæ honestatis. » *De sacram. matrim.*, decis. 17, n. 25.

Ex hactenus dictis, illud concludi posse videtur, *negantem* sententiam magis fortasse juri esse consentaneam ; at *affirmantem* benignæ cuidam æquitati plus esse conformem, atque in praxi, pensatis circumstantiis, applicabiliorem. *Editores Casin.*

Digitized by Google

innocente tamen ignoratam. In jure enim paria sunt aliquid supervenire et præcedere ignoranter. Res enim dicitur fieri, quando innotescit. Cap. *Pastoralis* 4, De exceptionibus. Item paria sunt in jure non esse, et non apparere; leg. *Duo sunt* 30, ff. *De testamentaria tutela;* leg. *In lege* 77, ff. *De contrahend. emptione;* adeoque a sensu contrario paria sunt esse et apparere; tum quia præcedens nocentis fornicatio ante sponsalia commissa, ignorata, et post illa primum cognita ab innocente, causat notabilem mutationem ex parte ipsius nocentis, adeoque sufficit ad dissolvenda sponsalia, arg. cap. *Quemadmodum* 23, De jurejurand.; Sanchez, lib. I, disp. 63, n. 3; Pirrhing, *loco cit.*, num. 62; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 256, et alii plures ibi allegati. « Qui tamen id tenent solum de fornicatione sponsæ, et non sponsi. »

(104. Nec obstat, quod in cit. cap. *Quemadmodum* 25, De jurejurando, expresse dicitur: « Si quis juraverit, se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in conjugem. » Non obstat, inquam, quia talis textus est intelligendus de fornicatione præcedente a sponso prius jam cognita, quia ex quo probavit scienter et voluntarie mores illius, censetur cessisse juri suo, et consequenter non potest amplius illos reprobare, nisi nova superveniente causa. Arg. can. *Horrendus* 17, caus. 32, q. 5: sic Glossa, in cit. cap. *Quemadmodum*, verb. *Præcedentem*, et doctores citati.

(105. Ob fornicationem sponsæ, sive præcedentem, sive subsequentem sponsalia, potest sponsus ipsa sponsalia dissolvere, etiamsi sponsa fuerit vi oppressa. Sic Pirrhing, *l. cit.*, n. 61; Reiff., *l. c.*, n. 252; Sanchez, l. I, disp. 55, n. 7; Silvester, verb. *Sponsalia*, quæst. 10, caus. 7; Navarrus, c. 22, n. 27; Layman, *l. c.*, n. 11; Sporer, *l. c.*, n. 272; La Croix, lib. VI, p. II, n. 161, et alii passim; arg. cap. *Raptor.* 33, caus. 27, quæst. 2, et ibi Glossa, verb. *Noluerit;* et ratio est, quia etiam per talem fornicationem sponsæ fit notabilis mutatio ex parte ipsius, cum reddatur notabiliter vilior et censeatur viro infame talem ducere, præsertim quia exponeretur periculo habendi alienam prolem pro sua.

(106. Item sponsus sponsalia dissolvere potest etiam ob oscula, amplexus aut tactus impudicos a sponsa libere et voluntarie admissos vel exercitos: Pirrhing, *loco cit.*, num. 61; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 253; Sporer, *loco cit.*, n. 273; Layman, *loco cit.*, n. 11; Sanchez, *loco cit.*, disp. 55, n. 5, et alii; et ratio est, quia talis sponsa censeretur impudice vivere: unde merito sponsus eam horrere potest, cum non possit eam sine gravi nota ducere.

(107. An autem si uterque sponsus fornicationem commiserit, seu similia oscula similesque amplexus, aut tactus impudicos voluntarie admiserit vel exercuerit, et in omnibus casibus supradictis, in quibus licet sponsalia dissolvere, liceat etiam sponsæ? variant doctores. Affirmativam enim sententiam docent Castropal., Aversa, Krimer, Kugler citati et secuti a La Croix, lib. III, num. 162, dicendo, quod uterque possit a sponsalibus resilire, quia uterque violat fidem, et sic uterque dat alteri jus resiliendi, cum quoad hæc pares debeant esse sponsus et sponsa; quamobrem in corporum conjunctione vir et mulier ad paria judicantur, ut notat Abbas, in cit cap. *Quemadmodum*, § *Illud*, n. 4. Et quod in pari casu fornicationis et similis violatæ fidei neuter resilire a sponsalibus possit, tenent etiam Bonacina, qu. 1, punct. 8; Paludanus, in 4, dist. 27, qu. 1, art. 3, n. 17; Pontas, verb. *Sponsalia*, cas. 45, et alii, quia delictum unius compensatur per delictum alterius, cap. *Intelleximus* 6, De adulteriis et stupro, ibi: « Cum.... paria delicta mutua compensatione tollantur; » et concordat cap. *Frustra* 75, De regul. juris in 6, ibi: « Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat. » Nec refert quod delictum sponsæ censeatur gravius delicto sponsi, quia adulterium uxoris etiam censetur gravius; et tamen si tam vir quam uxor adulteraverint, delicta mutua compensatione tolluntur, et non fit divortium, cum maritus æque adulter ac uxor nullum potius jus ad id habeat, cit. cap. *Intelleximus* 6, De adulteriis et stupro, addita ratione: « Cum matrimonii jus in utroque læsum consistat, et paria delicta mutua compensatione tollantur; » juncto ejus Summario sic expresse dicente: « Conjux conjugem de adulterio impetere non potest, si et ipse adulterium commisisse convincatur; » adeoque, etc.

(108. Negativam vero sententiam tenent Sanchez, *loco cit.*, disp. 55, a n. 5 ad 9; Layman, *loco cit.*, n. 5 et 12; Sporer, *loc. cit.*, a n. 271 ad 273; Bosco, *Theolog. sacramental.*, part. VI, disp. 11, sect. 2, n. 122 et seq.; Coninch, disp. 23, dub. 7, a n. 56; Reiffenstuel, *loco cit.*, a n. 246 ad 254; Pirrhing, *loco cit.*, n. 61 et 62, et communior aliorum, adeo ut Layman, *loco cit.*, n. 12; Pirrhing, *loco cit.*, n. 62; Sporer, *loco cit.*, n. 271, et alii testentur de communi. Et ratio est, quia delicta non sunt paria, sed turpior est fornicatio, et quælibet impudicitia admissa seu exercita a femina, quam a viro, multoque ignominiosius est sponso talem ducere, quam sponsæ tali nubere. Arg. l. *Et si crimine* 12, cod. *ad legem Juliam*, De adulteriis et stupro, juncta Glossa, ib., litt. *C* et l. *Palam* 43, ff. *De ritu nuptiar.* Tum quia ratione fornicationis sponsæ, et non sponsi, sit incertum cujus sit futura proles. Nec refert, quod ex cit. c. *Intelleximus* 6, De adulteriis et stupro, vir non possit repudiare adulteram, si adulter sit, quia longe difficilius permittitur divortium, seu separatio matrimonii quoad torum, quam dissolutio sponsalium, quæ ob quamvis notabilem rerum mutationem fieri potest, ut notant citati doctores, et alii.

Digitized by Google

(109. Limitant tamen recte citati doctores dictam sententiam in pluribus casibus, nempe in casu quo sponsus cum pluribus fornicationem commisisset, ita ut valde vitiosus in hoc cognosceretur, tunc enim etiam sponsa posset sponsalia dissolvere, quia merito timere posset ne minus se esset amaturus, aut ei fidem non servaturus.

(110. Item in casu quo ex unica fornicatione prolem haberet; quia tunc censeretur adesse in sponso notabilem mutationem sufficientem ad dissolutionem sponsalium, c. *Quemadmodum* 76, De jurejurando; et præsertim quia inde etiam redditur matrimonium difficilius ob debitam alimentationem prolis, et plurimas discordias oriri solitas; unde in tali casu sponsa posset sponsalia dissolvere.

(111. Item si oscula, et tactus, et amplexus impudici exerciti a sponso sint valde frequentes, ita ut ex frequentia talium actuum post sponsalia a sponso cum alia exercitorum justum concipiat sponsa horrorem: tunc enim potest sponsa sponsalia dissolvere, arg. cap. *Quemadmodum* 25, De jurejurando, ubi habetur, quod in sponsalibus semper contineatur hæc tacita conditio: « Nisi contra regulam desponsationis venerit; » contra quam regulam desponsationis clare veniret sponsus, frequenter cum alia, seu aliis oscula, tactus et amplexus impudicos exercens.

(112. Nono, dissolvuntur sponsalia per notabilem mutationem ex parte unius supervenientem post contracta sponsalia, quam si pars altera scivisset, aut prævidisset, sponsalia non contraxisset, sicque, jam contracta dissolvere potest. *Communis*, per textum in cit. cap. *Quemadmodum* 14, De jurejurando, ubi ob hujusmodi mutationem ex parte unius supervenientem conceditur expresse alteri facultas dissolvendi sponsalia.

(113. In specie in bonis animi mutationes notabiles, et sufficientes ad dissolutionem sponsalium sunt sequentes. I. Si alicui ex sponsis superveniat gravis infamia ob proditorium homicidium, ob adulterium, ob furtum, aut aliud grave crimen, tunc enim pars innocens potest a sponsalibus resilire. *Communis*. arg. cit. cap. *Quemadmodum* 25, De jurejurando. II. Si sponsus cognoscatur esse valde deditus ebrietatibus, ludis, scortationibus, aut similibus gravibus vitiis. *Communis*, arg. cit. cap. *Quemadmodum*. III. Si in sponso cognoscatur notabilis morum asperitas et sævitia. *Communis*. Sævitia enim mariti est sufficiens causa instituendi divortium matrimonii, textu expresso in cap. *Litteras* 13 in fine, De restitutione spoliatorum; ergo multo magis erit sufficiens causa dissolvendi sponsalia. IV. Si capitales et graves inimicitiæ, odia et extraordinariæ animorum aversiones oriantur inter ipsos sponsos. *Communis*, arg. cap. *Præterea* 2, et cap. *Requisivit* 17, De sponsalibus. V. Si graves et capitales inimicitiæ vel scandala ob id oriantur, seu rationabiliter timeantur inter parentes aut consanguineos sponsorum. *Communis*, argum. cap. *Cum in tua* 28, De sponsalibus, ibi: « De fama vel scandalo. » (114. Et a sponsalibus recedi posse propter indignationem parentum expresse censuit Rota, part. IV, recent., tom. I, dec. 669, n. 3; part. X, dec. 15, n. 56. Et sacra congr. Conc., *in Majoricen. Sponsalium* 24 Augusti 1713, expresse declaravit, quod in sponsalibus non est locus coactioni, accedente indignatione parentum, quæ reputatur justa causa dissolutionis. Sic refert Ursaya, in *Miscellaneo* 1 *sacro et profano*, littera *S*, n. 217, et apud eumdem, ibid., n. 205. Eadem sacra congr. Conc., *in Mediolanen. Sponsalium* 13 Julii 1724, expresse declaravit, quod dissolvuntur sponsalia per denegationem consensus patris ex justa causa se declarantis nolle filium matrimonium cum certa muliere contrahere.

(115. In bonis corporis, mutationes notabiles, et sufficientes ad dissolvenda sponsalia sunt sequentes. I. Si alteruter ex sponsis incidat in gravem morbum, paralysim, lepram, morbum epilepticum, morbum gallicum, aut alium contagiosum et incurabilem morbum. *Communis*, per text. in cit. cap. *Quemadmodum* 23, De jurejurando. II. Si oculum aut nasum, manum, pedem amittat. *Communis*, per textum in cit. cap. *Quemadmodum*. Et sponsalia dissolvi per claudicationem superventam sponsæ declaravit sacra congr. Concil., *in Spoletana Sponsalium* 22 Februar. 1698. III. Si unius os graviter male oleat, et medice curari non possit. Rota, part. IV, rec. tom. II, dec. 493, n. 74, et communis doctorum., arg. cit. cap. *Quemadmodum*: gravem enim et incurabilem oris fetorem tolerare in tam arcta corporum conjunctione nimis onerosum esset. IV. Si superveniat præsertim sponsæ notabilis deformitas; si sponsa enim tempore sponsalium pulcherrima, evadat inde notabiliter deformis, potest sponsus a sponsalibus resilire, cum in materia matrimonii admodum æstimetur apud homines pulchritudo mulieris. *Communis*, arg. cit. c. *Quemadmodum*. In sponso tamen valde magna debet esse superveniens deformitas, ut sponsa propter illam possit a sponsalibus resilire, quia in viris non ita requiritur, nec tanti æstimatur pulchritudo, sicut in mulieribus, ut recte notant Pirrhing, *loco cit.*, num. 64; Coninch., *De sacrament.*, disp. 23, dub. 7, n. 66, et alii passim. V. Si superveniat sponsæ sterilitas, aut sponso impotentia seu inhabilitas congrediendi. *Communis*, arg. cit. cap. *Quemadmodum*. Ipsa enim est maxima notabilis superventa mutatio, cum matrimonium sit principaliter institutum ob generationem prolis, quæ sperari non potest in casu superventæ sponsæ sterilitatis, aut sponsæ impotentiæ, seu inhabilitatis congrediendi.

(116. In bonis fortunæ, mutationes notabiles, et sufficientes pro dissolvendis sponsalibus sunt sequentes I. Si sponsa, aut parentes ejus, vel qui promiserunt, vel non possint, aut nolint dare dotem promissam.

Digitized by Google

Communis, textu expresso in cap. *De illis* 3, De conditionibus oppositis. II. Si uni ex sponsis superveniat gravis bonorum jactura, et ex honesto statu ad gravem inopiam decidat, etiam sine sua culpa, v. gr. ob bella, incendia, furta et hujusmodi. *Communis*, arg. citat. c. *Quemadmodum* ; in tali enim casu intervenit gravis et notabilis mutatio. III. Etiamsi ambo sponsi post sponsalia ad gravem inopiam decidant ob dictas similes causas, nempe ob bella, incendia, furta et hujusmodi ; in tali enim casu potest quælibet pars a sponsalibus resilire, quia dum ambo ex statu honestiori ad gravem inopiam incidunt, in ambobus contingit notabilis et talis mutatio, ut ex ipsa minus apti sint ad onera matrimonii sustinenda. Castrop., *De sponsal.*, disp. 1, punct. 28, n. 4 ; Spor., *loc. cit.*, n. 282 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 263; Tamburin., Bonacina, et alii magis communiter, arg. cit. cap. *Quemadmodum* 25, De jurejurando, et cap. *Per vestras* 7, De donationibus inter virum et uxorem. IV. Si uni ex sponsis comminetur exhæredatio, vel ea rationabiliter timeatur, Rota, part. 4, rec., tom. I, dec. 669, n. 57, et communior doctorum. Non enim solum malum præsens, sed etiam rationabilis timor mali futuri, ac imminentis causat notabilem rerum mutationem, arg. c. *Requisivit* 17, De sponsalibus, et consequenter sufficit ad dissolvenda sponsalia per text. in citato cap. *Quemadmodum*.

(117. An autem una parte remanente in suo statu, si pars altera ex inopinato fiat notabiliter ditior aut honestior, possit propterea hæc ab illa resilire ? variant doctores. Affirmativam enim sententiam tenent Hurtad., disp. 2, *De matrim.*, dist. 25; Amicus, Illsung, et alii apud Gobat, *loco cit.*, n. 340, dicentes absolute posse latem resilire, quia mutatio illa in ipso facta causat inæqualitatem, qualis si fuisset ab initio, ipse utique non contraxisset ; negativam autem defendunt absolute Sanch., lib. I, disp. 59, n. 6 ; Guttier., *De sponsalibus et matrimon.*, cap. 38 n. 4 ; Castrop., *De sponsalibus*, disp. 1, punct. 28, n. 5 ; Coninch., disp. 23, dub. 8, n. 29 ; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 262 ; Pirrhing, *loco cit.*, n. 64 ; Busembaum, Reginal., Diana, Krimer, Kugler, et alii volentes non posse talem ob id a sponsalibus resilire, quia altera pars per hoc non est facta deterior, sed mansit qualis erat, adeoque privari non potest jure suo. Perez vero, disp. 9, sect. 22, cum distinctione procedit dicitque quod resilire possit, si iniens sponsalia habuit reflexionem ad æqualitatem divitiarum, vel bonorum ; econtra resilire non posse, si sine reflexione ad dicta contraxit propter aliam causam, quæ adhuc perseveret, v. gr. ob specialem formositatem seu pulchritudinem, et hujusmodi ; quæ opinio satis placet, quia promissio non obligat ultra intentionem promittentis, siquidem « Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum, » arg. l. *Nam omnis* 19, ff. *De rebus creditis, si certum petatur, et de condictione*, cap. *Cum olim* 37, De præbendis, in his videlicet quæ dependent ab intentione agentium, uti sponsalia ; et præsertim quia hæc ex parte convenit cum secunda negativa sententia.

(118. Decimo, dissolvuntur sponsalia per superveniens impedimentum dirimens, v. g. per affinitatem contractam ex copula carnali habita post sponsalia cum consanguinea in primo vel secundo gradu alteri sponsorum juncta. *Communis*. Stante enim impedimento dirimente, nec licite, nec valide contrahi potest matrimonium ; conc. *Trid.*, sess. XXIV, *De ref. matrim.*, c. 4, adeoque in tali casu sponsalia non obligant.

(119. Tenetur tamen qui tale impedimentum sua culpa posuit, impetrare a Papa dispensationem suis sumptibus, si pars innocens velit. *Communis*, arg. l. *Non fraudantur* 134, § 1, ff. *De reg. juris*, ubi expresse dicitur, quod nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest. *Ne*, ut habetur in c. *Intelleximus* 7, De judiciis : « Ne videatur de malitia sua commodum reportare. » Nec pars innocens ad aliquam tenetur expensam ; quia ut expresse dicitur in c. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus : « Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit ; nec debet aliquis alterius odio prægravari ; » l. *Non debet* 74, ff. *De regulis juris*, et capit. *Non debet*, De regulis juris in 6, cum peccata suos debeant tenere auctores, l. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*, cap. *Quæsivit* 2, De his, quæ fiunt a majore parte capituli.

(120. Quando causa dissolvendi sponsalia est certa, per se loquendo, nulla de jure communi requiritur auctoritas judicis ad dissolvenda dicta sponsalia, sive publica, sive occulta. *Communis*. Nullibi enim in jure reperitur requisita ad id judicis auctoritas.

(121. Potest tamen judicis auctoritas ad id requiri interdum per accidens, ut si sponsalia sint publica et causa ea dissolvendi sit occulta : ratione scandali evitandi requiritur tunc judicis interventus, ut notant communiter doctores.

(122. Et quando sponsalia sunt certa, causa autem ea dissolvendi dubia, *de jure*, vel *de facto*, tunc necessario requiritur judicis auctoritas pro utroque foro. *Communis*. Et ratio est, quia cum unus sit in possessione sponsalium, non potest per alium ob causam dubiam privari : *in pari* enim *causa potior est conditio possidentis*, ut expresse habetur in cap. *In pari* 65, De regul. juris in 6, et concordat c. *Quod autem* 5, De jurepatronatus, c. *Ad aures* 6, De præscription., l. *Nemo* 126, § 3, ff. *De regul. jur.*, et l. *In pari causa* 128, ff. eod., ubi expresse statuitur : quod *in pari causa possessor potior haberi debet*. Unde cum nemo judex sit in propria causa, textu expresso in l. *Generali*, unic. cod. *Ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat*, necessario in dicto casu requiritur auctoritas judicis.

(123. Judex in causis sponsalium et ma-

Digitized by Google

trimoniorum est solus ecclesiasticus. *Communis*, et *certa*, utpote definita a conc. *Trid.*, sess. XIV, canon. 12, ibi : « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit. »

(124. Et quidem jure ordinario in causis matrimonialibus judex competens est solus episcopus, c. *Accedentibus* 12, De excessibus prælator., et conc. *Trid.*, sess. XXIV *De ref. matr.*, c. 20, verb. *Ad hæc*, ibi : « Causæ matrimoniales non decani, archidiaconi aut aliorum inferiorum judicio, sed episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquantur. »

(125. Nomine autem episcopi hic intelligitur etiam vicarius generalis, etiam absque speciali ad id mandato. *Communis*, arg. cap. final. *De cognat. spiritual.*, et cap. 1, *De frigid. et malefic.*

(126. Item vicarius capitularis sede vacante : *Communis* ; ad ipsum enim transit ordinaria episcopi jurisdictio, cap. *Hi qui* 11, et cap. *Cum olim* 14, De majorit. et obedient., cum similibus.

(127. Judex autem laicus, seu sæcularis, nullimode potest se ingerere in causis matrimonialibus. *Communis*. Istæ enim sunt causæ ecclesiasticæ, et spirituales, in quibus judex laicus, seu sæcularis nullimode, nec principaliter, nec incidenter cognoscere potest, c. *Decernimus* 2, Qualiter, et quando 17, De judiciis, c. *Nullus judic.* 2, De foro compet., c. *Lator.* 5, c. *Causam, quæ inter* 17, Qui filii sint legitimi, cum similibus.

(128. Alia ad rem : *Vide* verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, verb. MATRIMONIUM, verb. SPONSI, verb. STUPRATOR.,

(129. Sponsalia Judæorum majorem tribuunt potestatem in sponsam, quam inter Christianos, ita ut corruptor alterius sponsæ pro adultero habeatur, et adulterii pœna puniatur. Bened. XIV, tom. II, const. 28, incip. *Postremo mense*, § 19. (130. Hinc est ut sponsus a Judaismo ad fidem Christianam conversus, hujusmodi potestatis jure ad baptismum offerre possit sponsam, quæ sic oblata retinenda est et probanda. Idem, *ibid.*

(131. Sponsalia apud Hebræos inter sponsum ex una et sponsæ parentes, aut proximiores agnatos ex altera parte contrahuntur ; vocantur autem eorum lingua *Tenaim*. Idem, *ibid.*, § 63. (132. Sponsalia Hebræorum tunc valida et rata censentur, cum in scriptis legaliter redacta sunt, addita testium subscriptione vel juramento coram testibus præstito inter partes conventa. Idem, *ibid.*, § 65 et 66.

(133. Sponsalia ita contracta non obligant mulierem desponsatam ad contrahendum matrimonium, sed si ipsa recuset, inobedientiæ erga parentes tantummodo arguitur. Idem, *ibid.*, § 64. (134. Si tamen copula post sponsalia sequatur, utraque pars adigitur ad contrahendum matrimonium, non tam vigore contractus, quam in pœnam commissi (reatus). Idem, *ibid.*, § 67. (135. Sponsalia etiam valide, ut prætertur, contracta, facile inter Hebræos dissolvuntur auctoritate rabbini, qui contrahentes a juramento absolvit. Idem, *ibid.*, § 66.

(136. Sponsus a Judaismo ad fidem conversus, si sponsam offerat ad baptismum, contractorum sponsalium probationes exhibere tenetur. Idem, *ibid.*, § 69. (137. Si probetur sponsalia juxta nationis suæ mores contraxisse, sponsa ad catechumenorum domum deferri debet, ibique, quandiu oportebit, non tamen ultra quadraginta dies retineri et probari. Idem, *ibid.*, § 70. (138. Si autem probationes tales exhibeat, quæ juxta Christianorum duntaxat leges valida sponsalia evincerent, tum mulier extra vicum, seu *Ghettum*, evocari, et in ecclesia aliove idoneo loco de amplectenda fide interrogari debet, non tamen retineri, nisi conversionis spem ostendat. Idem, *ibid.*, § 69.

(139. Sponsalia coram parocho ac duobus testibus non celebrata, valida sunt, nec potest episcopus irritare. Idem; *De synodo diœcesana*, lib. VII, cap. 68, n. 1, et *Instit. eccles.*, 46, § 12, ubi affert ad id plura decreta sacræ congregationis Concilii. Vide *superius* num. 24, ubi jam dixi ad valorem sponsalium non requiri præsentiam parochi et testium.

(140. * Sponsalia inita invitis parentibus, quanquam judicari possint valida, juxta dicta *supra* n. 23, illicita sunt tamen, et detecto dissensu parentum solvi possunt, etiamsi jurata sint, quod invicte probat archiepiscopus Rossanensis D. Muscettola in dissertatione legenda in tom. I Operum Zauli ad statuta Faventiæ. Cit. *Inst. eccl.* 46, § 15.

(141. Si alteruter ex sponsis se ad alias partes transferat inscio altero, admonendus est superior ecclesiasticus, qui tempus aptum assignet absenti, ut redeat, quo elapso, si non pareat, vinculum dissolvitur, *Ibid.*, § 5.

(142. Sponsalia absque interna voluntate exsequendi promissa, dubium est an obligent, est tamen grave peccatum sic promittere, *ibid.*, § 16.

(143. Promissio de præsenti absque præsentia parochi et testium, neque valet ratione matrimonii, neque sponsalium, ut ex pluribus decretis S. Congregationis, *ibid.*, § 24.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(144. Quod ait auctor, n. 55 et plur. sequentibus, contractis scilicet sponsalibus, renuentem inire matrimonium compelli posse ad illud ineundum etiam per censuras, id est non absolute verum. Distinguere oportet virum inter et mulierem. Si vir renuat, potest utique etiam per censuras compelli ad matrimonium ineundum. Et de eo loquuntur textus, in cap. *Præterea*, et in cap. *Ex litteris il secondo de spons. et matrim.* (145. At si renuat mulier, moneri ea debet, non item cogi etiam per censuras ad ineundum matrimonium, et de ipsa loquitur textus, in cap. *Requisivit de*, titul. De sponsalib.

(146. Et ita conciliando mox allegatos

Digitized by Google

textus processit Rota, et signanter *in Majoricen. Sponsalium* 24 Aprilis 1746, § 10, et *in confirmatoria* 16 Januarii 1747, § 56 et sequent., *cor. eminentiss. Bussio*, et *in Constantien. Sponsalium* 26 Junii 1748, § 7, *cor. emin. Elephantutio*, et 17 Januarii 1749, § 4, *cor. bon. mem. de Vais.*

(147. « Non deest autem (ut recte inquit Rot., *in d. Majoricen. Sponsalium* 16 Januarii 1747, § 6, *cor. emin. Russio*) causa, propter quam mitius in feminam, et acrius in masculum animadvertatur. Naturalis oppido imbecillitas levitasque muliebris non longe est, ut despectum censurarum facile pariat, magisque suspicari potest, ne femina a fide, quam coacte spopondit, facilius desciscat. Cæteroquin summum est inter virum et mulierem in hac materia discrimen, ut mulier si a sponsalibus declinet, nullum irroget præjudicium viro, cui altera ad nubendum nunquam deficiet femina. Sin vero a sponso mulier relinquatur, gravissimam ipsa nominis subit diminutionem. »

(148. Num post censuras possit vir præcise cogi ad matrimonium ineundum? Negat absolute auctor n. 60 et duob. sequent. (149. At possunt esse casus, in quibus cogi præcise queat vir ad ineundum matrimonium. (150. Talis meo judicio est, si quis puellam imprægnavit, et condemnatus est, ut eam aut ducat, aut certa summa definita dotet. (151. Quid si nihil in bonis habeat, ut determinatam quantitatem pecuniæ solvere nequeat? Id sane videtur superesse, ut præcise cogatur ad ineundum matrimonium. (152. Fluit hoc ex natura *obligationis alternativæ*, in qua alterum absolute et præcise debetur, si alterum ex alternativis præstari haud possit. Sine omni effectu foret sententia, si stuprator neutrum præstare vellet, nec satisfacere justitiæ partique læsæ. (153. Hoc igitur casu admitti potest, ut vel invitus ad matrimonium ineundum cogi vir possit, nec attendi debeat ejus reclamatio, quippe quæ nullum producere effectum potest. Et ita usu servatum est a pluribus tribunalibus.

RESPONSIO AUCTORIS.

(154. Ast sufficit mihi pro mea conclusione habere textus canonicos et doctores *ibi* allegatos. Et quamvis textus in cap. *Requisivit* 17, De sponsalibus, loquatur de muliere, dicendo : « Respondemus, quod cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere, » ly *potius* tamen Glossa *ibi* secuta passim a canonistis et doctoribus, tradit accipiendum esse pro *prius*, ibi : « Sed expone potius monenda est, id est prius monenda est, et postea cogenda. » (155. Accedit, quod textus cap. *Præterea* 2, De sponsalibus, loquitur generice de sponsis, sive viris, sive mulieribus, ibi : « Præterea hi, qui de matrimonio contrahendo pure, et sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, et modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent. » Eminentiss. card. Cavalchinus in causa *Gallipolitana sponsalium*, eam exponens decidendam a S. congreg. Concilii, cujus tunc erat eruditissimus et practicissimus secretarius, de Lucretia Maniera renuente matrimonium contrahere cum Franco de Acugna, quocum prius sponsalia contraxerat, sic refert : « Cumque ibidem antistites Gallipolitanus et Neritonensis iterum sententiam Lucretiæ per seipsos indagassent, eam invenere tam obfirmato animo in hoc rejiciendo conjugio, ut nec etiam denuntiata anathematis pœna, dimoveri ab ea sententia potuerit. » En *ibi* agebatur de renuente muliere, et tamen fuit ei denuntiata anathematis pœna. (156. Tum quia ratio a Pontifice Lucio III, adducta in cit. cap. *Requisivit* 17, De sponsalibus, est ista : « Cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. » (157. Quæ ratio nedum militat, cum cogitur mulier invita ad ducendum invisum virum, quam dum cogitur vir invitus ad ducendam invisam mulierem. (158. Imo a fortiori, ex sacra Scriptura, militat in coacto viro ad ducendam mulierem invisam ; Proverb. enim cap. XXX, num. 21 ad 33, dicitur expresse : *Per tria movetur terra...* inter quæ *per odiosam mulierem, cum in matrimonium fuerit assumpta.* (159. Terra autem non dicitur moveri per odiosum virum, cum in matrimonium fuerit assumptus. Hinc, si adhibitis debitis monitionibus et comminationibus, adhuc sponsus, vel sponsa renuat cum tali nubere, non potest finaliter cogi ad nubendum, sed debet dimitti et absolvi, præsertim si advertatur magna animi aversio, ita ut ex tali futuro matrimonio forent timendæ perpetuæ inimicitiæ, jurgia, scandala, et alia similia gravia incommoda. Sic Rota, part. IV, recentior. tom. III, dec. 656, num. 10 et 11, part. XVI, decis. 145, num. 6, et abstinendum esse a coactione reluctantis sponsi, vel sponsæ in similibus casibus, ac permittendas nuptias cum alia, censuit sac. congr. Conc., *in Senogallien. Sponsalium* 1 Septembris 1714, lib. LXIV *Decretor.*, pag. 345, et *in Majoricen. Sponsalium* 24 Aprilis 1723, lib. LXXIII *Decretor.*, pag. 369, et *in Gallipolitana Sponsalium* 28 Februarii 1733 ; apud *Thesaurum resolution. S. congregat. Concilii, in dict. Gallipolitana* tom. V, et *Mediolanen. Sponsalium* 13 Julii 1725, lib. LXXV *Decretor.*, pag. 353, et *in Neapolitana* 17 Aprilis 1728, lib. LXXVIII *Decretor.*, pag. 275, per quæ omnia patet responsio ad ea, quæ subjungit d. additor, *ibid.*, num. 148 et seq., nempe num post censuras possit vir præcise cogi ad matrimonium ineundum. Cæterum non negaverim ego sequendam esse Rotam in allegat. *Majoricen. et Constantien. Sponsalium*, ubi concurrant ipsissimæ circumstantiæ *ibi* repertæ.

ADDITIONES CASINENSES.

Haud supervacaneum sit sequentia addere.

(160. Quæritur I, an ad valorem sponca-

Digitized by Google

lium requiratur præsentia parochi et testium? Ratio dubitandi desumitur ex concil. *Trident.*, sess. XXIV *De reform. matr.*, cap. 1, ubi irritavit matrimonia clandestina ; ergo idem dicendum videretur de sponsalibus. Eo ipso enim, quod irritavit matrimonium clandestinum, censetur et sponsalia quoque irritasse : nam pœnam impositam clandestino matrimonio censendum esset æque impositam clandestinis sponsalibus.

« Dicendum tamen (respondet Sanchez) non esse necessarium sponsalia celebrari coram parocho et testibus, sed clam contracta valida esse. Probatur : lex Tridentina irritans matrimonium clandestinum, est correctoria juris communis, et proinde extendenda non est ultra casum expressum : ergo cum solum irritet matrimonium clandestinum, non debet extendi ad sponsalia, sed tanquam casus omissus relinquendus est in dispositione juris communis. » *De matrim.*, lib. I disputat. 12, n. 2.

(161. Id ipsum variis sac. congr. Concil. decret. fuit declaratum, ita ut sit communis et certa inter DD. sententia. Porro « paulo post Tridentinum Valentiæ populi de suo archiepiscopo questi sunt, quod ipse valida existimaret sponsalia, quæ sine parocho ac testibus fiebant : quare ad sacram congregationem Concilii confugerunt exponentes quemadmodum parochi ac testium præsentia per Tridentinam synodum in conficiendis matrimoniis requiritur, eodem modo de sponsalibus decernendum sibi videri, licet archiepiscopus diversam opinionem sequeretur : *Istud durum*, inquiunt, *esse videtur ; et propterea credendum est, quod sacra congregatio declarabit etiam clandestinas istas promissiones, non minus quam clandestina matrimonia, nullius esse roboris et effectus, quodque liberum est ac licitum alteri parti ab hujusmodi promissionibus resilire*, lib. I *Decret.* pag. 99. Attamen sacra congregatio anno 1573, *censuit concilium Tridentinum* sess. XXIV, cap. 1, *De reformat. matr. decrevisse tantum matrimonia per verba de præsenti clandestine contracta irrita et nulla esse ; sponsalia autem per verba de futuro contracta reliquisse, in illis terminis juris, in quibus erant ante concilium.* »

(162. « Hæc eadem sententia ipso anno his verbis confirmata fuit, (*ut*) l. I *Decret.* p. 126 : *Disputatum fuit, an sponsalia de futuro aliter, quam præsente parocho, inita suum antiquum robur, quod ante concil. Trident. habuerunt, obtineant* : responsumque est, *obtinere*. Insuper die 19 Decembris anno 1596, lib. VIII *Decret.*, pag. 196, hæc sancita habentur : *Sacra*, etc., *sæpius declaravit sponsalibus per verba de futuro contrahendis nullam formam præscripsisse concilium, ideoque eo modo contrahi posse, quo poterant ante ipsum concilium.* Hinc sapienter docuit Juvenin, *De sacram.*, dissert. 10, quæst. 5, cap. 1, quæst. 2 : *Utrum valeant sponsalia, quibus nec parochus, nec testes adfuerint. Respondetur affirmative. Ratio est quia valebant, imo et licebant ante concilium Tridentinum, ergo his etiam temporibus valent, cum sancta synodus, quæ tum parochi, tum testium præsentiam matrimonio apposuit tanquam clausulam irritantem, nihil simile circa sponsalia statuerit.* » Ita in terminis sapientiss. Benedictus XIV, *Instit. eccles.* 46, n. 12 (70).

(163. Quæres II, sponsalia quomodo probanda? Sponsalia mutuo consensu contracta poterunt utique probari secundum juris communis regulas. Et quidem hujusmodi contractus sponsalium de futuro probari potest non solum per testes et scripturam authenticam desuper confectam, sed etiam per epistolam confessatam, quia hæc contra scribentem plene probat. Proceditque hoc, tametsi talis epistola careat die, loco, consule, inscriptione, subscriptione, Rota, part. II, recent. dec. 772, n. 9. An eumdem contractum probent etiam litteræ amatoriæ, in quibus scribens puellam blanda oratione *sponsam* salutaverit, controversia est. Sed etsi tales litteræ præsumptionem aliquam gignant, si personæ fuerint æqualis conditionis, et coadjuvent probationem sponsalium, Rot., decis. 772, cit., n. 8, solæ tamen leviores sunt, quam ut in re tam gravi plenam probationem inducant. Sic Schmalzgrueber, ad tit. *De spons.*, num. 77. Quid si unus duntaxat testis producatur? *Vid.* num. subseq.

(164. Quinimo si monumenta litterarum et testium omnino desint, nempe si sponsalia clam cæteris omnibus intra compartes contracta fuerint, tunc etiam ad juramentum decisorium provocari posse ad illa probanda non secus ac in omni alia causa, quæ in judicio proponi potest, ex omnibus juris principiis exploratissimum cuique esse debet, Schmalzgrueber, ad tit. *De jurejurando*, n. 16.

(165. Rursus si verba aut signa, quæ in causa sponsalium ad tribunal externum judicanda veniunt, sint clara quidem, et juxta communem usum loquendi, communemque DD. sponsalia indubitate significent ; pars adversa tamen absolute neget, se illa protulisse vel edidisse, pars altera vero id semiplene, vel ita tantum probet, ut revera dubium exsistat, an pars adversa protulerit illa verba aut signa, necne ; causa decidi debet juramento suppletorio pro lite finienda. Tumque cæteris paribus, regulariter reo potius deferendum est, tale juramentum (quod *purgatorium* communiter vocant, quia purgat et liberat reum ab accusatione et cri-

(70) « Jure particulari multarum diœceseon, præsertim Galliæ et Belgii, sponsalia celebrari debent coram parocho et testibus. In quibus diœcesibus, si coram parocho non fuerint contracta, sunt nihilominus rata et obligatoria, inducuntque impedimentum publicæ honestatis, cum a concil. Trid. sint relicta intacta, atque ita relicta in terminis et dispositione juris communis. » Ita Antoine, *Theol. moral.*, De matrimon., cap. 1, quæst. 3.

Digitized by Google

mine, aut obligatione sibi objecta), quam actori. Consequenter, si reus est vir, seu persona æque honesta, ac actor, et actor habet tantum semiplenam probationem pro se, reus vero semiplenam pro sua defensione, vel alias probationem actoris infirmat aut elidit, reo erit juramentum purgatorium deferendum. Reiffenst. ad tit. *De spons.*, § 2, n. 49.

(166. Quod si cætera non sint paria, sed reus v. g. sit vilis, infamis, et de perjurio suspecta, aut alias non legalis persona; actor autem persona legalis, et multum honesta, tunc huic potius, quam reo suspecto deferendum est juramentum suppletorium, dummodo actor prius semiplene suam causam jam probaverit. Imo in causa sponsalium universaliter loquendo, quotiescunque actor suam positionem semiplene probet, v. g. per unum testem omni exceptione majorem, reus vero nihil præstet, sed simpliciter neget, actori (si sit legalis, et de perjurio non suspectus) deferendum est, etiamsi reus sit legalis ac honesta persona ac actor, ut bene docet Reiffenst. cum aliis, *l. cit.*, num. 50.

(167. Enim vero, actore saltem semiplene probante et reo simpliciter negante, omnia jam non sunt paria, sed major præsumptio stat pro actore, quam reo. Proinde ratio et æquitas naturalis dictat, ut judex illi magis faveat, pro quo major stat præsumptio; et hoc (addit Reiffenstuel) maxime procedit, quando actor est femina, tunc enim locum habet regula Sanchez, lib. 1 *De matr.*, disput., 18, n. 4, per hæc verba: « In dubio favendum est feminis, quia simplicius res tractare solent, faciliusque a viris decipiuntur: » videlicet quando femina actrix semiplene probat, a reo sibi promissum esse matrimonium, reus vero nihil præstet sed simpliciter neget, feminæ potius credendum et favendum, consequenter eidem, et non reo simpliciter neganti deferendum juramentum. Anted. Reiffenstuel 1, et n. cit.

(168. Cæterum si actor non sit persona legalis, econtra talis se habeat reus, tunc huic potius quam actori deferendum est juramentum; « etsi actor semiplene probet, et reus simpliciter neget. » Ratio est, quia personæ, quæ legalis non est, juramentum suppletorium a judice deferri nequit, ut tenent DD. communiter. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 51. Idem ad tit. *De jurejurando*, n. 180.

(169. Quæres III, an et quando copula carnalis, defloratio aut imprægnatio habeatur pro signo consensus sponsal.? R. Copula carnalis absolute loquendo, et nisi alia concurrant, non præbet sufficiens signum sponsalitii consensus. *Communis, ac certa.* Ratio patet: quia copula fieri potest, et sæpissime, imo a potiori fieri solet ex sola libidine absque ullo animo matrimonium ineundi; ergo ex illa sola consensus, seu mens sponsalium præsumi non potest, nec debet, per vulgaria juris principia de præsumptionibus. Reiffenstuel, *ibid.*, n. 67.

(170. Si vero una cum copula concurrant verba, aut signa dubia sponsalium contractorum, tunc copula præsumitur, ac censetur facta animo sponsalitio, atque ita cum cæteris dubiis signis præbet in foro externo signum sufficiens præsumendi sponsalia. Quippe honesta puella non censetur præbere usum corporis, nisi suo sponso ac sub spe futuri matrimonii, sub qua facile puellæ cæteroquin honestæ persuadentur; ergo ubi signa et copula concurrunt, de factis sponsalibus merito præsumi ac judicari debet. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 68. Atque ita docent Sporer, Perez, Menoch., Gobat apud eumdem Reiffenst. *ibid.* Secus vero se res habet, si puella honesta non fuerit, sed communis, et pluribus exposita, aut alias malæ vitæ, ac in hoc genere suspecta aut diffamata. Reiffenst., *ib.*, n. 69.

(171. Quæres IV, cum sponsalia sint futurarum nuptiarum mutua promissio, quid dicendum, si viri et mulieres polliceantur non de futuro, sed de præsenti: v. g. si vir his verbis utatur: *Ego te in uxorem accipio*: mulier quoque sic agat: *Ego te in maritum accipio*, additis etiam verbis, *coram Deo, B. Virgine, aliisque sanctis?*

R. Hujusmodi pactiones minime appellari posse sponsalia, vel ex eo evincitur, quod assensus *de futuro*, non autem *de præsenti*, *sponsalia ipsa* constituat. Sin autem eam conventionem nuncupandum matrimonium quis existimet, vehementissime quidem fallitur, cum ex Tridentino nullum omnino irritumque sit ejusmodi matrimonium coram parocho, vel alio sacerdote per parochum designato, et coram duobus testibus non celebratum; neque matrimonium hocce absolute irritum ob parochi et testium non interessentiam, *in sponsalia* converti potest. « Siquidem certissimum ac tutissimum est matrimonia, quæ absente parocho ac sine testibus inita, per Tridentinum concilium abrogantur, in *sponsalia* minime transire, quemadmodum sacra congregatio statim ac fuit instituta, nempe paulo post absolutam ipsam synodum, ad hanc usque diem constanter declaravit, quod etiam theologi et canonum interpretes unanimi consensu semper probarunt. »

« *In Messanensi causa*, anno 1573, lib. 1 *Decret.* pag. 107, hæc petita fuerunt a sacra congregatione: « Fuit contractum matri-
« monium in civitate Messanæ post publica-
« tionem decretorum concilii Tridentini per
« verba de præsenti et mutuum consensum,
« non factis publicationibus, nec præsente
« parocho, nisi tantummodo notario, et te-
« stibus, etc. Humiliter ab illustriss. DD. VV.
« petitur declarari, an supradictus contractus
« matrimonii, cum sit factus contra formam
« traditam per decretum ejusdem concilii...
« sit adeo nullus, quod neque transeat in
« sponsalia de futuro. Sacra, etc., censuit
« non transire. »

« Eodem anno lib. 1, pag. 132, « et quid,
« quando promissio est de præsenti, id est
« cum dixit vir: *Ego te in uxorem*; et mu-
« lier: *Ego te in maritum accipio?* Sacra, etc.,
« censuit, promissionem hanc non valere

Digitized by Google

« neque ut matrimonium, neque in vim « sponsalium de futuro. » *In causa Gera-* « *censi* anno 1589, pag. 62, lib. VI Decret. : « Præsupposito, quod matrimonium sit fa- « ctum absque parochi præsentia, et duo- « rum, vel trium testium, quo casu irritum « declaratur a Tridentino, quæritur an « dictum matrimonium transeat in spon- « salia de futuro, ita ut cogi possit vir per « censuras, aliaque juris remedia ad ser- « vandam fidem sponsæ, quando maxime « secuta est cum ea copula? Sacra, etc., cen- « suit, non transire. » Hæc Benedictus XIV, cit. *Institut. eccles.* 46, num. 23 (71).

(172. Quæres V, an si contingat, ut in solemni sponsalium contractu intersit etiam parochus, et partes contrahentes in illius et aliorum præsentia, nempe duorum aut trium testium, utantur verbis de præsenti, dicentes: *Ego te accipio in uxorem et ego te in maritum*, censeri debeat matrimonium initum? « Resp. *negative;* quia præsumi non debet eos voluisse id cum peccato contrahere. (Imo) posito quod habeant intentionem contrahendi, ea non sufficeret; quia hanc intentionem suam debuissent intimare parocho et testibus : alias isti testificabuntur solum de contractu sponsalium de futuro, ad quem celebrandum sunt convocati. Quod si autem intimatio sufficiens facta esset, esset matrimonium, sed illicite contractum, et contrahentes puniri possent. Cap. fin. *De clandest. desponsat.* (* *quippe non præcedentibus denuntiationibus* *, etc.)» Schmalzgrueber, ad tit. *De spons.*, n. 79.

(173. Quæritur VI, si sponsalia fuerint contracta in facie Ecclesiæ, nempe coram parocho et testibus juxta formam stabilitam in matrimonio per sac. concil. Trident. et deinde secuta fuerit copula, utrum transeant in matrimonium? Movet hanc quæstionem cardinal. Tolet., lib. VII, *Instruct. sacerd.*, cap. 17, per hæc verba : « Crederem in hoc casu esse matrimonium, quia inveniuntur omnia, quæ statuit concilium; non nego rem esse dubiam, et non carere difficultate; si talis casus accideret, recurrendum esset ad Papam. » Contrarium tamen constat fuisse resolutum per sacram congregationem Concilii, his verbis : « Etiamsi coram parocho et testibus contrahantur sponsalia, licet postea sequatur copula, nihilominus matrimonium non censetur; possunt tamen denuo contrahere servatis servandis. » Apud Pitonium, *Disceptat. eccles.* 52, n. 8 et 9.

(174. Neque adversatur, quod hic inveniantur omnia, quæ statuit concilium; namque Trident. statuit præsentiam parochi et testium in matrimonio per verba de præsenti, non autem in sponsalibus de futuro, pro quibus nihil disposuit, sed ea reliquit determinanda secundum dispositionem juris communis, juxta latius dicta hic supra; et propterea cum hic non præsupponatur fuisse contractum matrimonium per verba de præsenti, non potest dici satisfactum concilio, licet ejus solemnitas fuerit adhibita in sponsalibus de futuro, quia solemnitas requisita per concilium in *actu* celebrationis matrimonii, non sufficit, si adhibeatur tantum in actu præparatorio et præambulo; et in specie ita decisum fuisse per sac. congreg. Concilii in contingentia facti refert Fagnan. Cap. *Is qui fidem* 36, De spons. n. 10, ibi : « An sponsalia legitime contracta, carnali etiam copula subsecuta, *transeant in matrimonium indissolubile?*... Sac. congregat. respondit... quomodocunque accipiatur illa dictio *legitime*, sive prout a jure communi disponitur, sive coram parocho et testibus, non posse dici subesse validum et indissolubile matrimonium... quia concilium voluit nullum esse matrimonium non contractum coram parocho; et intelligitur de matrimonio per verba de præsenti : si hic actus matrimonii coram parocho per verba de præsenti non intervenit, non potest dici subesse validum matrimonium. » Pitonius, *l. cit.*, n. 11.

(175. An ad valorem sponsalium requiratur consensus parentum? *Vid. supra*, n. 25 et seq.

(176. Quæritur VII, an et quomodo constans contradictio parentum sufficientem causam præbeat ad solvenda sponsalia?

Respond. Absolute ac simpliciter loquendo, sola contradictio parentum non præbet sufficientem causam dissolvendi sponsalia, etiam absque eorum præscitu et consensu inita : hæc conclusio communis est. Reifenstuel, *De sponsal.*, n. 270. Audiamus D. Alph. de Ligorio, qui ad dubium supradictum : An dissensus parentum sit causa sol-

(71) Hic nota quod tradit Fagnanus per hæc verba: « Quæro an matrimonium per verba de præsenti per puberem et impuberem contractum clandestine, non servata forma a concilio tradita, migret et resolvatur in sponsalia?... Congregatio publica, dissentientibus tantum Perusino et Carafa, censuit opinionem hanc esse veram, ut clandestinitas non obstet, quia matrimonium per verba de præsenti contractum inter puberem et impuberem valet in vim sponsalium, secundum cap. 1, § 1, *De desponsat. impuber.* in 6, quia jus jam est interpretatum, tale matrimonium per verba de præsenti contractum, esse tantum sponsalia per verba de futuro. Ergo sicut clandestinitas non obesset validitati sponsalium, quæ per puberes fuissent contracta, ut jam congr. declaravit, et nullum est dubium in hoc, ita nec obstabit validitati horum spons. inter puberem et impub. contractorum, quia licet sint contracta per verba de præsenti in schemate matrim., attamen lex voluit esse pura sponsalia per verba de futuro. (Id vero) procedit tantummodo in matrimonio contracto inter puberem et impuberem, vel inter duos impuberes non proximos pubertati, et quorum malitia non supplet ætatem : cum enim talis contractus propter ætatis defectum valere non possit ut matrimonium de præsenti, lex interpretatur valere eo modo, quo potest, et sicut sponsalia de futuro. At secus est in matrimonio non servata forma concilii per verba de præsenti inter puberes contracto, quia illud non resolvitur in sponsalia de futuro, ut alias sac. congregat. declaravit... » Hæc Fagnanus, ad cap. *De illis*, De despons. impuber., n. 48 et seqq.

Digitized by Google

vendi sponsalia? Hæc habet : « Communiter id negant Croix... cum Gab. Sanchez... Laym... Holzm... cum *Communi*, ut testatur Elbel... etiam cum *Communi*, Spor... et Buss. Hi dicunt quod sponsalia filiorum ex hoc solo capite, quod sint inita sine consensu parentum, nequeunt irritari, quia eorum consensus non de necessitate, sed tantum de honestate a jure canonico requiritur. » *Theol. mor.*, De matrim. n. 877.

(177. Respond. 2. Licet sponsi sine præscitu parentum sponsalia contrahentes ordinarie peccent, tamen si sunt inter se æquales, vel saltem non multum dispares, sponsalia valent et obligant, debentque exsecutioni mandari, non obstante contradictione parentum; imo peccant parentes conando impedire tale matrimonium. Reiffenst., *ib.*, 271. Idem habet D. de Ligor. 1, et n. cit.

(178. Respond. 3. Si futurum inter sponsos matrimonium vergat in opprobrium parentum ac dedecus familiæ, parentesque exinde multum indignentur, offendantur, contristentur, ut ordinario contigit in casu notabilis disparitatis sponsorum, tunc contradictio parentum non tantum juste fieri potest, sed etiam facta sufficientem præbet causam dissolvendi sponsalia; imo in tali casu sponsalia ex se censentur nulla ac invalida. Guttierez, lib. I *Canon. qq.*, cap. 20; Layman, lib. V, tract. 10, part. I, cap. 1, n. 14; Menoch., cons. 69, aliique. Ratio est quia in tali casu matrimonium esset contra pietatem et charitatem parentibus et consanguineis debitam; imo etiam contra justitiam, cum exinde familia maculam contrahat, minus æstimetur, et ab aliis horreatur. Reiffenstuel, *ibid.*, n. 272. Eadem tradit laud. D. de Ligor., *ib. V.* not. *infra* sub n. 182.

(179. Hinc, ordinario loquendo, in casu quo sponsalia fiunt cum indigna parte, aut magna, vel notabili cum disparitate, ut si quis de nobili stemmate matrimonium promittit puellæ plebeiæ, aut econtra sponsalia aut nulla esse, aut contradictionem parentum vel consanguineorum sufficientem præbere causam eadem dissolvendi. Proinde « infertur (sic Reiffenst.) cum Guttierez, Menoch. et aliis, in casu, quo nobiles cum ignobilibus, aut alias notabiliter dispares, insciis aut invitis parentibus sponsalia faciunt, episcopos non debere, imo, nec licite posse gratificare sponsis, dum remissionem ob disparitatem in denuntiationibus petunt, illam ordinarie allegando causam, quod parentes ex denuntiationibus in notitiam venientes, sint injuste impedituri matrimonium, ac libertatem status de jure eis debitam impedituri. Cum enim parentes in tali casu juste impedire, ac contradicere valeant, ordinarius omittendo denuntiationes, hoc jure eos non privare, sed potius, ut eodem pro libito utendi facultatem habeant, denuntiationes præfatas fieri curare debet, præsertim cum ipsis liberis exinde nulla irrogetur injuria, utpote quia in hoc parentibus obtemperare, et tale matrimonium omittere tenentur. » Reiffenstuel, *ibid.*, num. 273 et seqq.

(180. Sic etiam si contradictio parentum conjuncta sit cum seriis quidem minis exhæredandi aliquem sponsorum, si huic, cum quo sponsalia contraxit, nubat, habet pars altera justam causam dissolvendi sponsalia. Reiffenst., *loc. cit.*, n. 277. « Posse etiam filium solvere sponsalia, si pater juste minetur exhæredationem, et ego subdo etiam injuste; quia omnia sponsalia intelliguntur contrahi, si non accedat talis mutatio, unde grave sit contrahere matrimonium, » ait D. de Ligorio, *Theol. mor.*, De matrim., cit. n. 877 (72).

Quæritur VIII quid in casu gravium inimicitiarum, etc., inter parentes et consanguineos sponsorum?

(181. Respond. solvi sponsalia ob graves aut capitales inimicitias, odia aut scandala inter parentes aut consanguineos sponsorum. Judex vero rarissime, et nonnisi bene consideratis circumstantiis, causaque vere cognita, ex hoc capite sponsalium dissolutionem judicare debet; cum ordinarie pericula, ut allegantur, non subsistant, nec quodvis scandali aut discordiarum periculum sufficiat, ut altera pars jure suo privari possit. Reiffenst., ead. n. 268.

(182. Audiamus Sanchez, qui, etsi valida esse sponsalia etiam inter impares contracta affirmet, subdit vero in hæc verba : « Hoc tamen limitandum est, nisi scandalum magnum ex eo matrimonio probabiliter ti-

(72) Imo clarissimus Pitonius citans Rota addit : « Sola causa indignationis et dissensus patris de per se sufficiens existimatur ad effectum, ut vir non teneatur implere promissionem, nec possit cogi : ex hac enim indignatione patris imminere potest periculum exhæredationis, maxime quando illa oritur legitime et juste ob sponsalia contracta cum disparitate nobilitatis et divitiarum : et hoc solum inducit justum metum in filio, illique præbet justam causam recedendi a sponsalibus. Rota, decis. 19, n. 2, part. X, recent. Quod procedit (prosequitur Pitonius), non obstante juramento in apocha promissionis apposito, Rota, cit. decis., n. 28. » — *Disceptat. eccles.* 52, n. 81.

Et eadem Rota *coram vicecomite in Cæsaraugustana Sponsalium* 29 Mart. 1744, *a minori ad majus* sic argumentatur, ibi : « Si solum periculum, et comminatio exhæredationis inducit justum metum in filium, et justam præbet causam recedendi a sponsalibus... fortius hanc eamdem justam et rationabilem causam præbere debet effectiva exhæredatio jam secuta, ubi tales nuptiæ patri invisæ contrahantur, ut testantur Raminez... Pont... Sarmien. »

« Neque hic obstare videtur dispositio Trident., in cap. 1, sess. XXIV, *De matrim.*, ubi dicitur consensum patris non requiri ad validitatem matrimonii filiifamilias, quia simpliciter in eo textu Patres concilii decreverunt matrimonia sine consensu parentum esse valida... Non autem disposuerunt patrem non posse impedire matrimonium, antequam contrahatur, ut in puncto respondet Menoch., cons. 69, num. 40, ibi : « Nec conciliaris constitutio hic « obest; » nam etsi « statuit concilium matrimonia « sine consensu parentum esse valida, non tamen » disposuit « quod pater non posset impedire con- « trahendum. » Concordat Fagnanus, in cap. *Tua*, n. 11 et seqq. De desponsat. impuber. Ita Pitonius, cit. *Disceptat. eccles.*, 52, n. 86.

Digitized by Google

meatur. Quia virtus justitiæ obligare nequit ad actum qui sine peccato impleri non potest; sed contrahere matrimonium cum magno illo scandalo est aperte lethalis culpa, cum notabiliter charitas proximi lædatur, dissolvatur parentum pietas, et cognatorum amicitia, et colligitur ex cap. *Cum tua*, De spons., ibi, De fama, vel scandalo, et ita docet ibi Gloss. v. *Scandalo;* Panormus, ibi, Alex. de Nevo.. Præpos. ubi docent, quando vehementer scandalum timeatur ex matrimonii contractu inter contrahentium consanguineos, posse et debere judicem interdicere matrimonium; idem Panorm... ait Ecclesiam compulsuram non esse implere sponsalia, quoties rixæ inter parentes contrahentium probabiliter timentur, et melius id expresse docent Fel. Nav... Menoch... Guttier... (etc.)... *quamvis secuta sit virginis defloratio* (73), (* *nota* *) sub ea spe matrimonii futuri. Quod quidem verissimum est... et idem dicendum est, licet *nulla sit inter contrahentes disparitas*... Caute tamen considerandum est hoc scandalum, non enim quodcunque sufficiet; sæpe enim vanæ minæ jactantur, terroresque opponuntur, et discordiarum pericula intentantur; quæ tamen, experientia teste, ubi deferbuit ille impetus, et matrimonium celebratur, in nihilum decidunt, facileque animi conciliantur, sedaturque omnis tempestas. » *De matrim.*, lib. I, disputat. 14, n. 3.

(183. « Idem dicerem (prosequitur Sanchez) *quoties est timor probabilis pessimi exitus*, ut odii capitalis inter ipsos contrahentes. » *Ibid.*, l. et n. cit. (74).

SPONSI.

SUMMARIUM.

1. Sponsus et sponsa unde dicantur. — 2. Conversationes et cohabitationes sponsorum sunt ab episcopis omnino prohibendæ sub multa. — 3. Sponsi divites invicem conversantes puniri non possunt, nisi multa infra duos ducatos, pauperes vero solis pœnitentiis salutaribus. — 4. Quamvis cohabitatio sponsorum sit punibilis, visitationes tamen et conversationes præsertim in præsentia consanguineorum non sunt punibiles. — 5. Sponsus an et quomodo visitare possit sponsam in clausura monialium exsistentem, *remissive*. — 6. Sponsi vel sponsæ fornicatio cum alia, vel cum alio commissa, an addat malitiam injustitiæ distinctam, et in confessione necessario aperiendam, *remissive:* — 7. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi, quæ fiunt inter sponsos cum delectatione sensibili venerea, morosa et directe voluntaria, sunt peccata mortalia; alias non sunt, nisi venialia, et si pudice fiant ex recto fine secundum consuetudinem patriæ sunt licita. — 8. Quando autem sponsi graviter peccent, vel non circa delectationem morosam de copula futura et de dictis tactibus, osculis, amplexibus, etc., *remissive*. — 9. Alia ad rem, ad num. 12.

(1. Sponsus et sponsa unde dicantur? *Vide* verb. SPONSALIA, n. 1.

(2. Conversationes et commercia sponsorum ante contractum matrimonium per verba de præsenti, episcopus impediat omnino : multas vero ob earum causam incursas applicet usibus piis, et interim deponat apud depositarium multarum. Sacr. congr. Episc., *in Hieracen.* 20 Apr. 1587, apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Matrimonium*, n. 8.

(3. Sponsi divites invicem conversantes puniri non possunt, nisi multa infra duos ducatos; pauperes vero solis pœnitentiis salutaribus. Ead. S. cong. Episc., *in Tarant.* 27 Nov. 1593, et *in Lyciensi* 5 Julii 1596, apud eumdem, *ibidem*.

(4. Quamvis autem cohabitatio sponsorum

(73) Et re quidem vera post conc. Trident. copula ejusmodi post sponsalia, tantum abest, ut faciat hæc transire in matrimonium, ut ex opposito (talis copula) non nisi *vere fornicaria* habenda omnino sit. *Communis* et certa. Adeoque, prædicta copula nonobstante, utpote mere fornicaria, sponsalia utique dissolvi, ubi legitima et justa causa intervenerit, facile cognoscas licet.

Quippe, si matrimonium contractum non servata forma Tridentini, utut copula secuta fuerit, nec quidem in sponsalia resolvitur, prout ex sacr. congregat. declaration. supra allatis utique compertum est; ergo nec etiam sponsalia quacunque publicitate inita, etiamsi accesserit copula, ita consistere debent, ut non possint non rescindi, ubi causa adsit pro earumdem dissolutione. Unde ait D. Virginius Valsecchius, monachus Casinensis: « Sponsalia in *suo esse* spectata(ex) causis solvi posse jam probatum est. Itaque eadem sponsalia etiam *post copulam subsecutam* iisdem de causis poterunt rescindi. » *In respons. pro veritate* addit. ad calcem Dissertat. *De sponsal. et matrim.* clariss. archiep. Muscettola, *edit. Venet.* 1772, vers. *Non solum*.

Facit huc, quod docet D. Alph. de Ligorio, per hæc verba : « Si parentes juste vetant filio aliquod matrimonium, quia esset illud dedecori, aut scandalo familiæ, tunc filius peccaret graviter, si illud contraheret. Et in casu quo illud esset dedecori familiæ, ille non tenetur sponsalibus contractis, *etiam juratis, licet sponsam defloravisset*, cum sufficiat tunc, si tantum illam dotet, si potest, cum justitia non possit obligare ad actum qui sine peccato executioni mandari nequit. » *Homo apostol., De matrim.*, n. 10.

(74) Unde secundum quod hic ultimo docet Sanchez, si capitales et graves inimicitiæ, et odia, et extraordinariæ animorum aversiones, inter ipsos oriantur sponsos, inde motivum exsurget ut ad matrimonium ineundum non compellantur, ob rationem specialem, ne videlicet alias ex matrimonio infelices sequantur exitus, continua aut frequentia jurgia, lites, scandala. Facit huc decisio sac. congregat.: « Quod si unus sponsorum ita incipiat abhorrere ab altero, ut serio dicat, se velle quidvis pati quam huic conjungi, a coactione judex desistere debet. » Apud Reiffenst., *loc. cit.*, n. 267.

Et, ut ait Rota, *in Cæsaraugustana Sponsalium* 29 Mart. 1754, *coram R. P. D. vicecomite :* « Ex tali subsecuta exacerbatione contrahentium, ac suborta totali animi abalienatione, cum subsequens matrimonium prosperum, et felicem exitum sortiri haud valeat, idcirco pia mater Ecclesia in hisce circumstantiis, ad majus vitandum malum, solet sponsos ad pristinam libertatem restituere. »

Digitized by Google

ante contractum matrimonium per verba de præsenti punibilis sit, visitationes tamen et conversationes, præsertim in præsentia consanguineorum, non sunt punibiles. Ead. S. congreg. Episc., *in Tranen.* 26 Oct. 1588; *in Caven.* 28 Aug. 1589; *in Cosentina* 15 Febr. 1536, apud eumdem verb. SPONSALIA, n. 2.

(5. Sponsus an et quomodo visitare possit sponsam in clausura monialium existentem? *Vide* verb. MONIALES, art. 1, a num. 30 ad 36, ubi plura ad rem *De sponsalib. et matrimonio educandarum.*

(6. Sponsi vel sponsæ fornicatio cum alia, vel cum alio commissa constantibus validis sponsalibus, an addat malitiam injustitiæ distinctam, et in confessione necessario aperiendam? *Vide* verb. LUXURIA, n. 9.

(7. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi, quæ fiunt inter sponsos cum delectatione sensibili venerea, morosa et directe voluntaria, sunt peccata mortalia; alias non sunt nisi venialia. Et si pudice fiant ex recto fine secundum consuetudinem patriæ, sunt licita. *Communis.*

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Id nimis periculosum est, ac vix casus esse poterit in quo sola venialis culpa insit, tum quia raro, aut fere nunquam in iis abest delectatio venerea; tum etiam, quia certum est periculo se exponere hujus delectationis, quod periculum a gravi excusari non potest.

RESPONSIO AUCTORIS.

Ast si tactus, oscula et hujusmodi fiant inter sponsos sine ulla delectatione sensibili venerea, morosa et directe voluntaria, ut loquor *ibi* ego, non sunt nisi venialia, ubi revera absit omnis delectatio sensibilis venerea, morosa et directe voluntaria; ubi autem ipsi ex sua personali conditione et proclivitate cognoscant, sic se exponere periculo alicujus delectationis morosæ venereæ, certe tenentur sub gravi se abstinere ab ipsis. Conclusio autem mea procedit conditionate, in casu quo fiant sine ulla venerea morosa delectatione. Conditionale vero nihil ponit in esse, nisi purificata conditione. Arg. § *Sub conditione* 4, Institut. *De verbor. obligationibus*, l. *Hoc jure utimur* 8, et *ibi addit. marg.* ff. *De verborum obligation.*, l. *Quia autem* 6, § final., ff. *Si quis, omissa causa, testam.*, l. unica, § *Sin autem*, cod. *De caducitat. tolendis*, c. 1, § final. *De sponsalibus* in 6, Clementin. 1, *De concession. præbendæ.* Eo vel maxime, quod n. seq. remitto lectorem ad ea quæ habentur sub verb. DELECTATIO MOROSA, a n. 27 ad 29, ubi expresse dico: « Cavendum est tamen, ne in istis osculis, tactibus et amplexibus habeatur illa delectatio carnalis et sensibilis, quæ merito fuit damnata ab Alexandro VII, 18 Martii 1666, in propos. 40, in ordine, ibi: « Est probabilis opinio, « quæ dicit tantum esse veniale osculum « ob delectationem carnalem et sensibilem, « quæ ex osculo oritur, secluso periculo « consensus ulterioris et pollutionis. »

(8. Quando autem sponsi graviter peccent, vel non, circa delectationem morosam de copula futura et de dictis tactibus, osculis, amplexibus, etc. *Vide* verb. DELECTATIO MOROSA, a n. 27 ad 29, et n. 32.

(9. Alia ad rem. *Vide* verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, verb. MATRIMONIUM, verb. SPONSALIA, verb. STUPRATOR, et novissimam Const. Bened. XIV, incip. *Redditæ sunt*, in qua sponsis catholicis, qui in fœderatis Belgii regionibus coram civili magistratu, aut hæretico ministro duntaxat, mutuum consensum in matrimonium de præsenti declararunt, quælibet conjugalis consuetudo interdicta decernitur, donec matrimonium ad formam concil. Trident. rite celebraverint.

(10. Salutare quidem est decretum, quo fere omnes episcopi prohibent ne ante contractum matrimonium sponsus in una eademque domo cum sponsa habitet, propter periculum evidens ne inter eosdem sponsos copula habeatur ante matrimonii celebrationem. Non tamen id prohiberi potest sub pœna stupri, sed tantummodo sub pœna arbitrio ordinarii infligenda, ut respondisse sacr. congr. conc. episcopis provinciæ Mediolanen. refert Benedictus XIV, *De synod. diœc.*, lib. XII, cap. 6, n. 3, ibi: « Non posse, sed ambos graviter arbitrio ordinarii duntaxat esse puniendos. »

(11. Sponsus qui sponsam seducit ad copulam, non potest puniri pœna stupri ob aliquod jus quod habet in corpus illius, ut ex decretis sacræ congregat. apud Fagnan., *Instit. eccl.* 46, § 18.

(12. Sponsus in nuptiis Canæ Galilææ, quibus interfuit Christus Dominus, quis fuerit? *Vide* verb. NUPTIÆ, n. 31.

SPORTULÆ.

Vide verb. JUDEX, *a n.* 12 *ad* 46.

STATIO.

Præstat sequentia adnotare.

(1. Statio sæpe sumitur pro concursu populi ad ecclesiam indictam, in qua statis diebus processio clericorum ad statas preces faciendas consistebat. Vetustus enim in Urbe ritus fuit, ut certis diebus clerus in unam aliquam ecclesiam supplicationis causa conveniret, ubi sacra fiebant, aliaque divina officia peragebantur. Hi porro dies jejuniorum erant; unde solvere stationem idem erat quod solvere jejunium; Isidorus, lib. VI, c. ult., *Etymol.* Discernunt autem quidam inter jejunium et stationem:

Digitized by Google

nam jejunium est indifferenter cujuslibet diei abstinentia non secundum legem, sed secundum propriam voluntatem ; statio autem est observatio statutorum dierum vel temporum, ut quartæ et sextæ feriæ, vel Quadragesimæ. Et S. Ambrosius, serm. 36 : « Stationes vocantur jejunia, quod stantes et commorantes in eis, inimicorum insidias repellimus. »

(2. Porro cleri Romani processio in illas stationes duplex est, solemnis aut privata. Hæc fit, cum unusquisque privatim in locum indictum se recipit ; solemnis vero, cum solemni more, decantando litanias aliasque preces, Pontifex aliique omnes eo sese recipiunt. Processiones solemnes præcedit collecta, id est coadunatio clericorum in una ecclesia, ut ex ea, quasi agmine facto, in locum stationis procedatur : sic dicta, quod in eo loco clerus cum populo colligatur ad faciendam processionem solemnem. Et quia in loco, ubi fit collecta, oratio super populum funditur ante processionem, inde fit quod ejusmodi orationes etiam collectæ appellantur, quoniam « super collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una ecclesia in aliam ad stationem faciendam, » ut loquitur Micrologus in cap. 3. Sic in capite jejunii illa oratio *Concede, quæsumus*, apud Sanctam Anastasiam super collectam populi dicitur, qui stationem apud Sanctam Sabinam celebraturus est. Sed ejusmodi collectæ fiebant præcipuæ in Quadragesima, et in singulis triduis Quatuor Temporum, propterea quod illis diebus solemnis processio celebratur : at quia forte privata erat aliis temporibus processio, nullæ collectæ assignantur in veteri indice collectarum et stationum, quem Mabillonius exhibuit tom. II *Musæi Italici*, p. 544.

(3. Gregorius Magnus stationes antea vagas, vel certis ecclesiis scripto non addictas, in suo *Sacramentario* constituit, *ordinavitque per basilicas, vel beatorum martyrum cœmeteria*, testante Joanne diacono in ejus Vitæ lib. III, cap 18. Primitus vero stationes illæ institutæ fuerant vel ob sanctorum natalitia, vel ob dies publicæ processionis, sive missæ sacratiori tempore celebrandæ. Stationes ob sanctorum natalitia fiebant in eorum memoriis, vel in cœmeteriis, id est in ecclesiis super eorum tumulos constructis, quæ ob id cœmeteria quandoque appellantur. Hinc cum notissimæ essent sanctorum festivitates et memoriæ, non erat necessarium harum stationum diem et locum assignare in Sacramentariis, in quibus quæcunque propriæ sanctorum missæ habebantur, publicas olim stationes exigebant. At vero stationes aliorum dierum, puta Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Adventus, Natalis Domini, Paschatis, et similium, cum incertæ essent, eas designari oportebat, ne qua oriretur dubitatio, ad quamnam Ecclesiam esset procedendum ad publicam stationem. Unde Gregorius eas certis diebus in suo *Sacramentario* addixit, ut a cunctis cognosci possent. Eas porro constituit passim in basilicis præcipuis, scilicet patriarchalibus et titulis, aliquando tamen in diaconiis et oratoriis, ut in oratorio Sancti Pancratii, in quo idem sanctus Pontifex homiliam habuit. Gregorius secundus supplevit vacantes aliquot Quadragesimæ dies, nempe in feriis quintis : quas stationes, ne repeterentur in titulis, in aliis ecclesiis statuit. Hoc est quod significare voluit scriptor libri *De gestis Pontificum*, his verbis : « Hic Quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, id est *Statio*, atque missarum celebritas fieret, in ecclesiis (quod non agebatur) instituit. » Attamen singulas Quadragesimæ ferias quintas ante Gregorium II, festivas fuisse instar Dominicæ, Micrologus auctor est in cap. 1.

(4. Etsi autem fixæ ac ratæ essent in Sacramentario stationes, eas tamen populo denuntiari mos erat. Id fiebat ab archidiacono in publica missa præcedente. Postquam enim Pontifex communicaverat, veniebat « archidiaconus cum calice ad cornu altaris, et annuntiabat stationem : » quæ verba leguntur in primo libello *Ordinis Romani* n. 19. Olim igitur ex primævis Romanis Ordinibus, post : *Pax Domini*, etc., denuntiabatur ab archidiacono, stante cum calice ad cornu altaris, statio futuri diei. Ita perhibet *Ordo Romanus* I (75) et II (76). Sæculo vero XII, hæc denuntiatio fiebat ante communionem a subdiacono regionario ; ita docet *Ordo Romanus* Benedicti canonici, ubi de ritibus in missa feriæ IV, initii Quadragesimæ, his verbis : « Ante communionem vero stat subdiaconus regionarius juxta altare, dicens alta voce : Crastina die veniente, statio erit in ecclesia S. Georgii martyris ad Velum aureum. Respondet schola : *Deo gratias.* »

(5. Ad locum stationum deferebantur ex patriarchio Lateranensi vasa sacra, præeunte cruce stationali, de qua exstat V. Cl. Ciampini pererudita dissertatio. Pontificem in sella gestatoria eo portari mos erat. Aliquando tamen equo vehebatur. Leo IV instauravit « crucem auream, quæ (ut mos antiquitus est, ait Anastasius) subdiaconi manibus ferebatur, prædecessorum Pontificum. » Presbyteria etiam, id est erogationes fiebant, tum ob ministrorum obsequia, tum ob laudes et acclamationes. Imo Pontifex quandoque in ipso itinere causas finiebat, aut certe ad ejus nutum nomenculator et sacellarius, ut in primo *Ordine Romano* num. 2.

(6. Stationum aliquod vestigium sæculis XIII et XIV perdurabat. *Vide* Garampium, in *Vita B. Claræ*, p. 555. Nunc vero stationum nomine veniunt indulgentiæ illæ quæ certas ecclesias visitantibus conceduntur. *Vide* etiam v. LITANIÆ, etc.

(75) Num. 20.

(76) Num. 14 *Ord. Rom.* XI, n. 34.

Digitized by Google

STELLIONATUS.

Vide verb. Poena, *art.* 2, *n.* 204, 205.

STIPES.

Vide verb. Matrimonium quoad impedimenta, *art.* 1, *n.* 28

STOLA.

SUMMARIUM.

1. Stolæ delatio an importet jurisdictionem, ad num. 2. — 3. Quoad ingressum parochorum cum stola et cruce elevata in ecclesias regularium, plures adducuntur sacrarum congregationum hinc inde resolutiones et pontificum constitutiones, cum auctoris opinione.—4. Capellani confraternitatum nequeunt deferre stolam in processionibus quæ fiunt extra suarum confraternitatum ecclesias. — 5. Stolam deferre in processionibus et funeribus non competit archipresbytero collegiatæ privative quoad alios parochos.—6. Stolam et superpelliceum deferre sine licentia parochi licet archipresbytero collegiatæ in actu benedictionis dandæ infirmis in articulo mortis. — 7. Parochi civitatis possunt in publicis processionibus, in quibus intervenit capitulum cathedralis sacris paramentis indutum, incedere cum stola.—8. Regulares non possunt benedicere agros, et maledicere locustas cum stola sine licentia parochi. — 9. Sacerdotes accedere debent ad communionem cum stolis albis a collo pendentibus, et diaconi cum stolis albis diaconalibus. — 10. Stola sacerdotalis quomodo gestanda a sacerdotibus. — 11. Stola diaconalis quomodo gestanda a diaconis. — 12. Stola cur ab episcopo non ducatur ante pectus ad formam crucis.— 13. Stola cur non utantur Romæ concionatores. — 14. Stola et cruce elevata potest deferri processionaliter cadaver ad ecclesias regularium per quascunque diœceses et parochias, etiam irrequisitis earumdem parochis ad n. 15.

(1. Stolæ delationem esse signum proprie denotans jurisdictionem et officium sacerdotale, tradit Glossa in l. unica, verb. *Fibulis*, cod. *Nulli licere;* et facit textus in cap. (77) *Cum sit* 6, De auctorit. et usu pallii; ubi quod archiepiscopus solum in ecclesiis suæ provinciæ pallio uti potest; secus extra c. *Ex tuarum* 8, eod. Quod enim operatur pallium inter episcopos, operatur stola inter sacerdotes. Theodosius Rubeus, *Singularium* part. III, in tit. *De præcedentiis* n. 64; Gratian., disceptat. 298, n. 75; Panimoll., part. II, dec. 169, n. 31 et seq.; Samuel., *De sepultur.*, tract. 1, disp. 4, controv. 7, n. 9, et disp. 4, controv. 12, n. 12; Monacell., t. XII, tit. 13, formul. 1, n. 77, ubi expresse dicit : « Nam stolæ delatio jurisdictionem importat. »

(2. Nullam autem importare jurisdictionem, si simpliciter deferatur sine ullo illius actuali exercitio, docet Pignatellus, tom. III, consultat. 48, n. 40, expresse dicens quod stola sine suo exercitio non est signum præcipuum jurisdictionis, sed vestis sacerdotalis, cap. *Ecclesiastica* 9, dist. 23, et, ut tradit S. Thomas, part. III, 9, *Supplement.*, art. 7 in corpor., est habitus proprius sacerdotis, et est veluti forma totius ornatus sacerdotalis, et deducitur ex concil. *Bracaren.* III, cap. 3, et *Toletan.* IV, cap. 39. Theodos. Rub. in ejus respons. impress. apud Gratian., cap. 298, n. 61; Panimol., part. III, decis. 270, n. 11; Rota, *in Savonen. Aggregationis* 15 Junii 1699, § *Non obstat, coram Pio*, ibi : « Non obstat quod stola sit signum jurisdictionis, ideoque non concedenda simplici sacerdoti, etc. Quapropter aliud stola significat in episcopo, aliud in simplici sacerdote, etc. Et propterea esse signum æquivocum, nec importare jurisdictionem, nisi illam deferens expleat parentalia. » Et *in Bisinianen. Præeminentiarum* 27 Januar. 1726, § final. *coram Calcagnino;* ubi quod delatio stolæ in actibus non funeralibus non est signum jurisdictionale, sed duntaxat distinctivum parochorum a cæteris presbyteris : et sic etiam alibi sæpe sæpius, ut refert probando Scarfantonus ad Ceccoper. ad p. III, addit. 39, sub num. 80. Et expresse declaravit Benedictus XIII, constit. incip. *Pretiosus*, § *Et ad tollendam*, ibi : « Declarantes, et, quatenus opus sit, decernentes, ac matura deliberatione mandantes crucis erectiones, stolæ delationem, et ingressus in ecclesias in omnibus et singulis enumeratis, ac cæteris quibuscunque similibus casibus, nullam penitus jurisdictionem importare, aut minimum in aliquo præjudicium cuicunque irrogare, aut quomodocunque, et quandocunque irrogare et inferre posse. »

(3. De qua tamen vide dicta sub verb. Parochus, art. 2, n. 67, ubi insuper adducuntur hinc inde plures sacrarum congregationum resolutiones, et Pontificum constitutiones quoad ingressum parochorum cum stola et cruce elevata in ecclesias regularium, prout etiam plures hinc inde quoad hoc referuntur a Pignatell., tom. V, consult. 48, et ab Ursaya, tom. I, part. II, discept. 14, et tom. IV, part. I, discept. 11, ubi in fine circa hanc diversitatem resolutionum adducit, quod habet doctissimus Faber, in *Epist. ad lector. sui cod.*, ibi :

(77) Stola *orarium* passim cum a Græcis, tum a Latinis vocatur; quamvis Græci id nominis stolæ diaconali non sacerdotali tribuant, quæ apud illos latior est orario nostro, nec ullis litterarum notis, aut cruciculis intexta, ut orarium episcopale. Mos olim fuit, ut a recens ordinatis cum presbyteris, tum diaconis stola passim gestaretur; imo diaconi per annum integrum post susceptum diaconatus ordinem jugiter stolam gestare debebant. Hinc cum in Bracarensi provincia diaconi « absconsis infra tunicam uterentur orariis, ita ut nihil differre a subdiaconis viderentur, » *Bracarense* concilium id vetuit can. 27. *Vide* Georgium, *De liturg. Rom. Pont.*, tom. I, lib. I, cap. 20, qui n. 4, mysticas quoque quasdam stolæ significationes in medium affert.

Digitized by Google

« Idem plane senatus, sed non iidem senatores, » quem secuta est Rota, decis. 181 in princip., *coram Emerix jun.*, et plures etiam alias hinc inde resolutiones adducit ipse citato tomo IV, part. III, discept. 6.

(4. Capellani confraternitatum nequeunt deferre stolam in processionibus quæ fiunt extra suarum confraternitatum ecclesias, ut probant decreta congesta a Pignatell., tom. VIII, consult. 73, n. 21, et per viam legis generalis decrevit sacra. congr. Rit., die 10 Decembr. 1663, in responsione ad 23 dub., et sacra congreg. Concil., *in Cremonen.*, die 24 Januar. 1706, ad 10 dub., ubi, orta controversia inter capellanos confraternitatis Casalis Majoris aggregatæ archiconfraternitati mortis et orationis urbis et parochum dicti loci super delatione stolæ deferendæ per dictos capellanos in functionibus et processionibus, partibus informantibus, declaravit eos extra oratorium confraternitatis stolam deferre non debere, nec posse, non obstantibus decisionibus Rotæ, *in Savonen. Aggregationis* 27 Junii 1598, *coram Pio*, et 13 Junii 1699, *coram eodem*, et 15 Jan. 1700, *coram dell'Olmo*, et 13 Junii 1601, *coram Molines decano;* quæ afferebantur in Summario confraternitatis; sic refert Monacell., tom. II, tit. 13, formul. 1, num. 78. Et sic etiam ead. sacra cong. Conc., *in Novarien. Aggregationis* 24 Septemb. 1718, ad 6 dub., *apud Thesaurum resolution. sacræ congr. Conc.*, tom. I.

(5. Stolam deferre in processionibus et funeribus non competere archipresbytero collegiatæ privative quoad alios parochos, respondit sacra congregat. Concil., *in Derthonen. oppidi Novarum Jurium parochialium* 3 Decembr. 1718 ad 11 dub.

(6. Stolam et superpelliceum deferre sine licentia parochi licere archipresbytero collegiatæ in actu benedictionis in articulo mortis dandæ infirmis, ad quos accessit, respondit sac. cong. Conc., *in d. Derthonen.* ad 14 dub.

(7. Parochi civitatis possunt in publicis processionibus, in quibus intervenit capitulum cathedralis, sacris paramentis indutum, incedere cum stola. Sacr. Rit. congr., *in Ariminen.* 24 Januar. 1728, apud Scarfantonum ad Ceccoper., part. III, addit. 23, sub n. 5.

(8. Regulares non possunt benedicere agros, et maledicere locustas cum stola sine parochi licentia; supplicante enim in sacr. congr. Concil. procuratore generali Capuccinorum declarari : « Primo, an regulares dicti ordinis requisiti ab agrorum dominis, possint absque licentia parochi benedicere agros, et maledicere locustas, et brucos, et cæteros hujusmodi vermes, et quatenus affirmative. Secundo, an in hujusmodi functionibus peragendis uti possint stola absque licentia parochi. » Sacr. congr., die 28 Augusti 1688, respondit ad utrumque, *Negative;* apud Monacell., *loco citat.*, num. 79.

(9. Sacerdotes ad communionem generalem in feria V, in Cœna Domini accedere debent cum stolis albis super cottam a collo pendentibus. *Cæremonial. episcop.*, lib. II, c. 29, § 3; Merati, tom. I, part. IV. tit. 8, *De feria* V *in Cœna Domini*, n. 7. Et diaconi ad ipsam accedere debent cum stolis diaconalibus albis. Merati, *loc. cit.*, n. 8, et alii.

(10. Stola sacerdotalis cum alba, est aptanda et gestanda in modum crucis; soluta vero, et pendens a collo hinc inde, si cum superpelliceo, vel pluviali, aut sine eo adhibetur. Cum superpelliceo enim ligari in modum crucis non potest. Gavant. et Merati, tom. I, part. I, tit. 10, rubrica 4, vers. *Stola;* et alii.

(11. Stola autem diaconalis aptanda et gestanda est a diaconis ab humero sinistro pendens sub dextrum; quia ab ipsis fertur super uno tantum humero sinistro sub axillam dexteram connexa, ad distinctionem sacerdotum, qui utroque humero eam portant, ut supra; fertur autem a sinistro humero ad latum dextrum ex concil. *Bracaren.* I, cap. 27, ut ab activa vita laboriosa, ad contemplativam suavem diaconus transeat; Honorius, in *Gemma*, lib. I, cap, 240. Vel ut portet hic jugum domini in sinistra, id est in præsenti vita, cum spe quietis futuræ in dextra; Durand., lib. II, cap. 9 : quæ ratio valet etiam pro sacerdote. Cæterum dexteram diaconi partem vult esse liberam ob ministerium altaris; concil. *Toletan.* IV, c. 39. Sic Gavant. et Merati, *loc. cit.*, rubrica 7, vers. *Diaconus cum stola.*

(12. Episcopus non ducit stolam ante pectus in modum crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere, et antequam accipiat stolam, accipit parvam crucem pectoralem. Sic rubrica *Missal.*, part. II, tit. 1, num. 4. Et ideo non ducit stolam in modum crucis, quia ante pectus gestat ejus loco crucem pectoralem, quam ante stolam accipit, ut notat Innocentius III, cap. 53, apud Gavant. et Merati, tom. I, part. II, tit. 1, rubrica 4, ubi Merati notat, quod in recentibus Missalis Romani rubricis, post illa verba, *Si celebrans sit episcopus*, adducuntur hæc alia, *vel abbas, ut supra*, ex quibus deducitur, quod ducere stolam in modum crucis ante pectus, convenit etiam abbatibus pontificalium usum habentibus, præsertim quando pontificaliter celebrant.

(13. Stola super cottam non utuntur Romæ concionatores ob reverentiam Papæ, qui extra sacramenta stola utitur. Gavant. et Merati, tom. I, p. II, tit. 6, vers. *Orator Romæ.*

(14. Alia ad rem. *Vide* verb. PAROCHUS, art. 3, n. 36, ubi, quod occasione funerationis cadaverum, alterius diœcesis, aut parochiæ in ecclesiis regularium, potest proprius parochus defuncti ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad dictas ecclesias libere transire per quascunque diœceses et parochias cum stola et cruce elevata, etiam irrequisitis eorumdem parochis. Sic expresse sacra congregat. Episcopor. et Regular., *in Placentina* 24 Novembr. 1713, ad 1 dub.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(15. Delatio stolæ non semper est signum

Digitized by Google

jurisdictionis. Si actus, in quo stola defertur, sit indifferens, etiam actus indifferens est actus delationis ipsius stolæ. Contra si jurisdictionalis sit actus in quo defertur stola, signum jurisdictionis est actus ipsius delationis. *Vide* Rotam, *in Tranen. Præeminentiarum super reservatis* 23 Junii 1723, *cor. bon. mem. Gamaches*, ubi et de usu hujus distinctionis in praxi.

STUPRATOR, STUPRUM.

Hæc adnotasse expediat.

(1. Stuprum stricte et proprie sumptum est violenta defloratio puellæ virginis, seu est concubitus cum puella virgine ipsa invita seu per vim coacta. Sic in re communis doctorum. (2. Ponitur autem ly *violenta*, seu *ipsa invita*, seu *per vim coacta*, ut excludatur copula in quam consentit virgo, quia talis copula, in quam consentit virgo, pertinet potius ad simplicem fornicationem, quam ad stuprum stricte et proprie sumptum. *Communis.*

(3. Censetur vero virgo violenter seu per vim coacta deflorari sic ut ejus defloratio dicatur stuprum stricte et proprie sumptum, quando vi, timore, dolo, fraude aut facta promissione matrimonii, et hujusmodi decipitur et inducitur ad copulam. *Communis.* (4. Dicitur autem notanter in definitione puellæ virginis, seu cum *puella virgine*, ut excludatur concubitus etiam violentus corruptæ, seu illius quæ antea copulam habuerat, quia ille violentus concubitus non est stuprum, cum non sit violatio integritatis virginalis. *Communis.*

(5. Stuprum igitur est gravissimum et speciale luxuriæ peccatum ob gravissimam injuriam, quam stuprator infert puellæ virgini et ejus parentibus. *Communis.* (6. Unde stuprator tenetur in foro conscientiæ, aut illam ducere in uxorem, aut illam honeste dotare secundum sui possibilitatem et viri prudentis arbitrio. *Communis.* Arg. cap. *Pervenit* 2, De adult. et stup.

(7. Alia ad rem. *Vide* verb. Dos, art. 2, num. 14 ad 38, ubi late de omnibus.

ADDITIONES CASINENSES.

(8. Sub v. Dos, art. 2, n. 14, rite tradidit auctor cum *Communi*, quod deflorator, qui per vim vel metum injuste incussum virginem violavit, non teneatur illam præcise ducere, sed possit sub alternativa *vel* accipere eamdem in uxorem, *vel* dotare.

(9. Si vero deflorator hujusmodi, defectu mediorum, puellam dotare, aut damnum injuste illatum resarcire non potest, tenetur in utroque foro eam ducere, si puella eum velit, et *conditionis notabiliter inferioris* non sit. Prima pars conclusionis de externo foro videtur certa, eo quod licet *in alternativis debitoris sit electio, et sufficiat alterum impleri* cap. *In alternativis* 70, De reg. jur. in 6; tamen si debitor unum ex his non vult aut potest præstare, ad alterum tenetur, hoc ipso quod ad alterutrum obligetur; consequenter cum iniquus deflorator in foro externo in pœnam delicti, aut ducere, aut dotare teneatur defloratam, si dotare sufficienter non potest, ducere tenebitur. Quod si deflorator ducere noluerit, debitis juris remediis, etiam excommunicatione compelli debet, quamvis finaliter cogi non possit. Reiffenst. *De sponsal.*, num. 111.

(10. Dixi, *Si puella conditionis notabiliter inferioris non sit*; quippe neque violentus, aut injustus corruptor virginis sine promissione matrimonii obligatur ducere illam quæ longe inferioris conditionis est, etiamsi damnum ei illatum pecunia seu augmento dotis resarcire non possit; quia, generatim loquendo, in omnibus debitis, etiam quæ ex delicto descendunt, non tenetur debitor cum notabiliter majore suo damno restituere, sive solvere creditori, quam sit valor ipsius debiti, sive quando nequit solvere, seu reparare damnum, nisi cum longe majore suo damno, quam sit id quod intulit alteri : sufficiet ergo hoc casu, ut si longe majus damnum stupratori ex matrimonio cum femina corrupta inito sequeretur, quam sit illud quod ipsi per stuprum illatum fuit, aliis mediis, quibus poterit, data opportunitate, illud compensare procuret. Ita Pirrhing, ad tit. *De adulteriis et stupro*, num. 46. Eademque in terminis habet Schmalzgrueber, ad tit. cit., n. 54.

(11. Qui vero defloravit virginem vero et sincero animo ei promittendo matrimonium, si consenserit in copulam, tenetur stare promissis, et ducere defloratam, sive fuerit virgo seu honesta vidua. Est certa et communis sententia. Ratio est quia ex contractu oneroso obligavit se ad rem, quam licite exsequi potuit, videlicet, se ducturum illam in uxorem, etsi non absolute, sed conditionate; ergo postquam femina implevit conditionem (quamvis illicite), et ex parte sua complevit contractum, etiam ipse tenetur illum complere, cum licite id possit ac debeat, eamque ducere, alioquin enim illa injuste deciperetur. Ita in terminis cit. Pirrhing, ad tit. cit. *De adulteriis et stupro*, num. 54.

(12. Neque in hoc casu admittitur *alternativa*, nempe ut vel *ducat* hujusmodi defloratam, vel *dotet*; nam *alternativæ* locus est in stupro sine promissione matrimonii secundum dicta hic supra, non autem in casu de quo sermo est. Schmalzgrueber, cit. tit. *De adulteriis*, etc., n. 30. Unde talis in utroque foro tenetur eam ducere, nec satisfacit dotando. *Communis.* Idemque juris est ex sententia Reiffenstuel, aliorumque ab eo cit. ad tit. *De sponsal.*, num. 115, etiamsi sub *ficta* spe ac promissione matrimonii quis feminam ad copulam induxerit.

Digitized by Google

Audiamus insuper divum Alphonsum de Ligorio in hac re ita disserentem :

« Cum promissio matrimonii inest, defloratur tenetur puellam ducere, non solum cum promissio est vera, sed etiam cum est ficta, ut tenendum est cum S. Thoma, quem communiter sequuntur S. Anton., Sanchez, Lugo, Tambur., Salmant., Croix, Viva, etc., contra pauciores, qui obligant ad reparandum solum damnum. Ratio est ... quia in contractibus non nominatis *do ut des*, et hujusmodi, cum alter præstat suam partem, alter, licet ficte promiserit, pariter tenetur ex justitia præstare suam, non secus ac si vero ex animo promisisset, dum hoc necesse est, ut a contractibus fraudes, quæ cum damno communi impedirent commercium humanum, removeantur. Et idem dicendum cum Lugo, et Salmant. contra Sanchez, si quis ficta matrimonii promissione viduam bonæ famæ cognosceret (78). Hoc (prosequitur de Ligorio) procedit quoad conscientiam; sed quoad forum externum hic obiter notamus, quod avertit continuator Tournely, (quod) valde utile esset ad impedienda hæc tam frequentia facinora, si episcopi et magistratus irritas omnino declararent omnes istas matrimonii promissiones etiam juramento firmatas, nisi plene testimoniis et scripturis validis hæ constarent. » *Homo apostolic., De septimo præcept. Decal.*, punct. 6, n. 93 (79).

(13. Doctrina hactenus tradita, nempe quoad ducendam defloratam, sequentes limitationes patitur. Audiamus prælaudatum S. Alphonsum in hæc verba :

(14. « Limitatur sententia præfata circa obligationem defloratoris cum ficta promissione, I : Si mulier ex verbis, aut aliis circumstantiis de facili animadvertere poterat deceptionem; ut esset, sicut dicunt communissime Lugo, S. Anton., Nav., Silvest., Salm., Busembaum cum S. Thoma, si vir esset longe nobilior et ditior; quia tunc, ut dicit Angelicus, merito præsumi potest quod mulier finxit aut voluit decipi, sed revera decepta non est... Item dicunt probabiliter Sanchez, Lugo, Less., Salm., Viva, et alii, hoc procedere, etiamsi puella disparitatem ignoraverit; quia si adesset præcisa obligatio matrimonii, tunc vir teneretur reddere aliquid excedens æqualitati debitæ injuriæ illatæ : unde tunc sufficiet ut curet reficiendum damnum eam dotando. »

« Contra (prosequitur D. de Ligorio) si mulier poterat percipere disparitatem, probabilius est... non teneri tunc ne damnum quidem reparare, sicut etiam expresse docet S. Thomas (*Suppl.* 46, art. 2 ad 4) sic dicens : « Et etiam quoad hoc (nempe ad « damni reparationem) non tenetur, quia « præsumi probabiliter potest quod sponsa « non fuerit decepta, sed decipi se finxe« rit. »

(15. « Limitatur II (sic idem de Ligorio) : Si ex matrimonio pessimus timeretur exitus (80). (16. Limitatur III : Si mulier remitteret defloratori obligationem se ducendi cum hæc remissio valida sit... (17. Limitatur IV : Si matrimonium non posset perfici a viro sine familiæ dedecore; nam tunc non tenetur ad matrimonium, licet promissio esset vera, cum tunc sit invalida, sicut de re illicita. (18. Limitatur V : Si vir adhibet tantum tactus cum virgine, ut dicunt Sanchez, Nav., Lugo et Croix, quia soli tactus non sunt tantæ injuriæ, ut inducant obligationem ineundi matrimonium ficte promissum, nec tanti ponderis, ut non ingerant mulieri suspicionem fictionis ; modo (excipitur) mulier non esset nobilis aut honesta; aut modo vir non requisivisset, nisi solos tactus cum nuptiarum promissione, et propter illos jam patefactos, aut saltem familiaritate divulgata, puella remaneret infamia notata. (19. Limitatur VI : Si vir puellam censebat virginem, sed corruptam inveniret : ita communiter; et eo casu dicitur juxta sententiam probabiliorem... quod vir non tenetur aliquid dare ratione copulæ traditæ, nisi adesset pactio expressa, aut nisi ex tali facto, mulier remaneret infamia notata. (20. Limitatur VII : Si ipsamet puella repugnaret nuptias contrahere, quia vir tunc non tenetur ad aliud. » *Ibid.*, num. 94 et seqq.

(21. Dubitatur an habens votum castitatis, virginem deflorando, teneatur eam ducere? Negant Laym., Salm. et Conc., sed recte affirmant Lugo, Sanchez, Vasquez, Tamb., Spor. et Croix, nec agnosco utrum opposita sententia probabilis judicanda sit, quia, ut servetur bona fides in contractibus, ficte promittens tenetur præstare partem suam, ac si vere promisisset, cum alter contrahentium partem suam adimplevit... 2. Quod defloror si promittere nequibat matrimonium, poterat saltem promittere impetrationem absolutionis a voto; et ad hoc jam

(78) Id ipsum tradit idem D. de Ligor., in *Theol. mor.* De sept. Dec. præcept., n. 642, ibi : « Ratio est quia aliter, si defloror virginem deceptam non ducat, nunquam ei reddet æquale, nec damnum adæquate reficiet. Ratio 2, quia in contractibus innominatis *do ut des, facio ut facias*, quando alter ex sua parte implevit, tenetur alter implere ex justitia, quamvis ficte contraxerit. Ut enim humanum commercium recte servetur, ipsum jus naturæ exigit ut omnis fraus a contractibus absit : et propterea obligat decipientes, ut in pœnam suæ fraudis teneantur ita reddere omnino indemnes proximos deceptos, ac si nulla fraus intercessisset. Unde, sicut in aliis contractibus, tenetur ex. gr. venditor tradere domum venditam, pro qua pretium jam accepit, quamvis ficte contraxerit, juxta communem sententiam, ita in casu præsenti defloror, etiamsi aliunde posset damnum resarcire, tenetur omnino matrimonium promissum contrahere. »

(79) Cæterum si defloror hujusmodi matrimonium cum alia ineat, etsi illicitum, validum utique erit, per manifesta juris principia, non secus ac in sponsalibus in genere.

(80) « Item dicunt Sanchez cum S. Ant. et Salm. cum Dicast. si timeantur magna scandala, vel rixæ inter consanguineos contrahentium. » Idem S. Alph. de Ligor., *Theol. mor.*, lib. III, De sept. Dec. præcept., n. 644

Digitized by Google

se obligavit promittendo matrimonium, dum qui ad finem tenetur, tenetur etiam ad ponenda media, nempe ad impetrandum dispensationem, et casu quo eam obtinere non posset, tenetur saltem ad compensandum damnum. Hæc in terminis habet prælaudat. S. Alphonsus, cit. *Homo apost.*, n. 97, quæ eadem docet Sanchez, *De matrim.*, lib. I, disputat., 10, n. 3 et seqq.

(22. « Dubitatur 2, ad quid teneatur violans virginem sibi conjunctam sub matrimonii promissione? Si promissio fuit vera, et intercessit pactum impetrandi dispensationem, communis est sententia, promissionem esse validam, et obligare prius ad dispensationis impetrationem, et deinde ad matrimonium, quoties hujusmodi dispensationes solent concedi. Idem dicimus si promissio fuerit ficta, nec mulier potuisset fictionem animadvertere; nam promittens tenetur efficere omne id quod facturus fuisset si promissio fuisset vera. Si tamen ille inculpabiliter non advertisset ad impedimentum cognationis, quod aderat, et pro dispensatione opus esset magno incommodo aut sumptu, ad tantum non tenetur, tenetur autem ad damni refectionem, sicut quilibet alius injustus deflorator. » Anted. D. de Ligorio, *ibid.*, num. 98.

SUBCOLLECTOR APOSTOLICUS.

SUMMARIUM.

1. Subcollectores cameræ Apostolicæ in causis spoliorum et jurium præfatæ cameræ exempti sunt a jurisdictione ordinariorum. — 2. Subcollectores Apostolici tanquam prorsus exempti non comprehenduntur sub decreto concilii, sess. VI, *De reform.*, cap. 4, et sess. VII, cap. 1, et sess. XXV, cap. 6, *De reformat.* — 3. Subcollectores Apostolici non possunt visitari nec corrigi ab episcopo. — 4. Subcollectores et commissarii spoliorum non comprehenduntur sub dispositione ordinariorum, sed nuntii Apostolici juxta eorum privilegia. — 5. Subcollectorum privilegia non suffragantur illis qui non resident in diœcesi, cujus sunt deputati subcollectores. — 6. Imo sacra congregatio non probat quod quis deputetur subcollector in aliena diœcesi. — 7. Et sic deputati non sunt exempti ab ordinario loci ubi beneficium habent. — 8. Subcollectorum spoliorum causæ ad nuntium pertinent. — 9. Subcollectores si non serviunt amplius, subsunt jurisdictioni ordinarii. — 10. Parochi aliique beneficiati residentiales non debent deputari subcollectores; et si deputantur, non sunt exempti quoad onera beneficii. — 11. Unde episcopus potest eos cogere ad residentiam et ad solvendum punctaturas. — 12. Quod dictum est de curatis, intelligitur, etiamsi sint archidiaconi vel archipresbyteri, vel in alia dignitate constituti. — 13. Potest episcopus exsequi suam sententiam latam contra suum clericum, antequam esset subcollector, vel etiam post, si antea inceptum fuerat judicium. — 14. Si subcollectores administraverint redditus capitulares, compelli possunt ab ordinario ad reddendas rationes; sed si fuerint in fraude deprehensi, puniuntur a suo judice. — 15. Potest episcopus cogere etiam clericos subcollectores, ut synodis intersint, et ad publicas processiones accedant. — 16. Subcollector absque licentia ordinarii alloquens moniales potest excommunicari. — 17. Subcollectoris delictorum saltem notoriorum informationem potest capere ordinarius, vel capi facere ad effectum transmittendi suis superioribus. — 18. Subcollectores subjecti sunt episcopo quoad celebrationem missarum, et alias functiones ecclesiasticas, et quoad onera ipsi ratione beneficii incumbentia. — 19. Non potest tamen episcopus illos a divinis suspendere ob delicta occulta, sicut cæteros subditos. — 20. Subcollector spoliorum nequit percipere distributiones quotidianas, dum ratione officii subcollectoris choro non assistit. — 21. Episcopus, si in sua diœcesi omnes canonici, vel eorum major pars prætextu officii subcollectoris prætendant exemptionem a sua jurisdictione, debet facere verbum cum sanctiss. — 22. Subcollectores et commissarii pro locis exemptis, sed habitantes in civitate episcopo subdita, non gaudent exemptione a jurisdictione ordinarii. — 23. Alia ad rem, num. 45.

(1. Subcollectores cameræ Apostolicæ, advocati, procuratores, fiscales et notarii in causis spoliorum et jurium præfatæ cameræ, eorum officio durante, sunt exempti a jurisdictione ordinariorum. Ex litteris Pauli III, Pii IV, Gregorii XIII et Sixti V, quarum meminit Joann. Anton. Novarr., in *Summ. Bullar.*, tit. *De subcollectoribus*, et Barbosa, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Subcollector.*, num. 1.

(2. Subcollectores Apostolici tanquam prorsus exempti non comprehenduntur sub decret. concil. *Tridentin.*, sess. VI *De reformat.*, cap. 4, et sess. VII, cap. 1, et sess. XXV, cap. 6, *De reform.* Sacra congregat. Concil., penes Gonzal., ad Regul. 8 *Cancellar.*; Glossa 51, num. 81 et 82, et Barbosa, *loco cit.*

(3. Subcollectores Apostolici non possunt visitari, nec corrigi ab episcopo. Sacra congreg. Concil. *in Senogallien.* 11 Julii 1590, apud Barbosam, *loc. cit.*, num. 5.

(4. Subcollectores, vel commissarii spoliorum non comprehenduntur sub dispositione ordinariorum, sed nuntii Apostolici juxta eorum privilegia. Sacra congreg. Concil., apud Barbos., *loc. cit.*, n. 6.

(5. Subcollectorum privilegia non suffragantur illis qui non resident in diœcesi, cujus sunt deputati subcollectores. Sacra congregat. Episcop., *in Pistorien.* 9 Februarii 1624, apud Nicol., in *Flosculis*, verb. *Subcollector*, n. 1.

(6. Imo sacra congregatio non probat quod quis deputetur subcollector in aliena diœcesi. Eadem sacra congreg., *in Pistorien.* 9 Septembr. 1625, apud eumdem, *loc. cit.*, n. 1. (7. Et sic deputati non sunt exempti ab ordinario loci ubi beneficium habent. Eadem sacra congreg., *in Venafren.* 9 Decembr. 1654, apud eumdem, *ibid.*, sub n. 1.

(8. Subcollectorum spoliorum causæ ad nuntium pertinent. Sacr. congr. Episc. 14 Decemb. 1619, apud Gavant., in *Manual. episc.*, verb. *Spolia clericor.*, num. 14.

(9. Subcollectores cameræ Apostolicæ, si non serviunt amplius, sub ordinario sunt. Sacra congreg. Episc. 1 Octobris 1602, apud

Digitized by Google

Gavant., *loco cit.*, verb. *Exempti*, n. 9, et sac. congreg. Concil. 14 Aprilis 1646, quæ apud Nicol., *loc. cit*, num. 4, expresse censuit quod subcollectores amoti, vel amplius non servientes, non gaudent exemptione ab ordinarii jurisdictione.

(10. Curam animarum, vel aliud servitium ecclesiasticum personalem residentiam requirens, obtinentes, non debent deputari subcollectores, et si deputantur, non sunt exempti quoad onera beneficii. Sac. congreg. Episc., *in Asculana* 19 Aprilis 1606, et *in Acerren.* 23 Maii 1614, apud Nicol., *loc. cit*, num. 2. Et quod subcollector non excusetur a residentia parochiali, decrevit etiam sacr. congreg. Concilii, apud Barbosam, *loco cit.*, num. 3.

(11. Unde episcopus cogere potest eos ad residentiam et ad solvendum punctaturas. Sacra congr. Episc., *in Marsican.* 20 Junii 1614, et *in Avellina* 12 Maii 1617.

(12. Et quod dictum est de curatis, intelligitur etiamsi sint archidiaconi vel archipresbyteri, vel in alia dignitate constituti. Eadem sac. congr. Episcop., *in Neapolitana Nullius motulæ* 23 Augusti 1652, apud Nicol., *loc. cit.*, n. 3.

(13. Potest episcopus exsequi suam sententiam latam contra suum clericum, antequam esset subcollector, vel etiam post, si antea fuerit incœptum judicium. Sacr. congr. Episc., *in Policastren.* 13 Maii 1617, *in Squillacen.* 30 Maii 1626, *in Hieracen.* 24 Martii 1628, apud Nicol., *loc. cit.*, n. 7.

(14. Si subcollectores administraverunt redditus capitulares, compelli possunt ab ordinario ad reddendas rationes, sed, si fuerint in fraude deprehensi, puniuntur a suo judice. Eadem sacr. congr. Episcop. 8 Junii 1646, apud eumdem, *loco cit.*, n. 6.

(15. Potest episcopus cogere etiam clericos subcollectores, ut synodis intersint, et ad publicas processiones accedant. Sacra congr. Concil., *in Cajacensi* 31 Martii 1654, apud Pignatell., tom. I, consult. 479.

(16. Subcollector absque ordinarii licentia alloquens moniales potest excommunicari. Sacra congreg. Concil., *in Hipporegien.* 13 Maii 1628, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 7, et Tamburin., *De jure abbatissar.*, disp. 25, q. 4, n. 6.

(17. Subcollectoris delictorum saltem notoriorum informationem potest capere ordinarius, vel capi facere ad effectum transmittendi suis superioribus. Eadem sacr. congr. Concil., *in dicta Hipporegien.* 13 Maii 1628.

(18. Subcollectores subjecti sunt episcopo quoad celebrationem missarum, et alias functiones ecclesiasticas, et quoad onera ipsis ratione beneficii incumbentia. Sacra congr. Conc. 24 Maii 1664, apud Monacell., tom. IV, *Supplem. ad tom.* III, n. 87.

(19. Non potest tamen episcopus illos a divinis suspendere ob delicta occulta, sicut cæteros subditos. Sacr. congr. Concil., *in Vercellen.* 24 Novembr. 1671, apud Monacell., *loc. cit.*, n. 88.

(20. Subcollector spoliorum nequit percipere distributiones quotidianas, dum ratione officii subcollectoris choro non assistit. Sacr. congr. Concil., *in Cassanen.* 9 Febr. 1647, ad cap. 12, sess. XIV, *De reform.*, et plures alii teste Pignatell., tom. I, consult. 327.

(21. Episcopus, si in sua diœcesi omnes canonici, vel eorum major pars prætextu officii subcollectoris prætendant exemptionem a sua jurisdictione, debet facere verbum cum sanctissimo. Sacr. congr. Concil., *in Anagnina* 16 Novemb. 1652 ad cap. 10, sess. XXIV *De reform.*, apud Pignatell., consult. 389.

(22. Subcollectores et commissarii pro locis exemptis, sed habitantes in civitate episcopo subdita, non gaudent exemptione a jurisdictione ordinarii. Sacra congr. Conc., *in Caputaquen.* 11 Martii 1722, sic refert Ursaya, in *Miscellaneo* 1 *sacro et profano*, litt. *S*, n. 246.

(23. Subcollectores Apostolici sunt quidem exempti a jurisdictione ordinarii, ut liquet ex constitut. 40 Gregorii XIII, t. IV, part. III *Bullar. nov.*, p. 293, et constitut. 47 Urban. VIII, tom. et ex jam allatis hucusque, sed cum multis limitationibus, nempe quod non obstantibus suis privilegiis adhuc subdantur jurisdictioni ordinarii in rebus respicientibus aut curam animarum, si quam exerceant, aut servitium ecclesiæ, si canonicatum aliudve beneficium possideant, et in pluribus aliis, ut patet in sequenti decreto sacræ congregationis Concilii, approbante san. mem. Innocentio XI edito, quod ad uberiorem notitiam hic ad litteram datur una cum suis declarationibus seu additionibus emanatis a Benedicto XIII 23 Maii 1725.

DECRETUM

Sacræ congregationis Concilii circa subcollectores latum die 27 Februarii 1677.

(24. Die 27 Februarii 1577, sac. congr. EE. S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum ad occurrendum controversiis ac querimoniis circa subcollectores spoliorum, aliosque commissarios cam. Apostolicæ, præsertim regni Neapolitani ad eamdem sacr. congreg. delatis salubriter intenta, auctoritate etiam a S. mem. Clemente IX, et sanctissimo D. N. Innocentio XI tributa, prævia matura consultatione, statuit ac decrevit, ut in posterum in singulis infra scriptis diœcesibus, videlicet Aquinaten., Acerrarum, Aliphana, Avellina, Asculana in Piceno, Asculana in Apulia, Atrien., Bisacciarum, Bitecten., Bituntina, Brundusina, Bellicastren., Boven., Carinolen., Calven., Cajacen., Casertan., Campanien., Capritan., Conversan., Cotronen., Castren., Castellaneten., Civitatis ducalis, Camplen., Cariaten., Fundana, Frigentin., Guardien., Gravinen. Gallipolitan., Isclan., Insulan., Juvenacen., Literen., Lavellen., Laquedonien., Motulen., Massulubren., Marturanen., Minerbinen., Monopolitan., Melphiten., Minoren., Marsicen., montis Marani, montis Pelusii, Melphien., Murana, Nuscana, Nicoteren., Nucerina., Ostunen., Oritan.,

Digitized by Google

Ortonen., Pennen., Puteolan., Polignanen., Ravellen., Ruben., Rossanen., Rapollen., Reatina, Surrentina, Suessana, S. Agathæ, Satrianen., Stabien., seu Castri Maris, Sarnen., S. Severi, S. Angeli Lombardorum, Trojan., Theanen., Thelesina, Trivicana, Tranen., Ugentin., Umbriaticen., Vican., Vulturarien., Vestan., Venusina, Valven., Vigilien., Venafrana;

(25. Et in singulis pariter infrascriptis locis exemptis, seu nullius diœcesis, videlicet Canusii, Cerignolæ, Casalis novi, Cetrani, Centolæ, Castri S. Laurentii, Castellan., Carbanarien., Brosii, Frasan., montis Virginis, montis Casini, Marubii, Putignani, Rutiliani, S. Stephani de Nemore, Sanctissimæ Trinitatis Caven., S. Angeli ad Fasanellen., S. Vincentii de Vulturno, Terlitii, et aliis, in quibus fortasse hactenus subcollectores deputari solitum fuit, unicus subcollector.

(26. In sequentibus vero, scilicet, Aprutina, Aversana, Arianen., Amalphitan., Alexanen., Aquilana, Baren., Bojanen., Bovinen., Bisinen., Canaven., Capuana, Compsan., Cathacen., Hieracen., Hidruntina, Isernien., Latinen., Lycien., Marsorum, Nolan., Neritonen., Neocastren., Oppiden., Policastren., Potentin., Rheginen., Surana, Sypontina, Sulmonen., Squillacen., S. Severinæ, S. Marci, Theatina, Termularum, Triventin., Tarentin., Tricaricen., et Tropien., duo tantum.

(27. In sequentibus, nimirum: Acherontin. et Materanen. unicus, in Anglonen., Beneventan., Cosentin., Caputaquen., Cassanen., Mileten. et Salernitan. non plures quam tres, et in Neapolitana decem subcollectores, et non ultra, respective deputentur et exerceant.

(28. Ad evitandam autem confusionem remisit arbitrio nuntii dividere et assignare cuilibet subcollectori partem diœcesis, seu loca, intra quorum limites debeat in exercitio se continere.

(29. Et ne semel in subcollectores deputati necessitatem inducant multiplicandi alios subcollectores renuntiando officium, licet possint in eo continuare, et idonei sint, declaravit nullum subcollectorem post renuntiatum officium gaudere exemptione ab ordinario, nisi laudabiliter exercuerit, saltem per duodecim annos;

(30. Eos vero qui in officio, aut aljas ita deliquisse comperti fuerint, ut a nuntio amoveantur, et alii eorum loco deputentur, nullatenus exemptione hujusmodi gaudere; et econtra illos, qui probe ac fideliter se gesserint, velintque in officio continuare, confirmandos esse a nuntio, nec alios eorum loco deputari posse.

(31. Præterea, attenta subcollectorum hujusmodi multitudine et causa a san. mem. Urbano VIII, in sua constitutione 35, considerata, concedendi illis exemptionem censuit expedire, ut sanctissimus declaret, ita esse intelligendam dictam constitutionem, ut subcollectores, terminato officio non gaudeant amplius exemptione, defuncto, vel alias deficiente ordinario in cujus tempore exercuerunt. Sicuti etiam declaravit illos qui, licet in subcollectores deputati fuerint, nunquam exercuerunt, minime gaudere; nec pariter illos qui non resident in diœcesi pro qua sunt deputati, et ordinarium certiorare debere sac. congregationem de dicta non residentia, ejusque provisionem exspectare;

(32. Generaliter vero subcollectoribus exemptionem ab ordinario in civilibus non suffragari, nisi adesset in diœcesi judex a nuntio deputatus, qui habeat tantummodo facultatem in causis passivis, et nullo privilegio aut exemptione gaudeat.

(33. Quod vero attinet ad substitutos et officiales subcollectorum, declaravit dd. substitutos non gaudere exemptione, illam tantum concedendam esse uni tantum notario pro quolibet subcollectore in actu exercitii, et quoad commissarios super illicitis negotiationibus, aut ad alias causas particulares deputatos non gaudere exemptione, nisi in actu exercitii, et tam commissarios hujusmodi quam subcollectores, quando procedunt contra denuntiatos, vel alios inquisitos de illicitis negotiationibus, si ex processu informativo constet de eorum innocentia, non posse illos cogere ad expensas ejusdem processus et decreti absolutorii.

(34. Et quod majoris momenti est, ne prætextu hujusmodi officii cura animarum, servitium ecclesiæ ac divini cultus, morumque honestas detrimentum patiatur, declaravit, parochos in subcollectores, aut commissarios ad quascunque causas particulares non esse deputandos, sicuti nec pœnitentiarium nec theologum. Quod si post deputationem de aliqua parochiali, aut pœnitentiali, vel theologali præbenda fuerint forlasse provisi, tunc minime gaudere exemptione in concernentibus curam animarum, et respective adimplementum onerum ipsarum præbendarum, et eadem ratione non gaudere canonicos, et alios beneficiatos subcollectores in concernentibus servitium ecclesiæ, et adimplementum onerum ipsorum canonicatuum et beneficiorum, nec lucrari distributiones quotidianas, si non inserviant; insuper teneri ratione beneficiorum quæ obtinent ad publicas processiones accedere, solvere cathedraticum et subsidium charitativum, et interesse synodo ac visitationi, non tamen pluries quam semel in anno. Posse vero solummodo cogi ab ordinario ad exsequendam visitationem in iis, quæ respiciunt cultum divinum; ipsumque ordinarium posse procedere contra subcollectores accedentes sine ejus licentia ad monasteria monialium, aut non servantes præceptum communionis paschalis, et contra percutientes presbyterum vel clericum posse procedere ad declaratoriam excommunicationis ex can. *Si quis suadente*; et si quando repererit aliquem subcollectorem in publico concubinatu vivere, certiorare debere eamdem sacram congregationem ac ipsum nuntium, cujus partes erunt

Digitized by Google

severe eos punire ac privare officio. Posse tamen eumdem ordinarium carceribus mancipare ad superiorum dispositionem retinendos, subcollectores deprehensos in fragranti crimine, quod meretur pœnam corporalem, non tamen minorem carceratione, dummodo statim de carceratione nuntium certioret.

(35. Item administratores locorum priorum in subcollectores deputatos subesse ordinario quoad redditionem rationum administrationis; nec posse subcollectores a casibus episcopo reservatis absolvi absque illius licentia, et nullum inquisitum posse a nuntio in subcollectorem deputari, nisi de ejus absolutione constiterit.

(36. Ut autem sciant ordinarii quos in subcollectores aut commissarios debeant recognoscere, declaravit subcollectores teneri ostendere ordinario suas commissiones antequam illas exsequantur; commissarios vero particulares teneri, vel per litteras patentes, vel privatas sui superioris, aut alio modo certiorare ordinarium de demandata jurisdictione.

(37. Demum quatenus supradictæ declarationes, vel aliquæ illarum futuris temporibus non observentur, sacra congregatio voluit, incumbere locorum ordinariis, ut pro eorum zelo ac pastorali sollicitudine quæcunque secus audiverint, huic S. Sedi fideliter referant pro opportuna provisione obtinenda.

(38. Et die 15 ejusdem, facta de præmissis omnibus relatione eidem sanctissimo D. N. Innocentio XI, Sanctitas Sua declaravit præcitatam constitutionem fel. recordat. Urbani VIII esse intelligendam juxta prædictam sacræ congregationis sententiam, et præsens decretum, omniaque, et singula in eo contenta approbavit, et confirmavit, et inconcusse ac inviolabiliter observari, et exsequi mandavit, salva tamen semper ejusdem sacræ congregationis auctoritate, omniaque, et singula præfata declarandi, moderandi, et ampliandi, et in totum vel in parte annullandi et interpretandi.

(39. Voluit tamen Sanctitas Sua, quod præsenti decreto, restricto ad collectores et subcollectores spoliorum regni Neapolitani, per nuntium Apostolicum deputatos sive deputandos, derogatum sive præjudicatum minime censeatur reservationibus, et affectionibus beneficiorum eorumdem collectorum, et subcollectorum resultantibus ex regulis Cancellariæ Apostolicæ.

Ita reperitur in registro S. C. C. et in fidem, etc.

PROSPER archiep. Theodosiæ, secr.

(40. Sequuntur aliquæ supra relati decreti declarationes, seu additiones, emanatæ a congregatione particulari, deputata in concilio Romano a SS. D. Nostro sub die 13 Maii 1725.

Primo quod in hac parte, scilicet in § *Et quod majoris momenti*, in quo decretum ejusdem congregationis Concilii loquitur de subcollectoribus, qui obtinuerunt postmodum parochias, vel præbendam theologalem seu pœnitentialem, ampliatur decretum ipsum, et eidem addatur, prout nova hac declaratione additur, quod tunc subcollectorum officia illico cessent, et thesaurarius, vel nuntius Apostolicus alium deputare teneatur.

(41. Secundo non posse *Thesaurarium generalem* et nuntios in quacunque diœcesi, etiam extra statum ecclesiasticum, litteras patentales subcollectoribus in futurum concedere, nisi eis attestatio exhibeatur curiæ episcopalis, in qua de ipsorum bona vita et moribus, ac eosdem nec inquisitos nec processatos esse, testimonium feratur, quam attestationem et thesaurarius, et nuntius in actis conservare teneantur; alias patentales litteræ quorumcunque alio modo concessæ et expeditæ, nullæ sint et invalidæ, ita ut contra istos procedere possit episcopus ordinarius.

F. A. archiep. episc. Abellinen. et Frequentin. Concil. secr.

(42. Subcollector nonnisi unus pro qualibet diœcesi deputari potest, et si plures deputentur, quamvis unus dicatur deputatus pro diœcesi, alter pro loco exempto intra diœcesim exsistente, hic postremus nulla gaudet exemptione. Cum enim in diœcesi Bituntina tres olim reperirentur subcollectores, unus videlicet pro ipsa civitate et diœcesi Bituntina, alter pro abbatia *Nullius* Fasani, et tertius pro loco *Nullius* Rutiliani, et episcopus Bituntinus die 14 Maii 1587 a sacra congregat. Concil. quæsivisset, « An subcollectores deputati pro jurisdictione Fasani, et Rutiliani, et commorantes Bitunti, aliqua in dicto loco gauderent exemptione? » Responsum fuit, « non gaudere et episcopum procedere posse in futurum; » uti habetur lib. XLVII *Decret.*, fol. 285. Atque episcopo Caputaquensi similem quæstionem proponenti in congregatione habita die 14 Mart. 1729 rescriptum fuit, ut servaretur prædictum decretum editum in Bituntina. Sic Benedictus XIV, qui tunc temporis erat secretarius ejusdem congregationis, *De synodo diœcesana* lib. III, cap. 8, n. 7, et reperitur in tom. II *Thesaur. resolution.* dicti anni.

(43. Subcollectores tenentur interesse synodo diœcesanæ, processionibus et visitationi, solvere cathedraticum et subsidium charitativum. Sacra congr. Concil. 21 Mart. 1614 et 27 Februar. 1677, in supra allato decreto approbato ab Innocentio XI. Non annumerantur Sedis Apostolicæ officialibus, de quibus loquitur textus in cap. *Matthæus*, De hæreticis, et in c. *Divina in eminenti*, De privilegiis, inter Extravagant. *Commun.* Sic expresse declaravit sacra congr. Concil. die 26 Martii 1682 quæ ad dubium: « An subcollectores spoliorum pro R. Camera Apostolica recenseri debeant inter officiales, de quibus loquuntur ipsæ Extravagantes ad effectum præmissum? » Respondit *Negative*, et die 20 Junii ejusdem anni, perstitit *in decisis*, sicuti etiam respondit de protonotariis

Digitized by Google

non participantibus. Veri enim officiales Sedis Apostolicæ, de quibus loquuntur citati textus, altioris sunt gradus, atque ad graviora procuranda negotia destinati, ut scite d. Benedict. XIV, aliis allegatis, *loc. cit.*, n. 8.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(44. Deputantur subcollectores spoliorum, vel a nuntiis Apostolicis, ut ex constitutione Gregorii XIII, in ordine 26, tom. II; et Urbani VIII, 147, tom. IV, vel a cardinali camerario et a thesaurario generali, juxta Constit. ejusdem Urbani 190; § 5 et Alexandri VIII, 190, § 11, tom. VI.

(45. In subcollectores autem non possunt deputari, nisi ii, qui de legitimo matrimonio nati sunt, ut rescripsit sac. congr. Concilii interpres *in Biturtina* 4 Maii 1697.

SUBDIACONUS.

Vide verb. ORDO, *art.* 1, *a n.* 40 *ad* 42.

SUBORNATIO.

Vide verb. POENA, *art.* 1, *n.* 208, 209.

SUBREPTIO.

Vide verb. RESCRIPTUM, *a n.* 27 *ad.* 33.

SUBSIDIUM CHARITATIVUM.

SUMMARIUM.

1. Subsidium charitativum quare sic appelletur. — 2. Subsidium charitativum quid sit? — 3. Subsidium charitativum ex manifesta et rationabili causa, præter Papam, possunt in suis diœcesibus exigere episcopi, archiepiscopi, primates, patriarchæ, etc. — 4. Subsidium charitativum exigere potest episcopus electus et confirmatus, licet nondum consecratus. — 5. Administrator seu coadjutor datus episcopo per Papam, vel ecclesiæ cathedrali vacanti, potest a subditis illius ecclesiæ exigere charitativum subsidium. — 6. Capitulum, sede episcopali vacante, potest exigere charitativum subsidium. — 7. Cardinales illud exigere possunt in ecclesiis suorum titulorum. — 8. Legatus Papæ illud exigere potest ab ecclesiis provinciæ sibi delegatæ. — 9. Generalis totius ordinis Regularis potest illud exigere a monasteriis sui ordinis pro sumptibus necessariis ad gubernationem ordinis, si aliunde non habeat bona sufficientia ad id destinata. — 10. Commendatarius perpetuus ecclesiæ cathedralis potest illud exigere ab ecclesiis subjectis. — 11. Prælati episcopo inferiores an illud exigere possint? — 12. Vicarius generalis episcopi illud exigere nequit, nisi de speciali mandato episcopi. — 13. Patriarchæ, primates et archiepiscopi nequeunt illud exigere in diœcesibus suorum suffraganeorum, nisi id eis alicubi competeret ex legitima consuetudine. — 14. Episcopi aliique supradicti possunt etiam per censuras compellere ad illud sibi præstandum clericos renuentes. — 15. Ad hoc ut episcopus vel alius possit illud exigere, debet intervenire manifesta et rationabilis causa necessitatis. — 16. Quæ dicatur manifesta et rationabilis causa necessitatis, relinquitur arbitrio episcopi una cum consensu, vel saltem consilio capituli quod episcopus tenetur requirere. — 17. Quid agendum? Si dubium et controversia sit inter capitulum et episcopum, an subsit sufficiens causa illud exigendi, vel quantitas petita sit nimia et excessiva. — 18. Assignantur in specie rationabiles et manifestæ causæ sufficientes ad illud exigendum. — 19. Prædictæ tamen causæ sunt solummodo sufficientes in casu, quo episcopi redditus ad satisfaciendum eis non sufficiant. — 20. Episcopus enim, qui habet congruam pinguem, quæ excedat taxam a concilio præscriptam, non potest illud exigere. — 21. Quantitas subsidii charitativi, cum non sit a jure definita, determinari potest, et debet ab episcopo cum consilio capituli juxta exigentiam circumstantiarum necessitatis, expensarum, reddituum et hujusmodi. — 22. Debet tamen ab episcopo semper taxari et exigi subsidium moderatum. — 23. Hodie tamen debet servari taxa solita exigi a quadraginta annis retro. — 24. Et ad subsidii contributionem majorem solito nullus cogi debet. — 25. Nec subsidium charitativum debet excedere expensas factas in Bullis expediendis. — 26. De jure communi non tantum semel, sed etiam pluries potest illud exigi. — 27. Jure tamen novo taxæ Innocentianæ exigi potest solum unica vice in primo ingressu episcopi. — 28. Nec potest exigi ubi id non est solitum. — 29. Ad solvendum subsidium charitativum tenentur soli clerici beneficiati, et minime clerici beneficio carentes, et laici. — 30. Affertur et solvitur instantia. — 31. Ad illud solvendum tenentur non solum simplices clerici beneficiati, sed etiam canonici omnes etiam cathedralis. — 32. Non tenentur tamen canonici solvere tale subsidium de distributionibus quotidianis, et de oblationibus, et mortuoriis. — 33. Hospitalia, si titulum beneficii habeant, aut fundata sint auctoritate ordinarii, quamvis non habeant titulum beneficii, tenentur illud solvere. — 34. Monasteria et eorum ecclesiæ regulares non tenentur solvere subsidium charitativum. — 35. A monialibus non potest episcopus aliquid subsidii charitativi nomine exigere aut recipere. — 36. Tenentur tamen monasteria regularia illud solvere ratione sæcularium, si quas tales habent. — 37. Clerici beneficiati pauperes non tenentur illud solvere. — 38. Fratres S. Joannis Hierosolymitani, sive eorum vicarii non tenentur illud solvere. — 39. Cardinales non tenentur illud solvere pro suis beneficiis. — 40. Tenentur tamen illud solvere eorum familiares et alii curiales, etiam Papæ familiares, nisi aliter sit legitima consuetudine introductum. — 41. Successor in beneficiis compelli potest ad solvendum illud quod ejus antecessor non solvit. — 42. Clericus beneficiatus habitans in una diœcesi et habens beneficium in alia, tenetur illud solvere soli illi episcopo, in cujus diœcesi habet beneficium. — 43. Et si beneficium, seu ecclesia beneficialis, sita sit in una diœcesi et habeat prædia seu redditus in alia, tenetur illud solvere episcopo diœcesis suæ ecclesiæ. — 44. Quid, si ecclesia sit in confinio duarum diœcesum, et dubium sit cui episcopo competant jura episcopalia et collatio in dicta ecclesia? — 45. Pensionarius et rector beneficii quomodo, quando et ubi illud solvere debeant? — 46. Ecclesiæ pleno jure exemptæ non tenentur illud solvere; limitatur tamen conclusio in duobus casibus, qui assignantur. — 47. Alia ad rem ad n. 52.

Digitized by Google

(1. Subsidium charitativum, id est charitatis auxilium, sic appellatur, quia a principio ex charitate peti debet, et non violenter extorqueri. Arg. cap. *Conquerente* 16, De offic. ordinarii, et cap. *Cum apostolus* 6, et cap. *Cum part.* 18, de censib. Et dicitur subsidium, quia in subsidium peti debet, nempe quando facultates episcopi non sufficiunt ad satisfacienda onera, ad exemplum subsidiariæ actionis, ideo sic dictæ, quia datur quando deficit propria et specialis actio, ut in § final. Instit. *Ad legem Aquil.* et in § final. ubi Glossa Institut. *De interdict.*; Bellencinus, tractat. *De charitativo subsidio*, qu. 14, Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, allegat. 87, n. 2; Ventrig., *Prax. rer. notabil.*, part. II, adnotat. 25, § 1, 2, et alii passim.

(2. Subsidium charitativum igitur est exactio seu pensio extraordinaria, quam prælati ecclesiastici, et præsertim episcopi, ex manifesta ac rationabili causa a suis subditis in subsidium exigunt. Sic in re Communis; atque desumitur ex cap. *Cum apostolus* 6, De censibus, § *Prohibemus*; ibi : « Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta ac rationabilis causa exstiterit cum charitate moderatum ab eis valeat auxilium postulare. »

(3. Charitativum subsidium ex manifesta et rationabili causa, præter Summum Pontificem, de quo nemo dubitat, possunt in suis diœcesibus exigere episcopi, ac iis superiores, ut archiepiscopi, primates, patriarchæ, etc *Communis*, arg. c. *Conquerente* 16, ad fidem de offic. ordinar, cap. *Cum apostolus* 6, § *Prohibemus*, De censibus.

(4. Charitativum subsidium exigere potest episcopus electus et confirmatus, licet non consecratus. Arg. cit. cap. *Conquerente* 16, De offic. ordinarii; hoc enim est jurisdictionis et non ordinis. Bellencinus, *loc. cit.*, q. 9; Barbosa, *loco cit.* n. 8; Azorius, *Institut. moral.*, part. II, l. XII, cap. 14, q. 5, alii.

(5. Administrator seu coadjutor datus episcopo per Papam vel ecclesiæ cathedrali vacanti, potest a subditis illius ecclesiæ exigere charitativum subsidium, per text. cap. *Is cui*, De election. in 6; et cap. *Ultimo in fine*, De supplenda negligentia Prælator.; Bellencin., *loc. cit.*, qu. 8; Barbosa, *loc. cit.*, n. 10; Ventriglia, *loc. cit.*, q. 8.

(6. Capitulum, sede episcopali vacante, potest charitativum subsidium exigere. Glossa, verb. *Aliunde*, in c. *Puniente*. Ad hæc, de election. in 6, ubi Joann. monachus et archidiaconus, Bellencin., *loc. cit.*, q. 7; Azorius, *loc. cit.*, q. 12; Bellet., *Disquisit. cleric.*, part. I, tit. De clerico debitore, § 12, n. 38; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 31.

(7. Cardinales in ecclesiis suorum titulorum charitativum subsidium exigere possunt; ipsi enim in ecclesiis suorum titulorum jurisdictionem habent de jure communi et episcopalia jura obtinent. Cap. *Querelam.*, De electione. Et sic tenent Joann. monachus, in cap. 1 *De majorat. et obedient.*; Diana, part. V, tract. 2, *De potest. et privileg. S. R. E. cardinal.*, resolut. 55; Bellencin., *loc. cit.*, q. 3; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 20; Azorius, *loc. cit.*, qu. 5, vers. *Quæres*; Barbosa, loco cit., n. 15, et alii ibi allegati.

(8. Legatus Papæ habet jus exigendi charitativum subsidium ab ecclesiis provinciæ sibi delegatæ; ipse enim in provincia sibi delegata omnia libere et immediate potest, quæ quilibet ordinarius jure seu consuetudine potest in sua diœcesi, adeoque sicuti episcopus in sua diœcesi, potest ipse in sua provincia charitativum subsidium exigere. Bellencin., *loc. cit.*, qu. 12; Azorius, *loco cit.*, qu. 5, § *Sed quid dicendum*; Barbosa, *loc. cit.*, n. 16.

(9. Generalis totius ordinis regularis potest exigere subsidium charitativum a monasteriis sui ordinis pro sumptibus necessariis ad gubernationem ordinis, si aliunde non habeat bona sufficientia ad hoc destinata. Barbosa, *loc. cit.*, n. 19. Tamburin., *De jur. abbat.*, tom. III, disp. 10, qu. 2, num. 2; Ventriglia, *loc. cit.*, num. 25, et alii.

(10. Commendatarius perpetuus ecclesiæ cathedralis potest exigere charitativum subsidium ab Ecclesiis sibi subjectis. Sic Bellencin., *loc. cit.*, qu. 6; Azorius, *loco cit.*, qu. 5, verb. *Commendatarius*; Barbosa, *loc. cit.*, n. 21, et alii. Et ratio est, quia ipse habet legitimam administrationem, et potest exercere jurisdictionem, quæ competeret episcopo titulato, ut tenent archidiaconus in cap. *Nemo deinceps*, De election. in 6; Innocentius, in cap. *Si constiterit*, De accusat.; Cardinalis, in *Clementin.* ult. De procuratorib., q. 12.

(11. Prælati episcopo inferiores, quamvis habeant territorium separatum, et jura episcopalia, de jure non debent, nec possunt exigere charitativum subsidium. Sic censuisse sacram congr. Episcop., *in una Nullius Altamuræ* 14 Maii 1697, refert Monacell., par. I, tit. 1, formul. 1, n. 42. Quoad autem prælatos seu abbates habentes territorium et diœcesim, et quibus subsunt ecclesiæ pleno jure, affirm. tenent. Ventriglia, *loc. cit.*, n. 24; Meroll., *Theol. moral.*, part. III, disp. 7, cap. 5, dub. 21, n. 400 et seq., et videtur id tenere Barbosa, *loc. cit.*, n. 10; Monacell., *loc. cit.*, dicens in indice : « Nisi habeant territorium separatum et jura episcopalia, » et alii : Quia, ut dicunt, ipsi habent vere proprium territorium, et diœcesim, et jura episcopalia, adeoque possunt ab ecclesiis sibi pleno jure subjectis æque ac episcopi, et alii supradicti, charitativum subsidium exigere.

(12. Vicarius generalis episcopi non potest charitativum subsidium exigere, nisi de speciali mandato ipsius episcopi. Hoc enim nullo jure reperitur illi concessum, adeoque in generali commissione et mandato sibi ab episcopo tradito non continetur. Bellencin., *loc. cit.*, q. 21; Azorius, *loc. c.*, cap. 15, qu. 5, verb. *Vicarius*; Barbosa, *loc. cit.*, num. 12; Ventriglia, *loc. cit*, n. 13, et alii passim.

Digitized by Google

(13. Patriarchæ, primates et archiepiscopi sine dubio exigere possunt charitativum subsidium in suis respective diœcesibus, ex dictis *supra* n. 2. Illud tamen exigere non possunt in diœcesibus suffraganeorum, nisi alicubi id eis competeret ex legitima consuetudine; nullibi enim in jure reperitur id eis concessum. Barbosa, *loc. cit.*, num. 9; Bellenc., *loc. cit.*, q. 2; Azorius, *loc. cit.* q. 5, vers. *Sed dubiæ quæstionis;* Pirrhing, lib III *Decret.*, tit. 39, n. 14; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 20, et alii passim.

(14. Episcopi aliique supradicti, quibus competit jus exigendi charitativum subsidium, possunt ad illud solvendum compellere et cogere etiam per censuras clericos id dare nolentes seu recusantes. Sic Joann. Andreas in c. *Cum apostolus* 6, De censibus, n. 7, et *ib.* Innocentius, Hostiensis, Butrius, Abbas, et alii, Bellencin., *loc. cit.*, q. 15; Layman, lib. III, tract. 3, part. 1, t. III, § unic. *De subsidio charitativo*, n. 9; Azorius, *loco cit.*, num. 3; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 21; Bellet, *Disquisit. cleric.*, part. 1, tit. *De clerico debitore*, § 12, n. 25; Alexander de Nevo, cons. 59, n. 5; Barbosa, *loco cit.*, n. 5, allegans alios, et Rotam *in noviss. decis.* 425, alias 23, quæ incipit : « Item extra Rotam petebatur consilium; » et sic tenent etiam alii plures, arg. cap. *Cum apostolus* 6, De censibus, cap. *Conquerente* 16, De offic. ordinarii; Clementin. *Frequens*, De excessib. prælator.

(15. Ad hoc autem, ut episcopus vel alius possit subsidium charitativum exigere, debet intervenire manifesta et rationabilis causa necessitatis. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Conquerente* 16, De offic. ordinarii, ibi : « Si manifesta et rationabilis causa exstiterit, » et c. cap. *Cum apostolus* 6, § *Prohibemus*, De censibus, ibi : « Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta et rationabilis causa exstiterit.

(16. Quænam vero dicatur manifesta et rationabilis causa necessitatis, ut episcopus possit exigere subsidium charitativum, relinquitur arbitrio ipsius episcopi unacum consensu, vel saltem consilio capituli quod episcopus requirere tenetur, ut docent Joann. Andreas in cit. cap. *Cum apostolus* 6, De censibus, n. 8, et *ibidem;* Butrius, Innocent., Hostiens., Bellet., *loc. cit.*, n. 8; Bellencin., *loc. cit.*, 5, 10; Ventriglia, *loco cit.*, n. 6; Barbosa, *loc. cit.*, n. 26; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 34; Pignatell., tom. IX, consult. 142, n. 6, et alii per text. in cap. *Novit* 4, et cap. *Quanto* 5, De his quæ fiunt a prælat.

(17. Si autem dubium et controversia sit inter capitulum et episcopum, an subsit sufficiens causa subsidium charitativum exigendi, vel quantitas petita, sit nimia et excessiva; tunc vel de consensu partium eligendi sunt arbitri, vel recurrendum est ad superiorem. Sic Bellencin., *loc. cit.*, quæst. 17; Azorius, *loc. cit.*, q. 4, § *In dubium vocatur;* Layman, *loc. cit.*, n. 9; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 53; Barbosa, *loc. cit.*, n. 28; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 36, et alii cum Glossa, in c. *Cum apostolus* 6. De censibus, verb. *Rationabilis*, arg. cap. *Si clericus* 46, caus. 11, qu. 2. Et ratio est quia tunc solum potest episcopus ipse compellere et cogere clericos nolentes, et recusantes dare subsidium charitativum, quando causa manifesta est, arg. cit. cap. *Conquerente* 16, De offic. ordinarii, et cit. cap. *Cum apostolus* 6, § *Prohibemus*, De censibus. Non autem quando causa est dubia vel controversa, ut recte notant citati doctores, et alii.

(18. In specie tamen sufficienter rationabiles, et manifestæ pro exigendo subsidio charitativo censentur a doctoribus potissimum causæ sequentes. I. Expensæ necessariæ pro promotione, confirmatione et consecratione ipsius episcopi. II. Expensæ necessariæ pro solvendis debitis ab ipso vel suo antecessore contractis pro bono communi aut necessitate ecclesiæ. III. Expensæ necessariæ ad visitanda limina apostolorum. IV. Expensæ necessariæ pro itinere ad concilium generale vel provinciale, ad Papam, imperatorem vel regem ob bonum commune diœcesis vel ecclesiæ universalis. V. Expensæ necessariæ pro adventu imperatoris, regis aut magni principis, præsertim si episcopus ab eo habeat regalia. VI. Expensæ necessariæ pro tuendis seu recuperandis juribus, actionibus ac bonis ecclesiæ cathedralis, seu pro bono communi totius diœcesis. Sic Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 30; Ventriglia, *loc. cit.*, a n. 9; Barbosa, *loc. cit.*, a n. 29, cum multis apud ipsos, et alii passim.

(19. Qui tamen communiter notant prædictas causas esse solummodo sufficientes in casu, quo episcopi redditus ad satisfaciendum eis non sufficiant, quia, si episcopi redditus in casibus prædictis sufficiunt absque subsidio charitativo, illud exigere nequaquam potest, cum deficiat necessitatis ratio, utpote conditio necessario requisita. Cit. cap. *Cum apostolus* 6, § *Prohibemus*, De censibus. (20. Et quod episcopus, qui habet congruam pinguem, quæ excedat taxam a concilio præscriptam, illud non possit exigere, expresse respondit sacra congr. Concilii, *in Gerunden.* 17 Februarii 1663, et sacra congregat. Episcop., *in Policastren.* 16 April. 1697, *referente clar. mem. card. Petrucci* apud Monacell., tom. I, tit. 1, form. 1, n. 37.

(21. Quantitas subsidii charitativi cum non sit in jure definita, determinari potest et debet ab episcopo cum consilio capituli ex dictis *supra* n. 16, juxta exigentiam circumstantiarum, necessitatis, expensarum, reddituum, et hujusmodi. Menoch., *De arbitr. judic.*, c. 169, n. 4; Pignatell., *loc. cit.*, n. 12; Barbosa, *loc. cit.*, n. 37; Bellet., *loc. cit.*, n. 14; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 32, et alii communiter, arg. l. *In fundo* 30, ff. *De rei vindicat.* (22. Debet tamen ab episcopo semper taxari et exigi subsidium moderatum, ut tradunt communiter doctores,

Digitized by Google

per text. in cit. cap. *Conquerente* 16, De offic. ordinarii, ibi: « Non amplius ab eis exigas præter moderatum auxilium, » et cit. capit. *Cum apostolus* 6, § *Prohibemus*, De censibus, ibi: « Cum charitate moderatum valeant auxilium postulare; » ubi insuper hæc subjungitur ratio: « Cum enim dicat Apostolus: *Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis* (*II Cor.* XII, 14), multum longe a paterna pietate videtur, si præpositi subditis suis graves exsistant, quos in cunctis necessitatibus pastoris debent more fovere. » (23. Hodie tamen debet servari taxa solita exigi a quadraginta annis retro, ex dispositione taxæ Innocentianæ per ejus verba relata *infra* n. 27. (24. Et quod nec possit exigi major solito, jam declaraverat sacra congr. Episcop. 27 Jan. 1589, apud Barbos., in *Summ. apostol. decis.*, verb. *Subsidium*, n. 2. (25. Et etiam quod non debet excedere expensas factas in Bullis expediendis. Sacra congr. Episcopor. 25 Maii 1583, apud eumdem, *ibid.*, n. 1.

(26. De jure communi non tantum semel, sed etiam pluries, et quidem quoties juxta prædicta exsistit rationabilis et manifesta causa, et redditus non sufficiunt, potest episcopus subsidium charitativum exigere. *Communis*, textu expresso in c. cap. *Cum apostolus* 6, § *Prohibemus*, De censibus, ibi: « Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties supervenient. »

(27. Jure tamen novo taxæ Innocentianæ per viam legis universalis saltem in Italia promulgatæ, exigi potest solum unica vice in primo ingressu episcopi, ut expresse ipsa taxa disponit, ibi: « Il sussidio charitativo in quelle diocesi, nelle quali sia solito d'esigersi, e non altrimenti, si esiga solamente per una sol volta nel primo ingresso del vescovo secondo la tassa solita antica di 40 anni indietro. » (28. Unde charitativum subsidium non potest exigi ab episcopo, ubi non est solitum exigi, ut patet ex dictis taxæ Innocentianæ expressis verbis: « In quelle diocesi, nelle quali sia solito di esigersi, e non altrimenti. » Monacell., *loc. cit.*, n. 39, et alii passim.

(29. Ad solvendum subsidium charitativum tenentur soli clerici beneficiati, et minime clerici beneficio carentes, et laici. *Communis*, arg. cap. *Conquerente* 16, De offic. ordinarii; et ratio est clara, quia tale subsidium est onus mistum adhærens personis ecclesiasticis in ordine ad ecclesias et beneficia, ex quibus redditus percipiunt.

(30. Nec obstat quod in cap. *Cum apostolus* 6, De censibus concedatur episcopis exigere tale subsidium universaliter *a subditis*, quorum nomine veniunt etiam laici et clerici beneficio carentes. Non obstat, inquam, quia *ibi* per subditos intelliguntur soli clerici beneficiati, prout communiter advertunt doctores, ne dictum cap. *Cum apostolus* discordet cum cit. cap. *Conquerente* 16, De offic. ordinarii, et cap. *Quia cognovimus* 6, caus. 10, q. 3. In quibus a solis clericis beneficiatis seu ab ecclesiis ratione beneficiorum conceditur posse tale subsidium exigi.

(31. Ad solvendum subsidium charitativum tenentur non solum simplices clerici beneficiati, sed etiam canonici omnes, etiam cathedralis. *Communis*, arg. cit. cap. *Conquerente*; et extravagant. 1, § *Præmiss.* De censibus, ibi: « Eorumque capitulis. » (32. Non tenentur tamen canonici solvere tale subsidium de distributionibus quotidianis, et de oblationibus, et mortuoriis, quia hæc non veniunt nomine fructuum beneficiorum, de quibus solis fructibus solvitur subsidium charitativum. Bellencin., *loc. cit.*, q. 76; Guttierez, ad Regul. 8 *Cancellar.*, § 7 *Proœm.*, n. 114; Riccius, in *Prax.* part. III, resolut. 90 per tot; Barbosa, *loc. cit.*, n. 44; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 32, et alii passim.

(33. Hospitalia causa communis pietatis fundata, si titulum beneficii habeant, aut si fundata sint episcopi auctoritate, quamvis titulum beneficii non habeant, tenentur solvere subsidium charitativum, quia, cum sint loca religiosa et sacra, sicuti aliæ ecclesiæ, uti ab istis, ita ab illis potest episcopus charitativum subsidium exigere. Barbosa, *loc. cit.*, n. 55; Azorius, *loc. cit.*, q. 6, vers. *Si roges;* Bellencin., *l. c.*, q. 37; Meroll., *loc. cit.*, cap. 5, n. 477; Ventriglia, *l. c.*, n. 33, et alii.

(34. Monasteria et eorum ecclesiæ regulares non tenentur solvere subsidium charitativum. Joan. Andreas, Butrius et Imola, in cap. *Dilectus*, De offic. ordinarii; Bellencin., *loc. cit.*, q. 20; Pirrhing, lib. III *Decretal.*, tit. 39, n. 56; Engel., *ibid.*, n. 10; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 27; Sannig, *ibid.*, cap. 2, num. 3; Barbosa, *loc. cit.*, num. 45, et plurimi alii contra alios. Et ratio est, quia subsidium charitativum debetur lege diœcesana; monasteria autem et ecclesiæ regulares sunt exemptæ a lege diœcesana. Arg. cap. *Cum pro utilitate* 34, caus. 16, q. 1, c. *Quam sit* 5, caus. 18, q. 2, et cap. 1, *De statu monachorum*, adeoque, etc.

(35. Et quod episcopus charitativi subsidii nomine non possit a monialibus quidquam, nedum exigere, sed nec recipere a sponte dantibus sub pœnis tam dantibus quam accipientibus, arbitrio sacræ congregationis, expresse decrevit sacr. congr. Episcopor. 9 Martii 1635, apud Pitton., *Constit. Pontific. et decis. ad episcopos*, num. 984.

(36. Tenentur tamen monasteria regularia subsidium charitativum solvere ratione ecclesiarum sæcularium sibi subjectarum, si quas tales habent. *Communis.* Et ratio est quia tales ecclesiæ sæculares, antequam subjicerentur monasterio regulari, solvere consueverant episcopo tale subsidium charitativum, adeoque censentur unita monasterio cum suo onere, cum quo transivit res; c. *Pastoralis*, De decimis, c. *Quia monasterium*, De religiosis domibus; nisi mo-

Digitized by Google

nasterium ad id obtinuisset expressum speciale apostolicum privilegium.

(37. Subsidium charitativum solvere non tenentur clerici beneficiati pauperes. Sic Hostiensis, Imola, Butrius in cit. c. *Conquerente* 16, De offic. ordinarii; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 26; Barbosa, *loc. cit.*, n. 49; Bellencin., *loc. cit.*, q. 10; Bellet., *loc. cit.*, n. 19 et seq.; Azorius, *loc. cit.*, cap. 14, q. 6; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 39, et alii; arg. c. *Licet* 4, De censibus; illi autem, juxta citatos doctores, censentur clerici beneficiati pauperes, qui vix necessariam sustentationem, et nil ultra habent ex redditibus beneficii.

(38. Fratres S. Joannis Hierosolymitani, sive eorum vicarii in parochialibus religioni prædictæ unitis non tenentur solvere subsidium charitativum. Sac. cong. Conc., *in una Augustana* 4 Decembris 1630, sic ex Bonfadin. et Barbosa refert Ventriglia, *loc. cit.*, n. 36.

(39. Cardinales non tenentur solvere subsidium charitativum pro beneficiis quæ possident. Bellet., *loc. cit.*, n. 25; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 37; Roman., consil. 498, n. 1 et seq.; Cæphal., consil. 2, n. 10, volum. 1.

(40. Familiares autem cardinalium, nec non alii curiales, etiam Papæ familiares, quamvis multas habeant immunitates et exemptiones, tamen non reperiuntur specialiter exempti a solutione subsidii charitativi, adeoque, nisi aliter sit legitima consuetudine introductum, ad illud tenentur. Bellet., *loc. cit.*, n. 26 et seq.; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 38, et alii.

(41. Successor in beneficio compelli potest ad solvendum subsidium charitativum, quod ejus prædecessor non solvit. Barbosa, *loc. cit.*, n. 38; Meroll., *loc. cit.*, n. 495; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 31, et alii advertentes quod, licet possit episcopus agere contra quem velit, sive successorem, sive antecessorem, si adhuc vivus sit, vel ejus hæredem, si jam sit mortuus, ad hanc solutionem; tamen ex æquitate debet illud exigere ab utroque pro rata fructuum perceptorum.

(42. Clericus beneficiatus habitans in una diœcesi et habens beneficium in alia, tenetur solvere subsidium charitativum soli illi episcopo, in cujus diœcesi habet beneficium. Sacr. congr. Concil. 2 Decembr. 1673, apud Pittonum, *Constitut. et decis. ad episcopos*, n. 1598.

(43. Et si beneficium seu ecclesia beneficialis sit sita in una diœcesi et habeat prædia et redditus in alia, beneficiatus tenetur solvere subsidium episcopo diœcesis suæ ecclesiæ, quæ attendi debet tanquam caput. Arg. l. *Cum in diversis*, ff. *De relig. et sumpt. funer.*, non autem attendenda sunt prædia, quæ sunt accessoria ecclesiæ, ut in cap. unic. *De consecrat. eccles. vel altar.* in 6; Ventriglia, *loc. cit.*, Barbosa l. c. n. 51; Bellencin., *loc. cit.*, q. 35, et alli passim.

(44. Si ecclesia beneficialis sita sit in confinio duarum diœcesum, et dubium sit cui episcopo competant jura episcopalia et collatio in dicta ecclesia, tunc ambo episcopi se concordare debent, ut alternis vicibus subsidium exigant. Argum. Clementin. *Plures*, De jurepatr. Et si inter se convenire renuant, tunc jure metropolitanus poterit eis præcipere, ut conveniant, eo quod talis eorum discordia sit ecclesiæ damnosa. Bellencin., *loc. cit.*, qu. 52; Azorius, *loc. cit.*, qu. 6, vers. *Quid dicendum;* Barbosa, *loc. cit.*, n. 52; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 26, et alii.

(45. Pensionarius et rector beneficii tenentur ad solvendum subsidium pro rata portione; nisi tamen pensio sit ei concessa libera ab omni onere, etiam subsidii charitativi, quia tunc pensionarius nihil deberet solvere. Et in casu quo pensio non sit ei concessa libera a tali onere, debet subsidium solvere episcopo illius diœcesis, in qua est beneficium seu ecclesia, super cujus fructus est imposita pensio, licet ipse pensionarius sit alterius diœcesis. Gigas, *De pensionibus*, q. 28, n. 18; Bellencin., *l. cit.*, qu. 37; Bellet., *l. cit.*, n. 32; Barbosa, *loco cit.*, n. 52; Ventriglia, *loco cit.*, n. 31, et alii.

(46. Ecclesiæ pleno jure exemptæ non tenentur præstare episcopo subsidium charitativum. Bellencin., *loco cit.*, q. 42; Azorius, *loco cit.*, q. 6, vers. *Item non potest;* Cochier, *De jurisd. ordin. in exemptos*, part. IV, q. 9, per tot.; Barbosa, *loc. cit.*, n. 57; Ventriglia, *loco cit.*, n. 34, et alii recte limitantes conclusionem in duobus casibus: primo, quando ecclesia exempta habet populum non exemptum, quia tunc eo respectu exigi posset tale subsidium; secundo, quando in concessione privilegii exemptionis apposita est clausula, quod ecclesia exempta remaneat adhuc cum charitate priori cum suo episcopo, quia tunc teneretur adhuc ipsi præstare dictum subsidium charitativum.

(47. Addenda sunt sequentia decreta relata cum eruditissima doctrina suo more ab eminentissimo cardinali Cavalchino in causa *Algaren. Subsidii charitativi*, apud *Thesaurum Resolutionum S. C. C.* anni 1738, ibi in *Gerund. Subsidii charitativi*, ubi disceptatis hisce dubiis: I. An episcopi pingues redditus habentes, qui videlicet nedum congruam ipsis juxta formam sacri concilii Tridentini assignatam, verum etiam duplicatam ac longe majorem habent, possint exigere charitativum subsidium a suis diœcesanis? II. An episcopi, quibus pro exigendo charitativo subsidio non obstat sufficientia, sive exuberantia reddituum, possint illud exigere, nulla urgente causa, et inconsultis eorum capitulis? III. An possint illud exigere a clericis beneficiatis, qui, licet aliquos redditus habeant non consistentes in distributionibus quotidianis, nihil tamen eis superest ultra honestum victum; imo tales redditus vix sunt sufficientes ad prædictum eorum victum? IV. An, supposito, quod consultis eorum capitulis, dictum charitativum subsidium exigere valeant, possint illud exigere a suis clericis beneficiatis non ha-

Digitized by Google

bentibus alios redditus quam distributiones quotidianas. Die 17 Februarii 1663. Rescriptum fuit : ad I, II, III, *Negative;* ad IV, « explicandam naturam harum distributionum : » ut in lib. *Decr.*, p. 433.

(48. In qua *Algaren. subsidii charitativi* propositis sequentibus dubiis : I. An episcopus Algarensis potuerit a canonicis præbendatis cathedralis ecclesiæ exigere subsidium charitativum, et in qua summa, et quatenus *negative;* II. An teneatur illud restituere? III. An episcopus potuerit dictum subsidium charitativum exigere non solum a parochis, sed etiam a vicariis perpetuis, et in qua summa? IV. An licuerit prælaudato episcopo exigere dictum subsidium, tam ab ecclesiis et confraternitatibus habentibus beneficium unitum, aut alios redditus quam a confraternitatibus nullum beneficium unitum possidentibus, aut nullos, aut ad summum tenues redditus piis oneribus gravatos habentibus? V. An potuerit ab episcopo confici taxa controversi subsidii charitativi post requisitum, sed non obtentum capituli consensum, illudque exigi in summa taxata in casu, etc. Sacra congr. Concil. 2 Augusti 1738 respondit, « omnia ad eminentissimum Rezzonicum, qui dignetur rem perpendere, auditis partibus, etiam cum facultate agendi pro concordia et sacræ congregationi referre. »

(49. *In Marianen. Subsidii charitativi* proposito dubio : « An episcopo Marianen. debeatur subsidium charitativum ex rectoriis di Belgodere, e di Russino, ut prætenditur spectans ad monachos Olivetanos, vel potius obstet prætensa exemptio DD. PP. in casu, » etc. Sacra congreg. Concil., die 8 Febr. 1713, distulit propositionem; die vero 11 Martii 1713 respondit, « *Negative* quoad primam, et *Affirmative* quoad secundam partem, *et amplius.* » Sic apud *Thesaurum*, tom. IX, circa finem in dict. *Marianen. Subsidii charitativi.*

Alia *vide* infra, ad verb. VISITATIO.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(50. Quod ait auctor n. 14 posse clericos compelli ad charitativum subsidium, id controversia haud caret. Sunt enim qui post Innocentium, in cap. *Cum apostolus*, De censib., tenent nunquam clericos ad subsidium charitativum cogi valere. (51. Non ignoramus vero prævaluisse opinionem affirmativam, sed eam amplectendam vellem ea cum moderatione quam affert Ziegler., *De episcop.*, lib. III, c. 27, § 16, quod scilicet et justæ sint causæ ipsum exigendi, et episcopus redditibus haud abundet.

(52. Qui autem plenius de charitativo subsidio instrui cupit, is adeat Gonny, in tractatu *De charitat. subsid.*, qui quæstiones omnes ad materiam hanc pertinentes examinat.

SUCCESSIO AB INTESTATO.

SUMMARIUM.

1. Quis dicatur decedere intestatus? — 2. Qui tali succedit, dicitur ab intestato succedere, et hæres ab intestato vocatur. — 3. Quamvis qui testari non potuit, proprie non sit dicendus intestatus, tamen hic quoque in jure pro intestato accipitur. — 4. Successio ab intestato quid sit? — 5. Quando locus sit intestatæ successioni. — 6. Successio ab intestato est duplex, scilicet in capita et in stirpes. — 7. Successio in capita quæ sit? — 8. Successio in stirpes quæ sit? — 9. Succedentium ab intestato quinque ordines assignantur. — 10. Filii naturales simul et legitimi quomodo succedant? — 11. Filii legitimati per subsequens matrimonium succedunt eodem modo quo legitimi. — 12. Filii legitimi tantum, id est adoptivi, etiam eodem modo quo legitime nati, æqualiter in capita succedunt adoptanti vel abroganti. — 13. Filii naturales legitimati per rescriptum supremi Principis æquali jure, acsi fuissent legitime nati, succedunt ab intestato suis parentibus, si tres concurrant conditiones, quæ assignantur. — 14. Legitimatio filii naturalis facta per rescriptum supremi Principis tempore quo nulli exsistebant filii naturales simul et legitimi, probabilius non exspirat quoad successionem ab intestato, etiamsi postea nascantur patri filii legitimi. — 15. Filii naturales, non exstantibus aliis ex legitimo matrimonio natis neque uxore legitima, succedunt ab intestato patri una cum sua matre in sextante seu duabus unciis æqualiter inter eos dividendis. — 16. Si autem exstent filii aut nepotes legitimi, vel legitima uxor, tunc non succeduut filii naturales patri ab intestato, nec avo paterno; sed solum debentur illis alimenta ex bonis paternis arbitrio boni viri. — 17. Succedunt tamen dicti filii naturales matri etiam illustri et omnibus ascendentibus per lineam maternam una cum legitime natis. — 18. Filii spurii, vulgo *quæsiti*, nullatenus succedunt patri ab intestato. — 19. Succedunt tamen matri non illustri æque ac filii naturales. — 20. Matri autem illustri et habenti filios legitimos non succedunt ab intestato; secus vero si legitimis filiis careat. — 21. Filii ex damnato coitu nec patri, nec matri ab intestato succedunt, quamvis nulli legitimi filii exstent. — 22. Filiis ex damnato coitu æquiparantur quoad successionem filii quorum parentes ob crimen læsæ majestatis sunt condemnati. — 23. Qui sint et dicantur filii legitimi, illegitimi, naturales, spurii, quæsiti, filii ex damnato coitu, *remissive*. — 24. Nepotes et pronepotes succedunt ab intestato avo et aviæ in stirpes, sive adhuc exstent filii dicti avi et dictæ aviæ, sive non. — 25. Deficientibus descendentibus, et fratribus, seu sororibus germanis succedunt ab intestato soli ascendentes, servata tamen graduum prærogativa, ita ut proximiores gradu excludant remotiores. — 26. Moriente filio sine liberis, relicto superstite patre et avo materno, matre jam mortua, solus pater succedit excluso penitus avo materno, etiam quoad bona materna, et sic vice versa. — 27. Si defunctis patre et matre, exstent plures ascendentes sine fratribus vel sororibus defuncti, v. gr. exstet avus et avia in linea paterna, et simul avus et avia in linea materna, aut ex parte patris exstent solus avus, et ex parte matris avus et avia, vel vice versa, tunc succedunt defuncto nepoti aut pronepoti omnes æqualiter, non in capita, sed in stirpes. — 28. Quando cum ascendentibus æqualis gradus exstant etiam germani fratres et sorores defuncti, tunc succedunt omnes æqualiter, et in capita. — 29. Sorores autem et fratres solum uterini, vel solum consanguinei excluduntur per ascendentes, nec possunt cum illis succedere hæreditati fratris uterini defuncti. — 30. Germanorum filii succedunt cum ascendentibus, et fratribus seu sororibus germanis hæreditati alterius

Digitized by Google

præfuncti germani fratris aut sororis, non nisi tamen in stirpem. — 31. Nepotes autem seu pronepotes non gaudent hoc privilegio. — 32. In iis casibus, in quibus filii naturales et illegitimi succedunt parentibus, parentes etiam succedunt illis. — 33. Deficientibus descendentibus et ascendentibus succedunt ab intestato defuncto ejus sanguine juncti collaterales, et quidem æqualiter, et in capita, cum hoc tamen quod collateralis proximior semper totaliter excludat remotiorem. — 34. Quando cum defuncti fratribus et sororibus germanis exstant etiam filii alterius fratris aut sororis germanæ prædefunctæ, tunc etiam isti cum illis succedunt, ita tamen, ut fratres et sorores succedant in capita, et dicti filii solum in stirpem. — 35. Sicuti fratres germani, ita etiam et filii fratrum germanorum excludunt fratres solum uterinos, et solum consanguineos, sublata omni differentia sexus et emancipationis. — 36. Si soli filii diversorum fratrum vel sororum exstent, et nullus frater defuncti, nec germanus, neque solum consanguineus, aut solum uterinus, tunc filii et filiæ fratrum germanorum non in stirpes, sed in capita succedunt defuncto patruo. — 37. Si autem, nullis exstantibus fratribus germanis defuncti, exstent ejusdem fratres consanguinei vel uterini, tunc succedunt quidem soli filii et filiæ fratrum germanorum, exclusis fratribus solum consanguineis, vel solum uterinis; at vero in stirpes et non in capita. — 38. Quando nulli exstant liberi legitimi, nec germani fratres aut sorores defuncti, de cujus hæreditate agitur, tunc ab intestato succedunt ejus consanguinei, seu uterini fratres, et sorores, exclusis omnibus aliis collateralibus. — 39. Quando defunctus relinquit quosdam fratres consanguineos, et quosdam etiam uterinos, tunc probabilius fratres consanguinei succedunt in bonis paternis, et uterini in maternis, in aliis vero bonis æqualiter et indistincte succedunt. — 40. Sententia tamen opposita est vere probabilis. — 41. Deficientibus omnibus fratribus et sororibus, tam germanis quam consanguineis, et uterinis, eorumque omnibus filiis, succedunt ab intestato reliqui collaterales sanguine juncti gradu propinquiores, et quidem non in stirpes, sed in capita. — 42. Ab intestato succedere possunt omnes cognati gradu propinquiores probabilius usque ad decimum gradum tantum secundum computationem civilem. — 43. Plures tamen alii satis probabiliter censent, hodie agnatos et cognatos etiam ultra decimum gradum admitti ad successionem in infinitum. — 44. Filii adoptivi non succedunt filiis legitimis patris adoptantis, nec aliis agnatis et cognatis, nec isti succedunt filio adoptivo. — 45. Fratres naturales, spurii, ac cæteri hujusmodi naturales ex uno patre et diversis matribus proveni entes, sibi invicem ab intestato nullatenus succedunt. — 46. Neque dicti fratres naturales et spurii succedunt fratri legitime procreato, vel legitimato: nec isti illi. — 47. Fratres naturales, ac spurii, et cæteri hujusmodi collaterales uterini succedunt et sibi invicem, et collateralibus legitime natis, et si legitime nati essent etiam ipsi. — 48. Collaterales ex damnato coitu, nec sibi invicem, nec legitimis, nec hi illis ab intestato succedere possunt, sive ex parte patris, sive ex parte matris sint conjuncti. — 49. Deficientibus omnibus consanguineis defuncti, sive descendentibus, sive ascendentibus sive collateralibus, tunc nisi adsint in contrarium pacta dotalia, aut statuta, seu consuetudines locorum, succedit superstes conjux excluso fisco. — 50. Dummodo tamen tempore mortis unius nullum inter eos reperiatur divortium, etiam quoad torum vel cohabitationem. — 51. Uxor pauper an, quomodo et quando succedat defuncto marito diviti, etiam exstantibus liberis vel aliis consanguineis? ad num. 54. — 55. An et quomodo etiam maritus pauper succedat reciproce cum liberis aut sanguine junctis uxoris. — 56. Deficientibus consanguineis ultra decimum gradum, et uxore aut viro, succedit ultimo loco fiscus in omnibus bonis vacantibus defuncti seu defunctæ. — 57. Ut fiscus legitime succedat dictis bonis, quid prius agere debeat? — 58. Limitatur tamen conclusio quoad bona peregrinorum in remotis locis a sua patria decedentium ab intestato. — 59. In bona clericorum patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia, et parcimonialia succedunt ab intestato eorum legitimi consanguinei. — 60. Si clericus consanguineos successionis capaces non habeat, in dicta bona succedit ecclesia, cui servivit, seu in qua beneficium habuit, excluso fisco episcopali. — 61. Si autem clericus intestatus decedens, nec habeat consanguineos successionis capaces, aut beneficium habuerit, in dicta sua bona succedit fiscus episcopalis. — 62. Episcopus tamen in dicto casu non potest sibi ipsi talia bona appropriare, sed debet ipsa erogare in pias causas. — 63. In bona vero mere ecclesiastica clericorum succedit collegium ipsorum, vel successor in beneficio, si clericus defunctus bona separata possidebat, ab eodem tamen in pios usus fideliter distribuenda. — 64. In omnia bona religiosorum professorum, qui de ipsis ante professionem nihil disposuerunt, succedit, velut ab intestato mortuorum morte civili, monasterium seu ordo religiosus, si successionis sit capax. — 65. Si autem monasterium, seu ordo religiosus, non sit successionis capax, tunc succedunt hæredes illorum ab intestato, perinde ac si morte naturali obiissent. — 66. Alia ad rem, ad n. 78.

(1. Ille dicitur decedere intestatus, seu « intestatus decedit, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non jure fecit, aut id quod fecerat, ruptum irritumque factum est, aut si ex eo nemo hæres exstiterit. » Sic expresse habetur in princip. Instit. *De hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur*, et concordat l. *Intestati* 1, *ff. De suis et legitimis hæredibus*, ibi : « Intestati proprie appellantur, qui, cum possent testamentum facere, testati non sunt; sed et is, qui testamentum fecit, si ejus hæreditas adita non est, vel ruptum, vel irritum est testamentum, intestatus non improprie dicitur decessisse. » (2. Unde qui tali succedit, dicitur intestato seu ab intestato succedere, et hæres ab intestato vocatur. *Communis.* (3. Imo quamvis qui testari non potuit, proprie non sit dicendus intestatus, tamen hic quoque in jure oro intestato accipitur, textu expresso in cit. l. *Intestati* 1, *ff. De suis et legitimis hæredibus*, ibi : « Plane qui testari non potuit, proprie non est intestatus, puta impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est, sed hos quoque pro intestatis accipere debemus. » Et sic etiam qui tali succedit, dicitur intestato succedere, et hæres ab intestato appellatur. *Communis.*

(4. Successio ab intestato est acquisitio hæreditatis legibus debita absque testamento vel dispositione hominis. Est in re communis, arg. tot. titul. ff. : « Si quis, omissa causa testamenti, ab intestato vel alio modo possideat hæreditatem. »

(5.* Porro locus est intestatæ successioni, *si certum est, tabulas non exstare.* L. 3, ff. *Si tab. test. non exst.* Quandiu autem ambigitur, an exstent necne, huic possessioni locus non est. L. 1, cod. *De poss. bon. sec. tab.* Neque solum cum nullæ testamenti tabulæ

Digitized by Google

exstant, huic possessioni locus est, sed cum etiam injustæ exstant, ut si quis filius præteritus fuerit, item si hæres scriptus recuset adire, vel probetur testatorem post factum testamentum ab intestato decedere voluisse. L. 1, § 9, et l. 13, ff. *Si tab. test. null. exst.* Rursus ad hoc, ut locus sit intestatæ possessioni, requiritur ut nemo antea hanc possessionem adeptus sit, sive secundum tabulas, sive contra tabulas, vel requiritur ut hæres repudiaverit. L. 1, § 2 et 3, ff. eod., l. 1, § 1 *Quis ordo in possess.* Capta vero possessio in vim Carboniani edicti non impedit, quominus etiam ab intestato peti possit. L. 1, § 4, ff. *Si tab. test. nul. exst.* Hæc enim non est vera et definitiva possessio. Carboniano siquidem edicto locus est, « si cui controversia fiet, an inter liberos sit, et impubes sit, causa cognita, perinde possessio datur ac si nulla de ea re controversia esset, et judicium in tempus pubertatis, causa cognita differtur. » L. 1, ff. *De Carbon. edict.* Sed videnda etiam lex 7, § 8, et l. 12, ff. eod., quæ rem clarius explicat. Notandum denique intestatam possessionem tunc demum concedi, nisi quis jure civili ex testamento hæreditatem adierit. Exemplum habes in l. 2, ff. *Si tab. nul. exst.* *.

(6. Successio ab intestato est duplex, seu dupliciter fit, scilicet in capita et in stirpes, *Communis.* (7. Successio in capita fit et est, quando hæreditas secundum numerum personarum succedentium, quibus defertur, in portiones seu partes viriles, sive æquales, dividitur, ita, ut tot fiant partes seu portiones hæreditatis æquales, quot sunt capita seu personæ ejusdem gradus, et ob id appellatur *successio in capita*, textu expresso in novella 118, c. 3 in fine, ibi : «Quod in capita nostræ leges appellant. » (8. Successio in stirpes fit et est, quando plures succedunt in locum alicujus, non secundum numerum personarum, sed secundum portionem, quam de jure accepisset ille, in cujus locum succedunt, ita ut omnes simul sive multi sive pauci sint, tantam solum portionem hæreditatis accipiant, quantam suus principalis, cujus loco succedunt, reciperet si adhuc viveret. Sic si pater intestatus decedens, unum filium et decem nepotes ex alio filio prædefuncto relinquat, isti decem nepotes succedunt *in stirpem*, id est in locum sui patris, a quo tanquam stirpe proveniunt, et omnes decem simul tantam solam portionem hæreditatis recipiunt, quantam reciperet suus pater, si adhuc viveret, id est solummodo tantam inter omnes, quantam accipit de se solo ipse adhuc vivens frater eorum prædefuncti patris, § *Cum filius* 6, et § *Sed nos* 16, Instit. *De hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur*, ibi : « Quemadmodum inter filios et nepotes ex filio antiquitas statuit, non in capita, sed in stirpes dividi hæreditatem. » Et concordant authentic. *In successionem*, cod. *De suis et legitimis*, et authent. *De hæredibus ab intestato venientibus*, cap. 1. collat. 9, ibi : « Tantam de hæreditate morientis accipientes partem quanticunque sint, quantam eorum parens, si viveret, habuisset, quam successionem in stirpes vocavit antiquitas. »

* Jure antiquo, quod ex ipso prætoris edicto obtinebat, octo erant bonorum intestati possessionis gradus, quos fuse describit Theophil. *Instit.* lib. III, tit. 9, § 1. Ulpianus profecto septem duntaxat enumerat gradus, ut videre est in ipsius *Frag.*, tit. 28, § 7, licet hunc eumdem textum mutilaverit Tribonianus, ut hanc legem legibus accommodaret Justiniani qui, omnibus sublatis gradibus, quatuor tantum constituit, ideo ita legitur Ulpiani textus in l. 1, ff. *Si tab. nul. exst.* Sed cur Theophilus octo enumerat gradus, septem vero tantum Ulpianus? Ex edicto quidem prætoris octo erant gradus, octavus nempe *Unde decem personæ*, quæ dabatur manumissori post vocatas ad hanc possessionem novem personas, videlicet filium, nepotem, neptem, patrem, matrem, avum, aviam, fratrem et sororem, et decimo loco vocavit manumissorem ad successionem manumissi intestati decedentis. Sed *vide* Theophil., *loc. cit.* Postea autem mancipationes et manumissiones in mancipationibus in usu esse desierunt; nullus proinde bonorum possessioni *Unde decem personæ* jam super fuit locus, ideoque Ulpianus omisit*.

(9. Nunc vero ex constitutionibus Justiniani succedentium ab intestato quinque ordines assignantur : primus est *descendentium*, liberorum nempe, nepotum ac pronepotum, etc.; secundus est *ascendentium*, parentum nempe, avorum ac proavorum, etc.; tertius *collateralium*, fratrum nempe et aliorum consanguineorum; quartus *conjugum* inter se; quintus denique *fisci*. Authent. *De hæredibus ab intestato venientibus*, seu novella 118, cap. 1, 2 et 3, collat. 9, ac tot tit., ff. et cod. *Unde vir*, et tot tit. cod. *De bonis vacantibus*.

(10. Liberi naturales et legitimi simul, id est filii ex legitimo matrimonio nati, si adhuc omnes sint superstites, sine ulla status differentia, sive feminæ, sive mares, sive sui sint, hoc est in patris potestate, sive emancipati, sive sæculares, sive clerici, aut ecclesiasticæ personæ, succedunt in capita et æqualiter ab intestato suis parentibus, tam patri quam matri, exclusis omnibus aliis, non solum collateralibus, sed etiam ascendentibus et descendentibus; si autem aliquis ex dictis liberis fuerit præmortuus, succedunt pro ipso ejus filii aut nepotes non in capita, sed in stirpes. *Communis*, textu expresso in cit. authent. *De hæredibus ab intestato venientibus*, seu novella 118, cap. 1, collat. 9, et cit. authent. *In successionem*, cod. *De suis et legitimis*.

(11. Etiam filii legitimati per subsequens matrimonium succedunt ab intestato parentibus, si soli sint vel unacum naturalibus et legitimis liberis jam natis seu nascituris æqualiter, cum habeantur per omnia, ac si ab initio legitime nati fuissent. *Communis*, textu expresso in § *Sui autem* 2, Institut.

Digitized by Google

De hæreditatibus quæ ab intestato, et cap. *Tanta* 6, Qui filii sint legitimi.

(12. Item filii legitimi tantum, id est adoptivi, etiam eodem modo quo legitime nati, æqualiter in capita succedunt adoptanti vel abroganti. *Communis*, claris juribus in § 14, Institut. *De hæreditatibus quæ ab intestato*, leg. *Cum in adoptivis* 10, § 1, cod. *De adoptionibus*, leg. *Si te parens* 5, cod. *De suis et legitimis liberis*, ibi : « Si te parens, in cujus fuisti potestate, solemniter in adoptionem dedit cum filiis naturalibus adoptivi patris ante vel post quæsitis, defuncto intestato succedere potes*. Dummodo tamen fuerint in potestate adoptantis, dum hic mortuus est; emancipatione enim omnia adoptionis jura dissolvuntur. » L. 1, § 6 ff. *Unde liberi**.

(13. Filii naturales legitimati per rescriptum supremi Principis æquali jure, acsi fuissent legitime nati, succedunt ab intestato suis parentibus, si tres concurrant conditiones : scilicet primo, si nulli exstent filii legitimi; secundo, si pater naturalis, peracta generatione, ex aliqua justa causa matrem ducere non potuit, sicque per subsequens matrimonium prolem legitimare nequivit; tertio, si proles in legitimationem consenserit. Sic expresse novella 74, cap. 1, et novella 89, cap. 9. Si autem supremus princeps in rescripto legitimationis insereret clausulam : « Non obstante quod adsint legitimi, » seu : « Etiam in præjudicium legitimorum, » procederet conclusio, etiam non concurrente prima conditione, quia supremus Princeps potest antiquas leges abrogare et novas condere, arg. leg. *Disputare* 3, cod. *De crimine sacrilegii*, cum similibus, et in tali casu standum esset dispositioni posterioris legis, quia posteriora derogant prioribus, c. *Licet Romanus Pontifex* 1, De constitutionibus in 6, leg. *Sed et posteriores*, ff. *De legibus*, cum similibus Et sic tenet Communis doctorum, teste Gailo, lib. II, observ. 142, n. 8.

(14. Legitimatio filii naturalis facta per rescriptum supremi Principis tempore, quo nulli exsistebant filii naturales simul et legitimi, probabilius non exspirat quoad successionem ab intestato, etiamsi postea nascantur patri filii legitimi. Sic Gailus, *l. cit.*, n. 5; Reiffenstuel lib. III, *Decr.*, tit. 27, n. 4; Bartolus, in l. *Ex facto*, n. 3, ff. *De vulgari et pupillari substitutione*; Baldus, *ib.*, n. 1, ac etiam Jason, n. 15, citans communem; et ratio est, quia semel perfecta et consummata non irritantur, quamvis ad eum casum perveniant, a quo incipere non potuissent, l. *In ambiguis* 82, § 1, *De regul. juris*, ibi : « Non est novum, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus exstiterit a quo initium capere non potuerunt, » et cap. *Factum* 73, De regul. jur. in 6, ibi : « Factum legitime retractari non debet, licet causa postea eveniat, a qua non potuit inchoari; » contrarium tamen sentiunt multi citati a Tiraquell. in leg. *Si unquam*, n. 275, cod. *De revocat. donat.*, arg. l *Existimo* 98 princip, ff. *De verb. obl.*

(15. Filii naturales, non exstantibus aliis ex legitimo matrimonio natis, neque uxore legitima, succedunt ab intestato patri unacum sua matre in sextante, seu duabus unciis (id est duabus partibus, si hæreditas in duodecim dividatur) æqualiter inter eos dividendis; ita ut una prolibus naturalibus, altera vero matri remaneat. Novella 18, cap. 5, novella 89, c. 12. (16. Si autem exstent filii aut nepotes legitimi, vel legitima uxor, tunc non succedunt filii naturales patri ab intestato, nec avo paterno, sed solum debentur illis alimenta ex bonis paternis arbitrio boni viri. Cit. nov. 18, c. 5, et nov. 87, c. 12. (17. Succedunt tamen matri dicti filii naturales etiam illustri et omnibus ascendentibus per lineam maternam una cum legitime natis. L. *Si qua illustris* 5, cod. *Ad S. C. Orficianum*, et § *Novissime* 5, instit. eod., cum similibus.

(18. Filii spurii, vulgo *quæsiti*, nullatenus succedunt patri ab intestato. Arg., § 4, instit. *De successione cognat.* (19. Istorum enim certus pater nescitur, adeoque, etc. Succedunt tamen matri non illustri æque ac filii naturales. Cit. l. *Novissim.*, instit. *Ad S. consul. Orficianum*; et leg. 2, ff. *Unde cognati.* (20. Matri autem illustri et habenti filios legitimos non succedunt ab intestato; secus vero si legitimis filiis careat. *Si qua illustris* 5, cod. *Ad S. C. Orfician.*

(21. Filii ex damnato coitu, nec patri, nec matri ab intestato succedunt, quamvis nulli legitimi exstent. Novella 89, c. final. et authent. *Ex complexu*, cod. *De incest. nupt.*, *v.* verb. FILIUS, n. 127.

(22. Filiis ex damnato coitu æquiparantur, ita ut nec patri, nec matri, nec aliis ascendentibus succedant ab intestato, filii, quorum parentes ob crimen læsæ majestatis sunt condemnati. L. *Quique* 3, § 1, cod. *Ad leg. Jul. majest.* Item filii eorum, qui propter hæresim condemnati sunt. Cap. *Excommunicamus* 3, § *Damnati*, De hæreticis.

(23. Qui autem sint et dicantur filii legitimi, illegitimi, naturales, spurii, quæsiti, ex damnato coitu? *Vide* verb. FILIUS, ubi late de omnibus.

(24. Nepotes et pronepotes succedunt ab intestato avo vel aviæ in stirpes, sive adhuc exstent filii dicti avi et dictæ aviæ, sive non. § *Cum filius* 6 et § *Sed nos* 16, instit. *De hæredit. quæ ab intestato*; novella 118 et authent. *In successionem*, cod. *De suis et legitimis*, et l. *Nepotes* 2, cod. eod. cum similibus.

(25. Deficientibus descendentibus, et fratribus, seu sororibus germanis, succedunt ab intestato soli ascendentes, servata tamen graduum prærogativa, ita ut proximiores gradu excludant remotiores; unde pater et mater succedunt filiis decedentibus sine liberis et fratribus, vel sororibus germanis, id est utrinque conjunctis, exclusis a tali successione avo et avia. Novell. 118, cap. 2, authent. *Defuncto*, cod. *Ad S. Consult. Tertullianum.*

(26. Sic etiam si Paulus v. g. defunctus

Digitized by Google

sine liberis relinquat superstitem patrem et avum maternum, matre mortua, solus pater succedit Paulo, excluso penitus avo materno, etiam quoad bona materna et vice versa, patre mortuo, mater superstes excludit penitus avum paternum a successione filii etiam quoad bona paterna. Arg. l. *Si plures* 10, § *Filio*, ff. *De vulgari et pupillari substitutione*, et cit. nov. 118, c. 2, juncta Glossa, ib., verb. *Proximi*, et Gloss., in cit. authent. *Defuncto*, verb. *Gradus*; Pirrhing, l. III *Decret.*, tit. 27, n. 13; Reiffenst., *ibid.*, n. 30, testans de communi contra paucos.

(27. Si defunctis patre et matre, exstent plures ascendentes sine fratribus vel sororibus defuncti, v. g. exstent avus et avia in linea paterna, et simul avus et avia in linea materna, aut ex parte patris exstet solus avus, et ex parte matris avus et avia, vel vice versa, tunc succedunt defuncto nepoti aut pronepoti omnes æqualiter, non in capita, sed in stirpes, ita ut hæreditas ex æquo inter illos ascendentes, qui eumdem gradum obtinent, dividatur, et unam medietatem accipiant ascendentes a patre, alteram ascendentes a matre, sive plures fuerint, sive unus solus ex una parte. *Communis*, text. claro in cit. novella 118, cap. 2.

(28. Quando cum ascendentibus æqualis gradus exstant etiam germani fratres et sorores defuncti, tunc succedunt omnes æqualiter, et in capita, ita ut ascendentes, et fratres, et sorores defuncti accipiant æquales partes hæreditatis, tot faciendo æquales portiones, quot sunt capita seu personæ. *Communis*, text. aperto n. cit. novella 118, cap. 2, § *Si vero*, et cit. authent. *Defuncto*, cod. *Ad S. C. Tertullianum*.

(29. Sorores autem et fratres solum uterini, id est ex sola matre, vel solum consanguinei, id est ex solo patre, excluduntur per ascendentes, nec possunt cum illis succedere hæreditati fratris uterini defuncti. *Communis* per text. in cit. novella 118, cap. 2, ibi: « Si vero cum ascendentibus inveniantur fratres aut sorores ex utrisque parentibus conjuncti defuncto; » ubi, ut vides, textus ad id admittit solos fratres aut sorores germanos, et non solum uterinos, aut solum consanguineos.

(30. Germanorum filii succedunt cum ascendentibus et fratribus seu sororibus germanis hæreditati alterius prædefuncti germani fratris aut sororis, non nisi tamen in stirpem, text. expresso in novella 127, cap. 1.

(31. Nepotes autem seu pronepotes præmortui fratris non gaudent hoc privilegio, sed excluduntur a dicta hæreditate per ascendentes et germanos fratres, aut sorores ipsius præmortui fratris, ut constat clare ex Rubrica cit. novella 127, ibi: « Ut fratrum filii succedant pariter ad imitationem fratrum etiam ascendentibus exstantibus, » ubi, ut vides, Rubrica ad dictam successionem admittit solum fratrum filios, non autem nepotes et pronepotes. Tum quia jus repræsentationis ultra fratrum filios locum non habet in linea collaterali. Authentic. *Post fratres fratrumque filios*, cod. *De legitimis hæredibus*.

(32. In iis casibus, in quibus filii naturales et illegitimi succedunt parentibus, parentes etiam succedunt illis, textu expresso in nov. 89, c. 13.

(33. Deficientibus descendentibus et ascendentibus, succedunt ab intestato defuncto ejus sanguine juncti collaterales, et quidem æqualiter, et in capita, cum hoc tamen, quod collateralis gradu proximior semper totaliter excludat remotiorem, sicque omnium primo succedunt germani fratres et sorores, penitus exclusis fratribus et sororibus solum uterinis, vel solum consanguineis, text. expr. in novella 118, cap. 3, et authent. *Itaque*, cod. *Communis*, De successionibus.

(34. Quando cum defunctis fratribus et sororibus germanis exstant etiam filii alterius fratris aut sororis germanæ prædefunctæ, tunc etiam isti cum illis ab intestato succedunt, ita tamen ut fratres et sorores succedant in capita, et dicti filii solum in stirpem omnes simul pro unica tantum portione loco sui patris prædefuncti, text. expr. in nov. 118, cap. 3, § *Si autem*, et in authent. *Cessante*, cod. *De legitimis hæredibus*.

(35. Sicuti fratres germani, ita etiam filii fratrum germanorum excludunt fratres solum uterinos, vel solum consanguineos, sublata omni differentia sexus et emancipationis, textu claro in cit. novella 118, cap. 3, § *Si autem defuncto*, et cit. authent. *Cessante*, cod. *De legitimis hæredibus*.

(36. Si soli filii diversorum fratrum vel sororum exstent, et nullus frater defuncti, neque germanus, neque solum consanguineus, aut solum uterinus, tunc filii et filiæ fratrum germanorum, non in stirpes, sed in capita succedunt defuncto patruo. Affertur exemplum. Demus, quod Petrus habens duos fratres Paulum et Joannem, iis præmortuis, intestatus decedat, et ex fratre Paulo exstent quatuor filii seu filiæ, et ex altero fratre Joanne sex. Hi decem filii seu filiæ duorum fratrum succedunt Petro patruo suo, non in stirpes, sed in capita, sicque hæreditas Petri non est dividenda in duas partes pro numero duorum fratrum præmortuorum, sed in decem partes secundum numerum decem filiorum, seu filiarum dictorum duorum fratrum. Sic clare deducitur ex l. *Post consanguineos*, § 2, ff. *De suis et legitimis hæredibus*, ibi: « Si plures sint ejusdem gradus, omnibus (omnibus defertur hæreditas) in capita scilicet, utputa duos fratres habui vel duos patruos, unus ex his unum filium, alius duos relinquit, hæreditas mea in tres partes dividetur, » et l. *Leg. duodecim* 14, ad finem, cod. *De legitimis hæredibus*, ubi de liberis fratrum et sororum sic statuitur: « illo procul dubio observando, ut successio non in stirpes, sed in capita dividatur. » Sic Fachin., lib. VI *Controv.*, cap. 3; Molina, tract. 2, disp. 164, n. 12; Covarruvias, in *Epitom. success*, n. 12; Reiffenstuel,

Digitized by Google

lib. III *Decret.*, tit. 27, n. 39; Pirrhing, *ibid.*, n. 21, testans de communi contra aliquos, et ferens hanc sententiam fuisse approbatam a Carolo V, in comitiis imperialibus Spiræ habitis anno 1529.

(37. Si autem nullis exstantibus fratribus germanis defuncti, exstent ejusdem fratres consanguinei vel uterini, tunc succedunt quidem soli filii et filiæ fratrum germanorum, exclusis fratribus solum consanguineis, vel solum uterinis, ut expresse habetur in novella 118, cap. 3, § *Si autem*, vers. *Unde consequens est*; at vero in stirpes et non in capita, quia, quando prædicti filii et filiæ fratrum germanorum defuncti concurrunt cum ejusdem defuncti fratribus consanguineis vel uterinis, tunc succedunt solum jure repræsentationis sui patris fratris germani dicti defuncti, alioquin non possunt excludere ab ejusdem hæreditate ipsius defuncti fratres consanguineos et uterinos, cum essent uno gradu ipsis remotiores: adeoque cum eos solummodo excludant, quatenus repræsentant patrem suum defunctum, qui utpote frater germanus eos excluderet, et succedentes jure repræsentationis, succedunt in stirpes, et non in capita, ex cit. nov. 118, c 2, § *Si autem*, et authentic. *Cessante*, cod. *De legitimis hæredibus*, in tali casu dicti filii et filiæ succedunt in stirpes, et non in capita. Sic Fachin., *loc. cit.*; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 21; Reiffenstuel *loc. cit.*, num. 41, et alii communius.

(38. Quando nulli exstant liberi legitimi, nec germani fratres vel sorores defuncti, de cujus hæreditate agitur, tunc ab intestato succedunt ejus consanguinei seu uterini fratres et sorores, exclusis omnibus collateralibus, textu expresso in cit. novella 118, cap. 3, vers. *His autem non exsistentibus*; et authent. *Post fratres autem*, cod. *De legitimis hæredibus*.

(39. Quando defunctus relinquit quosdam fratres consanguineos, et etiam quosdam fratres uterinos, tunc probabilius fratres consanguinei succedunt in bonis paternis, nempe quæ a patre defuncto ad eum pervenerunt, et fratres uterini in bonis maternis, nempe quæ a matre defuncta obtinuit, in aliis vero bonis æqualiter et indistincte succedunt. Sic colligitur ex leg. *De emancipatis* 13, § *Exceptis maternis rebus*, cod. *De legitimis hæredibus*, ibi: « Exceptis maternis rebus, in quibus, si de eadem matre, fratres vel sorores sunt, eos solos vocari oportet. » Et sic tenent Glossa, in authent. *Post fratres* 1, verb. *Filii eorum*, cod. *De legitimis hæredibus*, et Gloss., in authent. *Itaque*, verb. *Utroque parente*, cod. *Communia*, De successionibus, et ibi Bartolus, Covarruv., in citat. epitome *De successionibus ab intestato*, n. 8, § *Tertio est advertendum*; Jason, in leg. *Post dotem*, ff. *Soluto matrimonio*; Molina, cit. disp. 164, n. 7; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 22, et ipso teste, alii communiter, et hanc sententiam vocat etiam communissimam Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 43, quamvis ipse n. 44, 45 et 46, cum

variis aliis defendat oppositum. (40. Quæ sententia est vere probabilis, ut fatetur etiam ipse Pirrhing, *loc. cit.*, eamque propugnant Fachin., Fulgosus, Corneus, Haunold, Bald. Salicet. et alii cum Reiffenstuel, *loc. cit.*

(41. Deficientibus omnibus fratribus et sororibus, tam germanis quam consanguineis et uterinis, eorumque omnibus filiis, succedunt ab intestato reliqui collaterales sanguine juncti gradu propinquiores, exclusis remotioribus, et quidem non in stirpes, sed in capita, si plures exsistant ejusdem gradus, nulla habita distinctione aut differentia sexus masculini aut feminini, agnationis et cognationis, vel bonorum paternorum aut maternorum, sive utrum ex utroque an ex uno tantum latere sint conjuncti, quia in istis sola cognatio spectatur, textu expresso in authent. *Post fratres* 2, cod. *De legitimis hæredibus*, et c. nov. 118, c. 3 in fine, et cap. 4 per tot.

(42. Ab intestato succedere possunt omnes cognati gradu proximiores probabilius usque ad decimum gradum tantum secundum computationem civilem. Sic Glossa fin. communiter recepta in authent. *In successione*, cod. *De suis et legitimis hæredib.*, et cit. novella 118, cap. 3, § final., verb. *Cognatus*, et debet hæres petens hæreditatem probare se defuncto intra decimum gradum conjunctum fuisse. Schneidew., Comm. in Institut. *De hæredit. quæ ab intestato*, § *De tertio ordine succedentium*, n. 40; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 23, vers. *Porro hodie*, et alii, arg. § *Hoc loco* 5, instit. *De successione cognatorum*.

(43. Plures tamen alii satis probabiliter censent hodie agnatos et cognatos etiam ultra decimum gradum, admitti ad successionem in infinitum, excluso fisco, dummodo suam genealogiam probare possint. Leg. *Post consanguineos* 2, § 1, ff. *De suis et legitimis hæredibus*, ibi: « Deinceps que cæteri, si qui sunt hinc orti in infinitum; » et concordat § *Cæterum* 3, Instit. *De legitima agnatorum successione*; tum quia in cit. novella 118, cap. 2, § final. et cap. 4, omnes agnati et cognati ad hæreditatem vocantur juxta gradus prærogativam, nulla facta restrictione ad certum gradum, quod idem colligitur ex leg. *Vacantia* 4, cod. *De bonis vacantibus*. Cæterum recte notat Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 47, quod inutilis videtur quæstio an talis successio extendatur usque in infinitum, an vero solum usque ad decimum gradum; quia ultra decimum gradum casus successionis ab intestato vix contingit.

* Mihi quidem hac in re non videtur locus quæstioni; exstat lex non obscura, quæ septem numerat cognatorum gradus, quæ est l. 1, § 3, ff. *Unde cognati*. Idem statutum legimus in Institut. lib. III, tit. 6, § 5, vers. *Proximitatis*. Ergo ultra septimum gradum non esse locum cognatorum successioni pro certo habendum est *.

(44. Filii adoptivi non succedunt filiis legitimis patris adoptantis, nec aliis agnatis et cognatis, nec isti succedunt filio ado-

Digitized by Google

ptivo, textu claro in leg. *Cum in adoptivis* 10, § 1, vers. *Et ideo*, cod. *De adoptionibus*.

(45. Fratres naturales, spurii ac cæteri hujusmodi naturales ex uno patre et diversis matribus provenientes sibi invicem ab intestato nullatenus succedunt. L. *Si spurius*, 4, ff. *Unde cognati*. Et sic communis receptissima doctorum, teste Covarruv. *De matrimon.*, part. II, cap. 8, § 5, num. 26, et Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 10.

(46. Neque dicti fratres naturales et spurii succedunt fratri legitime procreato vel legitimato. Et nec isti illis. Arg. novella 89, c. 4. Cum enim ex dicta novella filii naturales, etiam legitimati, solum patri, non autem cæteris collateralibus succedant, sequitur evidenter, quod nec isti illis succedere possint, quia hæc successio est reciproca, ut cum aliis recte docet Covarruv., in epitome *De successionibus ab intestato ad finem*; Reiffenstuel, *loc. citat.*, num. 50, et alii.

(47. Fratres naturales ac spurii, et cæteri hujusmodi collaterales uterini, seu ex eadem matre, succedunt et sibi invicem et collateralibus legitime natis, acsi legitimi nati essent etiam ipsi. *Communis*, textu expresso in l. *Hac parte* 2 et l. *Si spurius* 4, ff. *Unde cognati*.

(48. Collaterales nati ex damnato coitu, nec sibi invicem, nec legitimis, nec hi illis ab intestato succedere possunt, sive ex parte patris, sive ex parte matris sint conjuncti. Sic Communis doctorum, teste Schneidew. lib. III, t. I, *De certo ordine succedentium*, num. 37, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, sub n. 51, arg. authent. *Ex complexu*, cod. *De incestis et inutilibus nuptiis*, ibi : « Ex complexu nefario, aut incesto, seu damnato, liberi nec naturales sunt nominandi, omni paternæ substantiæ indigni beneficio, ut nec alantur a patre ; » ubi, ut vides, adeo odibiles reputantur taliter nati, ut non solum ab omni successione, sed etiam alimentatione parentum excludantur, adeoque multo magis a successione collateralium. V. supra sub n. 21.

(49. Deficientibus omnibus consanguineis defuncti, sive descendentibus, sive ascendentibus, sive collateralibus, tunc nisi adsint in contrarium pacta dotalia aut statuta, seu consuetudines locorum, succedit superstes conjux, excluso fisco. *Communis*, textu expresso in leg. unic., ff. et cod. *Unde vir et uxor*.

(50. Dummodo tamen tempore mortis unius nullum inter eos reperiatur divortium, textu expresso in cit. l. unic., ff. *Unde vir et uxor*, ibi : « Ut autem hæc bonorum successio locum habeat, uxorem esse oportet mortis tempore, sed si divortium secutum sit, ... hæc successio locum non habet. »

(51. Uxor pauper succedit ab intestato defuncto marito diviti etiam exstantibus liberis, vel aliis consanguineis, non quidem in omnibus bonis, sicuti quando deficiunt omnes consanguinei, sed in quartam partem

hæreditatis, si non sint plures quam tres liberi seu consanguinei, vel si quatuor aut plures exstent liberi seu consanguinei, in portionem virilem, id est in tantam portionem, quanta uni ex liberis vel consanguineis obtingit, computato tamen in hac portione illo, quod eidem a marito legatum seu relictum est. Authent. *Præterea*, cod. *Unde vir et uxor*, novella 57, c. 6, et nov. 117, cap. 5.

(52. Cum hac tamen advertentia, quod si uxor pauper succedat marito unacum liberis, succedit tantum quoad usumfructum sua vita durante, asservata proprietate filiis ; si vero succedat marito cum consanguineis collateralibus, succedit etiam quoad proprietatem. Sic citata jura.

(53. Et ad hoc ut uxor pauper sic succedat bonis mariti, debet esse vere pauper, ita ut nec habeat sufficientem dotem, nec alia media unde honeste vivere possit, alias nihil ei deberetur de bonis mariti. Cit. authent. *Præterea*, cod. *Unde vir et uxor*, ibi : « Si superstes laboret inopia, » et cit. nov. 53, cap. 6, § 2, ibi : « Nam si aliunde habeat... non erit justum gravare filios per successionem. »

(54. Insuper ad hoc ut uxor pauper possit sic marito succedere, requiritur quod tempore mortis mariti nullum fuerit inter eos justum divortium, juxta dicta *supra* num. 50 per cit. l. unic., ff. *Unde vir et uxor* ; et quod nulla in contrarium adsint pacta dotalia aut statuta, seu consuetudines locorum, utpote quæ juri communi derogant. Arg. c. *Cum tanto* 11, De consuetudine, et l. *De quibus* 32, ff. *De legibus*.

(55. Maritum etiam pauperem succedere reciproce cum liberis, aut sanguine junctis uxoris in quartam, vel virilem partem in bonis ipsius præmortuæ divitis uxoris, tenent Schneidew, *loc. cit.*, n. 16 ; Engel, *loc. cit.*, n. 16 ; Glossa prim. in authent. *Præterea*, et ibi, teste Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 58. Doctores communiter, arg. in cit. authent. *Præterea*, cod. *Unde vir et uxor*, ubi indistincte id statuitur de conjuge superstite, et novella 53, cap. 6, ubi id expresse sancitur præcisis his verbis : « Si inops, aut vir aut mulier invenitur, et moriens quidem aut vir aut mulier locuples sit, ille vero vel illa superstes pauper exsistat ; » et id etiam inferre videtur identitatis ratio, quia ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio. Leg. *Illud* 32, ff. *Ad legem Aquiliam*, et c. *Inter corporalia*, De translat. episcopi ; cum ratio legis sit anima legis, l. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnatorum*. Nihilominus dubium movent, ut recte advertit Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 68, novissimæ constitutiones novell. 117, c. 5 in fine, ibi : « Virum enim in talibus casibus quartam secundum priorem nostram legem ex substantia mulieris accipere modis omnibus prohibemus ; » quæ verba, ut subjungit dict. Reiffenstuel considerationi legentium, præsertim legislarum, relinquuntur.

(56. Deficientibus consanguineis ultra decimum gradum, et uxore aut viro, succedit

Digitized by Google

ultimo loco fiscus in omnibus bonis vacantibus defuncti seu defunctæ. Leg. *Scire debet* 1, et l. *Vacantia* 4, cod. *De bonis vacantibus;* Pirrhing, *loc. cit.*, num. 25 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 59; Engel, *loco cit.*, num. 17, et alii passim. (57. Ut autem fiscus legitime succedat dictis bonis, debet prius per publicum proclama seu patentes litteras publico in loco affixas vocare omnes, qui in talem hæreditatem jus aliquod se habere existimant, et si intra certum præfixum tempus nullus hæres, seu actor comparuerit, tunc omnia dicta bona hæreditaria, tanquam bona vere vacantia fisco deferuntur ; leg. *Si vacantia* 5, cod. *De bonis vacantibus.* * Multa hic addi possent circa tempus, quo quis petere potest possessionem intestatam, sed plus æquo procederet hæc nostra elucubratio ; ideo lector hæc videat in titulo ff. *De possessorio edicto*, cui locus semper est ubi consuetudo in contrarium non observetur *.

(58. Limitatur tamen conclusio quoad bona peregrinorum in remotis locis a sua patria decedentium ab intestato, tunc enim si adhibita sufficienti diligentia pro reperiendis eorum hæredibus, nullus hæres ob distantiam locorum reperiri possit, tunc bona apud ipsos reperta non deferuntur fisco nec hospiti, in cujus hospitio peregrini decesserunt, sed ab episcopo loci in pias causas erogari debent, textu expresso in authent. *Omnes peregrini*, cod. *Communia*, De successionibus, et tenent Pirrhing, *loc. cit.*, num. 25 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num 56; Engel., *loc. cit.*, num. 8, et alii communiter.

(59. In bona clericorum patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia et parcimonialia succedunt ab intestato eorum legitimi consanguinei. Glossa in cap. *Sed hoc* 1, de successionibus ab intestato, verb. *Tradantur;* Abbas, *ibid.*, num. 1 ; Barbosa, *ibid.*, num. 5 ; Engel, *loc. cit.*, num. 21; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 61, et alii communiter, arg. cap. *Quicunque* 7, caus. 12, q. 5, cum similibus.

(60. Si clericus consanguineos successionis capaces non habeat, in dicta bona patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia et parcimonialia succedit ecclesia, cui servivit ; seu in qua beneficium habuit, excluso fisco episcopali. Abbas, *loc. citat.*, num. 2 et 3 ; Barbosa, *loc. cit.*, num. 2 ; Engel, *loc. cit.*, num. 22 ; Pirrhing, *loco cit.*, num. 26 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num 62, et communis aliorum, per text. expr. in cap. *Quicunque* 2, caus. 12, q. 3, c. *Quicunque* 7, cap. caus. 12, q. 5, juncto c. *Sed hoc* 1, De successionibus ab intestato, in cujus summario sic expresse habetur : « Clericus bona propria dare potest cui vult, sed si decedat intestatus et non habeat consanguineos, succedit ecclesia. »

(61. Si autem clericus intestatus decedens, nec habeat consanguineos successionis capaces, nec beneficium habuerit; in dicta sua bona patrimonialia, quasi patrimonialia, industrialia et parcimonialia succedit fiscus episcopalis. Abbas, in cap. *Sed hoc* 1, num. 1, et cap. *Sancto concilio* 2, n. 2, De successionibus ab intestato ; Engel., *loc. cit.*, n 22; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 27; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 63, cum communi aliorum. Et ratio clare liquet a pari ; sicuti enim deficientibus consanguineis et uxore laici decedentis intestati, succedit fiscus secularis juxta dicta *supra* num. 56, ita etiam deficientibus consanguineis, et ecclesia clerici sponsa, succedit fiscus ecclesiasticus, cum etiam episcopus suum fiscum ac jura episcopalia habeat, ut tradunt Abbas, *loc. cit.*; Engel, *loc. cit.*, num. 22; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 63, et alii communiter cum Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, n. 16, per text. in c. *Si quis contumax* 20, et c. *Si quis deinceps* 22, caus. 17, q. 4, cum similibus.

(62. Episcopus tamen in tali casu non potest sibi ipsi dicta bona appropriare, sed debet ipsa erogare in pias causas. Abbas, in cit. c. *Sed hoc* 1 in fine; De successionibus ab intestato; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 27, et alii passim; argument. cap. *Relatum* 12, De testament.

(63. In bona vero mere ecclesiastica clericorum, seu acquisita ex beneficiis ecclesiasticis vel intuitu ecclesiæ, succedit collegium clericorum, vel successor in beneficio, si clericus defunctus bona separata possidebat, ab eodem tamen in pios usus fideliter distribuenda. Pirrhing, *loc. cit.*, n. 27; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 64 ; Abbas, in cap. *Relatum* 12, De testament., n. 1, et ibi doctores communiter, per text. express. in cit. c. *Relatum*, ibi : « Respondemus quod generaliter bona quælibet per ecclesiam acquisita, eis ecclesiis debent juxta Lateranense concilium post acquirentis obitum remanere; nomine autem ecclesiæ, non episcopus vel successor clerici morientis, ubi est collegium clericorum, sed communis congregatio intelligitur, quæ illarum rerum debet canonicam distributionem et curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum unus est ordinandus, is ea bona, sicut et alia ipsius ecclesiæ in Dei timore dispenset. »

(64. In omnia bona religiosorum professorum, qui de ipsis ante professionem nihil disposuerunt, succedit, velut ab intestato mortuorum morte civili, monasterium seu ordo religiosus, si successionis et possessionis in communi sit capax ; et ratio est quia quidquid acquirit monachus, acquirit suo monasterio. Authent. *Ingressi*, et authent. *Si qua mulier*, cod. *De sacrosanct. ecclesiis ;* authent. *De sanctissimis episcopis*, § *Si qua mulier*, cap. 38, collat. 9, novella 123 et authent. *De monachis*, § *Illud quoque*, cap. 5, novella 5, c. *Statutum* 1, caus. 13, qu. 1, can. *Abbates* 16, caus. 18, q. 2, can. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, q. 3, cap. *In præsentia* 8, De probationibus, cum similibus.

(65. Si autem monasterium seu ordo religiosus non sit successionis et possessionis in communi capax, tunc in talia bona succedunt hæredes illorum ab intestato, per-

Digitized by Google

inde ac si morte naturali obiissent; cum enim monasterium seu ordo religiosus non sit successionis capax, sequitur quod illa bona immediate devolvantur ad proximos cognatos et hæredes ab intestato, cum nemo alius jus ad illa habeat. *Communis.*

(66. Alia ad rem. *Vide* verb. BENEFICIATUS, verb. HÆRES, verb. FILII, verb. PARENTES, verb. REGULARES, verb. TESTAMENTUM.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(67. Accidere nonnunquam solet simul mori eos, qui possunt invicem sibi ab intestato succedere, ex. gr. parentes et filios. Interest vero determinare quis prius mortuus habendus sit, idque ut reguletur successio. (68. Ita autem pro diversitate personarum dijudicandum reor quod ascendentes et descendentes.

(69. Si pater cum filio impubere simul mortuus sit, creditur pater supervixisse. L. 9 in fin., ff. *De reb. dub.*; Frinckelthaus., observ. 52, num. 9 et seq.; Zach., *Quæst. medic. legal.*, 5, tit. 12, n. 14.

(70. Sunt qui tenent, id obtinere, etiamsi filius paululum impubertatem excesserit, cum novissima pubertatis ætas nondum omni imbecillitate exempta sit. (71. Tutius vero est subsistere in terminis a jure præscriptis. Fusar., *De fideicommiss. substit.*, quæst. 416, num. 5.

(72. Num idem procedat si pater et filius impubes in diversis locis perierint, et incertum sit quis prior decesserit? Affirmant Menoch., *Præsumpt.*, lib. VI, præsum. 50, num. 33. Negat vero Donell., in *Commentar.* ad l. 9, § 1, ff. *De reb. dub.* (73. Meo judicio admitti potest Menochii opinio in his aut similibus casibus, quando ambo eidem quidem periculo expositi, sed separati sunt, utputa si ambo in eodem mari et eodem tempore naufragium patiantur, sed tamen diversis navibus vehantur, vel etiam si urbe universim incensa in diversis ædibus degant, aut diversis quidem periculis, sed eodem tempore affligantur. (74. Alias ubi ambobus in diversis locis constituta, talia pericula non concurrant, prius dicendum erit patrem juxta ordinem mortalitatis naturalem citius esse mortuum. Confer Mascard., *De probat.*, conclus. 1344, n. 8 et 16.

(75. Contra vero si cum filio pubere pariter decedat pater, supervixisse filius credetur. L. 9, § 4, ff. *De reb. dub.*, idque etiamsi in bello pereant. Charond., lib. I, *Verisimil.*, c. 31, n. 4.

(76. Quod dictum est de patre et filio simul morientibus, locum etiam sibi vindicat quoad patrem et filiam pariter simul morientes. Ecked., in *Commentar. ad titul.*, ff. *De reb. dub.*, n. 4, tum quoad matrem cum filiis aut filialibus decedentem.

(77. Quid autem si femina parturiens unacum partu moriatur, num femina, an partus prior mortuus censebitur? Vide distinctiones Barry *De success.*, lib. XVII, tit. 12, n. 24; Peregrin., *De fideicommiss.*, art. 43, n. 26.

(78. Hactenus de ascendentibus et descendentibus simul morientibus. Quod attinet ad collaterales simul obeuntes, distinguendi pariter essent plures casus. At de fratre et sorore simul morientibus, *vide* Carpzov., part. I, decis. 19, n. 2 et sequent; de fratribus, l. 18, ff. *De reb. dub.*; de pupillo cum fratre substituto, Mejer, in *Colleg. Argentoraten.*, ad lib. XXXIV, tit. 5, thes. 5, n. 7, ab Esbach. ad Carpzov., part. III, c. 17, defin. 13; de duabus sororibus, Fulgos., consil. 22, n. 54 et sequent.; Grat., lib. II, respons. 6, n. 26.

SUCCESSOR IN BENEFICIO ECCLESIASTICO.

An et quando teneatur stare locationi factæ ab antecessore. *Vide* verb. LOCATIO, n. 8 et 9.

An et quando teneatur solvere debita antecessoris. *Vide* verb. SOLUTIO, a num. 11 ad num. 15. *Vide* etiam verb. MELIORAMENTA, num. 32, 33.

SUFFRAGIA.

SUMMARIUM.

1. Suffragium unde dicatur. — 2. Suffragium dupliciter accipitur et assignatur. — 3. Suffragium, de quo hic est sermo, quid sit? — 4. Suffragium sic sumptum tripliciter contingere potest et assignatur. — 5. Suffragium ex opere operantis duobus modis contingere potest et assignatur. — 6. Personæ fideles, quibus hæc suffragia applicari possunt, sunt duplicis tantum generis, nempe fideles vivi et fideles defuncti in purgatorio exsistentes. — 7. De fide est, dari inter fideles suffragiorum communicationem. — 8. Unde possunt fideles justi se invicem vivos juvare per suffragia ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis quoad culpam jam dimissis. — 9. Fideles possunt suffragari et juvare suis bonis operibus etiam defunctos quoad remissionem pœnæ temporalis in purgatorio exsolvendæ. — 10. Hinc pium est nec divinæ justitiæ, aut perfectioni contrarium satisfactiones a nobis offerri pro animabus purgatorii. — 11. An laudabilius sit satisfactiones omnium suorum operum totius secuturæ vitæ suæ transferre in animas purgatorii, vel sibi retinere? — 12. Si quis vivens applicet animabus purgatorii omnes missas, preces et satisfactiones pro se defuncto offerendas, probabilius invalide applicat. — 13. Contraria tamen opinio est vere probabilis. — 14. Suffragia necdum exhibita, etiamsi certo sint exhibenda, nunc non prosunt pro animabus in purgatorio. — 15. Per se loquendo utilius est animabus, si statim magna copia suffragiorum pro illis offeratur. — 16. Communio oblata animabus purgatorii de se non prodest ipsis, nisi in quantum actus adjuncti sunt ex opere operantis impetratorii vel satisfactorii. — 17. Restitutio eorum, quæ defunctus abstulerat, aut adimpletio votorum, quæ non expleverat, quamvis per accidens prodesse possint ratione piorum actuum, quos hæredes nunc eliciunt pro defuncto, tamen de se nihil conferunt. — 18. Negligentia hæredum in tali restitutione et adimpletione votorum faciendæ non obest ejus animæ in purgatorio exsistenti. — 19. Multi tamen alii sentiunt contrarium. — 20. An et quomodo prosit de-

Digitized by Google

functis usus cereorum ardentium.—21. An et quomodo eis prosit aspersio aquæ benedictæ. — 22. An et quomodo eis prosit incensatio thuris. — 23. An et quomodo eis prosit campanarum pulsus. — 24. An et quomodo eis prosit sepultura in loco sacro?— 25. Ut suffragium habeat suum effectum, tres conditiones requiruntur in eo, pro quo suffragium offertur, et assignantur. — 26. Item ut suffragium suum sortiatur effectum, tres conditiones requiruntur etiam ex parte illud offerentis, et assignantur. — 27. Generales et provinciales ordinum regularium possunt extra religionem specialibus suis benefactoribus communicare et applicare omnia bona spiritualia seu suffragia sui ordinis, sive omnium religiosorum sibi subditorum. — 28. Dicta communicatio omnium bonorum operum seu suffragiorum prodest ipsis primo per modum cujusdam meriti de congruo. — 29. Item per modum impetrationis. — 30. Item per modum satisfactionis.— 31. Et tandem prodest illis, quia regulares possunt unica missa per modum suffragii eorum animam liberare a pœnis purgatorii.

(1. Suffragium dicitur a *suffragando* seu auxiliando. Sic ex S. Thoma, in 4, dist. 45; notat Silvester, in *Summa*, verb. *Suffragium*, n. 1. (2. Suffragium dupliciter accipitur: primo, pro voto, quod in electionibus ad officia et dignitates dari solet, et de suffragio sic accepto satis constat ex dictis sub verb. ELECTIO; secundo, pro auxilio seu adjutorio spirituali, quo unus fidelis alterum adjuvat ad obtinendam a Deo remissionem pœnæ temporalis, vel aliud simile, de quo suffragio sic sumpto hic sermo. (3. Unde suffragium sic acceptum, est auxilium seu adjutorium spirituale, quod unus fidelis alteri præbet ad consequendam a Deo pœnæ temporalis remissionem.

(4. Suffragium sic sumptum tripliciter contingere potest : primo, ex opere operato per sacrificium missæ; secundo, per indulgentias; tertio, ex opere operantis, nempe per proprias operationes bonas ac satisfactorias, ut orationes, jejunia, eleemosynæ, et hujusmodi. De suffragio primo modo satis constat sub verb. MISSA; de suffragio secundo modo satis patet sub verb. INDULGENTIA et JUBILÆUM; et de suffragio tertio modo instituitur hic discursus.

(5. Unde hujusmodi suffragium ex opere operantis duobus modis contingere potest; primo per modum satisfactionis, prout unus offert pro alio valorem satisfactionis, qui est in operibus bonis, ad satisfaciendum pro pœna temporali; secundo per modum impetrationis, aut meriti de congruo, prout unus suis precibus, aut orationibus impetrat a Deo, ut alteri concedat auxilium ad resurgendum a culpa, et ad obtinendam remissionem debitæ temporalis pœnæ. Sic in re doctores communiter post S. Thomam in 4, distinct. 45, qu. 2, art. 1.

(6. Personæ fideles, quibus hæc suffragia applicari possunt, sunt duplicis tantum generis, nempe fideles vivi, et fideles defuncti in purgatorio exsistentes; beati enim in paradiso nullis indigent suffragiis; damnati autem in inferno horum sunt penitus incapaces.

(7. Certum igitur de fide est dari inter fideles suffragiorum communicationem, id est communicationem bonorum operum, quibus ipsi fideles se mutuo juvare, ac sibi invicem suffragari possunt, id enim habetur clarissime in Symbolo apostolorum per illa verba *Credo sanctorum communionem;* cujus articuli verus sensus juxta communem catholicorum theologorum est, quod detur in Ecclesia communio bonorum operum inter homines justos, quibus sibi invicem suffragari possunt; homines enim justi sunt membra unius mystici corporis Ecclesiæ sub uno capite Christo; unde ad *Ephesios* IV comparat Apostolus Ecclesiam corpori humano, in quo sicuti unum membrum sanum alteri præbet auxilium, ita etiam in mystico corpore Ecclesiæ unus homo justus alteri auxilium præstare potest per bona opera; et hoc etiam expresse colligitur ex illo Psalmistæ *Ps.* CXVIII, 63, ibi : *Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua,* et ex illo ad *Romanos*, XV, 30, ibi : *Obsecro vos, fratres, per Dominum Jesum Christum et per charitatem Spiritus sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum,* et ex illo *Jacobi* V, 16 : *Orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet oratio justi assidua.*

(8. Unde possunt fideles justi se invicem vivos juvare per suffragia ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis, quoad culpam jam dimissis. Communis ac certa inter Catholicos, contra hæreticos; idque expresse docet catechismus S. Pii V, in fine, *De sacramento pœnitentiæ*, ubi sic expresse dicit : « In eo summa Dei bonitas, et clementia maximis laudibus, et gratiarum actionibus prædicanda est; qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio satisfacere possit. »

(9. Fideles possunt suffragari et juvare suis bonis operibus etiam defunctos quoad remissionem pœnæ temporalis in purgatorio exsolvendæ. *Est de fide*, et expresse ex *II Machab.* cap. XII, ibi : *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Et hæc veritas definita est in pluribus conciliis, quæ refert Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 23, 1-5, art. 1, n. 7, et expresse in concil. *Trid.* sess. XXV, in decreto de purgatorio, ibi : « Cum Ecclesia catholica Spiritu sancto edocta e sacris litteris et antiqua Patrum traditione in sacris conciliis, et novissime in hac OEcumenica synodo docuerit, purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari. »

(10. Hinc omnino pium esse, nec divinæ justitiæ aut perfectioni contrarium satisfactiones a nobis offerri pro animabus purgatorii recte ex Scriptura et PP., et sensu universalis Ecclesiæ ostendit contra aliquos Raynaudus, in *Heter.*, tract. 15, part. II, sect. 1, punct. 1 et seq., et iterum punct. 10 et 11, ubi contraria argumenta solvit, et sic tenent etiam La Croix, lib. VI, part. II, num. 1336, Kazenberger in *Supplement.*

Digitized by Google

Theol. sacramental. Patris, Sporer, *Append. de suffragiis*, § 2, n. 246, et alii.

(11. An autem laudibilius sit satisfactiones omnium suorum operum totius secuturæ vitæ suæ transferre in animas purgatorii, vel sibi retinere? Variant doctores, Raynaudus enim, *loc. cit.*, sect. 2, punct. 2; Arriaga, d. 40, sect. 2, cum quibus inclinat La Croix, *loc. cit.*, n. 1336, et alii docent id esse minus laudabile et fore prodigalitatem venialiter malam contra charitatem propriam et amorem Deo debitum, quia est velle Deum prius et potius laudari ab alio quam a se; quod videtur esse hominis minus amantis Deum. Econtra autem Hautinus in *Patr. defunct.*, a n. 627, citans pro se S. Thomam, Suarez et Lugo, fuse contendit id esse laudabilius, quia per illum actum charitatis plus meretur gratiæ, et consequenter gloriæ, sibi et Deo per totam æternitatem : quod et admittunt, ut revera admittendum est, etiam auctores primæ sententiæ de eo, qui multo reatu onustus morti proximus applicat alteri seu animabus purgatorii omnes satisfactiones suas, advertens se per id facere actum, qui merito et dignitate sua damnum illud compenset, nam ex charitate transferens, auget suam gratiam, qui est fructus æternus longe pretiosior.

(12. Si quis vivens applicet animabus purgatorii omnes missas, preces et satisfactiones pro se defuncto offerendas, probabilius invalide applicat. Raynaudus, *loc. cit.*; La Croix, *loc. cit.*, n. 1334; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 246, et alii; et ratio est, quia applicatio operis non est in potestate illius pro quo offertur, sed pendet ab intentione operantis; offerens autem, qui suo tempore offeret pro tali defuncto, non offerret ad dictam talis defuncti intentionem, sed offerret, ut ei prosit; ideoque si ei prodesse poterit, proderit, si autem prodesse non poterit, et offerens non substituat aliam intentionem a Deo distribuentur secundum interpretativam intentionem et voluntatem facientis et offerentis opus ut in similibus cum S. Thoma tenent Pasqualig. q. 86. Raynaudus, *loco cit.*, p. 1, n. 32 et alii. Quamvis Kazenberger, *loc. cit.*, et alii apud La Croix, *loc. cit.*, n. 1330, dicant, quod tunc vel proderunt ipsi operanti vel reponentur in communem thesaurum Ecclesiæ; Hautinus autem in *Patr. defunct.*, a n. 627, citans pro se S. Thomam, Suarez et Lugo, ut refert La Croix, lib. II, n. 179, fuse contendit, nedum id valide fieri, sed etiam laudabilius esse, quia per actum illum charitatis plus meretur gratiæ et consequenter gloriæ sibi et Deo per totam æternitatem. (13. Quod tamen Arriaga, d. 40, sect. 2, concludit minus esse laudabile, quia est velle Deum potius laudari ab alio quam a se, quod videtur esse hominis minus amantis Deum.

(14. Suffragia necdum exhibita, etiamsi certo sint exhibenda, nunc non prosunt animabus in purgatorio. Sic communis et certa doctorum cum Raynaudo, *loco citato*, part. III, n. 43. La Croix. *loc. cit.*, n. 1330, et Kazenberger, *loc. cit.*, n. 247. Nec hoc indiget probatione.

(15. Per se loquendo utilius est animabus, si statim magna copia suffragiorum pro illis offeratur, quia solum illis prosunt, si sint actu exhibita, non autem, si sint, quamvis certo, exhibenda. Per accidens tamen potest esse laudabilius fundare missam perpetuam, cum possit esse magis ad Dei gloriam, ut populus in perpetuum certo die et loco missam pro commoditate habeat, Reynaud, *loc. cit.*, a n. 47; La Croix, *loc. cit.*, a n. 1341, et alii passim.

(16. Communio oblata pro animabus purgatorii de se non prodest ipsis, nisi in quantum actus adjuncti sunt ex opere operantis impetratorii vel satisfactorii. Sic fuse demonstrat Raynaud., tom. VI, opuscul. 6, *De communione pro mortuis*, et sequitur La Croix, *loc. cit.*, n. 1344, et alii,

(17. Restitutio eorum, quæ defunctus abstulerat, aut adimpletio votorum, quæ non expleverat, quamvis per accidens prodesse possint ratione piorum actuum, quos hæredes nunc eliciunt pro defuncto, tamen de se nihil conferunt ad liberationem animæ. Sic S. Thomas, Navarr., Sotus, Bellarminus, Suarez, Molina, Valentia, Raynaudus citati et secuti a Lacroix, *loc. cit.*, num. 1345, ubi dicit hanc conclusionem esse contra paucos; et ratio est, quia vel defunctus ante mortem fecit quod potuit, et non ideo diutius patietur; vel id neglexit, et ideo patietur, quantum promerita est ipsius negligentia, non obstante, quod ejus hæredes suis dictis omissis obligationibus satisfaciant. Arg. c. *Mora sua* 25, de regul. juris in 6, et *l.* in condemnatione 173; § 2, ff. De regul. jur.

(18. Sic econtra negligentia hæredum in tali restitutione et adimpletione votorum facienda non obest ejus animæ in purgatorio exsistenti, quia hæredum negligentia non est culpa ad ipsum pertinens Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, textu expresso in cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus; cum peccata suos debeant tenere auctores, cap. *Quæsivit* 2, De his quæ fiunt a majori parte capituli, l. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*; nec debeat aliquis alterius odio prægravari, cap. *Non debet* 28, De regulis juris in 6, et *l. Non debet* 74, ff. de regulis juris. Sic doctores citati *n. antecedent.*

(19. Quamvis tamen varii alii apud Mastrium, in *Theologia moral.*, disputat. 24, quæst. 3, articul. 3, num. 69, affirment, dilationem restitutionis a testatore relictæ obesse ejus animæ in purgatorio exsistenti, et esse causam longioris dilationis in illis pœnis; unde S. Brigitta, lib. VI *Revelationum*, capit. 66, affirmat, tandiu animam cruciari in purgatorio, donec restituatur ablatum, et huic opinioni favent revelationes quædam animarum defunctorum, quæ vivis apparuerunt, et ab hæredibus suorum debitorum restitutionem fieri petierunt, ut a purgatorio liberarentur.

(20. Usus cereorum ardentium prodest defunctis in quantum conjuncti et amici

Digitized by Google

nomine defuncti protestantur, se confiteri Christum esse verum lumen, et ex ejus meritis sperare misericordiam. Raynaud., *loc. cit.*, sect. 3, punct. 11, qu. 5. La Croix, *loc. cit.*, n. 1347. Kazenberger, *loc. cit.*, num. 270, et alii.

(21. Aspersio aquæ benedictæ prodest defunctis propter preces Ecclesiæ, quia benedicendo petit prodesse etiam ad condonationem pœnarum. Raynaud., *loc. cit.*, qu. 5; La Croix, *loc. cit.*, n. 1347; Kazenberg., *loc. cit.*, n. 250. et alii.

(22. Incensatio thuris prodest, in quantum orat Ecclesia, ut anima pascatur odore cœlesti. La Croix, *loc. cit.*, n. 1347; Kazenberg., *loco cit.*, n. 250; Raynaudus, *loc. cit.*, et alii.

(23. Campanarum pulsus non juvat defunctis, nisi indirecte, quatenus movet audientes ad orandum, seu suffragia offerendum pro defuncto. Raynaudus, *loc. cit.*, punct., 7. La Croix, *loc. cit.*, n. 1346; Kazenberger, *loc. cit.*, 247, et alii.

(24. Sepultura in loco sacro prodest defunctis, partim quia preces publicæ Ecclesiæ, quæ in tali loco funduntur, extenduntur etiam ad inibi sepultos, et partim quia cum fideles frequentius illuc conveniant, frequentius excitantur ad orandum pro ipsis. Rayn. *loc. cit.*, punct. 12, q. 3; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 250; La Croix, *loc. cit.*, n. 1347, et alii; argum. cap. *Fraternitatem* 3, De sepult.

(25. Ut suffragium habeat suum effectum, tres conditiones requiruntur in eo, pro quo suffragium offertur: prima, quod indigeat suffragio, id est sit debitor alicujus pœnæ temporalis, quia ubi nulla restat talis pœna solvenda, nullum etiam requiritur suffragium pro ejus exsolutione; secunda, quod sit in statu gratiæ, quia qui est in peccato mortali, utpote membrum mortuum, non potest recipere subsidium seu suffragium ab aliis membris vivis; tertia, quod peccata, pro quibus satisfactio seu suffragium exhibetur, jam sint deleta quoad culpam, quia non remittitur pœna antequam sit remissa culpa, pro qua est pœna promerita. *Communis.*

(26. Item, ut suffragium suum sortiatur effectum, tres conditiones requiruntur etiam ex parte illud offerentis. Prima, quod sit in statu gratiæ, quia exsistens in peccato mortali indignus est remissione culpæ et pœnæ, adeoque impotens est ad obtinendam aliis remissionem pœnæ temporalis per suffragia ex opere operantis, ac nomine proprio exhibita; licet tamen id possit per suffragia ex opere operato, ac nomine, et in persona ecclesiæ oblata, ut missarum sacrificia, indulgentiæ et divina officia in persona ecclesiæ a sacerdote oblata, quæ suum sortiuntur suffragandi effectum, non obstante offerentis peccato. Secunda, quod offerens habeat intentionem offerendi et applicandi suffragium pro eo, cui prodesse intendit, et talis intentio seu applicatio opus bonum præcedat et non subsequatur. Tertia, quod suffragium sit opus, quod ex se vim habeat satisfaciendi, id est habeat valorem et pretium ad solvendum debitum illius, pro quo offertur, ut sunt oratio, jejunium et eleemosyna, sub quibus omnes aliæ operationes pœnales et satisfactoriæ comprehenduntur. Sic doctores communiter.

(27. Generales et provinciales ordinum Regularium possunt extra religionem specialibus suis benefactoribus, sive sæcularibus, sive ecclesiasticis communicare et applicare omnia bona spiritualia seu suffragia sui ordinis, sive omnium religiosorum sibi subditorum, ex speciali privilegio ab Urbano V concesso generalibus et provincialibus ordinis Minorum, prout habetur in *Monumentis ordinis secundæ impressionis* fol. 261, et in *Compendio privilegiorum*, verb. *Indulgentiæ quoad sæculares quarto* n. 6, nempe: « Ut generales et provinciales totius ordinis Minorum possint communicare suffragia, indulgentias, orationes et bona spiritualia benefactoribus ordinis. » Et id communiter fieri solet concedendo eis litteras, quæ vocant *filiantias*, seu *litteras filiationis*, vel *fraternitatis*, aut *suffragia ordinis.*

(28. Dicta communicatio omnium bonorum operum, seu suffragiorum ordinis per hujusmodi *filiantias* seu *litteras filiationis* vel *fraternitatis* a regularibus prælatis specialibus suæ religionis benefactoribus concessas multipliciter ipsis prodest; in primis quidem per modum cujusdam meriti de congruo, cum omnino congruum sit, quod ob multiplicia merita religionis, in cujus *filiationem* seu *fraternitatem* dicti ejusdem speciales benefactores sunt assumpti, Deus peculiari auxilio et protectione eos foveat, defendat atque custodiat; ratio enim amicitiæ postulat, ut Deus propter amicos suos specialia beneficia conferat etiam aliis, qui amicitia et fraternitate illis conjuncti sunt; propter enim decem justos, si ibi inventi fuissent, pepercisset Dominus Sodomæ et Gomorrhæ, ac finitimis civitatibus; *Genes.* XVIII.

(29. Item talis communicatio prodest illis per modum impetrationis, in quantum assiduæ orationes, pia et religiosa exercitia, divinaque officia, quæ diu noctuque in religione peraguntur, possunt de congruo mereri et impetrare, ut Deus confœderatis illis specialia gratiæ auxilia conferat, quibus a peccatis præserventur, et si in ipsis sint, ab eis avocentur, atque ab omnibus animæ et corporis malis liberentur.

(30. Item talis communicatio prodest illis per modum satisfactionis, quia in religiosis ordinibus ultra plurimas missas multiplicesque preces et continua divina officia, peraguntur propemodum infinita opera pœnalia atque satisfactoria, ut jejuniorum, vigiliarum, abstinentiarum, pœnitentiarum, disciplinarum, mortificationum, peregrinationum, prædicationum, lectionum, observantiarum, laborum, devotionum, et hujusmodi, quæ applicantur pro fratribus benefactoribus ipsisque confœderatis, tam vivis quam defunctis.

(31. Tandem talis communicatio prodest

Digitized by Google

illis, quia regulares in casu mortis alicujus sui specialis benefactoris habentis dictam *filiationem*, seu suffragia ordinis, possunt unica missa per modum suffragii ipsius animam liberare a pœnis purgatorii ex concessione Clementis VIII facta minimis, et consequenter omnibus aliis communicantibus cum eis, quæ habetur tom. II *Privilegiorum ejusdem ordinis*, constit. 10 dicti Clementis VIII. Et referunt Peyrinus, ad dictam constitutionem n. 2; Bassæus, verb. *Suffragium*, n. 2; Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, tractat. 12, qu. 7, n. 88, et alii passim.

SUPERBIA.

SUMMARIUM.

1. Superbia unde dicatur. — 2. Superbia quid sit. — 3. Superbia completa et consummata, seu in suo genere perfecta, est peccatum mortale. — 4. Item peccatum mortale est superbia, cum quis existimat habere ex se et non a Deo bona gratiæ, naturæ et fortunæ. — 5. Item peccatum mortale est superbia, cum quis cognoscit quidem se a Deo talia bona habere, sed ex suo merito et justitia, et non ex liberalitate ipsius Dei. — 6. Item peccatum mortale est superbia, quoties est conjuncta cum gravi contemptu et notabili damno proximi. — 7. Inter alias solitas assignari filias superbiæ, tres sunt præcipuæ, nempe vana gloria, præsumptio et ambitio. — 8. Quid sit vana gloria, an et quando sit peccatum veniale, vel mortale. — 9. Quid sit præsumptio, an et quando sit peccatum veniale, vel mortale. — 10. Quid sit ambitio, an et quando sit peccatum veniale, vel mortale. — 11. Superbia imperfecta et late accepta, quæ proprio nomine dicitur *philautia*, per se et ex suo genere est tantum peccatum veniale.

(1. Superbia ut sic dicitur ex eo quod quis in donis naturalibus, vel supernaturalibus inordinate appetat ipse excellere vel eminere *super alios*, ac velut *alios superare;* superbia enim sic dicitur a *super* et *ire*, quia superbus super alios et supra suam mensuram ire vult. (2. Unde superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ super alios. Ita in re Communis.

(3. Superbia completa et consummata, seu in suo genere perfecta, est qua quis inordinate ita excellere, seu eminere appetit super omnes, ut nec ipsi Deo, nec superioribus eorumque legibus subjici velit, et est peccatum mortale et diabolicum pœna æterna inferni meritissimum; unde de sic superbo Lucifero *Isaiæ* cap. XIV, 13, 14 habetur : *Detracta est ad inferos superbia tua..... qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum... ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.*

(4. Item peccatum mortale est superbia, cum quis existimat habere ex se et non a Deo bona gratiæ, naturæ et fortunæ, juxta illud superborum relatorum *Deuteronomii* cap. XXIII, n. 27, ibi : *Ne forte superbirent et dicerent : manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia;* unde Apostolus *I* ad *Cor.* c. IV, 7 contra similem superbum sic invehit : *Quid habes, quod non accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

(5. Item peccatum mortale est superbia, cum quis cognoscit quidem, se a Deo talia bona habere; sed ex suo merito et justitia, et non ex liberalitate Dei. *Communis.*

(6. Item peccatum mortale est superbia, quoties est conjuncta cum gravi contemptu et notabili damno proximi, ut si quis superbiendo de sua excellentia, valde aspernetur et reprobet tanquam vilem proximi statum et conditionem, et se extollendo super alios in aliqua professione, ut legistæ, medici, concionatoris et hujusmodi, injustum et grave damnum aliis causet. *Communis.*

(7. Quamvis plures soleant assignari filiæ superbiæ, ut jactantia, ostentatio, hypocrisis, inobedientia, pertinacia, discordia, curiositas; tres tamen sunt ejus filiæ præcipuæ, nempe vana gloria, præsumptio et ambitio. Sic doctores communiter.

(8. *Vana gloria* est appetitus inordinatus manifestationis propriæ excellentiæ, seu humanæ laudis et gloriæ. Et hæc ex genere suo et per se est solum peccatum veniale; quamvis possit fieri peccatum mortale per accidens ratione materiæ, si nimirum gloriatio fiat de re mortaliter mala, vel ratione notabilis damni proximo illati. *Communis.*

(9. *Præsumptio* est appetitus inordinatus aggrediendi aliquid supra proprias vires; unde ille dicitur præsumptuosus, qui tentat dicere vel facere aliquid supra id quod potest. Per se et ex genere suo est tantum peccatum veniale; potest tamen fieri mortale per accidens, si inde immineat periculum gravis injuriæ Dei, notabilis damni proximi, aut salutis propriæ; sicque graviter peccat, qui præsumit quærere et exercere officium judicis, consiliarii, medici, confessarii, lectoris, magistri et hujusmodi sine sufficienti scientia.

(10. *Ambitio* est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ in honoribus, vel dignitatibus non debitis, vel debito majoribus; per se et ex genere suo est solum peccatum veniale; at vero potest fieri peccatum mortale per accidens vel ratione materiæ, ut si quis ambiat dignitatem, qua notabiliter sit indignus; vel ratione circumstantiarum, ut si modo, vel medio mortaliter malo, puta per subornationem, per simoniam, et hujusmodi quærat quis fieri superior seu prælatus; vel ratione damni proximo illati, ut cum quis cum alterius notabili damno et gravi injuria vult officium seu beneficium obtinere. *Communis.*

(11. Unde de primo ad ultimum, quamvis superbia completa et consummata, seu in suo genere perfecta et proprie capta, sit peccatum mortale, ut patet ex dictis *supra*

Digitized by Google

n. 2 et seq. Tamen superbia imperfecta et late accepta, qua quis non renuens subjici quibus debet, in suo duntaxat interno affectu sese magnificat, est tantum veniale peccatum, quia sine Dei contemptu et proximi notabili despectu, aut damno se plus justo efferre non est adeo gravis inordinatio; adeoque per se et ex suo genere non excedit peccatum veniale, ut tradunt passim doctores; et talis superbia late dicta, quæ proprio nomine dicitur *philautia*, quamque Scotus in 2, dist. 6, qu. 2, vocat luxuriam quamdam spiritualem, consistit in immoderata propriæ perfectionis complacentia nullo habito ad alios respectu.

SUPERIOR.

An valeat consuetudo tribuens locum digniorem inferiori præ superiore?

Novus articulus editorum Casinensium.

(1. Illud in confesso est, apud DD. non valere consuetudinem tribuentem locum digniorem inferiori, quippe perverteretur ordo ecclesiasticæ hierarchiæ, si inferior superiori præcederet; adeoque consuetudo ejusmodi tanquam *corruptela* minime attendenda venit, etsi per antiquissimum temporis spatium invaluisse jactaretur.

(2. Unde ait Riccius: « Respondetur, cum præfata consuetudo (tribuens locum digniorem inferiori) sit contra jus, quia inferior præcedit superiorem, propterea censenda est corruptela, ideo rejicienda. » *Prax. resolut. for. eccles. part.* I, resolut. 563.

(3. Pari modo Ventriglia hæc habet: « Observa, quod consuetudo, quæ minus dignum præfert, non est ferenda, tanquam invalida et irrationabilis, cum omni juri et rationi repugnet. » *Prax. for. eccles.*, part. I, adnotat. 11, § unic. n. 12.

(4. Idipsum Panimolle traditin hæc verba: « Consuetudo, ut minus dignus digniori præferatur, tanquam irrationabilis et corruptela non tenet, non obstante, quod *ab immemorabili* tempore observata fuerit. » *For. Eccles.* Decis. I, adnotat. 2, n. 4.

(5. Hinc prono alveo fluit, canonicos, non modo cathedralis, sed etiam collegiatæ, quacunque consuetudine non obstante, parochis, etiam matricis ecclesiæ præcedere debere (81): « Perverteretur (verba sunt clar. Antonelli) ordo ecclesiasticæ hierarchiæ, si inferior præcederet superiori, et ideo hujusmodi consuetudo potius corruptela censenda est.... Ex quo infertur quod.... canonici ecclesia collegiatæ parocho præcedunt, quia ecclesiæ collegiata est dignior quacunque alia inferiori ecclesia, etiam parochiali. » *De regim. eccles. episcop.*, lib. III, cap. 18, § 2, n. 12 et 19.

(6. Audiamus quoque celeb. Ceccoperium ita in hac re disserentem: « Primum gradum (in ordine hierarchico) constituunt canonici cathedralis; secundum gradum faciunt collegiatarum insignium canonici.... tertii et infimi gradus sunt curati, capellani et cæteri inferiores de clero. » Lib. I *Lucubrat. canonic.*, tit. 13, n. 4. Additque, *ibidem*, n. 14: « In functionibus ecclesiasticis, si jam ab omnibus canonicis concessa fuisset præcedentia capellanis et rectoribus parochialium, *possunt moderni canonici recuperare jus suum*, quod assignat honorabiliorem locum canonicis, uti *majoribus, non attenta consuetudine* in contrarium deducta, quia caret ratione, et non posset induci, nisi ex quadam ambitione.... Ratio rationis videtur esse, quia tali consuetudine perverteretur ordo ecclesiasticæ hierarchiæ, quam canonici de per se faciunt.... et consuetudo attenditur, ubi non datur diversitas in ordine hierarchico. »

(7. Hucusque tradita firmantur ex decreto S. Rit. congregat. edito pro canonicis presbyteris et aliis in diaconatu vel subdiaconatu constitutis, quo (decreto) postremos hosce prioribus, nempe canonicis presbyteris locum digniorem cedere debere, *consuetudine non obstante*, statutum est, hoc sane pacto: « Sacra congregatio Rituum declaravit canonicos, qui in ordine presbyterali constituti, canonicatum presbyteralem obtinuerint, in choro, capitulo, processionibus, et sessionibus præcedere debere canonicos in diaconatu vel subdiaconatu constitutos, canonicatus diaconales aut subdiaconales obtinentes, non *obstante consuetudine* Ecclesiæ, quæ tanquam *abusiva atque improbata*, non debet admitti. » Apud Riccium cit. *Prax. resolut.*, part. I, resolut. 564, n. 3.

(8. Neque his adversantur, quæ sub verb. *Præcedentia* ad calcem tom. VI, in serie Decretorum, adnotavimus, nempe in materia præcedentiæ attendendam esse consuetudinem, licet esset contra jus. Siquidem ibi dicta intelligenda sunt, quando agitur *inter æquales*, ita ut tunc, cæteris paribus, militet consuetudo talis qualis contra jus; non vero in casu, de quo nunc sermo est, *de inferiori scilicet relate ad digniorem superioremque*, quippe cum in hac specie ordo hierarchicus pessumdetur, consuetudo nequaquam attendi debet.

Hic non prætermittendam, sub v. PRÆCEDENTIA in *additionibus* ex aliena manu, num. 90 et 91, adnotatum fuisse prout sequitur: « Gravis est quæstio, an sit servanda consuetudo, per quam minus dignus præfertur magis digno?... Rota processit hac cum distinctione, ut si agatur de præferendo minus digno in omnibus actibus, stari minime debeat huic consuetudini; sin vero res sit de prælatione minus digni magis digno *in aliquibus tantummodo acti-*

(81) Quippe collegiata ecclesia dignior est ecclesiæ parochiali. Riccius, *Collect. decis.*, p VI, collect. 2350; Barbosa, *De canonic.*, cap. 18, num. 65.

Digitized by Google

bus, recedi haud possit ab hac consuetudine.»

Sed, salva erga tantum tribunal reverentia, nos haud scimus cum hujusmodi Rotæ decisione rectæ rationis monumenta conciliare. Enimvero, *cum non possit idem simul esse, et non esse*, absonum sane videtur, quod eodem tempore, quo quis est dignior, et præeminet, simul subsit et vincatur *ut ut in aliquibus actibus;* adeoque sit eodem tempore *dignior*, et *simul minus dignus*; *superior, pariterque inferior, præeminentior, et minus præeminens*. Unde si ordo ipse hierarchicus diversos utique constituit præcedentiæ gradus; simul ac quis (in ordine hierarchiæ) alteri præstat, *in omnibus utique*, ac semper præeminere debere recta ratio, sensusque communis, decisione Rotæ aliisque auctoritatibus posthabitis, reclamant

SUPERIORES

Vid. Append. editorum Cassinensium v. REGULARIS PROFESSIO.

(1. Superiores regulares exacte observare debent sancita in decretis Clementis VIII, et in suis peculiaribus Constitutionibus in Tyronum admissione, Bened. XIV, tom. II, constitut 47, incip. *Si datam.* (2. Superiorum consensus requiritur a S. Sede, in concedendis dispensationibus pro regularibus. Idem, *ibid.*

(3. Superiores regulares non possunt suis subditis concedere litteras dimissorias ad recipiendos ordines ab alio quam ab episcopo diœcesano, nisi hic a diœcesi absit, vel ordinationes in temporibus non sit habiturus. Idem const. 16, incip. *Impositi Nobis.* (4. Eorum dimissoriæ nullæ declarantur, nisi adjuncta habeant documenta subscripta a vicario generali vel cancellario, aut secretario ejusdem episcopi de ejus absentia a diœcesi, sive quod ordinationes non sit habiturus. Idem, *ibid.*

(5. Superiores regulares monasteriorum monialium, bis aut ter in anno confessarium extraordinarium offerre tenentur universæ communitati. Idem constitut. 56, incip. *Pastoralis curæ.* (6. Et quidem semel saltem in anno hujusmodi confessarium deputare debent e clero sæculari vel ex alio ordine regulari. Idem, *ibid.* (7. Singulis autem monialibus peculiarem confessarium extra ordinem in pluribus casibus denegare non debent. Idem, *ibid.* Vide verb. CONFESSARIUS.

(8. Superiores regulares non se opponentes regularibus petentibus professionis nullitatem, officio suo deesse censentur. Idem constitut. 47, incip. *Si datam.* (9. Superior regularis unacum ordinario loci, cognoscere debet causas super nullitate professionis regularis inter quinquennium promotas, sive actio sit a religione intentata, sive a professo. Idem, *ibid.* (10. Idem statuitur si causa intra quinquennium legitime introducta post quinquennium denuo instauretur. Idem, *ibid.*

(11. Superior regularis similiter cum ordinario cognoscere debet causas nullitatum professionum monialium sibi subjectarum. Idem, *ibid.* (12. Superior regularis ad effectum cognoscendi causas super tali nullitate professionis, est prælatus monasterii, cui concreditum est universum monasterii regimen, non autem confessarius monialium. Idem *ibid.* (13. Superior regularis conjudex in hujusmodi causis exsistens, juri suo cedere nequit, sed alium potest subdelegare.

(14. Superiore regulari dissentiente a judicio episcopi in causa nullitatis professionis, causa devolvitur ad S. Sedem. Idem, *ibid.* (15. Superior regularis alius a primo, unacum judice secundæ aut ulterioris instantiæ semper in causis hujusmodi judicare debet. Idem, *ibid.* (16. Si in judicio secundæ aut ulterioris instantiæ non adsit superior regularis ejusdem ordinis, assumendus erit superior monasterii vicinioris ipsius ordinis, vel alius judex ecclesiasticus deputandus ab eo ad quem pertinet, nempe a superiore, ad quem pertinet, suas vices ad hunc effectum ei delegare. Idem, *ibid.*

(17. Superior regularis in causis nullitatis professionis non admittitur ad judicium ferendum, cum causa apud S. Sedem judicatur quacunque de causa. (18. Idem, *ibid.*

(19. Superiores regulares et non parochi debent exquirere a suis familiaribus et continuis commensalibus, eisque actu inservientibus, an præcepto paschalis communionis satisfecerint. Sic sac. cong. Concil. ex *Bullario ord. Prædicatorum*, tom. VII, pag. 822, constit. 69.

SUPERSTITIO.

SUMMARIUM.

1. Superstitio unde dicta et quid sit. — 2. Superstitio est duplex, una *ratione rei cultæ*, et alia *ratione cultus*, et quæ utraque sit. — 3. Superstitio ratione cultus dividitur in tres species, scilicet in superstitionem *cultus falsi*, in superstitionem *cultus superflui*, et in superstitionem *cultus indecentis*. — 4. Superstitio *cultus falsi* quæ sit.—5. Superstitio *cultus superflui* quæ sit. — 6. Superstitio *cultus indecentis* quæ sit. — 7. Superstitio ratione *rei cultæ* dividitur in quinque species, nempe in idololatriam, magiam, divinationem, vanam observantiam et maleficium. — 8. Idololatria quid sit. — 9. Idololatria est triplex, et assignatur. — 10. Magia est duplex, nempe naturalis et superstitiosa, seu diabolica, et quid sit magia naturalis. — 11. Quid sit magia superstitiosa et diabolica.—12. Divinatio est superstitiosa inquisitio aut prædictio alicujus occulti per invocationem et disciplinam dæmonis.—13. Divinatio superstitiosa fit semper per pactum expressum vel implicitum cum dæmone, pluresque continet species, quæ hic assignantur.—14. Prima divinationis species est *præstigium*, et quid sit. — 15. Secunda est *necromantia* et quid sit. — 16. Tertia est *geomantia*, et quid sit. — 17. Quarta est *hydromantia*, et quid sit. — 18. Quinta est *aeromantia*, et quid sit. — 19. Sexta est *pyromantia*, et quid sit. — 20. Septima est *chiromantia*, et quid sit. — 21. Octava est *spatulomantia*, et quid sit. — 22. Nona est *metopo-*

Digitized by Google

scopia, et quid sit. — 23. Decima est *pedomantia*, et quid sit. — 24. Undecima est *physiognomia*, et quid sit — 25. Duodecima est *oniromantia*, et quid sit — 26. Tertia decima est *astrologia judiciaria*, et quid sit. — 27. Quarta decima est *pythonia*, et quid sit.—28. Quinta decima est *augurium*, et quid sit.—29. Sexta decima est *auspicium*, et quid sit. — 30. Decima septima est *omen*, et quid sit.—31. Decima octava est *aruspicium*, et quid sit. — 32. Decima nona est *oraculum*, et quid sit. — 33. Vicesima est *sortilegium*, et quid sit. —34. Sortes sunt triplices, nempe divinatoriæ, consultoriæ et divisoriæ. — 35. Sortes divinatoriæ quæ sint.— 36. Tales sortes graviter prohibentur, et inter alia affertur ad id constit. Sixti V. — 37. Sortes consultoriæ quæ sint et an sint prohibitæ. — 38. Sortes divisoriæ quæ sint et an sint prohibitæ. — 39. Dictarum sortium usus est omnino prohibitus in electionibus ad prælaturas et officia ecclesiastica, seu electio per sortes ad prælaturas et officia ecclesiastica est illicita, et omnino prohibita.—40. Sortilegorum pœnæ de jure canonico, si clerici sint, quæ sint. — 41. Si laici, quæ sint.— 42. Sortilegi tam clerici quam laici sunt infames; et quas pœnas incurrant, si exerceant sortilegia, quæ hæresim sapiant. — 43. Sortilegorum pœnæ de jure civili quæ sint. — 44. Quis sit judex competens sortilegorum seu divinatorum. — 45. Vana observantia quid sit. — 46. Vana observantia quomodo differat a divinatione. —47. Species præcipuæ vanæ observantiæ sunt tres, nempe ars notoria, observantia sanitatum et observantia eventuum. — 48. Ars notoria quid sit. — 49. Observantia sanitatum quid sit. — 50. Assignantur in specie rei hujus superstitionis ad n. 51. — 52. Refertur ecclesia dedicata septem archangelis proprio nomine nuncupatis, licet non omnia talia nomina in sacra Scriptura reperiantur. — 53. Observantia eventuum quid sit.—54. Assignantur in specie rei hujus superstitionis. — 55. Regula prima ad cognoscendas veras superstitiones culpabiles.—56. Regula secunda.— 57. Regula tertia. — 58. Regula quarta. — 59. Regula quinta. — 60. Regula sexta — 61. Regula septima. — 62. Regula octava. — 63. Regula nona. — 64. Regula decima. — 65. Maleficium unde dictum et quid sit. — 66. Maleficium est duplex, nempe veneficum et amatorium. — 67. Maleficium veneficum quid sit. — 68. Maleficium amatorium quid sit. — 69. Nunquam licet solvere maleficium novo maleficio, sicque qui id petit vel jubet, graviter peccat. — 70. Item graviter peccat, qui petit a mago, seu saga, aut ab alio, ut maleficium solvat, si sciat non nisi per aliud maleficium dissolvi posse. — 71. Item graviter peccat, qui petit seu jubet dissolutionem maleficii, si dubitet an solvi possit sine novo maleficio. — 72. Imo neque id licet permittere, quamvis maleficus sese offerat non rogatus ad maleficium dissolvendum alio maleficio. — 73. Quando constat, quod maleficus potest licito modo absque novo maleficio prius maleficium dissolvere, licitum est petere, imo jubere, ut solvat, quamvis suspicetur aut credatur eum id facturum per novum maleficium.—74. Licitum est ad dissolvendum maleficium adhibere aliquod signum positum contrarium maleficio ex pacto conditionato diaboli, dummodo illud signum de se sit honestum vel indifferens. — 75. Vere licitum est sine novo maleficio tollere signa magica. — 76. Vere superstitiosi sunt denuntiandi, si sua superstitio sit cum expressa vel tacita dæmonis invocatione, et sit mortaliter peccaminosa. — 77. Assignantur præcipua remedia spiritualia adversus maleficia adhibenda.— 78. Assignantur pœnæ statutæ contra maleficos, divinatores, aliosque similes superstitiosos. — 79. Quis sit judex competens maleficorum, divinatorum, sortilegorum aliorumque superstitiosorum.— 80. Confessarii de quibus interrogare debeant suos pœnitentes maleficos, divinatores, sortilegos, superstitiosos. — 81. Confessarii de quibus tales suos pœnitentes monere debeant; et quando eos absolvere possint, vel non. — 82. Quoad ea quæ concernunt astrologiam judiciariam, *remissive*.

(1. Superstitio sic dicta eo quod homines nimirum timerent iram deorum superne imminentem, quasi superstantem, ut ex aliis observat Gobat, tom. III, part. IV *De superstitionibus*, n. 896, definitur, quod sit vitium religioni oppositum secundum excessum, quo quis divinum exhibet cultum, vel quem non debet, seu modo indebito, vel illi cui non debet. Ita in re Communis.

(2. Unde superstitio est duplex, una *ratione rei cultæ*, quæ coli non deberet, cum scilicet cultus Deo debitus falso deo seu creaturæ tribuitur; et alia *ratione cultus*, indebiti scilicet, seu incongrui, vel inconvenientis, quo verus Deus quidem colitur, sed cultu et modo indebito, tribuendo ei cultum falsum vel superfluum, aut indecentem contra, vel præter Ecclesiæ consuetudinem ac præscriptum. Sic in re doctores communiter.

(3. Hinc superstitio *ratione cultus* dividitur in tres species, scilicet in superstitionem *cultus falsi*, in superstitionem *cultus superflui*, et in superstitionem *cultus indecentis*.

(4. Superstitio *cultus falsi* est Deum colere Judaicis aut Mahumeticis cæremoniis, ut per circumcisionem, immolationem agni, et hujusmodi, quæ significant Christum adhuc venturum, et nondum venisse; item falsas reliquias intrudere adorandas, falsa miracula prædicare aut imprimere, falsas revelationes fingere, et hujusmodi; et hæc superstitio ex genere suo est peccatum mortale, quia gravem injuriam et irreverentiam irrogat Deo primæ veritati, et religionem fundat in falsitatibus; quamvis tamen interdum possit in aliquibus excusare ignorantia et simplicitas. Sic doctores passim.

(5. Superstitio *superflui cultus* est Deum colere ritibus seu cæremoniis ad ipsius Dei gloriam et ad spiritus devotionem excitandam non inservientibus, uti in missa plures formare cruces, pluries repetere *Alleluia*, dicere *Gloria*, vel *Credo* contra rubricas, aliasque non præscriptas addere cæremonias; item missam audire cum certo numero et ordine cereorum, in tali situ et dispositione corporis, et alia hujusmodi præter vel contra consuetudinem et præscriptum Ecclesiæ. Et hæc superstitio, secluso scandalo et Ecclesiæ contemptu, ac mala intentione agentis, ordinarie est tantum peccatum veniale, quia est materia levis, et actio ex se non mala, et multa excusat simplicitas. Ita Communis doctorum.

* Non discrepat Antoine, modo hæc sententia certis quibusdam limitibus circumscribatur. Sic enim habet in tract *De virtute religionis*, cap. 5, art. 1, quæst. 2, resp. 1: « Hæc superstitio, juxta communem sententiam, est solum venialis, modo actio aliunde nulla lege sit prohibita, et absit scandalum et contemptus cæremoniarum Ecclesiæ, ac communis fidelium usus; quia et materia

Digitized by Google

levis, et irreverentia non censetur gravis ob simplicitatem. Secus, si fiat post prohibitionem superioris. Si tamen in missa, vel in administratione sacramentorum, relictis rubricis, aliæ cæremoniæ etiam pro sua devotione et secluso contemptu adhiberentur, videtur non posse excusari a mortali, ob materiæ gravitatem, et periculum grave, et gravem præsumptionem *. »

(6. Superstitio *cultus indecentis* est Deum colere verbis, factis et rebus potius ad ejus offensam, quam ad ejus gloriam et laudem inservientibus, uti in divinis officiis adhibere musicam, cantum, tonum, vocem, verba, gestus, instrumenta, et alia hujusmodi, quæ potius ad lasciviam seu impuritatem provocent, quam Dei laudem, et populi devotionem excitent; et hæc superstitio, seclusa magna indecentia, gravi scandalo, prava intentione agentium, et periculo animarum, non est peccatum mortale (82); secus autem si talia intervenirent. Sic doctores communiter.

(7. Superstitio ratione *rei cultæ* dividitur in quinque species, nempe in idololatriam, magiam, divinationem, vanam observantiam et maleficium.

(8. *Idololatria* est superstitio, qua cultus soli Deo seu Creatori debitus tribuitur creaturæ; unde Apostolus ad *Romanos* 1 scribit: *Servierunt creaturæ potius quam Creatori.*

(9. Idololatria est triplex : prima est idololatria externa simul et interna, quoad existimationem et affectum; et est, cum quis, et intellectu existimat erronee creaturæ aliquid inesse divinitatis, et voluntate intendit eam colere, et hæc est idololatria perfecta, et semper conjuncta cum infidelitate, sicque duplex peccatum mortale includit, infidelitatis contra fidem, et superstitionis contra religionem : nec absolvi potest a confessario non habente specialem facultatem absolvendi ab hæresi. Secunda est idololatria externa simul et interna quoad affectum tantum, non quoad existimationem; et est, cum quis cognoscit quidem idolis nihil inesse divinitatis, et unicum tantum ac verum Deum agnoscit et confitetur, sed tamen ex pravo affectu, cupiditate nempe aliquid a diabolo impetrandi, idolis vel ipsi dæmoni voluntarium cultum externum tanquam Deo defert, qualis ordinarie est idololatria, seu potius dæmonolatria sagarum et magorum : et ob hanc idololatriam non incurritur excommunicatio in Bulla *Cœnæ*, sed solum excommunicatio lata a Joanne XXII, non reservata Pontifici, ut habetur in Directorio inquisitorum : adeoque a quovis legitimo confessario absolvi potest, ut notat Sporer, tom. I, tract. 2, in *Præcept. Decalog.*, cap. 9, sess. 1, n. 4. Tertia est idololatria externa et simulata tantum; et est; cum quis absque existimatione Divinitatis, et sine ullo affectu interno colendi aliquid pro Deo, ex timore tormentorum et mortis idolo seu dæmoni exterius tantum exhibet cultum Deo debitum, v. g. sacrificium thuris, ut fuit idololatria S. Marcellini Papæ, et aliorum (83); et hæc idololatria, quamvis sit tantum materialis, cum careat affectu interno colendi aliquid pro Deo, est tamen gravissimum peccatum mortale contra debitam professionem externam fidei et contra virtutem religionis : potest vero absolvi a quolibet legitimo confessario.

(10. *Magia* est duplex, nempe naturalis, et superstitiosa seu diabolica. Magia *naturalis* est ratio quædam, seu facultas operandi mira per vires rerum naturalium occultas absque ope dæmonis; et hæc non est superstitionis species; quamvis tamen ut periculosam ex eo, quod diabolus facile se illi immisceat, adeoque sensim ad superstitionem manuducentem diligenter cavendam esse, merito censeant graviores sanioresque doctores.

(11. Magia *superstitiosa* seu *diabolica* est ratio quædam, seu facultas operandi mira, ope et ministerio dæmonum per signa ab ipsis instituta. *Communis.* Magia superstitiosa est ex genere suo peccatum mortale gravissimum, quia continet expressam, vel tacitam dæmonis invocationem, ac proinde benevolentiam erga ipsum, et confœderationem, ac societatem cum ipso : est autem Deo summe injuriosum quod, ipso relicto, ad dæmonem perpetuum ejus hostem recurratur et cum eo societas ineatur. *Communis.*

(12. *Divinatio* est superstitiosa inquisitio, aut prædictio alicujus occulti per invocationem et disciplinam dæmonis. Est in re communis.

(13. Divinatio superstitiosa fit semper per pactum expressum, vel implicitum cum dæmone, pluresque continet species, quæ hic assignantur.

(14. Prima divinationis species est *præstigium*, cum dæmon nempe quibusdam apparitionibus præstigiosis in imaginibus aut corporibus aliunde asportatis vel compactis ex aere, se oculis aut sensibus hominum ingerit ad occulta pronuntianda.

(15. Secunda est *necromantia*, quæ est divinatio facta per fictas mortuorum suscitationes vel locutiones, adhibitis certis verbis aut signis, quibus mortui videntur resurgere, loqui et docere occulta.

(16. Tertia est *geomantia*, quæ est divinatio facta per certa signa et puncta in corporibus terrestribus, ut lapide, ligno, charta et hujusmodi.

(17. Quarta est *hydromantia*, quæ est di-

(82) E. R. Deum colere verbis, factis et rebus potius ad ejus offensam, quam ad ejus gloriam et laudem inservientibus, atque ad lasciviam seu impuritatem potius provocantibus, quam Dei laudem et populi devotionem excitantibus, peccatum mortale minime esse, affirmari neutiquam potest, nisi vera religionis notio penitus subvertatur. Hinc corrigenda est auctoris sententia sub hoc numero tradita, nec absque aliqua limitatione suscipienda videntur ea quæ statuuntur sub n. 4 et 5.

(83) Tota illa narratio de thure a S. Marcellino idolis incenso commentitia est. *Vide* scriptores a Sandinio citatos not. 2 ad *Vitam S. Marcellini.*

Digitized by Google

vinatio facta per signa apparentia in aqua.

(18. Quinta est *aeromantia*, quæ est divinatio facta per signa apparentia in aere.

(19. Sexta est *pyromantia*, quæ est divinatio facta per signa apparentia in igne.

(20. Septima est *chiromantia*, quæ est divinatio facta ex manuum lineis.

(21. Octava est *spatulomantia*, quæ est divinatio facta ex spatulæ signis, quibus occulta de statu hominis præsenti vel futuro divinantur.

(22. Nona est *metoposcopia*, quæ est divinatio facta per signa frontis.

(23. Decima est *pedomantia*, quæ est divinatio facta per inspectionem pedum.

(24. Undecima est *physiognomia*, quæ est divinatio facta ex totius hominis signis.

(25. Duodecima est *oniromantia* seu *oniroctitica*, quæ est divinatio facta ex somniis habitis.

(26. Tertia decima est *astrologia judiciaria*, quæ est divinatio facta ex situ, motu ac positione astrorum et planetarum de venturis ex libera hominis voluntate pendentibus.

(27. Quarta decima est *pythonia*, et est cum diabolus ex pacto docet occulta per homines arreptitios.

(28. Quinta decima est *augurium*, et est cum hominis, animalium et avium vocibus, cantu, garritu, sternutatione, et hujusmodi divinantur occulta.

(29. Sexta decima est *auspicium*, et est cum ex volatu avium occulta divinantur.

(30. Decima septima est *omen*, et est divinatio facta ex hominum vocibus, casu et præter intentionem prolatis.

(31. Decima octava est *aruspicium*, et est cum per signa apparentia in arteriis seu intestinis sacrificatorum animalium dæmon responsa dat, ut fiebat apud gentiles, qui ipsum dæmonem consulebant per sacrificia animalium.

(32. Decima nona est *oraculum*, et est cum dæmon consultus per preces coram idolis perfusas responsa dat per ipsa idola, ut frequentissimum erat apud gentiles, qui per idola dæmonis *oracula* recipiebant.

(33. Vicesima est *sortilegium*, nomine cujus, quamvis generalius loquendo, veniant omnes *superstitiones, divinationes, et magiæ*, ut recte advertunt Engel, lib. v *Decretal.*, tit. 21, n. 1; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 2, et alii, proprie tamen et specialius loquendo, sortilegium est divinatio, qua per *sortes divinatorias* et falsa signa, ope dæmonis futura vel occulta manifestantur. Ita in re Communis.

(34. Notanter autem dicitur per *sortes divinatorias*, quia triplices sunt sortes, nempe divinatoriæ, consultoriæ et divisoriæ. Sic doctores communiter.

(35. Sortes divinatoriæ sunt illæ, quibus occultorum seu futurorum manifestatio, vel consilii alicujus directio petitur per media vana et impertinentia minime ad Deum relata, et consequenter ad dæmonem pacto expresso vel tacito; et hæ sortes passim sumuntur pro divinationibus, sortilegiis aut maleficiis, indeque ut vere superstitiosæ et illicitæ graviter prohibentur tum jure divino *Exodi* cap. XXII, 8; *Levit.* cap. XIX, 31, et cap. XX, 6 et 27; *Deuteron.* cap. XVIII, 10 cum seq., et sæpe alibi; tum jure canonico, in can. *Illud* 9, caus. 26, q. 2, can. *Qui divinationes* 2, can. *Non licet* 3, can. *Non oportet* 4, can. *Si quis episcopus* 5, can. *Aliquanti* 6, can. *Sortes* 7, can. *Pervenit* 8, can. *Si quis clericus* 9, can. *Contra* 10, can. *Auguriis* 11, can. *Episcopi* 12, caus. 26, q. 5, cap. *In tabulis* 1, et cap. *Ex tuarum tenore* 2, De sortilegiis, et const. Sixti V incip. *Cœli et terræ*, quæ ut ad rem multum faciens, hic ad litteram datur.

(36. « SIXTUS episcopus, etc.

« § 1. Cœli et terræ creator Deus, quem unum omnipotentem corde credimus ad justitiam, et ore confitemur ad salutem, etsi homini, quem ad imaginem et similitudinem suam creavit, mentem dederit, quæ non solum divino fidei lumine illustrata mysteria illa cognosceret, quæ humanam intelligentiam superant, sed etiam naturæ suæ vi, magno licet cum labore, præclara multa investigaret atque intelligeret; tamen ut superbum animal homo non altum saperet, sed timeret, et immensam Conditoris sui majestatem humi stratus veneraretur, sibi soli eorum, quæ eventura sunt, scientiam et futurarum rerum cognitionem reservavit. Solus enim ipse, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt, et ad internas hominum cogitationes penetrat et consequentes eorum actiones intuetur, solus ipse, qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, omnia præsentia et ante oculos posita habet, solus denique omnia et singula quæcunque totius temporis decursu et sæculorum ætatibus futura sunt, ab omni æternitate novit, et admirabili providentia disposuit, quæ non modo humanæ mentis imbecillitas ignorat, sed nec dæmones ipsi præsentire possunt. Quare idolorum in futuris annuntiandis falsitatem et imbecillitatem, et eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus sanctus apud Isaiam (XLI, 23) illis verbis : *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos*; et in Novo Testamento Christus Dominus discipulorum suorum de futuris eventibus paulo cupidius inquirentium, interrogationem gravi illa responsione retundit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coercuit : *Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* (*Act.* I, 7.) Nec vero ad futuros eventus et fortuitos casus prænoscendos (futuris eventibus, ex naturalibus causis necessario, vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent, duntaxat exceptis) ullæ sunt veræ artes, aut disciplinæ, sed fallaces et vanæ improborum hominum astutia, et dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, consilio vel auxilio omnis divinatio manat, sive quod expresse ad futura manifestanda invocentur, sive quod ipsi pravitate sua et odio in genus humanum

Digitized by Google

occulte etiam præter hominis intentionem se ingerant et intrudant vanis inquisitionibus futurorum, et mentes hominum perniciosis vanitatibus, et fallaci contingentium prænuntiatione implicentur, et omni impietatis genere depraventur. Quæ quidem ipsis cognita sunt, non divinitate aliqua, nec vera futurarum rerum scientia, sed naturæ subtilioris acumine, et aliis quibusdam modis, quos hominum obtusior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non est in hujusmodi futurorum contingentium et fortuitorum eventuum inquisitione, et præcognitione, diaboli operationem se fallaciter immiscere, ut sua fraude ac dolis miseros homines a via salutis avertat et laqueo damnationis involvat. Quæ cum ita sint, nonnulli hæc fideliter et religiose, ut debent, non attendentes, sed curiosa sectantes, graviter Deum offendunt, errantes ipsi, et alios in errorem mittentes : tales in primis sunt astrologi, olim mathematici, genethliaci vocati, qui vanam falsamque siderum et astrorum scientiam profitentes, divinæque dispositionis ordinationem suo tempore revelandam prævenire audacissime satagentes, hominum nativitates, seu genituras, ex motu siderum et astrorum cursu metiuntur ac judicant futura, sive etiam præsentia et præterita occulta, atque ex puerorum ortu et natali die, sive quavis alia temporum et momentorum vanissima observatione et notatione, de uniuscujusque hominis statu, conditione, vitæ cursu, honoribus, divitiis, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, cædibus, variis discriminibus, aliisque prosperis, et adversis casibus, et eventibus præcognoscere, judicare et affirmare temere præsumunt, non sine magno periculo erroris et infidelitatis, cum sanctus Augustinus præcipuum Ecclesiæ lumen, eum, qui hæc observat, qui attendit, qui in domum recipit, qui interrogat, christianam fidem et baptismum prævaricasse affirmet, ut illos merito Apostolus arguat, atque increpet illis verbis (*Galat.* IV, 10, 11): *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos ; timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Hi igitur levissimi et temerarii homines in miserandam animarum suarum ruinam, grave fidelium scandalum et christianæ fidei detrimentum, futuros rerum eventus, et quæcunque prospere vel adverse obventura sunt, ac actus humanos, ea denique, quæ cum ex libera hominum voluntate proficiscantur, astris, sideribusque ascribunt, eisque facultatem, vim seu virtutem, et efficaciam tribuunt futura significandi, et ad præcognita ita inclinandi, ut sic omnino, nec aliter eventura sint, atque ob eam causam de iis rebus omnibus judicia facere, prognostica, prædictiones et præcognitiones sibi assumere, et palam venditare non dubitant, quibus pauci rudes et imperiti, aliique nimis creduli et imprudentes tantam fidem præstant, ut ex hujusmodi judiciorum et prædictionum præscripto aliquid certo esse credant aut sperent, quorum sane, et mendacium magistrorum temeritas, et infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel divinis litteris admoniti non intelligunt hominis præstantiam, cui cœli, et stellæ, et clarissima cœli sidera, sol et luna, Deo ita disponente, non imperant sed inserviunt, sic enim Moyses populum Dei, ut hunc errorem caveret, præmonebat : *Ne forte elevatis oculis ad cœlum, videns solem, et lunam, et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea, et colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* (*Deut.* IV, 19.) Sed quid sidera mirandum est homini servire? nonne nobilissimæ intelligentiæ angeli ipsi omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? nam rationabiles oves ita diligit Deus ut non solum episcopos, quemadmodum a sancto Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinaverit, sed etiam angelos destinaverit. Præclare etiam sanctus Hieronymus : Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. Quod si angeli homines custodiunt, quid adversus angelorum custodiam et tutelam astra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipsis angelis nullo modo sint comparanda? Nec sane hoc loco prætereunda eximii Ecclesiæ doctoris, et beatissimi Pontificis magni Gregorii sententia, qui Priscillianistas hæreticos, unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum et verborum pondere confutat. Absit, inquit, a fidelium cordibus, ut aliquid esse fatum dicant! vitam quippe hominum solus hanc Conditor, qui creavit, administrat; neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ sunt, et si stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur: utinam insani homines hæc saperent, et intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in *Levitico* (XIX, 31) dicentis : *Non declinetis ad magos nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos!* Neque enim quæ Christiana et vera pietas repellit ac damnat, tanto studio investigarent, iisdemque misere se decipi atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines et irreligiosi, qui futurarum et occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxie habere student, ut ob eadem prænoscenda et investiganda in divinæ legis offensionem multipliciter incurrant. Alii enim geomantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, aliisque sortilegiis et superstitionibus non sine dæmonum saltem occulta societate aut tacita pactione operam dare, seu illis ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum jactu uti non verentur. Alii vero aliquas pristinæ et antiquatæ, ac per crucis victoriam prostratæ idololatriæ reliquias retinentes quibusdam auguriis, auspiciis, similibus signis et vanis observationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii autem sunt, qui cum morte fœdus ineunt et pactum faciunt cum inferno, qui

Digitized by Google

similiter ad occultorum divinationem et inveniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expressa cum diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, instrumenta et veneficia adhibent, circulos et diabolicos characteres describunt, dæmones invocant aut consulunt, ab eis responsa petunt aut accipiunt, eis preces, et thuris, aut aliarum rerum suffimenta seu fumigationes, aliave sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris vel sacramentis, aut sacramentalibus sacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis aut quævis alia impietatis obsequia præstant, cultum venerationemve tribuunt, aut annulum seu speculum, aut parvas phialas sibi fabricant, aut fabricari curant ad dæmones in eis alligandos, ut putant, ad responsa ab ipsis inde petenda aut habenda. Alii præterea etiam in corporibus obsessis vel sympathicis, et phantasticis mulieribus dæmones de futuris occultis rebus aut factis exquirunt, ut merito ab his, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas mendacesque referant responsiones. Alii quoque præstigiatores, frequentius vero mulierculæ quædam superstitionibus deditæ in phialis seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo accensis candelis etiam benedictis sub nomine *angeli sancti et albi* diabolum, omnium malorum satorem, supplices adorantes, vel in unguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eumdem omnium fallaciarum architectum orant, ut similiter futura vel occulta quævis per spectra, et apparentes imagines, phantasticas visiones sibi ostendat, aut ab eodem patre mendacii diabolo aliis incantationibus futurorum et occultorum hujusmodi veritatem quærunt, et hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos supra enumeravimus, consimilis impietas parem exitum habet, nimirum dæmonis præstigiis et dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt, illusi ac delusi miserrime reperiuntur. Itaque cum futuros eventus in se ipsis considerare, antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessario consequitur, ut astrologi et alii prædicti, qui hujusmodi futura prænuntiare aut prænoscere quocunque modo, nisi Deo revelante, audent, injuste atque imprudenter quod Dei est sibi assumant et usurpent. Sic fit ut, dum ab eis, quod solius est Creatoris, perperam creaturis tribuitur, divina majestas graviter lædatur, fidei integritas violetur, et animabus pretioso Christi sanguine redemptis pestis atque exitium importetur.

« § 2. Et licet jampridem regulis indicis librorum prohibitorum ex decreto sacri generalis Trident. conc. confecti, illud inter cætera constitutum fuerit, ut episcopi diligenter providerent, ne hujusmodi astrologiæ judiciariæ libri, tractatus et indices legerentur vel haberentur, qui de futuris contingentibus, successibus fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent, permissis tamen judiciis et naturalibus observationibus, quæ navigationis, agriculturæ sive medicæ artis juvandæ gratia conscripta fuissent : libros vero omnes et scripta geomantiæ, necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejici et aboleri curarent : non tamen errorum, corruptelarum, delictorum et abusuum prædictorum exstirpationi usque adeo provisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, et apud plurimos curiosius vigeant, cum valde frequenter, detectis diaboli insidiis, divinationum, sortilegiorum et variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur.

« § 3. Nos igitur, qui pro nostro pastoralis officii munere fidei integritatem inviolatam conservare debemus, et animarum saluti prospicere, quantum divina gratia adjutrice possumus, ex paternæ charitatis visceribus optamus, damnantes et reprobantes omne genus divinationum, quæ diabolo auctore ad fidelium deceptionem a prædictis curiosis vel perditis hominibus fieri solent; cupientes præterea sanctam illam christianæ religionis simplicitatem, præsertim ubi agitur de summa creatoris Dei potestate, sapientia et providentia, ab omni erroris labe integram atque incorruptam, ut par est, retineri ; volentes quoque prædictæ falsæ credulitati, ac hujusmodi illicitarum divinationum et superstitionum detestabili studio, et exsecrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, ut de christiano populo merito dici possit, quod de antiquo Dei populo scriptum est (*Num.* xxiii, 23) : *Non est augurium in Jacob, neque divinatio in Israel :* hac perpetuo valitura constitutione Apostolica auctoritate statuimus et mandamus, ut tam contra astrologos, mathematicos et alios quoscunque dictæ astrologiæ artem præterquam circa agriculturam, navigationem et rem nauticam, in posterum exercentes aut facientes judicia et nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus fortuitisve casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamsi id se non certo affirmare asserant aut protestentur, quam contra alios utriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces et perniciosas divinandi artes sive scientias exercent, profitentur, docent aut discunt, quive hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes ac præmissa detestanda scelera et delicta, ut præfertur, faciunt aut in eis se quomodolibet intromittunt, cujuscunque dignitatis, gradus et conditionis exsistant, tam episcopi et prælati superiores, et alii ordinarii locorum, quam inquisitores hæreticæ pravitatis ubique gentium deputati, etiam qui in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant et procedant, atque in

Digitized by Google

eos severius canonicis pœnis et aliis eorum arbitrio animadvertant.

« § 4. Prohibentes omnes et singulos libros, opera et tractatus hujusmodi judiciariæ astrologiæ, geomantiæ, hydromantiæ, pyromantiæ, oniromantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, artis magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, exsecrabiles incantationes ac superstitiones continentur, ac ut supra in memorato indice interdictos sub censuris et pœnis in eo contentis a quibuscunque Christi fidelibus legi aut quomodolibet retineri, sed illos episcopis et ordinariis locorum, et inquisitoribus prædictis præsentari et consignari debere; nihilominus eadem auctoritate statuimus et mandamus, ut contra scienter legentes aut retinentes libros et scripta hujusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter fidem inquisitores libere et licite procedant, ac procedere et pœnis condignis punire et coercere possint.

« § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 6. Ut autem præsentes nostræ litteræ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, jubemus illas in valvis basilicarum S. Jo. Lateranen. et Principis apostolorum de Urbe ac in acie campi Floræ affigi seu appendi, eisque detractis ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui.

« § 7. Et insuper universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, locorum ordinariis et prælatis, nec non inquisitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet constitutis, per hæc committimus et in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ut per se vel alium, seu alios easdem præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint in suis et singulis parochialibus ecclesiis, dum in eis populi multitudo ad divina convenerit, deinde vero semel in anno, et quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent aut publicari faciant.

« § 8. Quia vero difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus ut earum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis ac parvo sigillo sanctæ Romanæ et universalis inquisitionis aut alicujus prælati, vel curiæ ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra ubique locorum adhibeatur, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

« Nulli ergo, etc.

« Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1566, Nonis Jan., Pontificatus nostri anno I. »

(37. Sortes consultoriæ sunt illæ, quibus a Deo postulatur occultæ veritatis manifestatio aut ancipitis consilii alicujus directio: et hæ sortes non sunt illicitæ nec prohibitæ, si Dei jussu aut instinctu fiant, de quibus *Proverb.* XVI, 33, expresse dicitur: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Tales enim sortes consultivæ sæpe factæ leguntur in sacris litteris, ut in investigatione furis Achan (*Josue* VII), in electione Matthiæ (*Act.* II), cujus electionem signo visibili a Deo demonstratam fuisse testatur S. Dionysius (84), lib. *De cœlesti hierarch.*, cap. 5, n. 2.

(38. Sortes divisoriæ sunt illæ, quæ adhibentur ad dividendas res, seu hæreditates inter plures, vel ad dirimendas lites et controversias, et hujusmodi; et istæ sortes per se malæ et illicitæ non sunt, sed sæpe sunt bonæ ac utiles, juxta illud *Proverb.* XVIII, 18: *Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat.* Unde de jure communi in judiciis et sententiis proferendis locus datur sorti, l. *Sed cum ambo* 14, ff. *De judiciis;* sicque si plures, quibus optio alicujus rei fuit relicta, discordant in eligendo, sorte dirimitur lis. L. *Si duobus* 3, cod. *Communia*, De legatis; et concordant l. *Judæi* 8, cod. *De Judæis*, l. *Quoties* 4, cod. *De privileg. scholar.*, l. *Meminimus* 2, cod. *Quando et quibus pars*, l. *Denuntiasse* 17, § 6, ff. *Ad leg. Jul. de adult.*, l. *Si quæ sunt* 1, ff. *Familiæ erciscundæ*, leg. *Generaliter* 24, § 17, ff. *De fideicommiss. libert.*, leg. *Ait prætor* 10, § 1, ff. *Quæ in fraudem creditor.* Novella 162, c. 3, et § *Optionis* 23, instit. *De legatis.*

(39. Dictarum autem sortium usus est omnino prohibitus in electionibus ad prælaturas et officia ecclesiastica, seu electio per sortes ad prælaturas et officia ecclesiastica est illicita et absolute prohibita. *Communis*, texta expresso in c. *Ecclesia vestra* 2, De sortilegiis, ibi: « Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes; » et concordat c. *Quia propter* 42, De electione, ubi omnis electio aliter facta, quam per formam scrutinii, compromissi vel inspirationis, declaratur nulla.

(40. Sortilegi, seu divinatores et magi de jure canonico, si clerici sint, ab officio et beneficio deponi, et in arctum monasterium (hodie in perpetuos carceres) detrudi debent. C. *Non oportet* 4, c. *Si quis episcopus* 5, et c. *Aliquanti* 6, caus. 26, q. 5. Et insuper magi degradari et curiæ sæculari tradi debent. C. *Admoneant* 15, caus. 26, q. 7, et ad id speciales Pontificiæ constitutiones habentur, et signanter const. Innocent. VIII, incip. *Summis;* Leonis X, incip. *Honestis;* Greg. XIII, incip. *Omnipotentis*, et Sixti V, incip. *Cœli et terræ.*

(41. Sortilegi vero, seu divinatores et magi laici de jure canonico, si servi, seu viles exsistunt, verberibus et cruciatibus castigandi sunt; liberi autem ac honestiores in perpetuum carcerem sunt redigendi. C. *Contra idolorum cultores* 10, caus. 26, q. 5, imo si contumaces fuerint, debent etiam excommunicari. C. *Admonet* 15, caus. 26, q. 6. Et ratione magiæ tradi possunt curiæ

(84) Sive auctor Operum S. Dionysio Areopagitæ suppositorum.

Digitized by Google

sæculari severius juxta suas leges puniendi per cit. Pontific. constitut. Innocent. VIII, Leonis X, Gregor. XIII et Sixti V.

(42. Sortilegi, seu divinatores et magi, tam clerici quam laici, sunt infames, ideoque a testimonio et accusatione repelluntur. C. *Constituimus* 9, caus. 3, q. 5. Et si exerceant sortilegia, seu divinationes ac magias, quæ hæresim sapiant, ut invocando dæmonem per preces et sacrificia, eique tribuendo, quæ soli Deo competunt, ex constitut. 13 Joan. XXII, incip. *Supra*, sunt puniendi iisdem pœnis, quibus puniendos esse hæreticos diximus sub verb. HÆRETICUS. *Vide* ibi, et citatas Pontificias constitutiones.

(43. Sortilegi, seu divinatores et magi de jure civili puniuntur pœna publicationis omnium bonorum et ultimi suppliicii, etiam aliquando per ignem inferendi. Leg. *Nullus* 3, et l. *Nemo* 5, De maleficis. Ex constitutionibus autem Caroli V, qui per magiam aliis damna inferunt, igne cremari; qui autem sine damno magiam exercent, pœna arbitraria, etiam ultimi supplicii pro diversitate circumstantiarum puniri jubentur. Engel, lib. VI *Decret.*, tit. 21; Reiffenstuel, *ibidem*, n. 16. *Vide* infra, n. 78.

(44. Judex ecclesiasticus punire potest sortilegos, seu divinatores et magos etiam laicos. Abbas, in cit. cap. *In tabulis* 1, n. 3, De sortilegiis; Pirrhing, lib. V *Decretal.*, tit. 21, n. 19; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 19; Julius Clarus, § *Hæresis*, n. 26, et ipso teste, communis aliorum, arg. can. *Contra idolorum cultores* 10, caus. 26, q. 5, et expresse judicibus ecclesiasticis hanc facultatem etiam in laicos tribuerunt Adrianus VI, constitut. 2, incip. *Dudum*, et Sixtus V, constit. 17, incip. *Cœli et terræ*, statuentes tales sortilegos seu divinatores et magos, aliosque similes etiam laicos posse puniri ab inquisitoribus. *Vide* infra, n. 76.

(45. *Vana observantia* est superstitio, qua adhibentur media inutilia et improportionata ad aliquem effectum obtinendum vel impediendum, ad quem nec a Deo nec a natura ullam vim habent, nec sunt ab Ecclesia ad id ordinata. Est in re Communis.

(46. Vana observantia differt a divinatione per hoc, quod divinatio primario et per se ordinetur ad speculativam alicujus occulti seu futuri cognitionem; vana observantia autem totaliter ad cognitionem practicam aliquid agendo vel omittendo. Sic doctores communiter.

(47. Species præcipuæ vanæ observantiæ sunt tres, scilicet ars notoria, observantia sanitatum et observantia eventuum; ad has nempe reducuntur omnes aliæ species vanæ observantiæ, sive fiant cum expressa, sive cum tacita aut implicita dæmonis invocatione. Sic in re doctores communiter.

(48. *Ars notoria* est superstitio, qua per quasdam ignotorum verborum precationes, per certa aliqua jejunia, per certa aliqua signa et alia hujusmodi prorsus inutilia media, exspectatur scientiæ infusio seu acquisitio absque aliquo studio; hac arte utuntur potissimum anabaptistæ, qui profanæ cœnæ suæ sumpto poculo, statim in instanti aliquando scientiarum et scripturarum, antea penitus ignoratarum, notitiam consequuntur, ipsas memoriter recitant, sacras etiam Scripturas se intelligere existimantes, de ipsis tanquam periti discurrunt, dæmone semper verba suggerente, vel per os ipsorum loquente, ipsosque sic dementante. Unde sæpe evenit quod catholici per exorcismos scientiam illam cum magna eorum confusione ipsis adimant; et si, abjecta sua secta, ad veram catholicam fidem convertantur, statim ad pristinam ignorantiam redeunt, ut de multiplici experientia testantur passim doctores (85).

(49. *Observantia sanitatum* est superstitio, qua media inania et inutilia adhibentur ad sanitatem hominum aut brutorum conservandam vel recuperandam. Sic in re Communis. (50. Sic hujus superstitionis rei evadunt, qui certa ignota nomina, certa determinata verba, certos characteres, certas scripturas, certa involucra, certa signa, certum numerum crucium et orationum, et alia hujusmodi inutilia adhibent et applicant ad sanandas infirmitates, ad curanda vulnera, ad mitigandos dolores, ad sistendum sanguinem, ad se vel alios reddendos impenetrabiles seu invulnerabiles telis, ensibus, globorum ictibus, ut sint immunes ab hostium læsionibus, et ab omni infortunio, et qualibet infirmitate liberi, quia supradicta omnia et similia, nec a Deo, nec a natura, nec ab Ecclesia sunt ad id ordinata, et consequenter si id interdum eveniat, non nisi a dæmone per tacitam ejus invocationem evenire censetur. Imo hujus superstitionis rei sunt etiam illi, qui res sacras gestant, v. gr. reliquias, cruces benedictas, agnos Dei, Evangelium S. Joannis, et hujusmodi, seu pias preces, aut sacræ Scripturæ versus recitant, si ab illis sanitatem aut alium hujusmodi effectum infallibiliter exspectent, quia, cum præter sacramenta et sacramentalia nihil sit ex sacris rebus et verbis, quod effectum habeat infallibiliter, qui illum sic exspectant, nonnisi a dæmone per tacitam ejus invocationem exspectare censendi sunt.

(51. Aliud autem esset, si per verba sacra, per reliquias, per cruces benedictas, per agnos Dei, et hujusmodi supradictos effectus cum fiducia et non cum infallibilitate exposcerent, tunc enim esset res pia et non superstitiosa; et de facto leguntur in libris asceticis exempla plurima illorum, qui a similibus verbis et rebus sacris fuerunt præservati a lethalibus vulneribus, liberati a doloribus et sanati ab infirmitatibus. Unde si quis ex talibus exemplis animatus per similia verba sacra, per reliquias, per agnos Dei, et hujusmodi, pia invocatione sanctorum speret a Deo consimiles effectus obtinere, dummodo non credat in-

(85) E. R. Quæ de anabaptistis, secundum auctorem nostrum testantur passim doctores, tacent historici, veluti Bossuetius, Dupinius, Fleurius, imo inter fanaticos recensent anabaptistas.

Digitized by Google

fallibiliter a Deo sibi deberi ac sic concedi, non est peccati damnandus, ut notant passim doctores.

(52. Hic juvat adducere quod refert Felix Potestas tom. II, part. II, n. 257, quod nempe Panormi est dedicata ecclesia septem præcipuis archangelis, qui astant ante Deum beato Amadeo revelatis, quorum nomina ibi, et in cathedrali in sacello archiepiscopi Hajedi sculpta sunt : « Michael victoriosus, Gabriel nuntius, Raphael medicus, Uriel fortis socius, Jehudiel remunerator, Barachiel adjutor, Soalciel orator. » Cæterum sola priora tria sunt de fide, quia habentur in sacra Scriptura ; quartum, nempe Uriel, non est de fide, sed magnæ auctoritatis, quia habetur in lib. *IV Esdræ* c. IV, 1, ibi : *Et respondit ad me angelus, qui missus est ad me, cui nomen Uriel.* Qui liber, licet sit extra canonicos, fuit tamen ipsis libris sacris et canonicis jussu Sixti V annexus, ut de facto reperitur impressus in fine sacræ Bibliæ vulgatæ editionis Sixti V jussu recognitæ et Clementis VIII auctoritate editæ (86).

(53. *Observantia eventuum* est superstitio, qua quis ex cujusdam rei impertinentis occursu, bona vel mala sibi aut aliis eventura ominatur, et inde actiones suas dirigit, observans facta, verba, loca, dies, tempora, occursum hominis, cadaveris, animalis, garritum aviculæ, et hujusmodi. Ita in re Communis.

(54. Unde hujus superstitionis rei evadunt, qui in ludo mutant locum aut chartas ad evitandam malam ludi fortunam ; qui ferunt lignum particulare ad lucrandum in ludo ; qui nolunt adire convivium, in quo cum suo interventu sint tredecim, eo quod unus certo credatur brevi moriturus, uti e tredecim convivis in ultima cœna unus mortuus est, Christus scilicet, aut Judas ; qui in nocte S. Joannis orant, ut in somno appareant illi quibus nubere debeant ; qui credunt se non ducturos uxorem eo anno, quo coram se ignis fuit coopertus cineribus ; qui scopas invertunt, ut mulier de qua suspicantur, quod sit saga, si talis sit, abire non possit, nisi gressu averso seu cancrino ; aut certam schedam affigunt januæ, ut ad eam cogatur venire fur ; qui, cum gallina instar galli cantat, credunt malum imminere ; qui credunt prænuntiari alicui mortem vel infortunium, dum avis mœstum canit, corvus crocitat, lepus occurrit ; qui aliquid infaustum metuunt, si videant duos sacerdotes simul elevantes hostiam in missa ; qui credunt gallinas fore liberas ab accipitre, si primum suum ovum detur pauperi ; qui conservant ova die Parasceves a gallinis exclusa, ad exstinguendum incendium, et sic de aliis fere infinitis similibus superstitionibus, quæ ad longum adducuntur a doctissimo Patre Gobat, tom. III, part. IV, *De superstitionibus*, per tot., et ibi brevitatis gratia videndæ relinquuntur : unde sufficiat hic tradere ex communi doctorum quasdam regulas generales, ex quibus facile cognosci potest, quænam sint veræ superstitiones, et quandonam sint mortales vel veniales.

(55. Regula prima : « Quoties tribuitur seu creditur inesse vis aliqua rebus, verbis, factis, signis, figuris, characteribus, et hujusmodi ad aliquem effectum, ad quem talem vim, nec a natura sua, nec a Dei vel Ecclesiæ institutione habent, semper est superstitio. »

(56. Regula secunda : « Quoties preces, characteres, signa, aut ignota sunt, aut vana, vel frivola, vel falsa ; aut si nota, bona et sancta sint, sunt tamen eis admistæ circumstantiæ certi modi, numeri, temporis, loci, personæ et aliæ vanæ, inutiles, et omnino impertinentes ad talem effectum, qui intenditur, semper est superstitio. »

(57. Regula tertia : « Quoties ex rebus, verbis, factis, scriptis, signis etiam de se bonis et sanctis promittitur, et creditur infallibiliter obtinendus effectus intentus, et aliunde neque ex Dei, neque ex Ecclesiæ institutione inest ipsis dicta virtus infallibiliter præstandi talem effectum, semper est superstitio. »

(58. Regula quarta : « Quoties res sacræ adhibentur ad effectus vanos et inutiles, aut signa, seu res vanæ vel inutiles adhibentur ad effectum qualemcunque obtinendum, est semper superstitio. » Deus enim non immiscet se rebus vanis et ridiculis, adeoque effectus non potest exspectari, nisi a dæmone.

(59. Regula quinta : « Quando prudenter dubitatur an effectus productus proveniat a naturali occulta vi rei, vel an a vi superstitiosa et diabolica ? potius judicandum est esse a vi naturali occulta rei, adeoque non esse superstitionem ; » miræ enim sunt naturalium causarum virtutes, præsertim herbarum, lapidum et hujusmodi, etiam viris doctissimis incognitæ, adeoque licet nobis sit virtus illa ignota vel dubia, non est a nobis statim censenda superstitiosa, donec resciatur non esse a virtute naturali occulta, cum in tali dubio simus in possessione juris ad utendum hujusmodi rebus ; consulunt tamen doctores cuilibet, qui ejusmodi re dubia uti vellet ad aliquem effectum, ut expresse protestetur, si ulla vis

(86) Cur oratio Manasse, ac libri tertius ac quartus Esdræ nomine prænotati ad calcem sacrorum Bibliorum Vulgatæ editionis Clementis VIII, auctoritate publicatæ recusi fuerint, exponitur in admonitione iisdem præmissa his verbis : « Oratio Manasse, nec non libri duo, qui sub libri tertii et quarti Esdræ nomine circumferuntur, hoc in loco, extra scilicet seriem canonicorum librorum, quos sancta Tridentina synodus suscepit, et pro canonicis suscipiendos decrevit, sepositi sunt, ne prorsus interirent, quippe qui a nonnullis sanctis Patribus interdum citantur, et in aliquibus Bibliis Latinis tam manuscriptis quam impressis reperiuntur. » *Vide* Calmeti Dissertationes in lib. III et IV Esdræ. Verba porro relata ab auctore, ex quibus angelus Uriel nominatur ex vers. 1, cap. IV, lib. IV, sumpta sunt, qui liber et anilibus fabulis, et erroribus scatet. *Vid.* Add. Casin., *v.* SCRIPTURA SACRA.

Digitized by Google

diabolica inibi insit, nolle se effectum consequi. * Præterea dubium deponendum antea est. Neque enim nobis fas est uti medio, de quo, utrum licitum sit, an non, dubitamus *.

(60. Regula sexta : « Quando certo probabiliter constat rem applicatam ad effectum aliquem non habere ullam vim naturalem ad illum causandum, dubitatur tamen an habeat vim a Deo vel a dæmone, censenda est superstitio saltem ex pacto implicito cum dæmone. » Nec in tali casu, ubi constat certo de inefficacia rei seu mediorum, prodest protestatio, cum sit contraria facto.

(61. Regula septima : « Quando ab aliquo homine bonæ famæ magnique ingenii, aliquid mirum efficitur, potius censeri debet fieri naturaliter vel supernaturaliter, quam superstitiose et diabolice; » nemo enim præsumendus est malus, nisi probetur talis. Can. *In cunctis* 52, caus. 11, q. 3, cap. *Mandata* 6, et cap. *Dudum* 17, De præsumptionibus. Tum quia quandoque etiam maxima sanctitas operantis, vel alia urgentissima indicia suadent aliquid fieri supernaturaliter, et per miraculum, Deo per sanctos suos operante.

(62. Regula octava : « Pro vere superstitiosis, aut saltem valde suspectis mediis ad aliquid obtinendum vel impediendum, habenda sunt omnia illa, quibus tanquam necessariæ adhibendæ sunt, seu admiscentur circumstantiæ vanæ, ineptæ et ridiculæ. »

(63. Regula nona : « Omnis superstitio, quæ fit cum pacto expresso cum dæmone, seu cum expressa invocatione ejusdem, aut voce, aut signo, aut ipso facto, adhibendo scilicet signa, quæ quis scit a dæmone esse instituta, ac ipsum per illa operari, sive deinde secum ipso, sive cum alio conventa sint, est semper peccatum. »

(64. Regula decima : « Superstitio, quæ fit cum pacto implicito tantum cum dæmone, seu cum implicita tantum et tacita invocatione ejusdem, quamvis ex genere suo sit peccatum mortale, ex simplicitate tamen vel ignorantia culpabili, sed tamen levi et non crassa, seu affectata et simplici curiositate, ex levitate actus, ex defectu integræ credulitatis seu certæ fidei, frequentissime redditur solum veniale. » Si enim fiant actiones de se superstitiosæ ex simplicitate vel ignorantia etiam vincibili, non crassa, nec affectata, sunt quidem ex defectu requisitionis debitæ, culpabiles venialiter, at non mortaliter. Item non mortaliter peccat, qui in re levi, ut signo vel medio superstitioso habito ex sola curiositate experiendi causa, verbi gratia semel, vel iterum faciendo annulum moveri super filum, aut alibi ad latera vasis. Item non peccat mortaliter, qui utitur similibus signis, rebus, seu verbis aut characteribus solum ex levitate joci vel risus causa, nullo exspectato eventu, qualia multa jocosa fieri solent in certis vigiliis; tunc enim non est vera superstitio, quia, licet supradicta instituta sint a dæmone, si tamen joco et non serio exspectando eventum, usurpentur, irrisio potius est quam invocatio dæmonis; item non peccat mortaliter, qui absque integra credulitate seu certa fide, et vana solum formidine in agendis vel cavendis observat hujusmodi vana signa et alia similia, cum non videatur gravis ordinatio aliquid operari, vel cavere ob metum vanum conceptum ex somniis, ex sternutatione, auris tinnitu, cantu corvi vel noctuæ, occursu vulturis seu leporis, et hujusmodi absque certa fide. * Consulatur Antoine in tractatu *De virtute religionis*, cap. 5, art. 1, quæst. 7, ubi docet 2 mortaliter peccare illos « qui ad aliquid obtinendum media inepta et improportionata adhibent, etiam joci causa, sed ex quadam curiositate, ut experiantur quid casu accidat, quamvis putent totum esse vanum et futile; nam ii tentant experiri, an dæmon de facto se illis mediis immisceat : ergo tentant cum dæmone societatem habere, quod mortale est, etsi joco fiat. » *

(65. *Maleficium* (quod a *male* et *facio* dictum est) est superstitio, qua per certa signa et media, opera et potestate dæmonis proximo, vel in se vel in suis nocumentum infertur. Ita in re Communis.

(66. *Maleficium* est duplex, nempe veneficum, et amatorium. *Communis.*

(67. Maleficium *veneficum* est illud, quo per certa hujusmodi signa vel media ope dæmonis hominibus in ipso corpore vel rebus suis nocumentum infertur, et hoc utuntur malefici, ut reddant homines infirmos, proles languidas, pecora morbida, feminas steriles et conjuges impotentes ad inter se coeundum, quod communiter maleficium ligaminis appellatur. Item ad afferendas non semel mortes pueris, et hominibus, et animalibus; item ad causandas tempestates, pluvias immodicas, ad destructionem fructuum et ad alia gravissima hominum damna.

(68. Maleficium *amatorium* est illud, quo per certa hujusmodi signa vel media, ope dæmonis immutatio in affectibus causatur; et hoc utuntur malefici ad excessivos vel impotentes amores carnales excitandos, seu econtra ad capitalia odia, præsertim inter conjuges, causanda, dæmone hominum phantasiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem. Dicitur autem maleficium simpliciter amatorium a potiori parte seu principaliori animæ, videlicet amore et casu frequentius contingente.

(69. Nunquam licet maleficium solvere novo maleficio, nempe applicando novum signum magicum, quo dæmon moveatur ad novum aliquod operandum, ad prius maleficium tollendum. Sic non licet petere vel jubere magum aut sagam, ut maleficium novo maleficio solvat; hoc enim est intrinsece malum, adeoque, etc. *Communis.*

(70. Item graviter peccat, qui petit a mago seu saga, aut ab alio, ut maleficium solvat, si sciat nonnisi per aliud maleficium dissolvi posse. *Communis* per rationem mox adducendam.

(71. Item graviter peccat, qui petit seu

Digitized by Google

jubet dissolutionem maleficii, si dubitet, an solvi possit sine novo maleficio. *Communis.* Et ratio clara est, quia nunquam licet petere, jubere vel quomodolibet alterum inducere ad id, quod ab eo sine peccato fieri non potest, uti est maleficium alio maleficio solvere.

(72. Imo neque id licet permittere, quamvis maleficus sese offerat non rogatus ad maleficium alio maleficio dissolvendum. *Communis.* Sic enim consentiendo esset concurrere ad intrinsece malum; unde Apostolus ad *Romanos* I, 32, sic habet: *Qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

(73. Quando constat quod maleficus potest licito modo, absque novo maleficio prius maleficium dissolvere, licitum est petere, imo jubere, ut solvat, quamvis suspicetur seu credatur id facturum per novum maleficium. *Communis*, contra paucos (87). Et ratio est, quia, cum habeam jus in tali casu petendi quod ab alio recte præstari potest, et est indifferens, imputabitur illius malitiæ, si id cum peccato faciat.

(74. Licitum est ad dissolvendum maleficium adhibere aliquod signum positivum contrarium maleficio ex pacto conditionato diaboli: dummodo illud signum de se sit honestum vel indifferens, verbi gratia, si dæmon sit pactus cum malefico, ut tandiu duret maleficium, quandiu maleficiatus se cruce non signet, non confiteatur, non communicet, non lavet manus, et hujusmodi, licet non tantum se cruce signare, confiteri, communicare, sed etiam manus lavare, et hujusmodi non quidem intentione, eo modo vel signo aliquid efficiendi ope dæmonis in se vel in alio, sed præcisa intentione dissolvendi pactum diabolicum, ac impediendi signum magicum noxium; sicque solvendi maleficium, quod vere licitum est, cum talis intentio sit bona, et medium, ac signum sit licitum. Sic, pluribus congestis, Suarez, tom. I, *De relig.*, lib. II, c. 17, num. 19; Sanchez, lib. II *Moral.*, cap. 41, num. 5; Lessius, *De justit. et jur.*, lib. II, c. 144, dub. 6, num. 45; Martinus Delrius, *Disquisit. magic.*, lib. II, cap. 2, sect. 1, quæst. 2; Laym., lib. IV, tract. 10, cap. 4, n. 9; Castropal., tract. 17, d. 1, p. 11; La Croix, lib. III, part. XI, n. 42, cum Busemb. et aliis ibi citatis; Sporer, *loc. cit.*, sect. 4, n. 41; Tamburin., lib. II, cap. 6, § 2, n. 13, et alii recentiores passim. Unde Tamburinus, *loc. cit.*, n. 17; Sporer, *loc. cit.*, n. 42; La Croix, *loc. cit.*, n. 42, et alii recte docent non peccasse peccato superstitionis quemdam lepidum rusticum qui, cum audisset dæmonem pactum fecisse cum quodam sene avaro, ut nemo suum thesaurum terra defossum invenire et auferre posset, nisi qui supra locum bona pulte se reficeret, vinumque hilariter biberet, ibidem pultem comedit, vinumque bibit, et thesaurum invenit ac abstulit.

(75. Hinc docet communis opinio, ut testatur praxis universalis, quod vere licitum sit sine novo maleficio tollere signa magica, verb. gr. ligaturas, nodos, volumina capillorum, et alia hujusmodi eo fine, ut diabolus nocere desinat; et hoc tum in contemptum diaboli atque magicæ superstitionis, tum in odium facinoris, quo maleficus ea posuit, veluti tesseram sui pacti cum dæmone: imo non tantum id licitum est, sed et meritorium, ut recte docet Scotus in 4, dist. 32, q. unica, dicens quod ridiculum sit quærere: « An liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum; non enim, inquit, solum licet, sed est meritorium destruere opera diaboli. »

(76. Vere superstitiosi sunt denuntiandi; ut tamen eorum superstitio pariat onus denuntiationis, duo requirit: primo, ut adsit expressa vel tacita dæmonis invocatio; secunda, quod sit mortaliter peccaminosa. Lupus, part. III, lib. XV, art. 3, differ. 2, pag. 257; Felix Potestas, t. II, p. II, n. 234.

(77. Præcipua remedia spiritualia adversus maleficia adhibenda decem passim a doctoribus assignari solent: 1° Magna fides et plena fiducia in Deum, ejusque divinam protectionem; 2° oratio, præsertim conjuncta cum jejunio, ut patet ex verbis Christi *Matth.* XVII, 20, ibi: *Hoc autem dæmoniorum genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium;* 3° susceptio baptismi, si quis nondum sit baptizatus; 4° confessio sacramentalis peccatorum, loquendo de baptizatis; 5° sumptio sanctissimi Eucharistiæ sacramenti; 6° devota invocatio sanctissimi nominis Jesu, beatæ Mariæ Virginis, sancti angeli custodis, aliorumque sanctorum; 7° signum sanctæ crucis; 8° reliquiæ sanctorum, agnus Dei, cerei sacri, panis, sal, aliæque res rite ab Ecclesia benedictæ; 9° aqua benedicta; 10° exorcismi ab Ecclesia ad id instituti et approbati.

(78. Pœnæ statutæ contra maleficos, divinatores aliosque similes superstitiosos, sunt illæ assignatæ *supra*, a n. 39 ad 42, contra sortilegos, servata proportione secundum majorem vel minorem gravitatem delicti; et advertendo, quod Deus *Exodi* XXII, 8, sic expresse decrevit: *Maleficos non patieris vivere*, per maleficos intelligens omnes habentes pactum (etiam tacitum) cum dæmone, ut recte notat Suarez, *De religion.*, tom. I, tract. 9, lib. II, cap. 19; Gobat, tom. III, part. IV, *De superstitionibus*, n. 1040, et alii. Et *Deut.* cap. XIII, 10, cum seq. statuit gentes integre delendas esse propter superstitiones expressas, *ibid.*, vers. 10 et 11, inter quas sunt observatores somniorum, augures aliique similes superstitiosi. Item multæ sunt pœnæ decretæ contra ipsos in sacris canonibus apud Gratianum, tota causa 26, et in codice Justiniani

Nota Romani theologi.

(87) Si constet, maleficium posse licito modo tolli absque novo maleficio: ergo non suspicatur, nec credit quis id tolli per aliud maleficium; at si ita suspicatur et credit, peccat ut habetur n. 71.

Digitized by Google

lib. XIX, tit. *De maleficis, et mathematicis, et cæteris similibus.*

(79. Judex competens maleficorum, divinatorum, sortilegorum aliorumque superstitiosorum, si rei sunt ecclesiastici aut laici quidem, sed qui superstitioni addiderint hæresim, est solus ecclesiasticus, ut per se clarum est; si autem laici superstitioni hæresim non addiderint, tunc etiam laicus est judex competens, et datur locus præventioni cum crimen maleficii seu superstitionis sit misti fori, ex quo contra ipsum, non tantum in jure canonico, sed etiam in civili statutæ sint pœnæ, ut patet in codice toto titulo *De maleficis et mathematicis, et cæteris similibus*; sic Abbas, in cap. 2 *De sortil.*; Gregorius de Valentia, tom. III, disp. 6, q. 3, p. IV; Gobat, *loc. cit.*, num. 1048; Delrius, lib. V *Disquisit. magic.*, et alii passim *supra* n. 43 et 44.

(80. Confessarii suos pœnitentes reos de aliqua superstitione, divinatione, magia, incantatione, maleficio, et hujusmodi, debent specialiter interrogare de sequentibus: I. Quo fine tali superstitioni se addixerint, v. g. an ratione vehementis passionis, tristitiæ, vindictæ, luxuriæ, avaritiæ aut sanctitatis nomen conciliandi, quæ esset sacrilega hypocrisis. II. De idololatria, an dæmonem loco Dei habuerint, eique obtulerint sacrificia aut preces fuderint. III. De apostasia, an Deo et B. Mariæ Virgini, sanctis vel fidei sacramentis renuntiaverint. IV. De hæresi, an crediderint dæmonem esse Deum, esse adorandum, non esse damnatum, eique adhærentes non esse damnandos; seu alios articulos nostræ veræ fidei abnegaverint. V. De blasphemiis in Deum, Christi humanitatem, B. Mariam Virginem et sanctos. VI. De sacrilegiis, an sacra et præsertim Eucharistiam profanaverint, aut iis indigne usi fuerint. VII. De luxuria et nefandissima commistione cum dæmonibus incubis vel succubis, ut solent lamiæ et striges. VIII. De damnis proximo illatis in segetibus, animalibus, hominibus, et præsertim infantibus, et sponsis, si nocuerint per maleficia, ligamina, incantationes, et hujusmodi.

(81. Insuper confessarii debent eos monere de infra scriptis suis obligationibus: I. Quod ipsi tenentur pactum expressum, si quod habent cum dæmone, aut commercium penitus statim dissolvere. II. Comburere aut confessario consignare chirographum seu signum, si quod habent. Non est tamen necesse, ut malefici pœnitentes curent sibi a dæmone restitui tale chirographum vel signum, si ipse habeat, quia per veram pœnitentiam sufficienter recedunt a pacto, illudque totaliter dissolvunt. III. Libros suos, schedas, ligaturas aliaque instrumenta superstitiosa magicæ artis comburere seu consignare confessario. IV. Omnia damna illata resarcire omni modo possibili juxta regulas generales restitutionis, ex damno dato; ad quod proinde etiam tenetur fiscus (ubi veneficorum bona confiscantur) uti et hæredes, si ad eos bona deveniant. V. Excommunicationem in bulla *Cœnæ* incurrisse, si suis superstitionibus formalem hæresim addiderint, ideoque non posse absolvi a confessario non habente facultatem specialem absolvendi ab hæresi. Secus vero, si non fuerunt formales hæretici, vel apostatæ, aut idololatræ, juxta dicta *supra*, n. 9.

(82. Quoad ea quæ concernunt astrologiam judiciariam, *vide* verb. ASTROLOGIA, ASTROLOGUS *per tot.* ubi late de omnibus.

SURRIPIENTES.

(1. Surripientes, asportantes, aut apud se retinentes hostias vel particulas consecratas, curiæ sæculari tradi debent puniendi: Bened. XIV, tom. I, constit. 93, incip. *Ab augustissimo*, § 1. (2. Et si ecclesiastici sint, sunt degradandi et curiæ sæculari tradendi. Idem, *ibid.* (3. Etiam pro prima vice; etiam minores XXV annis dummodo vicesimum attigerint. Idem, *ibid.* (4. Rejectis exceptionibus de non consecratione aut de honesta intentione, nisi ab ipsis reis probentur. Idem, *ibid.*, § 4 et 5.

(5. Insuper attendenda est sanctio Clem. XIII, in const. incip. *Gravissimum*, in qua confirmatis Apostolicis constitutionibus contra surripientes vel asportantes, aut apud se retinentes sacras hostias vel particulas consecratas, editis ab Innocentio XI, anno 1677, IV Idus Martii, Pontificatus sui anno I, et ab Alexandro VIII, anno 1690, XI Kalendas Februarii, Pontificatus sui anno II, et a Benedicto XIV, anno 1743, Nonas Martii, Pontificatus sui anno IV decernitur, ut hujusmodi criminis reis constitutis, sincera delicti confessio facta in primo generali interrogatorio, nil suffragetur ad minuendam pœnam traditionis brachio sæculari, in dictis constitutionibus inflictam.

SUSPECTA DE HÆRESI PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, *n.* 24.

SUSPENSIO.

ARTICULUS I.

Quoad ejus esse et divisionem.

1. Suspensio quid sit. — 2. Suspensio dividitur in suspensionem ab officio, in suspensionem a beneficio et in suspensionem ab officio et beneficio simul. — 3. Suspensio ab officio quæ sit. — 4. Suspensio a beneficio quæ sit. — 5. Suspensio ab officio et beneficio simul quæ sit. — 6. Suspensio ab officio et beneficio dividitur in totalem et partialem. — 7. Quæ sit dicta suspensio totalis. — 8. Quæ sit partialis ab officio, et partialis a beneficio.

Digitized by Google

— 9. Suspensio absolute et sine ulla limitatione imposita, si ex adjunctis colligi nequeat, an sit ab officio vel beneficio, est censenda totalis, et ab utroque simul. — 10. Suspensio alia est a jure et alia ab homine. — 11. Suspensiones ab homine quæ sint. — 12. Suspensiones a jure quæ sint. — 13. Alia ad rem ad n. 25.

(1. Suspensio est censura ecclesiastica, qua clericus prohibetur exercere aliquos actus ecclesiasticos, alias sibi competentes. Est communis. (2. Suspensio dividitur in suspensionem ab officio, in suspensionem a beneficio et in suspensionem ab officio et beneficio simul. (3. Suspensio ab officio est, qua clerico prohibetur exercitium suorum ordinum vel aliarum functionum ipsi ratione ordinis competentium. (4. Suspensio a beneficio est, qua clericus prohibetur percipere fructus sui beneficii ecclesiastici. (5. Suspensio ab officio et beneficio simul est, qua clerico prohibentur jura utriusque, officii scilicet et beneficii.

(6. Suspensio ab officio et beneficio dividitur in totalem et partialem.

(7. Totalis est, qua clericus ab omni prorsus officio ecclesiastico, vel a perceptione omnium omnino fructuum beneficialium suspenditur; sic colligitur ex cap. *Tuarum*, De privileg., et Clement. 1, De decimis. (8. Partialis ab officio est, qua clerico prohibetur aliquis tantum sui officii actus, ut cum sacerdos suspenditur solum ab exceptione confessionum, vel episcopus solum a collatione ordinum; isti enim possunt omnes alios actus sibi competentes ratione ordinis exercere. Et partialis a beneficio est, qua clericus ab aliqua tantum parte fructuum beneficialium suspenditur, ut a tertia vel quarta parte illorum. Nec in una includitur alia, et propter hoc suspensus ab officio determinate, non intelligitur suspensus a beneficio, ut colligitur ex cap. *Tam litteris* 33, De testibus, et cap. *Tuarum* 22, De privil.

(9. Suspensio absolute et sine ulla limitatione imposita, si ex adjunctis colligi nequeat, an sit ab officio vel beneficio, est censenda totalis, et ab utroque simul, quia propositio indefinita æquivalet universali, nec apparet fundamentum, cur potius de officio quam de beneficio debeat intelligi, sic enim est intelligenda dispositio. Cap. *Cum bonæ* 3, De ætat. et qualitat., et Clementin. 1, § *Quibus*, De privileg.

(10. Suspensio alia est a jure et alia ab homine.

(11. Suspensiones ab homine sunt, quæ imponuntur a superiore ecclesiastico pro aliqua actione particulari, ut fiat vel non fiat. (12. Suspensiones a jure sunt, quæ variis personis propter varia in jure communi et constitutionibus Apostolicis sunt impositæ, et sunt præcipue quæ infra sequuntur distincte ad majorem commoditatem in diversos articulos notatæ.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(13. De suspensione ex informata conscientia agendum hic paucis est.

(14. Suspensio hæc infligitur, nullis præmissis monitionibus, adeoque non censura, sed pœna est. Suspensio enim, ubi est censura, requirit omnino monitiones, et ubi est pœna, eas minime requirit: Schmalzgrueb., in *Decretal.* lib. v, tit. 39, n. 89; Mayr., pariter in *Decretal.* lib. v, tit. 39 et n. 122; Hurlad., *De censur. difficult.*, 18, n. 80 et seq.; Blund., *eod. tractat.*, disput. 6, articul. 2.

(15. Potestas hæc suspendendi ex informata conscientia concessa est episcopo a concilio *Tridentino*, sess. XIV, cap. 1, *De reformat.*

(16. Quæstionis vero est an episcopus ex informata conscientia suspendere valeat, tum ab ordine, tum a beneficio?

(17. Fuerunt, qui tenuere episcopum ex informata conscientia suspendere duntaxat posse ab ascensu ad ordines, idque quia concilium *Tridentinum* ubi potestatem facit suspendendi ex informata conscientia, loquitur de suspensione ab ascensu ad ordines.

(18. Nihilo tamen minus sacr. congreg. Concilii interpres, referente S. M. Benedicto XIV, *De synod. diœces.*, lib. XII, c. 8, § 3, sensit posse episcopum suspendere et ab exercitio ordinis jam suscepti, ea de ratione, quod verba illa, quibus facultas episcopo data est suspendendi ex informata conscientia, repetita intelligantur, ubi sermo est de suspensione ab exercitio ordinis suscepti.

(19. Innixi autem huic sententiæ dictæ sacræ congregationis plures etiam existimarunt, posse episcopum ex informata conscientia suspendere a beneficio; idque quia ubi agitur de suspensione ab exercitio ordinis suscepti, videtur simul agi de suspensione a beneficio, ut præ se ferunt verba illa: « Aut qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus. »

(20. Contra alii in ea sunt opinione, ut episcopus ex informata conscientia suspendere nec valeat ab exercitio beneficii. Confer Vanespen. *De censur.*, cap. 10; Alter. *eod. tractat.*, tom. II, disp. 12, c. 1.

(21. At dicta sacra congregatio sustinuit suspensionem, quam episcopus ex informata conscientia inflixerat ab exercitio curæ in *Sagonen.* 21 Junii 1625. « Episcopus Sagonensis (sunt ipsissima verba) ex facultate sibi attributa decreto concilii cap. 1, sess. XIV, ex causis sibi notis suspendit parochum ab exercitio curæ, sed ille appellavit, et præcepto episcopi contempto celebravit et curam exercuit. Quæritur, an a dicta suspensione detur appellatio, ita ut parochus, non obstante appellatione interposita, per exercitium curæ effectus fuerit irregularis? Sacra congregatio Concilii censuit ab hujusmodi suspensione non dari appellationem, et parochum, qui sacramenta ut supra administravit, irregularitatem contraxisse. »

(22. Hæc vero resolutio aliquam difficultatem in eo pati videtur, quod contrahat irregularitatem, qui violat suspensionem

Digitized by Google

hanc ex informata conscientia. (23. Contrahitur enim irregularitas ex violatione suspensionis, quæ sit censura, non item ex violatione suspensionis, quæ sit pœna; uti est suspensio ex informata conscientia.

(24. Quidquid autem hujus rei sit, adhuc decisum haud est, an episcopus suspendere queat ex informata conscientia a beneficio, sed solum decisum est, posse suspendere ex informata conscientia ab exercitio beneficii, quæ suspensio partialis est, nec fructibus privat.

(25. Ad pleniorem vero hujus suspensionis ex informata conscientia notitiam, congruum est hic subnectere epistolam a dicta sacra congregatione datam ad Venetum nuntium.

« Quandoquidem (sunt propria verba) experientia compertum est reos criminum plerumque ad evitandas pœnas, et episcoporum correctiones, querelas et gravamina simulare. Hujusmodi itaque appellationes in posterum Amplitudo Tua omnino rejici mandabit, nec ullam inhibitionem vigore appellationis relaxari permittet. Sed quoniam disciplina ecclesiastica, ac stylo inductum est, ut judex superior, quamvis appellationes proprie dictas eorum, qui ab ordinario suo extrajudicialiter et ex informata conscientia suspensi fuerint, recipere non possit, recursibus tamen aditum non præcludat, quo, salva jurisdictione episcopali ac disciplinæ rigore caveatur, ne quis forte episcopus potestate sua in subditos sibi ecclesiasticos abutatur; posthæc Amplitudini Tuæ, ac successoribus ejusmodi recursus excipere duntaxat licebit, servatis infra scriptis conditionibus atque cautelis.

« Primo. « Namque, non ita facile locum « illis dabit, sed congrua adhibita ratione, et « circumspectione, nec sane alias, quam cum « vehemens suspicio subsit, quod ordinarius « auctoritate sua abusus sit, procedendo videlicet modo prædicto ad pœnam suspensionis, sine gravi causa adversus sacrorum canonum præscripta, et in animæ « propriæ perniciem. »

« Secundo. « Recursu quamvis admisso, « suspensi in statu, quo erant, permaneant; « illoque pendente, ordines, a quibus suspensi fuerint, exercere nullatenus valeant. »

« Tertio. « Recursu ita admisso, requiratur per litteras ejusdem suspensi ordinarius, ut irrogatæ suspensionis causas « aperire non gravetur, addita etiam pro« missione de servando secreto, quatenus illud justitia exigat, aut Christiana charitas « suadeat. »

ARTICULUS II.

Suspensiones contra episcopos.

(1. Ordinantes ad sacros ordines religiosos non professos. S. P. V. constit. incip. *Romanus Pontifex.*

(2. Ordinantes monachum sine licentia abbatis, cap. fin., dist. 58, ubi Barbosa, et alii.

(3. Ordinantes non subditum absque licentia proprii ordinarii. Concil. Trid., cap. 8, sess. XXIII, *De reform.*

(4. Conferentes ordines Simoniace, cap. penult. *De Simonia*, et extravag. Paul. II, *De Simon.*

(5. Conferentes clericalem tonsuram infanti, aut illiterato vel conjugato per annum a clericalis tonsuræ collatione suspenduntur, cap. *Nullus*, De temp. ord. in 6.

(6. Conferentes ordines suspenso propter malam promotionem, cap. fin. *De temp. ord.* in 6, c. *Si quis episcop.* 1, q. 1.

(7. Privantes beneficiis eos, qui in Romana Curia commorantur. Eugen. IV extrav. incip. *Divina*, De privileg.

(8. In proprium usum convertentes bona beneficiorum vacantium pertinentium ad eorum provisionem, cap. fin. *De officio ordinarii* in 6.

(9. Submittentes laicis bona et jura Ecclesiæ absque consensu capituli et Sedis Apostolicæ licentia, cap. *Hoc consultissima*, De rebus eccles. non alienand. in 6.

(10. Alienantes bona Ecclesiæ ultra triennium. Ex extravagant. *Ambitiosæ*, De rebus eccles. non alienand.

(11. Admittentes resignationes beneficiorum contra formam præscriptam in constit. Pii V, incip. *Quanta.*

(12. In causa alienationis bonorum Ecclesiæ male utentes delegata potestate. Paul. II constit. incip. *Cum omnibus.*

(13. Intromittentes se in causis spectantibus ad electionem episcoporum, postquam appellatum est ad Papam. Cap. *Quamvis*, et cap. *Provida*, De elect., in 6.

(14. Negligentes procedere contra Simoniacos. Cap. *Quidquid* 101, q. 1.

(15. Foventes usuras, et usurariis locantes suas domus, cap. 1, *De usuris*, in 6.

(16. Delinquentes contra clericorum immunitatem.

(17. Accedentes ad Ecclesias, ad quas fuerunt promoti, nondum expeditis litteris Apostolicis suæ promotionis. Extravag. 1, *De electione.*

(18. Abutentes munere inquisitorum in causis fidei. Clem., § 1, *Verum de hæreticis.*

(19. Non servantes extravagant. 2, de elect. quoad perceptionem fructuum 1 vel 2 anni. Extrav. Joann. XXII, *De elect.*

(20. Relaxantes incendiariis pœnam contentam in jure. C. *Pessimam* 23, q. 8.

(21. Publicantes Simoniace populo indicem casuum, gratiarum et indulgentiarum. Pii V constit. incip. *Quamprimum.*

(22. Concubinarios a synodo provinciali admonitos, et non se emendantes. Conc. *Trid.*, sess. XXV, *De reform.*, cap. 14.

(23. Non visitantes limina apostolorum statutis temporibus. Sixt. V constit. incip. *Romanus Pontifex.*

(24. Ingredientes monasteria monialium sine necessitate, et non cum paucis, iisque sonioribus, ac religiosis personis, uti expresse præscribit Gregorius XIII, constit. incip. *Dubiis*, in qua transgressores pro se-

Digitized by Google

cunda vice, a munere pontificali et a divinis suspendit.

(25. Publicantes indulgentias et facultatem eligendi confessarios solventibus aliquid. Pii V constit. 99.

ARTICULUS III.

Suspensiones contra capitula seu capitulares.

(1. Recipientes prælatos, eisque obedientes absque litteris Pontificiis. Extravagant. 1, *De election.*

(2. Recipientes ex pacto in ingressu ad religionem ab admisso prandia, pecunias aut jocalia. Extravagant. *Sane*, De Simonia.

(3. Occupantes bona a prælato dimissa vel vacationis tempore obvenientia. Cap. *Quia sæpe*, De elect., in 6.

(4. Recipientes ad professionem ante annum probationis. Cap. *Non solum*, De regularibus, in 6.

(5. Non facientes conscientiam pœnitentibus de solvendis decimis. Clementin. *Cupientes*, De pœnis.

(6. Recipientes ad ordines sacros non professos. Sanct. Pii V constitut. incip. *Romanus Pontifex.*

(7. Introducentes mulieres in monasteria. S. Pii V const. incip. *Regularium.*

(8. Non observantes in resignatione beneficiorum contenta in constitut. S. Pii V incip. *Quanta.*

(9. Usurpantes decimas sibi non convenientes. Clem. 1, *De decimis.*

ARTICULUS IV.

Suspensiones contra clericos.

(1. Recipientes ordines sacros ante legitimam ætatem, cap. *Vel non est compos*, De temp. ordin.

(2. Recipientes tales ordines extra tempora absque dispensatione. Pii V constit. incip. *Cum ex sacrorum.*

(3. Recipientes ipsos ordines, non servatis interstitiis sine dispensatione. C. *Cum quidam*, et c. *Litteris*, De temp. ordinat.

(4. Recipientes ordines ab alieno episcopo sine licentia proprii. C. 1 et 3, dist. 71, conc. *Trid.*, sess. XXIII, cap. 8, *De reform.*

(5. Recipientes ordines ab eo qui renuntiavit episcopatui. Cap. 1, *De ordinato ab episcopo, qui renuntiavit episcop.*

(6. Recipientes ordines a proprio episcopo in aliena diœcesi sine licentia episcopi loci. Conc. *Trid.*, sess. VI, *De reformat.*, c. 5.

(7. Recipientes ordines ab episcopo titulari absque licentia proprii episcopi, etiam prætextu familiaritatis. Conc. *Trid.*, sess. XIV, *De reform.*, cap. 2.

(8. Recipientes ordines a schismaticis. Cap. 1 et 2, *De schismatic.*

(9. Recipientes scienter ordines ab excommunicato vel suspenso. Arg. cit. cap. 1 et 2 *De schismaticis.*

(10. Recipientes sacrum ordinem post matrimonium ratum, etiam non consummatum. Extrav. *Antiquæ*, De voto.

(11. Recipientes ordines, dum sunt excommunicati, suspensi aut interdicti. Cap. *Cum illorum*, De sent. excom

(12. Ordinatos sine vel ficto titulo. Cap. *Neminem*, et c. *Sanctorum*, dist. 70.

(13. Promotos per saltum. Conc. *Trid.*, sess. XXIII, c. 14, *De reform.*

(14. Objicientes in personam electi, et postea deficientes in probatione. C. 1, *De elect.*, § *Adjicientes*, in 6.

(15. Ordinatos in majoribus cum litteris dimissoriis capituli, sive ejus vicarii sede vacante infra annum. Concil. *Trid.*, sess. VII, *De reform.*, c. 10.

(16. Celebrantes coram excommunicato vel interdicto. C. *Episcoporum*, De privilegiis.

(17. Parochos non prohibentes matrimonia clandestina vel contra interdictum Ecclesiæ. C. *Cum inhibiti*, § fin. *De clandestin. desponsat.*

(18. Tradentes sepulturæ publicos usurarios. Cap. *Quia in omnibus*, De usuris.

(19. Parochos jungentes sponsos alterius parochiæ sine licentia. Concil. *Trid.*, cap. 1, sess. XXIV, *De reform. matrimon.*

(20. Abutentes vestibus contra statuta a jure. Clem. 2, *De vita et honestate clericor.*

(21. Occupantes bona ecclesiarum vacantium, vel a prælatis ipsarum defunctis relicta. C. *Quia sæpe*, De elect., in 6.

(22. Gravantes alienis debitis ecclesias sibi commissas. C. 2, *De solutionib.*

(23. Electores episcoporum non præsentantes electionem electi infra 8 dies. C. *Cupientes*, De elect, in 6.

(24. Eligentes indignum ad episcopatum vel curam animarum. C. *Cum in cunctis*, De elect., in 6.

(25. Postulantes in prælatos cathedralium minores XXVIII annis. Extrav. unic. *De postulat. prælator.*

(26. Compromissarium scienter eligentes indignum. Cap. *Compromissarium*, De elect., in 6.

(27. Celebrantes electionem per abusum sæcularis potestatis. C. *Quisquis* 23, De elect.

(28. Inferiores episcopis recipientes in visitationibus procurationem in pecunia, vel in victualibus visitationis officio non impenso. C. *Exigit*, De censibus, in 6.

(29. Facientes in judicio per sordes aliquid contra justitiam et conscientiam in gravamen partis. C. 1, *De sentent. et rejudicata*, in 6.

(30. Conferentes beneficia eorum, qui serviunt in curia, vel eadem recipientes. Extravag. 3, *De privileg.*

(31. Conservatores regularium se intromittentes in aliis quam manifestis injuriis. Cap. fin. *De offic. et potestate judicis delegat.*, in 6.

(32. Concubinarios notorios. Cap. fin. *De cohabit. cleric. et mulier.*

(33. Occupantes bona, census, etc., ecclesiæ, beneficii vel alterius pii loci, et occupantibus consentientes. Concil. *Trid.*, c. 11, sess. XXII *De reform.*

(34. Sodomiam exercentes. S. Pii V constit. 5 et 72 in ordine.

Digitized by Google

(35. Consequentes ordines Simoniace, et Simoniam aliter committentes. S. Pii V constit. incip. *Cum primum*, et extravag. Pauli II *De Simonia*.

(36. Provocantes ad duellum vel illud acceptantes. C. 1, *De cleric. pugnant. in duello*.

(37. Sponte jurantes de tenendo schismate. C. 1, *De schismatic*.

(38. Raptores mulierum et ad raptum auxilium præbentes. Concil. *Trident.*, c. 6, sess. XXIV *De reform. matrim.*

(39. Disputantes de immaculata conceptione B. M. V. S. Pii V constit. incip. *Super specula*, aut impugnantes illam, Gregor. XV const. 29. inc. *Sanctissimus*.

(40. Recipientes et admittentes prælatos promotos a Sede Apost. eisque obedientes sine litteris Papæ. Extrav. 1, *De elect.*

(41. Superiores ecclesiarum non exigentes singulis annis rationes de adimplemento onerum missarum. Innocent. XII constit. incip. *Nuper a congregatione*.

(42. Celebrantes missam, et in ea non communicantes. C. *Relatum*, De consecrat., dist. 2.

(43. Non perficientes sine gravi causa missam jam inchoatam. C. *Nullus episcop.* 58, De consecr., dist. 1.

ARTICULUS V.

Suspensiones contra religiosos.

(1. Recipientes alumnos ad professionem ante annum probationis. Cap. *Non solum*, De regular., in 6.

(2. Non deferentes habitum a regula statutum. Clem. 1, § *Si quis*, De statu monachor.

(3. Apostatas in apostasia ordines suscipientes. Cap. fin. *De apostat.*

(4. Non professos recipientes ordines sacros. S. Pii V constit. 75.

(5. Ejectos a religione. Urb. VIII const. 26, § 10.

(6. Introducentes mulieres intra clausuram conventuum. S. Pii V constit. 20.

(7. Appropriantes sibi et usurpantes decimas ipsis non convenientes. Clem. 1, *De decimis*.

(8. Superiores concedentes reditus aut possessiones monasteriorum alicui ad vitam, seu aliud certum tempus, nisi necessitas exposcat, Clem. *De rebus eccl.*

(9. Superiores non exigentes singulis annis a deputatis pro libris missarum rationem de adimplemento totali onerum earumdem. Innocent. XII constit. incip. *Nuper a congregatione*.

(10. Superiores, ad quos occasione excessuum suorum religiosorum bona aliqua pervenerint, non satisfacientes personis damnificatis. Clem. 1, § *Quibus de privileg.*

ARTICULUS VI.

Suspensio quoad eos, qui possunt suspendere, vel suspendi.

SUMMARIUM.

1. Suspensio potest infligi in primis a Summo Pontifice et episcopis. — 2. Et ab omnibus et solis illis, a quibus potest infligi excommunicatio. — 3. Et suspensio pariter sicut excommunicatio regulariter est scripto ferenda. — 4. Omnes et soli clerici præter Papam possunt suspensionem incurrere. — 5. Episcopi vero hanc censuram non incurrunt, nisi eorum fiat expressa mentio. — 6. Non solum personæ singulares, sed etiam tota communitas, seu collegium clericorum potest suspendi. — 7. Suspensio in communitatem seu capitulum potest dupliciter ferri, vel collective, vel distributive. — 8. Et interdum hi duo modi suspendendi collective et distributive conjunguntur.

(1. Suspensio potest infligi in primis a Summo Pontifice et episcopis. C. 1 et cap. *Conquerente* 16, De officio ordinarii. (2. Et ab omnibus et solis illis a quibus potest infligi excommunicatio; eadem enim est potestas jurisdictionis ad ferendas omnes censuras, cum omnes ordinentur ad eumdem finem, scilicet ad coercendam contumaciam et inobedientiam subditorum rebellium.

(3. Et suspensio pariter, sicut excommunicatio regulariter est scripto ferenda. C. 1, *De sentent. excomm.*, in 6.

(4. Omnes et soli clerici præter Papam possunt suspensionem incurrere. Hæc enim est censura propria clericorum, ad differentiam excommunicationis et interdicti, quæ sunt censuræ communes clericis et laicis;

(5. episcopi vero hanc censuram non incurrunt, nisi eorum fiat expressa mentio ex privilegio eis concesso. Cap. *Qui periculosum* 4, De sentent. excomm., in 6.

(6. Non solum personæ singulares, sed etiam tota communitas seu collegium clericorum potest suspendi, ut constat ex cap. *Sæpe*, De elect., in 6. (7. Suspensio autem in communitatem, seu capitulum dupliciter ferri potest, vel collective, ut si totum corpus capituli habens jus alicujus beneficii jurisdictionis et administrationis, ab eo suspendatur. Vel distributive, ut singuli e corpore capituli, dummodo noxii sint, eamdem pœnam suspensionis incurrant. (8. Et interdum hi duo modi suspendendi collective et distributive conjunguntur, uti patet in cap. *Ne sede vacante*, et cap. *Quia sæpe* 40, De elect., in 6, ubi tam totum corpus capituli, quam singuli e corpore ipsius bona prælati defuncti occupantes, vel diripientes ab officiis et beneficiis suspenduntur, donec restituant.

ARTICULUS VII.

Suspensio quoad ejus effectus.

SUMMARIUM.

1. Si suspensus aliquem actum, a quo est suspensus exerceat, graviter peccat, si materia est gravis, et si durante suspensione actus ordinis exerceat, ipso facto incurrit irregularitatem — 2. Suspensus ab officio et beneficio non potest eligere, et est incapax beneficii ecclesiastici, et provisio ei facta est nulla.—3. Suspensus ab ordine et beneficio voluntarie et scienter violans suspensionem, præsertim celebrando, in perpetuum ab officio et beneficio est deponendus. — 4. Si suspensus a beneficio audeat se ingerere usurpando fructus ejusdem beneficii, graviter peccat, et tenetur ad restitutionem. — 5. Et præter hoc onus restitutionis, et grave peccatum, usurpans hos fructus contrahit perpetuam privationem beneficiorum. — 6. Si quis

Digitized by Google

suspensus ob vitium incontinentiæ, quo fuerit cognitus laborare, scienter ausus fuerit celebrare divina, est deponendus non solum ab officio, sed etiam a beneficio.— 7. Suspensus a minori ordine non potest ad majores ascendere, nisi prius absolvatur. — 8. Suspensus ab ingressu ecclesiæ, si celebrat in ea, fit irregularis, et si moritur impœnitens, durante suspensione, caret ecclesiastica sepultura. — 9. Suspensus ab officio, ordine et jurisdictione in uno loco, ubique est suspensus. — 10. Ordines et alii actus per suspensionem prohibiti, sunt validi, exceptis electionibus. — 11. Et exceptis actibus jurisdictionis, et per hoc absolute suspensus invalide absolvit, nisi ob suspensionem occultam sit error communis, ob quem ecclesia jurisdictionem supplet. — 12. Suspensio a divinis tempore appellationis est nulla.

(1. Si suspensus aliquem actum, a quo est suspensus, exerceat, graviter peccat, si materia est gravis et si, durante suspensione, actus ordinis exerceat, ipso facto incurrit irregularitatem, ut habetur in cap. 1 *De sentent. et re judicat.*, et cap. 1, *De sentent. excommun.*, in 6.

(2. Suspensus ab officio et beneficio non potest eligere, et est incapax beneficii ecclesiastici, et provisio ei facta est nulla, sicuti constat ex cap. *Cum dilectus*, De consuetud. Cum enim beneficium detur propter officium, non recte confertur ei qui officium præstare non potest. Cap. ult. *De clerico excomm. ministrant.*

(3. Suspensus ab ordine et beneficio, voluntario et scienter violans suspensionem, præsertim celebrando, in perpetuum ab officio et beneficio est deponendus, ut colligitur ex cap. *Clerici*, et cap. *Latores*, De clerico excomm.

(4. Si suspensus a beneficio audeat se ingerere usurpando fructus ejusdem beneficii, graviter peccat, et tenetur ad illorum restitutionem; cum hac distinctione, quod si sint fructus præbendæ, sunt restituendi Ecclesiæ vel pauperibus; si vero sint fructus quotidianarum distributionum ob assistentiam divinis officiis, sunt restituendi iis qui astiterunt divinis officiis, juxta textum in c. *Si quis deinceps* 17, q. 4. (5. Et præter hoc onus restitutionis et grave peccatum usurpans hos fructus, contrahit perpetuam privationem beneficiorum, ex textu in cap. 1, § ultim., et cap. *Cupientes*, vers. *Cæterum*, De elect., in 6.

(6. Si quis suspensus ob vitium incontinentiæ, quo fuerit cognitus laborare, scienter ausus fuerit celebrare divina, est deponendus, non solum ab officio, sed etiam a beneficio; sic expresse habetur in cap. *Ut clericorum*, verb. *Si quis*, De vita et honestate clericor.

(7. Suspensus a minore ordine non potest ad majores ascendere, nisi prius absolvatur, quia suspensus ab ordine inferiore censetur etiam suspensus a superiore, non vice versa; nam cui non licet quod minus est, non debet licere quod est majus, arg. l. *Legatorum*, § ultim., ff. *De interdictis*, ubi expresse habetur: « Est enim perquam ridiculum, eum qui minoribus honoribus pœnæ causa prohibitus est, ad majores aspirare; majoribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur. »

(8. Suspensus ab ingressu ecclesiæ, si celebrat in ea, fit irregularis, et si moritur impœnitens, durante suspensione, caret ecclesiastica sepultura. Cap. *Is cui*, De sentent. excomm., in 6.

(9. Suspensus ab officio, ordine et jurisdictione in uno loco, ubique est suspensus; ita ut nullibi possit exercere actus illius potestatis, a qua fuit suspensus, donec absolvatur; quia censura afficit immediate personam, ideoque eam comitatur etiam extra territorium ferentis, uti notant doctores cum Glossa in cap. *Pastoralis*, § *Verum*, De appellat.

(10. Sciendum tamen est quod ordines, et alii actus per suspensionem prohibiti, sunt validi, exceptis electionibus. Cap. *Cum dilectus*, De consuetud., cap. *Cum inter* 16, De election. (11. Et exceptis actibus jurisdictionis, et per hoc absolute suspensus invalide absolvit; absolutio enim a sic suspenso data est nulla, nisi ob suspensionem occultam sit error communis, ob quem Ecclesia jurisdictionem supplet. Arg. can. *Infirmis* 1, caus. 3, quæst. 8, l. *Barbarius* 3, ff. *De officio prætor.*

NOTÆ ROMANI THEOLOGI.

Non sufficit error communis, sed requiritur etiam titulus coloratus, ut alias diximus.

RESPONSIO AUCTORIS.

Quamvis non parva sit controversia inter doctores, an sufficiat error communis sine titulo colorato, ut videre est in verb. CONFESSARIUS, art. 1, num. 38 ad 42, inclusive; conclusio tamen mea apertissime indicat, adesse in confessario absolute suspenso dictum titulum coloratum, cum expresse dicat: Absolutio enim a sic suspenso data, est nulla, nisi ob suspensionem occultam sit error communis, ob quem Ecclesia jurisdictionem supplet. Cum enim hic confessarius ante suspensionem occultam vere et realiter omnibus innotuerit, ut a legitimo superiore titulo requisito ad actum absolutionis munitus se continue et publice exponens ad confessiones excipiendas, et superventa suspensio fuerit communiter occulta, certe sine alio expresso addito, ob hunc errorem communem Ecclesia supplet in hoc casu jurisdictionem. Frustra enim exprimitur, quod jam intelligitur, leg. *Cornelius* 69, ff. *De hæredibus instituendis.* Habetur etenim pro expresso quod tacite subintelligitur, l. *Fideicommissa* 11, § *Si filio*, ff. *De legatis* 111, cum similibus.

(12. Suspensio a divinis inflicta pendente appellatione declarata fuit invalida a sacra congr. Concil., in *Amalphitana* 10 Augusti 1724, apud *Thes. resol. sacr. congr. Concil.*, tom. III.

ARTICULUS VIII.

Suspensio quoad modos quibus tollitur.

SUMMARIUM.

1. Suspensio inflicta propter contumaciam cum hac lege tacita vel expressa, ut suspensus non possit prius absolvi quam a contumacia, seu inobe-

Digitized by Google

dientia recedat, tollitur per absolutionem. — 2. Dicta absolutio a tali suspensione juris potest dari ab episcopo vel alio quasi episcopali jurisdictione prædito, si non sit specialiter reservata Pontifici. — 3. Suspensio imposita ad determinatum tempus vel sub conditione, elapso tempore vel conditione adimpleta, eo ipso cessat per se ipsam sine alia superioris declaratione. — 4. Suspensio lata præcise ut pœna alicujus patrati delicti, tollitur per dispensationem, quæ dispensatio dari solum potest ab auctore canonis aut ejus successore, delegato vel superiore, non autem ab inferiore. — 5. Pro suspensionis absolutione nulla sunt præscripta determinata verba; unde sufficiunt quæcunque verba apta ad illam exprimendam, quocunque idiomate proferantur. — 6. Datur tamen forma adhiberi solita ex usu Ecclesiæ. — 7. Prius autem quam detur hæc absolutio, exigendum est ab absolvendo, ultra promissionem de cætero non committendi tale crimen, juramentum de stando mandatis Ecclesiæ. — 8. Et si crimen, propter quod incursa est suspensio, tangat tertiam personam, quod satisfaciat parti offensæ.

(1. Suspensio inflicta propter contumaciam, cum hac lege tacita vel expressa, ut suspensus non possit prius absolvi, quam a contumacia seu inobedientia recedat, tollitur per absolutionem. (2. Quæ absolutio a tali suspensione juris potest dari ab episcopo vel alio quasi episcopali jurisdictione prædito, si non sit specialiter reservata Pontifici. Arg. cap. *Nuper*, De sentent. excomm., et cap. *Ex litteris*, De constitut.

(3. Suspensio imposita ad determinatum tempus, v. gr. ad annum, vel sub conditione: *Donec resipuerit*, elapso tempore vel conditione adimpleta, eo ipso cessat per se ipsam sine alia superioris declaratione. Sic Glossa recepta in Clem. 1, *De decimis*, verb. *Donec*, et in cap. *Quia sæpe*, De elect., in 6, verb. *Donec*.

(4. Suspensio lata præcise ut pœna alicujus patrati delicti tollitur per dispensationem, quæ dispensatio dari solum potest ab auctore canonis, aut ejus successore, delegato vel superiore, non autem ab inferiore, sive suspensio lata sit a jure, sive lata ab homine, sive lata sit ad determinatum tempus, sive sine temporis limitatione, quia sicut legem superioris, ita et annexam ei pœnam inferior solvere non potest. Glossa in cap. *Cupientes*, § *Cæterum*, verb. *Suspensus*, De elect., in 6.

(5. Pro suspensionis absolutione nulla sunt præscripta determinata verba, unde sufficiunt quæcunque verba apta ad illam exprimendam, quocunque idiomate proferantur. (6. Ex usu tamen Ecclesiæ consueto hæc, vel similis forma adhiberi solet : « Absolvo te a vinculo suspensionis, quod incurristi ob talem vel talem causam, et restituo te pristinæ exsecutioni tuorum ordinum vel officiorum. »

(7. Prius autem, quam detur hæc absolutio, exigendum est ab absolvendo, ultra promissionem de cætero non committendi tale crimen, juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, ut habetur in cap. *Super eo* 1, cap. *Venerabili* 52, De sent. excomm. (8. Et si crimen, propter quod incursa est suspensio, tangat tertiam personam, quod satisfaciat parti offensæ, ut habetur in cap. *Porro*, et in cap. *Parochianus*, De sent. excommunicat.

SUSPICIO.

Vide verb. Judicium temerarium, *a n.* 13 *ad* 14.

SUSURRATIO.

Vide verb. Detractio, *art.* 1, *n.* 10.

SYMBOLUM.

SUMMARIUM.

1. Symbolum unde sit dictum. — 2. Symbolum quid sit. — 3. Symbola principaliora sunt quatuor: nempe Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum et sancti Athanasii. — 4. Symbolum Apostolicum est sic dictum, quia ab apostolis fuit confectum singulis suum articulum apponentibus. — 5. Quo ordine quisque apostolus suum apposuit articulum. — 6. Symbolum Nicænum quare sic dictum et confectum. — 7. Affertur ipsum symbolum Nicænum. — 8. Symbolum Constantinopolitanum quare sic dictum et confectum. — 9. Affertur ipsum Symbolum Constantinopolitanum. — 10. Ipsis symbolis fuit facta hæc additio *Filioque*, primum in concilio Toletano, et deinde confirmata ab aliis. — 11. Affertur symbolum cum tali additione *Filioque*, prout traditur a concilio Tridentino, et recitatur seu canitur in missa. — 12. Symbolum apostolicum cœpit recitari in missa a tempore ipsorum apostolorum. — 13. Et idem apostolicum Symbolum recitatum fuit in missa apud Romanos seu in Ecclesia Romana plus quam mille annis, hoc est usque ad tempora Bened. VII, dicti VIII. — 14. In aliis autem ecclesiis loco Symboli apostolorum jam antea in missa cœperat recitari et cani Symbolum Nicænum juxta decretum sancti Marci Papæ, et deinde Symbolum Constantinopolitanum juxta decret. S. Damasi Papæ I. — 15. Consuetudo recitandi in missa Symbolum prius Apostolicum, deinde Nicænum et demum Constantinopolitanum asseritur a plurimis. — 16. Symbolum sancti Athanasii ab ipso compositum fuisse traditur tempore, quo Romam a Julio Papa vocatus fuit, ut calumniis adversariorum responderet. — 17. Symbolum sancti Athanasii laudabilius in choro recitatur stando. — 18. Plures magni nominis doctores negant tale symbolum esse genuinum fetum sancti Athanasii. — 19. Symbolum in quibus festis et missis sit dicendum, vel non, et cur ac quomodo? ad n. 31. — 32. Alia ad rem ad n. 34.

(1. Symbolum dictum est a *Syn*, quod est *simul*, et *Bolus*, quod est *morsellus*, quia nempe Symbolum apostolorum, quod est primum et a quo cætera appellantur] symbola, confectum est ab omnibus simul apostolis, singulis eorum aliquem morsellum

Digitized by Google

seu particulam quamdam apponentibus. Sic Glossa in *Rubr.*, titul. *De summa Trinitate* circa finem, et alia Glossa in cap. *Canones* 1, verb. *Apostolo*, distinct. 15, et canonistæ passim : non desunt tamen, qui dicant quod *symbolum* Græce sonet Latine *indicium.*, et sic Symbolum fidei sit quoddam indicium, sive signum, vel tessera, aut nota Christianorum, quo veri fideles discernuntur ab infidelibus, nempe paganis, Judæis et hæreticis, sicut a simili tessera illa, quam milites assumere consueverunt ad discernendum socios ab hostibus et exploratoribus, Symbolum militare appellatur, ut docet Rufinus presbyter Aquileiens. fol. 169, in *Symboli Apostolici Commentar.*, paulo post initium, ibi : « Symbola distincta unusquisque dux suis militibus tradit, quæ Latine *signa* vel *indicia* nuncupantur, ut si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodat, si sit hostis vel socius. » Cardinal. Petra, tom. 1 *Comment.*, in constit. 2 Divi Leonis Magni, n. 6 ; card. Bellarm., Præfat. ad *Explicat. Symboli Apostolici ;* Calepinus, verb. *Symbolum*, et alii.

(2. Symbolum in proposito est regula fidei, brevis, ac perfecta confessio, breve prædicationis indicium, brevis credendorum collectio. Ita in re Communis. Unde sanctus Augustinus, in lib. 1, *De Symbolo*, cap. 1, ait : « Est autem Catholica fides in Symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quantum res passa est, brevitate sermonis, utique incipientibus atque lactentibus..... paucis verbis credendum constitueretur, quod multis verbis exponendum esset proficientibus, et ad divinam doctrinam..... surgentibus. »

(3. Symbola principaliora, in quibus substantialiter omnia alia continentur, quatuor sunt, nempe Symbolum Apostolicum, Symbolum Nicænum, Symbolum Constantinopolitanum et Symbolum sancti Athanasii, cujus tamen an ipse sanctus Athanasius fuerit auctor, multi dubitant, uti dicetur infra.

(4. Symbolum Apostolicum sic dicitur, quia confectum fuit ab apostolis, qui magistri orbis terrarum a Christo constituti, antequam separarentur ab invicem ad prædicanda cunctis gentibus mysteria fidei ab omnibus credenda, Spiritu sancto afflati singillatim conferendo suas sententias, illas in unam brevem summam duodecim articulorum collegerunt, ut sic quorum una erat fides, unum baptisma, una eademque esset Evangelicæ veritatis prædicatio per universum orbem diffusa, juxta illud propheticum *Psalm.* XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

(5. In dicto igitur Symbolo singuli apostoli posuerunt suum articulum, et quamvis varient doctores in assignando ordine, quo quisque apostolus suum articulum posuit, inter omnes tamen verisimilior videtur ordo, quem tradit Doctor subtilis in 3, dist. 25, quæst. unica, § *Horum articulorum.* Sic sanctus Petrus posuit primum articulum, scilicet : *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli et terræ ;* sanctus Joannes posuit secundum, scilicet : *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum ;* sanctus Jacobus Zebedæi posuit tertium, scilicet : *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine ;* sanctus Andreas posuit quartum, scilicet : *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus ;* sanctus Philippus posuit quintum, scilicet : *Descendit ad inferos ;* sanctus Thomas posuit sextum, scilicet : *Tertia die resurrexit a mortuis ;* sanctus Bartholomæus posuit septimum, scilicet : *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis ;* sanctus Matthæus posuit octavum, scilicet : *Inde venturus est judicare vivos et mortuos ;* sanctus Jacobus Alphæi posuit nonum, scilicet : *Credo in Spiritum sanctum ;* sanctus Simon Zelotes posuit decimum, scilicet : *Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem ;* sanctus Judas Jacobi undecimum, scilicet : *Remissionem peccatorum ;* sanctus Matthias posuit duodecimum, scilicet : *Carnis resurrectionem et vitam æternam.* Et sic Scoti ordo fundatur in sacra Scriptura, nam *Actorum* cap. 1, vers. 13, hoc eodem ordine referuntur apostoli post Christi in cœlos ascensionem, ibi : *Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt, ubi manebat Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi et Simon Zelotes et Judas Jacobi, et exinde cecidit sors super Matthiam, et adnumeratus est undecim apostolis, ibid.*, vers. 26. Unde verosimilius est, quod singuli apostoli posuerint suos articulos in Symbolo ab ipsis confecto juxta ordinem post Christi ascensionem inter se observatum, et a sancto Luca hic *Actorum* cap. 1, n. 13, relatum (88).

(6. Symbolum Nicænum sic dicitur, quia conditum fuit anno 325 sub sancto Silvestro Papa a trecentis decem et octo Patribus in primo concilio Nicæno, ad majorem et expressiorem fidei explicationem, atque expresse ad confutandas hæreses de novo insurgentes, ad quarum explicatam reprobationem Patres sanctæ generalis Nicænæ synodi nonnulla in suo Symbolo addiderunt verba ad Symbolum apostolorum, ut patet inductione Unde hic datur ad litteram, prout refertur a Ludo-

(88) Apostolos, antequam Evangelii gentibus annuntiandi causa ab invicem disjungerentur, veluti in concilium coactos de cudendo Symbolo, quod omnibus fidei Christianæ tessera esset, cogitasse, certissima est Irenæi, Tertulliani, Ambrosii cæterorumque veterum Patrum traditio, quam Laurentius Valla, Gerardus Vossius, Erasmus, idque genus hypercritici in dubium vocare frustra conati sunt. *Vide* Bollandianos mense Julio ad d. 17 ubi de apostolorum divisione agunt. Cætera, quæ de singulis apostolis singulos articulos promentibus, deque ordine, quo quisque illos edidit, auctor narrat, incerta sunt atque antiquiora gravioraque, quibus confirmari jure possint, monumenta desiderant.

Digitized by Google

vico Bail, in *Summa conciliorum*, tom. II, part. I *Concilii Nicæni*, pag. 164.

Symbolum Nicæni concilii.

(7. *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei ex Patre natum unigenitum, id est ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, et quæ in cælo, et quæ in terra. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus, passus est, et resurrexit tertia die, et ascendit in cælos: iterum et venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum.* Eos autem, qui dicunt: Erat aliquando, quando non erat et antequam nasceretur, non erat, et quia ex iis, quæ non sunt, factus est, aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia.

(8. Symbolum Constantinopolitanum sic dicitur, quia confectum fuit anno 381 sub Damaso Papa a centum quinquaginta Patribus in primo concilio Constantinopolitano, et dicto Symbolo Nicæno ad uberiorem adhuc et clariorem fidei explanationem, et novarum hæresum confutationem, quædam per primum generale concilium Constantinopolitanum denuo apposita fuerunt, prout clare patet intuenti, tum supra allatum Symbolum Nicænum, tum sequens Symbolum Constantinopolitanum, quod ad hunc finem hic etiam ad litteram datur, prout refertur ab eodem Bail, *loco cit.*, prima parte *Concilii Constantinopolitani primi*, pag. 197.

(9. Symbolum concilii Constantinopolitani.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum ex Deo; lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, homousion Patri, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo et in terra. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus ac sepultus; tertia die resurrexit secundum Scripturas; ascendit in cœlos; sedet ad dexteram Patris, inde venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum, et conglorificandum, qui locutus est per prophetas: et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspectamus resurrectionem mortuorum et vitam futuri sæculi. Amen.

(10. Quibus symbolis ad confutandum errorem Græcorum negantium processionem Spiritus sancti a Patre et Filio, facta fuit additio *Filioque* primum in concilio *Toletano* I, anno 405 celebrato sub Innocentio Papa I, ubi dictum concilium in Symbolo (ut refertur in tomo primo *Conciliorum*) sic profitetur: « Credimus Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre, Filioque procedit. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed a Patre Filioque procedens. » Idemque statutum fuit in concilio *Ephesino* I, celebrato contra Nestorium anno 431, sub Cœlestino Papa, et relato in can. *De Spiritu* 38, distinct. 5, De consecratione, ibi: « Nam Spiritus appellatus est veritatis, et veritas Christus est, unde et ab isto similiter sicut ex Patre procedit. » Et idipsum præter alia etiam in concilio generali *Lateranensi* sub Innocentio III, anno 1215 celebrato, fuit definitum, ac refertur in cap. *Firmiter* 1, § 1, *De summa Trinitate et fide catholica*, ibi: « At Spiritus sanctus pariter ab utroque..... procedens, » et cap. *Damnamus* 2, § *Nos autem*, eodem titulo, ibi: « Et sic eadem res est Pater, et Filius, nec non et Spiritus sanctus ab utroque procedens. » Et idem iterumque definitum fuit in concilio *Florentino* sub Eugenio IV, celebrato anno 1438 et 1439, et his verbis in decreto *Unionis* expressis: « Definimus insuper explicationem verborum illorum *Filioque* veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. » Et idem denique definitum, confirmatumque fuit in concilio *Tridentino* sub Paulo III, Julio III ac Pio IV contra Lutheri ac aliorum hæreticorum errores, nec non pro pace inter principes, ac reformatione Ecclesiæ, inchoato anno 1545, ac cum aliquandiu fuisset interruptum, finito tandem anno 1563. In cujus sessione III, in decreto *De Symbolo fidei* sic expresse habetur: « Symbolum fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum et unicum, contra quod portæ inferi nunquam prævalebunt, totidem verbis, in omnibus ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit, quod quidem ejusmodi est.

(11. *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum; et ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos*

Digitized by Google

et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum; et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen.»

(12. Symbolum Apostolicum cœpit recitari in missa a tempore ipsorum apostolorum, ut tradunt Dionysius Areopagita, *De ecclesiast. hierarch.*, cap. 3. Durand., *De ritibus ecclesiastic.*, lib. II, cap. 24, n. 14. Barbosa, ad concilium *Trid.*, sess. III, n. 3, et alii (89). (13. Et idem Apostolicum Symbolum recitatum fuit in missa apud Romanos seu in Ecclesia Romana plus quam mille annis, hoc est usque ad tempora Benedicti VII, dicti VIII, qui metu divisionis aut schismatis, et precibus sancti imperatoris Henrici II jussit ad majorem ecclesiarum conformitatem, ut Romana Ecclesia in missa, omisso Apostolorum Symbolo, caneret Symbolum, quod Ecclesiæ Hispaniarum, et Galliæ canebant, id est Symbolum Constantinopolitanum cum illa additione *Filioque* in supradicto concilio Toletano contra errorem Græcorum facta. Sic Berno, *De rebus ad missam pertinentibus*, cap. 2; Baronius, ad ann. 447, num. 19; Sever. Binius, in Notis ad *Concil.* I *Constantinopolitan.*; Barbosa, *loc. cit.*, num. 3; Lupus, tom. II *Schol. ad synod. Nicæn.* cap. 4, fol. 13, n. 14; Ciaccon., in *Vitis Pontific.*, tom. I, fol. 759, et alii notantes quod Ecclesia Romana in missa per totum illud tempus retinuit ac recitavit Symbolum apostolorum, quia nunquam a fide apostolica aberraverat, et deinde ob supradictum motivum Symbolum Constantinopolitanum recitare incepit.

(14. In aliis autem ecclesiis loco Symboli apostolorum jam antea in missa cœperat recitari et cani Symbolum Nicænum juxta decretum sancti Marci Papæ, ut referunt Platina, in *Vita* ejusdem Pontificis; Ciacconius, in *Vita Pontif.*, tom. I, fol. 229, et alii id extendentes etiam ad Ecclesiam Romanam, et deinde Symbolum Constantinopolitanum ex decreto sancti Damasi Papæ I et mandato ejusdem concilii Constantinopolitani, ut notant Glossa marginalis in cap. *Canones* 1, distinct. 15; Archidiaconus, *ibid.*, num. 3; Pinell., lib. II *De Missa*, cap. 19 et 49, et alii id pariter extendentes ad Ecclesiam Romanam, quamvis tamen probabilius ex dictis *supra* num. 13, ipsa Ecclesia Romana retinuerit et recitaverit in missa Symbolum apostolorum usque ad tempus Benedicti VII, dicti VIII.

(15. Consuetudo autem recitandi in missa Symbolum prius apostolorum, deinde Nicænum, et demum Constantinopolitanum asseritur a Durand., *De ritibus eccles.*, lib. II, cap. 24, num. 14; Anton., Possevin., in *Apparatu sacro*, verb. *Symbolum*; card. Petra, tom. I *Commentar.*, ad constitut. 2 Leonis Magni, num. 13, et ab aliis plurimis.

(16. Symbolum sancti Athanasii, quod incipit *Quicunque vult salvus esse*, ab ipso compositum fuisse traditur tempore, quo Romam a Julio Papa vocatus fuit, ut judicaretur; cum enim ibi Eusebianorum adventum per sesquiannum exspectaret, hoc fidei Symbolum scripsit, ac tanquam catholicæ fidei suæ professionem publice edidit, quod deinde unacum actis Nicænæ synodi, cui ipse Athanasius præsens interfuit, in Archivio Romano diu asservatum fuit, donec tandem post multos annos Ecclesiæ recitandum tradi meruerit. Baronius, ad annum Christi 340 et ad Notas in concil. Roman. II, tom. I, part. I, *Conciliorum*; Fagnanus, in cap. *Firmiter* 1, n. 33, *De summa Trinitate et fide catholica*; Reiffenstuel, lib. I. *Decret.*, titul. 1, n. 77. Ciaccon., in *Vitis Pontif.*, tom. I, fol. 233, litt. *A*; card. Petra, *loc. cit.*, n. 16, et alii. (17. Et quod tale Symbolum fuerit compositum ab ipso sancto Athanasio, testatur, ultra supradictos, Bellarminus, lib. *De scriptoribus ecclesiasticis*, § *De sancto Athanasio* circa finem; Hincmarus Rhemensis, qui anno Christi 848 floruit, ita de ipso statuit: « Sermonem Athanasii de fide, cujus initium est: *Quicunque vult salvus esse*, etc., memoriæ quisque commendet, et sensum illius intelligat. » Ayton episcopus Basileensis tempore Ludovici Pii, in suo *Capitulari* cap. 4 sic decernit: « Quarto, ut fides sancti Athanasii a sacerdotibus discatur, et ex corde die Dominico ad horam primam recitetur; » concilium Augustodunense editum anno Christi 670 ita sancivit: « Si quis presbyter, vel diaconus, vel clericus Symbolum, quod inspirante sancto Spiritu apostoli tradiderunt, et fidem sancti Athanasii præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab episcopo condemnetur. » Et ipsa Catholica Ecclesia testimonium perhibet, prædictum Symbolum sub nomine sancti Athanasii in divino officio recitandum proponens et mandans. Et sacra congregatio Rituum ipsum Symbolum sancti Athanasii appellat, dum expressis his verbis de ipso sic censet: « Symbolum sancti Athanasii, quod dicitur ad Primam, laudabilius in choro recitatur stando. » Dicta sac. con-

(89) In Romana Ecclesia, atque adeo in universo orbe Christiano apostolorum Symbolum non modo catechumenis traditum, postea ab iis ipsis reddendum, sed etiam ex veterum fidelium more recitari quotidie consuevisse, non dubitaverim. Non tamen auctori assentior, hocce symbolum ab ipso apostolorum tempore Romæ in missa recitari cœpisse, affirmanti. Certe Amalarius, lib. III *De Eccl. offic.* fuse singulas Romanæ missæ partes exponit, de Symboli vero cujuscunque, nedum Apostolici recitatione tacet. Ordines quoque Romani genuini III et IV Hittorpii, uti et vetustissimus ille, quem Cl. Blanchinius in Prolegomenis ad Anastasium t. III vulgavit, licet olim ad usum basilicarum Urbis exarati, non solum de omni Symbolo silent, sed nullum Symbolo recitando in missa vacuum locum relinquunt. De usu Apostolici Symboli in officio nonnulla attingunt Emmanuel de Azevedo, *Exercitationum liturgicarum* decade IV, exercit. 31, et Zaccharia in *Onomastico Rituali*, t. II, pag. 161.

Digitized by Google

greg. Rituum 23 Decemb. 1624, apud La Croix, lib. VI, part. II, n. 2055, decret. 168.

(18. Nihilominus Cabassutius, *Notit. ecclesiast.*, sæculi II, dissert. 19, pluribus probat sanctum Athanasium non esse illius Symboli auctorem. Et Graveson, tom. III *Histor. ecclesiast.*, colloq. 4, pag. 367 et 368, primæ impressionis Romanæ hoc Symbolum inter opera dubia sancti Athanasii reponit, plurimasque rationes adducit variorum auctorum, qui hoc Symbolum sancto Athanasio abjudicant, dicitque, quod aliqui illud tribuunt Eusebio Vercellensi, alii Vincentio Lirinensi, nonnulli Athanasio Sinaitæ, alii anonymo theologo Gallo, qui Pipini vel Caroli Magni temporibus floruit. Et alii denique longe plures hoc Symbolum tribuunt Vigilio Tapsensi in Africa episcopo acerrimo sub finem quinti sæculi fidei catholicæ defensori, qui multa opera scripsit, et non suo, sed sub antiquorum Patrum, præsertim sub nomine sancti Athanasii evulgavit; unde dicit ipse Graveson, quod difficile creditu non est, hoc Symbolum fuisse editum a Vigilio Tapsensi sub nomine sancti Athanasii, et postea tom. III, coll. 4, fol. 157, sic expresse habet : « Sed nunc convenit inter omnes viros eruditos, hoc Symbolum sancti Athanasii nomine inscriptum non esse genuinum illius fetum (90).»

(19. Symbolum in missa dicendum est diebus præscriptis in Rubricis Missalis, cap. 11, *De Symbolo*. Unde sac. Rit. congreg. *in Curien.* die 19 Junii 1700 expresse statuit, ut sequitur : « In festis sanctorum martyrum, confessorum et virginum, quæ celebrantur sub ritu duplici majori, non est dicendum Symbolum in missa, sed servent*ur* Rubricæ generales Missalis Romani, capite 11, *De Symbolo*. »

(20. Item in festo translationis patroni principalis cathedralis sub ritu duplici majori, non potest in missa dici Symbolum, nec in ipsa ecclesia cathedrali, neque per totam diœcesim : Ead. S. R. Cong. *in d. Curien.* 19 Jan. 1700.

(21. Quamvis cit. Rubrica Missalis, cap. 11, *De symbolo*, ubi declarat in festo patroni alicujus loci vel tituli ecclesiæ dicendum esse *Credo*, excipiat festum tituli alicujus capellæ vel altaris; talis tamen rubricæ exceptio intelligenda est de missis privatis, non vero de missa solemni, ut recte explicat eruditissimus P. Merati, *ibid.*, n. 12, afferens ad id sequens decretum : « Symbolum in missa solemni potest decantari in illa Ecclesia, ubi est altare erectum sub invocatione alicujus sancti ratione concursus ad præscriptum Rubricar. licet de eo fiat officium sub ritu semiduplici; » ut pro festo S. Antonii de Padua declaravit Sacra Rit. congregat. 1 Aprilis 1651, *in una Burgi S. Domnini.* Festum enim sancti Antonii tunc erat semiduplex, cum elevatum sit ad ritum duplicem pro Ecclesia universali a Clemente X, anno 1670, 18 Junii.

(22. Nomine festorum principalium ordinum, in quorum missis a supradicta rubrica de Symbolo, conceditur *Credo*, venire solent festa, quæ sub ritu primæ classis celebrantur, nempe fundatoris ordinis seu principalis tituli aut patroni. An autem sub eodem nomine principalium festorum ordinum comprehendantur etiam insigniores sancti cujusque respective ordinis, controvertitur inter doctores; Guyetus enim et Bissus apud Merati *loc. cit.* n. 13, censent servandum esse in hoc casu legitimum cujuslibet ordinis usum, saltem quoad festa duplicia secundæ classis, hoc comprobante praxi fere omnium ordinum regularium, qui in festis suorum sanctorum secundæ classis Symbolum recitant; ipse autem Merati, *loc. citat.*, videtur sentire contrarium, etiamsi talia festa secundæ classis celebrentur cum octava, id probans exemplo S. Laurentii, quod licet celebretur, sub ritu secundæ classis, et cum octava ab Ecclesia universali, nihilominus quia sanctis martyribus non convenit *Credo*, idcirco in tali festo non dicitur *Credo*, nisi in ecclesia ejusdem titularis, ut patet ex communi praxi, ex decreto sacræ Rituum congregationis, *in Perusina* 23 Martii 1709, ibi : « In die S. Laurentii titularis alicujus ecclesiæ cathedralis vel matricis nullius diœcesis non est recitandum Symbolum Apostolicum in aliis ecclesiis ejusdem loci, sed tantum in ecclesia propria; » adeoque a fortiori, concludit ipse, concedi non debet *Credo* in festis sanctorum confessorum alicujus ordinis particularis, quamvis ab eodem celebrentur sub ritu secundæ classis, et cum octava; at vero donec aliter a Sede Apostolica, seu sacra congregatione definiatur, non videtur recedendum a priori Guyeti et Bissi aliorumque opinione fundata in communi praxi et consuetudine omnium fere ordinum regularium; cum consuetudo sit optima legum interpres; cap. *Cum dilectus* 8, De consuetud. leg. *Si de interpretatione* 57, ff. *De legibus*. Imo consuetudo inveterata et legitime præscripta pro lege est observanda; L. *De quibus* 137, ff. *De legibus*, cap. *Cum tanto* 11, De consuet., cap. *Non est* 3, eod. in 6, cum similibus.

(23. Fatemur tamen quod, præcisa dicta communi praxi et consuetudine, in festis SS. martyrum, confessorum et virginum, seu viduarum aliarumque non virginum, non debet dici *Credo* juxta illud vulgare dictum *Muc non credit*, per cujus primam litteram *M* indicatur, non debere dici *Credo* in festis sanctorum martyrum; per secun-

(90) Nemo uberius hanc de vero Athanasiani Symboli auctore quæstionem pertractavit, quam Cl. Emmanuel de Azevedo in nuper citata exercitatione 31, præsertim vero *Exercitationum ecclesiasticarum* secundæ partis exercitatione 20 cum Liturgicis ex Veneto Zattæ typographio a. 1783 in lucem emissarum p. 779 seqq. Quod ad hujus Symboli celebritatem maxime facit, nominum, quibus passim donatur, dignitas est, dicitur enim *fides catholica* et *textus fidei*, ut Zaccharia ostendit in *Onomastico Rituali* t. I, p. 144 et II, pag. 166.

Digitized by Google

dam *V* non debere dici in festis sanctarum virginum et viduarum; et per tertiam *C* non debere dici in festis sanctorum confessorum, nisi sint doctores Ecclesiæ, et nisi prædicti omnes sancti et sanctæ sint fundatores ordinis, patroni aut titulares ecclesiæ seu in ipsa ecclesia habeatur eorum insignis reliquia, aut nisi talia festa venerint in Dominicis, et infra octavas festorum Symbolum habentium, ut recte ex aliis notat Merati, *loc. c.*, n. 8 in fine. Et ratio est, quia ut docent Alexander Alensis, q. 10 *De sacrament. Eucharistiæ*, § 9; Quarti, p. I, titul. 11, *De Symbolo*, vers. *Ex quibus*, et alii, de ipsis nulla fit mentio in Symbolo, neque in ipsis locum habent motiva, quæ de aliis in dicta Rubrica *De Symbolo* exceptis occurrunt.

(24. Prima enim ratio seu motivum cur dicatur *Credo* in variis ex ibi assignatis festivitatibus est, quia de ipsis fit aliqua mentio in dicto Symbolo, ut tradunt Innocentius III, *De mysteriis missæ*, lib. II, c. 51; sanctus Thomas, III p., qu. 83, art. 4; Durand., lib. IV, cap. 25; Quarti, *loco cit.*, vers. *Prima ratio;* Gavant. et Merati, *loco cit.*, Rubrica *De Symbolo*, et alii passim. Et ob id dicitur in omnibus Dominicis, quia dies Dominici dedicati sunt in memoriam resurrectionis Christi et cultum sanctissimæ Trinitatis, de quibus mysteriis fit mentio in Symbolo; quæ ratio militat de omnibus festivitatibus Domini, de quo principaliter fit mentio in ipso Symbolo; sicuti fit de B. V. Maria, ac etiam de angelis indicatis per ly *Invisibilium*.

(25. Secunda ratio seu motivum cur dicatur *Credo* in aliquibus aliis ibi enumeratis est, ut docent S. Thomas, *loc. cit.*; Quarti, *loco cit.*, v. *Secunda ratio*, et, ipso teste, alii communiter, quia ipsi sancti vel primo Symbolum composuerunt, vel egregie fidem in eo contentam propagarunt prædicatione et doctrina; et ideo dicitur in festis apostolorum et evangelistarum; item in festo S. Mariæ Magdalenæ, quæ ex Innocentio III, *loc. cit.*, fuit apostolorum apostola. Item in solemnitatibus creationis et consecrationis summi Pontificis, et consecrationis episcoporum, quia ipsi sunt successores apostolorum; et in festis insigniorum doctorum, quia singulari sua prædicatione et doctrina plurimum fidem in Symbolo contentam propagarunt.

(26. Tertia ratio seu motivum tandem cur dicatur in reliquis aliis est, ut volunt Alexander Alensis, *loc. cit.*; Quarti, ver. *Tertia ratio;* Guttierez, lib. III, cap. 28, quæst. 3; Merati, *loc. cit.*, nu. 4, et alii, quia tales sancti ob excellentiam auctoritatis, seu ratione solemnitatis, vel ob jus speciale in aliquam Ecclesiam aut locum hoc honore dignantur, ut eorum missæ votivæ solemniter pro re gravi aut pro publica Ecclesiæ causa celebrentur; et ob id dicitur *Credo* in festo patroni et titularis ecclesiæ, dedicationis seu consecrationis ejusdem, in festis fundatorum ordinum, ac in festis illorum, de quibus in ecclesia habentur insignes reliquiæ.

(27. In festo S. Joannis Baptistæ, quamvis sit primæ classis et cum octava, non dicitur *Credo*, quia sanctus Joannes Baptista figurat legem veterem, et consummavit cursum ante promulgationem Evangelii et institutionem Symboli, ut tradit Quarti, *loc. cit.*, vers. *Opponi posset;* et in simili Durandus, lib. VII, cap. 14, n. 8 et alii. Quæ ratio militat etiam pro festo S. Joseph, et aliis similibus. In festo autem S. Laurentii martyris, quamvis sit secundæ classis et cum octava, non dicitur *Credo*, quia in ipso non habent locum supra assignatæ rationes, et motiva dicendi Symbolum, nec adest ad id praxis, ac legitima consuetudo, cum potius universalis ecclesia in ejus festo illud omittat, sicut illud omitteret in festis S. Stephani et sanctorum Innocentium, si caderent extra octavam Nativitatis Domini, sicuti de facto omittitur in die octavæ Innocentium currentis extra dictam Octavam.

(28. In missa patroni minus principalis non debet dici *Credo*. Sacr. Rit. congr., *in Beneventan.* 2 Decembris 1634, et *in Lycien.* 15 Septemb. 1691.

(29. Sola ratione SS. sacramenti expositi non est dicendum Symbolum in missis privatis. Sac. Rit. Congr., *in una Canonicor. Regul. Lateran.* 2 Decemb. 1684. Et idem statuitur in Instructione Clementis XI et XII pro expositione SS. Sacramenti occasione 40 horarum § 10.

(30. Dum in missa solemni canitur *Credo*, non debent pulsari organa. Concil. provincial. Mediolanens. tert. apud Gavant., in *Manual. episc.*, verb. *Missa conventualis* sub n. 22, ibi: « Symbolum totum canatur a choro, non alternatim cum organo. » Sic etiam *Cæremonial. episcopor.* lib. I, cap. 28, ac *Cæremonial. ordinis Minor.* part. IV, c. 9, quod tamen, *ib.*, n. 7, subjungit: Quod si numerus cantorum seu Fratrum sit modicus, poterit alternatim cantari a choro et organo sonante, duo cantores legant alta et intelligibili voce, quæ a choro non cantantur, ut sequitur ac docet etiam Simon Buongiovanni, in *Sacrarum Cæremoniarum Silva*, lib. II, cap. 10, vers. *Quod si.* In hoc enim casu subintrat necessitas, quæ facit licitum, quod alias est illicitum, cap. *Quod non est illicitum* 4, De regul. jur., cap. *Omnes* 1, De fer., cap. *Consuluisti* 3, De celebr. missar. cum non subjaceat legi necessitas, cap. *Consilium* 2, De observat. jejun., cap. *Sicut* 11, De consecration., dist. 1, cum multis similibus. Celebrans autem, dum canitur *Credo*, non potest prosequi missam. Sac. Rit. congr. *in Beneventana* 13 Septembr. 1670, et *in Januen.* 17 Decemb. 1695.

(31. Symbolum in qualibet missa, etiam pro defunctis, recitatur a Græcis, eumque morem servari a monachis Ordinis S. Basilii jubet Benedict. XIV constitutione incip. *Quem religioni sensum*, § 6. Symboli recitatio in missa a Græca ad Latinam Ecclesiam traducta est. Idem Constitut. incip. *Allatæ sunt*, § 28. (32. Symbolum idem sine additamento *Filioque* a Græcis et Orientalibus quandoque recitari permisit Apostolica Se-

Digitized by Google

des, quandoque vero hanc facultatem denegavit, prout diversæ facti circumstantiæ exegerunt. Idem, *ibi.*, § 10. (33. Symbolo autem Nicæno non solum licuit, sed et decuit superaddere particulam *Filioque*. Hinc non modo Patres concilii *Zamosch.*, tit. 1 *De fide Catholica*, sed etiam Patres concilii *Libanensis* part. 1, cod. tit. 11, provide ac recte statuerunt ut sacerdotes omnes eorum legibus subjecti Symbolum juxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, cum particula *Filioque* usurpent. Idem, *ibid.*, § 60.

(34. Alia ad rem. *Vide* verb. Missa, art. 12 et 13.

SYNDICUS.

SUMMARIUM.

1. *Syndicus* Græce idem est ac Latine *defensor*.— 2. Syndicus proprie acceptus quid sit.—3. Syndicus, quamvis generaliter acceptus conveniat cum procuratore generaliter accepto, tamen proprie et stricte acceptus distinguitur a procuratore proprie dicto et accepto, et quare.—4. Syndicus proprie captus distinguitur etiam ab actore, et quare. — 5. Syndicus proprie captus distinguitur etiam ab administratore seu œconomo, et quare. — 6. Syndicus quomodo sit constituendus? — 7. Consultius est, ut religiosi pro causis sui monasterii non sint ipsi syndici, sed potius aliquem extraneum procuratorem generaliter, seu syndicum constituant. — 8. Attamen, exigente utilitate sui monasterii, possunt religiosi ipsi esse syndici. — 9. In ordine Minorum ex concessione plurimorum Pontificum pro unoquoque conventu constituitur unus syndicus Apostolicus. — 10. Sed prius concesserunt Nicolaus III et Clemens V, et quomodo.—11. Deinde ad facilius et commodius esse, specialem pro unoquoque conventu concesserunt Martinus IV et V, ac Paulus IV. — 12. Hæc secunda concessio non est contraria primæ, et hi speciales syndici parificantur cum substitutis dantium seu donantium. — 13. Horum syndicorum usus nullatenus repugnat observantiæ puritatis Regulæ, nec est dispensatio in ipsa. — 14. Modus utendi syndico ad præscriptum Martinianæ et Paulinæ est facilior et tutior pro unoquoque conventu; imo non habens hujusmodi syndicum ponit se in periculo transgrediendi Regulam. — 15. Syndici Apostolici deputantur pro toto ordine a generali; pro provinciis, et custodiis, ac conventibus sibi subjectis a provincialibus, et respective custodibus; vel etiam a guardianis de expressa prælatorum licentia. — 16. Etiam procurator et commissarius generalis Curiæ Romanæ possunt syndicos pro ipsorum respective officio deputare. — 17. Non possunt a dictis superioribus deputari plures syndici, sed unus duntaxat pro unoquoque conventu. — 18. Unus syndicus potest deputari etiam pro hospitio habente suum præsidem, et unus a superiore generali pro religione et a provinciali pro provincia. Quod idem currit pro infirmariis rectis distincto regimine ab illo conventus. — 19. Non possunt autem dicti superiores deputare alios syndicos pro religiosis particularibus. — 20. Imo fratres privati nec de licentia superiorum possunt habere apud syndicum conventus pecunias a massa communi separatas. — 21. Nec frater particularis sine vera necessitate et licentia superioris, potest uti pecunia sponte deposita pro ipsius indigentiis ab amico spirituali apud syndicum tanquam suum substitutum, et retento sibi dominio. — 22. Posita tamen vera necessitate et negligentia superioris, in ministrando necessaria, potest frater subditus, nedum in tale depositum sponte oblatum consentire, sed suis indigentiis providere, etiam per recursum ad amicos spirituales, dummodo servet modificationes per declarationes Pontificias præfinitas. — 23. Quænam autem sint dictæ Pontificiæ modificationes observandæ, et pro quibus necessitatibus possit a Fratribus pro pecunia haberi recursus ad amicos spirituales? *remissive*. — 24. Bona syndici sunt tacite hypothecata pro securitate eleemosynarum, et ex ejus bonis debet damnum a se causatum reparari.— 25. Habet ad id novus syndicus actionem contra ex-syndicum et ejus hæredes. — 26. Coram quo judice possit et debeat ad id conveniri. — 27. Syndicus Apostolicus debet admitti in concursu creditorum adversus ex-syndicum decoctum, vel ejus hæredes, et adversus alios veros debitores. — 28. Possunt conventus præter syndicum habere etiam substitutum, et etiam plures, prout opus fuerit: substituti autem seu substitutorum deputatio fieri debet a syndico, et non a Fratribus, ad n. 29. — 30. Non possunt Fratres a syndicis computus juridicos exigere. — 31. Possunt tamen generales et provinciales, quoties eis opportunum videbitur, dictos syndicos removere, aliosque subrogare seu constituere.—32. Sine dicto procuratore vel substituto nihil emi aut vendi potest; nec guardianus eleemosynas pecuniarias tenere potest in manu alterius, nisi in manu syndici vel substituti de ejus licentia. — 33. Syndici Apostolici, seu procuratores Fratrum Minorum amplissimam habent facultatem, quæ assignatur.— 34. Non possunt tamen alienare mobilia pretiosa ecclesiæ incorporata sine beneplacito Apostolico; nec alias res vendere sine prævia affixione edictorum, ut venditio fiat majori oblatori. — 35. Syndici Apostolici gaudent privilegio fori in causis civilibus, criminalibus et mistis, motis et movendis. Et affertur ad id constitutio Clementis VII.—36. Affertur etiam constitutio Innocentii XI, qua confirmantur in forma specifica decreta variarum sacrarum congregationum emanata super exemptione præfatorum syndicorum. — 37. Dicti syndici Apostolici non possunt compelli ad exercenda munia publica communitatis, nec conveniri, nisi coram judice conservatore. — 38. Tales syndici gaudentes privilegio fori sunt exempti a repræsaliis. —39. Subnectuntur hic varia decreta sacræ congreg. Immun. ad rem facientia, usque ad n. 60. — 61. Unus tantummodo syndicus pro unoquoque conventu gaudet prædictis Apostolicis privilegiis. — 62. Syndici Apostolici in præsenti tenentur ad onera communitativa. — 63. Ecclesiastici assumpti in syndicos Apostolicos non sunt exempti a jurisdictione ordinarii.—64. Syndici Apostolici non comprehenduntur in decreto, quod sæculares non pernoctent in conventibus Fratrum Minorum. — 65. Soli syndico Apostolico, et non Fratribus Minoribus de Observantia, seu Reformatis, licet exigere in judicio legata. — 66. Syndicus Apostolicus nequit habere dominium et possessionem census relicti dictis Fratribus. Nec dicti Fratres nomine syndici possunt retinere bona stabilia, census aliosque annuos redditus. — 67. Dictus syndicus in concernentibus correctionem morum, non est exemptus a jurisdictione ordinarii.

(1. *Syndicus* Græce idem est ac Latine *defensor*. Sic notant communiter doctores in c. *Sicut studii* unic., De syndico. (2. Unde syndicus proprie acceptus est ille, qui constituitur ab aliqua universitate seu collegio; vel capitulo ad negotia illius pertractanda, ac potissimum ad causas et lites illius in judicio persequendas. Sic in re Commu-

Digitized by Google

nis, per text. et Gloss. in cit. c. *Sicut studii*, verb. *Generaliter*, et l. *Neque societas* 1, § 1, ff. *Quod cujuscunque universitatis nomine, vel contra eam agatur.*

(3. Syndicus, quamvis generaliter acceptus, conveniat cum procuratore generaliter accepto, cum nomen procuratoris generaliter acceptum etiam Syndicum sub se complectatur, arg. c. *Salvator* 8, vers. *In nomine*, caus. 1, qu. 2, c. *Quia in causis* 7, et c. *Petitio* 9, De procuratoribus, tamen proprie et stricte acceptus distinguitur a procuratore proprie dicto, quia hic constituitur a quocunque privato domino et in causis privatis, syndicus vero ab universitate, collegio, capitulo, et in causis publicis et communibus, ut colligitur ex c. *Petitio* 9, De procuratoribus, et notant Abbas in cit. cap. *Sicut studii* unic., De syndic., n. 2, Engel, lib. 1 *Decretal.*, tit. 39, n. 1; Pirrhing, *ib.*, n. 1, Reiffenstuel, *ib.*, n. 3, et alii passim.

(4. Syndicus proprie captus differt etiam ab actore, quia actor constituitur specialiter ad unam causam vel ad plures, sed tantum præsentes; syndicus vero constituitur generaliter ad omnes causas tractandas, tam præsentes quam futuras; Glossa, in cit. l. *Neque societas* 1, verb. *Syndicum*, ff. *Quod cujuscunque universitatis*, etc., et citati doctores. Quamvis etiam actor universitatis quandoque pro syndico sumatur, et econtra, ut patet ex cit. l. *Neque societas*, § 1, ibi : « Actorem sive syndicum. »

(5. Syndicus proprie captus differt etiam ab administratore seu œconomo, quia hic præcipue in administratione pecuniæ aliorumque negotiorum extrajudicialium; syndicus vero potissimum in litibus prosequendis versatur. Engel, *loc. cit.*, n. 2; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 3; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 1, et alii.

(6. Ad constituendum syndicum omnes de communitate, seu collegio vel capitulo, qui jus suffragii habent, citandi seu convocandi sunt, quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, textu expresso in cap. *Ad hæc* 7, De offic. archidiaconi, ibi : « Cum ab omnibus, quod omnes tangit, approbari debeat; » si autem aliqui vocati nolint intervenire, aut recedant, possunt præsentes eum constituere; dummodo duæ partes ex tribus de communitate, collegio seu capitulo eorum, qui volunt, possunt ac debent interesse, sint præsentes, et major pars præsentium consentiat. Leg. *Nulli* 3, juncta Glossa, verb. *Duæ partes*, ff. *Quod cujuscunque universitatis;* et ibi Bartolus, n. 8, l. *Quod major* 19, ff. *Ad municip.;* Hostiens., in *Summa de syndico*, n. 10; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 2, et alii passim.

(7. Quamvis consultius sit, ut religiosi pro causis sui monasterii non sint ipsi syndici, sed potius aliquem extraneum procuratorem generalem seu syndicum constituant, cui causas in judicio tractandas demandent, assignato ipsi convenienti salario, ut disponitur in citat. cap. *Sicut studii* unic., De syndico, cum, ut ibi dicitur, præstet ut servi Dei modicum aliquid expendant in salarium syndici, quam ut ipsi forensi causarum strepitu involvantur, ibi : « Expedit pro parvo incommodo a strepitu causarum servos Dei esse quietos. » (8. Nihilominus loquendo de necessitate, non possunt religiosi compelli ad constituendum syndicum extraneum, sed exigente sui monasterii utilitate, v. gr. si monasterium sit inops, ut extraneo syndico salarium dare non possit, aut si alius idoneus, et fidelis vir haberi nequeat, potest religiosus in causis sui monasterii syndicus constitui, Arg. cap. *Monachi* 16, qu. 1, cap. *Insuper* 16, De testibus, et cap. *Cum deputatis* 16, De Judic. Et sic notant Abbas in c. cap. *Sicut studii*, n. 4; Layman, *ibid.*, n. 1; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 16; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 6, et alii.

(9. Pro ordine FF. Minorum plures Summi Pontifices concesserunt, ut unusquisque conventus unum syndicum, seu procuratorem Apostolicum extra religionem habere posset, qui nomine Romanæ Sedis eleemosynas Fratribus Minoribus a fidelibus elargitas, recipiat et administret, eorum providendo necessitatibus. Sic concessit Martinus IV, const. incip. *Exsultantes in Domino*, qua concessione licite utuntur, non obstante quod id prohibuerit Joan. XXII; Extravag. *Ad conditorem*, De verbor. signific. Nam prohibitio fuit modificata, *nisi de speciali Sedis Apostolicæ licentia*, quæ subinde emanavit a Martino V, const. incip. *Amabiles fructus*, et a Paulo IV, constitut. incip. *Ex Clementi*, in qua Paulus litteras concessivas prædecessorum confirmavit et innovavit, dictamque facultatem iterum expresse concessit; insuper declarando, quod id non sit dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus prædecessoribus suis provisus pro puriori illius observantia, ut et declaravit novissime etiam Innocentius XI, constit. incip. *Sollicitudo pastoralis officii* confirmata ab Innocentio XII, constitut. incip. *Alias.*

(10. Concesserant prius Nicolaus III, in cap. *Exiit qui seminat* 3, De verbor. signific. in 6, et Clemens V, in cap. *Exivi de paradiso* 1, inter Clementinas, De verb. significat., quod Fratres Minores pro pura suæ Regulæ observantia possent in suis indigentiis et necessitatibus recurrere ad amicos seu benefactoros spirituales, qui vel per se immediate vel per alias personas substitutas ac depositarias, sibi benevisas aut etiam sibi a prædictis Fratribus nominatas, seu præsentatas, pecunia aliisque rebus necessariis ipsis succurrerent, remanente tamen (si secus non expresserint aut declaraverint) apud ipsos donantes benefactores pecuniæ, donec fuerit expensa, dominio; vel ipso in Sedem Apostolicam assumpto, si donantes aut legantes intelligerentur omnimode a se illud abdicasse, seu e vivis decessisse; et in tali casu possunt Fratres ad personam deputatam seu substitutam, aut depositariam (non obstante concedentis, seu donantis morte, vel hæredis contradictione) pro ipsa pecunia expendenda recurrere, sicut poterant ad ipsum dominum concedentem, seu donantem. (11. Cum

Digitized by Google

autem advertissent et experimento didicissent Fratres, sibi grave, onerosum molestumve esse ad plures personas, pro diversitate benefactorum recurrere, sibique facilius commodiusque esse informare unam, quam plures, de modo debito expendendi pecunias in suas necessitates, ac indigentias, de qualitate necessitatum, aliisque conducentibus ad puram Regulæ observantiam, pro securitate ac serenitate conscientiæ, et ad removendos scrupulos, recursum habuerunt ad Sedem Apostolicam sub Martino IV et V, ac Paulo IV, qui per suas peculiares supra allegatas constitutiones concesserunt, ut ad id unusquisque conventus unum syndicum seu procuratorem Apostolicum extra religionem tute habere posset. (12. Qui syndici seu procuratores in omnibus parificantur cum substitutis dantium seu donantium : sicut enim donantes ex concessione Nicolai III et Clementis V, dum nolunt per seipsos pecunias in necessitates Fratrum expendere, possunt substitutos nominare, qui eorum vice et nomine id agant; et si nolint ipsi eos nominare, possunt tales substituti ipsis præsentari et nominari a Fratribus, talesque sic nominati substituti auctoritate donantium tenentur modo Fratribus licito pecunias expendere; ita etiam syndici seu procuratores Apostolici ex concessione et declaratione Martini IV et V, ac Pauli IV per superiores Fratrum electi ac nominati, tanquam substituti Papæ nolentis, seu non potentis per seipsum expendere et administrare, de ejusdem nomine et auctoritate possunt, ac debent modis ordini congruis, Fratribusque licitis pecunias administrare. Tum quia syndici Apostolici duplicem gerunt personam, id est *substitutorum* donantium quoad pecunias, quorum dominium dantes seu donantes sibi reservassent; et *substitutorum* Papæ quoad pecunias, quæ sunt de dominio Papæ (cum illud dantes seu donantes a se ablegasse censeantur). Hinc sicut substituti donantium nihil Regulæ puritati præjudicant ex declarationibus Nicolai III et Clementis V, ita a pari nihil Regulæ puritati officiunt syndici Apostolici ex declarationibus Martini IV et Innoc. XI, constit. incip. *Sollicitudo pastoralis officii*, § 1, ubi sic expresso habet : « Declarantes tamen pariter, quod per præmissa non prohibentur in dicto ordine syndici Apostolici; cum eorum usus non sit dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris provisus pro puriori illius conservatione; sive ejusmodi syndici assumantur ad præscriptum constitut. Nicolai III et Clementis V, prædecessorum prædictorum, sive secundum dispositionem constitutionum recol. memor. Martini IV et V, ac Pauli IV, prædecessorum pariter nostrorum, prout illorum usus in singulis familiis, congregationibus, reformationibus aut provinciis ordinis prædicti respective fuerit receptus. »

(13. Ex quibus clare et expresse constat quod syndicorum seu procuratorum Apostolicorum usus sit omnimode licitus Fratribus Minoribus, nec sit dispensatio in Regula, sed modus a Romanis Pontificibus provisus pro puriori illius observantia, sive ejusmodi syndici assumantur ad præscriptum constitutionum Nicolai III et Clementis V, sive secundum dispositionem Constitutionum Martini IV et V, ac Pauli IV, prout illorum usus in singulis familiis, congregationibus, reformationibus aut provinciis ordinis Fratrum Minorum respective fuerit receptus ex supra allata litterali declaratione Innocentii XI. Et quod dispositio Martiniana et Paulina nominandi et deputandi syndicos non sit in re contraria declarationibus Nicolai III et Clementis V.

(14. Modus tamen utendi syndico Apostolico assumpto ad præscriptum Martinianæ et Paulinæ videtur facilior, commodior et tutior pro unoquoque conventu. Imo Portellus, *Dub. Regul.*, verb. *Syndicus* n. 4, et Matthæuc., *Schola paupertatis*, tit. 4, cons. 1, n. 44, volunt quod conventus non habens hujusmodi syndicum, ponat se in periculo transgrediendi Regulam, cum, ut dicunt ipsi, vix inveniendus sit conventus quantumcunque reformatus, qui tali syndico non indigeat ad recipiendas ac retinendas nomine Sedis Apostolicæ pecunias adventitias, oblatas ac traditas, præsertim ab advenis, transeuntibus, in longinqua abeuntibus, pro Fratrum necessitatibus subveniendis. Quod non tam facile aut tute semper fieri potest per amicos spirituales, qui velint per seipsos, vel alios deputatos, seu substitutos suas pecunias in Fratrum necessitates expendere; ultraquam quod cum nimiis incommodis, ac periculis, tot deberent esse substituti, quot essent donantes; quotidiana enim experientia magistra similes amici spirituales ac benefactores, aliique eleemosynas pro missis, aliasque adventitias Fratribus offerentes atque donantes rogati, vel quod ipsi eas in Fratrum indigentias expendant, vel quod id alteri personæ committant, respondere solent. *Habetis syndicum, mittat ad syndicum, nec possum, nec volo ulteriorem curam suscipere.* Imo plures ac plures præsertim a conventibus distantes, advenæ et peregrini, ac alii aliud nolentes incommodum, solent sine ulla intentione retinendi in se dominium, mittere ad conventus pecuniarias, aliasque eleemosynas, quæ certo sine tali syndico non possent tute recipi, retineri et expendi; cum ad id per tales dantes non censeatur nominata et substituta alia persona, nec ipsis per Fratres præsentata aut nominata, nec alia in tali casu reperiatur auctoritate Pontificis nominata et deputata, quæ tute possit ipsas pecunias recipere, retinere et expendere in Fratrum necessitates contra dispositionem ac declarationem respective tum Nicolai III et Clem. V, tum Martini IV et V, ac Pauli IV.

(15. Syndici Apostolici deputantur pro toto ordine generali, pro provinciis, et custodiis, ac conventibus sibi subjectis a provincialibus, et respective custodibus, vel

Digitized by Google

etiam a guardianis de expressa prælatorum licentia juxta dispositionem Pauli IV, in d. const. incip. *Ex Clementi*, ut recte notat Matthæuc., *Schola paupertatis*, tit. 4, cons. 1, n. 1, et *Official. curiæ*, cap. 61, n. 1.

(16. Qui insuper addit quod etiam procurator et commissarius generalis Romanæ Curiæ possunt syndicos pro ipsorum respective officio constituere, ut probat Sanctorus, *Comment.*, c. 8, statut. 37 in fine. Et ad id cap. 4, statut. 4 in princip. refert concessionem Eugenii IV, Kalend. Maii 1432, ibi : « Quod possint etiam facere provinciales in provinciis et procuratores ordinis in Romana Curia. »

(17. Non possunt tamen dictis superioribus deputari plures syndici, sed unus duntaxat pro unoquoque conventu; colligitur ex infra afferenda constitutione Clementis VII, incip. *Dum consideramus*, in qua *uni tantum syndico* conventus quædam privilegia conceduntur. Et ex infra etiam afferendis litteris Innocentii XI incip. *Alias*, in quibus ipse Pontifex decreta sacræ congregationis memorata privilegia concernentia confirmat, habetur : « Ut unicuique conventui dicti ordinis assignetur unus procurator sive syndicus Apostolicus, qui omnes eleemosynas (nota ly *omnes* poni adversative ad alium, qui aliquas recipiat) tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illasque solus (nota ly *solus* poni exclusive, seu privative ad alios) in necessitate Fratrum applicare debeat. » De qua re nefas est dubitare, ut expresse eruditissimus Matthæuc., in *Schola paupertatis*, tit. 4, consil. 2, n. 5, cum omnia decreta Apostolica uniformiter procedant, et pro unico semper disponant et supponant, ut patet in decretis approbatis et confirmatis in dict. constitutione Innocent. XI, et in aliis editis a congregatione particulari ab Urbano VIII præpositæ consultationibus Fratrum Minorum de observantia, et a nobis allatis sub verb. Legatum. Ac in provisione Apostolica Martini V in constitutionibus et declarationibus suis a S. Joanne de Capistrano ad annum 1430, impetratis sic expresse habetur. «Quoad quartum capitulum Regulæ, quod Fratres non recipiant pecuniam, statuimus et ordinamus juxta declarationem Nicolai III et Clementis V, et Martini IV, quod quilibet conventus, et locus habeat procuratorem, œconomum, syndicum et actorem, cui omnis eleemosyna pecuniaria, et alia, quæ ad pecuniam reduci possunt, integraliter assignetur; qui easdem dispensare legaliter et fideliter pro reparatione conventuum et locorum et ad alias necessitates pro tempore occurrentes debent, sic quod Fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant. » Hæc Martinus V, ut refert doctissimus P. Petrus Marchant., in *Relatione theologica*, difficultat. 3, § *Provisio Apostolica Martini V.* Et sic in statutis generalibus in compilatione Sambucana cap. 4, § 1, n. 4, ubi sic præscribitur : « Ut quilibet conventus habeat syndicum, et procuratorem, ac etiam substitutum, si opus fuerit, et non alios. » Nota syndicum in singulari, et ly *non alios.* Quocirca recte infert Matthæuc., in *Schola paupertatis*, tit. 4, consil. 2, n. 3 in fine, non est recipienda doctrina Cordubæ in cap. 4 *Regulæ* qu. 16, vers. *Tertio notandum*, ubi tradit plures syndicos posse esse pro uno conventu, ad effectum recipiendi eleemosynas pecuniarias, licet duo tantum privilegiis fruerentur : cum enim adversus ipsum stent jura superius allegata; non est ejus opinio in praxim deducenda, ne quis velit in Regulam offendere, et pro syndico uti persona interposita. Hæc ille.

(18. Qui tamen, *loc. cit.*, tit. 4, cons. 3, n. 26 et sequent. recte probat quod potest nominari et deputari, unus etiam syndicus pro quocunque hospitio, habente suum præsidem et religiosos ibi degentes, et unus a superiore generali pro religione, et a provinciali pro provincia, qui gaudeat omnibus privilegiis, quibus gaudet syndicus cujusque conventus : accedente ad id etiam inveterata praxi et consuetudine, quæ est optima legum interpres. Cap. *Cum dilectus* 8, De consuetudine, et l. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*. Quod idem dicendum videtur de infirmariis, quæ reguntur diverso ac distincto regimine ab illo conventus : cum, ubi eadem est ratio, eadem debeat esse juris dispositio. L. *Ideo* 27, ff. *De legibus*, l. *Illud* 32, ff. *ad leg. Aquil.*, cap. *Inter corporalia* 2, De translat. episcop.

(19. Non possunt autem dicti superiores deputare alios syndicos pro religiosis particularibus, ut colligitur ex constitut. Urbani VIII, incip. *Militantis*, et constit. Innocent. XI, incip. *Exponi Nobis*, ubi statuitur quamcunque eleemosynarum oblationem ipsis Fratribus factam, etiam ratione concionum, « Syndicis conventuum duntaxat libere et integre transmittendam et consignandam fore. » (20. Imo Fratres privati neque de licentia superioris possunt habere apud syndicum conventus pecunias a massa communi separatas; sicut enim nec pro se potest superior apud syndicum denarios habere nomine et auctoritate sua expendendos; alias censeretur reus proprietatis, utpote disponens de re non sua, ac si sui juris esset, ita nec potest id subdito concedere, sive agatur de pecunia, quæ obvenit Fratri titulo concionis, vel etiam ratione donationis aut mercedis oblatæ; nam quovis titulo non est Fratris, nec sub dominio superioris, sed Pontificis juxta citatas constitutiones Martini IV et V, ac Pauli IV, ideoque neque est in potestate superioris disponere, ut a syndico ab alia sequestrata retineatur in commodum Fratris particularis ad ejus occurrentes necessitates relevandas, alias de alieno disponeret, et particeps, vel causa esset proprietatis, qua Frater contra regulam delinqueret. Sic expresse Matthæuc., in cit. *Schola paupertatis*, tit. 2, consil. 3, n. 45. Quinimo Innocent. XI, constit. incip. *Sollicitudo pastoralis officii* confirmata ab Innocent. XII constitut. incip. *Alias*, sic expresse statuit : « Demum, ut omnis occasio transgrediendi præceptum de non contrectandis denariis seu pecuniis

Digitized by Google

auferatur, omnibus et singulis dicti ordinis prælatis sive superioribus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna privationis suorum officiorum injungimus, ut nulli religioso ejusdem ordinis permittant administrationem fundorum, reddituum, aut quarumcunque aliarum rerum, et bonorum mobilium vel immobilium, cujuscunque domini illa sint, et signanter ut nulli religiosorum ordinis hujusmodi permittatur administratio bonorum temporalium alicujus monasterii monialium sub quovis prætextu, aut nomine, nempe administratoris, syndici, factoris, coloni, superintendentis, villici, aut alio quovis imaginabili. »

(21. Insuper d. P. Matthæuc. in citat. *Schola paupertatis*, tit. 2, consil. 3, sub n. 45, proposito hoc dubio : « Quid, si quis sibi reservato dominio, sponte deponat apud syndicum, non velut syndicum, sed tanquam suum substitutum, vel depositarium summam pecuniæ expendendam in necessitates talis Fratris, eique significet : Tradidi syndico centum aureos, ut illis tuis necessitatibus provideas ? Respondet quod in casu talis Frater non potest consentire in depositum, et debet protestari ac informare syndicum se non posse in pecunias depositas consentire, ad quas sic depositas recurrere nequit, nisi posita vera necessitate, et accedente licentia superioris : » Hæc ille.

(22. Posita tamen vera necessitate et negligentia superioris in ministrando necessaria, potest Frater subditus, nedum in tale depositum sponte oblatum et factum consentire, sed sine peccato suis indigentiis providere per recursum ad amicos spirituales, dummodo servet modificationes per declarationes Pontificias in citat. constitutionibus præfinitas ; necessitas enim non habet legem ; cap. *Sicut* 11, De consecrat., dist. 1, cap. *Consilium* 2, De observation. jejunior., capit. *Omnes* 1, De fer., capit. *Consuluisti* 3, De celebrat. missar., et citato capit. *Exiit* 3, De verborum significat. in 6, quia, ut expresse habetur in capit. *Quod non est licitum* 3, De regul. juris : « Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum ; » cavere tamen debet subditus, ne proprium commodum pro necessitate sumat et judicet ; nec facile sibi ipsi credere debet, cum regulariter quis in re propria soleat cæcutire ; unde superiorum aliorumque prudentum expertorum judicium et consilium exquirere debet ; quinimo nunquam recurrere debet ad amicos spirituales, ut isti suis necessitatibus pecunia provideant, nisi prius requisita explicita superiorum licentia, quamvis possit in aliquo casu sufficere tacita et præsumpta.

(23. Quænam autem sint dictæ Pontificiæ modificationes observandæ, et pro quibus necessitatibus possit a Fratribus Minoribus haberi recursus pro pecunia ad amicos spirituales, brevitatis gratia, utpote extra titulum, videndæ relinquuntur in citatis decretalibus Nicolai III et Clementis V, et in allegatis constitutionibus et declarationibus Martini IV et V, ac Pauli IV, a religione acceptatis et novissime ab Innoc. XI confirmatis ; et abunde apud Regulæ expositores, et signanter apud Marchant. in *Expositione* c. 4, et in *Relectione theologica* per tot., et Matthæuc., in *Schola paupertatis*, tit. 2, cons. 3 et 4, et tit. 4 per tot., ac Felix Potest., tom. I, part. II, a num. 1149, ubi a n. 1161, duos tradit modos, quibus Fratres uti possunt in suis subveniendis necessitatibus cum omnimoda observantia paupertatis a S. P. Francisco præceptæ. Vide omnino, et serva.

(24. Bona syndici sunt tacite hypothecata pro securitate eleemosynarum : unde ex bonis ex-syndici debet damnum reparari, si ipse indebite ac injuste administraverit, ne pia benefactorum destituatur intentio, et ipsi Fratres opportunis auxiliis fraudentur, textu expresso in citat. cap. *Exiit* 3, § *Ad hæc quia*, De verbor. signific. in 6 ; Matthæuc., *loc. cit.*, tit. 4, cons. 4, n. 16 ; et alii passim ; (25. sicque novus syndicus instare debet pro recuperatione pecuniæ, habetque actionem contra ex-syndicum, et ejus hæredes ; Matthæuc., *loc. cit.*, tit. 4, cons. 4, n. 7 et 13, et tit. 5, cons. 3, n. 6 et 26, ubi refert ad id causas sic Romæ decisas. Cum enim eleemosynæ non conferantur syndico, ut eas suo arbitrio ludis ac negotiationibus exponat vel alias dissipet, sed taxative pro solis Fratrum necessitatibus ; sibi imputari debet, si ex propriis supplere teneatur, quæ in alios usus illicite et male consumpsit contra donantium intentionem et mentem Pontificis, sciens in Clementina : *Quia contingit* 2, De religiosis domibus, expresse esse statutum ; « quod ea quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva Sedis apostolicæ auctoritate) converti ; » (26. et ob id syndicus conveniri debet coram judice conservatore ex infra afferenda constitutione Clementis VII incipient. *Cum consideramus*, § 2. Et ex-syndicus, si sit laicus, conveniri potest etiam coram judice laico, et si sit ecclesiasticus conveniri debet coram judice ecclesiastico, c. *Si quis clericus* 1, et c. *Nullus* 2, De foro competenti, cum similibus ; et etiam conveniri potest coram judice ecclesiastico ex-syndicus laicus, si judex laicus fuerit negligens in administrando syndico debitam de jure justitiam, c. *Licet* 10, et c. *Ex tenore* 11, De foro competenti, Matthæuc., *loc. cit.*, tit. 4, consil. 4, n. 3, et tit. 4, consil. 4, n. 23 et 24, et alii passim.

(27. Syndicus apostolicus debet admitti in concursu creditorum adversus ex-syndicum decoctum vel ejus hæredes, et sic etiam adversus substitutos dantium seu donantium, et alios veros debitores. Cum enim pecuniæ pro necessitatibus Fratrum syndico seu substituto consignatæ sint sub dominio Papæ, et syndicus Apostolicus a Fratribus nominatus, sit ipsius Papæ minister, œconomus, et procurator, debet cum cæteris creditoribus in concursu admitti, ut judicialem petitionem intentet, et hac forma pecunias male ab infideli administratore

Digitized by Google

alienatas seu dissipatas aut aliis justo titulo vere debitas, Papæ suo principali recuperet; et quidem suo ordine anterioritatis juxta ordinem faciendi restitutionem assignatam sub verb. RESTITUTIO, artic. 4, a n. 29. Cum hac tamen advertentia, quod si pecunia pro indigentiis Fratrum syndico seu substituto tradita, in individuo ab aliis distincta et separata reperiatur (de quo vel syngrapha appareret vel esset in capsula deputata ad asservandas solas dictas eleemosynas pro Fratrum necessitatibus oblatas), esset novo syndico integre tradenda, quamvis nihil omnino superesset, quo aliis creditoribus satisfieri posset, per jura a simili allata sub dict. verb. RESTITUTIO, art. 4, n. 31. Hinc pro obviandis litigiis, quæ possent suboriri circa dictas pecunias pro Fratribus a benefactoribus donatas, instruendi et serio admonendi sunt syndici, ut supradictam omnino fideliter servent praxim in illarum esservatione et custodia.

(28. Possunt conventus præter syndicum, habere etiam substitutum nominandum a dicto syndico; *Communis*, per text. in cit. c. *Exiit* 3, § *In ea vero*, De verbor. significatione in 6, ubi dicitur substitutum principalis domini posse alium substitutum nominare; syndicus autem est substitutus seu delegatus Domini principalis, nempe Papæ, de cujus dominio sunt res pro Fratribus relictæ, et per ipsum in eorum necessitates applicandæ: et id habetur in statutis capituli generalis anni 1676 confirmatis in forma specifica ab Innocentio XI, constitut. incip. *Militantis*, ibi: « Capitulum generale præcipit sub pœna privationis suffragii, quod minister seu pro-minister, et custos cujuscunque provinciæ simul ad capitul. iter faciant cum unico tantum socio religioso pro utroque, et si expensæ aliquæ in itinere ex necessitate faciendæ sint, adducant secum tertiarium, qui syndici Apostolici substitutus sit, et ipsius nomine expensas prædictas inevitabiles faciat. »

(29. Talis igitur substitutus non est deputandus a Fratribus, cum generales, provinciales et custodes privilegiati non sint ad deputandos hujusmodi substitutos, sed syndicos duntaxat, prout clare patet in d. constitutione Pauli IV incipient. *Ex Clementi*. Unde talis substitutus nominandus et deputandus est ab ipsomet syndico, ubi prospiciat se non posse in totum per seipsum munus implere; arg. cit. statut. general. confirmat. in d. constitut. *Militantis*, et c. *Si pro debilitate* 3, et c. *Præterea* 5, de offic. et potestat. judicis delegat., c. *Cum causam* 62, De appellationib., l. *Adjudic.* 5, De judiciis, ubi disponitur, quod delegatus a Papa vel principe (uti est syndicus Apostolicus) potest subdelegare, imo syndicus Apostolicus, nedum unum, sed et plures substitutos, prout opus fuerit, potest deputare: sic expresse Felix Potestas tom. 1, part. II, num. 1148, verb. *Syndicus*, et alii, arg. c. *Cum te consulente* 18, De offic. et potestat. judic. delegat., ubi statuitur quod delegatus a Papa potest unum vel plures subdelegare, et tenet Glossa 1, *ibidem*, et alii passim; et id videtur expresse concessum etiam in cit. cap. *Exiit* 3, § *Articulum istum*, et § *In ea vero*, De verb. significat. in 6. Hinc substitutus seu substituti non dicitur, seu non dicuntur, substitutus seu substituti Fratrum, sed syndici Apostolici; et ideo debet substitutus, vel debent substituti pecunias recipere, nomine syndici in Fratrum necessitates expendere et ei rationem reddere, non autem Fratribus, ut recte advertit Matthæuc., *Official. curiæ*, c. 51, n. 8, et in *Schola paupertat.*, tit. 4, consil. 2, n. 8, dicens posse solum Fratres syndicum monere de assumenda persona apta et idonea, seu de assumendis personis aptis et idoneis, eamque seu eas proponere, ut eam seu eas assumat, si sibi placuerit, ad text. in d. cap. *Exiit*, § *Articulum istum*.

(30. Nec possunt Fratres a syndicis computus juridicos tanquam domini exigere, sed solum ad experiendam fidelitatem ipsorum, ad quam exhortandi sunt, possunt cum eis computus naturales facere. Sic constit. generales ordinis c. 4, § 2, pag. 83; Lantuscha, *Theatr. reg.*, verb. *Syndicus* in fine; Matthæuc., *Official. cur.*, c. 17, n. 44, et alii.

(31. Possunt tamen generales et provinciales, quoties eis opportunum videbitur, dictos syndicos removere, aliosque subrogare, seu nominare, vel deputare. Sic concessisse Innocentium IV refert Casarub., in *Compend. privilegiorum*, verb. *Procuratores Fratrum seu syndici* n. 1, ibi: « Concessit etiam quod liceat prædictis ministris præfatos viros sic constitutos removere, aliosque ad prædicta exsequenda sine difficultate aliqua subrogare, quoties videbitur opportunum; » et idem concessit Paulus IV, in d. constit. incip. *Ex Clementi*; et concordant statuta generalia ordinis cap. 4, § 1, n. 3, ibi: « Declaramus, *quod* generalis vel provinciales ministri, non autem guardiani, possint nominare aliquos extra ordinem, sicuti nominatos privare, qui sint veri et legitimi administratores, œconomi, syndici, actores et procuratores, » etc.

(32. Quæ generalia statuta ordinis, *ibid.*, n. 5, expresse ordinant, quod « sine dicto procuratore vel substituto nihil emi aut vendi, vel de eleemosynis prædictis sub quocunque prætextu disponi possit, sub pœna proprietatis, sub qua etiam pœna prohibemus, ne guardianus, nisi in manu syndici vel substituti de ejusdem licentia eleemosynas teneat, vel per manus aliorum expendat. »

(33. Syndici Apostolici seu procuratores Fratrum Minorum amplissimam habent facultatem ex concessione plurium Summorum Pontificum, et signanter ex concessione Pauli IV constitut. 1 incipient. *Ex Clementi*, in qua inter alias confirmat et innovat concessionem eis factam a Martino IV circa eleemosynas omnes quomodocunque ad dictos religiosos provenientes, seu spectantes nimirum illas, « per se petendi, recipiendi, ex-

Digitized by Google

gendi, alienandi, transigendi, paciscendi, agendi, conveniendi, promittendi, remittendi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, etc., cum illis et contra illos, qui hujusmodi res mobiles et immobiles, aut pretium earum, seu relictas eleemosynas Fratribus in testamento occuparent, etc., ac generaliter in omnibus causis pro rebus et locis hujusmodi ad ipsam ecclesiam spectantibus, etc., in judicio, et extra, » etc.; ut fuse in dict. constitution. Pauli IV incip. *Ex Clementi*, et de quibus late P. De Gubernatis, in *Orbe seraphico*, lib. III, tom. 1, cap. 17, ac Rota, *in Romana et Mexicana* 22 Junii 1699, § *Quamobrem, coram Cardin. de la Tremoille.*

(34. Ad impedienda autem multa inconvenientia ex parte dictorum syndicorum seu procuratorum oriri solita in alienationibus rerum relictarum ipsis religiosis seu conventibus, congruum existimatum fuit in sacra congregat. Concilii die 18 Martii 1719 exquirere aliquod remedium, narrando quod syndicis Apostolicis, res, et bona conventibus et religiosis relicta aliquando vilissimo pretio venduntur, vel quia syndici eas vendunt favore propinquorum, vel quia contrahunt cum personis, quibus resistere non possunt vel nolunt. Fuit propterea in congregatione habita dicta die quæsitum: « An et quale temperamentum sit capiendum? » Fuitque rescriptum: « Quoad mobilia pretiosa ecclesiæ incorporata esse necessarium beneplacitum Apostolicum: quo vero ad omnes alias res, in futurum non posse syndicos procedere ad venditionem, nisi prævia affixione edictorum, ut venditio fiat majori oblatori. » Sic refert Ursaya, tom. III, part. 1, discep. 30 in fine, et card. Petra, tom. V *Commentar.* in const. 5 Pauli II, sect. 5, n. 5. *Vide* Matthæuc., *Offic. cur.*, c. 30, n. 28, ubi et ipse dicit: magnifica ornamenta ecclesiastica non posse alienari sine licentia Sedis Apostolicæ.

(35. Syndici Apostolici gaudent privilegio fori in causis civilibus, criminalibus et mistis, motis et movendis: sic expresse concessit Clemens VII, constit. 19, incip. *Dum consideramus*, ut infra:

« Dum consideramus assiduos labores et vigilias, quos dilecti filii syndici, et procuratores domorum et monasteriorum Fratrum Minorum Sancti Francisci regularis Observantiæ, et monialium Sanctæ Claræ, Conceptionis et Annuntiationis ordinum, et Sororum Tertiæ Regulæ Sancti Francisci sustinere non cessant, merito Nos obligant, ut animarum suarum saluti consulamus, ipsosque a quibusvis molestiis et injuriis sibi pro tempore illatis, quantum cum Deo possumus, relevemus.

« Idcirco uni syndico et procuratori hujusmodi cum illius uxore et liberis præsenti, et futuro singulæ domui, et monasterio prædictis pro tempore servientibus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ipsi, et eorum quilibet omnibus et singulis indulgentiis et peccatorum remissionibus, favoribus et gratiis, quibus Fratres ordinis Observantiæ prædictorum utuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, potiri et gaudere possint et valeant.

« Insuper in quibusvis causis et rebus ipsos syndicum et procuratorem concernentibus, civilibus, criminalibus et mistis, non nisi coram judicibus conservatoribus domorum illarum, quarum ipse syndicus et procurator fuerit, de justitia respondere teneatur, auctoritate Apostolica concedimus et indulgemus.

« Inhibendo sub excommunicationis latæ sententiæ pœna universis et singulis judicibus, commissariis ecclesiasticis et sæcularibus, quacunque auctoritate fulgentibus, ne de causis contra dictos syndicos et procuratores motis et movendis, directe vel indirecte quovis quæsito colore seu prætextu se intromittere quomodolibet de cætero audeant vel præsumant. Decernentes quoscunque processus contra dictos syndicos et procuratores per alios quam dictos conservatores, in causis duntaxat contra eos motis et movendis, habendos et sententias ferendas, nullos et invalidos, nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse: ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, etc. Romæ 16 Aprilis 1526. »

(36. Ad hoc ab Innocentio XI confirmantur in forma specifica decreta variarum sacr. congr. emanata super exemptione præfatorum syndicorum.

« Alias pro parte dilecti filii Francisci Mariæ Tagliaferri procuratoris generalis ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, congregationi venerabilium Fratrum Nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis et consultationibus episcop. et regul. præpositæ, exposito quod dudum nonnulli Romani Pontifices, et præsertim fel. record. Nicolaus III et Nicolaus IV, Martinus V et Eugenius IV, prædecessores Nostri, ut vera observantia regulæque puritas in ordine prædicto vigeret et magis augeretur, Fratresque ipsius ordinis ab omni dominio et proprietate alieni conservarentur, statuerant et ordinaverant, ut unicuique conventui dicti ord. assignaretur unus procurator sive syndicus Apostolicus, qui omnes eleemosynas, tam pecuniarias quam aliarum rerum colligere, illasque solus in necessitates FF. præfatorum applicare deberet.

« § 1. Et subinde recol. mem. Clem. Papa VII, etiam prædecessor Noster, intuitu laborum, quos ejusmodi syndici in beneficio dictorum FF. quocunque tempore, et quavis occasione assidue sustinebat, eosdem syndicos a foro sæculari exemerat, volens ut in causis tam civilibus quam criminalibus, et mistis non nisi coram judicibus conservatoribus eorumdem Minorum de Observantia de justitia respondere tenerentur, et alia prout in ipsius Clementis prædecessoris litteris, desuper in similibus forma Brevis die 15 Apr. 1526, expeditis plenius dicitur contineri.

Digitized by Google

« § 2. Ac in eadem expositione subjuncto, quod nonnulli dicerent privilegium hujusmodi in aliqua sui parte amplius in usu non esse, alii vero prætenderent, illud syndicis prædictis, ratione eorum officii tantum, non autem uti talibus personis, competere, unde fiebat, ut fratres prædicti non sine paupertatis et Regulæ, quam profitentur, ac suarum conscientiarum detrimento, neminem amplius reperire possent, qui eorum syndici sive procuratoris munus in se suscipere, eumque laborem assumere vellet.

« § 3. Ideoque pro parte præfati Francisci Maria procuratoris generalis d. congr. cardinalium supplicato, ut non solum auctoritate Apostolica confirmaretur dictum privilegium, sed etiam illud syndicis sive procuratoribus hujusmodi, ut talibus personis competere declararetur,

« § 4. Emanavit ab eadem congregat. cardinalium decretum tenoris sequentis, videlicet : « Sacra congregatio EE. S. R. E. cardi- « nalium negotiis et consultationibus epi- « scoporum et regularium præposita atque « attenta remissione libelli per S. D. No- « strum facta, referente emin. Norsfolch, « censuit danda esse oratori decreta alias « edita : nempe super præmissis servandam « esse præfatam constitutionem san. mem. « Clem. VII, prout præsentis decreti tenore « omnino servari mandat, et præcipit. Ro- « mæ 28 Martii 1686. »

« § 5. Porro cum dictus Franciscus Maria procurat. general. prænarrata pariter exposuisset congregationi etiam venerabilium FF. Nostrorum ejusdem S. R. E. cardinalium super immunitate ecclesiastica et controversiis jurisdictionalibus deputatorum, hæc congregatio censuit danda esse decreta anteriora tenoris, qui sequitur videlicet: « Sac. congregatio super immunitate eccle- « siastica, et controversiis jurisdictionali- « bus, habita sub hac die 28 Martii 1686, circa « exposita in præsenti supplici libello, dixit « danda esse decreta, ut infra. Die 31 Maii « 1639. » Fanen. provincialis Fratrum Minorum Observantiæ Sancti Francisci, sacra, etc; censuit respondendum episcopo, ut quoad exemptionem syndici Fratrum Min. de Observ. loci de Cartoceto faciat bullam Clem. VII observari, si in eo concurrunt requisita ejusdem bullæ.

« § 6. Die 17 Nov. 1642, in Perusina. Fratres Sancti Francisci Minor. Observ. Sacra, etc., censuit servandam esse bullam Clem. VII, circa privilegium fori et exemptionis syndicorum et procuratorum ordinis FF. Minorum S. Francisci de Observantia.

« § 7. Die 4 Aug. 1654 Fanen. episcopus: An syndicus FF. Minorum de Observantia S. Francisci gaudere debeat privilegio fori? Sacra, etc., censuit, hujusmodi syndicum gaudere privilegio fori juxta constitutionem Clem. VII.

« § 8. Die 23 Maii 1645 Romana P. commissarius generalis curiæ quærit an syndici et procuratores Apostolici conventuum suæ religionis gaudeant privilegio fori etiam in causis, tam civilibus quam criminalibus et mistis motis ante institutionem officiorum virtute bullæ Clement. fel. rec. Papæ VII? Sacra congr. respondit syndicos conventuum ordinis FF. Minorum de Observ. Sancti Francisci ex bulla fel. rec. Clementis VII gaudere privilegio fori, tam in causis civilibus quam in criminalibus et mistis etiam motis ante eorum deputationem seu institutionem in officium syndicatus.

« § 9. Die 23 Maii 1645 Recinaten. An syndicus monialium S. Claræ gaudeat privilegio fori, prout gaudent syndici Fratrum Minorum de Observantia? Sacra, etc., censuit hujusmodi syndicum gaudere debere privilegio fori, in quorum fidem, etc. Dat. Romæ sub hac die 20 Aprilis 1686.

« § 10. Cum autem, etc. Nos, etc. Decreta præinserta a memoratis congregationibus cardinalium respective emanata auctoritate Apostol. tenore præsentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen in præmissis auctoritate earumdem respective congregationum cardinalium. Decernentes, etc., sicque in præmissis, etc., irritum et inane, etc., non obstantibus. etc. Romæ 19 Junii 1686. »

(37. Dicti syndici Apostolici non possunt compelli ad exercenda munia publica communitatis, nec conveniri, nisi coram judice conservatore. Ita reperitur in libro *Decretorum sac. congregationis* super Immunitate ecclesiastica et controversiis jurisdictionalibus sub die 10 Maii 1669, videlicet: « Sacra congregatio inhærendo declarationibus alias factis, censuit procuratorem et syndicum FF. Minorum de Observantia ex bulla fel. rec. Clement. VII gaudere privilegio fori, tam in causis civilibus quam in criminalibus et mistis, et insuper non posse compelli ad exercenda munia publica communitatis, neque a quoquam posse molestari, nisi coram legitimo conservatore. » Romæ hac die 1 Januar. 1699.

Et sub die 9 Augusti 1701, sacra cong. consulta in favorem syndici conventus terræ Fabriani, extracti ad effectum, ut exerceret munus communitatis, rescripsit, « extrahi alium, » et iterum proposita causa et instante loci gubernatore sub die 19 ejusdem mensis et anni respondit : « In decisis. »

(38. Tales syndici gaudentes privilegio fori sunt exempti a repræsaliis.

« Spoletana.

« Instantibus monialibus monasteriorum sanctissimæ Trinitatis, Sancti Pontiani et Sanctæ Catharinæ pro declaratione, agentes dictorum monasteriorum esse exemptos a repræsaliis : sacra congregatio super Immunitate ecclesiastica et controversiis jurisdictionalibus habita sub die 14 Januarii 1698, censuit syndicos tantum gaudentes privilegio fori esse exemptos a repræsaliis. » Romæ die 7 Januarii 1699.

(39. Hic juvat subnectere varia decreta sacræ congregat. Immunitatis ad rem facientia, prout referuntur a D. Riccio, in sua *Synopsi*, verb. *Syndicus* nempe.

Digitized by Google

(40. Bulla fel. mem. Clementis VII circa privilegium fori et exemptionis syndicorum et procuratorum ordinis Fratrum Minorum Observ. S. Francisci est observanda: Sacr. congreg. Immun., *in Perusina* 17 Novembr. 1642, lib. *Decret.* Paulucc., pag. 190, in *Maceraten.* 8 Martii 1644, *ibid.*, pag. 221 *in Fanen.* 4 *Augusti* 1654, lib. v *Decret.* Paulucc., pag. 48.

(41. Syndici conventuum ordinis FF. Min. Observ. ex Bulla supracitata gaudent privilegio fori, tam in causis civilibus quam in criminalibus et mistis, etiam motis ante eorum deputationem seu institutionem ad officium syndicatus. Sacr. congr. Immun., *in Rom.* 23 Maii 1655, lib. III *Decret.* Paul., p. 251.

(42. Syndicus legitimus et unicus Fratrum Minorum strictioris observantiæ ex laudata Bulla gaudere debet privilegio fori, tam in causis civilibus quam in criminalibus et mistis, nec a quoquam potest molestari, nisi coram legitimo conservatore. Sacra cong. Immun., *in Terracinen.* 6 Septembr. 1666, lib. I *Decret.* Altoviti, pag. 32.

(43. Non potest compelli ad exercenda munia publica communitatis. Sacr. congreg. Immun., *in Sabin.*, 10 Maii 1667, *ibi.*, pag. 124.

(44. Nec ad solvendas collectas pro oneribus communitativis super propria ipsius bona: dummodo sit unicus syndicus conventus. Sacr. congr. Immun., *in Feretrana* 19 Maii 1703, lib. III *Decret.* Val., pag. 488, *et in Martiran.* 28 Martii 1704, dict. lib., pag. 566.

(45. Syndicus conventus FF. S. Francisci Min. Observ. est subjectus jurisdictioni episcoporum, non exsistente legitimo conservatore religionis. Sacr. congreg., *in Assisins.* 21 Aprilis 1643, lib. III *Decretor.* Paulucc., pag. 198.

(46. Syndicus conventus S. Francisci de Alvernia habitans in civitate Æsina non gaudet privilegio syndicorum vigore Bullæ Clementis VII. Sacr. congreg. Immun., *in Æsina* 24 Maii 1701, lib. III *Decret.* Val., pag. 535.

(47. Episcopus potest procedere contra syndicum Fratrum Min. Observ. S. Francisci ob contraventionem diei festi. Sacr. congreg. Immun., *in Forosempronien.* 25 Januarii 1650, lib. IV *Decret.* Paul., pag. 98.

(48. Sacra congregatio declarat bene processum fuisse per curiam episcopalem contra syndicum hujusmodi, attento consensu ejusdem syndici in jurisdictionem. Sacra congreg. Immun., *in Auximana* 10 Septembris 1647, *ibi.*, pag. 26.

(49. Episcopus insinuat syndico FF. Minor. Observ. ut vel abstineat a syndicatu vel ab officiis publicis. Sacr. congr. Immun., *in Asculana* 4 Aprilis 1656, lib. V *Decret.* Paul., p. 9.

(50. Imo syndicus FF. Min. Observ. et simul appaltator ovorum in loco montis Falchi quoad pertinentia ad appaltum non gaudet privilegio fori. Sacr. congreg. Immun., *in Spoletana* 21 Novembr. 1702, lib. VI *Decr.* Vallem., pag. 220.

(51. Syndici FF. Minor. Observ. S. Francisci tenentur parere mandatis ædilium quoad merces, et earum emptionem et vinditionem sive etiam translationem ad loca nundinarum. Sacr. congr. Immun., *in Ariminen.* 15 Decemb. 1671, lib. I *Decret.* Altov., pag. 671.

(52. Pro syndicis FF. Capuccinorum dantur decreta emanata pro exemptione syndicorum Fratrum Min. Sacr. congr. Immun., *in Rom.* 15 Decembr. 1671, *ibi.*, pag. 633

(53. Syndicus fabricæ conventus FF. Capuccinorum gaudet privilegio fori ad tenorem constit. fel. mem. Clement. VII. Sacr. congreg. Immun., *in Recinaten.* 17 Martii 1674, *ibi.*, pag. 911.

(54. Syndicus monialium S. Claræ allegare potest privilegium fori coram conservatore, eoque gaudere. Sacr. congreg. Immunit., *in Urbanien.* 8 Apr. 1642, lib. III *Decret.* Paul., pag. 174, et 5 Septemb. 1668, lib. I *Decretor.* Altoviti, pag. 263.

(55. Syndici monialium S. Claræ gaudent privilegio fori, prout gaudent syndici Fratrum Min. Observ. S. Francisci. Sacr. cong. Immunit., *in Recinaten.* 15 Februarii 1656, lib. V *Decr.* Paul., pag. 89.

(56. Et sunt exempti a repræsaliis. S. C. Immun., *in Spoletana* 14 Jan. 1698, lib. II *Decr.* Val., pag. 133.

(57. Syndicus monialium S Claræ gaudet exemptione quoad onera personalia tantum. S. C. Imm., *in Ariminen.* 15 Martii 1672, lib. I *Decr.* Alt., pag. 682, et *in Forosempronien.*, dictis die, ann. et lib., pag. 664, et *in Feretrana* 27 Februarii 1674, *ibi.*, pag. 93.

(58. Syndicus monialium S. Claræ, licet teneatur ad collectas communitati impositas pro solutione salarii inservientium communitati, cum non sint onera personalia, attamen, quia fuit in bona fide, et actus exsecutionis factus a judice laico non potest ipsum constituere in mala fide, non tenetur ad solutionem dictarum collectarum, nisi post decretum sacr. congr. quo declaratum fuit dictum syndicum gaudere privilegio fori, et exemptione ab oneribus personalibus tantum. S. C. Imm., *in Feretrana* 31 Junii 1674, lib. I *Decr.* Alt., pag. 974.

(59. Syndicus monialium S. Claræ quoad privilegium personale non gaudet, nisi in loco, ubi exercet officium. Sacr. congreg. Immun., *in Feretrana* 31 Augusti 1671, lib I *Decret.* Alt., pag. 1445.

(60. Syndici terræ Sancti Petri gaudent privilegio quoad forum et personam. Sacr. congr. Immun., *in Catacen.* 14 Sept. 1626, lib. I *Decret.* Paulucci, pag. 25.

(61. Unus autem tantummodo syndicus Apostolicus pro unoquoque conventu gaudet prædictis Apostolicis privilegiis, prout pluries rescripsit sac. congreg. Boni Reginis, et signanter *in Pisaurien.* 24 Januarii 1699, ut patet ex allata constitutione Clementis VII, § 2, ibi: « Idcirco uni syndico

Digitized by Google

et procuratori hujusmodi ; » et ex allata etiam constitutione Innocentii XII, ante § 1, ibi : « Unus procurator sive syndicus Apostolicus. »

(62. Insuper eadem sacra congreg. Boni Regiminis die 19 Julii 1654 proposita causa ad instantiam quarumdam communitatum, partibus auditis, censuit « syndicos Apostolicos teneri ad onera communitativa. » Sic referunt Matthæucc., *Official. cur.*, c. 51, n. 6, et Ursaya, tom. III, part. 1, discept. 30, n. 58.

(63. Ecclesiastici assumpti in syndicos Apostolicos non sunt exempti a jurisdictione ordinarii. Sacr. congreg. Concilii, die 5 Julii 1710, *in Insulana Exemptionis*, in qua pro syndico Apostolico, qui erat sacerdos, proposito dubio : « An sacerdos Felix de Sola syndicus unicus PP. Minorum Sancti Francisci de Observantia civitatis Insulæ sit exemptus a jurisdictione episcopi ; tam extra visitationem quam in actu Sanctæ Visitationis, » fuit rescriptum, *Negative* in casu de quo igitur, in quo concurrebant multæ circumstantiæ exclusivæ talis exemptionis, propter quas sacra congregatio addidit illa verba : *In casu de quo agitur*. Sic refert Ursaya, tom. III, p. 1, discept. 30, n. 59.

(64. Syndici Apostolici non comprehenduntur in decreto, quod sæculares non pernoctent in conventibus Fratrum Minorum. Sic sacra congregatio episcoporum et regularium, expresse respondit ad dubium eidem super ea re per Patrem Fratrem Joannem Baptistam ab Altina procuratorem generalem Ordinis propositum : « An scilicet dicti syndici comprehendantur in decreto emanato die 1 Decemb. 1679. Audito enim Patre ministro generali ordinis, et attentis narratis, dicta sacra congregatio censuit ac declaravit præfatos syndicos conventuum ejusdem ordinis non comprehendi in enuntiato decreto. » Romæ 4 Decembr. 1699. G. cardinalis Carpineus.

(65. Syndico Apostolico duntaxat licitum est, non Fratribus Minoribus de Observantia seu Reformatis, exigere in judicio legata facta sacristiæ, vel fabricæ ecclesiæ, aut conventus. Cum enim in congregatione ad id specialiter ab Urbano VIII deputata fuissent proposita hæc duo dubia : « I. An valeat legatum annui redditus factum fabricæ sacristiæ vel ecclesiæ Fratrum Minorum tam de familia quam ex reformatione. II. An liceat Fratribus hujusmodi legata in judicio exigere per eorum procuratores vel syndicos Apostolicos ; » responsum fuit : « Ad I. Valere legatum annui redditus factum sacristiæ vel fabricæ ecclesiæ, vel conventus Fratrum Minorum, tam de familia quam de reformatione, nisi adsit excessus in quantitate. Ad II. Nec per seipsos, nec per alios licere Fratribus in judicio exigere hujusmodi legata, sed syndico Apostolico duntaxat. » Sic apud Fagnanum dictæ congregationis secretarium in cap. *Nimis prava*, n. 49 et 12. *De excessibus prælat.*, et apud tom. II *Thesauri resolutionum sacræ congregation. Concilii* in expositione causæ *in Firmana* Legatorum, § *Hæc sunt.*

(66. Syndicus Apostolicus nequit habere dominium et possessionem census relicti Fratribus Observ. et Reformatis. Et dicti syndici nomine nequeunt præfati Fratres retinere bona stabilia, census aliosque annuos redditus. Sic apud d. tom. II *Thesauri resolut. sacræ cong. Conc.*, in expositione causæ in Firmana legatorum, § *Tum quia*, ubi refertur ad id resolutio cit. specialis congregationis et Congregationis R. Fabricæ *in Æsina* Legati 26 Novembris 1692, et sac. congregatio Concil. 2 Octobr. 1721, ubi ad id dubium : « An religiosis S. Francisci Min. Observant. Murri Vallium liceat retinere relictum a quondam Ludovica Moretti in cas., » etc. Responsum fuit : « *Negative*, et syndicum teneri censum dimittere, sed Patres posse recipere fructus ab hæredibus per modum eleemosynæ. »

(67. Syndicus Minorum de Observantia et Reformatorum in concernentibus correctionem, non est exemptus a jurisdictione ordinarii. Sacr. congr. Conc., *in Nullius* Altamuræ Exemptionis 3 Augusti 1715 ad 5 apud d. Thesaurum, tom. IX circa fin.

—

SYNODUS DIOECESANA.

Vide verb. CONCILIUM EPISCOPALE, SEU SYNODUS DIOECESANA.

T

TABACCUM.

SUMMARIUM.

1. Tabaccum in quibusvis civitatis et diœcesis Hispalensis ecclesiis, atriis et ambitu sumi non potest, sub pœna excommunicationis imposita ab Urbano VIII. — 2. Item sub eadem excommunicationis pœna tabaccum sumere in basilica Vaticana, ejusque choro, capellis, sacrario et atriis sumere prohibuerat Innocentius X. — 3. Ast istam excommunicationem sustulit Benedictus XIII. — 4. Adducitur ad id notificatio facta ab eminentissimo archipresbytero illius basilicæ. — 5. Tabacci cujuscunque usus ante missam et communionem indecens est, et multo magis dedeceret, si masticaretur. — 6. Qui fumum vel pulverem tabacci naribus sumunt non frangunt jejunium naturale. — 7. An illud frangant, qui folia tabacci ore sumunt, et dentibus conterunt ad sputa et phlegmata ex ore projicienda? — 8. Tabacci excessivus usus seu abusus non parva affert incommoda, quæ assignantur, ad n. 9. — 10. Tabaccum Jacobus VI Britannorum rex interdixit in suo regno, bene persuasus ex ejus usu corpora hominum enervari ; et Amurathes IV Turcarum imperator sub pœna capitali ipsum prohibuit, ne subditi vel inebriarentur, vel infecundi redderentur. — 11. Adducitur de tabacco lepidum scriptum. — 12.

Digitized by Google

Adducuntur varia decreta sacræ congregationis Immunitatis in ordine ad faciendam perquisitionem tabacci in locis immunibus, usque ad n. 17. — 18 Alia ad n. 20.

(1. Tabaccum sive solidum, sive in frusta concisum aut in pulverem redactum, ore vel naribus, in fumo per tubulos, et alias quomodolibet sumere prohibetur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ eo ipso absque aliqua alia declaratione incurrenda omnibus et singulis utriusque sexus personis tam sæcularibus quam ecclesiasticis, etiam cujusvis ordinis ac Instituti regularibus quomodolibet qualificatis in quibusvis civitatis et diœcesis Hispalensis ecclesiis, earumque atriis et ambitu. Urban. VIII constitut. incip. *Cum Ecclesiæ* emanat. die 30 Januarii 1642.

(2. Item sub eadem excommunicationis pœna tabaccum sumere in basilica Vaticana, ejusque choro, capellis, sacrario, porticu et atriis sumere prohibuerat Innocentius X sub die 8 Jan. 1650; const. incip. *Cum sicut.* (3. Ast istam sustulit Benedictus XIII sub die 10 Jan. 1725, ut patet in sequenti notificatione.

(4. « Annibal miseratione divina tit. S. Clementis presbyter cardinalis Albanus S. R. E. camerarius, et hujus sacrosanctæ Basilicæ archipresbyter.

« Omnibus et singulis nostras hasce litteras inspecturis compertum esse volumus a SS. D. N. Benedicto divina Providentia PP. XIII per ejus speciale chirographum seu motum proprium ad nos directum et datum sub die x mensis hujus Januarii anni 1725, Nobis a Sanctitate Sua demandatum fuisse, ut cunctis Christi fidelibus utriusque sexus, ac præsertim reverendiss. capitulo et clero sacrosanctæ basilicæ Vaticanæ significemus et notum faciamus, prout præsentibus exsequimur, ab eadem Sanctitate Sua, justis prudentibusque de causis in eodem motu proprio indicatis, certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, abolitam fuisse ac penitus abrogatam prohibitionem, alias a fel. rec. Innocentio PP. X. factam, qua sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, omnibus et singulis vetuerat ne, in Basilica præfata ejusdemque sacrario, choro, capellis, porticu et atrio herbam nicotianam, vulgo *Tabaccum* nuncupatam, sive in solidum, sive in frusta concisum, sive in pulverem redactum, fumum ex eo elicitum ore, naribus, aut alias quomodolibet sumere audeRent vel præsumerent; et virtute memorati chirographi quibuscunque a Sanctitate Sua factam fuisse potestatem dicto tabacco in recensitis sacris locis pro libito utendi, illumque sumendi, cujusvis ecclesiasticæ censuræ comminatione omnino sublata.

« Quia tamen in laudato motu proprio eadem Sanctitas Sua expresse declaravit, ejusdem mentem non esse aut unquam fuisse, ut ex narrata permissione, reverentia et honor dictæ sacrosanctæ Basilicæ debitus ullatenus minuatur, et ideo nobis, qui præfatæ Basilicæ immeriti quamvis archipresbyteri munere fungimur, districte præcepit, ut ejusdem reverendiss. capitulo et clero, qui cæteris aliis exemplo præire debet, ea servanda mandaremus, quæ ad augendam domus Domini sanctitudinem et cultum huic toto orbe celeberrimæ Basilicæ præstandum, cujus incrementum Sanctitas Sua quam maxime in votis habet, facere et conducere judicaremus.

« Hinc piissimis hisce Sanctitatis Suæ mandatis morem ex animo gerentes, præsenti edicto rev. capitulo totique clero suprad. Basilicæ districte in Domino præcipimus, non modo, ut in ipsa basilica, vel ejus choro, aut sacrario tabaccum ita circumspecte sumant, ut nemini eorum, qui aderunt, scandali et offensionis ingerant occasionem, verum etiam, quod illorum nullus, præsertim dum choro interest et divinis operatur officiis, arculam seu thecam, in qua nicotianum pulverem servat, ad alios in orbem seu gyrum mittere palam, et publice audeat, sub pœnis arbitrio nostro juxta modum inobedientiæ infligendis. Volumus autem ut hæc voluntatis nostræ significatio præsentibus litteris consignata in sacrario memoratæ Basilicæ, ac in loco conspicuo, qui ab omnibus cerni possit, semper affixa remaneat, in perpetuum omnium supra dictorum, præceptorumque monumentum.

« Dat. Romæ ex nostro Palatio ad Quatuor Fontes 15 Januarii 1725.

« Loco † Sigilli.

« A. card. S. Clem. arch. »

(5. Tabacci cujuscunque usus ante missam et communionem indecens est, ut notant passim doctores, et signanter La Croix lib. VI, part. II, n. 560, ubi dicit quod Urbanus VIII, constit. 161, et synodus Coloniensis, pag. 88, prohibent ne ullus clericus vel laicus ante missam vel communionem sumat tabaccum nasale; si autem tabaccum traheret fumo, adhuc magis dedeceret, uti notant doctores cum Busemb., lib. VI, part. I, tr. 3, cap. 2, dub. 2, art. 2, vers. *Et si parvitas*, et multo magis dedeceret, si masticaretur.

(6. An vero sumptio tabacci frangat jejunium naturale? Variant doctores. Antonius enim de Leone, in *Quæstionibus moralibus de Chocolata*, part. I, § 4, n. 10 et seq.; Lezana, tom. II, verb. *Eucharistia*, n. 16, et alii, dicunt violari jejunium naturale ad communionem requisitum, quando aliquis fumum vel pulverem tabacci naribus sumit. At verò rectius hanc sententiam rejiciunt Diana, part. V, tract. 13, resolut. 1, et part. VIII, tract. 7, resolut. 3; Pasqualig., in *Praxi jejunii*, decis. 438; Lugo in *Respons. moral.* lib. I, dub. 9; La Croix, lib. VI, part. I, n. 570, cum aliis ibi citatis, et alii passim; et ratio est quia illa non est vera comestio vel potatio, quibus solis jejunium solvitur; sed vel est trajectio salivæ, vel respiratio, vel attractio seu efflatio narium.

(7. Difficultas major est de his, qui folia

Digitized by Google

tabacci ore sumunt et dentibus conterunt ad sputa et phlegmata ex ore projicienda ; de istis enim Antonius de Leone, *loc. cit.*, dicit non esse dubium quod violent jejunium, quia semper aliquid ex succo in stomachum trajicitur; et ipsum sequuntur alii, et præsertim Lezana, *l. c.*, dicens frangi jejunium, nisi moraliter certum sit nihil in stomachum pervenisse. Et Alphonsus de Leone, et Joannes Præpositus, quos affert et sequitur Diana, *loc. cit.* ; Raynaud., in *Hetor.*, tom. XVI, sect. p. 3, n. 23, et alii dicunt, non violari jejunium, si nihil in stomachum trajiciatur ; violari tamen si aliquid trajiciatur ; Gobat autem, t. I, tr. 4, n. 265; Burg. et Mercant. cum La Croix lib. VI, part. I, n. 569, et alii plures, et ex professo Lugo, in *Respons. moral.*, lib. I, dub. 6, n. 5, dicunt per id minime frangi jejunium, fateturque *ibi* Lugo, quod talis sit praxis doctorum et piorum virorum, qui absque ullo scrupulo tabacco utuntur, et ejus folia primo mane ore versant et dentibus conterunt, et postea ad communionem et missam celebrandam accedunt, sicque sibi respondisse omnes a se consultos viros doctos et theologiæ professores, volentes quod ad hoc, ut tabaccum ore sumptum et dentibus contritum sputa et phlegmata, aliosque superfluos humores attrahat, non sit necesse ut aliquis succus foliorum tabacci descendat in stomachum, quia fieri potest per vim attractivam, ex consensu linguæ et palati cum stomacho, cerebro aliisque partibus continentibus ; cæterum tenendum est quod, si aliquis tabacci succus in stomachum trajicitur, tunc frangatur jejunium naturale ; secus autem non, ut præter supracitatos cum aliis docet etiam Pontas, verb. *Missa*, cap. 6.

(8. Tabacci præsertim excessivus usus, ni dicam abusus, non parva affert incommoda, si expertibus in arte medica fidem habere velimus. Simeon Paulus enim medicus regius Tarbusiensis pag. 8, terg., litt. D, sic expresse habet : « Quotusquisque ergo est, nisi ipse sit architabaccarius, atque adeo animo occupato, qui non intelligat quod meatibus aut foraminulis ossis ethmoidis a pulvere tabacci obturatis, cum cerebrum per os ethmoidis neque aerem, ut eo ventiletur, neque rerum odorabilium species admittere possit, quin necessario olfactu intercidat? » Et paulo post : « Cum ergo ad nasi radices usque pulvis tabacci narcoticus magna copia violenter attrahatur, et punctum temporis natura otiosa non sit, ac in vivo corpore ex decretis Hippocratis nostri, omnia sint permeabilia ac transpirabilia, utique aliter fieri non potest, ut innui, quin partes olfactui destinatæ a narcotica tabacci facultate affligantur. »

(9. Et Jo. Chrysostomus Magnenus, professor medicus in Universitate Ticinensi, exercit. 8, § 4, sequentia tabacci incommoda recenset : « Primum incommodum est odoratus abolitio, membranarumque, nervique odoratorii exsiccatio, processuum mamillarium tabes, ut probavimus. » § 15, exerc. 6. « Secund. inducta cerebro intemperies, quæ memoriam labefactat. Tertio operantur in medicina isti, quando quiescere licet, quod furoris genus appellat Celsus. Quarto attrahunt a ventriculo ad cerebrum humores pravos immoderataque exsiccatione aliqui vix sibi satis constant. Quinto senium, mortemque accelerant adventitia siccitate humido radicali infesta. Sexto febribus acutis magis obnoxii redduntur, itemque deliriis et phrenetidi. Septimo, vidi non neminem, cui insanus hujus pulveris usus crystallinum corrugaverat humorem, unde et fluitantia cernebat objecta. Octavo durior auditus fit iis, qui parvum caput sortiti sunt, tinnitusque aurium cuipiam contingit effrenato hujus pulveris usu. »

(10. Tabaccum Jacobus VI, Britannorum rex, interdixit suo in regno, bene persuasus ex ejus usu corpora hominum enervari. Et Amurates IV, Turcarum imperator, sub pœna capitali ipsum prohibuit, teste dicto Magneno exerc. 6, § 10 et 11, ne subditi, vel inebriarentur, vel infecundi redderentur.

(11. His de tabacco ad eruditorum curiositatem addere lubet, quæ ex Anton. abbate in suis lepidissimis *Frascherie*, Fascio 2, tit. *La pazzia*, Satira circa medium, refert Ursaya, *Instit. crim.*, lib. III, tit. 3, n. 58, ibi :

Una certa pazzia nasi innamora,
Che nome ha di tabacco, e a mio giudizio
Già dall'urna del mal trasse Pandora.
È' medicina, e non fa mai servizio,
Non fa servizio, e a chi la piglia è grata,
Grata è per uso, ed usasi per vizio.
A lordar nasi, e fazzoletti è nata,
Però scerner non sò, se più conviene
Ai nasi, o a'fazzoletti una buccata.
Come in suol polveroso ondose vene
Piovon dal ciel, così dal naso esclusa
Su la polvere sua la pioggia viene.
S'a sgravare il cervello un uomo l'usa,
Ragione non avrà, mentre si lagna,
Che leggier di cervell' altri l' accusa.
Sempre cola un umor, ch' il labbro bagna,
Ond' io non so, se magni, o cachi il naso,
O faccia collazion naso, che magna.

(12. Adducuntur varia decreta sacræ congreg. Immunitatis in ordine ad faciendam perquisitionem tabacci in locis immunibus, prout referuntur a D. Riccio in sua *Synopsi*, verb. *Tabaccum*, ibi :

(13. Sac. cong. ultra facultates in decreto sub 21 Dec. 1617, ex speciali commissione sanctissimi concessas reverendissimo nuntio Apostolico, et ordinariis locorum in regnis Lusitaniæ et Algarbiorum, sequentes de ejusdem sanctissimi permissione addendas esse censuit : firma in reliquis remanente dispositione ejusdem decreti, videlicet,

Quod reverendissimus dominus nuntius, retenta sibi potestate procedendi et inquirendi contra regulares et exemptos in civitate et diœcesi Ulixiponen. pro aliis locis cognitionem causarum contra cujusvis ordinis, congregationis et instituti de necessitate etiam exprimendi regulares mercimonii causa tabaccum contrahentes seu

Digitized by Google

confundentes, vel etiam ad effectum præfatum retinentes, propriis episcopis in civitatibus et locis intra fines cujuslibet illorum diœcesis, et quoad loca, quæ nullius vel extra diœcesim exsistunt, aliis episcopis vicinioribus committere possit et valeat, communicando eidem nomine Sedis Apostolicæ facultatem inquirendi et procedendi contra dictos regulares et exemptos privative quoad omnes etiam ipsorum prælatos et regulares; insuper tam idem nuntius, sanctissimo pariter annuente, in diœcesi et civitate Ulixiponen. quam dicti episcopi et ordinarii locorum, sive procedentes contra ecclesiasticas personas ex propria facultate, sive delegata contra regulares, aliosque exemptos possint pariter, et valeant in casibus præfatis perquirere toties quoties opus fuerit in locis immunibus, ac intra claustra et domos regularium seu monasteria, quamvis exempta. Sac. cong. Immun. *in Lusitana* 21 Junii 1678 lib. II *Decret.* Altovit., pag. 1599.

(14. Ad instantiam proregis Neapolis editum fuit simile decretum quoad tabaccum cum iisdem facultalibus nuntio et episcopis regni Neapolitani, ac in supraposito pro regnis Lusitaniæ. Sac. cong. Immun. in Neapolitana 29 Jun. 1678, lib. II *Decr.* Alt., pag. 1603.

(15. Ad instantiam appaltatorum tabacci R. Cameræ Apostolicæ conceditur eadem facultas episcopis status ecclesiastici perquirendi in quocunque loco, et procedendi, et inquirendi contra quoscunque quomodolibet exemptos eodem modo et forma, ac in Neapolitana suprascripta circa tabaccum. Sac. cong. Immunit., *in Romana* 17 Martii 1682, lib. III *Decr.* Alt., pag. 23.

(16. Edicta et Bulla publicata a D. nuntio et controversa ab eminentissimo archiepiscopo super tabacco sustinentur. Sacr. congr. Immun., *in Neapolitana* 13 Novemb. 1668, lib. I *Decret.* Alt., pag. 286.

(17. Tabaccum extractum ab executoribus curiæ episcopalis sine interventu personæ ecclesiasticæ a loco immuni, debet restitui loco immuni. Sacr. cong. Immun., *in Tudertina* 30 Augusti 1679, lib. II *Decret.* Altovit., pag. 1826.

(18. Quamvis tabaccum cujuscunque generis ante, et paulo post celebrationem missæ, et sumptionem eucharistiæ, quædam synodi etiam sub censuris interdixerint; quapropter his suffulti auctoritatibus Clericatus, *De sacrament. Eucharist.*, decis. 54, num. 12, cas. 2; Natalis Alexander, *Theolog. dogm. et moral.*, t. I, in append. 1, *Variar.*, epistol. 45. Sarnellus episcopus, tom. VI *Epistol. ecclesiastic.*, epist. 30; Hurtad, *Resolut. moral.* tom. II, tract. 11, cap. ult., docuerunt oportere ac decere, ut episcopi in suis synodis edicant, ut a nemine ante missæ celebrationem aut sanctissimæ Eucharistiæ perceptionem, tabacci folium manducetur; (19. Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. VII, cap. 63, num. 3, relicta in medio seu indecisa quæstione de tabacci folii masticatione, tradit nequaquam hodie expedire, ut usus tabacci fumi aut pulveris naribus attracti sub censurarum pœna interdicatur; cum hodie a communi consuetudine sit adeo talis usus cohonestatus, ut nulli prorsus scandalum præbeat, aut admirationem causet. (20. Unde nimium severus notaretur episcopus, qui dictis antiquis synodis insistens dicti tabacci usum, aut omnibus ante sacræ Eucharistiæ perceptionem, aut solis sacerdotibus ante missæ celebrationem interdiceret, adjecta præsertim in transgressores censurarum pœna.

TABERNACULUM.

SUMMARIUM.

1. Claves tabernaculi nec relinqui debent in sacristia, nec a laico servari, sed a solo sacerdote.— 2. Imo ipsas retinere debet parochus privative ad sacristam et capellanum. — 3. In tabernaculo, ubi asservatur sanctissimum sacramentum non sunt retinendæ reliquiæ, nec vasa sacrorum oleorum, nec aliud. — 4. Clavis tabernaculi, ubi reponitur hostia consecrata in feria quinta Cœnæ Dominicæ, non est danda laico quantumvis nobili.— 5. Monialibus non committitur clavis tabernaculi sanctissimi sacramenti, sed penes eum sacerdotem semper esse debet, ad quem spectat cura illud administrandi.— 6. Nec etiam in monasteriis monialium asservari debent reliquiæ, sed in exterioribus ecclesiis. — 7. Tabernaculum sanctissimi sacramenti in cathedralibus non debet esse in altari majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt versis renibus ad altare. — 8. Capuccini retinere possunt tabernaculum ligneum affabre laboratum. — 9. Ante ostiolum tabernaculi SS. Eucharistiæ, in quo depicta vel insculpta est imago Salvatoris, non est retinendum vas florum, vel quid simile, sed collocandum in humiliori et decentiori loco.

(1. Claves tabernaculi (91) nec relinqui debent in sacristia, nec a laico servari, sed a solo sacerdote. Sac. cong. Rit. 22 Feb. 1593. (2. Imo ipsas retinere debet parochus privative ad sacristam et capellanum. Sac. cong. Concil., *in Neapolitana* 14 Novemb. 1693.

(3. In tabernaculo, ubi asservatur sanctissimum sacramentum, non sunt retinendæ reliquiæ, nec vasa sacrorum oleorum, nec aliud. Ead. sac. cong. Rit., die 22 Feb. 1593.

(4. Clavis tabernaculi, ubi reponitur hostia consecrata in feria V Cœnæ Dominicæ, non est danda laico, quantumvis nobili. Sac. cong. Rit. 30 Jun. 1616.

(91) Quod *tabernaculum* dicimus, olim *peristerium*, *conditorium*, *repositorium* vocabant; de quibus vocibus Cangius in Glossario, et Georgius in disquisitionibus *De sacro ministerio*, tom. I, *De liturg. Rom. Pont.* præmissis cap. 16, p. XCIII seqq

Digitized by Google

(5. Monialibus non committitur clavis tabernaculi SS. Sacramenti, sed penes eum sacerdotem semper esse debet, ad quem spectat cura illud administrandi. Sac. cong. Concilii *in Vallisoletana* 12 Januar. 1604.

(6. Nec etiam in monasteriis monialium asservari debent reliquiæ, sed in exterioribus ecclesiis. sac. cong. Conc., *in Faventina* 7 Martii 1617.

(7. Tabernaculum sanctissimi sacramenti in cathedralibus non debet esse in altari majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt versis renibus ad altare. sac. cong. Rit. 24 Novemb. 1598.

(8. Capuccini retinere possunt Tabernaculum ligneum affabre laboratum. Sac. congr. Episcop. et Regul. 13 Julii 1649.

(9. Ante ostiolum tabernaculi SS. Eucharistiæ in quo depicta vel insculpta est imago Salvatoris, non est retinendum vas florum, vel quid simile, sed collocandum in humiliori et decentiori loco. Sac. congreg. Rit. 22 Jan. 1701.

TABERNA, TABERNARII, SEU CAUPONES.

SUMMARIUM.

1. Tabernæ nomine quid veniat? — 2. Tabernas ingredi non possunt clerici ad comedendum et bibendum, nisi in itinere aut causa necessitatis. —3. Tabernas habere nullimode licet clericis, alias deponendi sunt. — 4. Tabernarii seu caupones mortaliter peccant, si inebriandos, plura vendendi aut lucrandi prætextu, ad potum continuandum provocent. — 5. Item mortaliter peccant tabernarii seu caupones, qui potum ministrant iis quos inde prævident inebriandos, si ex denegatione non timeantur gravia incommoda. — 6. Idem dicendum est cum proportione de tabernariis qui carnes aut secundam refectionem ministrant in die jejunii, ac de illis qui potum ministrant se inebriaturis. — 7. Tabernarii seu caupones, si ut plures habeant hospites, permittant seu curent ad ædes suas venire meretrices, et inservire mensis, peccant mortaliter.— 8. Tabernarii graviter peccant, si admoniti, ut desistant, adhuc diebus festis tempore divinorum officiorum, in suas tabernas incolas, seu parœcianos ad potandum, ludendum aut aliud non necessarium agendum permittant, præsertim cum scandalo aliorum. — 9. De tabernariis vendentibus pro puro vinum aquæ commistum, aliasque res majori pretio, quam valeant, *remissive*. — 10. Episcopus potest prohibere aperiri tabernas pro ludis alearum et taxillorum. — 11. Magistratus non potest prohibere tabernariis appendere res venales in columnis porticus, quas Ecclesia habet jus locandi.

(1. Tabernæ nomine intelligitur domus, in qua panis, vinum, carnes coctæ et alia hujusmodi venduntur. Sic Glossa communiter recepta in Clem. 1, *De vita et honestate clericorum*.

(2. Tabernas ingredi non possunt clerici ad comedendum et bibendum, nisi in itinere aut causa necessitatis. Cap. *Non oportet* 2, cap. *Clerici* 4, dist. 43.

(3. Tabernas habere nullimode licet clericis, alias deponendi sunt, textu expresso in cap. *Nulli clerico* 3, dist. 44, ibi: « Nulli clerico licet tabernam aut ergasterium habere; si enim hujusmodi tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea? Si quis vero tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur. »

(4. Tabernarii seu caupones mortaliter peccant, si inebriandos, plura vendendi aut lucrandi prætextu, ad potum continuandum provocent. *Comm.* Et ratio est quia, si ex Apostolo ad *Rom.* I, n. 31: *Digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, a fortiori qui alios ad male agendum provocant et inducunt.

(5. Item mortaliter peccant tabernarii seu caupones, qui potum ministrant iis quos inde prævident inebriandos, si ex denegatione non timeantur gravia incommoda. *Communis*. Et ratio est quia, licet ipsi vendant et ministrent rem de se indifferentem, quia tamen hic et nunc est materia ebrietatis, et consequenter etiam peccati gravis, tenentur illam denegare, sicuti tenentur peccatum proximi impedire; quia, ut habetur *Eccli.* XVII, 12 : *Mandavit (Deus)... unicuique de proximo suo*. (6. Idem dicendum est cum proportione de tabernariis, qui carnes aut secundam refectionem ministrant in die jejunii, ac de illis qui potum ministrant se inebriaturis, cum sit omnino par ratio.

(7. Tabernarii seu caupones, si, ut plures habeant hospites, permittant seu curent ad ædes suas venire meretrices, et inservire mensis, peccant mortaliter, quia dant occasionem proximam peccatis, tum meretricum, tum hospitum. Beja, p. I, cas. 48. La Croix, lib. II, n. 26, et alii passim.

(8. Tabernarii graviter peccant, si admoniti ut desistant, adhuc diebus festis, tempore divinorum officiorum in suas tabernas incolas seu parœcianos ad potandum, ludendum aut aliud non necessarium agendum permittant, præsertim cum scandalo aliorum. Colligitur ex pluribus conciliis, et signanter ex concilio Rothomagensi, *De curatorum et aliorum presbyterorum et parœcianorum officiis*, ubi statuit, ut parochi in Pronao pro excommunicatis denuntient, qui post admonitionem ausi fuerint Dominicis et festivis diebus, tempore divini servitii, parœcianos in domum suam ad potandum, ludendum aut aliud non necessarium agendum recipere. » Item ex concilio Turonensi tit. *De festorum cultu*, ibi : « In hospitiis seu cauponis, aliis, quam peregrinis cibaria et vinum ministrari... sub anathematis pœna prohibet hæc sancta synodus. » Quæ duo concilia, ut testatur Pontas verb. Caupo, cas. 2, confirmata fuerunt a Gregorio XIII. Anathematis autem pœna non nisi pro peccato mortali infligi potest, ut declarat concilium Meldense cap. 56, relat. in c. *Nemo* 41, caus. 11, quæst. 3. ibi : « Quia anathema æternæ est mortis damnatio, et non nisi pro mortali debet imponi crimine; » et concordat can. *Corri-*

Digitized by Google

piantur 17, caus. 24, qu. 3, ubi dicitur quod in ecclesia nulla major dari potest pœna, quam excommunicatio, ibi : « Qua pœna in Ecclesia nulla major esse potest.»

(9. De tabernariis vendentibus pro puro vinum aquæ commistum, aliasque res majori pretio, quam valeant, discurrendum est cum proportione, sicuti dictum est sub verb. CONTRACTUS EMPTIONIS, VENDITIONIS, art. 3. Vide *ibi*.

(10. Episcopus potest prohibere aperiri tabernas pro ludis alearum, et taxillorum. Sacr. congregat. Immunit., *in una S. Severini* 8 Julii 1687, lib. 1 *Martelli*, pag. 131, et 16 Nov. 1688, *ibi*, pag. 388.

(11. Magistratus non potest prohibere tabernariis appendere res venales in columnis porticus de jure ecclesiæ seu quas Ecclesia habet jus locandi. Sac. cong. Immun. *in Imolen.* 5 Maii 1699, lib. *Decr.* Vall., p. 218.

* Circa caupones omittendum non est eos teneri pro omnibus iis rebus, quæ a viatoribus in caupona depositæ furto auferuntur, excepto tamen casu, quo quis vector vel viator furtum commiserit. L 2, ff. *Nautæ caupones*, l. 6, § 3, ff. eod., l. unic., § 6, ff. *Furti adversus nautas caupones*, etc. *

TACTUS IMPUDICI.

SUMMARIUM.

1. Omnes tactus impudici animo deliberate libidinoso facti in personis solutis in quacunque corporis parte sive in alio, sive in seipso, sunt semper peccatum mortale. — 2. Tactus facti in seipso in partibus verendis præcise ex joco seu levitate, ordinarie non sunt peccatum mortale. — 3. Tactus facti in alio cujusque sexus in parte corporis honesta ex joco, levitate, aut propter delectationem mere sensualem, ordinarie excusantur a peccato mortali. — 4. Mortales autem ordinarie sunt dicti tactus, si fiant in partibus verendis. — 5. Si tamen dicti tactus fiant quidem in partibus verendis, sed supra vestes, ordinarie excusantur a peccato gravi. — 6. Feminæ permittentes se tangi impudice, præsertim in partibus libidinosis, peccant graviter. — 7. Ancillæ, nutrices, pueros vestientes, lavantes, eorum pudenda tangentes, etsi motus sensualis exsurgat, secluso consensu, aut complacentia turpi, aut non peccant, si ita suum officium exigat; aut solum peccant venialiter, si leviter ex joco aut curiositate faciant; si autem id facerent cum notabili mora, ordinarie peccarent mortaliter. — 8. Tactus venerei, seu impudici inter personas ejusdem sexus sunt graviora peccata mortalia, quam inter personas solutas diversi sexus. — 9. Tactus in quacunque parte corporis, sive proprii, sive alieni, facti a medicis, chirurgis, infirmariis, aut aliis causa medendi, aut alterius necessitatis, quamvis inde interdum suboriantur motus inordinati, quandiu abest pravus affectus et consensus, aut ejusdem periculum, nullimode sunt peccaminosi, imo de se sunt meritorii. — 10. Item nequidem erit peccatum veniale tangere verenda proprii corporis ex naturali aliquo et non malo fine. — 11. Tangere seu complecti pueros ex affectu teneræ infantilis ætatis, captando delectationem sensibilem ex mollitie carnis teneræ, per se loquendo, secluso consensu, aut complacentia turpi, vel nullum est peccatum, vel tantum veniale. — 12. Tactus etiam in partibus verendis facti inter conjuges, si ordinentur ad copulam conjugalem, sunt per se liciti. — 13. Si autem similes tactus inter conjuges fiant causa solius voluptatis et delectationis absque ordinatione ad copulam conjugalem, sunt quidem culpabiles, sed non mortaliter. — 14. Dummodo tamen in dictis tactibus absit periculum pollutionis. — 15. Tactus, qui fiunt inter sponsos de futuro cum delectatione sensibili, venerea, morosa et directe voluntaria, sunt peccata mortalia. Alias non sunt nisi venialia; et si pudice fiant ex recto et honesto fine secundum consuetudinem patriæ, sunt licita. — 16. Bruta et animalia, minora præsertim, molliter tractare, demulcere, etiam eorum pudenda contrectare ex sola jocositate vel levitate, sine ulla impura delectatione, ordinarie est tantum peccatum veniale. — 17. Esset autem mortale ita bruti, seu animalis alicujus pudenda fricare, ut semen expelleret ex curiositate illud videndi, et ob delectationem sensibilem. — 18. Alia ad rem, *remissive*. — 19. Affertur ad complementum dictum poeticum.

(1. Omnes tactus impudici animo determinate libidinoso facti in quacunque corporis parte, sive in alio, sive in seipso, sunt semper peccatum mortale.

(2. Tactus facti in seipso in partibus verendis præcise ex joco seu levitate, ordinarie non sunt peccatum mortale, quia tactus in corpore proprio non ita excitant ad libidinem, ac tactus in corpore alieno. *Communis.*

(3. Tactus facti in alio cujuscunque sexus in parte corporis honesta ex joco, levitate, aut propter delectationem mere sensibilem, ordinarie excusantur a peccato mortali. *Communis;* et ratio est quia tactus illi, cum sint de se indifferentes, non plus habent malitiæ, quam communicet ipsis affectus tangentis, adeoque, cum in dicto casu affectus tangentis non sit mortalis, neque mortales erunt dicti tactus. (4. Mortales autem ordinarie sunt dicti tactus, si fiant in partibus verendis. *Communis;* et ratio est quia, licet tactus illi procedant absque affectu vere libidinoso, quia tamen sunt in partibus libidinosis, seu libidinem ex natura sua (ubi non adest justa dictorum tactuum necessitas) valde excitantibus, et ad delectationem veneream, et pollutionem proxime disponentibus, sunt ordinarie mortiferi, juxta illud *Eccli.* III, 27 : *Qui amat periculum, peribit in illo.* (5. Si tamen dicti tactus fiant quidem in partibus verendis, sed supra vestes, ordinarie excusantur a peccato gravi, quia non videtur in ipsis adesse tantum periculum, ut notant communiter doctores, quamvis serio moneant esse id vitandum, præsertim in personis alterius sexus.

(6. Feminæ permittentes se tangi impudice, præsertim in partibus libidinosis, peccant graviter, non solum ratione cooperationis alterius peccato, sed etiam ratione tactus passivi. *Communis*, et ratio est quia

Digitized by Google

non minus ad libidinem excitat tactus passivus quam activus, adeoque, etc.

(7. Ancillæ, nutrices, teneros pueros vestientes, lavantes, eorumque pudenda tangentes, etsi motus sensualis exsurgat, secluso consensu, aut complacentia turpi, aut non peccant, si ita suum officium exigat, aut solum peccant venialiter, si leviter ex joco aut curiositate faciant; si autem id facerent cum notabili mora, ordinarie peccarent mortaliter ob mortale periculum consensus libidinosi, et a fortiori, si in his faciendis intermisceretur delectatio venerea. *Communis.*

(8. Tactus venerei seu impudici inter personas ejusdem sexus sunt graviora peccata mortalia, quam inter personas solutas diversi sexus. *Communis;* et ratio est quia tales tactus venerei ex natura sua tendunt ad peccatum mollitiei, vel etiam Sodomiæ, quod est peccatum gravius simplici fornicatione.

(9. Tactus in quacunque parte corporis, sive proprii, sive alieni, facti a medicis, chirurgis, infirmariis aut aliis, causa medendi aut alterius necessitatis, quamvis inde interdum suboriantur motus inordinati, quandiu abest pravus affectus et consensus, aut ejusdem periculum, nullimode sunt peccaminosi; imo de se meritorii. *Communis.*

(10. Item ne quidem erit peccatum veniale tangere verenda proprii corporis ex naturali aliquo et non malo fine, ut si quis, verb. gr. fricatione velit exstinguere pruritum non venereum in illis partibus quandoque vehementius consurgentem. *Vide* verb. Luxuria, n. 84.

(11. Tangere seu complecti pueros ex affectu teneræ infantilis ætatis, captando delectationem sensibilem ex mollitie carnis teneræ, per se loquendo, secluso consensu aut complacentia turpi, vel nullum est peccatum, vel tantum veniale. *Vide* d. verb. Luxuria, n. 77.

(12. Tactus etiam in partibus verendis facti inter conjuges, si ordinentur ad copulam conjugalem, sunt per se liciti: *Communis;* conjuges enim licite se possunt simili modo ad copulam conjugalem excitare. (13. Si autem similes tactus inter conjuges fiant causa solius voluptatis et delectationis absque ordinatione ad copulam conjugalem, sunt quidem culpabiles, sed non mortaliter. *Communis.* Et ratio est quia matrimonium eos cohonestat, et defectus debiti finis non est mortalis. (14. Dummodo tamen in dictis tactibus absit periculum pollutionis, quia alioquîn essent mortales, cum voluntaria pollutio extra debitum vas, etiam inter conjuges, sit mortalis. *Sic doctores communiter.*

(15. Tactus, qui fiunt inter sponsos de futuro cum delectatione sensibili venerea, morosa et directe voluntaria, sunt peccata mortalia; alias non sunt nisi venialia; et si pudice fiant ex recto et honesto fine secundum consuetudinem patriæ, in signum mutuæ benevolentiæ et debiti obsequii, sunt licita. *Communis* (92).

(16. Bruta seu animalia, minora præsertim, ut catellos, catos, et hujusmodi, molliter tractare, demulcere, etiam eorum pudenda contrectare ex sola jocositate vel levitate, sine ulla impura delectatione, ordinarie est tantum peccatum veniale; *vide* verb. Luxuria, n. 80. (17. Esset autem mortale ita bruti seu animalis alicujus pudenda fricare, ut semen expelleret ex curiositate illud videndi, et ob delectationem sensibilem. *Vide ib.*, n. 81.

(18. Ad complementum affertur poeticum dictum relatum ab Ursaya, in *Miscellaneo i sacro et prof*, lit. *T*, n. 11:

Ni fugias tactus, vix evitabitur actus.
Hos ergo vita, ne moriaris ita.

(19. Alia ad rem, *vide* verb. Femina, verb. Luxuria verb. Sponsi.

TALIONIS POENA.

Vide verb. Falsarius, *n.* 69, *et verb.* Poena, *art.* 2, *n.* 24, *ac verb.* Accusator, n. 3 *et* 4.

TARRACONENSE CONCILIUM.

(1. Tarraconense concilium provinciale festorum dierum imminuendorum methodum excogitat, quæ a Benedicto XIII approbatur; nimirum, ut omnibus diebus Do-

Nota Romani theologi.

(92) Non adeo facile a gravi culpa excusari debent tactus illi deliberati, qui aut in honestis partibus fiant, ob delectationem tamen sensualem percipiendam, vel in partibus pudendis supra vestes, aut in signum mutuæ benevolentiæ inter sponsos de futuro, etc. Nam ubi ordinarie lethalis culpæ periculum adest, ibi peccatum mortale sit necesse est. Huc enim spectat illud *Ecclesiastici* a Lucio citatum: *Qui amat periculum, peribit in illo;* ordinarie vero, qui deliberate tactus illos exerceat, periculo graviter peccandi se exponit: nam delectatio venerea, fatentibus omnibus, peccatum mortale est: inhonestæ quoque hac de re cogitationes et desideria inde sequentia, mortalia quoque peccata sunt. Quis vero dicat, tangentes ex. gr. faciem captandæ delectationis sensibilis causa ex ipsius mollitie, tangentes ex joco et levitate propria pudenda, atque tangentes et osculantes futuram sponsam, in mutuæ benevolentiæ significationem, periculo non sese exponere delectationis venereæ, inhonestæ cogitationis turpisque desiderii? Nam ex tactibus illis delectatio ordinarie consurgit, quæ ad venerem incitat, et modus inde nascentes nonnisi venerei sunt, atque ad veneris usum provocantes. Itidem tactus illi rei inhonestæ ideam suggerunt; ex idea, inhonesta cogitatio oritur; ex inhonesta cogitatione turpe desiderium enascitur, ut rem consideranti liquet. Quamobrem, ordinarie loquendo, tactus hujusmodi a gravi culpa excusari non debent, ac rari admodum casus esse possunt, in quibus tactus hujusmodi, si deliberati sint, et non ex necessitate fiant, gravi culpa careant.

Digitized by Google

minicis aliisque solemnioribus festis, fideles missæ intersint, et ab operibus servilibus abstineant. In aliis vero missam audiant, sed operibus servilibus navare possint; sic Benedictus XIV, tom. II *Bullar.* constitut. 63 incip. *Non multi menses.* Qui eamdem methodum sequitur in concedendis hujusmodi imminutionum indultis, *ibid.*, et constitut. 65 incip. *Cum sicut.*

TAXA.

SUMMARIUM.

1. Affertur taxa Innocentiana fori ecclesiastici in materiis spiritualibus. — 2. Taxa Innocentiana non est, nisi reassumptum ordinationum sacrorum canonum, et sacrarum congregationum, et ejus exsecutrix est sacra congregatio Concilii privative quoad alios. — 3. Affertur taxa pro advocatis et procuratoribus patrocinantibus causas beatificationum et canonizationum. — 4. Affertur taxa observanda a notario sacræ congregationis cum aliquibus ordinis. — 5. Taxa facta a laicis non afficit ecclesiasticos. — 6. Adducuntur plures resolutiones sacræ congregationis quoad taxam tum pro funeribus, tum pro seminario, tum pro cathedratico, tum pro observantia taxæ Innocentianæ, ad n. 14. — Alia ad rem, ad num. 21.

(1. *TASSA INNOCENZIANA*

Del foro ecclesiastico nelle materie spirituali; ovvero dichiarazioni sopra quelle cause, e materie ecclesiastiche e spirituali, nelle quali nel foro ecclesiastico, ed episcopale non si può, nè si deve esigere emolumento alcuno, eccetto quello, che si dichiara per il solo cancelliero con la riforma degli abusi contrarii.

« Essendosi avuto ricorso alla santità di nostro signore Innocenzio XI per molti vescovi ed arcivescovi, ed altri prelati zelanti, acciò per sicurezza della loro coscienza, e per togliere ogni occasione di dubbio, che potesse nascere dalle diverse consuetudini delle diocesi, ed anche acciò non siano ingannati da' loro vicarii, cancellieri, ed altri ministri, e familiari, si stabilisca una tassa generale, ed uniforme per il foro episcopale, ovvero ecclesiastico, nè mancando i ricorsi de' cleri, e de' popoli, ha perciò la Santità Sua deputato una Congregazione particolare di due signori cardinali prefetti delle congregazioni del Concilio, e de' vescovi, e di quattro altri signori delle medesime congregazioni, e di due monsignori loro segretari, e delli monsignori datario, ed auditore della Santità Sua, e da questa si è risoluto, non potersi nelle cause contenziose, civili, criminali, e miste venire alla suddetta tassa generale senza la precedente notizia delle tasse particolari di ciascheduna diocesi, o provincia, potendo giuridicamente quella esser varia secondo la diversa consuetudine regolata dalla diversità de' paesi, e de' luoghi. Bensì doversi con qualche maggior chiarezza per togliere tutti i dubbi, e gli equivoci, dar fuori le dichiarazioni, che in più tempi, e diverse occasioni si son fatte dalle sacre congregazioni del Concilio, e de' vescovi nelle materie ecclesiastiche, ovvero meramente spirituali; acciò in tal modo sappia ciascuno quel che sia illecito, e si tolga ogni scusa, o pretesto d' ignoranza, o di consuetudine, dovendo in si fatte materie l' osservanza essere da per tutto uniforme per la generalità de' canoni, e concilii, e particolarmente del Tridentino in modo, che deve dirsi reproba, ed illecita ogni contraria consuetudine, e tassa diversa in qualunque modo per l' addietro fatta, conforme dalla medesima congregazione si è stabilito, in modo che le seguenti dichiarazioni debbano osservarsi da per tutto senza eccettuazione alcuna, sotto le pene contenute ne' sacri canoni, e concilii, ed altre ad arbitrio del Sommo Pontefice, che sarà *pro tempore*, e nascendo qualche dubbio in contrario, se ne debba consultare la suddetta sacra congregazione del Concilio, e non altrimente.

« Nella materia delli ordini sacri, e minori, e prima tonsura, così per la collazione, come per la facoltà, che ad altro si dia di conferirli, ed anche per il loro esercizio, e per la facoltà di esercitarli in qualunque luogo, e qualunque tempo si stabilisce la regola generale, da non ricevere altra eccettuazione, che quella si dirà di sotto, o che nè il vescovo, o altro prelato, nè il suo vicario generale, o foraneo, cancelliero, ed altro offiziale qualsivoglia, nè parenti, e famigliari, o servitori possano esigere, e ricevere emolumento, e cosa alcuna sotto qualsivoglia colore, o pretesto di atti per la giustificazione de' requisiti, ovvero di Tovaglia, Forbici, Pettine, ed altro, nè sotto titolo di regalo, o di mancia, anche se spontaneamente si offerisse e desse, eccetto che l'ordinante possa ricevere l'oblazione della candela, secondo dispone il Pontificale a libero arbitrio dell' ordinario circa la qualità, e peso. Ed il cancelliero, secondo la disposizione del sacro concilio di Trento per le lettere testimoniali della collazione dell' ordine già dato, ovvero per le lettere dimissoriali per la collazione da farsi per un altro vescovo, possa ricevere solamente la decima parte d' uno scudo di moneta Romana, cioè un giulio: ovvero l' equivalente nella moneta del Paese, e non più, da persone, le quali abbino l'uso del denaro, non già da quei religiosi, i quali non ne hanno l'uso, come sono i Cappuccini, ed i Minori osservanti, eccetto che nella collazione del suddiaconato per gli atti, che si devono fare per la giustificazione della verità, e sufficienza del patrimonio, ovvero del benefizio, a titolo del quale si deve promovere, possa esigere quell'emolumento, che sia proporzionato alla mera fatica personale per la scrittura, e carta, senza che il vescovo, o vicario, o altr'offiziale, direttamente, nè indiret-

Digitized by Google

tamente ne possa partecipare in modo alcuno, purchè detto emolumento non possa, nè debba eccedere uno soudo d'oro, ma se la fatica richiede minor mercede, si debba esigere solamente quel meno. Ma rispetto agli altri ordini, ed alla prima tonsura non possa esigere cosa alcuna sotto pretesto di registratura de' Brevi, e dispense, e di altre scritture, o di presentata, e di qualunque altra giustificazione, e solennità, o remozione d'impedimento.

« Con dichiarazione, che se le suddette lettere testimoniali, ovvero dimissoriali contengono più ordini, tuttavia non si possa esigere altra mercede, che la suddetta di un giulio, sicchè non si possa moltiplicare a ragione di ciascun ordine. Non sia però tenuto il cancelliero a far una sola scrittura per più ordini, quando questi siano stati conferiti in diversi tempi, e diverse ordinazioni, ma volendo, possa farle separate, non già rispetto a quegli ordini, che si conferiscono in uno stesso giorno, come segue ne' minori, ne' quali dovrà farsi una sola scrittura, e nelle lettere dimissoriali, che si diano per l'ordinazione da farsi per un altro vescovo a più ordini, parimente non si possano moltiplicare scritture, nè possa esigere cosa alcuna per il rogito della collazione degli ordini, ovvero per l'accesso al luogo dell'ordinazione con altro pretesto anche di mancia, e di regalo.

« Nella materia dei beneficii ecclesiastici, quando si tratta di quelli, che come di libera collazione, ovvero come devoluti, si conferiscono dal vescovo, o altro ordinario collatore, parimente si stabilisce la regola generale, che nè il vescovo, o altro collatore, nè il suo vicario, nè il cancelliero, o parenti, famigliari, servitori possano esigere, e ricevere emolumento alcuno, od altra cosa sotto qualsivoglia altro colore, e pretesto, anche di mancia, o regalo, volontario donativo, così se siano curati, e residenziali, come se semplici, o non residenziali, ed anche se siano cappellanie manuali, ma solamente il cancelliero per le lettere della collazione, compresa carta, sigillo, corde, ed ogni altra cosa, possa essere la mercede proporzionata alla scrittura, e materia, purchè non ecceda la somma di giulii dieci di moneta Romana, ovvero l'equivalente nella moneta del paese, nè si possa pretendere altra mercede, sotto qualsivoglia pretesto, e particolarmente per l'approvazione, e preelezione nel concorso alle chiese parrochiali. E per il possesso il vescovo, o vicario, o altr'offiziale non possa esigere cosa alcuna, ed il cancelliero, se sarà dentro la città, possa per il rogito, ed ogn'altro atto esigere giulii tre, se ne' borghi, ovvero suburbii, giulii quattro, e se in altro luogo i medesimi giulii quattro al giorno, e le spese di vitto, e viatico; bensì che se nel luogo del benefizio vi sarà il cancelliero del vicario foraneo, o altro notaro, si dovrà il possesso commettere al foraneo, e suo cancelliero senza la necessità del viaggio del cancelliere episcopale.

« Quanto a' benefizi di provisione Apostolica, perchè siano riservati, ovvero affetti avanti la loro provisione, così ne' benefizi curati, ne' quali per l'ordinario si danno le lettere testimoniali alla dataria dell'approvazione, e preelezione nel concorso secondo la forma del concilio di Trento, come anche negli altri benefizi non curati e particolarmente ne' residenziali, per i quali si sogliono dare le attestazioni alla dataria sopra la vita, costumi, ed idoneità de' concorrenti per le dette lettere, non si possa esigere, o ricevere mercede, ed emolumento alcuno in denaro, o in altre cose sotto qualsivoglia pretesto, o colore, anche di volontario donativo, ma si debbano dare affatto *gratis*.

« E dopo la provisione per l'esecuzione delle lettere Apostoliche, quando siano nella forma graziosa, non possano il vescovo, o altro prelato ordinario del luogo, o suo vicario, e cancelliere, ed altr' offiziale pretendere di doverne essere per necessità esecutori; ma sia in arbitrio de' provisti l'eleggersi l'esecutore, ed il notaro per il possesso, ma se il provisto eleggesse l'ordinario officiale, ed il suo cancelliere, o veramente se le lettere fossero nella forma, che si dice *dignum* indirizzate all'ordinario, ovvero al suo vicario, il quale per ciò ne fosse necessariamente l'esecutore, così nell'uno, come nell'altro caso, non essendovi legittimo contradittore, in modo che l'esecutore sia mero, parimente il vescovo, o altro prelato, ed il suo vicario, o altr'officiale, e suoi famigliari, servitori, ed attinenti, non possano, nè debbano esigere, e ricevere emolumento alcuno, in quell'istesso modo che di sopra si è detto ne' beneficii d'ordinaria collazione; ma il cancelliero possa per la copia, o registro delle lettere Apostoliche ed altri atti ricevere la mercede proporzionata alla fatica per la scrittura, purchè non ecceda in tutto uno scudo d'oro. Ed essendovi contradittore, sicchè convenga di far processo giudiziale, la mercede del cancelliero per la sua fatica si possa stendere a due scudi d'oro, e non più, senza che il vescovo, o vicario, o altro offiziale non possa esigere, e ricevere emolumento alcuno, mentre nelle cause ecclesiastiche, e spirituali, ordinano i sacri canoni, che non ostante qualsivoglia consuetudine, il giudizio si debba interporre *gratis*. E per il possesso si osservi quell'istesso, che si è detto di sopra ne' beneficii conferiti dal l'ordinario collatore.

« Nei beneficii del padronato, nascendo dubbio sopra l'esistenza del padronato con il procurator fiscale, ovvero col provisto, che ne pretenda la libertà, si debba in tutto, e per tutto osservar quell' istesso, che di sopra si è detto ne' beneficii di libera collazione col contradittore. Ma se convertendosi l' esistenza, sia la controversia tra compatroni, ovvero presentati da essi sopra la pertinenza, in tal caso si reputi come

Digitized by Google

causa civile profana, e per conseguenza si osservi la solita tassa di ciascuna curia, sino a tanto che si faccia l'altra tassa delle cause profane civili, criminali, e miste.

« Generalmente così nelle cappellanie manuali, come nelle nuove fondazioni, ed erezione de' beneficii, cappellanie, confraternità, congregazioni; ovvero fondazioni, benedizioni, consecrazioni, e respettivamente visite, ed approvazioni di chiese, e di oratorii, così con l'autorità apostolica, come con l'ordinaria, il vescovo, o altro prelato, e suo vicario, e qualunque officiale non possa esigere, e ricevere emolumento alcuno, ma solamente il cancelliero possa esigere quella mercede, che sia proporzionata alla sua fatica per la scrittura, purchè non possa eccedere in tutto uno scudo d'oro, ma sia meno, se minore sarà la fatica.

« Nelle cause e materie che riguardano il matrimonio ed i sponsali, così per l'esecuzione delle dispense apostoliche matrimoniali, come per la giustificazione dello stato libero, o che non vi sia canonico impedimento, ed anche per la dispensa delle pubblicazioni, o per la licenza di potersi contrarre in casa, o in altro luogo, o tempo insolito e proibito, o che si possa contrarre in presenza d'altri che del parroco, ed ogni altro atto, che occorresse fare, il vescovo, e il suo vicario, ed ogni altro officiale, o ministro, o famigliare, non possa sotto qualsivoglia pretesto, o colore, anche di mancia, e di volontario donativo esigere, o ricevere emolumento alcuno, nè in denaro, nè in altre cose, ma solamente il cancelliero possa esigere la mercede proporzionata alla fatica della scrittura, cioè nell'esecuzione delle dispense giulii tre, e per i testimoni sopra lo stato libero, o che non vi sia impedimento, un giulio per testimonio, purchè in tutto non si ecceda uno scudo di moneta Romana, cioè dieci giulii, ovvero il loro equivalente nella moneta del paese. Non comprendendosi le cause contenziose tra i coniugi sopra la validità del matrimonio, ovvero sopra la separazione del toro, stimandosi questa causa giudiziale profana, nella quale si osserverà la tassa di ciascun tribunale, sinchè si provveda.

« Generalmente in tutto quello che riguarda i monasterii delle monache, ed i conservatorii delle donne, le quali a guisa de' monasterii, e monache rispettivamente vivono ritirate, il vescovo, o altro prelato, il vicario così generale, come particolare, e qualunque altro officiale, o deputato, ed il cancelliero, ed anche i parenti, e i famigliari del vescovo, o prelato, e de' suoi officiali non possano esigere, e ricevere emolumento alcuno in danaro, e in altre cose, eccetto che quelle commestibili, che sieno proporzionate all'uso, e consumo proprio dentro tre giorni, anche con titolo di donativo per l'ammissione all'abito monastico, per l'approvazione del deposito della dote per la professione, per l'ammissione dell'educande, ed altre donne secolari, per le rinunzie che si fanno dalle novizie, per l'elezione dell'abbadessa, o altra superiora, o per le licenze de' medici, chirurgi, ed altri operai, per le licenze di parlare alle monache, ed altre che sono nel monastero, per la deputazione de' confessori, cappellani, procuratori, esattori, ed altri ministri, e generalmente per ogni atto che riguarda al governo, ma solamente il cancelliero per il rogito delle rinunzie, e per gli atti, che convenga fare sopra la giustificazione del deposito della dote, possa esigere la mercede proporzionata alla fatica della scrittura, purchè non ecceda in tutto giulii cinque moneta Romana, l'equivalente moneta del paese.

« Parimente per una regola generale da non soggiacere a limitazione alcuna, il vescovo, o altro prelato suo vicario generale, o particolare, cancelliere, e qualunque altro officiale, ministro, e famigliare, sotto nome di mancia, o volontario donativo, non potrà esigere, e ricevere emolumento alcuno, così in danaro, come qualunque altra cosa in tutto quello che riguarda l'amministrazione de' sacramenti, del battesimo, della cresima, della penitenza, dell'eucaristia, dell'estrema unzione, anche per l'esame, ed approvazione, o licenza d'amministrarli. Anzi s'incarica a' vescovi, e prelati, e loro vicarii, che non lo permettano a' curati, e a' confessori, ed altri ministri, e particolarmente nel prendere il piatto, e altro vase, nel quale sia riposto il vase dell'olio santo per l'estrema unzione, o del crisma nel battesimo, ovvero tovaglie, fazzoletti, ed altre cose, dichiarandosi tutto ciò illecito. Come anche a non chiedere, nè esigere cosa alcuna per la benedizione delle donne infantate, quando dopo il parto secondo il rito ecclesiastico per la prima volta entrano in chiesa.

« In quelle diocesi, nelle quali regna l'antica consuetudine, che il vescovo, o altro prelato, ed officiale faccia il testamento per l'anima di quelli quali muoiono *ab intestato* di quella somma moderata, nella quale secondo i decreti della sacra congregazione può esercitare tal facoltà, non possano esso, e suoi officiali, ministri, parenti, e famigliari partecipare in modo alcuno sotto qualsivoglia colore, o pretesto, anche di povertà, ma il tutto si debba effettivamente applicare ad usi, ed opere pie, nè per l'adempimento di tal disposizione si possano in modo alcuno impedire, e ritardare la sepoltura, e l'esequie, o funerale al defunto, dovendosi esercitare giuridicamente azioni sopra i beni ereditarii, e si debba osservare la lettera circolare della sag. congregazione de' vescovi sotto li 19 Agosto 1678.

« Come anche in modo alcuno non si possano impedire, o ritardare la sepoltura, e l'esequie, o funerali a' defunti, così cittadini, come forestieri per il pagamento di quegli emolumenti che dal vescovo, o dal capitolo, o dal curato, e qualunque altro per la consuetudine del paese si preten-

Digitized by Google

dono, ma parimente rimangano illese le azioni giuridiche ne' beni, sopra i quali si dovranno esercitare, senza che in modo alcuno si faccia represaglia al cadavere, ovvero che si diano molestie personali a' figli, e moglie, e parenti. E ancora non si possa esigere cosa alcuna per la licenza di trasportare i cadaveri, ovvero di sepelirli più in un luogo che nell'altro.

« Si dichiara ancora illecito ogni emolumento diretto, ed indiretto, e per conseguenza se ne proibisce al vescovo, o prelato, suo vicario, e cancelliero, e ogni altro ministro, o famigliare, ogni esazione sotto qualsivoglia pretesto, anche di mancia, o donativo nell'infrascritte cose, cioè :

« Per la licenza, o patente di predicare, così nella Quaresima, nell'Avvento, come in tutti gli altri tempi, e in qualsivoglia luogo.

« Per la licenza di lavorare nelle feste, anche per applicarsi ad usi pii, sicchè si dia onninamente *gratis*, e quanto alle contravenzioni d'aver lavorato, le pene tutte si applichino effettivamente ad opere, o luoghi pii, senza partecipazione alcuna benchè minima, eccetto che agli esecutori, e ministri inferiori, volgarmente sbirri, per la cattura si dia la mercede proporzionata alla diligenza, e fatica, purchè non ecceda tre giulii in tutto.

« Per la revisione de'conti de'luoghi pii.

« Per la recognizione, ed approvazione, e pubblicazione delle reliquie, delle indulgenze, ed altari privilegiati.

« Per le licenze di questuare.

« Per l'attestazione della povertà, o altro requisito, eccetto che il cancelliero possa esigere in tutto e per tutto un giulio di moneta romana, o l'equivalente.

« Per la licenza d'esser assente dalla residenza, e generalmente per le dimissorie che si sogliono concedere a quelli, i quali partono di casa per andar in altro paese.

« Per le monitoriali; per le revelazioni di scomuniche, così quando si diano da essa curia, ed ordinario, come quando si pubblicano le lettere Apostoliche, eccetto che il cancelliero possa per la mercede della scrittura esigere un giulio solamente.

« Per la dichiarazione dell'incorso nelle censure, per la percussione de'chierici, ed altre somiglianti cause, e per la loro assoluzione, eccetto che il cancelliero per la fatica della scrittura possa esigere giulii due, eccetto che nell'esecuzione de'Brevi della penitenziaria, nel qual caso per quel che appartiene all' assoluzione, nè anche il cancelliero possa esigere cosa aicuna.

« Per la facoltà d'esercitare i Pontificali.

« Per l'esecuzione de'brevi Apostolici, ovvero licenza della sacra congregazione nell'alienazione de'beni di chiesa, e luoghi pii, ovvero imposizione de' censi, solamente il cancelliero possa esigere la mercede proporzionata alla fatica della scrittura, purchè non ecceda in tutto giulii dieci di moneta romana, o suo equivalente, come anche per tutto quello che appartiene alla difesa dell'immunità ecclesiastica, così personale, come reale, e locale, e particolarmente di questa ultima non si possa in modo alcuno sotto qualsivoglia pretesto ricevere, ed esigere mercede, ovvero emolumento, ma il tutto si debba far *gratis*.

« Le pene, le multe e le composizioni si applichino per intiero ad uso de'luoghi pii, senza che il vescovo, o vicario, o suoi officiali direttamente, nè indirettamente ne abbiano partecipazione alcuna.

« Il sussidio caritativo in quelle diocesi, nelle quali sia solito esigersi, e non altrimenti, si esiga solamente per una volta nel primo ingresso del vescovo secondo la tassa solita antica d'anni 40 in dietro, sicchè non s'attenda il solito più moderno da detto tempo in giù, nè si possa più esigere sotto qualsivoglia pretesto, anche di volontario donativo.

« Quanto alla visita si osservino inviolabilmente il decreto del sagro concilio di Trento, e le dichiarazioni della sagra congregazione, e particolarmente da quelli, i quali concorrono alle spese de'cibarii, nè mediatamente, nè immediatamente si possano ricevere regali, e donativi, anche di cose commestibili. Ed ancora non si possa esigere emolumento alcuno per gli atti della visita, e decreti, e presentare di scritture, ovvero per le revisioni de'decreti delle visite antecedenti, e della loro osservanza, mentre da quelli, i quali sono visitati si ricevono le spese del vitto.

« Die prima octobris 1678, facta per me infrascriptum istarum resolutionum, seu declarationum relatione D. N. Innocentio XI, mediante illarum lectura de verbo ad verbum, Sanctitas Sua laudavit, approbavit ac servare mandavit, eorumque observantiam et publicationem injunxit sacræ congregationi Concilii.

« Jo. Baptista de Luca præfati SS. D. N Innocentii Papæ XI auditor et secretarius memorialium.

« Die 8 octobris 1678 sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini Interpretum, inhærendo mandatis Sanctitatis Suæ censuit, præmissam taxam, seu declarationes typis dandas esse, et per litteras circulares ad quoscunque locorum ordinarios transmittendas, ut eas in cancellaria in loco omnibus patenti retineri faciant, eadem adamussim observent ac faciant observari.

« F. Card. Columna Præfect.

« Loco † Sigilli.

« *S. archiepisc. Brancaccius episcop. Viterbiensis secret.* »

(2. Taxa Innocentiana non est nisi reassumptum ordinationum sacrorum canonum et sacrarum congregationum. Et ejus executrix est sacra congregatio Concilii privative quoad omnes. Sic ex ejusdem taxæ verbis cardinal. Petra tom. I, § 3, pag. 8, n. 22.

Digitized by Google

§3. *TASSA*

Per gli avvocati, e procuratori, che patrocinano le cause di beatificazione, e canonizzazione nella sagra congregazione de' Riti rinnovata, e stabilita dalla medesima sacra congregazione.

« 1. Per lo spoglio universale, che si fa *pro una vice tantum*, si osservi la tassa del 1658, al § 3, ove si dice, che non si possi dare più di scudi 4, per ogni centinaio di fogli di esso processo ridotto, cioè che il foglio sia di due facciate, e ciascheduna facciata sia di linee 24 e la linea di sillabe 16.

« 2. Per le scritture ne'due soli dubbii principali, cioè *super virtutibus, et miraculis*, si possino dare scudi 20, per ciascheduna, e non più.

« 3. Per le risposte ne'medesimi dubbii si possino dare scudi 10, e per tutte le altre scritture, che risguardano fatica considerabile in tutti gli altri dubbii, si possano dare scudi 15 per ciascheduna scrittura e non più.

« 4. Per le scritture d' introduzione delle cause nuove, e di reassunzione di quelle introdotte avanti i decreti del 1642 ad effetto di segnarsi nell'une, e nell'altre la commissione, si possano dare scudi 15 e non più.

« 5. Per le copie originali di tutte le scritture si paghino baiocchi 15 il foglio ridotti come sopra.

« 6. Per il sommario, che si farà sopra ciascun dubbio, si diano cinque baiocchi per carta dell' istesso sommario, che sarà fatto, ridotte le carte come sopra.

« 7. Per li memoriali di qualsivoglia sorte, o grandi, o piccoli che siano, non si diano più di giulii 12 per ciascheduno, eccettuate le scritture di reassunzione, o introduzione delle cause, quali sogliono andare sotto nome di memoriali, per li quali s' osservi ciò, che s' è disposto di sopra al n. 4.

« 8. Per la prima copia originale tanto delli sopraddetti sommarii, quanto de' memoriali si diano solo baiocchi sei la carta ridotta come sopra.

« 9. Per l'informazione in voce, quando s' informa tutta la congregazione con l'intervento de' consultori, non si diano più di scudi 30, tra il procuratore, e gli avvocati, quando s' informa la sola congregazione ordinaria, si dia la metà.

« 10. L' emolumento degli avvocati sia di scudi 10, per scrittura, e per l'informazione in voce sia il medesimo che si dà a'procuratori.

« 11. Per la minuta di qualsivoglia commissione non si paghi più di giulii 16 e per le due copie da darsi al sig. card. ponente ed al segretario, si paghi a ragione di baiocchi sei il foglio ridotto come sopra.

« 12. Per l'accesso del procuratore al sig. card. ponente, ed al promotore, e per la minuta, o copia originale del fatto concordato non si paghi piu di giulii 12.

« 13. Per l'informazione in voce di nostro Signore, e dell' auditore di S. Santità si diano al procuratore scudi 3 moneta, ed altrettanti all'avvocato, se informerà anch'esso.

« 14. Per le citazioni, ed intimazioni non si paghi cosa alcuna, e per l'esecuzione di esse si paghi a ragione dalle tasse de' cursori.

« 15. Le copie delle opposizioni del promotore, eccetto la prima originale, si faccino fare dalle parti, le quali fatte che saranno, doveranno portarle al promotore, che sigillate le darà alle medesime parti per distribuirle alli signori cardinali, protonotario, segretario e consultori.

« 16. Per qualsivoglia fatica, o scrittura non espresse di sopra, s'intenda l'arbitrio de' Signori cardinali prefetto della sacra congregazione, e ponente della causa, nè possino i curiali arbitrar de se medesimi.

« 17. E li suddetti ordini si debbano registrare ne' registri della sacra congregazione, e si debbano fare stampare, e pubblicare, e puntualmente osservare sotto pena di perpetua privazione del patrocinio, e sollecitazione delle cause vertenti nella detta congregazione, e sotto altre pene ad arbitrio della medesima sag. congregazione.

« Ai 15 ottobre 1678 avendo io infrascritto fatto relazione della presente tassa a nostro signore Innocenzio XI, la Santità Sua l' ha lodata, ed approvata, ed ha comandato che si osservi, e si pubblichi.

« Gio Battista de Luca,
auditore e segretario de'memoriali.
« Luogo † del Sigillo

« *Bernardino Casali segret. della sagra congregazione de' Riti.* »

§4. *ORDINI E TASSA*

Da osservarsi dal notaro della sacra congregazione de' Riti rinnovati, e stabiliti dalla medesima sagra congregazione.

« 1. S' ordina, che il notaro non faccia registri, se non degli atti giudiziarii, non dell' esame de' testimonii, o altro, e quelli siano senza estensione de'termini, o repetizioni de' titoli, eccetto che nel primo atto, quali registri debbansi onninamente fare in tutte le cause.

« 2. Che per ogni centinaio di fogli di registro ben fatto, e secondo la riforma della fell. mem. di Paolo V, sotto il titolo de' registri, non pigli più di quattro scudi, nè per collazionatura, nè per rubricatura, nè per qualsivoglia altro pretesto.

« 3. L'istanze de' principi, religioni, università, ed altri nelle cause di beatificazioni, e canonizzazioni dal segretario si consegnino al notaro, il quale le registri negli atti, non altrimenti per *extensum*, ma indicando solamente il nome del principe, o altri, che fa l'istanza, e la data della lettera, cioè : *Pro introductione causæ instant talis rex suis litteris datis die tali*, etc. *talis rex*, etc., in altra separata, o susseguente carta dopo gli atti fatti per l' introduzione della causa scriva : *Pro causæ prosecutione ad effectum obtinendi litteras remissionales in genere instant N. rex*, etc., e gli originali

Digitized by Google

si conservino nell' archivio, nè se ne dia l'estratto *de verbo ad verbum*, ma ogni volta, che sarà richiesto il notaro ne dovrà dare un ristretto da cavarsi dal detto registro, o manuale come sopra, e per esse copie paghi a ragione di copia, come si dirà al seguente numero 4, e per la fede di esse si dieno due giulii per ciascuna copia, delle quali una data all' eminentissimo signor cardinal Ponente, l' altra a monsignor secretario, e l' altra a monsignor promotore della fede.

« 4. Per la copia degli atti fatti in curia, o fuori di essa, in forma di buon originale, non si paghi più di baiocchi 7 e mezzo per foglio da tutte le due bande, la facciata sia di linee ventiquattro, e la linea di sillabe sedici, ed essendo scritta in forma di registro, si paghi a ragione di registro come sopra.

« 5. Per la copia pubblica di qualsivoglia processo, tanto fatto *auctoritate* ordinaria, quanto Apostolica, si paghino al notaro baiocchi sette e mezzo per foglio solamente, senz' alcun' altro emolumento, o mercede per detta copia, o scrittura, ed il foglio sia di facciate, linee e sillabe come al detto num. 4.

« 6. Tutti i registri, copie e scritture si debbano fare in carta buona, e lettera intelligibile, e secondo la riforma e ordini sopraddetti, altrimenti il notaro sarà tenuto farlo copiare di nuovo senz' altra spesa.

« 7. Che i processi che vengono *de partibus*, tanto fatti *auctoritate* ordinaria, quanto *auctoritate* Apostolica, non si registrino per conto alcuno, secondo la detta riforma, ancorchè non passassero 20 fogli, ma solo si possano rubricare, se non saranno rubricati, e non intieramente, nel qual caso si possa solo rubricare quello che manca, e non altro.

« 8. Per la rubricazione di qualsivoglia cosa, che n'abbia bisogno ridotto il processo a carte buone, conforme alla detta riforma, oltre detti baiocchi sette e mezzo per foglio per la scrittura, si paghino giulii dieci per cento, e tale rubricazione debba in sostanza contenere tutto quello che contiene il corpo della scrittura, e venendo processo, o altra scrittura, rubricata *de partibus*, non essendo intieramente rubricata, si paghi solamente quello che manca, come si è detto.

« 9. Per l' ascoltazione, o collazione dei processi, ogni volta che sia continuata a ragione di sei ore al giorno, non si paghi al notaro più di uno scudo al giorno, oltre li emolumenti suddetti e li aiutanti siano deputati dalle parti, dalle quali, se li paghi quel tanto che sarà convenuto, e per la fede dell' ascoltazione di tutto il processo si paghino giulii cinque per la prima copia solamente; e quando le parti volessero altre copie autentiche di detti processi, oltre la prima, non possa il notaro pretendere più di baiocchi cinque per foglio ridotto come sopra, compresovi la rubricatura, ma oltre detti baiocchi cinque per foglio se gli debba la mercede della collazionatura, ed ascoltazione come sopra, e per la fede di detta ascoltazione baiocchi venticinque per ciascuna di dette copie duplicate.

« 10. Per le compulsorie si paghino giulii dodici conforme prescrive la riforma suddetta di Paolo V, al tribunale dell' A. C.

« 11. Per le remissorie in genere anco *super non cultu*, *super casu excepto*, o altre, in osservanza, ed esecuzione dei decreti della santissima inquisizione, non si paghi più di scudi sei per quelle in specie, di scudi dieci in tutto, compresavi la scrittura, ed ogni altra cosa spettante alle medesime spedizioni. Nè per la scrittura degl' interrogatorii, che si mandano chiusi, prenda il notaro mercede alcuna, ma per gli articoli l' eccessività della scrittura sopra à quindici fogli se gli paghi a ragione di baiocchi sette e mezzo il foglio, come al n. 5, ed occorrendo di dette lettere darne duplicati, non debba il notaro per essi esigere altro, che la metà della mercede stabilita per la prima spedizione, ed essendovi eccessività di scrittura degli articoli come sopra, debba la detta eccessività pagarsi a ragione di baiocchi cinque il foglio.

« 12. Per compulsa di qualsivoglia scrittura fuori di officio, per l' accesso, e sessione di tre ore non possa pigliar più d' otto giulii. Per la fede in fin del processo compulsato cinque giulii, e per la scrittura a ragione di baiocchi sette e mezzo per foglio, come al num. 3. Dentro l' officio per ciascuna sessione di tre ore giulii cinque per la fede e scrittura come sopra.

« 13. Dovendosi compulsare libri stampati dandosi dalle parti un sunto, sia tenuto il notaro inserirlo in fine del processo senza farne copia, o registro di sorte veruna.

« 14. Per ogni esame dell' officio, se finisce in una sessione, si paghino giulii tre; se vi vogliono più sessioni, finchè si finisce l' esame di detto testimonio, non possa il notaro pretendere più di giulii due per sessione, e fuori dell' officio il doppio.

« 15. Per le surrogazioni de' giudici, o nuovi termini nelle cause di beatificazioni, e canonizzazioni non se gli paghi più di quindici giulii in tutto, per ciascuna spedizione di lettere remissoriali, compulsoriali, proroghe di termini, e surrogazioni di giudici da farsi solamente per comandamento degli eminentissimi sig. cardinali, prefetto della sag. congregazione, o Ponente nelle cause controverse, non si paghi più di quello che prescrive la riforma suddetta al tribunale dell'A. C.

« 16. Per qualsivoglia citazione semplice da sperdirsi solamente, come sopra, e da eseguirsi fuori di Roma, non si paghi più di giulii tre, e per quelle che si spediscono con le inibizioni in virtù delle commissioni, giulii dieci.

« 17. Per il duplicato di qualsivoglia scrittura pubblica o privata, con sottoscri-

Digitized by Google

zione, sigillo ecc. o senza, non si debba pagare più di cinque baiocchi per foglio.

« 18. Occorrendo dar altra scrittura, o far altre fatiche non espresse nella presente tassa, l' emolumento si stabilisca dal eminentissimo sig. card. prefetto, nè possa il notaro prendere alcun' altro emolumento, ancorchè concorra la medesima, o maggior ragione delle mercedi espresse.

« 19. Che nei processi delle beatificazioni, e canonizzazioni s'osservi puntualmente per le commissioni remissorie, compulsorie, articoli interrogatorii, ed altro, la forma prescritta nei decreti, e norma di fare detti processi pubblicati d'ordine della san. mem. d' Urbano VIII, l'anno 1631, ed ora confermati da nostro Signore coll' aggiunte, che si sono fatte.

« 20. Che il notaro debba ritenere il libro *Receptorum*, e fedelmente in esso notare quanto gli entra in mano de' suoi emolumenti, sotto pena della privazione dell' officio.

« 21. Che si faccino due manuali, cioè uno degli atti delle cause di beatificazioni e canonizzazioni, e l' altro degli atti delle cause controverse, nelle quali si registrino tutte le comparse, proteste, citazioni, ed intimazioni con le sue intitolazioni, quali restino sempre nell' officio, nè per questi si paghi cosa alcuna, e possano sempre da tutti gli interessati esser veduti, e letti *gratis*, ed il notaro sia sempre obbligato mostrarli.

« 22. Non possa il notaro estrarre fuori d'officio i processi originali, o qualsivoglia altra scrittura prodotta, ma debba darne copia pubblica, o semplice, secondo che le parti chiederanno.

« 23. Per la restituzione di qualsivoglia scrittura prodotta, *dimissa copia*, si diano tre giulii, e debba il notaro far buoni due fogli, e dalle due in sù gli si paghi a ragione di sette baiocchi e mezzo, come sopra al. n. 4; ma se si restituiscono in una volta più scritture prodotte in un sol atto, si debbano solamente tre giulii e di più l'eccessività della copia come sopra.

« 24. Che volendo le parti veder processi, o qualsivoglia altra scrittura originale dentro l'officio, sia il notaro tenuto lasciarli vedere senza mercede alcuna.

« 25. Sappino le parti, che nella segreteria della sacra congregazione tutto si spedisce *gratis*, nè perciò debbano al notaro per sigillo, scrittura, sottoscrizione, o qualunque altra cosa, che si faccia in segreteria, emolumento, o mercede alcuna.

« 26. Che non possa pretendere il notaro per il vintico cosa alcuna nell' andare a leggere citazioni.

« 27. Che il notaro debba dare il giuramento in sacra congregazione d' osservare la presente tassa, ed ordini nella forma seguente :

« Ego N. notarius a sacra congregat. specialiter deputatus in causis ejusdem sacræ congregationis, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, juro et promitto fideliter exercere officium mihi concessum, et ad unguem observare supradictam taxam, sub pœna perjurii, privationis officii ipso facto incurren. et restitutionis contra dictam taxam habitorum et acceptorum, aliisque pœnis arbitrio ipsius sac. congreg.

« 28. Che si faccino stampare li presenti ordini e tassa, ed il notaro debba tenerli pubblicamente affissi nell' officio, affinchè a ciascuno possano apparire, ed il tutto sia obbligato ad osservare tanto nelle cause di beatificazioni, e canonizzazioni, quanto rispettivamente in quelle de' sagri riti, sotto le pene contenute nel detto giuramento, dandosi facoltà di ricorrere ad ognuno, che si sentisse gravato, e vedesse non osservarsi quanto è espresso di sopra, perchè vi si prenderà la debita provisione.

« Dato in Roma li 6 Agosto 1678.

« Ai 15 Ottobre 1678 avendo io infrascritto fatta relazione della suddetta tassa a N. S. P. Innocenzo XI, con la sua intiera lettura, la Santità Sua l' ha lodata ed approvata ; ed ha comandato, che si osservi, e si pubblichi.

« Gio. Battista de Luca, *auditore e segretario de Memoriali.*

« Luogo ✠ del Sigillo

« *Bernardino Casali, segret. della sac. congr. de' Riti.* »

(5. Taxa facta a laicis non afficit ecclesiasticos ; sic pluries decrevit sac. congr. Immun. et signanter *in Melevitana* 1 Dec. 1648, lib. IV *Decr.* Paul., pag. 18, ibi : « Edictum taxæ super pretio frumenti editum a curia Magni Magistri afficere non potest ecclesiasticos, sed si concurrat publicum bonum, injungi potest episcopo, ut pro ecclesiasticis publicet edictum simile, non tamen relative ad edictum laicum. » *Et in Aprutina* 1 Aprilis 1695 lib. I *Decret.* Vallem., pag. 180, ibi : « Taxæ edicto regis impositæ ex causa monetæ novæ non comprehendunt ecclesiasticos, et injungit D. Nuntio, ut tueatur Immunitatem ecclesiasticam. »

(6. Capitulum cathedralis non potest ad suum libitum pro ratione personarum taxare emolumenta funerum, neque funeri interesse non vocatum. Sacr. congr. Concilii, in *Materanen.*, *loco Grottulæ*, in qua propositis dubiis : « I. An attenta consuetudine, cujus vigore capitulum expensas funerum pro ratione personarum defunctorum taxare solet, sit locus certam ac perpetuam taxam pro funeribus quibuscunque præscribendi. II. An capitulum, quamvis non vocatum, possit invitis hæredibus, lucrandi stipendii causa, funeribus interesse? » Dicta sacra congregatio die 13 Novembr. 1660, secundum ea, quæ narrantur, respondit : « Ad I. Non licere capitulo taxam ad suum libitum facere et archiepiscopo injungendum, ut ipse, auditis partibus, taxam conficiat, eamque sacræ congregationi probandam transmittat. Ad II. Non posse. » Et id confirmatum fuit

Digitized by Google

in *Lavellen.*, in qua, die 16 Junii 1668, ead. sacra congregatio Concil., audita relatione episcopi Lavellen. inhærendo declarationi ejusdem sacræ congregationis, sub die 13 Novemb. 1660 emanatæ, censuit « non posse funeralibus, invitis hæredibus, interesse, nec licite taxam ad suum libitum facere, sed eidem episcopo injungendum, prout injungit, ut, auditis partibus, taxam conficiat, eamque sacr. congr. probandam transmittat. »

(7. Taxam ab episcopo statutam in scutis sex pro constructione sepulcri in ecclesia esse augendam arbitrio eminentissimi præfecti, respondit sacra congregatio Concil., in *Spoletana*, Sepulcrorum 24 Augusti 1709.

(8. Taxam seminario solvere tenentur parochi, beneficiati, confraternitates cæterique omnes in taxa facta de anno 1653 per clar. mem. cardinalem Rapacciolum episcopum, et cogendi sunt pro terminis decursis et decurrendis, quacunque appellatione suspensiva, et quibuscunque inhibitionibus Urbis non obstantibus. Sacr. congr. Concil., in *Interamn.*, Taxæ Seminarii 11 Maii 1720.

(9. Taxa Innocentiana prohibet parochis, confessoribus aliisque ministris accipere discum, aut aliud vas, in quo oleum sanctum fuit repositum pro extrema unctione ministranda. Sacr. congr. Concil., in *Senogallien.*, 23 Maii 1710, ad 2, ubi quod neque a sponte dantibus accipi potest, et in *Albanen.*, 20 Januarii 1723.

(10. Taxæ seminarii est subjectum beneficium B. M. V. erectum in cathedrali Veliterna, ac per Sixtum V unitum collegio S. Bonaventuræ Urbis. Sacr. congr. Concil., in *Veliterna*, Taxæ seminarii 12 Apr. 1723.

(11. Taxa ceræ adhibendæ ab hæredibus circa cadavera defunctorum statuenda, et ab ordinario, auditis interesse habentibus, transmittenda est ad sacram congregationem. Sacr. congr. Concil., in *Nullius seu Montis Cassini* 26 Januar. 1726 ad 8.

(12. Taxa Innocentiana servanda est in omnibus curiis, etiam extra Italiam. Unde sacr. congreg. Concil., in *Vasionen.* Taxarum synodalium, quæ præscripta erant contra dictam taxam Innocentianam ad dubium : « An taxæ præscriptæ in synodo diœcesana Vasionen. sint observandæ, et exsecutioni mandandæ in casu, etc., sub die 6 Februar. 1734. Respondit *Negative*, et amplius.

(13. Taxa cathedratici quæ et a quibus sit observanda ac solvenda, ostenditur in sequentibus sacr. congregationis resolutionibus. In congregatione particulari supra cathedraticis pridem a sanctissimo D. N. deputata, quatuor ad instantiam fiscalis curiæ archiepiscopalis Firmanæ die 29 Apr. 1731, contra collegiatam Murri Vallis, propositis dubiis, nempe : « I. An beneficia, quæ sunt ad collationem capituli Firmani, præter solutionem census, quam ei facere solent, teneantur etiam solvere cathedraticum reverendissimo archiepiscopo ? II. An capella et confraternitates laicales teneantur solvere cathedraticum ? III. An cathedraticum jam in certa summa taxatum et solvi consuetum potuerit augeri ? IV. An augmentum hactenus exactum veniat restituendum ? » Responsum fuit : « Ad I. *Affirmative.* Ad II. Capellanias et confraternitates laicales non teneri. Ad III. *Negative.* Ad IV. *Affirmative.* » Quatuor etiam aliis propositis contra collegiatam S. Elpidii, nimirum : « I. An capitulares et beneficiati S. Elpidii, quatenus habeant præbendas distinctas a massa communi, teneantur solvere cathedraticum pro qualibet eorum præbenda ultra cathedraticum in communi ? II. An antiqua seu potius nova taxa cathedratici etiam quoad beneficia extra gremium dictæ collegiatæ, et loca pia dictæ Terræ sit exsequenda ? III. An beneficia et loca pia de præterito non taxata pro cathedratico teneantur in posterum illud solvere : et ad cujus taxæ rationem ? IV. An constet de attentatis ? » Responsum fuit : « Ad I. *Negative.* Ad II. Antiquam taxam esse servandam. Ad III. Ad mentem, *quæ fuit*, ut servetur dispositio concilii Romani. Ad IV. *Negative.* » Ac deinde reproposita causa die 5 Octobris ejusdem anni 1731 rescriptum fuit : « In decisis in omnibus, et amplius. » Et tandem in dicta cathedratici, die 24 Julii 1734 propositis hisce tribus dubiis : « I. An beneficia, quorum reditus non excedunt annua scuta 15 deductis oneribus, teneantur solvere cathedraticum, et in qua summa in casu ? II. An confraternitates erectæ auctoritate ordinaria, et habentes propriam ecclesiam teneantur solvere cathedraticum in casu ? III. An ad solutionem cathedratici teneantur etiam confraternitates non habentes propriam ecclesiam, sed simplicem tantum capellam in honorem sanctorum, sub quorum titulo sunt erectæ in casu ? » Responsum fuit : « Ad I et II. *Affirmative.* Ad III. *Negative*, et amplius. »

(14. Taxa Innocentiana est omnino servanda. Propositis enim inter alia duobus sequentibus dubiis : « XII. An constet de inobservantia taxæ Innocentianæ in Curia episcopali Alexani quoad collationem beneficiorum, ordinum et exsecutionem dispensationum matrimonialium et quatenus *affirmative.* XIII. An et quas pœnas incurrerint episcopus, ejusque officiales in casu, » etc. Sacra congregatio Concilii in *Alexanen.*, die 1 Septembr. 1742 respondit, ad XII et XIII : « Episcopus sedulo invigilet, ut taxa Innocentiana omnino servetur ; et quoad præteritum consulat conscientiæ suæ. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(15. Possunt episcopi taxare stipendium, pro missis tum in synodo, tum extra synodum. Amostaz., *De causis piis*, lib. II, cap. 4, num. 6 et seq. ; Romaguer., ad *Constit. synod. Gerund.*, lib. III, tit. 17, cap. 18, n. 6 et plur. seq.

(16. Nota tamen quod non possunt episcopi stipendium taxare *negative*, ut nec sit majus, nec minus, et ita ut libere non dari possit in quacunque quantitate, et libere in quacunque quantitate recipi. Passerin., *De stat. homin.*, quæst. 187, art. 4, a n. 39, et

Digitized by Google

maxime n. 397; Giballin., *De Simon.*, q. 17, consect. 7, n. 5.

(17. In taxando vero hoc stipendio attendendæ sunt circumstantiæ loci, et temporis, et qualitatis missarum, cum majus stipendium sit taxandum pro una missa, quam pro alia, nempe pro solemni ac cantata, quam pro non solemni. Confer præter allegatos Cortiad., dec. 244, n. 13, part. IV.

(18. Taxato ab episcopo stipendio, tenentur ad illud etiam laici, ita ut in foro possint conveniri. Tancredin., consult. 59, n. 24; Romaguer., ad *Constit. synod. Gerund.*, lib. III, tit. 17, c. 18, n. 10.

(19. A potestate sæculari taxari minime potest hoc stipendium. Amostaz., *De causis piis*, lib. II, cap. 4, n. 13; Cortiad., decis. 244, n. 13, part. IV.

(20. Num pro exsequiis et sepulturis sint debita aliqua emolumenta, possintque ea taxari ab episcopo, *vide* Romaguer., ad *Synod. Gerund.*, lib. III, tit. 19, cap. 4, n. 48,

ubi an taxæ huic stare teneantur laici ac clerici, pariterque regulares exempti.

RESPONSIO AUCTORIS.

(21. Circa ea quæ hic adducuntur præsertim n. 16 recolenda sunt, quæ jam tradidi ego in verb. ELEEMOSYNA, n. 65, nempe: « Eleemosyna pro unaquaque missa manuali non potest tradi minor uno julio. » Sic expresse statutum est de mandato Clementis XI, die 23 Decembris 1706, ut patet in ejus speciali *Bullario*, edicto XII. Et sic etiam statuit sacr. congr. conc. 18 Aprilis 1726. Unde episcopus statuere potest, ne sacerdotes recipiant quid minus eleemosyna taxata. Sacr. congr. Concil., in *S. Severini eleemosynæ missarum* 16 Julii 1697, et in *Alexanen.*, 26 Januarii 1743. Et ita habetur etiam in Notificatione super eleemosyna missæ edita a card. Lambertino, deinde Benedicto XIV, qui insuper plurima tradit ad rem in suo egregio Opere *De synodo diœces.*, lib. V, cap. 8, 9, et lib. XIII, cap. 25, merito ibi videnda et observanda.

TE DEUM LAUDAMUS.

CANTICUM.

(1. Magna de hujus cantici auctore controversia est. Plerique, qui ad sæculum XVI scripsere, canticum hocce a S. Ambrosio cum Augustino, in hujus baptismo decantatum fuisse statuerunt. Verum id deinde magnæ auctoritatis scriptores negarunt. Ita Gavantus in recentiori Merati editione, t. II, parte I *Ad Rubricas Brev.*, sect. 5, cap. 19, ad rubric. 31, p. 362, in *Tex.*; Gavanti, n. 1, ubi censet esse solius Ambrosii, qui plurimos hymnos composuit. Accedit Merati in novis Dissertationibus, Observationibus, inquam, p. 363, a n. 1, qui n. 3, p. 374, suspicatur potius esse vel S. Hilarii Arelatensis, vel alicujus monachi Lirinensis. Petrus Puricellus in *Dissertatione Nazariana*, cap. 69, n. 7 et 8, putat esse solius S. Ambrosii, quod etiam vult Martene ad cap. 2 *Regulæ S. Benedicti*, et ad eamdem Regulam ibi Petrus Boerius et Thobias Lhoner, in *Instruct. practica de officio divino*, part. II, tit. 1, § 11. Hugo Menardus in Notis ad unctionem regum Francorum, tom. III Operum S. Gregorii, edit. Paris., pag. 585, nota 1083, negat compositum et decantatum in baptismo S. Augustini; de auctore nil definit, quod idem faciunt Paulus Bosca in Martyrologio ecclesiastico Mediolan. ad diem 14 Januarii in S. Datio. Mabillonius, tom. I *Analector.* et in Dissertatione *De azymo*, cap. 6, asserit rem esse dubiam, nec constare an sit illorum SS. doctorum. Grancolas, Comment. in *Breviar.*, lib. I, cap. 33; Muratorius, tom. IV, in Præfatione ad *Histor. Landulphi senioris*, De scriptoribus rerum Italicarum; Raynaudus, tom. XI tract. *De bonis ac malis libris*, partitione 1, erotemate 10, n. 189, pag. 270, et Cangius in *Glossario*, verbo *Hymnus Te Deum*, cum plurimis aliis negant referendum ad Ambrosium et Augustinum; sed cujus sit non statuunt. Card. Bona, lib. *De divina psalmodia*, cap. 16, § 12, n. 3, innuit ab aliquibus tributum cuidam Sisebuto monacho, sed ipse id rejicit; at hanc opinionem secutus est Natalis Alexander, tom. IV *Histor.* ad sæcul. IV, cap. 6, art. 27, n. 12, pag. 161, edit. Lucensis, sed illud rejicit Merati *loco supracitato*, n. 3, p. 373.

(2. Luculentam de hac controversia disputationem a doctissimo P. Fabio Davretta conscriptam edidit Romæ 1751. Cl. Emmanuel Azevedo in dec. suarum *Exercitationum Liturgicarum*, p. 190 seqq. Aliqua ex ea promemus.

(3. Ac primum in hujus cantici antiquitatem § 11 inquirit auctor (93): « Nullus, inquit, quod sciam, ante S. Cæsarium Arelatensem, hujus cantici mentionem fecit. » Hic sectator institutorum monachorum Lirinensium, ut tradit Cyprianus, scriptor ejus *Vitæ*, lib. I, cap. 4 et 5, episcopatum suscepit circa annum 600, et obiisse creditur 643 ex Labbeo ad Bellarminum, *De scriptor. ecclesiast.* Ejus nepos Tetradius, vel Tetridius (seu Teridius apud Cæreum) ex ore ejusdem regulam suscepit monachorum circa initium VI sæculi, de qua Hugo Menardus in *Concordia regularum S. Benedicti Ananiæ abb.*, pag. 59. In hac Regula, quæ habetur in codice Holsteniano regularum SS. PP., part. II, pag. 93, n. 21, præscribitur qualibet Dominica ad matutinas preces recitandum canticum *Te Deum*; eadem regula habetur n. 2, tom. XV *Biblioth.* edit. Paris.

(4. S. Benedictus post S. Cæsarium (94), idem canticum inseruit officio monastico ad finem matutini, ut patet ex ejus *Regula*, cap.

(93) An. 504.

(94) An. 540.

Digitized by Google

11, ut in cod. Regul. Holstenii, et etiam in *Concordia S. Benedicti Ananiæ abbatis* cap. 23, in Append. 3, pag. 348. S. Benedictus, Pater monachorum Occidentis, natus creditur anno 480, defunctus circa 543. Lege Præfationem Mabillonii ad I tom. *Acta SS. Ordinis Benedictini*, num. 3, 26, 41, 59, suam regulam tradidit S. Mauro proficiscenti in Gallias circa annum 541, unde credimus eam scriptam anno 540.

(5. *Officium Mozarabum* laudatum fuit (95) et traditum recitandum toti Hispaniæ in concilio Toletano IV cui præfuit anno 633 S. Isidorus Hispalensis, ut tradit Roblesius in *Vita card. Thomasii* pag. 117. At in eo officio præscribitur dicendum canticum *Te Deum* ad primam, ut ex eodem Roblesio, cap. 25, *loco cit.*,.apud Blanchinum, p. 119. Cumque S. Isidorus non credatur auctor, sed instaurator illius officii, patet canticum istud fuisse in usu apud Hispanos initio sæculi VII.

(6. Sed ejusdem mentio est apud scriptorem anonymum (96) monachum quemdam monasterii S. Germani Parisiensis episcopi sub duce Pippino, qui deinde anno 752 regnum Galliæ suscepit. Scriptor hic tanquam sibi narratam a Carolo Magno scribit eam translationis historiam, facta utique ante annum 762. Et sic loquitur apud Surium in VII tomo ad diem 25 Julii, pag. 596 paulo post medium : « Viso autem tanto miraculo, tam episcopi quam reliqui clerici, quam magna poterant voce, *Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur*, præcedentes sanctum Feretrum, jubilare cœperunt. » Eadem leguntur apud Bollandianos tom. VI Maii, pag. 789 in fine, n. 5.

(7. Amalarius Fortunatus episc. Trevirensis (97), qui floruit circa annum 810, in sua Præfat. seu Prologo ad Antiphonarium, pag. 223, col. 1, apud Hittorpium de divinis officiis testatur in Ecclesia Romana decantatum fuisse hymnum hunc ad matutinas preces.

(8. Smaragdus abbas, in celeberrimo *commentario in Regulas S. Benedicti*, ad c. 2 (98), vocat *hymnum hunc Ambrosianum*. Et hic primus est ex scriptoribus, qui indicium aliquod dederit auctoris, cui referatur hic hymnus, quod profecto non est contemnendum.

(9. Verum, cæteris omissis, audiamus Landulphum Seniorem, qui sæculo X historiam scripsit a Muratorio vulgatam tom. IV *Scriptor. rer. Ital.* Is ergo lib. I, cap. 9, ait: « Eodem tempore contigit, ut quidam sapiens, tamen errore Manichæorum seductus, nomine Augustinus, argumentis dialecticæ armatus, et postea Dei fidelis et catholicus vivens episcopus, cum in Ecclesia Hyemali non orationis curiositate, neque secundum causam utilem vivendi et audiendi Domini mysteria, sed reprehendendi gratia B. Ambrosium de incarnatione Domini ad populum invenisset tractantem et prædicantem : oblitus sui et suorum omnium cogitationum, pallens et tremens omnibus qui erant, et videntibus obriguit. Quin etiam, finita admonitione, quam ad populum B. Ambrosius ministrabat, privatim ad eum Augustinus pervenit. At B. Ambrosius cogitans ejus scientiam, patefactaque ejus disciplina, quid in arte valeret, qualiter in fide catholica dissentiret, et per Spiritum sanctum cognoscens, qualiter fidelis et catholicus futurus esset, placidissime et multum charitative suscepit, etc. Tandem nutu divino non post multos dies, sicut multis videntibus et sibi consentientibus palam observaverat, sic in fontibus, qui beato Joanni ascribuntur, Deo opitulante, a beato Ambrosio, cunctis fidelibus hujus urbis astantibus et videntibus, in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis baptizatus et confirmatus est. In quibus fontibus, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis : *Te Deum laudamus* decantantes, cunctis quæ aderant audientibus et videntibus, simulque mirantibus, in posteris ediderunt, quod ab universa Ecclesia Catholica usque hodie tenetur et religiose decantatur, » etc.

(10. Scriptoribus, qui cantici meminerunt, addimus mss. codices, qui illud exhibent cum ascripto auctoris nomine. *Hymnus ad Matut. diebus Dominicis, quem S. Ambrosius et Augustinus condiderunt.* Ita alter Vaticanus n. 98. *Hymnus quem S. Ambrosius et S. Augustinus invicem condiderunt.* Ita codex Psalterii Palatinus n. 39, quem Carolus Magnus anno 772, Adriano I Summo Pontifici dono misit, qui postea ab Adriano eodem S. Willehado primo ecclesiæ Bremensis episcopo de anno 778 donatus, in eadem ecclesia per octo et amplius sæcula asservatus, nunc custoditur in Bibliotheca Cæsarea, teste Lambeccio ad eamdem Bibliothecam lib. II, cap. 5, pag. 294, post numerum 130, et notavit Merati ad Gavantum, tom. II, part. I, pag. 396, column. 2, et Mabillonius in *Dissert. de azymo*, cap. 6.

(11. *Hymnus S. Ambrosii.* Ita duo codices Bibliothecæ Casinensis n. 430, 555, quod Merati ad Gavantum tom. II, part. I, pag. 371, n. 11.

(12. *Hymnus S. Abundii.* Ita in breviario antiquissimo collegii Aniciani de urbe, de quo meminit Gavantus ad *Rubricas breviarii*, sect. 5, cap. 19, n. 1. Putat Thomasius citatus, legendum *S. Ambrosii.*

(13. *Hymnus S. Hilarii Pictaviensis.* Ita epistola Abbonis Floriacensis monachi, qui floruit circa annum 970. Fragmentum hujus epistolæ, in quo id pro comperto asseritur, dant Maurini Patres in præfatione ad opera S. Hilarii, § 3, n. 21. Meminit etiam Vezzosi, in nota 6, pag. 345, tom. II operum card. Thomasii, et Natalis Alexander, tom. IV *Histor.*, pag. 161.

(14. *Hymnus S. Sisebuti.* Ita codex Basilicæ Vaticanæ n. 11, apud Thomasium, et

(95) An. 600.
(96) An. 752.
(97) An. 810.
(98) An. 816.

Digitized by Google

Bonam, *De divina psalmodia*, cap. 16, § 12, n. 3. *Hymnus Sisibuti monachi.* Ita in breviario Casinensi scripto sub Paschali II (id est intra annos 1099 et 1118) asservato in Bibliotheca Oratorii domini Jesu Parisiis ex Cangio, verbo *Hymnus Te Deum*, et apud Natalem Alexandrum, tom. IV, ad sæculum IV, cap. 6, art. 27, n. 12, pag. 161, et Meratum in *Commentario* ad Gavantum tom. II, part. I, pag. 373, n. 3.

(15. *Hymnus Nicetæ.* Ita Psalterium Gallicanum apud Jacobum Usserium Armacanum in tractatu *De Symbol. com. Ecclesiæ;* et Meratum, pag. 373, columna 2 in fine.

(16. Quod ad me attinet, statuo hymnum hunc non esse tribuendum *Nicetæ*, vel *Sisibuto monacho*, ut fecit Natalis Alexander supracit. § 1. Nam de his auctoribus altum silentium omnibus antiquis, et fides unius vel alterius codicis tanti non est, præcipue si nullo alio fulciatur adminiculo, ut movere nos debeat ad statuendum de re adeo incerta. Præterea si Sisibutus iste sit monachus Benedictinus, asserfum hujusmodi quo auctor hujus hymni propugnatur, sine manifesto anachronismo sustineri non potest, cum ante exortum Benedictini ordinis hymnus ille legatur apud S. Cæsarium Arelatensem.

(17. Statuo secundo, ex nullo positivo fundamento constare esse S. Hilarii Arelatensis vel alicujus monachi Lirinensis: contra opinionem, quam suspicando proponit Meratus ad Gavantum tom. II, part. I, pag. 374, n. 3. Nam ubi mentio in codicibus, vel apud scriptores hujus Hilarii, dum agitur de hoc hymno? Circa monachos Lirinenses, quamvis non abnuerim apud eos in divina psalmodia usum fuisse hujus hymni tempore S. Cæsarii Arelatensis, qui eorumdem instituta sectabatur, quique illius hymni meminit in sua Regula data Tetridio, undenam colligere licet hymnum hunc exordium habuisse inter septa hujus monasterii, et non potius alibi jam usurpatum transiisse in consuetudinem etiam illius monasterii? In codicibus etiam sæpe vocatur *hymnus sanctorum Patrum*, quod nomen non facile dixerim convenire hymno, cujus auctor fuerit unus vel alter privatus monachus, cum præcipue sciamus, antiquis temporibus non quæcunque privati scriptoris, sed selecta tantum vel ex sacris Scripturis vel ex celeberrimis sanctorum virorum scriptis divinæ psalmodiæ inserta fuisse.

(18. Statuo tertio, multo minus illum tribuendum esse *Nicetæ*, cum hujus asserti nulla sit probabilis, imo nec levissima conjectura; testimonium autem unius codicis nihil probat, cui perspecta sit amanuensium licentia, qua etiam dissimulata, potuit contingere, quod ecclesiæ alicui, in qua forte moris non fuerat prædictum hymnum decantare, primum Nicetas ille decantendum attulerit aliunde, vel præscripserit, ex quo, Nicetæ eidem in codicibus deinde illius Ecclesiæ attributus fuerit.

(19. Statuo quarto, hymnum hunc primo non fuisse exaratum, nec alterno divino quodam æstro ex tempore decantatum, occasione baptismatis, a SS. Ambrosio et Augustino, ut asserit communis recentiorum sententia: at redditum ab Augustino, qui illi jam catechumenus assueverat, modulante etiam Ambrosio solemniter cum toto populo, facile et libenter credo. Primæ negativæ hujus asserti parti suffragantur graves scriptores, quos dedimus in § 1, et id solum nobis hic superest, nostram fundamentalem rationem afferre, cur eisdem subscribamus. Cum res ista, contrariis hinc inde rationibus, in contrarias partes a scriptoribus trahatur; facto proprio standum potius est testi omni exceptione majori de se scribenti, quam aliis monumentis incertis, si præsertim deprompta sint ex scriptoribus longe posterioribus. Regulæ huic æquissimæ critices, nemo, puto, refragabitur, cum ea etiam decantata sit in omnibus tribunalibus. At de suo baptismo ita scribit Augustinus ubique, et nullo modo credibile sit intervenisse eas circumstantias, quas assumit prædicta sententia pro eo hymno improviso instinctu decantato ab eodem Augustino et Ambrosio, igitur prudenter ab ea recedendum est.

(20. Patroni igitur vulgaris sententiæ credunt Augustinum crebris et captiosis quæstionibus defatigantem Ambrosium; dum eum primo audivit sermocinantem de incarnatione Domini, ita subito ejus oratione perculsum, ut tremens et pallens, vidente populo, obriguerit, admissum deinde in Ambrosii familiaritatem, post paucos dies solemniter baptizatum, ac subito impetu una cum Ambrosio alternatim prædictum hymnum cecinisse; ex quo deinde ille in morem universæ Ecclesiæ transierit. Ita rem narrat sermo 92 Ambrosio tributus, quique inscribitur *De Augustini baptismo;* et Landulphus Senior, sub nomine Datii Mediolanensis, cujus verba dedimus supra § 2, sub anno 1090. At narrationem istam fabulis scatere redarguit ipsemet Augustinus testis omni exceptione major in facto proprio. Et primo Augustinum defatigasse Ambrosium salebrosis quæstionibus, cum primum Mediolanum advenit, omnino opponitur ei quod ipse narrat lib. *Confessionum* V, cap. 13, ubi et privata affabilitate Ambrosii, et ejus in dicendo dulcedine se captum asserit, et sensim per ejus verba, quibus in principio solum attendebat, illapsas ejus animo sententias in favorem Christianæ religionis diserte confirmat cap. 11. Igitur ad fidem paulatim traductus est, non contentiose disputando, sed magna cum voluptate audiendo disserentem Ambrosium, et solventem ænigmata Scripturarum. Nullibi autem est illi mentio de sermone illo Incarnationis, quo audito, subito obriguerit, spectante populo, et fidem susceperit. Amorem Ambrosii erga Augustinum et ejus matrem Monicam, habes lib. VI *Confess.* cap. 1 et 2. Ex cap. vero 3 discimus Augustinum nullas privatas disputationes adeo cum Ambrosio habuisse, ut vix pauris-

Digitized by Google

sime potuerit ejus colloquio perfrui, illique animi sui fluctuationes exponere; ibi enim sic scribit : « Non enim quærere ab Ambrosio poteram, quod volebam, sicut volebam, secludentibus me ab ejus aure atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat. » Et paulo inferius n. 3 : « Sed certe mihi nulla dabatur copia sciscitandi, quæ cupiebam, de tam sancto oraculo doctoris illius, nisi cum aliquid breviter esset audiendum; æstus autem illi mei otiosum eum valde, cui refunderentur, requirebant, nec unquam inveniebant. Et eum quidem in populo verbum veritatis recte tractantem omni die Dominico audiebam; et magis magisque mihi confirmabat omnes versutarum calumniarum modos, quos illi deceptores nostri adversus divinos libros innectebant, posse dissolvi. » Ubi hic privatæ disputationes cum Ambrosio locum habere possunt, juxta supposititium sermonem ejusdem? Ubi primus (juxta relationem Landulphi sub Datii nomine) ab Augustino sermo de Incarnatione auditus in Ecclesia, in eoque subita animi mutatione et corporis rigore ad fidem statim traductus? Si post toties auditum Ambrosium emersit ex erroribus Manichæorum, et ut ipse fassus est matri suæ interea advenienti Mediolanum, ita illos respuit, ut nec Manichæus, nec Christianus esset, sicuti expresse narrat lib. VI, cap. 1, sed aliam sectam declinaret academicorum dubitando de omnibus, ut in lib. V, cap. ultim.

(21. At secundo Landulphiana narratio fallitur, ut eo quod asserit statim conversum ad fidem Augustinum audito eo sermone. Per quot ambages et circuitus S. doctor Christianam fidem susceperit, eodem resistente divinæ gratiæ, ipsemet testatur et deflet in libris *Confessionum*. Hoc didicisse sufficiat; cum anno 385, Bautone consule (cui Kalendis Januarii aperienti annum novum Augustinus Panegyrim Mediolani dixit, ut constat ex lib. III *Contra epist. Petiliani*, cap. 25), ipse jam a paucis mensibus in eam civitatem professor rhetoricæ conductus fuisset; statimque Ambrosii concionibus declarari cœpisset, adhuc perpetuo æstu fluens et refluens, nonnisi anno 386 plene de fide suscipienda deliberavit; idque, non occasione sermonis Ambrosiani aut prodigiosi illius stuporis; sed lectione Epistolarum Pauli, prævia illa divinitus delapsa ad aures voce : *Tolle, lege*, ut fusius narrat lib. IX, cap. 2, atque hæc omnia contigisse anno 386 (id est fere uno integro ab auditis Ambrosii concionibus) invicte ostendunt accuratiores scriptores Vitæ S. Augustini, et card. Norisius in *Somniis;* Fr. Macedo, som. 32, pag. 1228, t. III *Oper.* edit. Veronen. Ex quibus etiam tertio falsitatis arguitur ea narratio Landulphiana, dum asserit *paucos post dies* ab audito Ambrosio, aquis baptismatis ablutum Augustinum; melius dixisset *paucos post annos*. Nam baptizatus est anno 387, mense Aprilis in Sabbato sancto una cum filio Adeodato ex concubina suscepto atque amicissimo suo Alipio, ut constat

ex IX lib., cap. 6 *Confessionum*. Cum igitur in quæstione involvente factum proprium S. Augustini, habeamus rem totam aliter ab eo narratam ac tradunt monumenta, quibus adversarii omnes nituntur, nemo, nisi decipior, illis fidem adjungere poterit, quin aut erroris aut mendacii sanctum doctorem coarguat.

(22. Quisnam igitur auctor? Nullus certe potiore jure canticum hocce sibi vindicare potest, quam S. Ambrosius, cui passim ascribitur; modo statuam jam illud fuisse ab Ambrosio compositum atque in Mediolanensi Ecclesia jam decantatum fuisse, antequam de Augustini baptismate cogitaretur. Hanc sententiam, quæ Gavanti est, Petri Puricelli in *Dissertatione Nazariana*, cap. 39, num. 7 et 8, atque Edmundi Martene ad caput 2 *Regulæ S. Benedicti*, eo libentius amplectimur, quia aptissima est conciliare discrepantes auctorum opiniones, et si non in totum, magna ex parte tuetur communem persuasionem, quæ hymnum hunc Ambrosii et Augustini vult. Dato enim, quod ille, auctore Ambrosio, jam fuerit in usu apud ejus Ecclesiam, non difficile creditur decantatus potissimum fuisse occasione baptismatis celeberrimi illius, ex quo deinde profluxerit nomenclatura illa, quod alio nomine apud populum non audiret, quam *Hymni SS. Ambrosii et Augustini*.

(23. Ad hanc confirmandam sententiam præsto est Ambrosius ipse in oratione *De basilicis non tradendis*, ubi ait : « Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt Ariani. Plane ne hoc abnuo. Grande carmen istud est, quo nihil potentius quam confessio Trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur. Certatim omnes student fidem fateri, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum norunt versibus prædicare. » Fateor, hic Ambrosium universim loqui de suis hymnis; at si potissimum dixero intendisse digitum in hymnum hunc *Te Deum*, præter auctoritatem doctissimi Puricelli, me non absurda loqui suadent 1° quod hic loquitur de expressa confessione Trinitatis; 2° de confessione, qua præcipue armarentur fideles contra Arianorum dolos, Filii divinitatem et perfectam æqualitatem cum Patre impugnantes; et 3° de confessione, quæ quotidie a populo decantaretur. Concedo plerosque alios Ambrosii hymnos in ultima stropha habere breviter confessionem Trinitatis; fateor etiam eamdem confessionem contineri in Ambrosii hymnis : *Jesu redemptor gentium, et Deus creator omnium et splendor paternæ gloriæ;* at nullus ex his inscribitur *Confessio Trinitatis*. Canticum vero *Te Deum* expressa est confessio; incipit enim *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia, Patrem immensæ majestatis. Venerandum tuum verum et unicum Filium* (vide quam apta sint contra negatam ab Arianis omousian Filii). *Sanctum quoque Paracletum Spiritum. Tu Patris sempiternus es Filius* : con-

Digitized by Google

tra eosdem Arianos, Filium factum in tempore docentes : *Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris* : en gloriæ æqualitatem in Filio, quem Ariani Patre minorem prædicabant. Item alios Ambrosii hymnos, qui offeruntur ad explicanda ejus verba, difficile suaderi potest quotidie a populo decantatos. At noster hymnus quotidianæ modulationi deputatus apparet. *Per singulos dies benedicimus te. Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.* Igitur si quis verba Ambrosii perpendat, negare non potest, illis exprimi fusiorem aliquam Trinitatis et fidei confessionem quotidie a fidelibus recitatam ; aut igitur hæc fuit Symbolum fidei ; et hoc non patiuntur verba Ambrosii ; aut hymnus iste, in quo summa quædam verba, inquam, Ambrosii ; nam istud non objecissent Ariani tanquam canticum ipsius Ambrosii ; aut hymnus iste in quo summa quædam deprehenditur confessionis fidei, præsertim circa Trinitatem et Incarnationis mysterium. Atque hinc factum ut in codicibus Vaticanis 52 et 85, apud Thomasium t. III *Oper.*, p. 64 inscribatur hoc canticum : *Hymnus in honorem S. Trinitatis ;* et in aliis : *Hymnus SS. PP. in honorem S. Trinitatis*, aut *Confessio fidei.*

(24. At, inquies cum Raynaudo et Merato, Ambrosius hic loquitur de hymnis constantibus versibus, carmine, etc., adeoque metricis ; at hujusmodi non est canticum istud, igitur ad illud ejus verba referri non possunt. At prudenti cuique in verbis Ambrosii facienda magis vis est in eo, quod scribit de *confessione Trinitatis et quotidie decantata*, quam in vocibus *hymni, versus, carminis*, etc. Nemo enim est qui ignoret his nominibus sæpe vocari Psalmos ipsos, sequentias, Symbolum ipsum fidei, quæ omnia metro non constant, atque hic idem noster canticus et in plerisque codicibus, et ab auctoribus vocatur *hymnus*. Quidquid igitur alternatim canendo dicebatur in *Divina psalmodia, hymnus, canticum, carmen* vocatum reperitur : *Gloria in excelsis Deo*, Doxologia *Gloria Patri*, etc., Trisagion *Sanctus Deus*, passim dicuntur : *Hymnus angelicus, Glorificationis hymnus*, etc. S. Augustinus in psalmum CXLVIII : *Hymnus scitis quid est ? Cantus est cum laude Dei. Si laudas Deum, et non cantas, non dicis hymnum.*

TEMERARIA PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, *num.* 36.

TEMPERANTIA.

Vide verb. VIRTUS, *num.* 120.

TEMPLA GENTILIUM.

(1. In templis, festivitatibus et sacrificiis gentilium seu infidelium probibentur Christiani tibicinibus, musicis instrumentis aliisque modis operam ipsis præstare seu inservire. Benedict. XIV, tom. I, constitut. 107 incip. *Omnium sollicitudinum*, ubi plurima alia ad rem merito observanda.

TERRITORIUM SEPARATUM.

(1. Territorium separatum importat jurisdictionem in clerum et populum, in ecclesias et loca. Benedict. XIV, tom. I, constit. 76 incip. *Apostolicæ servitutis*, § 6. (2. Territorium autem separatum prælato inferiori competere non censetur in loco intra certam diœcesim exsistente, nisi constet de privilegio Apostolico aut de immemorabili consuetudine. Idem, tom. II, const. 33 incip. *Inter multa.* Territorii separati jura ex mera denominatione *nullius diœcesis* non probantur. Idem, *ibidem.*

TERTIARII, TERTIARIÆ.

SUMMARIUM.

1-2. Tertiarii et tertiariæ habentes requisita constit. Leonis X et decreti generalis sacr. congreg. Episcop. et Regul. innovantis et confirmantis ad id decreta sacræ congreg. Concilii, gaudent privilegiis, quibus gaudent Fratres ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum gestant. — 3. Assignantur requisita ex constit. Leonis X. — 4. Ex supra assignatis requisitis soli illi Tertiarii viri gaudent privilegiis sui ordinis, et exemptione ab ordinarii jurisdictione, qui collegialiter vivunt aut cum claustralibus habitant. — 5. Item solæ illæ Tertiariæ mulieres gaudent dictis privilegiis et exemptione, quæ virginalem seu cælibem, aut castam vidualem vitam ducunt in domibus suis, aut suorum consanguineorum vel affinium, facto prius voto simplici in manu sui superioris de servando vitam cælibem, aut castitatem vidualem sub habitu et regula proprii ordinis ; non autem ad id requiritur quod dictæ Tertiariæ *collegialiter*, ut Tertiarii, vivant aut claustralibus habitent. — 6. Ut prædictæ Tertiariæ gaudeant omnibus privilegiis sui ordinis, et exemptione ab ordinarii jurisdictione, requiritur etiam quod a superioribus regularibus admittantur ad habitum de expressa licentia ordinarii, et sint in ætate XL annorum, probatæ vitæ ac bonis moribus præditæ, et habeant de proprio, unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris, quam cum consanguineis vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent. — 7. An autem prædictæ qualitates in hujusmodi Tertiariis concurrant, spectat ad ordinarium loci id declarare. — 8. Affertur ad id propria formula. — 9. An si omnia supradicta requisita in allato decreto non serventur, professio sit nulla. — 10. Tertiariæ habentes prædicta requisita gaudent privilegio fori et exemptionis a gabellis. — 11. Unde ipsæ conveniri debent coram conservatore illius ordinis, cujus habitum deferunt. — 12. Item Tertiariæ habentes dicta requisita gau-

Digitized by Google

dent privilegio canonis. — 13. Tertiariæ habentes requisita const. Leonis X non sunt molestandæ pro solutione oneris, ut dicitur *Delle Bocche*. — 14. Item sunt immunes a gabellis etiam quoad animalia. — 15. Tertiariæ, quæ vivunt in congregatione absque clausura, non gaudent dictis privilegiis.— 16. Tales Tertiariæ possunt prohiberi, ne in communitate maneant, nisi professionem cum quarto voto de perpetua clausura emittant ad formam constitutionis S. Pii V. — 17. Consimiles Tertiariorum, seu mulierum congregationis, vel penitus dissolvuntur, vel si tolerentur, remanent sub omnimoda jurisdictione ordinarii. — 18. Tertiarii et Tertiariæ habentes requisita constitutionis Leonis X et dicti decreti generalis, si decedant, non sibi electa sepultura, et in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, communis sepultura pro ipsis reperlatur, debent in ipsa sepeliri, alias sepeliri debent in parochiali. — 19. Si Tertiariæ post votum castitatis et professionem emissam, aliaque requisita servantes contrahant matrimonium, est quidem illicitum, sed tamen validum. — 20. Tertiariæ, quamvis dicta requisita habeant, acquirere non possunt legatum relictum pro puellis monachandis.—21. Tertiarii utriusque sexus in claustro non viventes subjiciuntur parochis quoad sacramentorum administrationem, nec possunt alteri peccata sua confiteri, quam confessario ab episcopo approbato. — 22. Tertiarii utriusque sexus non habentes dd. requisita, habitantes in propriis domibus, sicut alii laici, non gaudent privilegio fori, nec canonis, nec exemptionis ab oneribus publicis aliorum laicorum. — 23. Si tamen adsit alicubi consuetudo, ut fruantur privilegiis exemptionum, etiam non habentes dicta requisita, talis consuetudo debet servari. — 24. Tertiarios utriusque sexus ad habitum propriæ religionis admittere possunt omnes regulares ad id facultatem a Sede Apostolica obtinentes, et juxta legitimam consuetudinem cujusvis ordinis. — 25. Quoad Tertiarios utriusque sexus ordinis Minorum varia pro diversitate temporum, locorum et personarum emanarunt Apostolica decreta; at hic juvat adducere solum novissimas constitutiones ad id editas a Benedicto XIII. — 26. Et primo refertur constitutio incip. *Paterna Sedis Apostolicæ providentia*, edita pro Minoribus de Observantia, in qua varia ad eorum favorem disponuntur, et hic adducuntur. — 27. Deinde refertur constitutio incip. *Ratio Apostolici ministerii* edita pro FF. Capuccinis, in qua disponitur quod eorum Tertiarii fruantur gratiis et indulgentiis concessis Tertiariis Fratrum minorum. — 28. Et successive refertur constitutio in cap. *Singularis devotio*, edita pro PP. conventualibus, in qua statuitur quod eorum Tertiarii gaudeant privilegiis et gratiis spiritualibus cæteris aliis Tertiariis concessis. — 29. Ast vero postremo idem Benedictus aliam edidit constit. incip. *Dilecti filii*, in qua denuo confirmavit quæ pro Tertiariis Minorum de Observantia in d. constit. *Paterna Sedis Apostolicæ*, etc., sancita sunt.— 30. Unde ex verbis istius ultimæ constitutionis expresse patet quod in quibuscunque civitatibus et locis, ubi erectus est seu fundatus ordo, seu congregatio Tertiariorum utriusque sexus a Minoribus de Observantia, non potest amplius erigi nec fundari a PP. conventualibus et Capuccinis. Nec ab ipsis possunt ad habitum Tertii Ordinis admitti; alias nullis gauderent indulgentiis et privilegiis. — 31. Tertiarii utriusque sexus ordinis Minorum, etiamsi in propriis domibus sæcularibus habitent, nec habeant requisita Leonis X et allati decreti generalis sacræ congreg., gaudent omnibus indulgentiis quibus gaudent ipsimet Fratres minonores ac moniales Sanctæ Claræ. — 32. Dicti tamen Tertiarii, quamvis gaudeant indulgentiis, si non habeant præfata requisita, non gaudent nec privilegio fori, nec canonis, nec exemptione aliqua ab oneribus et muneribus publicis aliorum laicorum. — 33. Nisi tamen alicubi adesset consuetudo, ut fruerentur privilegiis exemptionum, etiam non habentes dicta requisita. — 34. Ad hoc ut Tertiarii utriusque sexus in propriis domibus sæcularibus degentes gaudeant omnibus indulgentiis, quibus gaudent ipsimet Fratres minores et moniales S. Claræ, sufficit ut recipiant et deferant habitum juxta morem et formam, quæ pro diversitate regionum hactenus ab eisdem Tertiariis servata est. — 35. Etiamsi sit parvus habitus seu parvum scapulare, ad n. 36. — 37. Habitus Tertii Ordinis non potest conferri nisi a superioribus religionis aut ab aliis delegatis ab ipsis, et nullatenus conferri potest ab aliis Tertiariis. — 38. Tertiarii utriusque sexus post integrum annum probationis seu novitiatus a die recepti habitus, professionem emittunt sub forma quæ hic datur. — 39. Et hæc formula professionis est ad tenorem præscripti in cap. secundo ejusdem regulæ Tertii Ordinis. — 40. Ex hac formula professionis clare stat dictam regulam fuisse a S. P. Francisco concinnatam. — 41. Assignantur quando et quomodo hic Tertius Ordo fuerit a Seraphico P. Sancto Francisco institutus, et sua regula corroboratus. — 42. Tertius Ordo S. P. F. est omnium aliorum origine primus. — 43. In coronatione Summi Pontificis post orationem Spiritus S. et B. M. Virg. sola illa S. P. N. Francisci canitur, et quare. — 44. Affertur mysteriosa et miraculosa Christi apparitio ac revelatio S. P. N. Francisco facta ad comprobationem et commendationem hujus Tertii Ordinis ab ipso instituti. — 45. Tertiarii utriusque sexus, non obstante hac sic emissa professione, per transgressionem præscriptorum in sua regula, nisi alias ad ea sint obligati ex divinis vel ecclesiasticis præceptis, nullum committunt peccatum nec mortale nec veniale. — 46. Affertur monitum de instructione ad id danda ipsis Tertiariis, antequam professionem emittant. — 47. Tertiarii nostri Ordinis in sæculo degentes possunt uti nostro Breviario Franciscano. — 48. Alia ad rem, *remissive*. — 49. Tertiarii, qui nondum compleverint an. XX nequeunt retineri in conventibus. — 50. Additur attendenda specialis constitutio Benedicti XIII. — 51. Alia ad rem, ad n. 61.

(1. Tertiarii et Tertiariæ habentes requisita constitutionis Leonis X et decreti generalis infra ponendi sacræ congregationis Episcop. et Regular. innovantis et confirmantis ad id decreta sacræ congregat. Concilii, gaudent privilegiis, quibus gaudent Fratres ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum gestant : *Communis*, ex repetitis declarationibus, sac. congregationum, tum Immunitatis, tum Episcop. et Regular., ut abunde in decursu patebit.

(2. Requisita autem ex constitut. Leonis X incip. *Dum intra*, edita in concilio *Lateranensi*, sess. XXI, pro Tertiariis viris sunt, quod *collegialiter* vivant, seu cum claustralibus habitent, ibi : *Collegialiter autem viventes, seu cum claustralibus habitantes*, et pro Tertiariis mulieribus, ut ibi sequitur : « At mulieres virginalem seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto et sub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum gestant, gaudere debeant. » Et in alia constitutione incip. *Nuper in concilio Lateranensi* edita die 1 Martii 1518, sic declarat : « Nos ad tollendum omne dubium, motu

Digitized by Google

proprio et ex certa scientia, et de Apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie decernimus et declaramus quod in præmissis de voto solemni religionis minime intelligi debeat, ita ut mulieres virginalem seu cælibem vitam simpliciter voventes etiam in consanguineorum et affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, et privilegiis, et immunitatibus prædictis in omnibus, et per omnia frui et gaudere debeant.»

(3. Supradictæ Pontificiæ dispositioni inhærendo sacra congr. Episcop. et Regul., sub die 20 Decemb. 1616 innovans et confirmans decreta sacræ congr. Concilii ad id edita statuit, ut sequitur :

« Sacra congregatio cardinalium negotiis Episcop. et Regul. præposita ad tollendas omnes contentiones inter episcopos et superiores regulares super immunitates et exemptiones Tertiariarum, quæ in privatis domibus degunt, vulgo *Bizzoche*, seu alio quovis nomine nuncupatarum, in primis, et ante omnia in memoriam revocat ea, quæ sacra congregatio Concilii in eadem sententia respondit, videlicet :

« § 1. Sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum sæpius respondit minime posse sacerdotes regulares mulierum Tertii Ordinis, quas de pœnitentia, vel Bizzochas vocant, confessiones sacramentales audire, nisi fuerint ab ordinario approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas, quemadmodum nec posse illis sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum administrare in die Paschatis Resurrectionis SS. D. nostri Jesu Christi.

« § 2. Verum quoad sepulturam atque alia privilegia, Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, aliosque similes, ita demum Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum assumpserunt, privilegiis potiri, et ab ordinarii jurisdictione exemptos esse, si viri collegialiter vivant, aut cum claustralibus habitent, mulieres virginalem seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto, et sub habitu vitam traduxerint quemadmodum cavetur constitut. concil. *Lateranen.* sub Leone X, quæ habetur sess. XI in fine.

« § 3. Hoc autem voto mulierum alia duo scilicet paupertatis et obedientiæ nequaquam includi ; quinimo hujusmodi mulieres, si virginitatem aut cælibem vitam simpliciter et expresse voverint, etiam in consanguineorum et affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, supradictis privilegiis ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptioneque ab ordinarii jurisdictione frui debere, ut idem Leo postea declaravit constitut. edita 1 Martii 1518.

« § 4. An autem prædictæ qualitates in hujusmodi Tertiariis concurrant, ordinarii loci esse judicium.

« § 5. Præterea, si contingat aliquas ex prædictis Tertiariis sine sepulturæ electione decedere, eas sic decedentes, ita demum in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, si in ipsis earum communis sepultura reperiatur, sin minus in ecclesiis parochialibus sepeliendas esse decernit.

«Superioribus autem regularibus sufficienti facultate ad id a Sancta Sede Apostolica suffultis (Capuccinis exceptis) libere mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere ; non autem ad habitum admittendas et recipiendas esse, nisi probatæ vitæ ac bonis moribus præditas, ac in ætate saltem quadraginta annorum constitutas, quæ de proprio habeant, unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris quam cum consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent, et ab ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis, prævio examine diligenti, sibi constiterit.

« § 6. Verum in hujusmodi habitu concedendo et respective deferendo, omnino a velo supra caput, quod *superjectum* vocant, et a pectorali quod vulgo dicitur *sottogola*, et a patientia abstinendum esse ; quinimo eas, quæ supradicta tria, vel aliquod ipsorum deferre comprehensæ fuerint, illa dimittere etiam per censuras ecclesiasticas ab ordinariis locorum compellendas esse decernit.

« § 7. Supradictis vero decretis mulieres Tertii Ordinis, quæ collegialiter vivunt, non comprehendi, quinimo eas dispositioni constitutionis Pii V, editæ Romæ anno 1566, IV Kalend. Julii, quæ incipit *Cura pastoralis*, etc., penitus subjacere expresse declarat. Non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus.

« Dat. Romæ 20 Decembr. 1616. »

(4. Ex quibus clare patet quod soli illi Tertiarii viri gaudent privilegiis sui ordinis, et exemptione ab ordinarii jurisdictione, qui *collegialiter vivunt*, id est qui vivunt in aliqua communi domo in sæculo aut collegio sub habitu et Regula Tertiariorum approbata a Sancta Sede, *aut cum claustralibus habitant*, id est qui dicto habitu et Regula Tertiariorum morantur intra septa sub obedientia superioris suæ religionis, ut recte explicat Donatus, *Prax. rer. regular.*, tom. II, tract. 17, quæst. 3, n. 2 et 3, et alii passim, id aperte colligentes ex verbis citatæ constitut. Leonis X, incip. *Dum intra*, et ex verbis adducti decreti, § 2.

(5. Item ex suprapositis clare patet quod solæ illæ Tertiariæ mulieres gaudent dictis privilegiis et exemptione, quæ virginalem seu cælibem, aut castam vidualem vitam ducunt in domibus suis, aut suorum consanguineorum vel affinium, facto tamen prius voto simplici in manu sui superioris de servando vitam cælibem aut castitatem vidualem sub habitu et Regula proprii ordinis : non autem ad id requiritur, quod dictæ Tertiariæ, Bizzochæ, seu Pizzochæ, seu Pizzocheræ, Mantellatæ, Corrigiatæ, aliæque similes *collegialiter*, ut Tertiarii viri, *vivant, aut cum claustralibus habitent*, ut recte notat Donatus, *loc. cit.*, n. 4, et alii passim id clare desumentes ex verbis expressis

Digitized by Google

citatæ constitut. Leonis X incip. *Dum intra*, et citat. alterius constitutionis ejusdem Pontificis incip. *Nuper in concil. Lateranensi*, et ex verbis adducti decreti, § 2 et 3.

(6. Ut prædictæ Tertiariæ gaudeant omnino privilegiis sui ordinis et exemptione ab ordinarii jurisdictione, requiritur etiam quod a superioribus regularibus recipiantur et admittantur ad habitum de expressa licentia ordinarii loci, et sint in ætate quadraginta annorum, probatæ vitæ, ac bonis moribus præditæ, et habeant de proprio, unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris, quam cum consanguineis vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent. Sic expresse statuitur in adducto decreto § 5, verb. *Superioribus autem*.

(7. An autem prædictæ qualitates in hujusmodi Tertiariis concurrant, spectat ad ordinarium loci id declarare. Sic expresse cit. decret. § 4, *vide supra*.

(8. Unde ad id Monacell., tom. I, tit. 6, formul. 15, n. 1; card. Petra, tom. IV *Comm.* ad const. 14 Martini V, n. 21, tradunt sequentem formulam:

« Dilecta Nobis in Christo N., salutem et benedictionem in Domino.

« Ut tu, quæ bonis moribus imbuta, bonæque frugis, ac laudabilis vitæ exsistis, in ætate annorum quadraginta constituta, propria bona, ex quorum fructibus honeste vivere vales, possides, et non cum aliis viris quam cum tuis consanguineis vel affinibus in primo tantum gradu conjunctis habitas, prout hæc omnia Nobis prævia informatione constare fecisti, habitum Tertii Ordinis S. P. N. quem postulasti, induere possis, per R. P. N. ordinis provincialem illum tibi conferendi licentiam et facultatem concedimus et impertimur. In quorum, etc. Dat., etc.

« N. episcopus N. »

(9. An autem, si omnia prædicta requisita in allato decreto non serventur, professio sit nulla, variant doctores. Lezana enim *Regular. seu de casibus conscientiæ ad personas religiosas utriusque sexus*, titul. *De Tertiariis Regul. eorumque privil.*, cap. 4, n. 4, et alii, dicunt professionem adhuc esse validam, ex eo quod in dicto decreto non adsit clausula irritans, nec sacra congregatio usa fuerit verbis *Non possunt admitti nisi*, etc., sed verbo *Non admittantur*, et proinde actus admissionis dicendus est illicitus, non autem nullus De Angelis vero, *Opusc. de Tertiariis*, post tract. *De expens. et meliorat.*, n. 14 et seq., et alii docet oppositum, ex eo quod requisita sint de forma professionis, ibi: *et ab ordinario loci licentia prius impetrata*, sicque adimit superioribus regularibus aliter habitum ipsis conferendi facultatem, et proinde fecit, ut Tertiariæ a non habente facultatem habitum obtinerent. At placet sententia quam docent cardinal. Petra, *loc. cit.*, n. 23, dicens quod dictum decretum duas habet partes: unam scilicet de contentis in Bulla Leonis X quoad habitus assumptionem et votum, quæ cum essentialiter requirantur ad dictam professionem, certum est quod si unum ex istis deficiat, professio sit nulla. Sacra congregat. Immunit., *in Asculana* 8 Augusti 1702, de quadam Tertiaria, quæ receperat quidem habitum, sed non emiserat explicite votum castitatis, licet crederet teneri ad ejus observantiam ex dicto religiosi tradentis habitum, accusata de infanticidio, censuit non gaudere privilegio fori; verum dicta sacra congregat. supplicavit Sanctissimum pro aliquali commiseratione, ne deveniretur ad pœnam ultimi supplicii. Sic cardin. Petra, *loco citato*, ex Riccio *Synopsi*, verb. *Tertiariæ*, n. 9. Et aliam habet partem de aliis contentis in allato decreto generali § 5, verb. *Superioribus*, quæ non important nullitatem professionis; unde si aliquod ipsis deficiat, adhuc Tertiaria gaudet privilegiis; hinc sacra congreg. Immun., *in Spoletana* 12 Septembr. 1684, de quadam Tertiaria, quæ emiserat quidem professionem, sed solum in anno vicesimo octavo contra allatum decretum requirens ætatem quadraginta annorum, censuit hoc non obstante, adhuc ipsam gaudere privilegio fori. Card. Petra, *loc. cit.*, ex Riccio, *loc. cit.*, n. 8.

(10. Tertiariæ habentes dicta requisita gaudent privilegio fori et exemptionis a gabellis. Sic sæpius respondit sacra congregat. Immunit., et signanter *in Neocastren.* 16 Julii 1626, *in Salernit.* 29 Maii 1629, et *in Interamnen.* 10 Novemb. 1638, apud Monacell., tom. I, tit. 6, formul. 14, n. 1. Etiamsi votum emiserint post motam litem, ut censuit eadem sacra congregat. Immunit., *in dicta Interamnensi*, apud Riccium in *Synopsi*, verb. *Tertiariæ*, n. 3. (11. Unde ipsæ, uti exemptæ, etiam a jurisdictione ordinarii, ut patet expresse ex § 3 allati decreti generalis, conveniri debent coram conservatore illius ordinis, cujus habitum deferunt, ut recte observat Matthæuc., *Offic. curiæ*, c. 53, sub n. 4, vers. *Exempto*. (12. Ubi n. 5, ex Fagnan. in cap. *Nullus*, De foro competent., n. 65, recte subjungit gaudere etiam privilegio canonis, et cum multis censet cardin. Petra, *loc. cit.*, n. 10.

(13. Tertiariæ, si habent requisita necessaria constitutionis Leonis X, non sunt molestandæ pro solutione oneris, ut dicitur, *delle Bocche*. Sic sacr. congreg. Immun., *in Firmana* 21 Februar. 1699, lib. II *Decret.* Vallem., pag. 204, apud Riccium, *loc. cit.*, n. 4.

(14. Item sunt immunes a gabellis etiam quoad animalia, quare injungitur episcopo, ut publicet cedulones contra datarios ob exsecutata earumdem animalia. Sacr. congregat. Immunitat., *in Tarentina* 27 Martii 1703, lib. III *Decret.* Vallem., pag. 482, apud Ricc., *loc. cit.*, n. 5.

(15. Tertiariæ, quæ vivunt in congregatione absque clausura non gaudent dictis privilegiis. Card. Petra, *loc. cit.*, n. 19; Piasec., in *Praxi*, part. II, cap. 3, art. 7, n. 13; Matthæucc., *loc. cit.*, n. 6; Nicol., in *Flosculis*, verb. *Clausura*, n. 38, et alii pas-

Digitized by Google

sim. Et ratio est, quia ipsæ *in allato decreto generali* § 7, ut clare ibi patet, relinquuntur sub dispositione constitutionis S. Pii V incip. *Circa pastoralis officii;* ubi Pontifex receptiones et professiones talium Tertiariarum in congregatione absque clausura viventium omnino irritat et annullat, ibi : « Mulieres quoque, quæ Tertiariæ, seu de Pœnitentia dicuntur, cujuscunque fuerint ordinis in congregatione viventes, si et ipsæ professæ fuerint, ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram præcise, ut præmittitur, et ipsæ teneantur. Quod si votum solemne non emiserint, ordinarii una cum superioribus earum hortentur et persuadere studeant, ut illud emittant et profiteantur, ac post emissionem et professionem eidem clausuræ se subjiciant. Quod si recusaverint, et aliquæ ex eis inventæ fuerint scandalose vivere, severissime puniantur. Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis, et clausura vivere omnino volentibus, interdicimus et perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum ordinem, religionem congregationemve recipiant; quod si contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem et decretum aliquas receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones et receptiones irritas facimus et annullamus; » quod et confirmavit Gregorius XIII constitution. incipiente : *Deo sacris virginibus.*

(16. Et tales Tertiarias posse hoc tempore prohiberi, ne in communitate maneant, nisi professionem cum quarto voto de perpetua clausura emittant ad formam dictæ Pianæ constitutionis, rescripsit sacra congr. Episc. et Regul., *in Lucen.* 22 Januar. 1596, apud Piasec., *loco cit.;* Matthæucc., *loc. c.*, n. 6; card. Petra, *loc. cit.*, n. 19. Et de facto Urbanus VIII constitut. incip. *Pastoralis Romani Pontificis*, edita sub anno 1630, die 13 Januarii, suppressit et annullavit quamdam congregationem mulierum, quæ in nonnullis Italiæ, et ultramontanis partibus sine ulla Sedis Apostolicæ approbatione ab aliquot annis in unum conveniebant vitæ religiosæ ducendæ prætextu, peculiarem et distinctum habitum deferentes et multa pia opera peragentes; (17. unde consimiles Tertiariarum seu mulierum congregationes, vel penitus dissolvuntur, vel si tolerentur, remanent sub omnimoda jurisdictione ordinarii, ut censuit sac. congregat. concil. 27 Maii 1677, in qua quidem agebatur de congregatione duodecim mulierum Tertiariarum in oppido Cottunei emittentium quædam vota castitatis, paupertatis et obedientiæ, sed non solemnia et sine clausura; ideoque proposito dubio : « An mulieres hujusmodi subsint visitationi et correctioni episcopi? » Sacra congregatio, audito procuratore generali PP. Reformatorum S. Francisci, censuit *Affirmative.* Et sacra congreg. Episcop. et Regular. confirmavit decreta episcopi facta circa dictas mulieres *in Laudensi* 27 Junii 1704. Et sacr. congreg. Concilii in eadem 15 Junii 1709 mandavit, ut episcopus procederet ad visitationem et correctionem earum. Sic expresse refert card. Petr., *loco c.*, n. 20. *Vide* infra n. 52.

(18. Tertiarii et Tertiariæ habentes requisita constitut. Leonis X et allati decreti sacræ congregat., si decedant non sibi electa sepultura, et in Ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, communis sepultura pro ipsis reperiatur, debent in ipsa sepeliri, alias sepeliri debent in parochiali. Sic expresse statuitur *in allato decreto* § 5. Vide *supra* sub n. 3.

(19. Si Tertiariæ post votum castitatis et professionem emissam, aliaque requisita servantes, contrahant matrimonium, quamvis peccent, ex quo violent suum simplex votum castitatis, tamen matrimonium est validum. Sacra congregat. Concilii, *in Marsicana validitatis matrimonii* 10 Aprilis 1660, et jam prius etiam *in Tudertina seu Balneoregien.* 8 Julii 1648.

(20. Tertiariæ, quamvis dicta requisita habeant, acquirere non possunt legatum relictum pro puellis professuris, quia debet dari iis, quæ profitentur tria vota substantialia et solemnia. Sacra congregat. Concil., *in Æsina* 8 Junii 1696, apud Monacell., tom. I, tit. 10, formul. 19, n. 7. Et in terminis monialium, quæ sunt in conservatoriis, ut non valeant habere dotes relictas pro monialibus censuit sacra congreg. Concilii, *in Spoletana* 20 Sept. 1710, denegando hujusmodi indultum conservatorio pueri Jesu.

(21. Tertiarii utriusque sexus in claustro non viventes subjiciuntur parochis quoad sacramentorum administrationem, nec possunt alteri peccata sua confiteri, quam confessario ab episcopo approbato. *Communis.* Sic enim sæpe sæpius declaravit sacra congreg. Conc. et signanter *in Aquilana* 5 Febr. 1604, *in Stagnen.* 19 Decembr. 1620, et *in una civitatis Castelli* 2 Decembr. 1623, et sacr. congregat. Episcop. et Regul., *in citato decreto generali*, § 1, et sæpe alibi.

(22. Tertiarii utriusque sexus non habentes dicta requisita constitut. Leonis X, et allati decreti generalis sacræ congreg., habitantes in propriis domibus, sicut alii laici, non gaudent privilegio fori, nec canonis, nec exemptionis ab oneribus publicis aliorum laicorum. Sic statuit Leo X, in cit. Constit. incip. *Inter cætera*, ibi : « Fratres autem et Sorores Tertii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigiati, Pizzocharæ, Cordellati, et alii quocunque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes, sepulturam, ubi voluerint, eligere valeant. Sed die Paschatis tantum Eucharistiam, necnon Extremam Unctionem, cæteraque ecclesiastica sacramenta (Pœnitentiæ sacramento duntaxat excepto) a proprio sacerdote recipere, et ad onera, quæ laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro sæculari coram judicibus sæcularibus conveniri possint. » Et sæpe sæpius decrevit sacr. congregat. Immunitat. et signanter *in Eugubina* 26 Julii 1633, *in Forolivien.* 22 Novembris 1633, *in Policastr.* 19 Julii 1635, *in Tricaric.* 7 Septemb. 1638, et *in Tuder-*

Digitized by Google

tina 20 Decemb. 1667, et novissime *in Faventina* 13 Maii 1727, et pluries etiam sacr. congreg. Concilii et Episcop. ac Regul. ut refert Ursaya, tom. IV, part. I, discept. 3, a n. 8, cum aliis ibi cit.

(23. Si tamen adsit alicubi consuetudo, ut fruantur privilegiis exemptionum etiam non habentes dicta requisita, talis consuetudo debet servari, ut declaravit sacr. congreg. Immun., *in Policastren.* 23 Decembr. 1636, lib. III *Decretal.* Paul., pag. 20, apud Riccium, in *Synopsi*, verb. *Tertiarii*, n. 3, ubi sub n. 6 subjungit : « Et ubi asseratur contraria consuetudo, nihil innovetur, tam per curiam ecclesiasticam quam laicam, donec cognitum sit de tali consuetudine. » Sacra congregat. Immunitat., *in Savonen.* 9 Maii 1695, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 188, quem citat, et sequitur card. Petra, *loc. cit.*, n. 16.

(24. Tertiarios utriusque sexus ad habitum propriæ religionis admittere et recipere possunt omnes regulares ad id facultatem a Sede Apostolica obtinentes, et juxta legitimam consuetudinem cujusvis ordinis, sive superiores immediate per se sive per alios ab ipsis delegatos. *Communis.*

(25. Deveniendo autem specialiter ad Tertiarios utriusque sexus ordinis Minorum, varia pro diversitate temporum, locorum et personarum emanarunt Apostolica decreta, quibus brevitatis gratia relictis videndis, tum apud Orbem seraphicum P. de Gubernatis, tum apud Lantuscham in *Theatro regularium*, tum apud Matthæuccium, *Official. curiæ*, capit. 52, tum apud card. Petram, tom. III *Commentar.* ad constitution. 4 Nicolai IV, et tom. IV *Commentar.* ad constitut. 15 Martini V, tum apud Bullarium Clementis XI, in *Decretis memorabilibus sacræ congregationis.* Hic solum juvat referre novissimas constitutiones ad id editas a Benedicto XIII.

(26. Et primo refertur ejusdem Benedicti XIII constitut. 6, incip. *Paterna Sedis Apostolicæ providentia ;* edita die 10 Decembris 1725, in qua sub § 4 omnia privilegia a Summis Pontificibus Tertio Ordini Sancti Patris Francisci concessa approbantur et renovantur. Et sub § 5 declaratur juxta alias antecessorum Pontificum declarationes, quod triplex Tertiariorum status unum et eumdem Tertium Ordinem, sanctum, meritorium et verum, non confraternitatem componit, et denuo eorum Regula confirmatur. Et sub § 6 minister generalis totius ordinis Minorum, et secundarii superiores confirmantur in auctoritate supra omnes tertiarios utriusque sexus. Et sub § 9 ministro generali totius ordinis injungitur propagatio Tertiariorum utriusque sexus per universum orbem, eidemque ministro facultas conceditur statuendi quæ bonum eorum respiciunt. Et sub § 10 declaratur quod solis superioribus Minorum de Observantia privative ad alios competit quoscunque recipere ad Tertium Ordinem, ejusque confessarium et visitatorem, qui præsideat et rationes examinet, assignare. Et sub § 11 declarantur omnia irrita et mera attentata

quæcunque ab aliis præter voluntatem dictorum superiorum de Observantia circa tertios ordines istos, aut innovari, aut mandari contigerit. Et insuper declaratur quod ubi jam est institutus et fundatus dictus tertius ordo, alii fundari minime possint, nec a conventu, ubi jam fundatus est, possint transferri ad alium dicto generali ministro totius ordinis non subjectum, et quod alias inter tertios ordines approbatos ab Apostolica Sede habendi non sint, nec gaudeant indulgentiis et privilegiis tertio huic ordini per eamdem Sedem Apostolicam impertitis.

(27. Deinde nono Kalendas Junii 1726, idem Benedictus XIII, constitut. 17 incip. *Ratio Apostolici ministerii*, statuit quod Tertiarii PP. Capuccinorum ubicunque exsistentes, ab eorum ministro generali, et non ab alio dependeant, et fruantur omnibus indulgentiis et gratiis Tertiariis Fratrum minorum concessis.

(28. Et postea die 6 Julii 1726, idem Pontifex Benedictus XIII, constit. 29 incip. *Singularis devotio*, decrevit quod Tertiarii PP. Minorum conventualium fruantur privilegiis et gratiis spiritualibus, quæ cæteris Tertiariis concessæ fuerunt. Quæ tres tamen constitutiones fuerunt una cum aliis moderatæ et redactæ ad terminos juris a Clemente XII, constit. incip. *Romanus Pontifex.*

(29. At vero postremo die 21 Junii 1728, idem Benedictus XIII, constit. 47, incip. *Dilecti filii*, denuo confirmavit quæ pro Tertiariis Minorum de Observantia in cit. constit. 6 incip. *Paterna Sedis Apostolicæ providentia* sancita sunt. Et hic ad uberiorem et clariorem notitiam dantur præcisa hujus constitutionis verba sub § *Præterea* contenta, ibi : « Præterea quascunque indulgentias, indulta, privilegia, prærogativas, favores, exemptiones, libertates, extensiones et concessiones, tam in genere quam in specie in memorata constitutione, quæ incipit *Paterna*, Tertiariis Fratrum Minorum de Observantia tributas, et per alias superius indicatas ad Tertiarios Fratrum Minorum conventualium et Capuccinorum, eorumque superiores extensas et ampliatas tenore præsentium confirmamus et approbamus, et quatenus opus sit, ipsis fratribus conventualibus et Capuccinis, eorumque tertiariis ; in iis tamen, quæ præfatæ nostræ constitutioni pro observantium Tertiariis editæ non adversantur, et non alias de novo concedimus, mandantes potissimum, ut quæ in ipsa circa erectionem unius duntaxat congregationis Tertiariorum pro unaquaque civitate aut loco, deque eorum transitu præscripta et sancita sunt, aliis posterioribus nostris non obstantibus inviolabiliter observentur. » Et hæc postrema constitutio, cum non sit hactenus revocata nec moderata, est simpliciter attendenda et per extensum est adducta sub verb. RELIGIONES REGULARES, art. 5, n. 55.

(30. Unde expresse patet quod in quibuscunque civitatibus aut locis, ubi erectus est seu fundatus ordo seu congregatio Ter-

Digitized by Google

tiariorum utriusque sexus a Minoribus de Observantia, non potest amplius erigi nec fundari a PP. conventualibus et PP. Capuccinis. Nec ab ipsis possunt alii ad habitum Tertii Ordinis recipi et admitti, alias nullis gauderent indulgentiis et privilegiis, ut expresse sancitum est in dicta constitutione *Paterna*. — Nota. Attamen quidquid sit de hoc, nunc *vide* quæ in tom. II, sub verb. CAPUCCINI, n. 1, novissime adducta sunt et conclude sicut ibi.

(31. Tertiarii utriusque sexus Ordinis Minorum, etiamsi in propriis domibus sæcularibus habitent nec habeant requisita constitut. Leonis X et decreti generalis sacr. congreg. allati supra sub n. 3, gaudent omnibus indulgentiis, quibus gaudent ipsimet Fratres Minores ac moniales S. Claræ. *Vide* verb. INDULGENTIA, art. 5, a n. 23 ad 27, ubi multa de plurimis indulgentiis, quibus fruuntur dicti Tertiarii utriusque sexus, etiamsi in propriis domibus sæcularibus habitent.

(32. Dicti tamen Tertiarii ordinis Minorum, sicuti et cæteri alii, si non habeant præfata requisita constitut. Leonis X et decreti generalis sacræ congregationis, non gaudent, nec privilegio fori, nec canonis, nec exemptione aliqua ab oneribus et muneribus publicis aliorum laicorum, et patet ex adductis supra n. 22.

(33. Nisi tamen alicubi adesset consuetudo, ut fruerentur privilegiis exemptionum etiam non habentes dicta requisita, ut per allata decreta sub n. 23.

(34. Ad hoc, ut Tertiarii utriusque sexus, in propriis domibus sæcularibus degentes gaudeant omnibus indulgentiis, quibus gaudent ipsimet Fratres Minores et moniales S. Claræ, sufficit ut recipiant et deferant habitum juxta morem et formam, quæ pro diversitate regionum hactenus ab eisdem Tertiariis servata est; sic colligitur ex cit. constit. Benedicti XIII incip. *Paterna Sedis Apostolicæ providentia*, § 10, ubi expresse conceditur superioribus nostri ordinis: « utriusque sexus Christifideles juxta morem dicti ordinis recipere, » quæ constitutio confirmata est in citata alia ejusdem Pontificis incip. *Dilecti filii*, quæ hactenus nec est revocata nec moderata. Item ex ejusdem Benedicti XIII constitut. incip. *Pretiosus*, § 54, ibi : « Retineri tamen posse habitus formam, quæ pro regionum diversitate hactenus ab eisdem Tertiariis servata est. »

(35. Etiamsi sit parvus habitus seu parvum scapulare, ut sæpe sæpius ipsum sic appellatur a sacra congregatione, tum a Summis Pontificibus, et signanter in causa vertente inter Capuccinos et Minores de Observantia regni Sardiniæ, ubi quærebatur, an Patribus Capuccinis regni Sardiniæ liceat dispensare seu distribuere *habitum* seu *scapulare parvum* cum cingulo S. Francisci? Et sacra congregatio Episcop. et Regul. die 16 Novembr. 1703, respondendo ad quæsitum vocat ipsum *scapulare* seu *habitum parvum*. Quod et confirmarunt Clemens XI, constitut. incip. *Emanarunt nuper*, et Benedictus XIII, constit. incip. *Ratio Apostolici ministerii*, ipsum appellando, uti ipsa sacra congregatio, *scapulare* seu *habitum parvum;* sub quo nomine et modo, sive forma ipsum non vocassent, nec permisissent, si non sufficeret pro lucrandis indulgentiis ipsum recipientibus, et deferentibus concessis. *Vide* dictam constitut. incip. *Ratio Apostolici ministerii*, in qua continetur dicta constitutio Clementis et decretum sacr. congregationis : et revera Pater Michael Angelus a Bugliasco in Regula Tertii Ordinis Pœnitentium Seraphici P. Sancti Francisci typis edita Januæ, cap. *Dell' utilità di quest' ordine de' Penitenti*, pag. 81, sic habet expresse : « Portano i Fratelli e Sorelle di quest' ordine lo scapulario sotto le vesti cinto col cordone, il quale se sarà solo un terzo di palmo, come concede Giulio II, avra le cordicelle per poterlo cingere. »

(36. Tum quia, ut habetur in Compendio privilegiorum Fratrum Minorum, et aliorum Mendicantium, et non Mendicantium ab Alphonso Casarubios secundo edito, et a P. Hieronymo a Sorbo quibusdam additionibus locupletato sub verb. *Tertiarii fratres et Sorores* § 29 : « Innocentius VIII concessit ut suscipientes habitus mantellatorum sive mantellatarum ordinis S. Augustini, licet habitum illum cum licentia prioris loci non retineant, nec continue deferant, corrigiam tamen retinentes ac deferentes, eisdem privilegiis, gratiis, immunitatibus et indulgentiis gaudeant, quibus ipsi mantellati et mantellatæ gaudere possunt. » Unde dicendum est quod simili modo per viam communicationis gaudeant iisdem indulgentiis Tertiarii ordinis Minorum deferentes cingulum, et insuper ipsum *scapulare* seu *parvum habitum*, ut appellant citati Pontifices et sac. cong. Eo vel maxime quod chordigeri lucrari possunt etiam illas indulgentias, quas Paulus V concessit omnibus regularibus et indulgentias omnes Fratribus Minoribus directe et in specie concessas, ut patet ex dictis sub verb. INDULGENTIA, art. 5, n. 30 et 31.

(37. Habitus Tertii Ordinis S. P. N. Francisci non potest conferri nisi a superioribus ordinis, aut ab aliis ab ipsis delegatis; et nullatenus conferri potest ab aliis Tertiariis, ut referente Ursaya, tom. VIII, p. 1, discept. 1, decisum fuit a sacra congreg. Episcop. et Regul., *in Faventina* Superioritatis, inter PP. reformatos Sancti Francisci Faventiæ et Tertiarios Sancti Antonii ejusdem civitatis, in qua die 18 Junii 1717, proposita causa in congregatione Episcop. et Regul. per card. Corsinum sub sequentibus quatuor dubiis :

« I. An donatio facta Patribus sustineatur in casu, etc.

« II. An Tertiarii sint subjecti gubernio spirituali PP. Reformatorum in casu, etc.

« III. An Tertiarii possint alios admittere ad habitum, eorumque professiones recipere. Et quatenus *Affirmative*.

« IV. An admissiones ad habitum et pro-

Digitized by Google

fessiones hactenus secutæ in manibus Tertiariorum sustineantur.

« Ad I. Responsum fuit *Affirmative.*

« Ad II. Affirmative in concernentibus spiritualia in Ecclesia S. Antonii.

« Ad III. *Negative.*

« Ad IV. Pro sanatione. »

(38. Tertiarii utriusque sexus post annum integrum probationis seu novitiatus a die recepti, seu suscepti habitus professionem emittunt in manibus superioris ordinis seu visitatoris sub hac forma :

« Io fratello N. o Sorella N. prometto a Dio onnipotente, ed alla B. Maria sempre Vergine, ed al beato S. Francesco, ed a tutti i santi del cielo, ed a voi Padre, d'osservar tutto il tempo di mia vita la Regola de' Frati di Penitenza instituita dal P. S. Francesco, e per Papa Niccolò IV confermata, ed i comandamenti di Dio, e soddisfare come conviene per le trasgressioni, che commetterò contro questo modo di vivere, ogni volta che sarò domandato dal mio visitatore. »

(39. Et hæc formula professionis est ad tenorem præscriptæ in capite secundo ejusdem Regulæ Tertii Ordinis approbatæ a Nicolao IV, constitut. incip. *Supra montem*, ut etiam recte observat Matthæucc., *loc. cit.*, n. 9.

(40. Ex qua formula professionis et præsertim ex illis verbis, *instituita dal Padre S. Francesco*, clare stat dictam Regulam Fratrum et Sororum de Pœnitentia fuisse a Seraphico nostro P. S. Francisco, Deo inspirante primo concinnatam, et non a Nicolao IV, ut aliqui non satis de hac re conscii existimarunt; et id expresse asserit Leo X, constitut. incip. *Inter cætera;* ubi pluries ait dictam Tertiariorum Regulam fuisse a S. P. Francisco editam et a Nicolao IV confirmatam, et approbatam; quod et asserit Laertius Cherubin. ad constitut. 2 Nicolai IV, et 42 Leonis X. Idem cæteris clarius sæpius affirmat Clemens VII, constitut. incip. *Ad uberes fructus;* et jam a sua origine fuit hic Tertius Ordo communiter S. Francisci a Summis Pontificibus appellatus, et uti talis recognitus, plurimis privilegiis ornatus, ac omnibus archiepiscopis et episcopis, aliisque prælatis summe commendatus, ut apparet ex brevi Gregorii IX, incip. *Detestanda humani hostis;* quod et fecit Innocentius IV, brevi incipien. *Debemus Nos*, aliique Summi Pontifices Nicolao IV anteriores. Unde Minoritica religio in officio ejusdem Seraphici P. Sancti Francisci a Sancto Bonaventura præcipue compositio et a S. Romana Ecclesia comprobato, Antiphona tertia ad laudes solemniter canit: *Tres ordines hic ordinat; primumque Fratrum nominat Minorum, pauperumque fit dominarum medius, sed pœnitentium tertius sexum capit utrumque.* Facile tamen crediderim Nicolaum IV ejusdem Sancti Patris Francisci filium, quædam ex suis inseruisse, aliquidque pro temporis, et ipsius ordinis ratione immutasse; quorum utrumque ipse Nicolaus IV non obscure insinuavit

constitut. incip. *Unigenitus*, quam refert Antonius de Sillis, lib. *De origine et profectu Tertii Ordinis*, tom. II, p. 7, et sequitur eruditissimus P. Waddingus, tom. II *Opusculorum B. Franc. in Argumento regulæ Tertiariorum sive Fratrum de Pœnitentia;* ubi ante hæc habet:

(41. « Quam (pœnitentiam) dum cœlesti fervore et cumulato fructu in multis Italiæ locis beatus hic legislator noster prædicaret, sed præcipue in oppido Canarii, quod in Umbria in valle Spoletana per quatuor millia passuum ab Assisio distat, oppidani omnes, et ex aliis pagis et civitatibus turmatim ad virum Dei ejus prædicationis igne succensi, undique confluebant, nullo pavore suspensi, nulla cura distracti, et se novis pœnitentiæ legibus vincire velle significabant. Qui ne imbecilles mulieres, et periculis facile expositas, consortium præsidio orbaret, nec homines uxorum licita et optata societate privaret, et loca urbesque penitus depopulari videretur, nec hos in religiosorum sodalium recipere, nec illas in sanctimonialium claustra recludere, consultum judicavit. Unde communem utriusque hoc institutum præscripsit ad 14 plenæ conversionis annum, et virginei partus 1221, in quo utriusque sexus omne genus, tam sæcularium quam ecclesiasticorum facillime, et sub suavi jugo, sub propriis tectis, propria gaudens hæreditate, Deo inserviret, ordinem suis statutis firmavit, legibus munivit, et propria regula corroboravit. » Hæc ille.

(42. Unde S. P. N. Franciscus inter omnes religionum regularium fundatores primus, ni dicam unicus, fuit qui Tertium Ordinem de Pœnitentia instituit, cujus exemplum deinde aliquæ aliæ præsertim mendicantes secutæ sunt religiones, ut tradit P. Antonius de Venetiis, in *Viridario Seraphico*, italice impresso tom. I, p. 1, cap. 12, et alii de hac re scribentes. Eumque S. Pater *de Pœnitentia* nuncupavit, fortasse, ut placet S. Bonaventuræ, quia sicut pœnitentia est via communis ad cœlum, sic ordo iste cujuscunque status et sexus viros, feminas, clericos et laicos solutos et ligatos, seu conjugatos amplectitur, ac neminem excludit, omnesque hunc ordinem ingredi, illumque profiteri possunt; sicque per omnium pœnitentiam in hoc mirifico ordine omnibus commodam, omnibusque ab ipso paratam, verificetur universalis prolabentis Ecclesiæ reparatio sibi a Jesu Christo, e cruce pendente miraculose indicta, juxta primam laudum Antiphonam in festo ejusdem Sacrorum Stigmatum a minoritica religione a Sede Apostolica comprobatam quotannis cani consuetam : *Crucis vox hunc alloquitur, ter dicens : Tu te præpara; vade, Francisce, repara domum meam, quæ labitur;* (43. quapropter de eo grata sancta Catholica Romana Ecclesia tanto pro beneficio recepto medio Seraphici S. P. N. Francisci, ac trium sacrorum ordinum ab ipso institutorum, in coronatione Summi Pontificis, nullius alterius sancti canit col-

Digitized by Google

lectam præter illam ipsius, tres duntaxat canendo, primam nempe de Spiritu sancto, ut eam illuminet; secundam de B. M. V., ut eam protegat; tertiam de S. P. N. Francisco, ut sicut eam a casu reparavit, eamdem continue sustentet, uti jam adnotavimus sub verb. PAPA, art. 1, n. 73, et notant passim de hac coronatione scribentes.

(44. Et fuisse vere hunc tertium ordinem a S. P. N. Francisco institutum, Christus, ipse testari voluit mysteriosa illa ac miraculosa revelatione in monte Alverniæ ei facta ipsi apparens in forma Seraphim, terque ei dicens, ut aliquid donaret, ac omnibus nudus Seraphicus Pater, suo in sinu tres aureas monetas miraculose reperiens, easdemque statim ipsi Christo summa cum lætitia elargiens, meruit hæc ab ipso audire: Scias, Francisce, tres has pretiosissimas monetas mihi elargitas, tres illos esse ordines a te tanto charitatis, ac pietatis favore institutos, quorum præmio ac remuneratione mox te faciam mearum plagarum participem; ut sic te ducem ac signiferum meæ passionis et crucis constituam. Inde, ut ostenderet Christus Dominus æque sibi gratam fore pretiosam illam auream monetam hujus Tertii Ordinis, ac alias duas aliorum duorum ordinum, sicut hos duos, ita et istum amplissimis favoribus insignire voluit, tum in ordine naturæ, tum in ordine gratiæ et gloriæ, ipsum ditando innumerabilibus potentatibus, imperatoribus, imperatricibus, regibus, reginis, utriusque sexus ducibus, ac principibus, marchionibus, marchionissis, comitibus ac comitissis, aliisque conspicuis undequaque personis, etiam ecclesiasticis, episcopis nempe, archiepiscopis, patriarchis, cardinalibus, et insuper etiam pluribus Summis Pontificibus, qui teste Miranda, in *Regula Tertii Ordinis*, pag. 340, huic Seraphico ordini se ascripserunt, et sub Pontificiis vestibus suum sacrum habitum gestaverunt, ut vere ac jure gloriari possent se esse filios Seraphici patriarchæ institutoris. E quibus omnibus supradictis plurimi virtutum laude, miraculorum gratia, et sanctitatis gloria conspicui evasere, ac in dies continue evadunt, ut videre est apud Antonium de Sillis, Waddingum, Mirandam, Petrum Antonium de Venetiis, Chronicas Fratrum Minorum, omnesque de hoc mirifico tertio ordine S. P. N. Francisci scriptores, et Regulæ expositores, de qua merito potest dici illud Apostoli ad *Galatas* cap. VI, v. 16: *Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia.*

(45. Tertiarii utriusque sexus hujus Tertii Ordinis, non obstante supradicta formula emissæ professionis, per transgressionem præscriptorum, in sua Regula, nisi alias ad eas sint obligati ex divinis, vel ecclesiasticis præceptis, nullum committunt peccatum, nec mortale, nec veniale; et quod nullum incurrant peccatum mortale, habetur expresse decisum a Nicolao IV, in cit. constitut. *Supra montem* cap. 20 ipsiusmet regulæ, ubi: « Cæterum in præmissis omnibus, ad quæ fratres vestri ordinis, non ex divinis præceptis vel statutis tenentur Ecclesiæ, nullum ipsorum ad culpam mortalem volumus obligare, sed impositam sibi pœnitentiam pro transgressionis excessu prompta humilitate recipiant, et efficaciter studeant adimplere. » (46. Item a Leone X, constitut. 42 incip. *Inter cætera*, cap. 10: « ejusdem Regulæ contenta sunt consilia ad facilius salvandas animas viatorum, et nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, nisi humano vel divino jure aliquis alias esset obligatus. Obligantur tamen Fratres et Sorores facere pœnitentias sibi a superioribus impositas, quando super hoc requiruntur. » Ubi, ut clare vides, hic Pontifex expresse declarat quod nulla contenta in dicta Regula sint obligatoria ad peccatum nequidem veniale, ibi: « Nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale vel veniale. »

(47. Hinc, ut recte monent passim doctores, debent Tertiarii utriusque sexus, antequam professionem emittant, plene instrui a superioribus, seu visitatoribus, aut commissariis specialiter deputatis, quod præfati Pontifices nolunt eos ex vi professionis et Regulæ, obligari, nec ad peccatum mortale nec veniale, nisi propter ignorantiam et errorem existiment se ad promissa in vim promissionis sub culpa obligari.

Tertiarii nostri ordinis in sæculo degentes possunt uti nostro Breviario Franciscano. *Vide* verb. OFFICIUM DIVINUM, art. 3, n. 57, et seq.

(48. Alia ad rem. *Vide* verb. EREMITA, a n. 18, et verb. RELIGIONES REGULARES, art. 5, n. 14; verb. VESTIS, n. 17.

(49. Tertiarii qui nondum compleverint annum XX nequeunt retineri in conventibus. *Vide* verb. HABITUS, a n. 33 ad 35.

(50. Additur attendenda peculiaris constitutio Benedicti XIII incip. *Exponi Nobis*, edita 30 Septembris 1729, anno sexto sui Pontificatus, in qua ad instantiam P. F. Bonaventuræ Gervasi procuratoris generalis fratrum Tertii Ordinis S. Francisci ad tollendas quascunque molestias et vexationes, quas non minus Tertiarii sæculares hujusmodi, quam minister generalis, aliique superiores subalterni sibi inferri posse verentur ab iis locorum ordinariis, qui dictos Tertiarios sæculares suæ obedientiæ subjacere vellent, litteras suas anni 1725 10 Dec. editas anno secundo, per quas inter alia Tertiarii de Pœnitentia nuncupati, directioni, curæ et regimini ministri generalis, ac superioribus ordinis Sancti Francisci de Observantia subjiciuntur seu subjecti declarantur, confirmat ad tenorem constitutionis Clementis VII incip. *Dum uberes fructus*, et Pauli III incip. *Ad uberes fructus*; in quibus prædictus Tertius Ordo admissus fuit ad participationem privilegiorum quatuor ordinibus Mendicantibus, et nominatim ordini Fratrum Minorum S. Francisci ab S. Sede concessorum, et hanc participationem in suis litteris confirmatam, ad majorem cautelam denuo concedit: et dictas

Digitized by Google

suas litteras, quibus præfati Tertiarii curæ et regimini ministri generalis ac superiorum Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia subjiciuntur seu subjecti declarantur, ad Tertiarios etiam sæculares Tertii Ordinis, ut ejusdem superiorum directioni, curæ et regimini pariter subjaceant, auctoritate Apostolica perpetuo extendit et ampliat.

(51. Alio ad rem addita et observanda. *Vide* constitutionem Clementis XII incip. *Apostolicæ servitutis ;* constitutionem Benedicti XIV incip. *Emanavit nuper ;* aliam ejusdem incip. *Ad Romanum Pontificem ;* et adhuc aliam ejusdem incip. *Inexhausti Ecclesiæ thesauri ;* et attendenda est sequens resolutio sacr. congr. Episcop. et Reg., nempe :

« In causa Narniensi juris admittendi et vestiendi tertiarios vertente inter episcopum Narniensem, illiusque promotorem fiscalem ex una, et conventum et Patres Minorum Sancti Francisci Stronconii, illorumque Patrem procuratorem generalem ex altera, partibus, propositum fuit infrascriptum dubium, videlicet :

« An liceat regularibus Observantiæ admittere Tertiarias ad habitum sine votis, irrequisito ordinario, et an illarum admissio facta irrequisito episcopo sustineatur in casu ? »

Sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus Episc. et Regularium præposita, referente eminentissimo D. card. Bichi Ponente, partibus auditis ac re mature discussa, ad suprascriptum dubium respondit : « Affirmative, absque tamen ulla exemptione. »

« Romæ 5 Septembris 1738. »

(52. Huic articulo sub num. 17 addendum est quod excitata controversia inter episcopum Lunen., Sarzanen., et Tertiarias ord. S. Francisci de Observantia collegialiter in conservatorio Massæ viventes sub cura dictorum Patrum : sacra congregatio Concilii die 30 Januarii 1723 respondit « conservatorium esse subjectum omnimodæ jurisdictioni episcopi, citra tamen approbationem sacræ congregationis quoad dictum conservatorium. » Sic apud *Thesaurum resolutionum sacræ congregationis Concil.*, tom. II, *in dict. Lunen. Sarzanen.* Visitationis Sacrorum Liminum. (53. Nec obstat constit. Bened. XIII incip. *Paterna sedis Apostolicæ providentia* edita pro omnimoda exemptione Tertiariarum ordinis Minorum de Observantia a jurisdictione ordinariorum et parochorum; nec alia ejusdem constit. incip. *Pretiosus* edita pro simili omnimoda exemptione Tertiariarum præclarissimi ordinis S. P. Dominici in qua § 55, ita sancivit : « Attendentes insuper per annos, ut accepimus, centum et sexaginta ab edita dicta constitutione S. Pii V, et per sæculum et ultra post decretum congregationis Episcoporum et Regularium emanatum 20 Decemb. 1626, ejuscemodi Tertiarias collegialiter viventes pluribus in

locis, scientibus ac tacentibus ordinariis, floruisse, et etiam nunc florere sine clausura, declaramus, volumus et mandamus, eosdem ad neutram absolute teneri aut esse compellendas ; non obstantibus contrariis ordinationibus, etiam Apostolicis, quibus expresse per præsentes derogamus. »

(54. Non obstat, inquam, dicta utraque constitutio Benedicti XIII, quia cum aliis ad favorem regularium editis ab eodem Pontifice, fuit utraque moderata et reducta ad terminos juris communis, concilii Tridentini et constitutionum Apostolicarum, a Clemente VII, tertio Kalendas Aprilis 1732, constitution. incip. *Romanus Pontifex* jam a me ad litteram adducta tom. V, verb. *Privilegium*, art. 3, num. 64, in qua sic expresse habetur : « Statuimus et decernimus, de omnibus et singulis prædictis Litteris et Constitutionibus, quæ ab eodem antecessore nostro Benedicto prodierunt, necnon de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus et declarationibus in iisdem contentis eam deinceps decisionem, ad judicium etiam in foro conscientiæ habendum quod sive jure communi, sive ex concilio, sive ex decretis et constitutionibus Apostolicis, sive ex aliis legitime habebatur, antequam eædem litteræ et declarationes ab eodem Benedicto concessæ fuissent, perinde scilicet ac si illæ non emanassent, ad quam dispositionem, ejusque pristinum statum ac terminum omnia superius enuntiata, omnino reducimus et reducta esse volumus, ita ut in posterum supradicti ordines regulares earumdem litterarum et constitutionum usu, commodo et effectu penitus carere debere intelligantur. » Unde, ut vides, et recte tradit Bened. XIV, volum. V, notificat. 17, § 2, redit in pristinum jurisdictio ordinariorum supra Tertiarias collegialiter viventes, ac si minime emanassent dictæ Benedictinæ constitutiones, eas a tali jurisdictione eximentes, qua dicta pristina jurisdictione utens ipse, ceu vigilantissimus et zelantissimus archiepiscopus Bononiensis, uti sibi omnino subjectas eas libere visitavit. *Vide ipsum volum.* II, notificat. 9, cit. notificat. 17, § 2, ubi plurima scite et erudite suo more adducit ad rem.

(55. Sæculares Tertii Ordinis gaudent præcedentia supra quascunque laicales confraternitates. Sic expresse statuit Benedictus XIII, constitution. incip. *Ad nostram audientiam.* Et novissime Benedictus XIV, constitution. incip. *Emanavit nuper*, in qua confirmat etiam decretum sacræ congregat. Episcopor. et Regularium ad id editum. Et talis præcedentia eis competit, sive sub propria cruce, sive sub illa FF. incedant. Idem, *ibidem.* Eorum habitum esse non solum vestem totalem, sed etiam particularem, scilicet scapulare et cingulum, expresse declarat. Idem, *ibidem.* (56. Nova concessio et præfinitio indulgentiarum pro Fratribus et Sororibus Tertii Ordinis sæcularis S. P. N. Francisci Assisiensis facta est novissime ab eodem Benedicto XIV, con-

Digitized by Google

stil. incip. *Ad Romanum Pontificem.* Item nova indulgentiarum concessio pro personis sæcularibus utriusque sexus tam Tertio Ord. S. P. Francisci de Paula ascriptis quam Chordigeris ejusdem Sancti Funiculum benedictum deferentibus facta est ab eodem constitut. incip. *Inexhausti.* (57. Tertiarias subjectas esse jurisdictioni parochorum, in quorum parochiis sine clausura convivunt, censuit sacra congregat. Concil. die 26 Aprilis 1749, *in Januen.* pro Tertiariis inclyti ordinis S. P. Dominici, et confirmavit idem Bened. XIV, const. incip. *Emanavit super.* Quæ omnes constitutiones attendendæ nunc sunt, non attentis amplius aliis, quæ in contrarium jam in Opere his de rebus tradidimus.

(58*. Mulieribus Tertiariis non collegialiter viventibus non possunt regulares dare habitum sui ordinis sine licentia episcopi diœcesani, cui debent rite probare, habere se hoc privilegium Sedis Apostolicæ, feminas illas esse moribus probatas, habere illas ultra annum decimum quartum, tantum possidere de annuis redditibus, ut habeant satis ad alimenta; ac denique non cum aliis eas cohabitare, quam cum necessariis in primo tantum gradu consanguinitatis vel affinitatis sibi conjunctis, ut ex decret. sacr. congr. in causa Mazariensi die 10 Maii 1727, *De synodo diœces.* lib., VII, cap. 41, § 8.

(59. Tertiariæ non collegialiter viventes ex recepta sacr. congregationis immunitatis opinione gaudent immunitate fori. (60. Vicissim autem Tertiariæ in domibus privatis habitantes eodem privilegio non gaudent, ut ex doctoribus definitur *Instit. eccl.* 105, § 68.

(61. De argumento hujus artic. plura ad rem disserit P. Gaudentius de Janua in suo opere *De visitatione*, t. III, cap. 7, dub. 27, sect. 3. Eum igitur consule, ubi necessitas exigat; nec non quæ ex theologo Romano desumpta subjicientur ad calcem hujus tomi.

TESTAMENTUM.

ARTICULUS I.

Testamentum quoad ejus naturam, divisionem et solemnitates ad ipsum requisitas.

SUMMARIUM.

1. Testamentum unde sit dictum. — 2. Testamentum quid sit. — 3. Nullum testamentum quantumvis privilegiatum valet sine hæredis directa institutione. — 4. Testamentum dividitur in solemne, et non solemne seu privilegiatum, et quale sit utrumque. — 5. Testamentum solemne subdividitur in scriptum et nuncupativum. — 6. Testamentum solemne scriptum quale sit. — 7. Testamentum solemne nuncupativum quale sit. — 8. Quamvis etiam hoc testamentum soleat hodie redigi in scripturam, non cessat esse nuncupativum. — 9. Ad valorem testamenti solemnis scripti præter hæredis directam institutionem, requiritur primo, ut sit in scripturam redactum, vel manu ipsius testatoris, vel manu alterius de expresso ejus mandato. — 10. Si manu alterius sit scriptum, debet ei testator propria manu subscribere coram testibus, vel octavum testem adhibere, qui nomine et loco ipsius subscribat. — 11. Si autem ipsemet testator propria manu testamentum scripserit, non requiritur amplius propria, vel alterius octavi testis subscriptio. — 12. Nec refert, an isto vel alio tempore scriptum, dictatumque sit testamentum. — 13. Nec requiritur quod testator testamentum scriptum prælegat, sed sufficit quod scripturam clausam aut convolutam exhibeat testibus dicendo in illa suum contineri testamentum. — 14. Secundo ad valorem testamenti solemnis scripti requiritur, quod in illo adhibeantur septem testes idonei. — 15. Testes, ut sint ad id idonei, debent esse masculi. — 16. Item debent esse liberi et non servi. — 17. Item debent esse puberes. — 18. Testes ad id idonei non sunt furiosi, muti, surdi. — 19. Item nec cæci. — 20. Item testes ad id idonei non sunt personæ suspectæ, ut ipse hæres in testamento institutus. — 21. Item neque is, qui in potestate testatoris seu hæredis est, neque pater ejus, qui eum habet in potestate, neque fratres qui in ejusdem patris potestate sunt. — 22. Cæteri consanguinei et affines testatoris, seu hæredis, necnon famuli, officiales, ministri, ac domestici ejus testes ad id esse possunt. Imo etiam fratres jam emancipati, pater in testamento filii testatoris jam emancipati, item maritus in testamento uxoris. — 23. Possunt etiam plures ex eadem domo, quamvis consanguinei, ut pater et filius, duo vel plures fratres testes esse in eodem testamento, dummodo non sint sub patria potestate testatoris. — 24. De vigore juris canonici non possunt saltem licite extra casum necessitatis testes esse in testamentis et instrumentis, aliisque contractibus laicorum, nec clerici sine licentia episcopi, nec religiosi sine facultate sui prælati. — 25. Quamvis tamen id ipsis sit illicitum, validum tamen est eorum testimonium; etiamsi sine præscitu, et licentia superiorum testes in supradictis agant. — 26. Tertio ad valorem testamenti solemnis scripti requiritur, ut omnes testes ita sint præsentes, ut testatorem non tantum audire, sed et videre possint. — 27. Quarto requiritur, non solum quod testes sint præsentes, sed insuper quod ad testificandum sint rogati, seu invitati, ac moniti. — 28. Quinto requiritur, quod testator testibus, ut supra, præsentibus scripturam clausam, aut convolutam exhibeat, dicendo in illa suum contineri testamentum. — 29. Sexto requiritur, quod testamentum sic exhibitum, vel propria manu subscribat, si ipsemet totum non scripsit; vel si subscribere nequeat aut nesciat, octavum testem, qui nomine ipsius subscribat, adhibeat. — 30. Septimo requiritur, ut omnes et singuli testes nomen suum propria manu subscribant, et illud subsignent annulo seu sigillo suo, aut alieno, etiam a testatore accepto. — 31. Octavo requiritur, ut totum negotium testamenti solemnis scripti peragatur uno eodemque loco, et tempore unoque contextu. — 32. Ad valorem testamenti solemnis *nuncupativi* requiritur, quod testator coram septem testibus idoneis, ut supra, et ad id specialiter rogatis, simul uno eodemque tempore ultimam suam voluntatem, tam circa hæredis institutionem, quam circa legata pronuntiet seu alias sufficienter manifestet, ita ut intelligi possit. — 33. Unde pauciores solemnitates requiruntur ad testamentum *nuncupativum* quam ad *scriptum.* — 34. Testamentum *nuncupativum* et testamentum *scriptum* in quo inter se differant? — 35. Supradictæ solemnitates requisitæ ad valorem testamenti de jure civili, non requiruntur omnes de jure canonico. — 36. De jure canonico ad valorem testamenti sive ad causas pias sive profanas non plus requiritur, quam adsint duo testes idonei et parochus. — 37. Testes requisiti de jure canonico debent esse idonei ac testes requisiti

Digitized by Google

de jure civili. — 38. Item tales testes, sicuti de jure civili, ita etiam de jure canonico, debent esse rogati. — 39. In defectu parochi proprii de jure canonico sufficit, si quatuor testes sint adhibiti. — 40. In ditionibus Romano imperio subjectis, tam in foro ecclesiastico quam laicali fieri et judicari debent testamenta secundum solemnitates de jure civili requisitas. In ditionibus autem temporali jurisdictioni Romani Pontificis subjectis secundum solemnitates de jure canonico requisitas.—41. Quamvis tamen gravissimi doctores teneant quod clerici etiam in terris imperii aliorumque regnorum, possint condere testamenta juxta dispositionem et formam juris canonici. — 42. Unde in praxi est attendenda consuetudo locorum.—43. Testamentum ad causas profanas carens una vel pluribus solemnitatibus a jure positivo requisitis, nullum et invalidum est in foro externo. — 44. An autem tale testamentum sit nullum, et invalidum etiam in foro interno, seu conscientiæ, tres sunt doctorum sententiæ. — 45. Prima sententia tenet tale testamentum in foro interno, seu conscientiæ esse validum. — 46. Afferuntur hujus sententiæ fundamenta ex jure canonico. — 47. Item ex jure civili. — 48. Item ex ratione.— 49. Secunda sententia opposita tenet dictum testamentum esse invalidum etiam in foro interno seu conscientiæ. — 50. Afferuntur hujus sententiæ fundamenta ex pluribus legibus.—51. Item ex ratione.— 52. Tertia sententia est media, per quam fere conciliantur inter se supradictæ duæ sententiæ oppositæ. Et decet quod dictum testamentum imperfectum, et minus solemne non sit quidem irritum et invalidum ipso jure in foro conscientiæ; at tamen possit tale declarari per sententiam judicis. — 53. Juxta hanc sententiam concludimus quod tale testamentum ad causas profanas validum est, et obligat in conscientia ante sententiam judicis; secus autem post judicis sententiam. — 54. Adducitur probatio primæ partis. — 55. Adducitur probatio secundæ partis. — 56. Affertur ad id probatio a simili variis exemplis ex jure desumptis.—57. Adducitur ad id brevis et clara resolutio. — 58. Item adducitur alia ad id similis resolutio.— 59. Subnectuntur *Supplementa* ad n. 68.

(1. Testamentum ex eo appellatur quod testatio mentis sit. Textu expresso in princip. instilut. *De testamentis ordinandis*. Et sic Communis doctorum.

(2. Testamentum est ultima nostræ voluntatis dispositio seu ordinatio cum directa hæredis institutione. Ita in re Communis, arg. leg. *Testamentum* 1, ff. *Qui testamenta facere possunt*, ubi testamentum a Modesto sic definitur : « Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult. » Quæ definitio, quamvis a multis ut legitima recipiatur, a pluribus tamen ob omissam particulam *cum hæredis institutione*, ut manca et imperfecta rejicitur, eo quod hæredis institutio sit de essentia testamenti. (3. Nullum enim testamentum, quantumvis privilegiatum valet vel subsistit sine hæredis directa institutione, ut tenet communissima doctorum ob textus expressos § *Ante hæredis* 34, instit. *De legatis*, ibi : « Testamenta vim ex institutione hæredis accipiunt, et ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur totius testamenti hæredis institutio, » § *In primis* 1, instit. *De fideicommissariis hæreditatibus*, ibi : « In primis sciendum est opus esse ut aliquis recto jure testamento hæres instituatur... alioquin inutile est testamentum, in quo nemo hæres instituatur;» leg. *Proxime* 3, ff. *De his*, quæ in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur, ibi : « Non potest ullum testamentum valere quod hæredem non habet, » leg. *Quod per manus* 10, ff. *De jure codicillorum*, ibi : « Testamentum, quod vires per institutionem hæredum accipit; » leg. *Jubemus* 29, ff. *Quod si*, cod. *De testamentis*, ibi : « Quod si non fuerit observatum et nomen hæredis vel hæredum non fuerit manu testatoris scriptum, vel voce coram testibus nuncupatum, hoc testamentum stare minime patimur, » cum similibus.

* Antequam ad varias testamenti species deveniamus, non abs re erit eas primo recensere quæ antiquitus obtinebant, quæ licet obsoleverint, plurimum tamen conferunt, ut intelligantur ea quæ nunc in testamentis observantur. De his ita Ulpianus, *Fragm.*, tit. 20, § 2 : *Testamentorum genera fuerunt tria : unum quod CALATIS COMITIIS, alterum quod IN PROCINCTU, tertium quod PER ÆS ET LIBRAM appellatum est.* Ut intelligatur quidnam esset testamentum factum *CALATIS COMITIIS*, præmittendum est *COMITIA a COEUNDO* dicta esse, et nihil aliud in se continere nisi conventum populi Romani ad suffragium de aliqua re ferendum. Varia eorum genera erant, nimirum *curiata*, *centuriata* et *tributa*. Nam Romulus Urbem ac populum in tres partes ac regiones distribuit, quas *tribus* vocavit, singulas autem *TRIBUS* in decem *CURIAS* divisit, adeo ut Romæ triginta essent *CURIÆ*, quibus singulis singulos præfecit *curiones*, et propria cuique *CURIÆ* sacra assignavit. His *CURIIS* similes nunc sunt parochiæ, quibus loco *curionum* præsunt parochi, de quibus etiam alibi disseruimus titulo *De decanis*. Harum triginta *CURIARUM* numerus permansit, *tribuum* vero numerus crevit usque ad triginta quinque ; quatuor urbanæ, cæteræ rusticæ erant ; et hæ quidem urbanis longe præstantiores, in quas scilicet optimi quique ac præstantissimi cives referri se ac censeri curabant, cum urbanæ opificibus, præconibus, scribis, cæteraque turba forensi potissimum constarent. Fuit et alia populi Romani divisio ex instituto regis Servii Tullii in classes et centurias, in quas quisque pro modo census, quem professus erat, distribuebatur. Prima classis quæ ditiorum erat, continebat decem et octo equitum, et triginta peditum centurias; secunda classis duas supra viginti; tertia viginti; quarta duas supra viginti : quinta triginta centurias habebat; sexta classis, quæ egenorum erat pro una centuria habebatur. Erant igitur omnes centuriæ centum nonaginta tres.

Ex his intelligere est quid sint *curiata comitia*, quid *centuriata*, quid *tributa* ; nimirum ea in quibus per singulas *curias* suffragium ferebatur, ut quod major pars *curiarum* jussisset, a populo jussum videretur, curiata comitia dicebantur. Quod si per centurias suffragium ferretur, *centuriata*, si per tribus, tributa comitia erant. *Calata* autem *comitia* non sunt proprium comitiorum

Digitized by Google

genus, et ita initio dicta sunt omnia comitia a Græco verbo KAAEIN, quod est *vocare* quasi convocata. Cum autem in usu hæc vox esse desiisset, nomen *calatorum comitiorum* his tantum comitiis remansit, quæ pro collegio pontificum, et his, quæ testamentorum condendorum gratia habebantur, idque religionis cujusdam et antiquitatis ratione. Hæc comitia condendorum testamentorum gratia bis in anno pacis tempore habita fuisse refert Theophilus, *Instit.*, tit. *Qui testam. fac. pos.*, ibi : « Quicunque testamentum facere volebat, illud in concione populi condebat per modum legis rogando, ut quis sibi hæres esset, quæ rogatio populi suffragio confirmabatur. Scilicet existimabant Romani legem ex qua hærodes ab intestato habebant, nonnisi alia lege in comitiis lata tolli posse. His comitiis interveniebant Pontifices, nimirum ut sacra privata testatoris ad hæredem transirent, et ita testamenta fiebant *CALATIS COMITIIS.* »

Quod spectat ad testamentum *IN PROCINCTU*, illud in rebus trepidis cives Romani cincti, et ad bellum proficiscentes, et quasi devoti diis Manibus faciebant. Hæc enim devotorum ultima voluntas pro lege erat, tacito populi suffragio rata. Hujus testamenti meminit Plutarchus in *Vita Coriolani*, ubi moris fuisse refert apud Romanos ut « milites in acie jamjam profecturi ad pugnam testamentum facerent nuncupando viva voce coram tribus aut quatuor testibus quem sibi hæredem vellent. » Extra tale periculum milites testabanturjure ordinario.

Exoleverunt autem testamenta *IN PROCINCTU*, ex quo bella auspicato geri desierunt, quod jam Ciceronis ævo usurpatum fuisse, ipse testatur *De natur. deor.*, lib. II, cap. 3; comitia autem condendorum testamentorum causa minus frequentari, et sensim exolevisse dudum ante debuerant, ex quo scilicet, latissima testandi facultate per legem duodecim tabularum unicuique concessa, jurisconsulti qui legis actiones componebant, varias ex lege et legis interpretatione agendi formulas et modos solemnes invenerunt ipsi, et ritum testandi solemnem, cujus ope non amplius necesse haberent cives exspectare tempus comitiorum. Hic modus dictus est *PER ÆS ET LIBRAM*, de quo ita pergit Ulpianus : « Illis duobus testamentis abolitis hodie solum in usu est quod *PER ÆS ET LIBRAM* fit, id est per mancipationem imaginariam. In quo testamento libripens adhibetur, et familiæ emptor, et non minus quam quinque testes cum quibus testamenti factio est. » Ulpian., cit. frag., tit. 20, § 2. Raro autem eum, quem quis sibi hæredem vellet, adhibebat familiæ suæ emptorem, sed interponebat aliquem qui his, quos sibi hæredes vellet, familiam esset remancipaturus. Sed de antiquo testamentorum jure hæc attigisse sufficiat, nunc ad ea transeamus, quæ jure præsertim Justinianeo introducta expeditiora sunt.*

(4. Nunc videlicet testamentum dividitur in solemne, et non solemne seu privilegiatum. Testamentum *solemne* est quod habet omnes solemnitates a jure requisitas quæ infra assignabuntur. Testamentum *non solemne* seu *privilegiatum* est, quod, licet careat solemnitatibus alias de jure communi requisitis, ex speciali tamen privilegio valet ac si ipsas haberet, cujusmodi est testamentum ad pias causas, testamentum parentum inter liberos conditum, testamentum militis in expeditione bellica factum, testamentum conditum tempore pestis, testamentum factum coram principe, seu ipsi oblatum, vel ad acta judicis traditum. *Communis.*

(5. Testamentum solemne subdividitur in scriptum et nuncupativum; § *Sed hæc* 14, instit. *De testamentis ordinandis.* (6. Testamentum solemne *scriptum* seu *in scriptis* (quod etiam *clausum* vulgo appellatur, eo quia plerumque testator latere vult tabellionem, et testes quid in eo contineatur) est illud quod fit in scripturam redactum, scriptum et subsignatum, servata juris forma præscripta leg. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis.*

(7. Testamentum solemne *nuncupativum* est illud quod sine scriptura, ac etiam sine subscriptione et subsignatione testium fit, cum testator coram requisitis testibus hæredem oretenus nominat seu nuncupat, simulque declarat quid de bonis suis post mortem fieri velit; § *Sed hæc* 14, institution. *De testamentis ordinandis.* (8. Hodie tamen talis nuncupatio seu declaratio ultimæ voluntatis in scripturam a notario publico redigi solet; non quod ad illam requiratur scriptura tanquam forma ad substantiam actus, sed ne memoria excidat, et ut facilius probari possit voluntas testatoris, si fortasse testes interim mori vel inhabiles reddi contingeret, antequam coram judice voluntatem defuncti declararent; quorum defectus suppletur per publicum notarii instrumentum, ut insinuatio alia apud judicem non sit necessaria; nec per hoc cessat esse testamentum nuncupativum, quia talis scriptura non adhibetur, nec fit necessario, sed ut dictum est, adhibetur et fit solum pro commodiori et faciliori probatione, prout in simili dicitur, leg. *In re* 4, *De fide instrument.*, ibi : « Fiunt enim de his scripturæ, ut quod actum est per eas facilius probari possit, sine his autem valet quod actum est, si habeat probationem. »

(9. Ad valorem testamenti solemnis *scripti*, seu *in scriptis* (præter hæredis directam institutionem, quæ ex juribus adductis supra n. 3, necessaria est ad valorem cujuscunque testamenti quantumvis privilegiati) requiritur primo, ut sit in scripturam redactum, vel manu ipsius testatoris, vel manu alterius de expresso ejus mandato, l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*, ibi : « Vel ipsius testatoris, vel cujuslibet manu conscriptum. » (10. Cum hoc tamen quod, si manu alterius sit scriptum, debet ei testator propria manu subscribere coram testibus, vel octavum testem adhibere, qui nomine et loco ipsius subscribat; cit. l. *Hac consultissima* 21, et l. *Cum antiquitas* 28, cod.

Digitized by Google

De test. (11. Si autem ipsemet testator manu propria testamentum scripserit, non requiritur amplius propria, vel alterius octavi testis subscriptio, text. expr. in cit. l. *Cum antiquitas* 28, § *Cum autem*, cod. *De testamentis*, ibi : « Sancimus, si quis sua manu totum testamentum, vel codicillum conscripserit, et hoc specialiter in scriptura reposuerit, quod hæc sua manu confecerit, sufficiet ei totius testamenti scriptura, et non alia subscriptio requiretur, neque ab eo, neque pro eo ab alio. » (12. Nec refert, an isto vel alio tempore scriptum dictatumque sit testamentum, textu expresso in cit. l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*, ibi : « Licet alio tempore dictatum scriptumve proferatur testamentum, sufficiet. » (13. Nec requiritur quod testator testamentum scriptum prælegat, vel tenorem illius manifestet, sed sufficit quod scripturam clausam aut convolutam exhibeat testibus, dicendo in illa suum contineri testamentum, cit. l. *Hac consultissima*, ibi : « Dummodo tamen testibus præsentibus testator suum esse testamentum dixerit, quod offertur. »

(14. Secundo ad valorem testamenti solemnis scripti, seu in scriptis requiritur quod in illo adhibeantur septem testes idonei, l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*, et l. *Hæredes* 21, § *In testamentis*, ff. *Qui testamenta facere possunt.*

(15. Testes autem, ut sint ad id idonei, debent esse masculi ; mulieres enim ad id non admittuntur, § *Testes autem* 6, institut. *De testamentis ordinandis*, l. *Qui testamento* 20, ff. *Qui testamenta facere possunt.* (16. Item debent esse liberi et non servi; servi enim excluduntur. Citat. leg. *Hac consultissima;* et citat. § *Testes autem.* (17. Item debent esse puberes, quia impuberes ad id inhabiles declarantur. Cit. § *Testes autem*, et cit. l. *Hac consultissima.* (18. Item testes, ut sint idonei, non debent esse furiosi, neque muti, nec surdi, omnes enim isti excluduntur. Cit. § *Testes autem* 6, instit. *De testamentis ordinandis.* (19. Ad quos reducuntur etiam cæci, ex eo quod testamentum videre non possunt, quod tamen requiritur. Arg. l. *Si non speciali* 9, cod. *De testamentis.* (20. Item debent esse testes extra omnem suspicionem ; unde testis esse non potest in testamento ipse hæres institutus. L. *Qui testamento* 20, ff. *Qui testamenta facere possunt*, § *Sed neque hæres*, instit. *De testam. ordinand.* (21. Neque is qui in potestate testatoris seu hæredis est, neque pater ejus, qui eum habet in potestate, neque fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt. § *In testibus* 9, et cit. § *Sed neque hæres* 10, instit. *De testam. ordinand.*

(22. Cæteri autem consanguinei et affines testatoris seu hæredis, necnon famuli, officiales, ministri ac domestici ejus testes ad id esse possunt ; imo etiam fratres jam emancipati, et pater in testamento filii testatoris jam emancipati ; item maritus in testamento uxoris ; in istis enim omnibus cessat ratio legis, vinculum scilicet unitatis ex patria potestate proveniens. Nec obstat cit. § *In testibus* 9, instit. *De testam. ordinandis*, ubi ad id excluditur *testimonium domesticum*, et cit. § *Neque hæres* 10, instit. eod., ubi declaratur inhabilis *is, qui in potestate ejus* (id est hæredis) est ; quia uterque textus intelligendus est de iis, quos vinculum patriæ potestatis unit cum hærede vel testatore, ita ut qui sub hæredis vel testatoris patria potestate est, filius videlicet, et qui hac ratione domesticus reperitur, testis esse non possit, ut communiter interpretantur doctores.

(23. Possunt etiam plures ex eadem domo, quamvis consanguinei, ut pater et filius, duo vel plures fratres, testes esse in eodem testamento ; dummodo non sint sub patria potestate testatoris. L. *Ad testium* 22, ff. *Qui testamenta facere possunt*, et § *Pater* 8, instit. *De testam. ordin.* can. *Si testes* 3, caus. 4, qu. 2.

(24. De rigore juris canonici non possunt saltem licite extra casum necessitatis clerici sine licentia episcopi et religiosi, seu monachi sine prælati sui facultate et consensu testes esse, seu testimonium ferre in testamentis seu instrumentis sæcularium conficiendis, aliisque causis, sive contractibus civilibus locorum. Glossa in authentic. *De monachis*, § *Cogitandum*, vers. *Testes collation.* 1, juncta Glossa Marginal., *ibidem*, Abbas, in cap. *Cum nuntius*, n. 3, De testibus ; Farinacius, qu. 61, *De testibus* n. 64, et plurimi alii per textum in can. *Quanquam* 2, caus. 14, qu. 2, ubi in synodo habita Romæ ab Eugenio Papa II, cap. 13, sic statutum legitur : « Quanquam sacerdotum testimonium credibilius habeatur, tamen ipsis in sæcularibus negotiis pro testimonio aut in conficiendis instrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus esse non convenit : si autem eventu aliquo causæ interfuerint, et aliquid viderint vel audierint, ubi nullæ idoneæ sæcularium inveniantur personæ, ne veritas occultetur, aut malus ut bonus æstimetur, in providentia proprii episcopi sit, ut, aut coram se et competentibus judicibus, aut aliter honorifice veritatem attollant ; » et in Summario expresse dicitur : « In conficiendis instrumentis sacerdotes ad testimonium non vocentur ; » tum quia clerici subsunt suo episcopo, et strictius religiosi seu monachi suo prælato regulari, cum sub ejus omnimoda obedientia sint positi, nec habeant velle nec nolle, cap. *Si religiosus* 27, De election., in 6, cap. *Religiosus* 2, De testament., in 6, cap. *Religiosi* 5, De sepulturis, in 6; ergo hoc ipso non possunt esse testes sine licentia ejus, cui subsunt ; arg. can. *Monachi vagantes* 33, et can. *Monachi a monasterio* 34, caus. 16, qu. 1, cum similibus ; tum etiam quia clericis vel monachis, seu religiosis illicitum est negotiis sæcularibus se immiscere. Tot. tit. *Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant*, juncto illo Apostoli *II ad Timoth.* cap. II, ibi : *Nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus* ; et quod clericus absque licentia episcopi non possit testimonium ferre etiam in causa civili co-

Digitized by Google

ram judice laico, expresse declaravit sacra congreg. Immun., *in Aquilana* 5 Maii 1637, lib. III *Decr.* Paul., pag. 30, apud Riccium, in *Synopsi*, verb. *Testis*, n. 1, et sæpe sæpius alibi : et hoc a fortiori dicendum est de religioso seu monacho sine licentia sui prælati per supra adducta ; in casibus enim, in quibus necessarium est eorum testimonium, solet a sacra congregat. concedi facultas episcopo loci eos examinandi, sicuti alios exemptos, ut videre est apud d. Riccium in *Synopsi*, verb. *Facultas examinandi ecclesiasticos et exemptos.*

(25. Quamvis tamen de rigore juris canonici id sit illicitum clericis et religiosis, nihilominus validum est eorum testimonium, etiamsi sine licentia et præscitu superiorum testes in supradictis agant. Abbas, in cap. *Cum nuntius*, n. 3 et 4, et Felinus, *ibid.*, n. 3, *De testibus ;* Mascardus, *De probationib.* conclus. 260, n. 12 et 13 ; Farinacius, *De testibus*, quæst. 61, n. 84 et 134, allegans plures alios ; Reiffenstuel, lib. III, tit. 26, n. 13 ; Pirrhing, *ibidem*, n, 3 ; Lezana, tom. I, cap. 9, n. 13, et tom. IV, verb. *Testis regularis*, n. 1, testans ex notario sic decisum fuisse a sacr. congreg., et alii passim. Et ratio est, quia licentia superioris est quoddam accidentale, non autem de substantia actus testimonii, argum. cap. 1 *De testibus ;* tum quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, cap. *Ad Apostolicam* 16, De regularibus ; tum etiam quia nullibi reperitur tale testimonium a jure declarari irritum ac invalidum ; imo, ut experientia docet, solent clerici sæculares passim in testamentis, aliisque contractibus laicorum ex generali consuetudine in testes adhiberi etiam sine alia licentia superioris ecclesiastici, prout observant Farinacius, *loc. cit.*, n. 64 ; Azorius, consil. 590, n. 20 ; Pirrhing, lib. II *Decret.*, tit. 20, n. 60 ; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 184, et alii. Quinimo etiam religiosi non semel sine alia suorum superiorum expressa licentia in testes assumuntur pro conficiendis testamentis, præsertim in eorum conventibus, ad quos testatores pro majori celatione in dies accedunt : nec desunt auctores dicentes citatum canonem *Quanquam* 2, caus. 24, qu. 2, procedere potius de honestate quam de necessitate, prout videtur innuere ly *Eos in talibus rebus esse non convenit.* Vel non ipsum canonem esse usu receptum. Vel si receptus, denuo fuisse per contrariam consuetudinem abrogatum. Consultius tamen et tutius est, ut monent supra citati doctores et alii passim, ad effugiendas omnes dubietates, superiorum ad id petere et obtinere facultatem ; nam quod possit impugnari testamentum, in quo religiosus absque sui superioris licentia est testis eo quod pro mortuo habeatur, tradit Joan. Faber, § *Testes*, n. 3, inst. *De testamentis*, junctis nonnullis aliis, quos in oppositum citat Mascard., *De prob.*, concl. 260, n. 1 et 2.

(26. Tertio ad valorem testamenti solemnis scripti seu in scriptis, requiritur ut omnes testes ita sint præsentes, ut testatorem, non tantum audire, sed et videre possint. *Communis*, arg. l. *Si non speciali* 9, cod. *De testamentis*, ibi : « Si testes non in conspectu testatoris testium officio functi sunt, nullo jure testamentum valet. »

(27. Quarto requiritur non solum quod testes sint præsentes, sed insuper quod ad testificandum sint rogati seu invitati ac moniti. L. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*, ibi : « Rogatis testibus. »

(28. Quinto requiritur quod testator, testibus, ut supra, præsentibus, scripturam clausam aut convolutam exhibeat ; dicendo in illa suum contineri testamentum, l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*, ibi : « Dummodo testibus præsentibus testator suum esse testamentum dixerit quod offertur. »

(29. Sexto requiritur quod testamentum sic exhibitum, vel propria manu subscribat, si ipsemet totum non scripsit, vel si subscribere nequeat, aut nesciat, octavum testem, qui nomine ipsius subscribat, adhibeat. Cit. l. *Hac consultissima* 21, et l. *Cum antiquitas* 28, cod. *De testamentis.*

(30. Septimo requiritur ut omnes et singuli testes nomen suum propria manu subscribant, et illud subsignent annulo seu sigillo suo aut alieno, etiam a testatore accepto. § *Sed cum* 3, et § *Possunt* 5, instit. *De testamentis ordinandis*, l. *Ad testium* 22, § 4, ff. *Qui testamenta facere possunt.*, l. *Singulos testes* 30, ff. eod., l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis.*

(31. Octavo requiritur ut totum negotium testamenti solemnis scripti peragatur uno eodemque loco et tempore, unoque contextu, id est nullo actu alieno sive extraneo (qui ad testamenti factionem non pertineat) interveniente, nisi ad modicum intervallum ex necessitate, interruptio aliqua facta sit, quæ in tali casu non obest ; § *Sed cum* 3, inst. *De testamentis ordinandis*, ibi : « Constitutum est ut uno eodemque tempore septem testibus adhibitis, et subscriptione testium signacula testamentis apponerentur. » Et concordant lex *Hæres* 21, § final., ff. *Qui testamenta facere possunt*, lex *Hac consultissima* 21, et l. *Cum antiquitas* 28, cod. *De testamentis.*

(32. Ad valorem testamenti solemnis *nuncupativi* requiritur, quod testator coram septem testibus idoneis, ut supra, et ad id specialiter rogatis, simul uno eodemque tempore ultimam suam voluntatem, tam circa hæredis institutionem quam circa legatum palam pronuntiet, seu alias sufficienter manifestet, ita ut intelligi possit. *Communis*, per textus expressos in § *Sed hæc* 14, instit. *De testamentis ordinandis*, ibi : « Si quis autem sine scriptis voluerit ordinare jure civili testamentum, septem testibus adhibitis, et sua voluntate coram eis nuncupata sciat hoc perfectissimum testamentum jure civili, firmumque constitutum. » Authentic. *Hoc inter*, § 2, cod. *De testamentis*, ibi : « Per nuncupationem quoque, hoc est, sine scriptura, testamenta non

Digitized by Google

alias valere sancimus, quam si septem testes, ut supra dictum est, simul uno eodemque tempore collecti, testatoris voluntatem, ut testamentum sine scriptura facientis audierint; » et leg. *In testamentis* 26, cod. eod., ibi : « In testamentis sine scriptis faciendis omnem formalem observationem penitus amputamus, ut postquam septem testes convenerint, satissit voluntatem testatoris vel testatricis simul omnibus manifestari significantis, ad quos substantiam suam pervenire velit, vel quibus legata dare, vel fideicommissa, vel libertates disponere. »

(33. Ex quibus clare patet quod pauciores solemnitates requiruntur ad testamentum *nuncupativum* quam ad testamentum *scriptum* ; cum ad *nuncupativum* non requiratur testium subscriptio, nec sigillatio eorumdem nec testatoris, uti requiritur ad testamentum *scriptum* ex supradictis. *Communis.*

(34. Unde testamentum *nuncupativum* et testamentum *scriptum* seu in scriptis inter se differunt. Primo, quia in testamento *scripto* plerumque celatur ultima voluntas testatoris, et hæres institutus. In *nuncupativo* autem debet ultima voluntas testatoris manifestari, et palam nuncupari hæres, ut sciant testes, quinam sit institutus. Authent. *Hoc inter*, § 2, cod. *De testamentis*, l. *Jubemus* 29, cod. eod. Secundo, quia ad testamentum *scriptum* necessarie requiritur scriptura, sine qua testamentum est nullum. *Nuncupativum* autem potest fieri sine ulla scriptura, sola nuda voce coram testibus; et quamvis hodie redigi soleat in scripturam, non cessat tamen per hoc esse testamentum nuncupativum, cum scriptura adhibeatur et fiat solum pro commodiori et faciliori probatione, argum. l. *In re* 4, ff. *De fide instrumentorum*, ut patet ex dictis *supra* num. 8, ubi adducitur textus. Tertio, quia in testamento *nuncupativo* testes nec subscribunt, nec subsignant sicuti nec testator; totum autem id requiritur ad testamentum *scriptum*. L. *Hac consultissima* 21, et l. *Cum antiquitas* 28, cod. *De testamentis*, § *Sed hæc* 3, et § *Possunt* 5, institut. *De testamentis ordinandis*, cum similibus. Vide *supra* n. 10, 11, 29, 30.

* Inter nuncupativa testamenta recenseri etiam possunt testamenta cæcorum, quibus specialem formam constituit Justinianus, ut scilicet coram tabulario, et septem testibus ad hoc convocatis suprema sua elogia nuncupet, quæ tabularius uno contextu, aut octavus testis, si tabularii copia desit, in scripturam redigat. Hanc scripturam tam tabularius quam testes signabunt et subscribent. Quod si memoriter sua elogia promere non possit, ea scribi mandabit hancque scripturam, convocatis tabulario et testibus, a tabulario coram testibus recitari curabit, profitebiturque, lecta a tabulario suam esse voluntatem, et hæc scriptura a tabulario et testibus subscribetur et signabitur. L. 8, cod. *De testamentis.*

(35. Supradictæ solemnitates requisitæ ad valorem testamenti de jure civili non requiruntur omnes de jure canonico. *Communis*, textu expresso in cap. *Cum esses* 10, De testamentis.

(36. De jure enim canonico ad valorem testamenti, sive ad causas pias sive profanas, non plus requiritur, quam ut adsint duo testes idonei et parochus loci. *Communis*, per expressum textum in cit. cap. *Cum esses* 10, De testamentis, ibi : « Proposuisti talem in tuo episcopatu consuetudinem obtinere, quod testamenta, quæ fiunt in ultima voluntate, penitus rescindantur, nisi cum subscriptione septem, vel quinque testium fiant, secundum quod leges humanæ decernunt ; quia vero a divina lege et SS. Patrum institutis et a generali Ecclesiæ consuetudine, id esse noscitur alienum, cum scriptum sit (Deuteronom. XVII, 6; XIX, 15; *Matth.* XVIII, 16) : *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum*, præscriptam consuetudinem improbamus, et testamenta, quæ parochiani coram presbytero suo, et tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere, sub interminatione anathematis prohibentes, ne quis hujusmodi audeat rescindere testamenta. »

(37. Testes requisiti de jure canonico æque debent esse idonei, ac testes requisiti de jure civili, et assignati *supra* num. 15. Fagnanus, in cit. cap. *Cum esses*, n. 36; Covarruv., *ibid.*, n. 14; Clarus, § *Testamentum*, quæst. 55, n. 3; Reiffenstuel, lib. III, tit. 26, n. 133; Pirrhing, *ibid.*, n. 12, et ratio est, quia in citat. cap. *Cum esses*, immutata est forma testandi juris civilis quoad numerum tantum, non autem quoad qualitatem testium, cum sicuti in jure civili etiam in dict. capit. *Cum esses*, exigatur quod testamenta fiant coram personis idoneis: ubicunque autem dispositio juris civilis non reperitur expresse immutata vel correcta a jure canonico, debet jus civile etiam in foro canonico et ecclesiastico servari, ut tradunt doctores communiter per textum in cap. *Intelleximus* 1, De novi operis nuntiatione, ibi : « Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur. »

(38. Item per eamdem rationem dicendum est quod tales testes sicuti de jure civili, ita etiam de jure canonico debeant esse rogati, cum dispositio juris civilis id requirens non sit expresse correcta per jus canonicum, quia potius videtur approbata in cap. *Relatum* 11, De testamentis, ibi : « Tribus aut duobus testibus requisitis, » id est rogatis; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 133; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 12; Fagnanus, *loc. cit.*, n. 17, ubi sub n. 19, dicit quod hæc est communis opinio.

(39. In defectu parochi proprii de jure canonico sufficit, si quatuor testes sint adhibiti, quia duo testes æquivalent parocho, et vices supplent unius, quamvis maximæ sint auctoritatis, ut patet ex c. *Cum a nobis* 28, et cap. *Licet* 47, De testibus. Sic docent Ab-

Digitized by Google

bas, in cit. cap. *Cum esses*, n. 7 ; Covarruv., *ibid.*, n. 12 et 13; Clarus, *loc. cit.*, qu. 53, n. 3; Molina, tract. 2, *De justitia*, dist. 133, n. 4 et 5; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 10, et ipso teste alii communiter.

(40. In ditionibus Romano imperio subjectis, tam in foro ecclesiastico quam laicali fieri et judicari debent testamenta secundum solemnitates de jure civili requisitas; in ditionibus autem temporali jurisdictioni Romani Pontificis subjectis secundum solemnitates de jure canonico requisitas et præscriptas in cit. cap. *Cum esses* 10, De testamentis. Sic Glossa, *ibid.*, verb. *Improbamus;* Layman, lib. I, tract. 4, cap. 13, n. 1, et in cap. *Ecclesia* 10, n. 15, *De constitutionibus ;* Alexander, consil. 146, n. 6, lib. II, et cons. 177, n. 2, lib. II, dicens hanc esse communem, Parisius, consil. 51, n. 1, lib. III, testans sic affirmare scribentes omnes, nullo excepto, dicentes hanc conclusionem esse communem et sequendam in judicando et consulendo, et n. 15 asserit eam esse firmissimam et indubitabilem, Pirrhing, *l. c.*, n. 11 ; Reiffenst., *l. c.*, n. 135, dicens opinionem hanc esse consuetudine receptam, sicque confirmatam, et consequenter tenendam, sicque tenere communem aliorum apud Fagnanum, in cit. cap. *Cum esses*, n. 46. Et ratio est, quia cum clerici sint cives, ac membra reipublicæ, ubi degunt, æquum est et rectæ rationi consonum, ut in rebus mere politicis, legibus sæcularibus locorum se conforment. (41. Eo vel maxime quod cit. cap. *Cum esses* 10, De testamentis, inscribatur ab Alexandro III Hostiensi episcopo, quæ civitas Hostiensis est de temporali jurisdictione Romani Pontificis.

Quamvis tamen gravissimi doctores teneant, quod clerici etiam in terris imperii aliorumque regnorum, possint condere testamenta juxta dispositionem et formam juris canonici, traditam in cit. c. *Cum esses* 10, De testamentis, ita ut ubique servanda sit in foro ecclesiastico. Sic Joan. Andreas, in cit. cap. *Cum esses*, n. 6, vers. *Communiter;* cardinal., *ibid.*, n. 5, vers. *Joannes Andreas dicit*, ubi asserit hanc opinionem esse veriorem; Imola, *ibid.*, n. 13, dicens hanc opinionem videri consuetudine roboratam, et per consequens servandam; Calderin., cons. 8, circa finem, *De testamentis*, dicens hanc servari de facto; Clarus, in § *Testamentum*, q. 57, vers. *Quæ quidem*, (42. dicens non esse ab ea in consulendo et judicando recedendum, et paulo infra subdens: « Aqua non recedas in practica, quia quantum ego vidi, apud omnes ita servatur sine controversia, » et sic tenent alii apud Fag., in cit. cap. *Cum esses*, n. 41. (43. Unde in praxi est attendendum ad consuetudinem locorum, ut recte monent Molina, *loc. cit.*, n. 7 et 8; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 11, ubi ex Layman, lib. I, tract. 4, cap. 13, n. 2, et in cap. *Ecclesia* 10, n. 15, De constitutionibus, dicit, quod in imperio Romano est usu receptum, quod testamenta a clericis fiant secundum jus civile, et Cæsareum, et si aliter fiant, non valeant.

Testamentum ad causas profanas carens una vel pluribus solemnitatibus a jure positivo requisitis nullum et invalidum est in foro externo. *Communis*, per text. in l. *Si non speciali* 9, l. *Si unus* 12, et l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*, ibi : « Ex imperfecto autem testamento (id est solemnitatibus requisitis destituto) voluntatem defuncti tenere non volumus, » et § *Ex eo* 7, institut. *Quibus modis testamenta infirmentur*, ibi : « Imperfectum testamentum nullum est, » cum similibus. Et sic semper censuit Rota, et signanter part. IV, tom. III, dec. 544, n. 1; part. VIII, dec. 97, n. 9; part. X, dec. 289, n. 3; part. XIV, dec. 467, n. 1; part. XV, dec. 328, n. 2; part. XVI, dec. 316, num. 4.

* Notandum tamen quod licet testamentum solemne nullum et invalidum sit, in quo desideratur aliqua ex supra enuntiatis solemnitatibus, nihilominus convalidari poterit si adjecta comperiatur clausula codicillaris, cujus clausulæ formam refert Paulus in l. 29, § 1, ff. *Qui testamenta facere possunt. Ex his verbis, quæ scriptura paterfamilias addidit : HOC TESTAMENTUM VOLO ESSE RATUM QUACUNQUE RATIONE POTERIT; videri eum voluisse omnimodo valere ea quæ reliquit, etiamsi intestatus decessisset.* Testamentum ita imperfectum vigore clausulæ codicillaris vim obtinere fideicommissi ab intestato inter liberos relicti sanxerunt Diocletianus et Maximianus in l. 16, cod. *Famil. ercisc.* Quod idem voluit Constantinus circa testamentum nondum perfectum in l. 26, cod. eod. Verum quod favore imperfecti testamenti patris inter liberos sanxerunt laudati imperatores ita accipiendum est juxta declarationem, quam pro lege observari voluerunt Theodosius et Valentinianus, ut nempe id quidem inter filios, et eorum favore valeat, non autem favore extranei, adeo ut si hoc testamento quid alicui relictum sit, qui filius non sit testatoris, id pro non scripto habebitur, et eisdem filiis accrescet, ut in l. 21, cod. *De testam.*

Novella autem constitutione declaravit Justinianus, quænam saltem observanda forent, ut testamentum ita imperfectum inter liberos valeret, nimirum ut testator sua subscriptione declaret tempus quo testatus est, filiorum nomina et uncias ex quibus scripsit eos hæredes, non signis numerorum, sed per totas litteras. Similiter si de certis singularibus speciebus disponere velit, earum inscribat significationes. Sed et quæ legata, aut fideicommissa, aut libertates extraneis reliquerit, si hæc propria scripta manu sint, dictaque coram testibus, quamvis contineantur in scriptura reliquam observationem testamentorum non suscipiente, valebunt novell. 107, cap. 1. Hujus novellæ capite tertio constituitur etiam ut scriptura divisionem bonorum suorum inter liberos a patre factam continens sit etiam rata si eam a liberis subscribi pater

Digitized by Google

curaverit. Hinc arbiter a fratribus pro divisione constitutus hanc patris divisionem servare tenetur, si aut parens, aut omnes liberi ei subscripserint, ut antea statuerat idem Justinianus novella 18. Cum autem adsunt ea quæ modo diximus, hæc divisio, quam pater inter liberos fecit ita rata est, ut non possit rumpi, nisi per posterius testamentum perfectum dict. novell. 107, cap. 2. Plura de his *vide* artic. seq.*.

(44. An autem, sicut testamentum ad causas profanas carens una vel pluribus solemnitatibus a jure positivo requisitis invalidum et nullum est in foro externo, ita etiam sit invalidum et nullum in foro interno seu conscientiæ? celebris et gravis controversia est, in qua tres exstant doctorum sententiæ.

(45. Prima sententia docet quod testamentum ad causas profanas carens una vel pluribus solemnitatibus a jure positivo requisitis sit validum in foro interno, seu conscientiæ, ac proinde quod hæres, vel legatarius scriptus licite retinere possit hæreditatem vel legatum ex tali testamento imperfecto acquisitum, nec reddere debeat hæredi ab intestato, dummodo aliunde sufficienter constet hanc fuisse voluntatem testatoris, et quod hæres ab intestato in conscientia teneatur ipsi tradere hæreditatem, et solvere legata ex tali testamento imperfecto relicta. Ita Fagnanus, in cap. *Cum esses* 10, De testamentis; Abbas, *ibidem;* Jason, in l. *Cum quis* 10, cod. *De juris et facti ignorant.;* Clarus, § *Testam.*, q. 90; Zæsius, in *Comment. ad decret.*, n. 19, De testam., et ff. eod., n. 43; Fachineus, libr. IV *Controv.* c. 5; Molina, tract. 2 *De institut.*, disp. 81, n. 2; Lessius, *De jure et justit.*, l. II, c. 19, dub. 3; Mastrius, disp. 4 *Theol. moral.*, num. 52; Sannig, disp. 12, *De justitia*, quæst. 3, n. 9; Maldér., tract. 1 *De justitia*, cap. 11, dub. 5; Felix Potestas, n. 1, part. II, sub n. 2518; Matthæucc., *Official. curiæ* cap. 52, n. 9; sanctus Antoninus, part. III, tit. 10, cap. 3, § 14; Silvester, in *Summa*, verb. *Legatum* 4, § 10; Sotus, lib. IV *De just. et jur.*, quæst. 5; Petrus de Aragonia, in 2-2, *De justitia*, quæst. 62; Reginald., *Prax. fori pœnit.*, lib. XXV, n. 105; Petrus Ancharanus, in *Regul. possessor.*, De regul. jur. in 6; Bartolus, tract. *De minorit.*, cap. 3; Plinius secundus, lib. II *Epistol. ad Arianum*, his verbis: « Ego propriam legem mihi dixi, ut defunctorum voluntates, etiamsi deficerent, quasi perfectas tuerer, » et lib. V *Epistol. ad Calvisium*, his clarioribus verbis: « Hoc enim si jus aspicias, irritum, si defunctos, ratum et firmum est, mihi autem defuncti voluntas (vereor quam in partem jurisconsulti, quod dicturus sum, accipiant) antiquior jure est. » La Croix, lib. III, part. II, num. 717. Eamdem sententiam tenent etiam Innocent., Imola, Alexander, Alciat., Albert., Brun., Alber., Florianus, Guido, Corneus, Tiraquell., Felin., Orosius, Angelus, Adrian., Joann., Medina, Armilla, Navar., Caldar., Sarmiento, Perez, Tabiena, Segura, Comitolus, Fillincius, Molfesius, Homobonus, Mantica, et alii quos affert card. de Lugo, tom. I, disp. 22, sect. 9, n. 249, ubi observat quod supradicti inferunt hæredem ab intestato conscium voluntatis defuncti, qui hæreditatem vel legatum alicui reliquit, teneri in conscientia ea solvere, vel si dubius fuerit, componere cum illo pro ratione dubii; item si hæres aut legatarius ab intestato possideat, posse hæredem aut legatarium ex testamento minus solemni, servatis debitis conditionibus, sibi occulte compensare.

(46. Et fundamenta hujus sententiæ desumuntur, tum ex jure canonico, tum ex jure civili. Ex jure enim canonico can. *Ultima voluntas* 4, caus. 13, quæst. 2, ex verbis sancti Gregorii Papæ expresse habetur: « Ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet, » et cap. *Indicante* 4, De testamentis, ubi statuitur deberi legatum quamvis nudis verbis relictum, ibi: « In quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri, » et in ejus summario præcise dicitur: « Debetur legatum, quamvis nudis verbis a testatore relictum, » et cap. *Cum esses* 10, eod. decernitur quod quamvis desit solemnitas septem vel quinque testium, sit validum testamentum, si constet de voluntate testatoris, verb. gr. per parochum, et tres, vel duos testes.

(47. Ex jure autem civili habetur l. *Non dubium* 16, cod. *De testamentis*, ubi sic expresse statuitur: « Illud etiam adjiciendum est, ut qui ex testamento vel ab intestato hæres exstiterit, etsi voluntas defuncti circa legata, seu fideicommissa, seu libertates legibus non sit subnixa, tamen si sua sponte agnoverit, implendi eam, necessitatem habeat; » et l. *Et si* 2, cod. *De fideicommissis*, ubi decernitur quod si quis alicui fideicommissum in testamento minus solemni, et consequenter invalido in foro externo relictum, solvat et tradat, revocari seu repeti postea non amplius possit, quia illud solvit et tradidit urgente conscientia, cum sciverit talem revera fuisse testatoris voluntatem, quamvis ejus testamentum ex defectu solemnitatum fuerit invalidum in foro externo, ibi: « *Et si inutiliter* (id est absque requisitis a jure solemnitatibus) fideicommissum relictum sit, tamen si hæredes, comperta voluntate defuncti, prædia ex causa fideicommissi avo tuo præstiterunt, frustra ab hæredibus ejus de ea re quæstio tibi movetur, cum non ex ea sola scriptura (solemnitatibus destituta), sed ex conscientia relicti fideicommissi defuncti voluntati satisfactum esse videatur. » Item § *Et quia* 12, instit. *De fideicommissariis hæreditatibus*, ubi statuitur quod si quis testator testamento minus solemni mandaverit suo hæredi, ut vel hæreditatem, vel speciale fideicommissum restituat, et talis hæres perfidia tentus, neget hoc sibi impositum fuisse, nec quidquam de hoc a testatore audivisse; tunc « necesse eum habere, vel jusjurandum subire, quod nihil tale a testatore audiverit, vel recusantem ad fideicommissi, vel universalis, vel spe-

Digitized by Google

cialis solutionem coarctari, ne depereat ultima voluntas testatoris fidei hæredis commissa. » Et infra subjungitur quod si is, postquam negaverit, confiteatur quidem, sed excipiat dicendo testamentum non valere, ex quo careat debitis solemnitatibus, sit, hoc non obstante, ad solutionem compellendus. Item § *Per traditionem* 20, instit. *Rerum divisione*, ubi sic expresse habetur: « Nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. »

(48. Insuper hæc sententia ostenditur etiam ratione, quia ex testamento minus solemni oritur obligatio naturalis, ut ex communi sententia docet Clarus, § *Testamentum*, q. 90, n. 1. Atqui hoc nihil aliud est quam tale testamentum in foro conscientiæ esse validum; ita ut hæres ab intestato teneatur ei satisfacere, et institutus possit tuta conscientia sibi relictum retinere, quamvis jus civile nullam actionem concedat ex tali testamento, ergo, etc. Tum quia leges præscribentes dictas solemnitates ad testamenta, fundantur in præsumptione fraudis; conditæ enim sunt, ut sic omnis fraus in testamentis evitetur, l. *Quæstiones* 32, cod. *De fideicommissis*, ibi: « Lex enim, ne quid falsitatis incurrat, per duos forte testes compositum testamentum, majorem numerum testium expostulat, ut per ampliores homines perfectissima veritas reveletur. » Præsumptio autem cedit veritati, argum. cap. *Super hoc* 5, De renuntiatione, l. *Continuus* 137, ff. *De verbor. significat.*, leg. ultim., ff. *Quod metus causa*, leg. *Imperatores* 29, ff. *De probationibus*, adeoque si aliunde constet de vera voluntate testatoris, sicque cesset præsumptio fraudis, cessant etiam ipsæ leges, nec amplius obligant saltem in conscientia, cum cessante ratione et causa legis, vel obligatione, cesset lex seu obligatio ipsa, l. *Adigere* 6, § 2, ff. *De jurepatronat.*; card. de Luca tamen disc. 21, *De donat.*, dicit quod licet ista opinio apud morales sit magis communis et recepta, reputatur per canonistas minus vera, et in foro nullatenus recepta, ita ut nunquam practicari visa fuerit.

(49. Secunda sententia opposita expresse tenet quod testamentum ad causas profanas carens una vel pluribus solemnitatibus a jure civili requisitis, sit invalidum et nullum, non solum in foro externo, sed etiam in foro interno, seu conscientiæ, adeo ut hæredes et legatarii vi talis testamenti, nec possint aliquid accipere, nec, si jam acceperint, illud tuta conscientia retinere valeant, seu hæredibus ab intestato teneantur sub gravi cuncta relinquere aut restituere quantumcunque de voluntate testatoris certo constet. Sic Covarruvias, *De testamentis*, cap. 10, n. 12; card. Petra, tom. II *Comment.* ad const. 10 Innocent. III, sect. 5, n. 4; Vasquez, in *Opusc. De testament.*, cap. 3, dub. 1; Suarez, lib. v *De legibus*, cap. 24, n. 4; Valentia, tom. II, disp. 5, q. 6, part. v, § 1, quæstiuncul. 1; Salas, *De legibus*, disp. 16, sect. 12, n. 52; Bonacina, *De contract.*, disp. 3, q. 1, punct. 3; Diana, tom. I, tract. *De contractibus*, resol. 75; Herincx, disp. 2, q. 4, *De testam.*; Haunold., tract. 6, c. 1, controv. 3; Henno, tom. II, tract. 2, *De jur. et just.*, disp. 6, q. 7, art. 4, concl. 1; Beja, part. I, cas. 53; Dicastill., lib. II, tract. 2, dub. 8; Baldus, Fulgosius, Paulus de Castro, Fortunius, Matienzo, Padilla, Gregorius Lopez, Antonius Gomez, Victoria, Ledesma, Valerus, Veja, Aragonius, Salonius, Naldus, Bannes, Becanus, et alii, quos affert card. de Lugo, *loc. cit.*, n. 250, et hanc fatentur probabilem, Lessius, Sanchez, Malderus, Joan. de la Crux apud ipsum, *loc. cit.*, et plures alii.

(50. Et fundamentum præcipuum hujus sententiæ petitur a pluribus legibus, quæ aperte declarant testamentum censendum esse ut non factum, cui deest aliqua solemnitas requisita, et signanter l. *Si non special.* 9, cod. *De testamentis*, ibi: « Si testes non in conspectu testatoris testimoniorum officio functi fuerint, nullo jure testamentum valet, » l. *Si unus* 12, eod. eod., ibi: « Si unus de septem testibus defuerit, vel coram testatore omnes eodem loco testes, suo vel alieno annulo non signaverint, jure deficit testamentum. » L. *Hac consultissima* 21, cod. eod., ibi: « Non subscriptum autem a testibus, ac non signatum testamentum pro infecto haberi convenit. » Et *ib.*, infra: « Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti »... non volumus § *Ex eo* 7, instit. *Quibus modis testamenta infirmentur*, ibi: « Imperfectum testamentum sine dubio nullum est; » et concordant l. *Si quæramus* 5, ff. *Qui testamenta facere possunt*; l. *Et ab antiquis* 31, cod. *De testamentis*, ac plures aliæ.

(51. Ex quibus juribus patroni hujus sententiæ sic arguunt: Testamentum solemnitatibus destitutum declaratur imperfectum, nullum, irritum ac invalidum, ut patet ex allatis textibus; atqui ubi jus positivum declarat certos actus esse nullos et invalidos, ipsi non obligant in conscientia, ut patet in donationibus pupillorum, et similibus, in matrimonio sine præsentia testium et parochi, et hujusmodi, ergo, etc. Tum quia ad valorem cujuscunque actus requiritur voluntas et potentia, arg. c. *Cum super* 23, De offic. et potest. deleg. Atqui nemo testari potest sine solemnitatibus a jure civili requisitis, ut clare patet ex citatis juribus, et ut expresse dicitur in c. *Quæ contra* 64, De regul. juris in 6: « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, ergo, » etc. Unde card. de Luca, *loc. cit.*, *De donationibus*, disc. 21, num. 9, videtur asserere hanc secundam sententiam esse in praxi tenendam, cum dicat quod licet prima opinio sit apud morales magis communis et recepta, reputatur tamen per canonistas minus vera atque in foro nullatenus recepta, ita ut nunquam practicari visa fuerit.

(52. Tertia sententia est media, per quam, ut recte notat Pirrhing, lib. III *Decretal.*,

Digitized by Google

tit. 26, num. 13 in fine, fere conciliantur inter se prædictæ duæ sententiæ oppositæ, et docet quod dictum testamentum minus solemne seu imperfectum, non sit quidem irritum et invalidum ipso jure, in foro conscientiæ, at tamen possit tale declarari per sententiam judicis, apud quem, tam hæres ab intestato quam hæres scriptus possunt licite agere, ut jus suum pro sua bona fide in diversis legibus et rationibus fundata defendant, quamvis sint de voluntate testatoris omnino certi; unde tale testamentum quadam ratione est validum, id est antequam per sententiam judicis irritetur, seu irritum declaretur, et quadam alia ratione est invalidum, id est quatenus potest, imo etiam debet per sententiam judicis invalidum declarari, si super eo in judicio lis fuerit mota. Ita Cabassutius, *Juris canonici theoria et praxi*, lib. VI, c. 3; Pontas, verb. *Testamentum*, cap. 20 in fin.; Menochius, *De præsumptionibus*, lib. I, præsumpt. 80, num. 7; Layman, lib. I, tract. 4, cap. 17, n. 2; Sotus, *De justitia*, l. IV, quæst. 5, art. 3; Bannes, disp. 3, ad q. 62; Thomas Sanchez, lib. IV *Consil.*, c. 1; Beja, puncto *De furto et damno dato*, casu 2; Sa, verb. *Hæreditas*, num. 32, verb. *Testamentum*, num. 3.; Tanner., tom. III *Theol.*, disp. 4, q. 6, dub. 13, num. 332; Pirrbing, lib. III, tit. 56, num. 13; Reiffenstuel, *ibid.*, nu. 118, et in *Theologia moral.*, tract. 8, dist. 3, qu. 2, num. 15 et seq., et alii.

(53. Unde juxta hanc sententiam prædictarum duarum fere conciliativam concludimus, quod tale testamentum minus solemne seu imperfectum ad causas profanas validum est, et obligat in conscientia ante sententiam judicis. Secus autem postquam, uti debet, judex sententiam tulerit pro ejus invaliditate, et hanc in primis videntur inferre præmissa fundamenta, utriusque prædictæ inter se oppositæ sententiæ, cum prior locum habeat ante sententiam judicis, et posterior solum post judicis sententiam.

(54. Probatur tamen ulterius quoad primam partem, quia ex tali testamento oritur obligatio naturalis, cujus præcipuus effectus est tribuere creditori jus accipiendi ac retinendi in conscientia id quod sibi naturaliter debitum est, donec exceptione legis civilis et per sententiam judicis elidatur. Obligatio enim naturalis sufficit ad transferendum dominium, adeoque testamentum illud validum est, et obligat in conscientia ante sententiam judicis, seu donec per sententiam judicis irritetur, vel irritum declaretur.

(55. Probatur etiam ulterius quoad secundam partem, quia, cum judex secundum leges judicare debeat, c. *In istis* 3, dist. 4, et testamentum imperfectum seu minus solemne secundum leges citatas *supra* n. 50, sit invalidum, et nullum, et pro infecto haberi debeat, sententia sic prolata et justa in foro externo, erit etiam justa in foro interno, adeoque obligans in conscientia ad habendum tale testamentum sic declaratum pro invalido, et nullius roboris; cum judex auctoritate divina sententiam ferat, eique juste secundum leges judicanti, ut obediatur, præcipiunt leges divinæ ac humanæ. Arg. c. *Quo jure* 1, dist. 8, c. *Omnis anima* 2, De censibus, ibi : « Omnis anima sublimioribus potestatibus subjecta sit, » cap. *Si quis* 2, De majorit. et obed., ibi : « In libro Regum legitur : *Qui non obedierit principi morte moriatur*, » *Deuteronom.* cap. XVII, 9 et seq. præcipit Deus : *Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore... sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.*

(56. Et quod post judicis sententiam etiam in foro conscientiæ pro irrito sit habendum tale testamentum, quamvis ante judicis sententiam pro valido haberetur, patet a simili variis exemplis ex jure desumptis : sic enim sine essentialibus solemnitatibus a jure requisitis electus, quamvis tuta conscientia beneficium retinere possit, si nemo se opponat, vel electionem impugnet, cap. *Quod sicut*, De election.; tamen post sententiam judicis illam electionem irritam et nullam declarantis, etiam in foro conscientiæ obedire, ac beneficium dimittere tenetur, ut tradunt communiter doctores. Item quamvis contrahens cum pupillo sine auctoritate tutoris, naturaliter, et in foro interno valide agat, de tuta conscientia retinere possit, quod vi talis contractus accepit, arg. leg. *Stichum* 95, De solutionibus, tamen postquam judex contractum nullum et irritum declaraverit, acceptum restituere tenetur, ut fatentur omnes. Idem dicendum est in casu alienationis rerum ecclesiasticarum, non servatis debitis solemnitatibus et de multis aliis similibus.

(57. Hinc resolves quod testamentum sine debitis solemnitatibus conditum, ante sententiam judicis, et quando nemo se opponit, ita validum est in foro interno seu conscientiæ, ut hæredes et legatarii in eo constituti, tuta conscientia accipere et retinere possint hæreditatem et legata sibi in tali testamento relicta; post sententiam vero judicis etiam in foro interno est ita nullum, ut ipsi tuta conscientia nihil accipere possint, et si quid acceperint, id totum restituere teneantur.

(58. Item resolves quod quando hæres ab intestato testamentum sine debitis solemnitatibus factum, beneficio legis utens impugnat, et judex, prout debet, illud irritum et nullum declarat, tunc etiam in foro interno, seu conscientiæ, erit invalidum, ita ut nec naturaliter amplius obliget, et consequenter hæres ab intestato, vi illius, hæredibus vel legatariis institutis, hæreditatem et legata tradere nec in conscientia teneatur.

(59. *Quoad dispositionem capitis *Cum esses*, non sufficit, si sint duo vel tres testes, et absit parochus, cum in canone dictum sit *coram presbytero suo;* nec sufficit si defectum parochi suppleat capellanus. Demum

Digitized by Google

testes masculi requiruntur, nec feminæ valent. Tandem valet testamentum ita conditum etiamsi testator non sit in extremo vitæ periculo : *Institut. eccles.* 105, § 8, 9, 10.

(60. Scribenda sunt testamenta a parocho coram testibus et a testatore subscribenda, sicut etiam a parocho et testibus. Si tamen scribere ignorent, sufficit scriptura parochi, et signum crucis impressum in charta a testibus, *ibid*., § 14.

(61. Ita scriptum testamentum saltem intra octo dies parochus cum testibus deferre debet tabellioni; et si adsit subscriptio testatoris, et testium, non requiritur, ut singula contenta in testamento referant notario. Si nulla sit testatoris subscriptio, tunc parochus, seu sacerdos viva voce exprimere debet, quidquid in eo testamento continetur; quod et a singulis testibus seorsim præstandum est. Denique, et singuli illi subscriptionem suam agnoscant. *Ibidem*, § 16. Has vero omnes depositiones scribat tabellio, et jungat testamento.

(62. Ad servanda vero quæ in testamento mandantur, discussio parochi et testium agenda est a judice competente, citata parte, cujus interest, excepta tamen consuetudine, ut valeant testamenta, nulla facta publicatione, si illa reposita sint in archivio. *Ibid.*, § 16.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. Gravissima est quæstio, de qua hic agit auctor, an scilicet testamentum minus solemne obliget in conscientia. Ad rectam autem hujus quæstionis resolutionem prius videndum, utrum testamentum sit juris naturalis, an juris positivi.

(64. Jus autem naturale pro pace generis humani exposcere, ut introducto dominio, aliqua statuatur successio, non est quod dubitari possit. Assiduis enim discordiis, a quibus abhorret jus naturale, expositi essent homines, si in obitu cujuscunque, quæ ab eo relinquuntur bona, ea fierint primi occupantis, minimeque ex ordine successionis stabilito ad vocatos pertinerent. (65. At quod successio hæc sit potius testamentaria quam legitima, non determinat jus naturale. (66. Nec jus proprietatis eo extendendum, ut quis etiam post mortem de rebus suis disponere valeat, convenit propterea hodie fere inter omnes, testamentum non esse juris naturalis, sed juris positivi. Confer Bynkersboeck, *Observ.*, lib. II, cap. 7.

(67. Posito autem, quod testamentum sit non juris naturalis, sed juris positivi, facile est dignoscere, ut ad propositam quæstionem veniamus, testamentum minus solemne non obligare in conscientia. Obligatio enim in conscientia descendere debet, vel a jure naturali, vel a jure positivo. At testamentum minus solemne nec obligat de jure naturali, quia, ut mox recognitum est, testamentum, tametsi solemne, non est juris naturalis, nec obligat de jure positivo, quia jus positivum non aliter vim obligandi tribuit testamento, quam concurrentibus solemnitatibus ab ipso præscriptis. Patet igitur quidem ad evidentiam usque, testamentum minus solemne obligare in conscientia haud posse. Habes resolutionem gravissimæ quæstionis ex genuinis principiis petitam.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt omnia testamenta privilegiata.

SUMMARIUM.

1. Testamenta privilegiata quid sint? — 2. Assignantur testamenta privilegiata. — 3. Testamentum ad pias causas quale sit? — 4. Nomine causæ piæ quæ veniant? — 5. Testamentum ad pias causas perfecte, et pro utroque foro est privilegiatum. — 6. In testamento ad pias causas sufficiunt duo testes.—7. Dicti duo testes non sunt necessarii ad substantiam et valorem testamenti ad pias causas, sed tantum ad probationem. — 8. Unde si aliunde sufficienter constet de voluntate testatoris, testamentum ad pias causas est validum in utroque foro etiam sine testibus. — 9. Sic validum est testamentum ad pias causas etiam sine ullis testibus, si manu propria testatoris nota et indubitata sit scriptum vel subscriptum; sicuti etiam valet, et sufficit cedula scripta vel subscripta ab ipso testatore, etiam nullo teste in ea subscripto vel præsente. — 10. Item valida est dispositio testatoris ad pias causas, si ipse hæres ab intestato sine omni teste audivit defuncti voluntatem. — 11. Testamentum inchoatum, sed non perfectum valet quoad legata pia in eo relicta. — 12. Item quamvis testamentum ad causam profanam factum ob defectum solemnitatis civilis corruat, valet nihilominus quoad legata pia in eo relicta. — 13. Testamentum sine solemnitatibus a jure civili requisitis conditum ad causas pias, valet etiam quoad legata profana in ea contenta. — 14. Quamvis testamentum ad interrogationem alterius, et solis nutibus seu signis factum non valeat de jure civili, valet nihilominus ad pias causas. — 15. Item quamvis non valeat testamentum sine institutione hæredis, valent tamen legata pia in eodem testamento adjecta. — 16. Item quamvis non valeat testamentum cum hærede incerto, valet tamen favore causæ piæ. — 17. Item quamvis non valeat testamentum, quo quis hæreditatem, vel legata alterius arbitrio distribuenda committit, valet tamen si id fiat ad pias causas. — 18. Si aliunde de voluntate testatoris sufficienter non constet, tunc in testamento ad pias causas necessario requiruntur duo testes legitimi. — 19. Affertur ad id doctrina practica pro testatoribus, pro parochis et confessariis. — 20. Testes in his testamentis ad pias causas, non est necesse, quod sint rogati. — 21. Ad id possunt esse testes etiam feminæ et aliæ personæ, quæ a jure civili non solent admitti. — 22. Item in testamento ad pias causas testis esse potest parochus, confessarius, beneficiatus et Religiosus, quamvis legata sint ad favorem propriæ ecclesiæ seu monasterii.— 23. An ex bonis relictis in testamento ad pias causas, seu ex legatis piis detrahi possit Falcidia? *remissive*. — 24. Testamentum inter liberos quale sit. — 25. Testamentum inter liberos est pro utroque foro privilegiatum. — 26. Ad valorem testamenti inter liberos quid de jure specialiter requiratur. — 27. Si parens manu propria testamentum inter liberos totum scripsit, valet, etiamsi ipsemet nomen suum non subscribat. — 28. Secus autem si non ab ipso parente, sed ab alio scriptum sit testamentum. — 29. Etiam nuncupativum testamentum inter liberos valet, quamvis careat omni alia solemnitate, dummodo per duos testes de voluntate constet testatoris. — 30. Nec tales testes in testamento nuncupativo debent necessario esse rogati. Et in tali testamento possunt esse testes etiam feminæ. — 31. Testamentum inter li-

Digitized by Google

neros est validum, quamvis parens eos inæqualiter instituat, dummodo cuivis legitimam relinquat. — 32. Testamentum inter liberos non valet, si nullus in eo institutus sit hæres. — 33. Testamentum inter liberos non valet quoad extraneas personas hæredes institutas. — 34. Si autem in testamento minus solemni inter liberos extraneæ personæ relinquitur aliquid per modum legati, aut fideicommissi valet. — 35. Testamentum minus solemne patris inter liberos naturales et spurios, non est privilegiatum, adeoque non valet. — 36. Valet tamen testamentum minus solemne matris inter liberos naturales et spurios. — 37. Testamentum militis in actuali expeditione bellica factum nullam penitus juris civilis solemnitatem requirit. — 38. Qui urbem obsident vel obsessam actualiter defendunt, censentur quoad hoc esse in actuali expeditione bellica. — 39. Ad testamentum militis in castris quidem, sed absque actuali expeditione bellica, seu actuali conflictu secure degentis, requiruntur duo saltem testes.—40. Ad valorem testamenti militis, nec in castris, nec in aliqua actuali expeditione bellica, sed vel in hybernis, vel fortalitiis obsidionem actualem non patientibus præsidiarii exsistentis, seu alibi secure degentis requiruntur ordinariæ juris solemnitates. — 41. Quamvis testamentum militis in actuali expeditione bellica quomodocunque valide fieri possit, si tamen ejus voluntas non aliter, quam per testes probari possit, duo saltem testes ad id requiruntur. — 42. Testamenta militum in actuali expeditione bellica facta gaudent adhuc aliis privilegiis, quæ assignantur. — 43. Testamentum rustici potest ruri fieri coram quinque testibus casu, quo septem testes commode haberi nequeant. — 44. Dicti testes pro testamento rustici debent esse litterati, si haberi possint, et omnes se subscribere debent. — 45. Si autem non omnes septem, vel respective quinque, unus tamen, vel plures scribere scientes facile inveniri possunt, debent illi loco aliorum litteras ignorantium, ipsis præsentibus, testamentum subscribere. — 46. Si vero nullus litteratus haberi possit, potest rusticus etiam oretenus coram septem testibus, si haberi possunt, vel coram quinque, si septem commode haberi nequeant, valide testari per verba. — 47. Testamentum rustici coram paucioribus, quam quinque testibus, nullo modo valet, etiamsi fiat in loco, ubi quinque testes haberi non possunt. — 48. Testes in testamento rustici eodem modo debent esse idonei et qualificati, sicuti in aliis testamentis non privilegiatis. — 49. Rustici habitantes in pagis, ubi septem testes facile haberi possunt, sicuti si in urbe vel oppido testamentum faciant, licet alias ordinarie ruri habitent, nullo gaudent ad id privilegio. — 50. An tali privilegio rusticorum gaudeant etiam cives et nobiles ruri recreationis gratia, vel alia de causa degentes, et ibi ægrotantes, ac ideo ibidem testantes? — 51. Ad testamentum factum tempore pestis ita sævientis, ut septem testes haberi nequeant, sufficiunt quinque, vel etiam duo soli testes. — 52. Imo varii volunt, quod ad tale testamentum tempore pestis adeo sævientis, ea sola sufficiant, quæ de jure naturæ et gentium requiruntur, et consequenter hujusmodi testamentum coram duobus testibus factum in utroque foro subsistat. — 53. Stando tamen in præciso rigore juris communis, ad testamentum tempore pestis non ita sævientis, quin haberi possint septem testes et observari aliæ solemnitates de jure requisitæ, debent omnes tales solemnitates observari, et omnes dicti septem testes adhiberi, quamvis alioquin non omnes septem simul, et semel congregati esse debeant, sed successive venire possint. — 54. Testamentum principi oblatum quale sit? — 55. Testamentum coram principe factum quale sit? — 56. Non solum testamentum in scriptis jam factum principi offerri, sed etiam oretenus coram eodem potest fieri testamentum validissimum absque omni juris solemnitate, — 57. Testamentum principi oblatum, vel coram eo factum, est validissimum absque omni juris solemnitate. — 58. Item privilegiatum est testamentum *ad acta datum*, et quodnam illud sit? — 59. Item privilegiatum est testamentum *apud acta factum*, seu *coram actis factum*, et quodnam illud sit? — 60. Ad valorem testamenti *ad acta dati*, *seu apud acta*, *vel coram actis facti*, sive in loco judicii, sive extra illud, nulla alia requiritur juris solemnitas, dummodo legitime constet et probari possit testamentum revera *ad acta datum*, seu *apud acta*, vel *coram actis factum* fuisse. — 61. Testamenta cardinalium sunt æque privilegiata, ac testamenta militum. — 62. Et in illis attenditur sola veritas naturalis. — 63. Atque sufficit sola schedula scripta vel subscripta manu cardinalium absque testibus. — 64. Alia ad rem ad n. 69.

(1. Testamenta privilegiata sunt testamenta quæ, licet careant solemnitatibus alias de jure communi requisitis, ex speciali tamen privilegio valent ac si ipsas haberent. *Communis.* (2. Et testamenta privilegiata sunt: testamentum ad pias causas, testamentum parentum inter liberos, testamentum militum in expeditione bellica conditum, testamentum rusticorum, testamentum tempore pestis factum, testamentum publicum, id est fide et auctoritate publica, principis nempe vel judicis. *Communis.*

(3. Testamentum ad pias causas est illud, in quo pro hærede instituta est causa pia. *Communis.* (4. Nomine causæ piæ veniunt hic omnia loca, et instituta pia, ut ecclesiæ, conventus seu monasteria, hospitalia, nosocomia, confraternitates et pauperes omnes, non solum qui carent necessariis vitæ et naturæ, sed etiam qui carent necessariis ad decentem sustentationem juxta qualitatem et conditionem sui status, quales interdum possunt esse etiam nobiles, barones, comites, imo et principes, qui non ob excessivam pompam et luxum, nec ob malam dilapidationem, nec ob aliam culpam propriam, sed ex infortunio vel casu aliquo, ut incendio, ruina, bello, latrociniis, multitudine prolium, et hujusmodi, valde egent necessariis statui ac conditioni suæ; dummodo tamen eisdem principaliter ob honorem et amorem Dei, et animæ salutem hæreditas, vel legata relinquantur. *Communis* per text. in cap. *Consideranda* 17, dist. 86, ubi expresse fit mentio etiam de iis, qui divites vel nobiles ad egestatem absque proprio vitio pervenerunt.

(5. Testamentum ad pias causas perfecte, et pro utroque foro est privilegiatum, ita ut non solum in foro interno, sed etiam in foro externo valeat, quamvis careat solemnitatibus a jure civili alias ad testamentum requisitis, dummodo aliunde sufficienter constet de testatoris ultima voluntate, *Communis;* textu expresso in c. *Relatum* 11, De testamentis, ibi: « Mandamus quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta; eam non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis. » Et tale testamentum esse privilegiatum etiam de jure civili, non obscure desumitur ex l. *Si eum servum* 28, ff. *De fideicom-*

Digitized by Google

missariis libertatibus, ubi licet pater imperfecto testamento libertatem cuidam reliquisset, eum nihilominus manumittere debuerunt filii, et ex l. *Habeat* 1, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*; et dato quod tale testamentum non esset privilegiatum de jure civili, adhuc debet dici privilegiatum pro foro civili a jure canonico in cit. cap. *Relatum*; ubi, ut fatentur doctores communiter, sunt correctæ leges civiles solemnitatem requirentes in testamento ad pias causas; et ratio est, quia in causa et materia spirituali, qualis est testamentum ad pias causas, servandum est jus canonicum in utroque foro, tam civili seu laicali, quam ecclesiastico, ac in quovis loco seu territorio; arg. cap. *Quæ in ecclesiarum* 7, et cap. *Ecclesia S. Mariæ* 10, De constitutionibus; sicque servat praxis et consuetudo universalis, quæ est optima legum interpres; l. *Si de interpretatione* 37, et l. *Nam imperator* 38, ff. *De legibus*, c. *Cum dilectus* 8, De consuetudine.

(6. In testamento ad pias causas sufficiunt duo testes. *Communis*, textu expresso in citat. cap. *Relatum* 11, De testamentis. (7. Dicti duo testes non sunt necessarii ad substantiam et valorem testamenti ad pias causas, sed tantum ad probationem in foro externo, in casu, quo aliunde non constet, nec probari possit voluntas testatoris, nisi per testes, Fagnan., in c. *Cum esses* 10, De testament., n. 8; Covarruv., *De testament.*, cap. 11, n. 12; Menochius, lib. III, consil. 224, a n. 58; Engel, lib. III *Decretal.*, titul. 26, n. 18; Pirrhing, *ibid.*, n. 20; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 143; card. Petra, tom. II *Commentar.* ad constitut. 10 Innocent. III, sect. 3, n. 15; card. de Luca, *De testamentis*, disc. 14, n. 5 et 7, et alii passim, ac Rota, dec. 374, n. 6, part. I, *Divers.*, decis. 311, n. 16 et 17, *coram card. Cerro*, decis. 665, num. 3; *coram Emerix jun.*, et *in Barchinonen. hæreditatis* 11 Martii 1689, § *Cumque*, *coram D. Molines*, et *in Coloniensi testamenti* 23 Junii 1704, § *Quoniam*, *coram D. Lancetta*. (8. Unde, si aliunde sufficienter constet de voluntate testatoris, testamentum ad pias causas in utroque foro, tam externo quam interno civili et canonico, etiam sine testibus validum exsistit. *Communis* cum omnibus supracitatis, et aliis: modus enim probatorius per duos testes inductus in cit. cap. *Relatum* non importat necessitatem testium, sed exemplificative fuit dictum de iis, ut naturalis probatio resultet, et sufficienter constet de voluntate testatoris, de qua aliunde sufficienter constante, non est curandum an testes intervenerint, necne. Cum non sit opus alia probatione, quando de veritate constat.

(9. Sic validum est testamentum ad pias causas etiam sine ullis testibus, si manu propria testatoris nota et indubitata sit scriptum vel subscriptum. Sicuti etiam valet et sufficit ad id cedula scripta vel subscripta ab ipso testatore, etiam nullo teste in ea subscripto vel præsente, quidquid dicant aliqui apud Mantic. *De conject.*, lib. VI, tit. 3, n. 4; Tiraquell., *De privileg. piæ causæ*, privil. 1. Nam sic communiter sustinent doctores citati, et Velasc., cons. 67, n. 8; Barbosa, in cit. cap. *Relatum*, n. 4; card. de Luca, discurs. 26, n. 8, *De testamentis*; Gratian., discept. 705, n. 20 et seq.; Cabed., *Decis. Lusitan.* 129, n. 12, lib. II; Rota, p. XIX. tom. II, recent. decis. 449, n. 3, et sæpe alibi.

(10. Item valida est dispositio testatoris a pias causas, si ipse hæres ab intestato sine omni teste audivit defuncti voluntatem; in hoc enim casu omnino tenetur in foro interno adimplere defuncti voluntatem: imo etiam in foro externo, si fateatur, se revera eam audivisse; arg. *A fortiori*, l. *Non dubium* 16, cod. *De testament.*, ubi de testamentaria voluntate defuncti etiam ad causas profanas, quamvis carente debitis solemnitatibus, sic statuitur: « Tamen si sua sponte agnoverit, implendi eam, necessitatem habeat. » Et concordat l. *Etsi* 2, cod. *De fideicommissis*, ibi: « Si hæredes, comperta voluntate defuncti, » etc., et aliæ adductæ *art. antecedenti* sub n. 47. Vide *ibi*.

(11. Testamentum inchoatum, sed non perfectum, quia testator morte præventus non potuit illud absolvere, licet alias invalidum sit, l. *Si is qui*, ff. *Qui testamenta facere possunt*, valet tamen quoad legata pia in eo relicta, quæ in illa imperfecta dispositione jam expressa erant. Covarruv., *De testamentis*, cap. 11, num. 14; Layman, lib. III, tract. 5, cap. 2, n. 6; Molina, disp. 133, n. 9; Abbas, in cap. 1, *De succession. ab intestato*, n. 2; Pirrhing, *loco cit.*, n. 22; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 173; Tiraquell., *loco cit.*, privileg. 7; Decius, cons. 150, testans de communi, Bartolus, Jason, Alexander, et Communis aliorum contra Clarum, § *Testamentum*, quæst. 7, n. 4. Et ratio est, quia in testamento ad pias causas non attenditur rigor juris civilis; argum. cap. *Relatum* 11, De testamentis; sed sufficit quod vere constet de voluntate testatoris, uti revera constat in hoc casu quoad legata pia in tali testamento jam expressa.

(12. Item quamvis testamentum ad causam profanam factum ob defectum solemnitatis civilis corruat, valet nihilominus quoad legata pia in eo relicta. Pirrhing, *loco cit.*, num. 22; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 194; Engel, *loc. cit.*, num. 20; Covarruv., in cap. *Relatum* 11, n. 2 et 3, De testamentis; Molina, *loc. cit.*, *De justitia*, tr. 3, disput. 134, num. 2; Thuscus, verb. *Legatum*, conclus. 109, num. 7; Layman, *loc. cit.*; cardin. Petra, *loc. cit.*, num. 62, et ipso teste, Communis aliorum. Et ratio est, quia in relictis ad causam piam non attenditur jus civile; argum. cit. cap. *Relatum* 11, De testament., adeoque, quamvis tale testamentum corruat quoad profana, valet tamen quoad legata pia in eo relicta.

(13. Testamentum sine solemnitatibus a jure civili requisitis conditum ad causas pias, valet etiam quoad legata profana in eo contenta. Covarruv., *De testamentis*

Digitized by Google

cap. 11, num. 2: Molina, cit. disp. 133; Tiraquell., *loc. cit.*, privileg. 80; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 22; Engel, *loc. cit.*, n. 19; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 161; Layman, *loc. cit.*, num. 10, et alii passim contra paucos alios. Et ratio est quia cum tale testamentum valeat tanquam principale, debent valere etiam legata tanquam accessorium; argum. cap. *Accessorium* 42, De regul. juris in 6, ibi: « Accessorium naturam sequi congruit principalis. »

(14. Quamvis testamentum ad interrogationem alterius, et solis nutibus seu signis factum non valeat de jure civili, per text. in l. *Jubemus* 29, cod. *De testamentis*, valet nihilominus ad pias causas; Tiraquell., *loc. cit.*, privileg. 8; Barbosa, in cap. *Cum tibi* 13, n. 3, De testamentis; Menoch., *loc. cit.*, n. 24; card. Petra, *loc. cit.*, n. 40; Jul. Clar., § *Testamentum*, quæst. 6, n. 7, et alii communiter. Testari enim ad interrogationem alterius, et solis nutibus ac signis non est prohibitum jure naturæ et gentium, sed jure civili, quod in testamentis ad pias causas non attenditur, argum. cit. cap. *Relatum* 11, De testamentis.

(15. Item, quamvis non valeat testamentum sine institutione hæredis, valent tamen legata pia in eodem testamento adjecta. Rota, part. XIX, tom. II, rec. decis. 484; card. de Luca, *De testamentis*, disc. 16, n. 4; card. Petra, *loc. cit.*, n. 45, et alii passim.

(16. Item, quamvis non valeat testamentum cum hærede incerto, valet tamen favore piæ causæ, ut si testator dicat: Instituo hæredes pauperes, animas purgatorii, ecclesiam, et hujusmodi. Barbosa, in citato cap. *Cum tibi* 13, n. 4, De testament.; Tiraquell., *loc. cit.*, privileg. 55 et 56; card. de Luca, *De testam.*, disc. 22, n. 5; card. Petra, *loc. cit.*, n. 42; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 151, et Communis aliorum.

(17. Item, quamvis non valeat testamentum, quo quis hæreditatem vel legata alterius arbitrio distribuenda committit, per text. in l. *Illa* 32, l. *Si quis* 68, ff. *De hæred. instit.*, tamen valet, si id fiat ad pias causas, v. g. dicendo: Instituo hæredes bonorum meorum pauperes, quos Franciscus elegerit, vel lego mille aureos decem puellis, centum pro unaquaque, si hæres meus voluerit, et hujusmodi. Ita Jul. Clar., § *Testamentum*, q. 6, n. 5; Covarruv., *De testament.*, in cap *Cum tibi*, n. 12; Layman, *loc. cit.*, n. 7; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 23; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 151, et alii communiter; argum. cap. *Cum tibi* 13, De testamentis, juncto ejus Summario sic expresse dicente: « Tenet testamentum, si quis extremam voluntatem suam alterius dispositioni committit, et dicitur testatus ad pias causas. »

(18. Si aliunde de voluntate testatoris sufficienter non constet, tunc in testamento ad pias causas necessario requiruntur duo testes legitimi, adeo ut nec in foro interno hæres ab intestato credere teneatur uni soli testi, licet omni exceptione majori testimonium suum etiam juramento confirmanti. Layman, lib. III, tract. 5, cap. 2, n. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 152, et ipso teste, Communis aliorum, argum. citato cap. *Relatum* 11, De testamentis; ubi ad valorem testamenti ad pias causas duo saltem vel tres testes requiruntur, et cap. *Licet universis* 23, De testibus, ubi tanquam regula juris traditur, quod unus testis ad probandum non sufficiat cum alterius præjudicio; alioquin enim plurimæ fraudes et injuriæ contingerent.

(19. Hinc recte advertunt Reiffenstuel et Layman, *loco citato*, et alii, quod improvide ac periculose agunt, tam testator, qui uni soli, v. g. soli parocho aut soli confessario manifestat, quam ipse parochus seu confessarius, qui suscipit voluntatem ultimam referendam hæredibus ab intestato; quia hoc ipso, quod uni soli, quisquis ille sit, credere non teneantur hæredes ab intestato; dispositio talis ultima periculo nullitatis semper exponitur. Quamvis ipsemet parochus seu confessarius legata in scheda adnotaverit, non creditur illi sine alio teste, ut expresse dicit, *ibid.*, Layman. Quare, subjungit, monendi sunt parochi aliique confessarii, ut ultimas ejusmodi dispositiones ad causas pias non excipiant, nisi advocatis duobus testibus masculis aut feminis, vel saltem uno, qui simul cum parocho vel confessario sufficere poterit. Et in tali casu, si testator coram testibus dicat, quod velit quædam ad pias causas erogari, sicuti parocho aut confessario suo mandavit, tunc parochus seu confessarius audiri debet, et secundum ejus relationem exsecutio fieri, modo talia indicia afferat, ut, spectatis circumstantiis, verisimile esse possit, defunctum ea ipsi mandasse. Sic Covarruvias, in cap. *Cum tibi* 13, n. 23, De testamentis; Navarr., lib. III, consil. 16, *De testamentis*, edit. 2; Layman, *loco citato*; Reiffenstuel, *loco citato*, n. 153, recte addens quod vel testator communicet ipsi hæredi ab intestato suam dispositionem ad piam causam, vel, quod melius est, manu propria scribat aut duos testes adhibeat.

(20. Tales testes in his testamentis ad pias causas non est necesse quod sint rogati. Abbas, in c. *Relatum* 11, n. 3, De testamentis; Fagnan., *ibid.*, n. 12; Barbos., *ibid.*, in fine; Covarruv., *ibid.*, num. 5; card. Petra, *loco citato*, n. 28; Jul. Clarus, *loco citato*, n. 154, et alii communiter. (21. Ad id possunt esse testes etiam feminæ et aliæ personæ, quæ a jure civili non solent admitti, dummodo non sint infames, mentis impotes, vel alias reprobatæ ratione delicti. Fagnan., in cit. cap. *Relatum*, n. 14, et cit. cap. *Cum esses*, n. 34 et seq.; Reiffenstuel, lib. II *Decretal.*, tit. 20, n. 88; card. Petra, *loco citato*, n. 29; Ancharanus, in cit. cap. *Cum esses*, n. 6, et plurimi alii, volentes quod in testamento ad pias causas testis esse possit quicunque de jure naturæ et gentium a ferendo testimonio non repellitur.

(22. Item in testamento ad pias causas

Digitized by Google

testis esse potest parochus, confessarius, beneficiatus et religiosus, quamvis legata sint ad favorem propriæ ecclesiæ seu monasterii. Layman, cit. lib. III, tract. 5, cap. 2, sub n. 5; Tiraquel., *De privileg. causæ piæ*, privileg. 93; card. de Luca, *De testament.*, disc. 8, n. 20; Farinacius, qu. 60, *De testibus*, n. 463 et seq.: Mascard., conclus. 3, n. 11 et 12; Pirrhing, lib. II *Decretal.*, tit. 29, n. 101; Reiffenstuel., *ibid.*, n. 197 et 198 cum seq., et Comm. aliorum per clar. text. in c. *Insuper* 6, et c. *Cum nuntius* 12, De testibus.

(23. An ex bonis relictis in testamento ad pias causas, seu ex legatis piis detrahi possit falcidia? *Vide* verb. FALCIDIA, et verb. LEGATUM a n. 137.

(24. Testamentum inter liberos est illud quod parentes, pater nempe, vel mater, vel ascendentes in linea recta faciunt, et in eo liberos vel nepotes instituunt: *Communis*, per text. in l. *Inter omnes*, 26, cap. *Familiæ erciscundæ*; l. *Hac consultissima* 21, § *Ex imperfecto*, cod. *De testamentis*, ibi: « Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos a parentibus utriusque sexus habeatur, non volumus. » Et quia, ut expresse habetur in leg. *Appellatione* 51, ff. *De verb. appellat.*: « Appellatione parentis, non tantum pater, sed etiam avus et proavus, et deinceps omnes superiores continentur, sed et mater, et avia, et proavia; ideo etiam illud testamentum, quod ascendentes pro hæredibus instituunt, testamentum inter liberos, ac consequenter privilegiatum erit. » Layman, lib. III *De justitia*, tract. 5, cap. 2. num. 11; Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 26, num. 180, et alii per text. in novell. 107, in *Præfatione*, ibi: « Insuper et Theodosius decrevit, non in patribus solum hoc disponens, sed etiam in matribus et ascendentibus utriusque naturæ. »

(25. Testamentum inter liberos est pro utroque foro privilegiatum, unde valet in utroque foro, quamvis careat solemnitatibus de jure civili ad testamentum ut sic requisitis; dummodo ad illud concurrant ea quæ pro eodem a jure specialiter requiruntur. *Communis*, textu expresso in cit. leg. *Inter omnes* 26, cod. *Familiæ erciscundæ*; et cit. leg. *Hac consultissima* 21, § *Ex imperfecto*, cod. *De testamentis*.

(26. Ad valorem testamenti inter liberos de jure specialiter requiritur, et sufficit quod si fiat in scriptis, parens testans « primum ejus subscriptione tempus, quo testamentum fecit, declaret; deinde quoque filiorum nomina propria manu; ad hoc uncias, in quibus scripsit eos hæredes (id est id quod cuivis ex liberis relinquere intendit) non signis numerorum significandas, sed per totas litteras declarandas, ut undique claræ et indubitatæ consistant. » Sic expresse habetur in novella 107, cap. 1. Et concordat. cit. l. *Inter omnes* 26, cod. *Familiæ erciscundæ*, ibi: « Sive cœptum, neque impletum testamentum, vel codicillus seu epistola parentis esse memoretur, sive quocunque alio modo scripturæ quibuscunque verbis vel indiciis inveniantur relictæ..... defuncti dispositio custodiatur, etiamsi solemnitate legum hujusmodi dispositio fuerit destituta. » Et authent. *Quod sine*, cod. *De testamentis*, ibi: « Quod sine subscriptione ita procedit, si parens litteras edoctus manu propria, non signis, sed litterarum consequentia declaret, et tempus, et liberorum nomina, item et unciarum numerum, seu signa rerum specialium. »

(27. Si supradicto modo parens manu propria testamentum inter liberos totum scripsit, valet etiamsi ipsemet nomen suum non subscribat. *Communis*, argum. cit. l. *Hac consultissima* 21, et cit. authentic. *Quod sine*, cod. *De testamentis*. (28. Si autem non ab ipso parente, sed ab alio scriptum sit testamentum, ad hoc ut sit validum absque omnia alia solemnitate, debet parens propria manu ipsum subscribere. *Communis*, arg. cit. l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*.

(29. Etiam nuncupativum testamentum inter liberos valet, quamvis careat omni alia solemnitate, dummodo per duos testes constet de voluntate testatoris. *Communis*, cit. leg. *Hac consultissima* 21, § *Ex imperfecto*, cod. *De testamentis*, ubi sine ulla distinctione testamenti scripti et nuncupativi absolute dicitur, testamentum imperfectum valere, si sit inter liberos.

(30. Nec tales testes in testamento nuncupativo inter liberos debent necessario esse rogati. Et in tali testamento possunt esse testes etiam feminæ. *Communis*. Quod enim testes debeant esse rogati et masculi, est solemnitas juris civilis requisita ad testamentum non privilegiatum, quæ in testamento privilegiato, uti est testamentum inter liberos, non attenditur textu expresso in cit. l. *Inter omnes*, 36, cod. *Familiæ erciscundæ*, ibi: « Etiamsi solemnitate legum hujusmodi dispositio fuerit destituta. »

(31. Testamentum inter liberos est validum, quamvis parens eos inæqualiter instituat, uni majorem et pinguiorem partem hæreditatis assignando, quam alteri: dummodo cuivis legitimam relinquat. Sic fere communis doctorum contra paucos per textum in l. *Parentibus* 8, cod. *De inofficioso testamento*, ibi: « Parentibus arbitrium dividendæ hæreditatis inter liberos adimendum non est: dummodo non minus is, qui pietatis sibi conscius est, partis, quæ intestato defuncto potuit ad eum pertinere, quartam ex judicio parentis obtineat; » et concordat lex *Cum pater* 77, § 8, ff. *De legatis* 2.

(32. Testamentum inter liberos non valet, si nullus in eo institutus sit hæres. *Communis*. Nullum enim testamentum, quantumvis privilegiatum, valet seu subsistit sine hæredis directa institutione, per jura adducta *artic. antecedenti* num. 3. Vide *ibi*.

Digitized by Google

(33. Testamentum minus solemne inter liberos non valet quoad extraneas personas hæredes institutas. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Hac consultissima* 21, § *Ex imperfecto*, cod. *De testamentis*, ibi : « Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos a parentibus utriusque sexus habeatur, non volumus; si vero in hujusmodi voluntate liberis alia sit extranea mista persona, certum est eam voluntatem defuncti quantum ad illam duntaxat permistam personam pro nulla haberi, sed liberis accrescere.»

(34. Si autem in testamento minus solemni inter liberos extraneæ personæ relinquitur aliquid per modum legati aut fideicommissi, valet. Covarr. *De testament.*, cap. 11, num. 2; Molina, disp. 128, num. 2, citans communem; Alexander, consil. 41 et consil. 103, testans de communi ; Reiffenstuel, *loco citato*, num. 204, et plurimi alii contra Jasonem et alios per textum in authent. *Quod sine*, cod. *De testamentis*, ibi : « In quo (scilicet testamento minus solemni inter liberos) et aliis legari, et fidei committi, et libertas relinqui potest. » Et ratio est quia, cum tale testamentum valeat tanquam principale, debet valere etiam legatum, aut fideicommissum tanquam accessorium, argum. cap. *Accessorium* 24, De regulis juris in 6, ibi : « Accessorium naturam sequi congruit principalis. »

(35. Testamentum minus solemne patris inter liberos naturales et spurios non est privilegiatum, adeoque non valet. *Communis.* Et ratio est, quia dum lex mentionem facit de liberis ac filiis, ordinarie soli legitimi intelliguntur, leg. *Filium* 6, ff. *De his qui sunt sui*, etc. ; tum quia non est credibile, quod jura speciale privilegium concedere velint filiis illegitimis ob inordinatam patris libidinem alias suspectis.

(36. Valet tamen testamentum minus solemne matris inter liberos naturales et spurios. *Communis.* Et ratio est quia respectu matris filii naturales reputantur pro legitimis in ordine ad capiendam hæreditatem. Leg. *Novissime* 3, instit. *De senatusconsulto Orphitiano*, leg. *Hac part.* 2, ff. *Unde cognati.*

(37. Testamentum militis factum ab ipso in expeditione bellica, prælio vel conflictu actuali, consequenter in periculo ac discrimine belli constituto, nullam penitus juris civilis solemnitatem, ad ejus valorem requirit, sed sufficit, si de voluntate ipsius militis satis constet, quomodocunque dein innotescat. *Communissima* textu expresso in leg. *Milites* 15, cod. *De testamento militis*, ibi : « Milites in expeditione degentes, si uxores, aut amicos, aut commilitones, postremo cujuslibet generis homines amplecti voluerint supremæ voluntatis affectu, quomodo possint ac velint, testentur : nec uxorum, aut filiorum eorum, cum voluntatem patris reportaverint, meritum, aut libertas dignitasve quæratur. Proinde sicut juris rationibus licuit, ac semper licebit, si quid in vagina aut clypeo litteris sanguine suo rutilantibus adnotaverint, aut in pulvere inscripserint gladio suo ipso tempore, quo in prælio vitæ sortem derelinquunt, hujusmodi voluntatem stabilem esse oportet. » Et concordat lex *Militibus* 1, ff. *De testamento militis*, ibi : « Simplicitati eorum consulendum existimavi, ut quoquo modo testati fuissent, rata esset eorum voluntas. Faciant igitur testamenta, quomodo volent, quomodo poterint. Sufficiatque ad bonorum suorum divisionem faciendam nuda voluntas testatoris. » Item concordat instit. *De militari testamento*, in principio, ibi : « Quamvis ii neque legitimum numerum testium adhibuerint, neque etiam testamentorum solemnitatem observaverint, recte nihilominus testantur, videlicet cum in expeditionibus occupati sunt. »

(38. Qui urbem obsident vel obsessam actualiter defendunt, in expeditione bellica, quoad hoc esse censetur, ideoque eodem privilegio, quo ad testamentum gaudere debent : omnes enim isti in manifestis periculis ob machinationes reciprocas versantur, et quasi in continuo conflictu, et præ aliis potissimum in expeditione bellica existunt. Unde cum de istis militet eadem ratio, debet de istis militare eadem legis dispositio. Leg. *Illud* 32, ff. *Ad legem Aquil.*, et cap. *Inter corporalia* 2, De translation. episcop. Cum ratio legis sit anima legis, leg. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnatorum.* Ita Andlerus, in *Medulla juris*, De testamento milit., n. 1 ; Schmidt, *Ad statuta Bavarica*, tit. 32, art. 7, num. 4 ; Reiffenst., *loc. cit.*, num. 213, et alii.

(39. Ad testamentum militis in castris quidem, sed absque actuali expeditione bellica seu actuali conflictu secure degentis requiruntur duo saltem testes. *Communis* hodie ac certa per recessum Imperii 1512, teste Reiffenstuel, *loc. citat.*, nu. 214, cum aliis ibi allegatis.

(40. Ad valorem testamenti militis nec in castris nec in aliqua actuali expeditione bellica, sed vel in hibernis vel in fortaliitis obsidionem actualem non patientibus præsidiarii exsistentis, seu alibi secure degentis, requiruntur ordinariæ juris solemnitates, simile enim testamentum non est ad id a jure privilegiatum. *Communis*, textu expresso in principio instit. *De militari testamento*, ibi : « Illis autem temporibus, per quæ citra expeditionum necessitatem in aliis locis vel suis ædibus degunt, minime ad vindicandum tale privilegium adjuvantur, sed testari quidem et si filii familiarum sint, propter militiam conceduntur, jure tamen communi eadem observatione, et in eorum testamentis adhibenda, quam in testamentis paganorum proxime exposuimus. »

(41. Quamvis testamentum militis in actuali expeditione bellica quomodocunque valide fieri possit, si tamen ejus voluntas non aliter quam per testes probari possit, duo saltem testes ad id requiruntur. *Communis*, per text. in § *Plane* 1, instit. *De militari testamento.* Et ratio est quia regula

Digitized by Google

generalis est quod unus testis ad probandum non sufficiat cum alterius præjudicio. Argum. cap. *Licet universis* 23, De testibus. Unde militis hæredes ab intestato cum suo vel alterius præjudicio uni soli testi, quamvis omni exceptione majori, credere in tali casu non tenerentur.

(42. Testamenta militum in actuali expeditione bellica facta gaudent adhuc aliis privilegiis. Primo quod testamentum factum in actuali expeditione bellica per integrum adhuc annum validum subsistat, postquam miles a militia jam dimissus, vel a castris rediens in alio secùro loco degit. *Communis*, textu expresso in § *Sed hactenus* 3, institut. *De militari testamento*, ibi : « Et quod in castris fecerint testamentum non communi jure, sed quomodo voluerint, post missionem intra annum valebit. Quid ergo si intra annum quis decesserit, conditio autem hæredi scripta post annum exstiterit? An quasi militis testamentum valeat? et placeat valere quasi militis. » Unde hæres institutus posset vi talis testamenti hæreditatem capere, si miles intra annum in sua domo decederet; et concordat lex *Quod dicitur* 38, ff. *De testamento militis*, ibi : « Quod dicitur, si miles intra annum, quam missus est, decesserit, valere ejus testamentum, quod jure militari fecerat, verum est, etiam si post annum conditio institutionis exstiterit, mortuo eo intra annum. Et ideo si hæredi filio substituerit, nihil interest, quando filius moriatur, sufficit enim patrem intra annum obiisse. » Secundo si quis ante militiam non jure fecit testamentum, et miles factus in actuali expeditione bellica degens resignavit illud, et quædam adjecit, sive detraxit, vel alias manifesta est militis voluntas hoc valere volentis, tunc valet tale testamentum, ac si haberet omnes solemnitates. *Communis*, textu expresso in § *Sed et si quis* 4, instit. *De militari testamento*. Tertio, testamentum in actuali expeditione bellica factum non subjacet legi Falcidiæ. *Communis*, textu expresso in l. *Si certarum* 16, § 4, ff. *De testamento militis*. Quarto, nec subjacet querelæ inofficiosi testamenti. *Communis* per text. in l. *Cum antiquis* 37, cod. *De inofficioso testamento*. Quinto, possunt in eis instituì hæredes etiam deportati, et fere omnes qui testamenta facere non possunt. *Communis*, textu expresso in leg. *Idem est* 13, § 2, ff. *De testamento militis*.

(43. Testamentum rustici potest ruri fieri coram quinque testibus, casu, quo rusticus in loco, ubi testatur, septem testes alias de jure requisitos, habere commode nequeat. *Communis*, textu expresso in leg. *Et ab antiquis* 31, cod. *De testamentis*, ibi : « In illis vero locis, in quibus raro inveniuntur homines litterati, per præsentem legem rusticanis concedimus antiquam eorum consuetudinem legis vicem obtinere, ita tamen ut ubi scientes litteras inventi fuerint, septem testes, quos ad testimonium convocari necesse est, adhibeantur, ut unusquisque pro sua persona subscribat. Ubi autem non inveniuntur litterati septem testes, etiam sine scriptura testimonium adhibentes admittit; sin autem in illo loco minime inventi fuerint septem testes, usque ad quinque modis omnibus testes adhiberi jubemus, minus autem nullo modo concedimus; si vero unus, aut duo vel plures fuerint litterati, liceat eis pro ignorantibus litteras, præsentibus tamen, subscriptionem suam interponere. Sic tamen ut ipsi testes cognoscant testatoris voluntatem, et maxime quem, vel quos hæredes sibi relinquere voluerit, et hoc post mortem testatoris jurati deponant : quod igitur quisque rusticorum, sicut prædictum est, pro suis rebus disposuerit, hoc omnimodo legum subtilitate remissa firmum, validumque consistat. »

(44. Dicti testes pro testamento rustici debent esse litterati, si haberi possint, et omnes se subscribere debent, ut clare patet ex expressis verbis textus adducti, ibi : « Ita tamen, ut ubi scientes litteras inventi fuerint, septem testes, quos ad testimonium convocari necesse est adhibeantur, ut unusquisque pro sua persona subscribat. »

(45. Si autem non omnes septem, vel respective quinque, unus tamen, vel plures scribere scientes facil· inveniri possunt, debent illi loco aliorum litteras ignorantium, ipsis præsentibus, testamentum subscribere, ut expresse habetur ex adductis illis verbis : « Si vero unus, aut duo, vel plures fuerint litterati, liceat eis pro ignorantibus litteras, præsentibus tamen, subscriptionem suam interponere. »

(46. Si vero nullus litteratus haberi possit, potest rusticus etiam oretenus coram septem testibus, si haberi possint, vel coram quinque, si septem commode haberi nequeant, valide testari per verba. Sic expresse ex illis verbis : « Ubi autem non inveniuntur litterati septem testes, etiam sine scriptura testimonium adhibentes admittit; sin autem in illo loco minime inventi fuerint septem testes, usque ad quinque modis omnibus testes adhiberi jubemus. »

(47. Testamentum rustici coram pauciori-bus quam quinque testibus, nullo modo valet, etiamsi fiat in loco, ubi quinque testes haberi non possunt. Sic expresse habetur ex illis verbis : « Usque ad quinque modis omnibus testes adhiberi jubemus, minus autem nullo modo concedimus. »

(48. Testes in testamento rustici eodem modo debent esse idonei et qualificati, sicuti in aliis testamentis non privilegiatis. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 121, cum variis aliis ibi citatis. Et ratio est, quia eo ipso, quod jura pro testamento rustici dispensant solummodo in quantitate testium, videntur velle, quod dicti testes habeant etiam pro ipso easdem qualitates, quas habere debent pro aliis non privilegiatis, cum exceptio unius firmet regulam in contrarium, leg. *In iis*, ff. *De legibus*, et leg. *Quæsitum* 12, § 43, ff. *De instrumento legato*, et dispensationes sint odiosæ, et ideo restringendæ, nec extendendæ de uno ad aliud, arg. cap. *Si is* 2, De filiis presbyterorum in 6.

(49. Rustici habitantes in pagis ubi se-

Digitized by Google

ptem testes facile haberi possunt, sicut si in urbe, vel oppido testamentum faciant, licet alias ordinarie ruri habitent, nullo gaudent ad id privilegio. *Communis*, testibus Julio Claro, *loc. cit.*, q. 56, n. 6, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 219. Et ratio est quia tunc non sunt in loco, ubi testes haberi nequeunt, ut ad tale privilegium requiritcit. l. *Et ab antiquis* 31, cod. *De testamentis ;* cessante autem ratione et causa legis, cessat ipsa lex, leg. *Adigere* 6, § 2. ff. *De jure patron.* Cum ratio legis sit anima legis ; l. *Cum ratio* 7, De bonis damnatorum.

(50. An autem tali privilegio rusticorum gaudeant etiam cives et nobiles ruri recreationis gratia vel alia de causa degentes, et ibi ægrotantes, ac ideo ibidem testantes? Controversia est inter doctores. Varii enim apud Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 222, tenent absolute affirmativam sententiam, quia, dicunt, in his eadem militat ratio, defectus nempe testium, et consequenter eadem debet militare juris dispositio ; l. *Illud* 42, ff. *Ad legem Aquil.*, l. *Ideo* 27, ff. *De legibus*, c. *Inter corporalia* 2, De translatione episcopi. Cum ratio legis sit anima legis, cit. leg. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnatorum ;* Clarus autem, § *Testamentum*, quæst. 56, n. 6 ; Bartolus, in cit. leg. *Et ab antiquis* 31, n. 2, cod. *De testamentis ;* et Reiffenstuel, *loc. cit.*, ubi testatur de communi, tenent probabilius negativam sententiam ; et ratio est, quia in citat. leg. *Et ab antiquis* tale privilegium est concessum rusticis, non solum ob defectum testium, sed etiam, et primario ob simplicitatem et imperitiam rusticorum, ut patet ex verbis ipsismet legis, ibi : « Et ab antiquis legibus et a diversis retro principibus semper rusticitati consultum est, et in multis legum subtilitatibus stricta observatio eis remissa.... homines rustici, et quibus non est litterarum peritia, quomodo possunt tantam legum subtilitatem custodire in ultimis suis voluntatibus? Ideoque ad Dei humanitatem respicientes, necessarium duximus per hanc legem eorum simplicitati subvenire. » Tum quia ibidem subjungitur : « In illis vero locis, in quibus raro inveniuntur homines litterati, per præsentem legem rusticanis concedimus... » Unde hoc ipso quod *solis rusticanis* id concedatur, cæteris implicite negatur, quamvis per accidens exsistant etiam in loco, ubi litterati non reperiuntur ; cum dispensationes legis sint odiosæ, ac ideo restringendæ, nec extendendæ de uno ad aliud. Argum. cap. *Si is* 2, De filiis presbyteror. in 6, cap. *Odia* 15, De regul. juris in 6.

(51. Ad testamentum factum tempore pestis ita sævientis, ut septem testes haberi nequeant, sufficiunt quinque, vel etiam duo soli testes. Gailus, lib. II, observ. 118, n. 18, dicens ita practicari in camera imperiali ; ita etiam Mynsing., cent. 1, observ. 96 ; Clarus, *loc. cit.*, quæst. 56, n. 6 ; Jason., in cit. l. *Et ab antiquis* 21, n. 3, 4 et 5, c. *De testamentis ;* Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 229, et plures alii. Et ratio est quia, ubi clarus non habetur textus, *optima legum interpres est consuetudo.* Leg. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*, et cap. *Cum dilectus* 8, De consuetudine. Unde cum consuetudo et praxis recepta in camera imperiali ex supracitatis doctoribus habeat, quod ad tale testamentum duo testes sufficiant, stat firma nostra conclusio.

(52. Imo varii volunt quod ad tale testamentum tempore pestis adeo sævientis ea sola sufficiant, quæ de jure naturæ et gentium requiruntur, et consequenter hujusmodi testamentum coram duobus testibus factum in utroque foro subsistat. Sic Florianus, in leg. *Milites* 15, cod. *De testament. milit. ;* Portius, § final., institut. *De testamen. milit. ;* Paulus Comitolus, lib. VII *Respons. moral.*, qu. 1, conclus. 2, et alii. Et ratio est quia in casu necessitatis recedit a jure communi, cum ipsi illa non subjaceat. L. *Ubi adsunt* 19, ff. *De tutoribus et curatoribus ;* l. *Cæsar* 16, ff. *De publicanis et vectigalibus*, et cap. *Consilium* 2, De observat. jejunior., ibi : « Cum non subjaceat legi necessitas, » c. *Sicut* 11, dist. 1, De consecrat., ibi : « Necessitas non habet legem, » cum similibus.

(53. Stando tamen in præciso rigore juris communis, ad testamentum tempore pestis non ita sævientis, quin haberi possint septem testes, et observari aliæ solemnitates alias requisitæ, debent omnes tales solemnitates observari, et omnes dicti septem testes adhiberi, quamvis alioquin non omnes septem simul et semel congregati esse debeant, sed successive venire possint, textu expresso in leg. *Casus majoris* 8, De testamentis, ibi : « Casus majoris ac novi contingentis ratione adversus timorem contagionis, quæ testes deterret, licet aliquid de jure laxatum est, non tamen prorsus reliqua testamentorum solemnitas perempta est ; testes enim hujusmodi morbo oppressos eo tempore jungi atque sociari remissum est ; non etiam conveniendi numeri eorum observatio sublata est. »

(54. Testamentum principi oblatum inter omnia privilegiatissimum, est illud quod testator prius absque ulla juris solemnitate in scripturam redigit, et postea supremo principi vel ejus nomine deputatis offert, rogans ut illud auctoritate principis sustineatur. Sic in re Communis, per text. in l. *Omnium* 19, cod. *De testamentis.*

(55. Testamentum coram principe factum æque privilegiatum est illud quod testator coram principe vel ejus deputatis oretenus absque ulla juris solemnitate facit, ultimam suam voluntatem declarando, seu manifestando et rogando, ut principis auctoritate sustineatur. Sic in re Communis, per text. in cit. l. *Omnium* 19, cod. *De testamentis.* (56. Unde, ut vides, non solum testamentum in scriptis jam factum principi offerri, sed etiam oretenus coram eodem potest fieri testamentum validissimum absque omni juris solemnitate, ut tradit Communissima doctorum.

(57. Testamentum principi oblatum vel coram eo factum est validissimum absque

Digitized by Google

omni juris solemnitate. *Communis*, per expressum textum in cit. l. *Omnium* 19, cod. *De testamentis*, ubi dicitur quod æque securus sit testator, sive auribus privatorum adhibita solemnitate ordinaria, sive sine solemnitate ordinaria coram principe testetur, ibi : « Aut auribus privatorum mentis suæ postremum publicavit judicium, ita nec de ejus unquam successione tractabitur, qui nobis mediis et toto jure (quod in nostris est scriniis constitutum) teste succedit. » Et ratio potissima est, quia ut ibi dicitur, principis auctoritas omnem solemnitatem superat : eo vel maxime quod princeps nunquam solus, sed semper nobilibus aliisque omni exceptione majoribus personis stipatus exsistat, ibi : « Omnium testamentorum solemnitatem superare videtur, quod insertum mera fide precibus inter tot nobiles, probatasque personas, etiam conscientiam principis tenet. »

(58. Item privilegiatum est testamentum *ad acta datum*, et est illud quod testator prius jam absque solemnitate factum et in scripturam redactum, judici vel deputatis ab eo, offert. Sic in re Communis, per text. in cit. l. *Omnium* 19, cod. *De testamentis*.

(59. Item privilegiatum est testamentum *apud acta* seu *coram actis factum*, et est illud quod testator facit oretenus suam ultimam voluntatem coram judice vel deputatis ab eo declarando et manifestando. Sic in re Communis per textum in cit. l. *Omnium*.

(60. Ad valorem testamenti *ad acta dati* seu *apud acta*, vel *coram actis facti*, sive in loco judicii, sive extra illud, nulla alia requiritur juris solemnitas ; dummodo alias legitime constet et probari possit testamentum revera *ad acta datum*, seu *apud acta*, vel *coram actis factum* fuisse. *Communis*, per text. in citat. leg. *Omnium* 19, et leg. *Sancimus* 27, cod. *De testamentis*. Et ratio est quia in tali testamento auctoritas judicis requisitas solemnitates supplet ; imo superat, ut expresse dicitur in cit. leg. *Omnium*, ibi : « Omnium testamentorum solemnitatem superare videtur, etc. » Unde leg. *In donationibus* 31, cod. *De donationibus*, sic expresse statuitur : « In donationibus, quæ actis insinuantur, non necessarium judicamus vicinos vel alios testes adhibere. Nam superfluum est privatum testimonium, cum publica monumenta sufficiant. »

(61. Testamenta cardinalium sunt æque privilegiata ac testamenta militum. Card. de Luca, *De testamentis*, disc. 7, n. 7,; Alban., *De cardinalibus*, q. 42, § 2; Germon, *De sacror. immunit.*, lib. III, cap. 6, n. 66; Gratian, disceptat. 312, num. 11; Diana, part. V, tract. 2, *De cardinalibus*, cap. 41 ; Barbos. lib. I *Juris ecclesiastic. univers.*, cap. 5, n. 101, cum aliis ibi citatis. (62. Et in ipsis attenditur sola veritas naturalis. Rota *in Romana Legati* 14 Aprilis 1660, *coram Priolo ;* card. de Luca, *loc. cit.*, n. 8; Jacob. Gall., cons. 60, et alii. (63. Atque sufficit sola schedula scripta vel subscripta manu cardinalium absque testibus. Card. de Luca, *De testamentis*, disc. 13, n. 9; card. Petra, tom. II *Commentar.* ad constit. 10 Innocent. III, sect. 2, n. 18 ; Abb., consil. 32, num. 2 et seq., lib. II; Achill. de Grass., decis. 1, *De testamentis*, et alii.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(64. Agit hic auctor de testamentis, in quibus remissus est rigor solemnitatum juris civilis. Libet vero aliqua addere de testamento ad pias causas.

(65. Quod attinet ad testamentum ad pias causas, quæstionis est, an testamentum, in quo pia causa per fideicommissum vocata est, dici queat ad pias causas.

(66. De hac autem quæstione hic fuit sensus Rotæ, *in Majoricen. Immissionis* 21 Januarii 1735, *cor. eminentiss. Crescentio :* « Frustra (sunt ejus verba § 5 et seq.) ad evitandam prædicti textus censuram impugnatur in hypothesi favor piæ causæ, ex quo collegium nec directe institutum legeretur, neque substitutum sub aliqua conditione certo exstitura, sed vocatum tantummodo sub duplici conditione, quod nempe Antonius primus hæres obiret sine filiis, quod isti sine liberis ac descendentibus decederent, quod nunquam evenire cum posset, non erat proinde, cur in his terminis dispositio diceretur ad pias causas ad effectum gaudendi illius privilegiis, etc. Assumptum namque procederet, et contrariæ auctoritates locum haberent, ubi jus et vocatio piæ causæ adhuc sub incerta conditione maneret, ita ut privilegium respiceret prius commodum intermediæ privatæ personæ illud allegantis. Secus autem ubi, prout in casu, purificata jam conditione, præsens ac certum est jus causæ piæ, factusque jam locus illius substitutioni. In his quippe terminis nihil refert, an directa vel obliqua, an proxima vel remota fuerit ab initio vocatio ejusdem causæ piæ ad hoc, ut testamentum non subjaceat censuræ juris civilis, ejusque solemnitatibus, » etc. Confer etiam *confirmatoriam* 13 Aprilis 1736, § *Neque*, et plur. sequent. *cor. eodem.*

(67. Non privilegium testamenti ad causas pias ad legata profana in eo contenta etiam extendatur : acerrima quæstio est.

(68. Affirmativam opinionem pluribus cumulatis tenet Lanfredin., *Respons. eccles.* 4, n. 11, ea de ratione : « quod propter individuitatem testamenti, et mutuæ rationem justitiæ, cujus Ecclesia cultrix esse debet, validitas ex piæ causæ ratione inducta legatis etiam profanis communicetur, et quæcunque disposita in testamento, ubi pia causa sit instituta, exsecutioni demandanda sint. »

(69. In concernentibus vero voluntatem, nullum est privilegium piæ causæ. Utile propterea est nosse, quando schedula ad pias causas contineat perfectam dispositionem, et quando præparationem, ad dispo-

Digitized by Google

nendum. *Vide* tamen Lanfredin., *Respons. eccles.* 29, n. 16 et plur. seq.; Rota, *in Anconitana legati pii* 18 Junii 1742, *cor. reverendiss. Molin.*

ARTICULUS III.

Testamentum quoad ea quæ concernunt illos qui possunt, vel non ipsum facere, hæredes in ipso instituì, et ejusdem executores esse, eorumque obligationem.

SUMMARIUM.

1. Quilibet testamentum facere potest, qui nec jure naturali nec positivo prohibetur. — 2. Jure naturæ testamentum facere non possunt infantes ante septennium. — 3. Item testamentum facere non possunt furiosi, amentes, mente capti, ac omnes, qui usu rationis carent, eo tempore, quo usu rationis actualiter privati exsistunt. — 4. Valet tamen testamentum ab ipsis factum, antequam essent furiosi, amentes seu usu rationis privati. — 5. Valet etiam testamentum ab ipsis factum tempore, quo habent lucida intervalla. — 6. Dummodo tamen durante lucido intervallo totum absolvant, alias si durante actu testandi in furorem, amentiam vel insaniam, seu usus rationis privationem incidant, totum testamentum quoad causas profanas est nullum. — 7. Item testamentum facere non potest mutus et surdus simul a nativitate; secus autem si ex accidenti, modo scribere sciat vel si mutus aut surdus tantum sit et voluntatem suam scripto declarare possit. — 8. Item testari non potest cæcus, nisi nuncupative, et observatis solemnitatibus præscriptis. — 9. Item testamentum facere non potest prodigus, cui a judice interdicta est bonorum administratio. — 10. Item testamentum facere non potest servus sive mancipium. — 11. Item testari non potest captivus vel obses apud hostes detentus. — 12. Item testari non potest damnatus ad mortem naturalem vel civilem. — 13. Item testamentum facere non possunt impuberes. — 14. Item filiusfamilias, qui sub patris potestate est, non potest testari nisi de bonis castrensibus jure militari, et quasi castrensibus, servatis solemnitatibus juris communis. — 15. De bonis vero adventitiis testari non potest, ne quidem patre consentiente. — 16. Item damnati ob libellum famosum testari non possunt. — 17. Item testari non possunt rei criminis læsæ majestatis. — 18. Item testari prohibentur hæretici, eorumque receptores, fautores et defensores. — 19. Item testari prohibentur usurarii publici, nisi prius usuras restituant, aut de restitutione facienda idoneam cautionem præstent. — 20. Item testari prohibentur omnes hostiliter insequentes, percutientes aut offendentes S. R. E. cardinalem. — 21. Item non desunt doctores volentes, quod omnes excommunicati notorii et vitandi testari non possint. At communis sententia tenet contrarium. — 22. Qui sunt inhabiles a natura ad testandum, testamentum facere nequeunt, neque ad causas pias. — 23. Qui autem ad testandum sunt inhabiles solum de jure civili, possunt valide testari quoad causas pias de iis bonis, quorum perfectum dominium adhuc habent. — 24. De bonis vero jam propter delicta amissis, et fisco addictis, neque ad causas pias testari possunt. — 25. Prodigi et impuberes judicium naturale sufficiens ad peccatum mortale jam habentes et damnati ad mortem, quorum bona non confiscantur, testari possunt ad causas pias.—26. Clerici sæculares omnes, tam majores quam minores, æque ac laici facere possunt testamentum de bonis suis patrimonialibus, et quasi patrimonialibus seu industrialibus. — 27. Item etiam de bonis parcimonialibus. — 28. Clerici de bonis ecclesiasticis superfluis seu de fructibus beneficii de jure nullum penitus testamentum, nec ad causas pias, facere possunt. — 29. De legitima tamen consuetudine introduci potest, ut clerici sæculares de bonis ecclesiasticis superfluis ad causas pias testari possint.—30. Non possunt autem clerici sæculares, sive majores sive inferiores, neque vi consuetudinis, licite vel valide testari de bonis ecclesiasticis superfluis in notabili quantitate ad causas profanas. Nec hæres profanus potest tuta conscientia talem hæreditatem recipere et retinere, sed si eam accipiat, tenetur ex justitia eam iterum restituere. — 31. Clerici autem incolæ et cives urbis Romanæ, qui in ea vel ejus districtu decesserint, possunt libere ac licite, tam inter vivos quam mortis causa de bonis ecclesiasticis superfluis disponere etiam ad causas profanas. — 32. Regulares omnes professi, tam superiores quam subditi, nequeunt ullum facere testamentum. — 33. Neque regulares testari possunt ad pias causas. — 34. Imo neque de licentia prælati seu superioris. — 35. Neque possunt regulares testari, etiamsi ante professionem sibi aliquam summam suorum bonorum reservassent cum facultate testandi. — 36. Quinimo regularibus professis neque licet testamentum a se conditum ante emissam professionem moderare per viam declarationis. — 37. Possunt autem regulares professi testamentum a se factum ante professionem interpretari et declarare, si declaratione aut interpretatione egeat. — 38. Novitius potest revocare testamentum a se factum, sive ante, sive post ingressum religionis, et durante novitiatu aliud condere. — 39. Novitius in testamento nihil potest sibi reservare ad effectum testandi de illo post professionem.—40. Potest tamen novitius in suo testamento præcipere, ut aliquid ex ejus bonis etiam post suam professionem quotannis expendatur in pios usus, seu quod alicui solvatur annum legatum, vel ne quid de eis alienetur, et hujusmodi. — 41. Si novitius ante professionem testari omittat, succedit in ejus bona, jura et actiones monasterium, si sit capax bonorum; si autem monasterium sit incapax, succedunt consanguinei ab intestato. — 42. Post professionem emissam non potest religiosus testamentum ante professionem factum revocare, quam vis possit ipsum declarare. — 43. Novitii possunt, sive ante ingressum, sive etiam tempore noviliatus, testamentum condere etiam ante duos menses proxime præcedentes professionem, et sine licentia episcopi, vel ejus vicarii generalis. — 44. Qui possint, vel non hæredes institui testamento? *remissive.* — 45. Executores testamentorum qui sint et dicantur. — 46. Exsecutores testamentorum alii sunt *legitimi*, alii *testamentarii*, alii *dativi*, et qui sint omnes? — 47. Si nullus a testatore sit deputatus exsecutor, ipso jure exsecutor est ejus hæres, qui de jure debet integram defuncti voluntatem, etiam quoad legata exsequi.—48. Quoad ea autem quæ pro redemptione captivorum vel pauperum alimentis aut aliis causis piis relicta sunt, exsecutor est episcopus loci.—49. Imo episcopus potest compellere exsecutores testamentarios ad exsequendas pias voluntates defunctorum, etiamsi testator hoc interdixisset.—50. Exsecutores testamenti deputari possunt a testatore unus vel plures, sive ex hæredibus, sive ex extraneis, sive clericis, sive laicis. — 51. Etiam feminæ esse possunt exsecutrices testamentorum. — 52. Item etiam minores XXV annis, dummodo XVII excesserint. — 53. Exsecutores testamenti possunt esse etiam religiosi omnes (exceptis Fratribus Minoribus) dummodo ad id licentiam habeant a suo superiore. — 54. Per talem superiorem quis intelligatur?—55. Si religiosus absque licentia superioris munus exsecutoris testamentarii, sive ad causas profanas, sive ad causas pias suscipiat, et peragat, adhuc per eum gesta, sunt valida.—56. Opposita tamen sententia est etiam probabilis. — 57. Fratres Minores nullatenus possunt esse exsecutores testamentorum, neque ad causas profanas, neque ad causas pias, neque a superioribus

Digitized by Google

potest eis ad id licentia concedi. — 58. Possunt tamen Fratres Minores dare ad id consilium executoribus a testatore deputatis. — 59. Insuper potest testator committere alicui Fratri Minori, ut ipse denominet unum vel plures exsecutores, et etiam præcipere potest exsecutoribus ut non nisi illis panperibus et causis piis designatis a d. Fratre Minore hæreditatem vel legata distribuant; et in tali casu id licite Frater Minor perageret. — 60. Regulares exsecutores testamentarii tenentur reddere rationem administrationis seu exsecutionis episcopo, et si in hoc deliquerint, possunt ab ipso puniri. — 61. Imo regularis exsecutor ultimæ voluntatis defuncti, quamvis ei secreto communicatæ, tenetur adhuc episcopo requirenti aperire summam, et circa quæ sit distribuenda, ac rationem administrationis reddere. — 62. Exsecutor deputatus a testatore non potest ordinarie compelli ad acceptandum et exsequendum tale munus, sive dispositio sit ad causam profanam, sive piam; postquam tamen expresse vel tacite acceptavit, omnino etiam invitus cogi potest, ut defuncti voluntatem exsequatur. — 63. Aliquando tamen ob rationabilem causam potest ad id compelli. — 64. Exsecutores tenentur, quamprimum possunt, exsequi ultimam voluntatem, nisi certum tempus ab ipso testatore sit designatum. — 65. Tam judex ecclesiasticus quam laicus potest compellere exsecutores laicos ad exsequendam voluntatem defuncti, sive dispositio sit ad causam profanam, sive ad causam piam, ita ut hæc causa sit misti fori, et detur locus prævention.—66. Judex laicus nullimode ad id compellere potest exsecutores clericos. — 67. Judex, præsertim ecclesiasticus, statim post aditam ab hærede hæreditatem compellere potest exsecutores, ut voluntatem defuncti exsecutioni mandent, quamvis testator id expresse ei inhibuerit.—68. Si plures sint a testatore deputati exsecutores, et unus eorum sit mortuus, vel in remotis exsistat, seu exsequi forte nolit, potest alius etiam unicus ex deputatis, nisi testator aliud disposuerit, officium exsecutionis libere adimplere. — 69. Nulli exsecutores, præter Summum Pontificem, nec episcopi quidem, relicta ad certas causas in alios usus vel causas, quamvis evidenter meliores essent, possunt ordinarie commutare, si voluntas determinata testatoris commode ac juste adimpleri possit. — 70. An autem, quando et ob quas causas possit mutari ultima voluntas testatoris, præsertim quoad legata, aliasque pias causas, a Papa et ab aliis? *remissive*. — 71. Exsecutores et hæredes intra quod tempus teneantur adimplere voluntatem testatoris, et quas pœnas incurrant, si negligentes fuerint? *remissive*. — 72. Exsecutores et hæredes, quibus et quo ordine distribuere possint et debeant legata pia a testatore relicta; *remissive*. — 73. Alia ad n. 74.

(1. Quilibet testamentum facere potest, qui nec jure naturali nec positivo prohibetur. *Communis*, per text. expressum in l. *Habeat unusquisque* 1, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*, et leg. *Ex facto* 43 in principio, ff. *De vulgari et pupillari substitut.*, ubi dicitur iniquum esse auferre testamenti factionem homini sanæ mentis, ibi: « Etenim iniquum incipit fieri beneficium principis, si adhuc id valere dicamus, auferret enim testamenti factionem homini sanæ mentis. »

(2. Jure naturæ testamentum facere non possunt infantes ante septennium, utpote usu rationis carentes, qui usus rationis de jure naturæ requiritur, ut actus humanus valeat. *Communis*, arg. § *Præterea* 1, instit. *Quibus non est permissum facere testamentum*, ibi: « Item furiosis, quia mente carent, » et concordat l. *In eo* 2, et l. *In adversa* 17, ff. *Qui testamenta facere possunt.*

(3. Item testamentum facere non possunt furiosi, amentes, mente capti, ac omnes qui usu rationis carent, tempore quo usu rationis actualiter privati exsistunt. *Communis*, per textus expressos in citat. § *Præterea* 1, instit. *Quibus non est permissum facere testamentum*, ibi: « Item furiosi quia mente carent, » l. *In eo* 2, ff. *Qui testamenta facere possunt*, ibi: « In eo qui testatur ejus temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas, exigenda est; » l. *In adversa* 17, ff. eodem, ibi: « In adversa corporis valetudine mente captus eo tempore testamentum facere non potest. » Et concordat lex *Furiosi* 40, ff. *De regulis juris.*

(4. Valet tamen testamentum ab ipsis factum, antequam essent furiosi, amentes, mente capti, seu usu rationis privati. *Communis*, textu expresso in cit. § *Præterea* 1. inst. *Quibus non est permissum facere testamentum*, ibi: « Certe eo quod ante furorem fecerint, valente testamento; » leg. *Qui testamenta* 20, § 4, ff. *Qui testamenta facere possunt*, ibi: « Testamentum quoque, quod ante furorem consummavit, valebit. »

(5. Valet etiam testamentum ab ipsis factum tempore quo habent lucida intervalla. *Communis*, textu expresso in cit. § *Præterea*, ibi: « Furiosi autem, si per id tempus fecerint testamentum quo furor eorum intermissus est, jure testati esse videntur; » leg. *Furiosum* 6, cod. *Qui testamenta facere possunt*, ibi: « Si vero voluerit in dilucidis intervallis aliquod condere testamentum vel ultimam voluntatem, et hoc sana mente incœperit facere, et consummavit, nullo tali morbo interveniente, stare testamentum, sive quamcunque ultimam voluntatem censemus, si et alia omnia accesserint, quæ in hujusmodi actibus legitima observantia requirit. »

(6. Dummodo tamen durante lucido intervallo totum absolvant; alias, si durante actu testandi, in furorem, amentiam vel insaniam, seu usus rationis privationem incidant, totum testamentum quoad causas profanas est nullum. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Furiosum*, ibi: « Si cœpto testamento furor eum invasit, sancimus tale testamentum hominis, qui in ipso actu testamenti adversa valetudine tentus est, pro nihilo esse. »

(7. Item testamentum facere non potest mutus et surdus simul a nativitate; secus autem si ex accidenti modo scribere sciat, vel si mutus aut surdus tantum sit, et voluntatem suam scripto declarare possit. *Communis* textu claro in § *Item* 3, institut. *Quibus non est permissum facere testamentum*, l. *Qui in potestate* 6, ff. *Qui testamenta facere possunt*, l. *Discretis* 10, cod. eod.

(8. Item, testari non potest cæcus, nisi nuncupative, et observatis solemnitatibus, quæ describuntur in leg. *Hac consultissima*

Digitized by Google

8, cod. *Qui testamenta facere possunt. Communis*, per textum expressum in dicta leg. *Hac consultissima.*

(9. Item testamentum facere non potest prodigus, cui a judice interdicta est bonorum administratio. *Communis*, textu expresso in § *Item prodigus* 2, inst. *Quibus non est permissum facere testamentum*, et l. *Is cui* 18, ff. *Qui testamenta facere possunt.*

(10. Item testamentum facere non potest servus sive mancipium. *Communis*, textu claro in l. *Filiusfamilias* 16, et l. *Si filiusfamilias* 19, ff. *Qui testamenta facere possunt.* et c. *Illud* 5, caus. 14, q. 2.

* Quamvis servus testamenti factionem non habeat, ex privilegio tamen speciali, quod jure Pandectarum obtinebat : « Servus publicus populi Romani parte dimidia testamenti faciendi habet jus.» Ulpian., *Frag.*, tit. 20, § fin.*

(11. Item testari non potest captivus vel obses apud hostes detentus. *Communis*, textu expresso in § *Ejus qui* 5, institut. *Quibus non est permissum facere testamentum;* l. *Ejus qui* 8, et l. *Obsides* 11, ff. *Qui testamenta facere possunt.*

* Testamentum tum servi, tum captivi valet si confectum sit ante servitutem vel captivitatem, licet captivus decesserit. Nam lex Cornelia fingit eum tunc decessisse ultimo momento, quo liber ac civis fuit. L. 12, ff. *Qui test. fac. poss.* Idem dicas de accusatis crimine qui, pendente judicio, licet in custodia publica detenti decedant, tamen ipsorum testamentum valet, l. 9, ff. eod., et per condemnationem tantum servi pœnæ fiunt, et l. 13, § 2, ff. eod.*

(12. Item testari non potest damnatus ad mortem naturalem vel civilem. *Communis*, textu expresso in l. *Ejus qui* 9, § 1 et 2, ff. *Qui testamenta facere possunt*, et l. *Si quis* 6, § 6, ff. *De injusto, rupto, irrito facto testamento.*

(13. Item testamentum facere non possunt impuberes, masculi ante annum 24, et feminæ ante annum duodecimum completum. *Communis*, textu claro in l. *Si frater* 4, cod. *Qui testamenta facere possunt*, l. *A qua ætate* 5, ff. *Qui testamenta facere possunt*, *et* § *Præterea* 1, instit. *Quibus non est permissum facere testamentum*, ibi : « Præterea testamentum facere non possunt impuberes, quia nullum est eorum animi judicium. »

(14. Item filiusfamilias, qui sub patris potestate est, non potest testari, nisi de bonis castrensibus jure militari et quasi castrensibus, servatis solemnitatibus juris communis, si pubes sit. *Communis*, per textus in l. *Nemo* 11, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Certis*, et leg. *Omnes* 12, cod. *Qui testamenta facere possunt.* (15. De bonis vero adventitiis testamentum facere non potest, ne quidem patre consentiente, textu expresso in l. *Qui in potestate* 6, ff. *Qui testamenta facere possunt*, et princip. institut. *Quibus non est permissum facere testamentum.*

* Olim feminæ quoque prohibebantur testamentum condere, donec testamenta in comitiis condi consueverunt. Cum enim comitiorum non essent participes, nec ideo poterant testari, hodie vero, ut ait Ulpianus : « Feminæ post duodecimum annum ætatis testamentum facere possunt, tutore auctore, donec in tutela sunt. » Ulp., *Frag.*, tit. 10, § 15. Id tamen non de omnibus indistincte feminis accipiendum est, sed de iis tantum, quæ nec in parentum, nec in viri potestate erant, ut recte ad hunc Ulpiani locum observat Scultingius, quamvis Cujacius observat. 7 putaverit feminas quæ in manum viri convenerant, testandi jus habuisse, sed id non satis firmis certat probare argumentis. Subdit Ulpianus, tutore auctore : olim siquidem feminæ licet puberes, adhuc tamen ob fragile consilium in tutela remanebant. Sed si jus liberorum quæsiverant, tutela liberabantur, adeoque jam poterant sine ullo tutore testari.*

Olim quoque prohibebatur testamentum condere : « Mutus, quoniam verba nuncupationis loqui non potest; surdus, quoniam verba familiæ emptoris exaudire non potest. » Ulp., *Frag.*, tit. 20, § 13. Quod si surdus aut mutus, ut liceret sibi testamentum facere, a principe impetravit, valet testamentum l. 7, ff. *Qui test. fac. poss.* Ex constitutione autem Justiniani, qui simul surdus et mutus est, si quidem ab ipsa natura talis est, testari non potest; si ex superveniente morbo talis effectus est, ita demum testari potest, si litteras sciat. Quod si duntaxat surdus est, indistincte testari potest; si mutus duntaxat, ita demum si litteras sciat. L. 10, cod. *Qui test. fac. poss.*

Cum impuberes testamentum facere non possint, quia ad hoc requiritur consilii maturitas, dubitatum etiam fuit, an liceret spadonibus condere testamentum, et eunuchis cum nunquam pubescant. Hinc legimus consulem Mamercum ea de causa bonorum possessionem secundum tabulas denegasse cuidam Genucio, ut refert Val. Max., lib. III, tit. 7. Invaluit tamen, ut possent testari, sed tardius quam cæteri. Hinc Paulus : « Spadones eo tempore testamentum facere possunt, quo plerique pubescunt, id est anno decimo octavo. » Paul., *Recept. sent.*, lib. III, tit. 5, § 2. Constantinus vero hos cæteris omnino exæquavit l. v, cod. *Qui test. fac. poss.*

(16. Item damnati ob libellum famosum testari non possunt. *Communis*, textu expresso in l. *Is cui* 16, § 1, ff. *Qui testamenta facere possunt*, ibi : « Si quis ob carmen famosum damnetur, senatus-consulto expressum est ut intestabilis sit, ergo testamentum facere non poterit, » l. *Ob carmen* 21, § *De testibus*, ibi : « Ob carmen famosum damnatus intestabilis sit. »

(17. Item testari non possunt rei criminis læsæ majestatis, id est qui hostile quid contra supremum principem vel ejus consiliarios moliuntur. *Communis*, text. expresso in l. *Quisquis* 5, cod. *Ad leg. Juliam majestatis.*

* Quæsitum est de eo qui sibi mortem consciverit, de quo sic sanxerunt imperatores Diocletianus et Maximianus, hoc modo distinguentes : aut compos mentis condidit

Digitized by Google

testamentum, deinde furore captus sibi mortem conscivit, aut futuræ pœnæ voluntaria morte supplicium antevertit. Primo casu testantis judicium convelli non debet; secundo autem casu ratam voluntatem ejus conservari leges vetant. L. 2, cod. *Qui test. fac.**

(18. Item testari prohibentur hæretici. *Communis*, textu expresso in leg. *Manichæos* 4, et l. *Ariani* 5, cod. *De hæreticis*. Et idem est dicendum de receptoribus, defensoribus et fautoribus ipsorum hæreticorum. Authent. *Credentes*, cod. eod., ibi : « Præterea receptatores, et defensores, et fautores hæreticorum... quilibet talium... fit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. » Cap. *Excommunicamus* 15, § *Credentes*, De hæreticis. Advertendum tamen est quod vi pacis Westphalicæ, Lutherani et Calvinistæ in imperio tolerati sint testandi, et aliorum jurium civilium capaces.

(19. Item testari prohibentur usurarii publici et manifesti, nisi prius usuras restituant, aut de restitutione facienda idoneam cautionem præstent. *Communis*, textu expresso in cap. *Quanquam usurarii* 3, De usuris, in 6.

(20. Item testari prohibentur omnes hostiliter insequentes, percutientes aut offendentes S. R. E. C. *Communis*, textu expresso in c. *Felicis* 5, De pœnis in 6.

(21. Item non desunt doctores volentes, quod omnes excommunicati notorii, et vitandi, testari non possint. At communis sententia tenet contrarium, quia nullibi id reperitur in jure expressum, cum eorum actus privati non sint irriti, iis tamen exceptis, qui excommunicati sunt propter hæresim ob dicta *supra* n. 18. Sic de communi testantur Pirrhing, *loc. citat.*, num. 24 in fine, et Reiffenstuel, *loc. citat.*, num. 319.

(22. Qui sunt inhabiles ex natura ad testandum, ut infantes, amentes, insani, furiosi, muti et surdi simul a nativitate, testamenta facere nequeunt neque ad causas pias. *Communis*, teste Reiffenst., *loc. cit.*, num. 320.

(23. Qui autem ad testandum sunt inhabiles solum de jure civili, possunt valide testari quoad causas pias de iis bonis, quorum perfectum dominium adhuc habent. Riccius, in *Praxi aurea*, part. v, resolution. 88; Bartolus, in l. 1, cod. *De sacrosanctis ecclesiis;* Engel, lib. III *Decretal.*, titul. 26, n. 4; Reiffenstuel, *ibidem*, num. 321, cum Molina, Lessio, Sanchez ibi citatis, et alii; arg. l. *Habeat* 1, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*, ubi Constantinus imperator unicuique absque limitatione, consequenter etiam alias inhabilibus de jure civili, concedit licentiam testandi ad piam causam; (24. natura enim hujus dictionis *unusquisque* est neminem excludere, l. *Hoc art.* 29, ff. *De hæredibus instituendis*, ibi : *Hoc articulo* quisque *omnes signantur;* tum quia testamentum ad pias causas nullo modo subjacet dispositioni juris civilis, sed secundum canones, juraque naturæ, et gentium judicandum est, » textu expresso in cap. *Relatum* 11, De testamentis.

(25. Fuit autem notanter dictum : *De iis bonis, quorum perfectum dominium adhuc habent*, quia de bonis jam propter delicta amissis, et fisco addictis neque ad causas pias testari possunt, ut præsertim patet de reis criminis læsæ majestatis, de hæreticis eorumque fautoribus, qui cum illico bona sua amittant eaque fisco cedere debeant, neque ad causas pias de ipsis, utpote non amplius suis, testari possunt, ut notat Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 324. Ubi n. 325 subdit, quod prodigi, impuberes judicium naturale sufficiens ad peccatum mortale jam habentes, et damnati ad mortem, quorum bona non confiscantur, testari possint ad causas pias.

(26. Clerici sæculares omnes, tam majores quam minores, æque ac laici facere possunt testamentum de bonis suis patrimonialibus et quasi patrimonialibus seu industrialibus. *Communis*, textu expresso in cap. *Quia nos* 9, De testamentis, ibi : « Consideration tuæ respondemus, quod clerici de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, libere disponere valeant; de his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure facere possunt testamentum. » Et concordant c. *Episcopi* 19, caus. 12, q. 1, et can. *Placuit*, 1 et 6, et c. *Quicunque* 2, ead. caus., 12, q. 3.

(27. Clerici sæculares testamentum facere possunt etiam de bonis parcimonialibus. S. Thomas, 2-2, quæst. 185, art. 7, in respons. ad 2; Covarruv., *De testam.*, cap. 7, num. 9; Navar., *De reditibus eccles.*, q. 1, num. 26 et 44; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 327; Barbosa, in cap. *Cum in officiis* 7, De testamentis, et ipso teste, Communis aliorum, arg. cit. c. *Episcopi* 19, caus. 12, q. 1.

(28. Clerici de bonis ecclesiasticis superfluis seu de fructibus beneficii de jure nullum penitus testamentum, nec ad causas pias facere possunt. *Communis*, textu expresso in cit. c. *Quia nos* 9, De testamentis, ibi : « De his tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure facere possunt testamentum. » Et concordant c. *Quorumdam* 1, c. *Cum in officiis q.*, c. *Ad hæc* 8, c. *Relatum* 12, De testamentis. *Vide* verb. BENEFICIATUS, art. 3, num. 1.

(29. Notanter autem dicitur, clericum de bonis ecclesiasticis nec ad causam piam testari posse *de jure*, quia de consuetudine legitima potest introduci, ut clerici sæculares de bonis ecclesiasticis superfluis ad causas pias valide testari possint. *Communis.* Vide d. verb. BENEFICIATUS, art. 3, n. 2.

(30. Non possunt tamen clerici sæculares, sive majores, sive inferiores, neque vi consuetudinis, licite vel valide testari de bonis ecclesiasticis superfluis in notabili quantitate ad causas profanas. Nec hæres profanus potest tuta conscientia talem hæreditatem recipere et retinere, sed si eam accipiat,

Digitized by Google

tenetur ex justitia eam iterum restituere. *Vide* d. verb. Beneficiatus, art. 3, a n. 3 ad n. 7, et art. 1, a n. 36 ad 62.

(31. Clerici autem incolæ et cives urbis Romanæ, qui in ea vel ejus districtu decesserint, possunt libere et licite, tam inter vivos quam mortis causa de bonis ecclesiasticis superfluis disponere etiam ad causas profanas. *Vide* dict. verb. Beneficiatus, art. 2, num. 8 et 9.

(32. Regulares omnes professi, tam superiores quam subditi, nequeunt ullum facere testamentum. *Communis*, ac certa. *Vide* verb. Regulares, art. 1, n. 62.

(33. Neque regulares testari possunt ad pias causas. *Communis*. Vide *ibid.*, num. 64.

(34. Imo neque de licentia prælati seu superioris. *Communis*. Vide *ibid.*, n. 64.

(35. Nec possunt regulares testari, etiamsi ante professionem sibi aliquam summam suorum bonorum reservassent cum facultate testandi. *Communis*. Vide *ibid.*, n. 65.

(36. Quinimo regularibus professis neque licet testamentum a se conditum ante emissam professionem moderari per viam declarationis. Vide *ibid.*, n. 66.

(37. Possunt autem regulares professi testamentum a se factum ante professionem interpretari et declarare, si declaratione aut interpretatione egeat, quia hoc non est disponere de aliquibus bonis, sed declarare et explicare dispositionem a se factam, quando poterant illam facere. Novarius, in *Lucerna regularium*, verb. *Testamentum*, num. 7; Portellus, in *Dubiis regularium*, verb. *Testamentum*, num. 2; Lezana, in *Summa, qq. regular.*, verb. *Testamentum*, num. 2; Rodriguez, tom. III, q. 69, art. 3; Sanchez, lib. VII *Moral.*, c. 11, n. 16; Gozzadin., consil. 41, n. 15, 16, 17; Reginald., lib. XVII, cap. 27, n. 297; Monetа, *De commutat. ult. voluntat.*, cap. 5, q. 1, num. 14; Barbosa, *ad concil. Trident.*, sess. XXV, *De regularibus*, cap. 16, n. 21, cum aliis ibi citatis. *Vide* verb. Novitius, num. 55.

(38. Novitius potest revocare testamentum a se factum, sive ante sive post ingressum religionis, et durante novitiatu aliud condere. *Vide* d. verb. Novitius, num. 50.

(39. Novitius in testamento nihil potest sibi reservare ad effectum testandi de illo post professionem. Vide *ibid.*, n. 51.

(40. Potest tamen novitius in suo testamento præcipere, ut aliquid ex ejus bonis etiam post professionem suam quotannis expendatur in pios usus, seu quod alicui solvatur annuum legatum, vel ne quid de eis alienetur, et hujusmodi. Vide *ibid.*, num. 52.

(41. Si novitius ante professionem testari omittat, succedit in ejus bona, actiones et jura monasterium, si sit capax bonorum; si autem monasterium sit incapax, succedunt consanguinei ab intestato. Vide *ibid.*, n. 53.

(42. Post professionem emissam non potest religiosus testamentum ante professionem factum revocare, quamvis, ut supra dictum est, possit ipsum declarare. Vide *ibid.*, n. 54 et 55.

(43. Novitii possunt, sive ante ingressum religionis, sive etiam tempore novitiatus testamentum condere, etiam ante duos menses proxime præcedentes professionem, et sine licentia episcopi vel ejus vicarii generalis, non obstante decreto conc. Trid., sess. XXV, c. 16, *De regularibus*, quia ibi non adimitur illis facultas testandi, sed solum disponendi inter vivos, non servatis iis quæ ibi præscribuntur. *Vide* verb. Novitius, num. 35.

(44. Qui possint vel non hæredes institui in testamento? *Vide* verb. Hæres per tot.

(45. Exsecutores testamentorum sunt et dicuntur illi qui, vel ex dispositione legis, vel testatoris, vel judicis, exsequuntur defuncti voluntatem. Sic in re Communis.

(46. Exsecutores testamentorum alii sunt *legitimi*, alii *testamentarii*, alii *dativi*. Exsecutores *legitimi* sunt et dicuntur illi qui ab ipsa lege seu jure dantur, sive quibus munus exsequendi a lege competit. Exsecutores *testamentarii* sunt qui ab ipso testatore in testamento designantur seu deputantur. Exsecutores *dativi* sunt qui a judice vel magistratu dantur casu, quo hæres institutus exsecutor esse nequit, aut designatus in testamento munus exsequendi accipere nolit vel non possit. Ita in re doctores communiter; argum. tot. titul., ff. *De testament. tut.*, et titul., ff. *De tutoribus et curatoribus*, ubi tutores alii sunt legitimi, alii testamentarii, alii dativi.

(47. Si nullus a testatore sit designatus seu deputatus in testamento exsecutor, ipso jure exsecutor est ejus hæres, qui de jure debet integram defuncti voluntatem etiam quoad legata exsequi. *Communis*, arg. cap. *Nos quidem* 3, et cap. *Si hæredes* 6, De testament., l. *Nulli* 28, cod. *De episc. et cleric.*, et novell. 131, cap. 11.

(48. Excipiuntur tamen ea quæ pro redemptione captivorum vel pauperum alimentis aut aliis causis piis relicta sunt. Horum enim exsecutio, non ad hæredes, sed ad episcopum loci, tanquam patrem pauperum et miserabilium personarum, ac piarum defunctorum voluntatum exsecutorem de jure pertinet, si nullus alius sit exsecutor designatus. Sicuti etiam, si hæres aut exsecutor designatus voluntatem defuncti exsequi negligit. Abbas, in citat. cap. *Nos quidem*, num. 4; Covarruv., *ibid.*, n. 8; Silvester, verb. *Testamentum* 2, q. 8; Molina, *De justitia*, disp. 247, num. 4; Pirrhing., *loc. cit.*, num. 101; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 774 et 775, et alii passim, per text. in c. *Nos quidem* 3, cap. *Si hæredes* 6, et c. *Tua nobis* 17, de testamentis; l. *Hæreditas* 50 ad finem, ff. *De petit. hæredit.*; l. *Nulli* 28, cod. *De episc. et clericis*, et novella 131, c. 10 et 11. Et conc. *Trid.*, sess. XXII, c. 8, *De reform.*, ibi: « Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sint exsecutores. »

Digitized by Google

(49. Imo episcopus potest compellere exsecutores testamentarios ad exsequendas pias voluntates defunctorum, etiamsi testator hoc interdixisset. *Communis*, textu expresso in cap. *Tua nobis* 17, De testamentis, ibi : « Cum igitur in omnibus piis voluntatibus sit per locorum episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a testatoribus id contingeret interdici; mandamus quatenus exsecutores testamentorum hujusmodi, ut bona fideliter et plenarie in usus prædictos expendant, monitione præmissa compellas : » juncto ejus summario sic expresse dicente, ibi : « Episcopus compellit fideicommissarios seu exsecutores testamenti ad exsequendas pias voluntates defunctorum, etiamsi testator hoc interdixisset. » Et sic pluries decrevit sac. congr. Conc. *Vide* verb. ADMINISTRATOR, a n. 3, ubi referuntur decreta.

(50. Exsecutores testamenti deputari possunt a testatore unus vel plures, sive ex hæredibus, sive ex extraneis, sive clericis, sive laicis. Molina, *loc. cit.*, n. 6; Layman *loc. cit.*, n. 2; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 102 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 776, et alii communiter, per textus in cap. *Joannes* 19, De testamentis, ibi : « Joannes clericus, et P. laicus exsecutores ultimæ voluntatis; » et concordant c. *Tua nobis* 17, eodem.

(51. Etiam feminæ esse possunt exsecutrices testamentorum. *Communis* cum supracitatis doctoribus, per text. in cap. *Nos quidem* 3, De testamentis, et l. *A filio* 15, De aliment. legat.

(52. Item etiam minores 25 annis possunt esse exsecutores, dummodo septemdecim annos excesserint. Hæc enim ætas sufficit, ut quis sit procurator ad negotia; c. *Qui generaliter* 5, § fin. *De procuratoribus* in 6. Sic Covarruv., *loc. cit.*, n. 4; Molina, *loc. cit.*, n. 14; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 102; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 776, et alii passim.

(53. Exsecutores testamentarii possunt esse etiam religiosi omnes (exceptis Fratribus Minoribus); dummodo ad id licentiam habeant a legitimo suo superiore. *Communis*, per clarum text. in c. *Religiosus exsecutor* 2, De testamentis, in 6, et Clementina *Religiosis*, De testamentis. (54. Per superiorem autem, qui talem licentiam dare potest, intelligitur superior localis seu prælatus conventus, monasterii aut domus religiosæ, nisi speciales constitutiones alicujus religionis aliud ordinent. Pirrhing, *loc. cit.*, n. 108; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 777 ; Sanchez, lib. VI *Moral.*, cap. 11, n. 15 et 16; Franc., in cit. cap. *Religiosus exsecutor*, n. 1; Laym., *loc. cit.*, et alii passim.

(55. Si religiosus absque licentia superioris munus exsecutoris testamentarii, sive ad causas profanas, sive ad causas pias suscipiat et peragat, adhuc per eum gesta sunt valida. Felin., in cap. 2, *De judiciis*; Layman, *loc. cit.*, c. 11, n. 5; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 109; Sanchez, *loc. cit.*, cap. 11, n. 44; Barbosa, lib. I *Jur. eccles. univers.*, cap. 42, n. 65; Azor., tom. I *Instit. moral.*, lib. XII, cap. 11, q. 1; Lezana, in *Summa quæst. regular.*, verb. *Testamentum quoad regulares*, n. 4, et alii plures; et ratio est quia, licet sacri canones prohibeant, tamen non annullant exsecutionem a religioso absque licentia superioris factam, adeoque talis exsecutio est quidem illicita et peccaminosa, sed non est irrita et invalida. Tum quia, quamvis religiosus *velle et nolle* non habeat; cap. *Si religiosus* 27, De election., in 6, et cap. *Religiosus* 2, De testamentis, in 6, cap. *Religiosi* 5, De sepulturis, in 6, habet tamen consensum naturalem, qui una cum consensu testatoris sufficiens esse videtur ad hoc officium; arg. l. *Filiusfamilias*, § *Veterani*, ff. *De procuratoribus*, ubi deciditur quod licet miles esse nequeat procurator in judicio, tamen, si non repellatur, actus ab eo gestus valeat.

(56. Oppositum tamen non improbabiliter tenent Covarruv., *De testament.*, cap. 17, n. 2; Molina, *loc. cit.*, n. 9; Silvester, *loc. cit.*, q. 2, dict. 3; Franc., in cit. cap. *Religiosus* 2, n. 2, De testamentis, in 6, et alii, cum quibus videtur inclinare Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 279, quamvis n. 278 dicat quod aliam sententiam affirmativam cum communi aliorum tenet Felinus, in cap. 2, *De judiciis*; Layman, *loc. cit.*, num. 5; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 109; Sanchez, *loc. cit.*

(57. Fratres Minores nullatenus possunt esse exsecutores testamentorum, neque ad causas profanas, neque ad causas pias, neque a superioribus potest eis ad id licentia concedi. *Communis*, text. expresso in Clementina *Exivi* 1, § *Verum etiam*, De verb. signif., ibi : « Prædictis fratribus non licet, nec competit, quia potius (considerata sui puritate status) debent sibi scire interdictum quod hujusmodi exsecutionibus et dispositionibus se exponant, cum hæc sæpius absque litigio, et contradictione, vel administratione pecuniæ nequeant expediri. »

(58. Possunt tamen Fratres Minores dare ad id consilium exsecutoribus a testatore deputatis. *Communis*, textu expresso in citat. Clementina *Exivi*, § *Verum etiam*, ibi : « Verumtamen in his exsequendis dare consilium ipsorum statui non obsistit, cum in hoc ipsis circa bona temporalia nulla jurisdictio, sive actio in judicio, sive dispensatio tribuatur. »

(59. Insuper potest testator committere alicui Fratri Minori, ut ipse denominet unum vel plures exsecutores. Et etiam præcipere potest exsecutoribus, ut non nisi illis pauperibus vel causis piis hæreditatem, vel legata distribuant, quos dictus Frater Minor elegerit, designaverit vel denominaverit. Et in tali casu id licite Frater Minor perageret. Sic Barbosa, in cit. Clementina *Exivi*, n. 26; Covarruv., *De testamentis*, c. 17, n. 1; Abbas, in Clementin. *Religiosus*, n. penult., De relig.; Sanchez, lib. VI *Moral.*, c. 11, n. 32 et 41; Rodri-

Digitized by Google

guez, *Quæst. regular.* tom. III, q. 70, art. 2; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 783; Bartolus ibi citat. et alii contra Molinam, et alios a Sanchez citatos : et ratio est quia in tali casu cessat motivum, et ratio prohibitionis, cum hoc munus sine ullo litigio et contradictione, vel administratione pecuniæ omnino exsequi valeat Frater Minor, ut de se patet : cessante autem ratione et causa legis vel obligationis, cessat lex seu obligatio ipsa. L. *Adigere* 6, § 2, ff. *De jure patronat.* Cum ratio legis sit anima legis. L. *Cum ratio* 7, De bonis damnatorum, adeoque, etc.

Hinc conclude quod testatorum voluntates Fratres Capuccini, et alii minoritæ exsequi possunt, nominando vel eligendo ad subsidia dotalia et ad beneficia, ac juvenes ad seminaria. Sic sacra congregatio Concilii *in Papien.* Subsidii dotalis die 18 Augusti 1731, ex *Bullario Capuccinorum* tom. I, pag. 187, ubi refertur integra hæc causa cum sua resolutione et egregiis notis. *Vide* decreta ad rem in appendice h. tomi.

(60. Regulares exsecutores testamentarii seu ultimarum voluntatum tenentur reddere rationem administrationis seu exsecutionis episcopo ; et si in hoc deliquerint, possunt ab ipso puniri. *Communis*, textu expresso in Clementin. *Religiosis*, De testamentis, ibi : « Religiosis etiam exemptis deputatis ad exsecutionem cujuslibet ultimæ voluntatis circa ipsius exsecutionis officium (quod utique non possunt, nisi a superiore suo petita super hoc licentia et obtenta, suscipere) volentes præscindere materiam delinquendi, Pontificiæ constitutionis auctoritate statuimus, quod tales (etiamsi prælationis fungantur officio) locorum ordinariis debitam reddere, ipsique ordinarii absque dolo, fraude seu negligentia de susceptæ exsecutionis officio teneantur exigere rationem ; illos quos circa id deliquisse repererint, in aliorum exemplum pœna debita (quocunque non obstante privilegio) puniturі. »

(61. Imo regularis exsecutor ultimæ voluntatis defuncti, quamvis ei secreto communicatæ, tenetur adhuc episcopo requirenti aperire summam, et circa quæ sit distribuenda, ac rationem administrationis reddere, et tunc est eidem fides adhibenda, si juratus deponat, et concurrant probabiliter conjecturæ de verisimili voluntate testatoris. Sic expresse Fagnan., in c. *Tua nobis* 17, De testam., num. 61, testans hunc casum suo tempore contigisse Mediolani, et in hanc sententiam a sac. congregat. Conc. scriptas fuisse litteras ad card. Borromæum archiep.

(62. Exsecutor designatus seu deputatus a testatore non potest ordinarie compelli ad acceptandum et exsequendum tale munus, sive dispositio sit ad causam profanam, sive ad causam piam. Postquam tamen acceptavit expresse vel tacite, omnino etiam invitus cogi potest, ut defuncti voluntatem exsequatur. Abbas, in cap. *Joannes* 19, n. 3, De testamentis ; Covarruv, *ib.*, n. 3; Molina, disp. 248, n. 3; Pirrhing, *loco citato*, n. 113 ; Reiffenstuel, *loco citato*, n. 748, et alii communiter, arg. cit. c. *Joannes* 19, De testam., ibi : « Post susceptum mandatum cogi debent. » Et ratio est, quia universaliter loquendo, ut expresse habetur § *Mandatum* 11, inst. *De mandato* :« Mandatum non suscipere cuilibet liberum est ; susceptum autem consummandum est. »

(63. Dicitur autem notanter *ordinarie*, quia aliquando ob rationabilem causam potest episcopus clericum in testamento exsecutorem designatum compellere, ut tale munus suscipiat, præsertim ad exsequenda pia legata, si non ut exsecutorem testamentarium, saltem ut delegatum, seu commissarium suum, arg. cap. *Pastoralis* 28, De offic. delegat. Et ratio est quia universaliter potest episcopus, quando ipsi aliqua exsecutio competit, munus suum alteri delegare, et delegatum, ut obediat, si sit suus subditus, compellere. Sic Abbas, *loco citato*; Silvester, verb. *Testamentum* 2, q. 3, dict. 1, et alii supra citati, arg. l. *In causarum delegationibus*, cod. *Qui pro sua jurisdictione*. Et ita judex laicus ob rationabilem causam poterit interdum laicum suum subditum cogere ad munus exsecutoris suscipiendum et exsequendum. Sic citati doctores arg. cit. l. *In causarum delegationibus*.

(64. Exsecutores tenentur, quamprimum possunt, exsequi ultimam voluntatem, nisi certum tempus ab ipso testatore sit designatum. *Comm.*, arg. c. *Si hæredes* 6, De testamentis, et l. *Cum res* 47, ff. De legat. 1, ubi expresse præcipitur, ut legata sine mora præstentur. *Vide* verb. LEGATUM, n. 41 et 42.

(65. Tam judex ecclesiasticus quam laicus potest compellere exsecutores laicos ad exsequendam voluntatem defuncti, sive dispositio sit ad causam profanam, sive ad causam piam, ita ut hæc causa sit misti fori, et detur locus prævention. *Communis*. Et quidem quod id possit episcopus seu judex ecclesiasticus, si dispositio sit ad causam piam, etiamsi testator sit laicus, habetur decisum in c. *Tua nobis* 17, De testamentis. Et concordat c. *Nos quidem* 3, et cap. *Si hæredes* 6, eodem. Et quod id possit etiam judex laicus, quamvis dispositio sit ad causam piam, patet ex novella 131, cap. 10, ibi : « Si quis ædificationem venerabilis oratorii, aut xenodochii, aut ptochii, aut orphanotrophii, aut nosocomii, aut alterius venerandæ domus in novissima voluntate fieri disposuerit.... compleri jubemus providentia locorum episcopi et civilis judicis. » Quod autem id possit judex laicus in casu, quo dispositio sit ad causam profanam, et testator et exsecutor sit laicus, est extra controversiam indubitatum apud omnes. Quod vero in tali casu id possit etiam episcopus, quamvis testator et exsecutor ipsius dispositionis ad causam profanam sit laicus, tenet (teste Covarruv. *loco citato*, n. 3, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 789). Communis doctorum, arg. cit. cap. *Si hæredes* 6, De testamentis, ubi sine ulla dis-

Digitized by Google

tinctione, an dispositio testatoris sit ad causam piam vel profanam, et hæres, seu exsecutor sit laicus vel ecclesiasticus, tribuitur episcopo facultas compellendi hæredes seu exsecutores ad exsequendam defuncti voluntatem, ibi : « Si hæredes jussa testatoris non adimpleverint, ab episcopo loci illius omnis res, quæ eis relicta est, canonice interdicatur cum fructibus et cæteris emolumentis, ut vota defuncti adimpleantur. »

(66. Judex autem laicus nullimode compellere ad id potest exsecutorem clericum, cum judici laico nulla competat jurisdictio in personas ecclesiasticas. *Communis*, per text. in c. *Bene quidem* 1, dist. 96, c. *Ecclesia S. Mariæ* 10, De constitutionib., c. *Cum laicis* 12, De rebus eccles. alienand. vel non, c. *Decernimus* 2, De judiciis, cum similibus.

(67. Judex, præsertim ecclesiasticus, statim post aditam ab hærede hæreditatem, compellere potest exsecutores, ut voluntatem defuncti exsecutioni mandent, quamvis testator id expresse ei inhibuerit. *Communis.* Et quidem quoad primam partem patet ex juribus adductis *sup.* n. 63, juncta l. *Si domus* 71, § 2. ff. *De legatis* 1, ubi cum exsecutores jubeantur voluntatem defuncti statim adimplere, sequitur clare, quod possint statim ad id compelli. Quoad secundam autem partem, nempe quod exsecutores possint ad id compelli, quamvis testator id expresse inhibuerit, patet ex juribus et decretis adductis *sup.* n. 48. Et ratio est quia privata persona non potest generalem constitutionem publici juris ecclesiastici vel civilis immutare aut impedire, l. *Nemo* 55, ff. *De legatis* 1, ibi : « Nemo potest in testamento suo cavere, ne leges in suo testamento locum habeant ; » et c. *Requisivisti* 15, De testamentis, ibi : « Quia privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare. »

(68. Si plures sint a testatore deputati exsecutores, et unus eorum sit mortuus, vel in remotis exsistat, seu exsequi forte nolit ; potest alius, etiam unicus ex deputatis, nisi testator aliud disposuerit, officium exsecutionis libere adimplere. *Communis*, textu expresso in c. *Religiosus exsecutor* 2, De testamentis, in 6, § *Sane*, ibi : « Sane pluribus a testatore simpliciter exsecutoribus deputatis, uno eorum mortuo, vel in remotis agente, aut id exsequi forte nolente, ne voluntatem testatoris impediri, vel nimium differri contingat, poterit alius, nisi testator aliud expresserit, officium exsecutionis injunctum libere adimplere. »

(69. Nulli exsecutores, præter Summum Pontificem, ne episcopi quidem, relicta ad certas pias causas in alios usus vel causas, quamvis evidenter meliores essent, possunt ordinarie commutare, si voluntas determinata testatoris commode ac juste adimpleri possit. *Communis*, per text. in c. *Nos quidem* 3, De testamentis, c. *Ultima voluntas* 4, caus. 12, q. 2 ; Clementin. *Quia contingit* 2, De religiosis domibus, cum similibus.

(70. An autem, quando, et ob quas causas possit mutari ultima voluntas testatoris præsertim quoad legata, aliasque pias causas a Papa et ab aliis, *vide* verb. LEGATUM a n. 143 ad 165.

(71. Exsecutores et hæredes intra quod tempus teneantur adimplere voluntatem testatoris, et quas pœnas incurrant, si negligentes fuerint ? *Vide* d. verb. LEGATUM a n. 41 ad 46, et verb. HÆRES a n. 44 ad 52.

(72. Exsecutores et hæredes quibus et quo ordine distribuere possint et debeant legata pia a testatore relicta, *vide* d. verb. LEGATUM, a n. 47 ad 95, et a n. 125 ad 132.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(73. De exsecutoribus testamentariis, de quibus et hic disserit auctor, gravis est quæstio illa, utrum ipsi, ubi sunt plures, conveniri in solidum queant de gesta administratione, tametsi non omnes administraverint.

(74. Hanc autem quæstionem sibi proposuit Rota *in Posnanien.* Legatorum 6 Decembris 1748, *cor. bon. mem. vicecomit.*, et ita § 7 et seq. resolvit : « Constito ex hisce de acceptatione exsecutoriæ et administratione hæreditatis per Guillielmum exercita, inutiliter opponebatur quod eidem saltem suffragari debeat beneficium ordinis et excussionis, ut nempe cæteri quoque administratores, qui administrant, conveniri debeant, quodque ipse pro illis duntaxat rebus hæreditariis, quæ ad ejus manus pervenisse constet, remanserit obligatus. Objectum namque plenissime confutat ex eo quod, cum agatur de exsecutore et administratore voluntario, cum eo rigidius procedi solet, quia cum potuisset injunctum munus respuere, sibi debet imputare, si administrationem, prout debebat, non exercuit, ideoque nec beneficio ordinis et excussionis juvari debet, sed etiamsi non administraverit, in solidum conveniri potest, etc., vel saltem exuberat, ut quid modicum vel minimum de eadem administratione participaverit. Præcipue quia nulla habetur divisio hujusce administrationis, vel a judice, vel a testatore facta ; adeoque quemadmodum apud omnes individua fuit administratio hæreditatis, ita quoque individua et solidalis resultat eorum obligatio erga legatarios. Nec unusquisque amplius excipere valet se rationem redditurum de bonis ad ejus manus perventis ; quippe id procederet, ubi ageretur de administratione particulari, et adesset divisio administrationis, vel a judice, vel a testatore facta : secus autem ubi administratio fuit omnibus generalis, et solidaliter attributa et ab omnibus unitim acceptata. »

ARTICULUS IV.

Quoad ea quæ concernunt codicillum seu clausulam codicillarem.

SUMMARIUM.

1. Codicillus sic dictus quasi parvus codex. — 2. Codicillus quid sit ? — 3. Codicillus debet esse sine hæredis institutione. — 4. Potest tamen esse cum hæredis institutione indirecta. — 5. Ad codicillum requiruntur solum quinque testes. — 6. Ad codi-

Digitized by Google

cillum sufficiunt testes, sive feminæ, sive masculi, sive rogati sive non. — 7. In codicillis parentum inter liberos et ad pias causas sufficiunt duo testes. — 8. Codicillum facere potest omnis et solus qui testari valet. — 9. Codicillus fieri potest, tam in scriptis quam sine scriptis, seu oretenus. — 10. Codicillus fieri potest absque testamento. — 11. Item codicillus fieri potest cum testamento, et post illud jam factum. — 12. Item codicillus fieri potest ante testamentum. — 13. Ad hoc tamen, ut valeat codicillus factus ante testamentum, requiritur, quod testator in testamento subsequenti illum confirmet. — 14. Quamvis non possit quis duo testamenta facere, ita ut ambo valeant. — 15. Potest tamen quis duos vel plures validos codicillos facere. — 16. Nec revocatur prior per posteriorem. — 17. Dispositio dicentis se velle testamentum facere, si ex defectu solemnitatis non valet ut testamentum, neque valebit ut codicillus, quamvis omnes solemnitates ad codicillum requisitæ concurrant, nisi talis dispositio clausulam habeat codicillarem. — 18. Et idem est sentiendum, quamvis expresse quidem non dicat, quod testari velit, sed tamen hæredem instituat, vel exhæredationem faciat. — 19. Si testamentum habeat clausulam codicillarem, quamvis ex defectu solemnitatis non valeat ut testamentum, valebit tamen ut codicillus. — 20. Clausula codicillaris quæ sit. — 21. Duplex est clausula codicillaris, expressa scilicet, et tacita, et quæ utraque sit. — 22. Assignatur primus effectus clausulæ codicillaris. — 23. Assignatur secundus effectus ejusdem ad n. 24. — 25. Assignatur tertius ejusdem effectus. — 26. Testamentum minus solemne non potest vi dictæ clausulæ codicillaris valere ut codicillus, nisi habeat saltem solemnitates ad codicillum requisitas. — 27. Excipe tamen, nisi dispositio esset ad pias causas seu inter liberos. — 28. Assignantur ad quid sint introducti, et ad quid inserviant codicilli. — 29. Primus qui codicillos introduxit, fuit Lucius Lentulus. — 30. Alia ad rem ad num. 33.

(1. Codicillus sic dicitur, quasi parvus codex seu parva scriptura. Sic Laym., lib. III *De justitia*, tract. 5, c. 8, n. 1; Pirrhing, lib. III. *Decretal.*, tit. 26, n. 7, et alii passim.

(2. Unde « codicillus est ultimæ voluntatis testificatio sine hæredis directa institutione et solemnitate testamentaria. » Est in re Communis, et desumitur ex tot. tit. instit. et cod. *De codicill.*, et ex tit. ff. *De jure codicill.*

*Si quæras quæ sit codicillorum origo, quis primus codicillos disposuerit, quis jusserit ut exsecutioni demandarentur, consule instit. tit. *De codicillis;* et aureum eruditumque tractatum Duni *De codicillis.* Quatuor codicillorum species designat Paulus, in l. 8, ff. *De jur. codicill.*: « Aut enim in futurum confirmantur, aut in præteritum, aut per fideicommissum testamento facto aut sine testamento. » Sed cum hæ quatuor species apte possint ad duos tantum referri, ideo bipartitam codicillorum divisionem duntaxat faciemus, ut nempe alii sint codicilli ejus, qui testamentum fecit, alii vero illius qui intestatus decessit. Codicilli hoc modo facti valde differunt inter se; et quidem primo, codicilli ejus, qui intestatus decedit, nulla indigent confirmatione, contra vero si ante testamentum facti sint, sine confirmatione subsequente non valent, ut monet Papinianus in l. 5, ff. *De jur. codicill.* Verum cum hæc sententia aliquantis perdurior probis viris videretur, hinc nonnulli voluntatem defunctorum hoc modo exposi-

tam adimplebant. Ad hanc rem confert locus Plinii, epist. 16. lib. II: « Tu pro tua diligentia admones me, codicillos Aciliani, qui me hæredem instituit, pro non scriptis habendos, quia non sunt confirmati testamento. Quod jus ne mihi quidem ignotum est, cum sit iis etiam notum, qui nihil aliud sciunt. Sed ego propriam quamdam legem mihi dixi, ut defunctorum voluntates, etiamsi jure deficerentur, quasi perfectas tuerer. » Deinde vero Severus et Antoninus imperatores jusserunt, ut hujusmodi codicilli pro lege haberentur, si modo expresse revocati non sint, ut contra auctorem nostrum *infra* n. 13 notabimus. Generaliter vero confirmati intelliguntur per hanc clausulam, quæ interdum testamentis apponi solet, scilicet: « Si quid tabulis aliove quo genere ad hoc testamentum pertinens reliquero, ita valere volo; » sive hoc alio modo; « Si quid ad hoc testamentum pertinens reliquero, valere volo, » l. 18, ff. *De jur. codicill.* Nihil enim refert utrum confirmatio præcedat, an sequatur codicillos l. 6, cod. *De codicill.* Notandum tamen quod si ita in testamento scripserit, volo ut codicilli exsequantur, *quos novissimos fecero*, tunc non omnes confirmati intelliguntur, sed tantum qui postremo facti sunt. L. 8 fin., ff. *De jur. codicill.*

Differunt secundo, ut codicilli ejus qui intestatus decedit, per se efficaces sint, contra vero *testamento facto*, etiamsi codicilli in eo confirmati non essent, vires *tamen ex eo capient.* Hinc « si ex testamento hæreditas adita non fuisset, fidei commissum ex hujusmodi codicillis nullius momenti erit. » L. 5, § fin., ff. *De jur. codicill.* Sequitur secundo quod per nativitatem posthumi codicilli ab intestato defuncti non rumpantur. L. 3 in princ., et § 1, l. 16, ff. eod. Quod si codicillis ab intestato factis non quisquis hæres erit, gravatus est, sed filius qui jam natus erat, gravatus fuit, codicilli quidem, nato posthumo, non rumpuntur, sed is solus, qui jam natus erat, et ad quem codicilli scripti sunt, gravatus intelligetur pro sua portione, et posthumus partem suam liberam consequitur. L. 11, l. 13, ff. eod., quibus adde etiam l. 19, ff. eod. Diximus codicillos illius qui testamentum fecit, a testamento vires accipere, adeo ut si testamentum revocatum sit, codicilli quoque censeantur revocati; nihilominus si post ruptum testamentum codicillos defunctus confirmavit, valebunt quasi ex nova voluntate. L. 1, cod. *De jur. codicilli.*

Tertio differunt quod codicilli ab intestato facti æstimantur eo tempore, quo facti sunt, contra vero codicilli illius qui testamentum fecit, æstimantur eo tempore, quo testamentum factum est. L. 2, § 2, ff. *De codicill.* Sic recte codicillis relictum intelligitur ei, qui tempore testamenti in ea causa erat, ut ipsi relinqui posset, quamvis tempore codicillorum jam desiisset in ea causa esse; multo magis hoc obtinebit si desiit quidem causa, quæ testamenti tempore exsistebat, verum nova causa emerserit, ex qua possit sustineri, quod ipsi relictum est. L. 91,

Digitized by Google

§ 5, ff. *De legat.* 1. Cum tempus codicillorum, non testamenti inspiciatur, hinc si testator tempore testamenti jus testandi habuerit, non quæritur an illud habuerit, dum codicillos fecit. L. 8, § 3, ff. *De jur. codicill.* Hoc tamen intelligendum si testamenti factionem ante mortem recuperaverit. Nam si quis ante captivitatem codicillos confirmaverit et in captivitate decesserit, non valent codicilli, quia desiit habere jus testandi, secus si civitatem recuperaverit. L. 7, ff. *De jur. codicill.*, l. 12, § 5; ff. *De captiv. et postlim. revers.* Quod hactenus diximus, tempus testamenti non codicillorum inspici, ita demum obtinet circa ea quæ juris sunt, non quæ a facto dependent. Nam si quis alicui leget vestem *quæ mea est*, inspici debet tempus conditi codicilli. Harum rerum, quæ a facto dependent, plura habes exempla in d. l. 7, § 1, l. 2 in prin. et § 1, l. 6, § fin., l. 14, § 1, l. 15, ff. *De jur. codicill.*, l. 7, ff. *Qui et a quibus manum*, l. 1, cod. *De test. manum* *.

(3. Codicillus potissimum differt a testamento per illa verba : *Sine hæredis directa institutione;* testamentum enim non subsistit sine hæredis directa institutione, ut *supra* probavi, art. 1, n. 3, per expressa jura ibi adducta. Et econtra codicillus debet esse sine hæredis directa institutione, quia in codicillo neque hæreditas directe dari, neque auferri alicui potest, textu expresso in § *Codicillis autem* 2, institut. *De codicillis;* l. *Hæreditatem* 7, et leg. *Si idem* 7, cod. *De codicillis*, et l. *Quod per manus* 10, ff. *De jure codicillorum.* Et hoc : « Ne confundatur jus testamentorum et codicillorum, » ut expresse dicitur in cit. § *Codicillis.*

(4. Dicitur autem notanter : *Sine directa hæredis institutione*, quia licet in codicillo nequeat hæres institui directe, potest tamen institui indirecte, quatenus nempe in codicillo potest relinqui fideicommissum, et sic hæres institui indirecte, et prout contingit, si quis sine testamento decedens faciat codicillum, et in re roget hæredem ab intestato, ut hæreditatem, vel totam, vel partem restituat alteri : in hoc enim casu hæres parere tenetur, quamvis Trebellianicam deducere possit. *Communis*, textu expresso in cit. § *Codicillis* 2, instit. *De codicillis*, ibi : « Nam per fideicommissum hæreditas codicilli jure relinquitur. » Et concordat l. *Hæreditatem* 2, cod. *De codicillis.*

(5. Item codicillus speciatim differt a testamento per illa verba : *Et sine solemnitate testamentaria*, quia, ubi ad testamentum non privilegiatum requiruntur septem testes, ut patet ex dictis et adductis juribus *supra* artic. 1, n. 14 et 32, ad codicillum requiruntur solum quinque testes. (6. Et ubi ad dictum testamentum requiritur quod testes sint masculi et rogati, ut patet ex dictis et adductis juribus, *ib.*, n. 15, 27 et 28, ad codicillum sufficiunt testes, sive masculi, sive feminæ, sive rogati, sive non. Sic communis doctorum, per text. in l. *Si quis* 8, § 3, cod. *De codicillis*, ibi : « In omni autem ultima voluntate, excepto testamento, quinque testes, vel rogati, vel qui fortuito venerint, in uno eodemque tempore debent adhiberi, sive in scripturis, sive sine scriptis voluntas conficiatur, testibus videlicet, quando in scriptis voluntas componitur, subnotationem suam accommodantibus. » Et licet in allato textu, quod possint in codicillo testes esse etiam feminæ, non habeatur explicite, habetur tamen implicite, quia in requisito numero testium non requiruntur soli masculi, nec feminæ excluduntur : sicut in numero testium requisitorum ad testamentum, ut patet ex dictis et adductis juribus *supra* art. 1, n. 15. Ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus ; cap. *Quia circa* 22, De privileg., et leg. *De pretio* 7, ff. *De Publiciana in rem actione.* Et si id voluisset etiam pro codicillo, expressisset, uti expressit pro testamento. Arg. cap. *Inter corporalia* 2, De translatione episcop. § *Sed neque istud*, cap. *Ad audientiam* 12, De decimis. Ita Glossa, in cit. l. *Si quis* 8, cod. *De codicillis* ; Tuscus, litt. *C*, conclus. 405, n. 1 ; Baldus, consil. 283 circa finem lib. III ; Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 26, n. 711, ubi testatur de communi. *Vide* verb. TESTIS, artic. 1, n. 47.

(7. In codicillis parentum inter liberos et ad pias causas sufficiunt duo testes. Ita Tuscus, litt. *C*, conclus. 405, n. 11 ; Molina, disput. 131, n. 8 ; Reiffenstuel, *loco citato*, n. 712, et alii ; et ratio est clara, quia cum duo testes sufficiant ex dictis et adductis juribus *supra* n. 6 et 29, ad testamentum inter liberos et ad pias causas ; a fortiori sufficient ad codicillum, utpote ad sui formam minorem requirens solemnitatem, quam testamentum.

(8. Codicillum facere potest omnis et solus, qui testari valet. *Communis*, textu expresso in l. *Divi* 6, ff. *De jure codicillorum*, ibi : « Codicillos is demum facere potest, qui et testamentum facere potest.

(9. Codicillus fieri potest, tam in scriptis quam sine scriptis, seu oretenus. *Communis*, textu expresso in l. *Si quis* 8, § 3, cod. *De codicillis*, ibi : « Sive in scriptis, sive sine scriptis voluntas conficiatur. »

(10. Codicillus fieri potest absque testamento. *Communis*, per text. in l. *Non idcirco* 4, cod. *De codicillis*, et § *Non tantum* 1, institut. *De codicillis.* (11. Item codicillus fieri potest cum testamento, et post illud jam factum *Communis*, per textus in citato § *Non tantum* 1, instit. *De codicillis*, et l. *Si quis* 3, ff. *De jure codicillorum.*

(12. Item codicillus fieri potest etiam ante testamentum factum. *Communis*, per textum in cit. § *Non tantum* 1, instit. *De codicill.* (13. Ad hoc tamen, ut valeat codicillus factus ante testamentum, requiritur quod testator in testamento subsequenti expresse illum confirmet. *Communis*, textu expresso in cit. § *Non tantum*, ibi : « Sed cum ante testamentum factum codicilli facti erant, Papinianus ait, non aliter vires habere, quam si speciali postea voluntate confirmentur. »

Digitized by Google

* Si auctor prosecutus fuisset lectionem textus a semetipso allegati, jam compertum habuisset, Papiniani opinionem in desuetudinem abiisse. Nam post verba ab auctore allata, illico subdit Justinianus : « Sed divi Severus et Antoninus rescripserunt, ex iis codicillis qui testamentum præcedunt, posse fideicommissum peti, si appareat eum, qui testamentum fecit, a voluntate quam in codicillis expresserat, non recessisse. » Ex his constat hujusmodi codicillos intelligi confirmatos, modo non sint revocati.*

(14. Quamvis non possit quis duo testamenta facere, ita ut ambo valeant, cum per posterius rumpatur prius, textu expresso in § *Posteriore* 2, instit. *Quibus modis testamenta infirmentur*, ibi : « Posteriore quoque testamento, quod jure perfectum est, superius rumpitur ; » cum similibus ; (15. potest tamen quis duos vel plures validos codicillos facere, textu expresso in § *Codicillos autem* 3, cod. *De codicillis*, ibi : « Codicillos autem etiam plures quis facere potest ; » et l. *Divi*, § 1, ff. *De jure codicillorum*, ibi : « Codicillos et plures quis facere potest. » (16. Non revocatur prior per posteriorem, nisi quatenus sibi contrarii sunt. *Communis*, per textum expressum in l. *Cum proponatis* 3, cod. *De codicillis*. Et ratio disparitatis est, quia in codicillis res singulares tantum relinquuntur, et ideo possunt quædam res relinqui in uno codicillo, et quædam aliæ in altero, et sic uterque potest subsistere absque contrarietate. In testamentis autem relinquitur necessario hæreditas, quæ est successio in universum jus defuncti ; l. *Hæreditas* 52, ff. *De reg. juris*, ibi : « Hæreditas nihil aliud est quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit ; » et ideo prius testamentum rumpitur per posterius, cum non possit utrumque subsistere cum tali contrarietate relictæ integræ hæreditatis.

(17. Dispositio dicentis se velle testamentum facere, si ex defectu solemnitatis non valet ut testamentum, neque valebit ut codicillus, quamvis omnes solemnitates requisitæ ad codicillum concurrant, nisi talis dispositio clausulam habeat codicillarem. *Communis*, text. expresso in l. *Sæpissime* 1, ff. *De jure codicillorum*, ibi : « Sæpissime rescriptum et constitutum est, eum qui testamentum facere opinatus est, nec voluit quasi codicillos id valere, videri nec codicillos fecisse ; ideoque quod in illo testamento scriptum est, licet quasi in codicillis poterit valere, tamen non debetur. »

(18. Et idem est sentiendum, quamvis quis expresse quidem non dicat, quod testari velit, sed tantum hæredem instituat vel exhæredationem faciat, quia sic faciendo præsumitur, quod testari voluerit, per textum in leg. *Non codicillum* 14, cod. *De testamentis*, ibi : « Non codicillum, sed testamentum aviam vestram facere voluisse, institutio et exhæredatio facta probant evidenter. »

(19. Dicitur autem notanter in conclusione : « Nisi talis dispositio clausulam habeat codicillarem ; » quia si testamentum habeat talem clausulam codicillarem, quamvis ex defectu solemnitatis non valeat ut testamentum, valebit tamen ut codicillus. *Communis*, per textum in l. *Si quis* 8, § 1, cod. *De codicillis*, et l. *Ex ea scriptura* 29, ff. *Qui testamenta facere possunt*.

(20. Unde clausula codicillaris est, quam testator testamento apponit, et per eam expresse, vel tacite declarat, quod si sua ultima dispositio ex defectu alicujus solemnitatis non valeret ut testamentum, valeat tamen ut codicillus. Ita in re Communis.

(21. Duplex igitur est clausula codicillaris, expressa scilicet, et tacita. *Expressa* est, dum testator expresse dicit, v. g. : « Si hæc mea dispositio non valet vi testamenti, volo ut valeat vi codicilli ; » *tacita* est, dum testator id non expresse, sed tacite vel virtualiter innuit, dicendo, v. g. : « Si hæc mea dispositio non valeat ut testamentum, volo ut valeat omni meliori modo quo potest. » Sic Communis doctorum, argum. l. *Si quis* 8, cod. *De codicillis*, l. *Sæpissime* 1, ff. *De jure codicillorum*, et l. *Ex ea Scriptura* 29, ff. *Qui testamenta facere possunt*, l. *Si jure* 11, cod. *De testamentaria manumissione*.

(22. Effectus clausulæ codicillaris, sive expressæ sive tacitæ, sunt plures, et præcipui sunt sequentes. Primus est, quod in casu, quo testamentum ex defectu alicujus solemnitatis ad ipsum requisitæ est nullum vigore testamenti, valet nihilominus vigore codicilli, seu ut codicillus ; unde quamvis hæredis institutio omnino irrita sit, tamen hæres ab intestato succedens tenetur solvere omnia legata ac fideicommissa particularia in tali nullo testamento recepta ; et hoc propter adjectam illam clausulam codicillarem. *Communis*, per text. in cit. l. *Si quis* 8, § 1, c. *De codicillis*, cit. l. *Si jure* 11, c. *De testamentaria manumissione*, et cit. l. *Ex ea scriptura* 29, ff. *Qui testamenta facere possunt*.

(23. Secundus effectus est quod, si testator carens hæredibus necessariis in hujusmodi irrito et invalido testamento instituat hæredem extraneum, virtute dictæ clausulæ codicillaris institutio directa vertitur in fideicommissariam, et proximi hæredes ab intestato tenentur restituere hæredi extraneo in tali irrito testamento per modum fideicommissi instituto totam hæreditatem, sola pro se retenta Trebellianica. Jason., in authent. *Ex causa*, 22, cod. *De liber. præter.* ; Tuscus, *loc. cit.*, conclus. 404 et seq. ; Layman, l. III, tr. 5, c. 8, n. 4 ; Gailus, lib. II, observ. 114 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 720, et alii communiter, per text. in l. *Ex ea scriptura* 29, ff. *Qui testamenta facere possunt*, l. *Scævola* 76, ff. *Ad senatusconsult. Trebellian.*, l. *Si frater* 5, cod. *De fideicommissis* ; et l. *Si quis* 8, cod. *De codicillis*.

(24. Item si testator, hærede necessario scienter præterito vel injuste exhæredato, in tali testamento nullo instituat hæredem extraneum, virtute dictæ clausulæ codicillaris tenetur hæres necessarius restituere dicto instituto hæredi extraneo totam hære-

Digitized by Google

ditatem, sola retenta pro se legitima et Trebellianica simul : ita Clarus, § *Testamentum*, q. 16; Tuscus, lib. VI, conclus. 292, n. 1; Gailus, *loc. cit.*, n. 3, dicens hanc conclusionem esse indubitabilem; Layman, *loc. cit.*, cum Molina, disp. 132; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 721, et ipso teste Communis aliorum, arg. citatis juribus.

(25. Tertius effectus est, quod hæres institutus in tali testamento possit pro libitu agere, vel ex testamento, vel in vim codicilli, id est possit, vel vi testamenti petere totam hæreditatem in ipso sibi relictam, vel timens testamentum non subsistere, agere in vim codicilli, et vi illius petere, ut hæreditas per modum fideicommissi sibi restituatur, cum hac tamen advertentia, quod si hæres institutus incœpit agere ex testamento, non possit amplius variare et hæreditatem petere in vim codicilli, nisi esset ex agnatis usque ad quartum gradum, vel ex cognatis usque ad tertium gradum. *Communis*, textu expresso in l. *Si quis* 8, § 1 et 2, cod. *De codicillis*, ibi : « Illo electionis videlicet jure perdurante, ut, qui ex testamento agere voluerit, ad fideicommissum migrare non possit. Si quis vero ex parentibus utriusque sexus, ac liberis usque ad quartum gradum agnationis vinculis alligatus, vel cognationis nexu constrictus usque ad tertium scriptus hæres fuerit vel nuncupatus, in eo videlicet testamento, quod testator vicem quoque codicillorum voluit obtinere, licebit ei, si de hæreditate ex testamento secundum mortui voluntatem agens fuerit superatus, vel certe ipse sponte voluerit, ad fideicomm. subsidium convolare. »

(26. Testamentum autem minus solemne non potest vi dictæ clausulæ codicillaris valere ut codicillus, nisi habeat saltem solemnitates ad codicillum requisitas, nempe quod interfuerint quinque testes et adhibiti fuerint uno eodemque tempore, et si in scriptis conficiatur codicillus, dicti testes suam subnotationem interposuerint, ut patet ex l. *Si quis* 8, § 3, cod. *De codicillis*, et ex dictis *supra* n. 6. (27. Excipe tamen, nisi dispositio esset ad pias causas seu inter liberos, quia tunc sufficerent duo testes, ut patet ex dictis *supra* n. 7.

(28. Ad complementum de codicillis advertendum est quod codicilli introducti fuerunt et præcipue inserviunt ad fideicommissa et legata relinquenda. Item ad testamentum declarandum, immutandum, minuendum, augendum et addendum, vel demendum, et hujusmodi, salva semper tamen hæredis institutione, cum hæreditas per codicillum, nec dari, nec adimi possit, ut patet ex § *Codicillis autem* 2, instit. *De codicillis*, et l. *Hæreditatem* 2, cod. *De codicillis*. (29. Et primus, qui codicillos introduxit, fuit Lucius Lentulus, ut expresse habetur in princip. institut. *De codicillis*, ibi : « Ante Augusti tempora constat codicillorum jus in usu non fuisse, sed primus Lucius Lentulus (ex cujus persona etiam fideicommissa esse cœperunt) codicillos introduxit, » etc.

Alia ad rem præter supra notata artic. 1 *vide* verb. FIDEICOMMISSUM, verb. LEGATUM.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Solet clausula codicillaris apponi testamentis rusticorum, mulierum et aliorum, qui ejus vim haud intelligunt. Quæstionis propterea est, an ea in hisce testamentis expressa effectus suos pariat?

(31. Sunt qui negant, idque quia cum personæ hæ clausulam ejusque effectum ignorent, hinc non præsumuntur rogasse hæredem ab intestato, ut iis vi clausulæ illius præstanda præstet. Vide quos pro hac sententia citat doctores Turrett. *De effect. et defect. clausul. codicill.* q. 9, n. 3.

(32. Affirmativa tamen prævaluit sententia. Mox dictæ enim personæ adhibendo notarium, censentur eum rogasse, ut ita condat testamentum, ut omni meliori modo subsistere possit. Jam ergo non commodius sustinetur, quam per clausulam codicillarem. Ergo ut hanc quoque addat, voluisse videntur. Qui enim vult finem, censetur etiam voluisse media ad finem conducentia. (33. Quapropter clausulam codicillarem semper voluntate testatoris adjectam præsumi, tradunt post alios Carpzov., lib. VI, respons. 7 per tot.; Castill., lib. IV *De conjectur. ultim. volunt.*, cap. 49, n. 27.

ARTICULUS V.

Quoad ea quæ concernunt revocationem seu mutationem, irritationem, ruptionem et destitutionem testamenti et codicilli.

SUMMARIUM.

1. Quilibet testator potest usque ad mortem semper, et pro libitu suum testamentum et codicillum penitus revocare aut mutare. — 2. Etiamsi promiserit, seu pacto se obligaverit de non revocando aut mutando. — 3. Et etiamsi fuerit a principe confirmatum. — 4. Dummodo tamen in posteriori testamento mentionem faciat, quod non obstante tali promissione et pacto velit revocatum testamentum prius. — 5. Quæ tamen mentio non est necessaria si testator secundum testamentum juramento confirmet. — 6. An revocari possit testamentum, quod testator juravit se non revocaturum, ad num. 7. — 8. Etiam testamentum reciprocum inter conjuges et alias personas potest a quovis conjugum, seu a quovis ex illis personis pro sua parte libere revocari etiam inscio vel invito altero. — 9. Et id valet, sive unus ex illis jam obierit, sive ambo adhuc vivant, sive alter revocationem sciat et consentiat, sive nesciat aut contradicat. — 10. Item id etiam valet quamvis in una et eadem charta fuerit scriptum tale reciprocum testamentum. — 11. Quando una pars clandestine suum revocat testamentum reciprocum, censetur etiam ab altera tacite revocatum et suum. — 12. Testamentum reciprocum potest fieri oretenus et in scriptis, eodem vel diverso tempore, et quomodo. ad n. 13. — 14. Affertur specialis advertentia pro testamentis reciprocis conjugum. — 15. Testamentum revocari potest et verbis et factis. — 16. Revocatio testamenti facta nudis verbis, ut sit valida, duo copulative requirit, quæ assignantur. — 17. Testamentum censetur vere revocatum factis, nedum per validam alterius posterioris testamenti confectionem, sed etiam per ipsius cancellationem, deletionem, incisionem, lacerationem, inductionem, corruptionem, exustionem, vel alio simili modo a testatore, vel

Digitized by Google

ejus mandato ab alio consulto factam. — 18. Non censetur autem revocatum factis, si prædictæ additiones, et aliæ similes fiant inconsulte seu fortuito, dummodo hæres institutus adhuc legi possit. — 19. In dubio an fuerit consulto vel inconsulto cancellatum, præsumendum est fuisse cancellatum consulto, si testamentum apud testatorem servabatur; secus vero, si alibi.—20. Si testator omnem scripturam testamenti cancellavit, etiam quoad legata censetur revocatum. — 21. Imo etiamsi testator non totam scripturam cancellet, sed solum aliquid substantiale, sine quo ultima voluntas consistere nequit, totum testamentum etiam quoad legata censendum est revocatum. — 22. Si testator consulto cancellaverit in testamento solum nomen unius ex pluribus hæredibus, testamentum non censetur revocatum quoad alios, sed ille solus erit exclusus, et tota hæreditas debebitur hæredibus non deletis. — 23. Si autem testator consulto deleverit nomina omnium hæredum, tunc testamentum corruit, quoad institutionem respectu omnium, sicuti corruit, si deleatur nomen hæredis solius instituti, et tunc datur successio ab intestato. — 24. Deletis consulto nominibus omnium hæredum, nedum corruit testamentum quoad institutionem, sed probabilius corruit etiam quoad legata profana. — 25. Alii tamen non improbabiliter sentiunt contrarium. — 26. Testamentum facto revocatur per posterius legitime conditum, quamvis hoc posterius non sortiatur suum effectum. — 27. Et id etiam currit, quamvis in primo testamento hæres fuisset ex Asse institutus, in secundo autem in re certa. — 28. Item etiamsi prius testamentum clausulam derogatoriam contineat; dummodo talis derogatoriæ clausulæ fiat mentio in testamento posteriori revocatorio.—29. Ad id autem requiritur quod testamentum posterius sit rite et legitime factum. — 30. Vel si non sit legitime factum, necesse est ut in ipso institutus sit, qui alias ab intestato succederet.—31. Testamentum prius legitime factum rumpitur per posterius privilegiatum. — 32. Item testamentum prius ad acta, seu coram principe factum revocari potest per aliud posterius sine actis, seu in absentia actorum ordinaria, vel privilegiata solemnitate factum.— 33. Testamentum parentum inter liberos non aliter revocari potest, quam per aliud testamentum coram septem testibus legitime factum. — 34. Testamentum nedum potest revocari, sed etiam potest irritari, rumpi et destitui. — 35. Testamentum irritari quid sit? et quomodo, ac quando fiat? — 36. Testamentum rumpi quid sit? et quomodo, ac quando fiat? — 37. Testamentum destitui quid sit? et quomodo, ac quando fiat? — 38. Revocari possunt non solum testamenta, sed etiam aliæ ultimæ voluntates, videlicet legata codicilli et donationes mortis causa. — 39. Et quidem legata revocari possunt facto, verbis et signis intra et extra testamentum, expresse et tacite, dummodo concurrant eædem solemnitates, quæ ad eorum confectionem requiruntur.—40. Facto revocantur legata, quando ipsa serio ac consulte delentur, cancellantur aut calamo inducuntur. — 41. Confectione tamen posterioris legati aut codicilli, legatum aut codicillus antecedens non revocatur in quantum eidem contrarius exsistit.— 42. Legata revocari possunt etiam verbis, signis et nutu, et quomodo. — 43. Tacite revocantur, vel potius revocata ipso jure censentur legata, si testator in vivis rem legatam alteri donaverit, etiamsi talis donatio fuerit invalida. — 44. Item tacite ipso jure revocata censentur legata, si testator nulla urgente necessitate titulo oneroso illa alienet, vendat seu commutet.— 45. Si vero rem legatam testator ex necessitate urgente alienaverit seu hypothecaverit, non censetur revocatum legatum, nisi hæres probet voluisse per id testatorem legatum revocare. — 46. Item tacite ipso jure censetur revocatum legatum, si capitales et graves inimicitiæ oriantur inter testatorem et legatarium; non autem si solum levet, et idem est dicendum si legatarius gravem irroget injuriam testatori.—47. Si autem ante mortem in amicitiam redeant, reviviscit iterum legatum.— 48. Item ipso jure revocatum, seu potius exspiratum censetur legatum, si legatarius ante testatorem moriatur.— 49. Alia ad rem ad n. 53. — Subnectuntur *addit. ex aliena manu* a n. 54 ad 56.

(1. Quilibet testator potest usque ad mortem semper et pro libitu suum testamentum et codicillum penitus revocare aut mutare. Sic doctores communiter per clarum textum ex l. *Quod si* 4, ff. *De adimendis legatis* : « Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum; » et novissima ipsius voluntas est servanda, textu expresso in l. *Translatio* 6, ff. *De adimendis legatis*, ibi : « Novissima enim voluntas servatur. » Et sic Rota rec., part. IV, tom. II, decis. 456, n. 16; part. X, decis. 103, n. 33 et 34, et sæpe alibi.

(2. Etiamsi promiserit seu pacto se obligaverit de non revocando aut mutando. *Communis*, per text. in cit. l. *Si quis* 24, ff. *De legatis* 3 : « Nemo enim, » ut expresse ibi dicitur, « eam sibi potest legem dicere, ut a priori (voluntate) ei recedere non liceat; » sic expresse Glossa in cap. *Cum Marthæ* 9, verb. *Non valet*, De celebrat. missar., ibi : « Unde potest mutari testamentum, etiamsi pactum intervenerit, ne possit mutari, » per text. in leg. *Pactum quod dotali* 15, cod. *De pactis*.

(3. Et etiamsi fuerit a principe confirmatum, sic expresse Glossa in cap. *Martha*, verb. *Non valet*, per text. in l. *Omnium testamentorum* 19, cod. *De testamentis*, quia dicit Glossa *ibid.* : « Nemo hanc legem sibi dicere potest, ut a priori testamento sibi recedere non liceat, » per citat. leg. *Si quis* 22, ff. *De legat.* 3.

(4. Dummodo tamen in posteriori testamento mentionem faciat, quod, non obstante tali obligatione seu promissione de non revocando, velit revocatum testamentum prius, l. *Si mihi et tibi* 12, § final., et ibi Glossa, verb. *Non valebit*, ff. *De legatis* 1, et cit. l. *Si quis* 22, ff. *De legatis* 3, ubi postquam dictum est : « Nemo enim eam sibi potest legem dicere, ut a priori testamento ei recedere non liceat; » statim subjungitur : « Sed hoc ita locum habebit, si specialiter dixerit, prioris voluntatis sibi pœnituisse. » Sic Fachineus, lib. IV, cap. 29; Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 26, n. 730; Monachus, lib. IV, præsumpt. 166, n. 25 et 26, ubi plurimos alios citat, verequ asserit hanc esse receptam et communem sententiam contra Bartol., in leg. *Si quis* 11, n. 9, ff. *De legat.* 3; Fabrum, Morandum, et alios volentes etiam, ut sine mentione prioris clausulæ derogatoriæ possit revocari, vel censeatur revocatum per posterius testamentum.

(5. Non est tamen necessaria talis mentio, si testator posterius testamentum juramento confirmet. Covarruvias *De testament.*, part. II *Rubric.*, n. 59; Molina, disp. 143, n. 26; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 740, et

Digitized by Google

ipso teste, communis aliorum, quia tunc merito præsumitur pœnitere prioris voluntatis, quamvis nullam penitus mentionem faciat prioris testamenti aut clausulæ derogatoriæ prioris voluntatis eidem insertæ.

(6. An autem revocari possit testamentum quod testator juramento confirmavit se nullatenus revocaturum, variant doctores. Communior et probabilior canonistarum tenet, quod tale testamentum saltem licite revocari nequeat. Glossa, in can. *Ultima voluntas* 4, caus. 13, quæst. 1, quia, ut dicit ipsa, « hoc juramentum non vergit in interitum salutis æternæ, ergo est servandum, » ut extra. *De jurejurando*, Si vero; Molina, *loco cit.*, n. 741; Albert., in l. 1, cod. *De sacrosanct. eccles.*, et ipso teste apud Clarum, § *Testamentum*, qu. 94, n. 3, communior canonistarum argum. capit. *Si vero* 8, et cap. *Cum contingat* 28, de jurejurando, ubi universaliter decernitur quod omne juramentum, quod non vergit in præjudicium tertii, nec in interitum salutis æternæ, sit omnino servandum et adimplendum, quamvis caderet super actu legibus infirmato, ut expresse habetur in Summario dicti cap. *Cum contingat*, ibi : « Juramentum præstitum super actu a lege infirmato. » Legistæ autem defendunt communiter quod tale testamentum adhuc revocari possit, uti asserunt et tenent Clarus § *Testamentum* qu. 94, n. 3 ; Alexander in l. *Stipulatio hoc modo* n. 1, ff. *De verborum obligat.*; Dauth., *De mutat. testam.*, n. 89 et seq., argum. cit. leg. *Si quis* 22, ff. *De legat.* 3. Et id expresse statuitur in jure Bavarico teste Land-Recht ; t. XXXIV, art. 15. (7. Quæ legistarum opinio admittenda revera est in casu, quo gravis prius non prævisa emergeret mutatio circumstantiarum, ut si graves inter testatorem et hæredem ortæ essent non prævisæ inimicitiæ, et hujusmodi : juramentum enim, sicut et cæteri actus, tacitam includit conditionem, *rebus sic stantibus*, prout tenet communis doctorum, argum. cap. *Quemadmodum* 25, De jurejurando. Ubi expresse deciditur quod licet quis juraverit certam ducere uxorem, eam ducere non teneatur, si post juramentum mulier illa meretrix, vel leprosa, aut paralytica fieret, aut oculos, vel nasum amitteret, seu quidquam ei turpius eveniret, ibi : « Quoniam in eo talis erat subintelligenda conditio, si videlicet illa in legem conjugii non peccaret.... Quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet contra regulam desponsationis non venerit, » etc. Et sic expresse tenet ibi Glossa, verb. *Conditio*, plurimas adducens similes conditiones in juramentis tacite subintellectas, et in utroque jure tum canonico, tum civili admissas.

(8. Etiam testamentum reciprocum seu mutuum factum inter conjuges, seu inter duas aut plures alias personas nulla ratione conjunctas, potest a quovis conjugum, seu quavis ex illis personis pro sua parte libere revocari, etiam inscio vel invito altero conjuge, seu inscia vel invita altera persona. Sic Gailus, lib. II, observ. 117, n. 2; Peck, *De testam. conjug.*, lib. 1, c. 43; Berlik., in *Aureis decision.*, dec. 92; Mynsinger., centur. 1, observ. 8, n. 5; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 381, et ipso teste communissima aliorum, per text. in cit. leg. *Si quis* 22, De legat. 3, ubi expresse dicitur : « Nemo enim eam sibi potest legem dicere, ut a priori (voluntate seu testamento) ei recedere non liceat. » Et ratio est quia « ambulatoria est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum, » textu expresso in l. *Quod si* 4, ff. *De adimendis legatis;* testamentum enim non est firmum, nec effectum aliquem habet, seu nihil valet ante mortem testatoris, ut expresse habetur in *Epistola ad Hebræos* IX, 16 et 17, ibi : *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris ; testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est ;* cap. *Cum Marthæ* 6, De celebrat. missarum, l. *Cum hic status* 32, ff. *De donationibus inter virum et uxor.*, cum similibus.

(9. Et id valet, non solum in casu quo unus conjux seu una ex illis personis jam obiit, sed etiam si ambo vel ambæ adhuc vivant, sive dein alter conjux seu altera persona revocationem sciat et consentiat, sive nesciat et contradicat : valor enim testamenti neutiquam dependere potest a voluntate seu arbitrio alterius, textu expresso in l. *Illa institutio* 32, ff. *De hæredibus instituendis*, ibi : « Nam satis constanter veteres decreverunt testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere. » Sic suprac. doctores cum communi aliorum.

(10. Item id etiam valet, quamvis in una et eadem charta reciprocum seu mutuum testamentum conscripserint seu scribi fecerint. Licet enim una sola sit charta, nihilominus duplex distinctum ac separabile censetur esse, et est testamentum, ita ut quivis de suis bonis præsumatur testamentum fecisse, et consequenter pro sua parte potest denuo libere revocare, per omnia allegata et similia jura. Sic cum communi supralaudati doctores.

(11. Quando una pars clandestine suum revocat testamentum reciprocum, censetur etiam ab altera tacite revocatum et suum, seu prius statim illud exspirasse censetur. Sic Menochius, *De præsumptionibus*, lib. IV, præsumpt. 56, n. 20; Peck, *loc. cit.*; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 382, et alii; et ratio est quia hujusmodi reciproca et mutua testamenta censentur et præsumuntur ordinarie facta sub spe et tacita conditione, quod nullus ante mortem alterius testamentum revocare, sed potius unus alteri in eventum mortis tali testamento favere velit. Actus autem agentium non operatur ultra intentionem et voluntatem eorum ; leg. *Non omnis* 19, ff. *De rebus creditis si certum petatur*, cap. *Cum olim*, 37, *De præbend.*, et actus sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum, argum. § *Sub conditione* 4, institut. *De ver-*

Digitized by Google

bor. obligat., et l. unic., § *Sin autem*, codic. *De caducitat. tollend.*, cum similibus. Idem habetur in statutis Bavariæ, tit. 3, art. 3, ubi universaliter statuitur quod si unus conjugum testamentum inter eos reciproce factum clandestine revocet, etiam alterius testamentum revocatum censetur, et quidem merito, quia frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, qui fidem a se præstitam servari recusat, textu expresso in cap. *Frustra* 75, De reg. jur., in 6, et concordant cap. *Cum pridem* 4, § *Ille igitur*, De pactis, cap. *Pervenit* 3, et ibi Glossa 2, *De jurejurando*, c. *Innocens* 23; caus. 22, q. 4, cum similibus. Tum quia sic clandestine revocans suum reciprocum testamentum, censetur dolose et fraudulenter agere; fraus autem et dolus nemini patrocinari debent, c. *Sedes* 15, et cap. *Ex tenore* 16, De rescriptis, c. *Tuæ* 12, De clericis non residentibus, c. *Intelleximus* 7, De judiciis, ibi : « Ne videatur de sua malitia commodum reportare; » l. *In fundo* 38, ff. *De rei vindicat.*, leg. *Cum his* 8, ff. *De transact.*; l. *Non fraudantur* 134, ff. *De regul. jur.*; l. *Si legatarius* 25, cod. *De legatis*. Si vero, ut prosequuntur statuta Bavarica, *loco citato*, unus non clandestine sed sciente altero testamentum revocavit, remanet conjugis alterum testamentum in suo valore, si post revocationem ab altero factam tandiu adhuc vixit, quod etiam ipse suum testamentum facile revocare vel mutare expresse potuisset, et tamen non fecit. Ipse enim in tali casu videretur cessisse juri suo, ut quilibet potest, textu expresso in c. *Si de terra* 6, De privilegiis, ibi : « Cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare; » et concordant cap. *Si diligenti* 22, De foro competenti, leg. *Si judex* 41, ff. *De minoribus*; leg. *Si quis in conscribendo* 29, cod. *De pactis*.

(12. Testamentum reciprocum seu mutuum inter conjuges seu alias personas fieri potest oretenus et in scriptis in una vel diversa charta, eodem vel diverso tempore, coram iisdem vel diversis testibus; ita tamen quod si in eadem charta et coram iisdem testibus fiat, uterque conjux seu utraque persona illud signare, et subscribere, ac testes ad ferendum testimonium rogare seu requirere debeat; et ipsi testes in subscriptione, non tantum proprium nomen, sed etiam illud utriusque conjugis, vel personæ separatim ac specifice exprimere debeant. Et sic uterque conjux, seu utraque persona necessario debeat rogare seu requirere testes casu, quo coram iisdem testibus eodem tempore simul testamentum reciprocum seu mutuum oretenus ab ipsis fiat. Gailus, lib. II, observat. 117, n. 1; Schmidt, ad tit. 34, art. 12, n. 1 seq.; Jul. Clar. § *Testamentum*, n. 1 et seq.; Molina disp. 152, n. 1 et seq.; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 371, et, ipso teste, communis aliorum, arg. leg. *Licet* 19, cod *De pactis*; l. *Eo quod*, cod. *Si certum petatur*; l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testament.*, leg. *Singulos testes* 30, ff. *Qui testamenta facere possint*. Et ratio est, quia licet uterque conjux seu utraque persona coram iisdem testibus eodem tempore simul testamentum reciprocum oretenus condat, seu in una et eadem charta suam testamentariam voluntatem exprimat, duplex tamen testamentum est, cum quivis tantum de sua substantia testetur. Berlick, in *Aureis decisionib.*, decis. 92, num. 4; Gailus, *loc. cit.*; Mynsinger, centur. 1, observat. 8, n. 6; Reiffenstuel, *l. cit.*, n. 371, et alii communiter, arg. l. *Servi electione* 5, § 2, ff. *De legatis* 1, cum similibus.

(13. Testamenta reciproca, seu mutua inter conjuges, vel alias personas possunt confici his, vel aliis similibus formulis. Si ambo conjuges simul v. g. in eadem charta suam reciprocam testamentariam voluntatem scribant, vel scribi faciant, poterunt hujusmodi verbis uti : « Nos infrascripti conjuges hisce testamur, quod unus alterum post mortem suam hæredem suum instituat, et institutum velit, vel unus alteri omnium bonorum relinquat usufructum cum hoc onere, quod, » etc. Si vero quivis conjux distincte, separatim ac in singulari in eadem charta suam dictam testamentariam voluntatem scribat, vel scribi faciat, poterit uti hujusmodi verbis : « Ego N. maritus hisce testor, quod post mortem meam volo pro hærede mea habere, seu hæredem meam instituo dilectissimam uxorem meam N. vel lego eidem bonorum omnium, vel certorum usufructum, etc. » Et sic vicissim uxor voluntate mariti integre expressa ac scripta subjungit : « Et ego N. uxor reciproce post mortem meam volo pro hærede habere, seu hæredem meum instituo dilectissimum maritum meum N. vel lego eidem usufructum, etc., vel hoc, vel illud, » etc. Hac etiam alia forma, vel simili uti poterunt duo conjuges, seu duæ aliæ personæ mutuo consensu volentes se reciproce hæredes instituere, seu reciproce sibi aliquid legare : « Si ego N. ante te N. decessero, hæreditatem omnium bonorum meorum ad dies tuæ vitæ tibi N. lego, etc. » Et alter reciproce : « Si ego N. ante te N. obiero, te N. quoque hæredem omnium bonorum meorum instituo, aut hoc, vel illud tibi N. lego, » etc. Idem etiam in separatis duabus chartis, vel etiam oretenus præstare poterunt, dummodo semper illud signent et subscribant, ac testes ad ferendum testimonium rogent, seu requirant, ut dictum est supra n. 12, arg. leg. *Licet* 19, cod. *De pactis*; leg. *Eo quod* 10, cod. *Si certum petatur*; leg. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*; leg. *Singulos testes* 30, ff. *Qui testamenta facere possunt*. Et est hic advertendum quod non refert, an conjuges seu aliæ personæ æqualiter, vel inæqualiter se invicem instituant, uti cum aliis ex jure, et praxi ostendit ac probat Berlick, in *Aureis decisionibus*, decis. 92, et sequitur Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 371.

(14. Quoad reciproca testamenta conjugum est specialiter notandum, quod tunc maxime fieri solent, et possunt, quoad hæreditatem, seu usumfructum omnium bonorum, quando conjuges filiis carentes hæredem necessarium non habent. Si vero filios,

Digitized by Google

seu hæredes necessarios habeant, possunt quidem se reciproce hæredes seu usufructuarios instituere; sed tamen in hoc casu, ut eorum reciprocum testamentum subsistat, debet necessario relinqui filiis seu hæredibus necessariis legitima sine omni onere, et quidem ex titulo hæredis tradenda statim post mortem patris seu matris, et quoad proprietatem, et quoad usumfructum, ut docent communiter doctores per text. in authentic. *Novissima lege*, et l. *Quoniam* 32, ac l. *Scimus* 36, c. *De inofficioso testamento*, et novella 18, c. 3 ac cap. *Rainucius* 16, De testamentis. Unde si unus conjugum cæco ductus amore alteri usumfructum omnium bonorum ad dies vitæ suæ in testamento universaliter legaret vel relinqueret, adhuc censendus esset exceptus usufructus legitimæ, ita ut exstantes post mortem testatoris filii possent a patre vel matre, cui usufructus omnium bonorum relictus esset, petere statim, secuta dicta morte, legitimam una cum usufructu, ut tradunt communiter doctores per citata jura, et signanter per dict. novellam 15, cap. 3, ubi id expresse statuitur. Legitima enim debita filiis non dependet a voluntate parentum, sed procedit a jure naturæ, canonico et civili, l. *Cum ratio* 8, De bonis damnator., cap. *Rainucius* 16, De testamentis, ibi : « Legitima portio jure naturæ debita, » juncto ejus summario, in quo sic expresse habetur : « In bonis patris, matris et aviæ habet quis debitam jure naturæ legitimam, in qua gravari nequit. »

(15. Testamentum revocari potest, et verbis, et factis. Communis, arg. l. *Sancimus* 27, et l. *Nostram* 20, cod. *De testamentis*; l. *Quæ in testamentis* 1, et l. *Cancellaverat* 2, ff. *De his quæ in testamento delentur*; l. *Posteaquam* 1, § 8, ff. *Si tabulæ testamenti nullæ exstabunt*, cum similibus.

(16. Revocatio testamenti facta nudis verbis, ut sit valida, duo copulative requirit, nempe : 1. Ut coram tribus testibus, aut coram actis, seu apud acta fiat. 2. Ut elapsum jam sit decennium a tempore conditi testamenti; si enim una ex his duabus conditionibus deficiat, revocatio verbalis est nulla. Sic contra Martinum, Covarruviam, et alios, Alexander in l. *Sancimus* 29, cod. *De testamentis*, n. 8; Jul. Clar., § *Testamentum*, qu. 91; Fulgosus, in cit. l. *Sancimus*; Fachin., lib. IV, controvers. 8; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 743 et 745, testans quod hæc sententia sit communior et juri conformior, per expressum et clarum textum in l. *Sancimus* 27, cod. *De testamentis*, et concordant l. *Militis* 36, § 3 ff. *De testamento militis*, et § *Ex eo* 7, instit. *Quibus modis testamenta infirmentur*.

(17. Testamentum censetur vere revocatum factis, nedum per validam alterius posterioris testamenti confectionem, sed etiam per ipsius cancellationem, deletionem, incisionem, lacerationem, inductionem, corruptionem, exustionem, vel alio simili modo a testatore, vel ejus mandato ab alio serio seu consulto factam. *Communis*, per claros et expressos textus in l. *Quæ in testamento* 1, l. *Cancellaverat* 2, l. *Proxime* 3, et l. *Pluribus tabulis* 4, ff. *De his quæ in testamento delentur, inducuntur vel inscribuntur*, l. *Posteaquam* 1, § 8, ff. *Si tabulæ testamenti nullæ exstabunt*, l. *Nostram provisionem* 38, cod. *De testamentis*, cum similibus. Et ratio est quia ex hujusmodi actionibus seu factis, sufficiens habetur signum mutatæ voluntatis testatoris, argum. cit. l. *Posteaquam* 1, § 8, ff. *Si tabulæ testamenti nullæ exstabunt*, ibi : « Quia voluntatem testator mutavit, » et cit. leg. *Nostram propositionem* 30, c. *De testamentis*, ibi : « Utpote ejus voluntate mutata. »

(18. Non censetur autem testamentum revocatum factis, si supradictæ actiones et aliæ similes fiant inconsulto, fortuito aut præter voluntatem testatoris, dummodo hæres institutus adhuc legi possit. *Communis*, textu expresso in cit. leg. *Quæ in testamento* 1, ff. *De his quæ in testamento delentur*.

(19. In dubio, an testamentum consulto aut inconsulto fuerit cancellatum seu deletum : præsumendum est deletum consulto, si testamentum servabatur apud testatorem; secus vero si alibi. Mantica, *De conjectur. ultim. volunt.*, lib. XII, tit. 1, n. 28; Bruneman., ad leg. 12, cod. *De testament.*; Zoesius, l. I, caus. 2, n. 1; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 754, cum aliis ibi allegatis.

(20. Si testator omnem scripturam testamenti cancellavit, etiam quoad legata censetur revocatum, leg. *Proxime* 3, ff. *De his quæ in testamento delentur*, leg. *Posteaquam* 1, § 8, ff. *Si tabulæ testament. nullæ exstabunt*, l. *Nostram provisionem* 30, cod. *De testamentis*, et doctores passim.

(21. Imo etiamsi testator non totam scripturam testamenti cancellet, sed solum aliquid substantiale, sine quo ultima voluntas consistere nequit, ut si consulto deleat nomina testium, aut infringat, aut auferat sigilla, totum testamentum etiam quoad legata censendum est revocatum, quia in tali casu merito præsumitur totam mutasse voluntatem ac intestatum decedere voluisse. Arg. ex *citatis juribus*; Dauth., l. 21, cod. *De testamentis*, n. 17; Roc., disp. 37; Struv. *Syntagma jur. civil.*, exercit. 33; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 749, et alii.

(22. Si testator consulto cancellaverit in testamento solum nomen unius ex pluribus hæredibus, testamentum non censetur revocatum quoad alios, sed ille solus erit exclusus, alii vero non, et tota hæreditas debebitur hæredibus non deletis, l. *Cancellaverat* 2, ff. *De his quæ in testamento delentur*; Castrensis, in l. *Proxime* 3, ff. *De his quæ in testamento delentur*; Gilken., in leg. *Nostram* 30, n. 6, cod. *De testamentis*; Mantica, *De conjectur. ultim. voluntat.*, lib. XII, tit. 1, n. 21; Reiffenstuel, *loco citato*, n. 750, et ipso teste, communis aliorum; et ratio est quia nemo partim testatus, partim intestatus decedere potest. L. *Jus nostrum* 7, ff. *De regul. juris*.

(23. Si autem testator consulto deleverit

Digitized by Google

nomina omnium hæredum, tunc testamentum corruit quoad institutionem respectu omnium, sicuti corruit, si deleatur nomen hæredis solius instituti, et tunc datur successio ab intestato, quia in tali casu merito est præsumendum, quod ipse voluerit decedere intestatus. *Communis*, cum doctoribus num. antecedenti allegatis, arg. l. *Proximè* 3, ff. *De his quæ in testamento delentur*; l. *Postquam* 1, § 8, ff. *Si tabulæ testamenti nullæ exstabunt*, l. *Nostram* 3, cod. *De testamentis*, cum similibus.

(24. Deletis consulto nominibus omnium hæredum, nedum corruit testamentum quoad institutionem, sed probabilius corruit etiam quoad legata profana non deleta, ita ut non debeantur legatariis; sic cum pluribus aliis Cujacius, in l. *Proxime* 9, ff. *De his quæ in testamento delentur*, per textum in citat. l. *Proxime*, ibi : « Non potest ullum testamentum valere, quod hæredem non habet; » arg. l. *Ex testamento* 29, cod. *De fideicommissis*, ibi : « Ex testamento, quod jure non valet, nec fideicommissum quidem; » et faciunt dicta et adducta supra n, 20, 21.

(25. Alii tamen, ut Ludwell., part. I, cap. 10, fol. 173; Castrensis, in cit. l. *Proximè* 3, ff. *De his quæ in testamento delentur*; Gilken., in cit. l. *Nostram* 30, cod. *De testamentis*, et, *ibidem*, Bruneman. cum aliis, quibus adhærere videtur Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 771, tenent contrarium, nempe, quod deleto nomine omnium hæredum, valent legata non deleta, arg. cit. leg. *Proxime* in fine, ubi rupto propter deletionem hæredis testamento, legatum deberi deciditur, quod nempe est tenendum in speciali casu quo, ut ibi libertas est legata; quamvis alioquin non sine rationabili fundamento supra allegati doctores dictam legis decisionem extendant ad quodlibet aliud legatum propter rationem universaliter ibi allegatam, nempe : « Sed in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est quam tutius. »

(26. Testamentum facto revocatur per posterius legitime conditum, quamvis hoc posterius non sortiatur suum effectum, ex quo hæres v. g. in illo institutus repudiavit hæreditatem, vel ante testatorem decesserit, et hujusmodi. *Communis*, per clarum textum in § *Posteriore quoque* 2, institut. *Quibus modis testamenta infirmentur*, et in l. *Testamentum* 1, ff. *De injusto, rupto, irrito facto testamento*. (27. Et idem etiam currit, quamvis in primo testamento hæres fuisset ex Asse institutus, in secundo autem in re certa. *Communis*, textu expresso in § *Sed et si* 3, institut. *Quibus modis testamenta infirmentur*. (28. Item etiamsi prius testamentum clausulam testamenti derogatoriam contineat, dummodo talis derogatoriæ clausulæ fiat mentio in testamento posteriori revocatorio juxta dicta et adducta supra n. 4.

(29. Ad hoc autem, ut testamentum prius revocetur per posterius, necesse est, quod posterius sit rite et legitime cum requisitis juris solemnitatibus factum; si enim ex defectu alicujus solemnitatis posterius esset nullum, prius remaneret validum. *Communis*, arg. cit., § *Posteriore quoque* 2; institut. *Quibus modis testamenta infirmentur*, et l. *Tunc autem* 2, ff. *De injusto, rupto*, etc.

(30. Vel si testamentum posterius non sit rite et legitime factum, necesse est, ad hoc ut rumpat prius, ut in ipso institutus sit, qui alias ab intestato succederet : « Tunc enim et posteriore non perfecto, superius rumpitur » textu expresso in cit. leg. *Tunc autem* 2, ff. *De injusto, rupto, irrito facto testamento*. Dummodo tamen posterius testamentum coram saltem quinque testibus fuerit factum, textu expresso in authentic. *Hoc inter*, § 3, cod. *De testamentis*, ibi : « In qua voluntate quinque testium juratorum depositiones sufficiunt, quo non facto, valebit primum testamentum, licet in eo scripti videantur extranei. »

(31. Testamentum prius solemniter et legitime factum rumpitur per posterius privilegiatum, verb. gr. datum ad acta vel factum ad causas pias, aut tempore pestis, et hujusmodi. Sic communior jurique conformior, ac usu recepta sententia cum Arpert, in § 2, institut. *Quibus modis testamenta infirmentur*; Salicet., in l. *Sancimus* 27, cod. *De testamentis*, n. 3; Covarruv., *De testamentis*, part. II, rubr. n. 2 et seq.; Carp., part. III, constit. 3, defin. 42; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 759, cum Mantica, et aliis. Et ratio clara est, quia, ut prius testamentum revocetur per posterius, sufficit quod posterius sit factum secundum dispositionem juris, arg. cit. leg. *Posteriore quoque* 2, institut. *Quibus modis testamenta infirmentur*, cit. leg. *Tunc autem* 2, ff. *De injusto, rupto*, etc., et *cit.* authent. *Hoc inter*, cod. *De testamentis*, atqui testamentum privilegiatum quamvis careat solemnitatibus ordinariis ad aliud non privilegiatum requisitis, est factum secundum veram dispositionem specialis juris per expressos textus in l. *Inter omnes* 26, cod. *Familiæ erciscundæ*; l. *Hac consultissima* 21, § *Ex imperfecto*, cod. *De testamentis* pro testamentis inter liberos; leg. *Si milites* 15, cod. *De testamentis militis* pro testamentis militum, l. *Et ab antiquis* 31, cod. *De testamentis* pro testamentis rusticorum, l. *Omnium* 19, cod. *De testamentis*, pro testamentis principi oblatis, et ad acta factis seu datis, cap. *Relatum* 11, De testamentis, pro testamentis ad pias causas, et sic de aliis similibus, ergo, etc. Tum quia testamentum privilegiatum habet eamdem vim ac solemne. Argum. leg. *Militibus* 1, et leg. *Divus Trajanus*, ff. *De testamentis militis*, imo majorem, arg. l. *Omnium* 19, cod. *De testamentis*, ibi : « Omnium testamentorum solemnitatem superare videtur. »

(32. Item testamentum prius ad acta, seu coram principe factum, revocari potest per aliud posterius sine actis seu in absentia actorum, ordinaria vel privilegiata solemnitate factum. *Communis*, per textum in cit. l. *Omnium* 19, verb. *Nec sane*, cod. *De*

Digitized by Google

testamentis, et faciunt rationes, et jura *numero antecedenti* adducta.

(33. Testamentum autem parentum inter liberos non aliter revocari potest, quam per aliud testamentum coram septem testibus legitime factum, quamvis prius coram duobus solum esset factum. *Communis* textu expresso in authent. *Hoc inter*, cod. *De testamentis*, et in novella 107, cap. 2.

(34. Testamentum nedum, ut ex hucusque dictis, potest revocari, seu mutari, sed etiam potest irritari, rumpi et destitui. *Communis*, tot. tit., instit. *Quibus modis testamenta infirmentur*, § 3, n. 4, institut. *De capitis deminut.*, et l. 1, ff. eod., l. *In quantitate* 75, ff. *De falcidia*, l. *Posthumi* 8, § 4, ff. *De injusto, rupto, irrito facto testamento*, § 2, institut. *De adopt.*, novella 89, cap. 12, cum similibus.

(35. Testamentum irritari dicitur, quando non ex parte ipsius testamenti, sed ex parte testatoris accidens, defectus vel vitium aliquod emergit, vi cujus testamentum prius validum infirmatur et redditur nullum, § *Alio autem modo* 4, § *Hoc autem casu* 3, et § *Non tamen* 6, instit. *Quibus modis testamenta infirmentur*. Præcipue tamen irritatur testamentum, quando testator patitur capitis deminutionem, seu status mutationem : capitis enim deminutio est status mutatio, princip. institut. *De capitis deminutione*, ibi : « Est autem capitis deminutio prioris status mutatio,» leg. 1, ff. *De capite minutis*, ibi : « Capitis minutio est status permutatio. » Et hæc capitis deminutio est triplex, scilicet maxima, quæ fit cum quis libertatem amittit, et servus efficitur, § *Maxima* 1, institut. *De capitis deminutione;* minor seu media, quæ fit cum quis civitatem amittit, sed adhuc libertatem retinet, § *Minor seu media* 2, institut. eod. Minima, quæ fit, cum quis prius sui juris, alterius juri subjicitur, sed adhuc retinet civitatem et libertatem, ut fit si testator alteri ad regendum se tradit; § *Minima* 3, instit. eod., et totum id habetur expresse in l. *Capitis deminutionis* 11, ff. *De capite minutis*, ibi : « Capitis deminutionis tria genera sunt, maxima, media, minima. Tria enim sunt, quæ habemus, libertatem, civitatem, familiam. Igitur cum omnia hæc amittimus, hoc est libertatem, civitatem et familiam, maximam esse capitis deminutionem. Cum vero amittimus civitatem, et libertatem retinemus, mediam esse capitis deminutionem. Cum et libertas et civitas retinetur, familia tantum mutatur, minimam esse capitis deminutionem constat. » Qualibet autem ex dictis tribus capitis deminutionibus irritatur testamentum. § *Alio autem modo* 4, institut. *Quibus modis testamenta infirmentur*, l. *Si quis* 6, § 5 et 6, ff. *De injusto, rupto, irrito facto testamento*, l. *Conficiuntur* 8, § 3, ff. *De jure codicillos*, cum similibus.

(36. Testamentum rumpi dicitur, cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti jus vitiatur textu expresso in § *Rumpitur* 1, institut. *Quibus modis testamenta*

infirmentur. Tripliciter autem de jure rumpitur testamentum : primo scilicet, si post conditum testamentum nascatur suus hæres legitimus, proles nempe legitima; leg. *Posthumi* 3, § 4, ff. *De injusto, rupto*, etc., dummodo tamen vivus et verus homo in monstrum vel prodigium non declinans veniat in lucem, nam si vel mortuus editus sit, vel vivus quidem, sed declinans in monstrum vel prodigium, per ipsum non rumpitur testamentum, sicuti per ipsum rumpitur, si vivus perfecte natus sit, licet statim moriatur, textu expresso in leg. *Quod certum* 3, cod. *De posthumis hæredibus instituendis*. Secundo, rumpitur si post testamentum conditum aliquis testatori suus hæres efficiatur, ut si filius naturalis post testamentum legitimetur; novella 80, c. 12, vel si quis in filium a testatore adoptetur vel adrogetur, institut. *Quibus modis testamenta infirmentur*. Tertio, rumpitur per revocationem et mutationem, quæ pluribus potest fieri modis juxta dicta et jura allegata *supra* a num. 1 ad 33.

(37. Testamentum destitui dicitur, quando nullus ex eo hæres exsistit, arg. leg. *In quantitate* 73, ff. ad leg. *Falcidiam*, ibi in principio : « Ne destituto testamento nihil consequatur, et § *Posteriore quoque* 2, institut. *Quibus modis testamenta infirmentur*. Et id tripliciter contingere potest. Primo, si institutus hæres noluerit esse hæres. Secundo, si institutus hæres, aut vivo testatore, aut post mortem ejus, antequam hæreditatem adiret, decesserit. Tertio, si conditio sub qua hæres institutus est, defecta sit. In his enim casibus paterfamilias intestatus moritur. Sic expresse habetur in cit. § *Posteriore quoque*, ubi ratio subjungitur : « Nam et prius testamentum non valet ruptum a posteriore, et posterius æque nullas habet vires, cum ex eo nemo hæres exstiterit.

(38. Revocari possunt non solum testamenta, sed etiam aliæ ultimæ voluntates, videlicet legata, codicilli et donationes mortis causa. *Communis*, per text. in leg. *Si quis* 22, ff. *De legatis* 3, in leg. *Quod si* 4, in l. *Translatio* 6, ff. *De adimendis legatis*, cum similibus.

(39. Et quidem legata revocari possunt facto, verbis et signis intra et extra testamentum, tacite et expresse : dummodo concurrant eædem solemnitates, quæ ad eorum confectionem requiruntur, videlicet quinque testes. *Communis*, per claros textus in toto tit. ff. *De adimendis legatis*, l. *Nutu* 21, ff. *De legatis* 6, et § unic. institut. *De ademptione legatorum*, et quod requirantur et sufficiant quinque testes, habetur in l. *Si quis* 8, § 4, cod. *De codicillis;* omnis enim res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur textu expresso in cap. *Omnis res* 1, De regul. juris in antiquis.

(40. Facto revocantur legata, quando ipsa serio ac consulto delentur, cancellantur aut calamo inducuntur. *Communis*, per expressos textus in l. *Quæ in testamento* 1, et l. *Proxime* 3, ff. *De his quæ in testamento de-*

Digitized by Google

lentur. Sic etiam facto revocantur legata, quando totum testamentum per legitimam confectionem alterius, aut per totalem cancellationem vel destructionem, aut revocationem verbalem rumpitur aut revocatur. *Communis*, arg. § *Posteriore quoque* 2, instit. *Quibus modis testamenta infirmentur*, l. *Quæ in testamento* 1, et leg. *Proxime* 3, ff. *De his quæ in testamento delentur*, l. *Postea quam* 1, § 8, ff. *Si tabulas testamenti nullæ exstabunt*, l. *Nostram provisionem* 30, cod. *De testamentis*, cum similibus. Rupto enim seu invalido exsistente testamento, legata profana non debentur. l. *Sæpissime* 1, ff. *De jure codicillorum*, l. *Ex testamento* 29, cod. *De fideicommissis*.

(41. Confessione tamen posterioris legati vel codicilli legatum, aut codicillus antecedens non revocatur, nisi in quantum eidem contrarius exsistit. *Communis*, textu expresso in leg. *Cum proponatis* 8, cod. *De codicillis*. Vide *supra* art. 4, n. 16, ubi assignatur circa hoc ratio disparitatis inter codicillum seu legatum, et testamentum.

(42. Legata sola nuda voluntate, signis, nutu vel litteris etiam ad interrogationem alterius manifestata revocari posse, clare habetur in leg. *Si quis* 3, § 11, ff. *De adimendis legatis*. Dummodo tamen legans loqui possit, nisi superveniens morbus ei impediat, textu expresso in l. *Nutu etiam* 21, ff. *De legatis* 3, ibi : « Nutu etiam relinquitur fideicommissum, dummodo is nutu relinquat, qui et loqui potest, nisi superveniens morbus ei impedimento sit. » Propter quæ ultima verba probabilius etiam infirmus morti proximus, et non amplius loqui potens solo nutu ad interrogationem alterius legata facere et revocare potest. Covarruvias, in cap. *Cum tibi* 13, n. 3, De testamentis; Molina, disp. 128, n. 6, et disput. 212, n. 1, et multi alii; Glossa, in leg. *Si quis* 4, verb. *Vocabula*, ff. *De legatis* 3, et l. *Cum proponebatur* 64, ff. *De legatis* 2. Reiffenstuel tamen, *loc. cit.*, n. 766, quamvis dicat hanc sententiam non esse improbabilem, sequitur tamen ut probabilem opinionem contrariam.

(43. Tacite revocantur, vel potius revocata ipso jure censentur legata, si testator vivus rem legatam alteri donaverit, textu expresso in leg. *Rem legatam* 18, ff. *De adimendis legatis*. Etiamsi talis donatio fuerit invalida, textu claro in l. *Legatum* 24, ff. *De adimendis legatis*.

(44. Item tacite ipso jure revocata censentur legata, si testator nulla urgente necessitate, sed ex mera voluntate titulo oneroso illa alienet, vendat seu commutet. Argum. cit. leg. *Rem legatam*; Glossa, in leg. *Lucius* 22, verb. *Reliqui*, ff. *De legatis*; Glossa, in leg. *Qui* 3, verb. *Dedit*, cod. *Delegatis*. Per talem enim mere voluntariam alienationem rei legatæ clare patet quod testator mutaverit circa id suam voluntatem, et voluerit revocare legatum. Unde nec reviviscit legatum per donationem vel alienationem revocatum, quamvis illud postea testator emptione, vel alia ratione iterum recuperet. Leg. *Cum servus* 15, ff. *De adimendis legatis*, leg. *Qui res* 98, § 8, ff. *De solutionibus*. (45. Si vero rem legatam testator ex necessitate urgente alienaverit seu hypothecaverit, non censetur revocatum legatum, nisi hæres sufficienter probet intentionem, et voluntatem testatoris fuisse tali alienatione, seu oppignoratione legatum adimere seu revocare. § *Si rem suam* 12, institut. *De legatis*, leg. *Fideicommissa* 11, § *Si rem* 12, ff. *De legatis* 3; Glossa 1, in cit. § *Si rem suam*; institut. *De legatis*; Glossa, in leg. *Lucius* 22, verbo *Reliqui*, ff. *De legatis* 2.

* De imperfectis alienationibus, quales sunt fiducia et pignus tradit Paulus, *Recept. senten.*, lib. III, tit. 6, § 16. Quoad alias alienationes insuper videndus est textus in l. 18, ff. *De adimend. vel transfer. legat.*

Aliam hæc regula de necessariis alienationibus patitur exceptionem, scilicet si ea res relicta fuerit, in qua magis pretii quantitas, quam corpus spectetur, et pretium in corpus patrimonii testatoris versum sit. Sed ut hæc intelligatur exceptio, legendus omnino Papinianus, ut Ulpianus in l. 23, ff. *De adim. vel transfer. legat.*, in l. 11, § 13, ff. *De legat.* 3. Quod si testator pretium legatario donaverit, tunc procul dubio exstinguitur legatum l. 22, ff. *De legat.* 2.

(46. Colligitur pariter voluntas in testatore adimendæ hæreditatis vel legati ex gravibus inimicitiis inter testatorem et hæredem, et ex conviciis, quibus defunctus hæredem impetiit l. 4, l. 13, l. 22, l. 29, l. 31, § 2, ff. *De adimen. vel transfer. legat.*

(47. Similiter ademptum præsumitur legatum, si illud testator induxerit l. 16, ff. eod. Idem dicendum erit, si codicillis alicui ascribatur pars ejus, quod ei testamentum relictum erat, hinc colligitur superflui adimendi voluntas, ut in specie l. 20, ff. *De instruct. vel instrum. leg.* (48. Simili ratione præsumitur ademptum sortis legatum debitori relictum, si postea codicillis remittantur ei hujus sortis usuræ quoad vivet l. 27, § 5, ff. *De libertat. leg.* (49. Eruitur denique voluntas adimendi legati vel fideicommissi ex eo quod defunctus cessare fecerit causam, propter quam videbatur reliquisse. Hujus conjecturæ habes exempla in l. 25, et in l. 30, § 2, *De adimendis vel transfer. legat.*

(50. Item tacite ipso jure censetur revocatum legatum, si capitales et graves inimicitiæ oriantur inter testatorem et legatarium, non autem si solum leves; textu expresso in leg. *Si quis* 3, § 11, ff. *De adimendis legatis*, leg. *Si inimicitiæ* 9, ff. *De his quæ ut indignis*. Et idem dicendum est si legatarius testatori verbo aut facto gravem irrogget injuriam aut gravem accusationem vel damnum attentet, textu expresso in citat. leg. *Si inimicitiæ* 9, ff. *De his quæ ut indignis*, et leg. *Filio* 31, § 2, ff. *De adimendis legatis*.

(51. Si vero ante mortem in amicitiam redeant, reviviscit iterum legatum, textu expresso in l. *Quid si* 4, De adimendis legatis.

Digitized by Google

(52. Item ipso jure revocatum, vel potius exspiratum censetur legatum, si legatarius ante testatorem, vel ante completam conditionem moriatur, aut si hæreditas non adeatur, § *Si peculium* 20, institut. *De legatis*, § *Posteriore quoque* 2, institut. *Quibus modis testamenta infirmentur*, leg. *Si habitatio* 9, ff. *Quando dies legati cedat*, leg. *In quantitate* 73, ff. *Ad legem Falcidiam*, c. *Raynaldus* 18, De testamentis, cum similibus.

(53. Quoad revocationem codicillorum, ea proportionaliter dicenda sunt, quæ de legatis, cum legata extra testamentum non nisi per codicillos fiant ; de revocatione autem donationis mortis causa. *Vide* verb. DONATIO, art. 3, a n. 28 ad 31.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(54. Potissimum prius testamentum rumpitur per posterius perfectum. (55. De eo vero sæpissime disputari in foro solet, an posterius testamentum rumpat prius testamentum, si priori testamento adjecta sit clausula derogatoria, illa tamen haud revocata fuit in posteriori testamento. Affirmare videntur Carpzov. *Jurisprud. forens.*, part. III, constit. 5, defin. 19, n. 5; Ludwell., *De ultim. volunt.*, cap. 1, thes. 4. Adde Bachov., ad instit. *Quot mod. testament. infirmetur*. At negant Bruneman, ad l. 22, fer. per tot., ff. *De legat.* 3; Vult., *Consil. Marpurg.*, vol. II, consil. 21, n. 23; Hilliger., in suo *Donell. enucleat.*, lib. VIII, c. 4, litt. *E*; Sana. *Decis. Frisic.*, lib. IV, tit. 1, decis. 10.

(56. Alii varie distinguere hic solent, ut videre est apud Mantic., *De conjectur. ultim. volunt.*, lib. II, tit. 3. Confer etiam Coccei, *Dissert. de claus. testament.*, cap. 2. Recte Strick., in *Usu moder. Pandect.*, lib. XXVIII, tit. 3, § 9 : « Scilicet, ait, hic non tamen quæstio juris quam facti vertitur, quid testator re vera voluerit, et inde ex circumstantiis judicandum, an ea posterior voluntas suspicione quadam laboret, necne ; de jure sane non præcise requiritur, ut expresse revocatio prioris fiat, nec hoc probari potest ex l. 22, ff. *De legat.* 3, ubi agitur de casu si quis in testamento sibi legem præscripsit, et in eodem in fine ab ea recedere velit, quod non aliter factum esse dici possit, quam si expresserit se prioris voluntatis pœnitere. At hic quæstio est de testamento posteriori diverso tempore condito, ubi ex ipsa nova ordinatione mutatio voluntatis inducitur. » Consentit etiam Philipp., in *Usu practic. instit.*, lib. II, eclog. 66 ; Rot., *in Barchinonen. Hæreditatis* 26 Januarii 1733, fer. per tot., *cor. eminen. Crescentio inter impressas decis.* 203, *quæ in materia hac magistralis est.*

TESTIMONIALES ET COMMENDATITIÆ LITTERÆ, UBI ETIAM DE TRANSITU DE UNA AD ALIAM DIOECESIM.

SUMMARIUM.

1. Litteræ testimoniales et commendatitiæ quæ? ad num. 6. — 7. An episcopus litteras commendatitias sacerdotibus et clericis proficisci volentibus e diœcesi nullum residentiale beneficium, etc., possidentibus denegare possit? ad num. 15. — 16. Quid requiritur pro transitu ab una in aliam diœcesim, seu ut quis efficiatur subditus in aliena diœcesi ?

NOVUS ARTICULUS EDITORUM CASINENSIUM.

(1. Litteræ *commendatitiæ et testimoniales* nonnihil habent discriminis, siquidem hæ fidem faciunt de susceptis ordinibus, et carentia impedimenti canonici, quod clericos a celebratione divinorum removeat ; non vero de probitate vitæ et morum integritate. Econtra *commendatitiæ litteræ* sunt, quæ clericis peregrinantibus conceduntur, sine quibus in aliena diœcesi non sunt admittendi ad sacra peragenda. Cap. *Extraneo*, dist. 71, cap. *Tua ex*, De cler. pereg., et *Trident.*, sess. XXIII, c. 16, *De reformat.* (99). Quæque non tantum de legitima ordinatione et carentia impedimenti celebrationi obstantis ; sed etiam de moribus et doctrina testimonium locorum ordinariis præbent. Unde litteræ commendatitiæ per se plus sane important, quam simpliciter testimoniales.

(2. Quæritur quinam veniant nomine *peregrini?* Resp. ex mente ejusdem Tridentini intelliguntur ii qui vagi et ignoti sunt : « Nam ii, qui noti sunt, et fere etiam qui ex vicinis diœcesibus adveniunt, ad sacrificium missæ celebrandum passim solent admitti, quin hujusmodi probationes, aut commendatitiæ vel testimoniales litteræ ab ipsis exhibeantur aut exigantur, ut docet praxis quotidiana, et observat Zipæus in analysi. » Ita Schmalzgrueber, ad tit. *De cleric. peregr.*, n. 3.

(3. Hic nota quod « si commendatitias litteras clericus peregrinus non haberet, nec fidem fecerit, nullo jure est suspensus, sed potest, secluso scandalo, celebrare, prout resolvunt Navar... Henriq..., Reginald .. Sayr..., Sanchez, *Opusc. moral.*, l. VII, c. 1, dub. 47, n. 2, ubi n. 3 resolvit talem clericum, si fuerit notus, non indigere commendatitiis sui episcopi, prout nec etiam indigere ait, si litteræ dimissoriæ ad presbyteratum suscipiendum fuerunt paulo ante datæ ; quia episcopus approbans ad presbyteratum, satis videtur approbare mores, etc., secus si magnum intervallum interfuit, quia eæ dimissoriæ non approbant mores præsentes, ut si per decem annos antea fuissent datæ (100). » Hæc habet Barbosa, *De offic. et*

(99) Hæc porro apud *Trident.*, cit. sess. XXIII, c. 16 : « Nullus clericus peregrinus absque commendatitiis sui ordinarii litteris ab ullo episcopo ad divina celebranda et sacramenta administranda admittatur. »

(100) Hæc porro apud Sanchez, *Consil. moral.*, cit. lib. VII, cap. 1, dub. 47, n. 3 et 4 : « Tertio dico, quod si clericus est notus, non indiget litteris commendatitiis sui episcopi..... Item non indiget illis, si litteræ dimissoriæ ad presbyteratum

Digitized by Google

potest. episc., part. II, allegat. 21, n. 3. *Vide* Lucium nostrum v. SACERDOTIUM, SACERDOS, n. 150.

(4. Quæritur II quid dicendum de clerico peregrino, qui ordinationis suæ litteras amisit, aut illas barbaris patriam occupantibus, obtinere non potest? De his certum est, eos ad celebrationem missarum admitti posse, si legitimarum litterarum amissionem earumque tenorem, et sic etiam susceptos ordines rite probaverint per testes idoneos, famam, communem reputationem, et alia indicia his similia. Schmalzgrueber, *loc. et n. cit.*

(5. An vero admittendus sit ad celebranda divina qui neque indiciis probare clericatum potest, paratus tamen est jurare, se hos vel illos ordines a suo episcopo legitime accepisse? Respondetur *negative;* patet ex cap. *Inter* 2, cit. tit. *De cler. peregr.* Ratio est quia juramentum in supplementum probationis deferri non facile debet, nisi quando semiplena probatio, vel præsumptio quædam stat pro aliquo; arg. cap. fin. *De jurejur.*, sic Schmalzgrueber, *ibidem.* Cæterum Devoti, in *Jur. eccles. univ.*, cit. tit. *De cleric. peregr.*, § 3, in nota ad n. 7, tenet cum Giraldi, quod si testes desint, probari possit per juramentum, quod tamen a sacerdote non sponte offeratur, sed ab episcopo exigatur.

(6. Quæres III « An episcopus sine causa possit expellere alienum clericum commorantem in ejus diœcesi, sine litteris sui episcopi, qui non vult exercere ordines, sed tanquam advena ibi commorari, vel possit ei ingressum prohibere in ejus diœcesim?... Dicendum ut sine causa non possit etiam denegare aditum ad ejus diœcesim; et hæc est verior opinio, quæ probatur, primo ex jure gentium.., (quippe) apud omnes nationes habetur inhumanum sine aliqua speciali causa hospites et peregrinos non recipere; econtrario autem humanum et officiosum bene se habere erga peregrinos, nisi male facerent. » Ita in terminis M. Ant. Genuensis, *Prax. archiep. cur. Neapol.*, cap. 48, n. 5. Hanc eamdem sententiam sequitur Barbosa per hæc verba : « Potest dubitari an episcopus sine causa possit expellere alienum clericum commorantem in ejus diœcesi sine litteris sui episcopi, qui non vult exercere ordines, sed tanquam advena ibi commorari, vel posse ei ingressum prohibere in ejus diœcesim? in qua quæstione, *negative*, non data justa causa, respondet Marc. Ant. Genuens. *De offic. et potest. episc.*, allegat. 21, n. 3. »

(7. Quæritur IV, an episcopus sacerdotibus aliisque clericis diœcesis suæ litteras commendatitias negare possit, si istas peregrinaturi vel alio discessuri petant? Satis certum est apud DD. quod istas denegare possit clericis, qui beneficia residentiam exigentia obtinent, si ultra tempus a jure indultum peregre abire velint, et justa causa non subsit, nec idoneum vicarium sibi substituant. Schmalzgrueber, cit. tit. *De cleric. peregr.*, n. 2.

(8. De cæteris vero clericis, « cum communi dicendum, quod episcopi teneantur per se loquendo hujusmodi clericis dare litteras commendatitias, si has ex peregrinationis, aut etiam domicilii vel diœcesis mutandæ causa petant. Excipit Layman illos clericos, qui ob criminis conscientiam vel suspicionem, aut aliam similem causam volunt discedere; nam his, non commendatitias, sed testimoniales duntaxat debet concedere, quibus quidem testetur de susceptis ordinibus et carentia impedimenti canonici, quoad divinorum celebrationem; non vero de probitate vitæ et morum integritate. » Sic dictus Schmalzgrueber, *loc. cit.*

(9. Præstat hic etiam exscribere, quæ Barbosa habet hoc sane pacto : « Commendatitiæ litteræ... nec sunt denegandæ ab episcopo sacerdotibus et clericis, qui non habent beneficia in titulum residentiam requirentia, prout decisum refert Armendar., n. 36, et iterum in sacr. congregat. cardinalium negotiis episcoporum et regularium præpositæ, decretum fuit illos non posse revocare subditos ecclesiasticos alibi degentes, nec eos cogere, sed teneri litteras eis dare extra volentibus morari, si ratione beneficii non astringerentur in sua diœcesi residere; dicit ita in causa propria obtinuisse Campanil... Sic etiam in facti contingentia respondisse asserit Aloys. Ricc., in *Prax. for. eccles.*, p. I, resolut. 524, ubi ampliat ad clericum obtinentem simplex beneficium, qui etiam non poterit cogi residere in diœcesi, ubi illud habet, sed poterit ire quo vellet, et ita dicit in Rota decisum *in una nullius beneficii* 28 Martii 1604, *coram illustrissimo domino Ludovisio*, nunc S. D. N. Gregorio XV, inter ejus impressas decis. 171. » Hæc Barbosa, *De offic. et potest. episcop*, cit. allegat. 21, n. 5 et seqq.

(10. Audiamus insuper Monacellum ita scribentem : « De honestate requiritur licentia (pro discedendo e diœcesi), non autem de necessitate. Nam litteræ hujusmodi commendatitiæ pro discessu a diœcesi, iis qui non habent officium, beneficium aut aliam obligationem personalem, servitium et residentiam exigentia, nunquam sunt denegandæ... Nisi tamen ageretur de ordinatis ob necessitatem Ecclesiæ, nam isti locum inconsulto episcopo deserere non possunt. » Concil. *Trid.*, sess. XXIII, cap. 16, *De reformat. Formul. legal. practic.*, tom. I, l. IV, formul. 6, n. 1, pag. 109.

(11. Atque ita censuit sac. congregatio Concilii die 21 Januarii 1574, cum hac tamen limitatione, nisi talis clericus sit ascriptus alicui ecclesiæ, in qua se exerceat vel

suscipiendum fuerunt paulo ante datæ, quia episcopus approbans ad presbyterium, satis videtur approbare mores, etc., secus si magnum intervallum interfuit, quia eæ dimissoriæ non approbant mores præsentes, ut si per decem annos antea fuissent datæ. Ultimo dico, talis non eget dictis litteris ad hoc, ut secrete possit admitti ad celebrandum..., quia tunc nullum est periculum, nisi ipsimet celebranti. »

Digitized by Google

habeat beneficium requirens personale servitium, aut aliter statuto loci ab immemorabili tempore prohibeatur. Idem censuit et sac. congregatio Episcoporum, *in Senogallien.* 19 Augusti 1579, *in Civitate Ducali* 6 Septembris 1593, *in Ostun.* 20 Januarii 1616, et eadem sac. congregatio Concilii *in Terracinen.* 19 Februarii 1628, et *in Ariminen.* cujus verba sunt ista : « Clericus, qui certo loco non est ascriptus, ab episcopo suo invitus retineri non potest, ne a sua diœcesi recedat, et alibi parochialem accipiat; ascriptus vero retineri potest invitus, die 5 Decembris 1574. » Itaque, si sint ascripti servitio alicujus ecclesiæ, non poterunt discedere absque licentia sui episcopi, juxta concil. *Trident.*, dict. sess. XXIII, cap. 16, ubi decernitur quod tales non debent locum deserere, inconsulto episcopo, id est sine consensu episcopi, prout hæc verba exponuntur in cap. *Admonet*, De renunt., in cap. *Cum et plantare*, § *In ecclesiis*, De privil. Quod si deseruerint, sacrorum exercitium est eis interdicendum ad præscriptum sexti canonis concilii Chalcedonensis, qui refertur in cap. *Neminem de*, et a *Tridentina* synodo innovatur dict. cap. 16. Sic in terminis Pignatelius, *Consult. canon.*, tom. III, consult. 56, n. 3.

(12. Limita etiam, quando necessaria esset persona clerici absentis ad utilitatem alicujus ecclesiæ in diœcesi. Quo casu assignari debet illi congrua sustentatio. Et ita sacra congregatio Episcoporum respondit episcopo Cotronensi die 19 Octobris 1592, et sæpe alibi. Tunc enim non solum potest episcopus ei denegare dimissorias, sed etiam illum cogere ad redeundum per sequestrationem patrimonii, ex eadem sacra congregatione Episcoporum locis allegatis. Pignatell., *ibid.*, n. cit.

(13. Hinc, hujusmodi limitationibus salvis, licet clerici habeant beneficium simplex, possunt tamen ordinarii eos hortari, non cogere ad frequentandam ecclesiam et chorum, nisi aliunde essent obligati, puta ex fundatione vel consuetudine. Quamobrem sacra congregatio Episcoporum dictum episcopi, quod clerici deservirent omnibus missis cathedralis, suspendit *in una Fundanæ* die 18 Septembris 1648. Multoque minus prohibere potest eis sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda, ne exeant e loco sine licentia : eadem S. congregatio 18 Novembris 1603. Idem Pignatell., *l. c.*, n. 6.

(14. Quod etiam rescripsit eadem sacra congregatio episcopo Puteolano his verbis : « Si è trattato nella sacra congregazione delle instanze, che fanno molti sacerdoti di Pozzuolo, per non esser astretti da V. S. a servir nella chiesa cattedrale nella quale dicono di non aver beneficio alcuno, e di potere anco partirsi da Pozzuolo, e dalla diocesi, ove non hanno beneficio curato, nè di residenza : essendosi anche considerate le risposte di V. S. si è risoluto di scriverle, che ella non può sforzare questi sacerdoti a servire contro a lor voglia in detta chiesa, e molto meno a portargli la coda, nè anche conviene di negar loro indistintamente la licenza di uscire dalla diocesi, quando non hanno obbligo alla residenza. È però sarà bene, che ella veda con buono modo di riacquistargli, e dar loro qualche soddisfazione, acciocchè non abbiano occasione di volersi partire, e procurando loro qualche emolumento, affinchè servano in detta cattedrale, come ella desidera. E Iddio la conservi. Di Roma a 2 Ottobre del 1606. »

(15. Et iterum vicario capitulari Puteolano per hæc verba : « Si duole cotesto clero, che non ostante l'ordine di questa sacra congregazione dato in fin dell' anno 1606, sotto a 2 di Ottobre, che cotesto ordinario non abbia da sforzare quei sacerdoti o chierici, che non hanno alcun beneficio a servire alla chiesa cattedrale, nè convenga di negar loro la licenza di andar fuori di diocesi, quando non tengono obbligo di residenza; ora si pretende da voi di far l' uno, e l' altro. Onde questi eminentissimi miei signori mi hanno comandato di scrivervi, che senza innovar cosa alcuna in questo proposito, vi contentiate onninamente dell' esecuzione della lettera sudetta. Eseguite, e state sano. Di Roma a 2 di Ottobre del 1606. » Apud Pignatellum l. c., dict. n. 6.

(16. Quæres denique quid requiratur pro sic dicta *excardinatione* ex propria diœcesi, et *incardinatione* in aliam, sicque primum domicilium deserendo? Resp., quantum ad laicum spectat, « esse (quidem) in sua potestate de uno in alium episcopatum transferre domicilium, etiam non habita prioris episcopi licentia. . . . Et hinc colligitur differentia inter clericum et laicum; nam clericus non potest ad aliam ecclesiam vel diœcesim transire, neque ab alieno est recipiendus sine litteris dimissoriis, seu formatis episcopi proprii : quod si locum, inconsulto episcopo, deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicitur. » Ita Fagnanus ad cap. *Significavit* De parochiis, etc., n. 2 et seqq.

Audiamus etiam Reiffenstuel ita disserentem : « An quis pro libito domicilium, consequenter etiam parochiam, mutare valeat? R. Quamvis laici id liberrime possint, ita ut absque ulla licentia, non tantum ab una parochia, sed etiam ab una diœcesi ad aliam migrare possint... Clerici tamen ab una diœcesi ad aliam absque licentia, et dimissoriis proprii ordinarii transire, vel ab alieno recipi non possunt... Quod si, inconsulto episcopo proprio, diœcesim deserant, eisdem sacrorum exercitium interdici debet, juxta concil. *Trident.*, sess. XXIII, *De reformat.*, cap. 16. » Ad titul. cit. *De parochiis*, etc., num. 21. Et sic communiter DD.

Digitized by Google

TESTIS.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt illos, qui possunt vel non esse testes, tum generaliter quoad omnia, tum specialiter quoad certas personas et causas.

SUMMARIUM.

1. Testes unde sint dicti. — 2. Testes generatim loquendo qui sint. — 3. In testibus sex præcipue sunt attendenda, nempe conditio, sexus, vita, ætas, dignitas atque fortuna, et ad id dantur versus Glossæ. —4. Testes ad hoc, ut ad testificandum possint admitti, debent esse idonei seu habiles, legitimi et integri. — 5. Testes sunt, et habentur idonei ac legitimi quicunque a testimonio dicendo per canones vel leges non repelluntur. — 6. Et econtra testes inidonei ac inhabiles ad testificandum sunt omnes illi qui jure prohibentur, sive arcentur a testimonio ferendo. — 7. Ex istis aliqui in totum, sive omnino et generaliter prohibentur esse testes, et alii limitate tantum, scilicet vel pro certis personis, vel contra certas personas, vel in certis causis tantum. — 8. Generaliter et absolute inhabiles ad testificandum, tam in causis civilibus quam criminalibus sunt infantes et impuberes.—9. Item inhabiles ad ferendum testimonium sunt dementes et furiosi. — 10. Item inhabiles ad id sunt surdi et muti simul a nativitate. — 11. Excipiuntur tamen, qui ex accidenti surdi, et muti scribere, aut certis et indubitatis signis, seu nutibus cogitationes suas explicare possunt. — 12. Item inhabiles regulariter sunt cæci. — 13. Item inhabiles sunt servi seu mancipia. — 14. Possunt tamen servi seu mancipia esse testes, quando non habetur alia probatio ad eruendam veritatem. — 15. Insuper possunt servi, seu mancipia esse testes etiam in exceptis criminibus. — 16. Item inhabiles sunt ad testificandum, qui pretio ad id sunt conducti. — 17. Item inhabiles ad testificandum, tam in causis civilibus quam criminalibus sunt infames infamia juris. — 18. Item inhabiles sunt ad testificandum in causis criminalibus criminaliter motis etiam infames infamia facti. — 19. In causis autem criminalibus civiliter agitatis, et in causis civilibus non gravioribus regulariter admittuntur ad testificandum tales infames infamia facti. — 20. Etiam infames infamia juris admittuntur ad testificandum in criminibus exceptis.—21. Item quando veritas aliter haberi non potest, quam per tales infames. — 22. Item quando tales infames rogati fuerunt ab utraque parte, ut essent testes. — 23. Item valet testimonium infamis, quando tempore dati dicti testimonii communi opinione reputabantur bonæ famæ, sicut valet testimonium servi communi opinione habiti ut liberi. — 24. Item inhabiles ad testificandum sunt criminosi, etiam non infames. — 25. In causis civilibus admittuntur ad testimonium tales criminosi, si jam sint emendati; secus vero, si nondum sint emendati. — 26. Et hoc procedit de jure canonico, quamvis tales criminosi de crimine nondum fuerint condemnati; dummodo crimen ipsis objectum legitime probetur. — 27. De jure civili tamen requiritur, ut de crimine illo fuerint antea judicialiter condemnati. — 28. Criminosi jam emendati admittuntur pro testibus etiam in causis criminaliter motis in variis casibus, qui assignantur. — 29. Perjuri non possunt esse testes neque in causis civilibus, neque criminalibus.—30. Et hoc procedit, etiamsi jam fuerint emendati. — 31. Valet tamen testimonium perjuri in crimine hæresis. — 32. Excommunicati vitandi nequeunt ad testimonium ferendum in judicio admitti.—33. Imo excommunicati neque possunt admitti ad testificandum contra alios excommunicatos. — 34. Possunt tamen tales excommunicati admitti ad testificandum in crimine hæresis. — 35. Et generaliter tales excommunicati possunt esse testes in omni casu, in quo testes infames ad testificandum admittuntur. — 36. Item tales excommunicati possunt esse testes instrumentarii, præsertim in casu, in quo non possunt haberi alii testes idonei non excommunicati. — 37. Pauperes et viles personæ nequeunt esse testes in causis criminalibus. — 38. Item in causis civilibus arduis, et magni momenti.— 39. In causis autem civilibus non adeo arduis et magnis, pauperes et viles personæ, nisi aliunde suspectæ sint, non repelluntur a ferendo testimonio in judicio. — 40. Imo et in cæteris quoque casibus admittuntur pauperes ad testimonium, si cæteroquin sint personæ honestæ, et nequiquam suspectæ propter suam paupertatem. — 41. Feminæ regulariter possunt esse testes in causis civilibus de jure canonico quam civili. — 42. Et hoc procedit etiam in causa matrimoniali. — 43. Nequeunt tamen feminæ esse testes in causis feudalibus. — 44. Nisi sint feminæ illustres, et habentes feudum sub se. — 45. Neque feminæ possunt esse testes in causis civilibus arduis, et magni momenti. — 46. Item neque in testamentis.— 47. Possunt tamen esse testes in codicillis. — 48. Insuper possunt esse testes etiam in testamentis ad pias causas. — 49. Feminæ de jure canonico nequeunt esse testes in causis criminalibus criminaliter motis.— 50. Possunt tamen etiam de jure canonico esse testes in causis criminalibus solum civiliter motis. — 51. Item de jure canonico possunt feminæ esse testes, si agatur de crimine per modum denuntiationis, exceptionis vel inquisitionis. — 52. Item etiam in crimine hæresis, et aliis exceptis. — 53. Item etiam in causis criminalibus, quando non possunt haberi aliæ probationes, vel quando agitur ad defensionem alicujus. Et generaliter in omnibus illis casibus, in quibus de jure canonico possunt esse testes etiam personæ infames. — 54. De jure civili possunt feminæ, dummodo non sint criminosæ, aut infames, esse testes etiam in causis criminalibus criminaliter motis. — 55. Si autem sint criminosæ aut infames, neque de jure civili possunt esse testes in causis criminalibus criminaliter motis. — 56. Item neque de jure civili possunt feminæ esse testes in causis criminalibus valde gravibus, et arduis. — 57. Pupilli, seu impuberes regulariter in nulla causa sive civili, sive criminali possunt esse testes. — 58. Unde impuberes neque possunt esse testes in testamentis. — 59. Possunt tamen impuberes esse testes pro matrimonio contrahendo in locis receptis concilii Tridentini.—60. Item impubes factus pubes testificari potest de iis, quæ vidit in impubertate sua. — 61. Item impuberes pubertati proximi possunt esse testes in revelanda occisione sui domini, et similibus. — 62. Item tales impuberes possunt esse testes in crimine læsæ majestatis. — 63. Item in crimine hæresis. — 64. Item quando veritas aliter haberi non potest, quam per tales impuberes. — 65. Puberes minores viginti annis regulariter non possunt esse testes in causis criminalibus. — 66. Possunt tamen tales puberes esse testes in criminibus exceptis, et quando veritas aliter haberi non potest. — 67. Puberes majores viginti annis, quamvis adhuc sint minores viginti quinque annis, possunt esse testes in causis criminalibus. — 68. Puberes minores viginti annis possunt ordinarie esse testes in causis civilibus. — 69. Nequeunt tamen esse testes in causis civilibus arduis et magni momenti. — 70. Parentes regulariter prohibentur ferre testimonium pro filiis, et econtra filii pro parentibus. — 71. Et hoc extenditur etiam ad omnes ascendentes et descendentes tam in linea paterna, quam materna usque in infinitum. — 72. Valet tamen testimonium patris et matris pro probanda filii ætate. — 75. Talis autem testificatio parentum

Digitized by Google

de ætate filiorum non facit semiplenam probationem, sicut alterius testis extranei, si redundet in commodum filii cum alterius præjudicio. — 74. Item quando causa agitatur inter duos filios. — 75. Item possunt parentes aliique consanguinei testes esse in causa matrimoniali filiorum, ubi agitur super consanguinitate vel affinitate aliorum. — 76. Item parentes, aliique consanguinei, aut affines utriusque sexus possunt esse testes, ubi agitur de matrimonio inter æquales contrahendo. — 77. Secus autem si magna adsit disparitas inter contrahentes. — 78. Maritus pro uxore, et econtra uxor pro marito regulariter testis esse non potest. — 79. Et hoc extenditur etiam ad sponsam de futuro, et ad concubinam, atque amasiam. — 80. Consanguinei, et affines illius, qui ipsos produxit ut testes pro se adversus extraneos, non sunt testes idonei. — 81. Domestici ipsius producentis non sunt testes idonei. — 82. Supradictæ conclusiones de marito, et uxore, de consanguineis, et affinibus, et de domesticis limitantur, quando pars adversa sponte eos ad ferendum contra se testimonium, expresse, vel tacite admittit. — 83. Item consanguinei, affines et domestici possunt esse testes in casibus, ubi veritas aliter quam per ipsos haberi non potest. — 84. Item domestici possunt esse testes quando sunt domestici utriusque partis. — 85. Item domestici possunt esse testes instrumentarii et testamentarii. — 86. Inimici non possunt esse testes contra eos, cum quibus gerunt inimicitiam. — 87. Imo inimici contra suos inimicos nequeunt esse testes, neque in criminibus exceptis. — 88. Parentes contra suos filios, et vicissim filii contra suos parentes in judicio testificari non possunt. — 89. Possunt tamen in criminibus exceptis. — 90. Liberti contra patronos non possunt esse testes, nec volentes, nec inviti. — 91. Exceptis tamen criminibus hæresis, læsæ majestatis, et aliis similibus atrocissimis. — 92. Judæi nequeunt in judicio esse testes contra Christianos. — 93. Idem dicendum est de paganis, hæreticis et quibuscunque aliis infidelibus. — 94. Prædictæ duæ conclusiones limitantur in criminibus exceptis ac in casibus, in quibus veritas aliter, quam per ipsos haberi non potest. — 95. Possunt insuper Judæi, aliique infideles in instrumentis, contractibus et testamentis esse testes, saltem si alii commode haberi non possint. — 96. Laici ordinarie non possunt esse testes contra clericos, et religiosos in causa criminali criminaliter mota. — 97. Adducitur et solvitur instantia. — 98. Possunt tamen laici esse testes contra clericos et religiosos in criminibus exceptis. — 99. Item in causa criminali civiliter mota, et in causis civilibus. — 100. Insuper possunt laici esse testes contra clericos et religiosos in defectu testium ecclesiasticorum. — 101. Clerici et religiosi non possunt esse testes contra laicos in causa criminali criminaliter mota. — 102. Et ubi agitur de imponenda laico criminoso pœna sanguinis, non possunt clerici esse testes, nequidem in criminibus exceptis. — 103. Possunt tamen clerici esse testes contra laicos in causis criminalibus civiliter motis, et in causis civilibus. — 104. Insuper clerici possunt esse testes contra laicos, ubi veritas aliter haberi non potest, non solum in civilibus, et criminalibus civiliter motis, sed etiam in criminalibus criminaliter agitatis, dummodo non agatur de imponenda pœna sanguinis. — 105. In dictis tamen, et similibus casibus clerici et religiosi ad testificandum cogi non possunt per judicium laicum. — 106. Unde si in defectu testium laicorum oportuerit clericum ferre testimonium, episcopus ejus, ad requisitionem judicis sæcularis, debet per se aut per alium examinare clericum, et ejus judicialem depositionem sub sigillo suo transmittere ad judicem laicum. — 107. Imo plures volunt quod in simili casu examen clericis contra laicum de licentia et assensu episcopi, si ita expedire judicaverit, possit etiam fieri per judicem sæcularem. — 108. Afferuntur ad rem variæ decreta sacræ congregationis Immunitatis. — 109. An clerici et religiosi possint sine licentia suorum respective superiorum valide et licite esse testes in testamentis, instrumentis et contractibus laicorum? *remissive*. — 110. Nemo potest esse idoneus testis in propria causa. — 111. Advocati et procuratores nequeunt esse testes in causa, cui patrocinium præstiterunt. — 112. Neque judices possunt esse testes in causis, quas judicarunt. — 113. Dicta de judicibus, advocatis et procuratoribus dicenda sunt etiam de tutoribus vel curatoribus in causis suorum pupillorum, vel minorum. Item de administratoribus syndicis et actoribus. — 114. Causa propria quæ dicatur. — 115. Proxeneta, seu mediator inter contrahentes regulariter testis esse non potest in actu, seu negotio, in quo operam suam impendit, præsertim si salarium, aut emolumentum aliquod receperit. — 116. Potest tamen proxeneta, seu mediator testis esse de consensu ambarum partium litigantium. — 117. Item potest esse testis, quando aliter sine ipso veritas haberi non potest. — 118. Item mediator potest esse testis favore matrimonii. — 119. Prælatus aliique clerici possunt esse testes in causa civili suæ ecclesiæ; dummodo non subsit alia rationabilis causa illos impediens a testificando. — 120. Et idem dicendum est a fortiori de regularibus, qui sine dubio testes idonei pro suo monasterio reputantur. — 121. Canonici testes esse possunt eorum, quæ gesta sunt in capitulo. — 122. Clerici tum sæculares, tum regulares ex antiqua rationabili causa, ut excommunicatione, perjurio, infamia, aut alio gravi crimine impediuntur a testificando etiam in causa suæ Ecclesiæ. — 123. Item nequeunt esse testes in causa suæ Ecclesiæ quando in eadem causa constituti sunt actores, procuratores ac responsales. — 124. Item clerici nequeunt esse testes in causa suæ ecclesiæ, quando commodum, seu utilitas inde proveniens est singulorum. — 125. Unde canonicus nequit esse testis idoneus in causa suæ particularis præbendæ. — 126. Sic etiam episcopus, abbas, prælatus seu rector ecclesiæ non collegiatæ nequeunt esse testes in rebus spectantibus ad solam suam mensam, seu præbendam. — 127. Item in causa universalis sæcularis, vel cujuslibet alterius possunt regulariter esse illi, qui sunt de universitate, vel communitate. — 128. Hinc quando agitur de probatione confinium, admittuntur testes de civitate, oppido seu communitate. — 129. Possunt autem testes de universitate repelli in causis illis, ubi commodum inde resultans tangit singulos eorum, et signanter in lite super nemore, vel pascuis, ubi singuli de communitate possunt ligna cædere, vel animalia sua pascere. — 130. Item repelli possunt testes de universitate, quando agitur de prædio, aut vinea, cujus proprietas est quidem universitatis, sed ususfructus et utilitas pertinet ad singulos. — 131. Item repelli possunt dicti testes, quando, lite perdita, in singulos de universitate imponenda est certa collecta. — 132. Alia ad rem ad num. 140.

(1. Testes dicti sunt, quasi superstites, textu expresso in cap. *Forus* 10, De verborum significatione, ibi: « Testes antiquitus superstites dicebantur, eo quod super causæ statu proferebantur, nunc (parte ablata nominis) testes vocantur. » (2. Unde testes generatim loquendo sunt personæ, quæ ad fidem alicujus rei faciendam adhibentur. Ita in re communis doctorum.

(3. In testibus sex præcipue sunt attendenda, nempe conditio, sexus, vita, ætas, dignitas, atque fortuna, sic Glossa communiter recepta, in cap. *In nomine Domini* 2, De testibus, verb. *Utilissimi*, ubi ad id dat sequentes versus:

Digitized by Google

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requires.

(4. Testes igitur ad hoc, ut ad testificandum possint admitti, debent esse idonei seu habiles, legitimi et integri, seu integræ opinionis, ac famæ. (5. *Communis.* Tales autem sunt et habentur idonei et legitimi, quicunque a testimonio dicendo per canones, vel leges non repelluntur. *Communis*, per textum in l. *Testimonium* 1, De testibus, ubi omnes illi pro testibus idoneis, habilibus, legitimis aut integris agnoscuntur, *quibus non interdicitur testimonium :* unde qui nulla legitima exceptione a testimonio repelli possunt, idonei testes dicuntur, et omni exceptione majores, capit. *Ex litteris* 1, De consanguinitate et affinitate, juncta Glossa, *ibidem*, verb. *Majores*, sic expresse dicente : « Illi dicuntur omni exceptione majores, qui repelli non possunt aliqua exceptione. »

(6. Econtra autem testes inidonei seu inhabiles ad testificandum sunt omnes illi, qui jure prohibentur sive arcentur a testimonio ferendo. Ita in re communis. (7. Et ex istis aliqui in totum, sive omnino, et generaliter prohibentur esse testes, et alii limitate tantum, scilicet, vel pro certis personis, vel contra certas personas, vel in certis causis tantum, ut infra singuli distincte assignabuntur.

(8. Et in primis generaliter et absolute inhabiles ad testificandum, tam in causis civilibus quam criminalibus, sunt infantes et impuberes, id est masculi minores annis XIV annis, et feminæ minores XII. L. *Testium fides* 3, § 5, et l. *Inviti* 19, ff. *De testibus*, juncta Glossa communiter recepta *ibidem*, verb. *Sed nec pupillis.* Et hoc propter defectum et infirmitatem judicii, ut expresse dicitur in cap. *Infamis* 1, caus. 3, q. 7 : « Et impubes, quia judicio caret. » Vide tamen *infra* a n. 59.

* Primis quidem reipublicæ temporibus feminas fuisse a ferendo testimonio prohibitas, in dubium nequit revocari, ut monet Aul. Gell., *Noct. attic.*, lib. VI, cap. 7, qui refert, cuidam Taratiæ Vestali insigne privilegium lege Horatia indultum fuisse, ut testabilis esset. Verum posterioribus temporibus contrarium usu obtinuit, ut testatur Tacit., *Annal.* lib. II, qui affirmat, tunc feminas in judiciis audiri consuevisse. Profecto si quoti sunt, evolvantur textus civiles ab auctore nostro allegati, manifestum erit, jure Romano concessam feminis facultatem dicendi testimonii, cum in ipsis nec verbum quidem de feminis faciant. Si a priore textu lectionem suam incepisset, in contrariam procul dubio abiisset sententiam. Legimus siquidem in l. 18, ff. *De testibus :* « Ex eo quod prohibet lex Julia de adulteriis testimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur etiam mulieres testimonii in judicio dicendi jus habere. » Neque sola hæc lex est, sed clarissimis pariter verbis confirmatur in alia lege 20, § 6, ff. *Qui testamentum facere potest :* « Mulier testimonium dicere in testamento quidem non poterit, alias autem posse testem esse mulierem, argumento est lex Julia de adulteriis, quæ adulterii damnatam mulierem testem produci, vel dicere testimonium vetat ; » nec est, quod sciam, ulla lex præcedentium derogatoria in toto corpore juris. *

(9. Item inhabiles ad ferendum testimonium sunt amentes et furiosi ; isti enim, sicut non possunt esse judices, per text. in cit. cap. *Infamis*, ita etiam nequeunt esse testes, quia mente carent, § *Testes autem* 6, institut. *De testamentis ordinandis*, § *Præterea* 1, institut. *Quibus non est permissum facere testamentum*, ibi : « Item furiosi quia mente carent. » Et concordant l. *In negotiis* 5, et l. *Furiosi* 40, ff. *De regul. juris*, et cit. cap. *Infamis* 1, caus. 3, q. 7, cum similibus.

(10. Item inhabiles ad id sunt surdi et muti simul a nativitate : isti enim animi sui sensus exprimere nequeunt, et ideo etiam testamenta facere non possunt. § *Item surdus* 3, institut. *Quibus non est permissum facere testamentum*, l. *Qui in potestate* 6, ff. *Qui testamenta facere possunt*, et l. *Discretis* 10, cod. eod. Tum quia testes viva voce deponere, eorumque dicta a judice audiri debent. L. *Is cum ab initio* 4, et l. *Vel negare* 5, ff. *Testamenta quemadmodum aperiantur*, leg. *Testim.* 2, § 1 *De testibus.* (11. Excipiuntur tamen qui ex accidenti surdi et muti, scribere, aut certis et indubitatis signis, seu nutibus cogitationes suas explicare possunt. L. *Sermo* 65, § *Si pupillo*, ff. *Ad senatusconsult. Trebellian.*

(12. Item inhabiles regulariter sunt cæci, quia solus auditus in testibus non sufficit, sed præsentia et visus requiritur. Can. *Testes* 15, caus. 3, quæst. 9, cap. *Cum caus.* 32, De testibus, ibi : « Visu, auditu, » etc. Leg. *Testium* 18, De testibus. Qui autem non vident, præsentes non dicuntur, leg. *Coram Titio* 209, ff. *De verbor. significat.*, leg. 1 in fine, et ibi Bartolus, ff. *De auctorit. et consens. tutor.*, adeoque qui non vident, testes esse non possunt.

(13. Item inhabiles sunt servi, seu mancipia, leg. *Quoniam liberi* 1, cod. *De testib.*, Authentic. *De testibus*, § *Si vero*, titul. 2, collat. 7, et cap. *Forus* 10, De verb. significat., ubi etiam ratio redditur, quia nempe servus sæpe metu dominantis testimonium supprimit veritatis. (14. Possunt tamen servi, seu mancipia esse testes, quando non habetur alia probatio ad eruendam veritatem, l. *Serv.* ff. *De testibus*, ibi : « Servi responso credendum est, cum alia probatio ad eruendam veritatem non est. » Et concordat lex *Cum probatio*, ff. *De probationibus* (sed vide ulterius, leg. 8, alias 7, cod. *De testibus*, l. 7, ff. *De probat.*, l. 58, § 2, ff. *De edilit. edict.*), et cap. *Si testes*, § *Servi* 4, q. 3. (15. Insuper possunt servi, seu mancipia esse testes etiam in exceptis criminibus, quia in ipsis admittuntur, testes etiam inhabiles, cap. *In fidei* 5, c. *Accusatus* 8, § *Licet*, De hæreticis in 6. Vide etiam *infra* n. 23.

(16. Item inhabiles sunt ad testificandum, qui pretio ad id sunt conducti, cum eo ipso

Digitized by Google

corrupti censeantur, ac proinde eorum testimonium non valet, sed a parte adversa, imo et officio judicis rejici potest, cap. *Placuit* 1, De testibus, ibi : « Placuit sancto conventui, ut testes non conducantur pretio; » cap. *Sicut nobis* 9, eodem cap. *Licet* 9, De probationib., ibi : « Objecit in testes prædictos, quod corrupti falsa dixissent. » Can. *Non sane* 15, caus. 14, q. 2, l. *Testim.* 3, § 5, ff. *De testibus*, cum similibus.

(17. Item inhabiles ad testificandum tam in causis criminalibus, quam civilibus sunt infames infamia juris. *Communis*, per text. in cap. *Testes* 2, q. 7, cap. *Nulli* 3, q. 4, cap. *Constituimus* 3, q. 5, cap. *Præterea* 7, De testibus cogendis, l. *Testium* 3, § 5, ff. *De testibus*, ibi : « Alii vero propter notam, et infamiam vitæ suæ admittendi non sunt ad testimonii fidem. »

(18. Item inhabiles sunt ad testificandum in causis criminalibus criminaliter motis etiam infames infamia facti : in istis enim causis requiruntur probationes indubitatæ, et omni exceptione majores ; cap. *Denique* 1, De exceptionibus, cap. *Testes* 2, qu. 7, leg. *Sciant cuncti* 27, cod. *De probationibus*, adeoque ad id non sufficiunt testes infames infamia facti, quorum fama, et existimatio, et consequenter fides apud viros prudentes, et honestos graviter læsa est. *Communis*.

(19. In causis autem criminalibus civiliter agitatis, et in causis civilibus non gravioribus regulariter admittuntur ad testificandum tales infames infamia facti, quamvis eisdem de fide non parum diminuatur. Glossa in cap. *Testimonium* 54, vers. *Emendatus*, De testibus ; Abbas, *ibidem*, n. 6. Mascard., *De probationib.*, conclus. 1363, n. 59 et 65. Farinac., *De testibus*, q. 66, n. 100 et 115, ac sequent., allegans alios, Engel, lib. II *Decret.*, t. XL, n. 16; Reiffen., *ib.*, n. 49, et alii.

(20. Etiam infames infamia juris admittuntur ad testificandum in variis casibus, et signanter in criminibus exceptis, ut hæresis, læsæ majestatis, et hujusmodi, quia in ipsis propter eorum enormitatem, ac maximam, quam reipublicæ afferunt, perniciem, admittuntur etiam testes inhabiles, cap. *In fidei* 5, et cap. *Accusatus* 8, § *Licet*, De hæreticis, in 6.

(21. Item quando veritas aliter haberi non potest, quam per tales infames, argument. l. *Servi* 7, ff. *De testibus*. Abbas, in cap. *Testimonium* 54, in 6, *De testibus*, Felinus *ibidem*, n. 11. Mascard., *loco cit.*, n. 52. Farinac., *loco cit.*, q. 56, n. 50 et 55, cum aliis ibi allegatis.

(22. Item quando infames rogati fuerunt ab utraque parte, ut essent testes : tunc enim præsumitur ejus fides mutuo partium consensu approbata. Sic Glossa, in authent. *De testibus*, § *Et licet*, collat. 7. Jason, in leg. *Cunctos populos*, n. 67, cod. *De summa Trinitat.*; Caldus, in cap. 2, n. 3, *De testibus*; Farinac., *loco cit.*, q. 56, n. 92; Mascard., *loco cit.*, conclus. 1363, n. 53, et alii.

(23. Item valet testimonium infamis, quando tempore dati dicti testimonii communi opinione reputabatur bonæ famæ, sicut valet testimonium servi communi opinione habiti ut liberi. *Comm.* per text. in l. *Testes* 1, c. *De testam.*

(24. Item inhabiles ad testificandum sunt criminosi, etiam non infames, id est qui commiserunt crimen grave, seu peccatum mortale non habens annexam infamiam juris : isti enim criminosi, sive jam fuerint emendati, repelluntur omnino a testimonio ferendo in causis criminalibus criminaliter motis ; cap. *Testimonium* 54, De testibus, et Glossa, *ibid.*, verb. *Confessus*, et verb. *Opinio*. Hostiens., verb. eodem, Abbas, n. 8 et 12., Felin., n. 24 et 31. Barbosa, n. 1. Farinac., *loco cit.*, qu. 56, n. 135. Pirrhing, *loco cit.*, 22; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 61, et alii plures, et concordat cap. *Super eo*, De testibus. Et ratio est quia in istis causis requiruntur probationes majores, l. *Sciant cuncti* 25, cod. *De probationibus*, cap. *Testes*, qu. 7, cap. *Denique* 1, De exceptionibus, cap. *Super eo* 13, De testibus, adeoque ad id non sufficiunt tales criminosi, cum ratione commissi gravis criminis eorum fides reddatur suspecta.

(25. In causis autem civilibus admittuntur ad testimonium tales criminosi, si jam sint emendati ; secus vero, si nondum sint emendati, cap. *Testimonium* 54, De testibus, et ibi Glossa, verb. *Emendatus* ; Abbas, n. 6 ; Barbosa, n. 1 ; Farinacius, *loc. cit.*, qu. 56, n. 126 et 134 ac sequent.; Maschard., *De probationibus*, conclus. 465. n. 2 et 6. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 58. Pirrhing, *loc. cit.*, n. 20 et 21, et alii. Et ratio est, quia, licet digni sint fide tales criminosi jam emendati, ex quo criminosi post pœnitentiam non censeantur amplius mali, cap. *Ferrum* 18, dist. 50, indigni tamen fide sunt criminosi nondum emendati, cum non sit iis credendum contra alios, qui criminibus implicantur ; can. *Neganda* 1, caus. 3, q. 11.

(26. Et hoc procedit de jure canonico quamvis tales criminosi de crimine nondum fuerint condemnati : dummodo crimen ipsis objectum legitime probetur, textu expresso in cap. *Super eo* 3, De testibus, ibi : « Respondemus, quod si etiam ante non sint confessi de criminibus illis : dummodo inde convincantur, in testimonium non debent admitti. » Et in ejus summario sic expresse dicitur : « Crimen nunc probatum repellit testem alias de illo crimine damnatum. »

(27. De jure civili tamen requiritur, ut de crimine illo fuerint antea judicialiter condemnati, leg. *Testium* 3, § 5, ff. *De testibus*, ubi : « Quique judicio publico damnatus erit, » leg. *Athletas* 4, § 4, ff. *De his qui notantur infamia* ; ibi : « Calumniator ita demum notatur (infamia) si fuerit calumniæ causa damnatus, neque enim sufficit calumniatum. » Ita Glossa, final. in cit. c. *Super eo*, et ibi Abbas, num. 3. Felinus, num. 3 ; Farinac., Pirrhing, *l. c.*, n. 19 ; Reiffen., *l. c.*, n. 60, et alii.

(28. Criminosi jam emendati admittuntur pro testibus in causis etiam criminaliter

Digitized by Google

motis in variis casibus, et signanter in criminibus exceptis, ut de infamibus infamia juris dictum est *supra* num. 20. Item quando veritas aliter haberi non potest, quam per tales criminosos, ut dictum est *supra* num. 21. Item quando tales criminosi rogati fuerunt ab utraque parte, ut essent testes, ut dictum est *supra* num. 22. Item quando pars adversa nihil opposuit contra testes criminosos, quos sciebat esse tales; tunc enim censetur tacite consensisse in tales criminosos, eosque approbasse; adeoque postea, seu post factam eorum examinationem, nihil amplius opponere, potest; argument. leg. *Si quis testibus* 17, cod. *De testibus;* juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Excipere;* Mascard., *De probationibus*, conclus. 465; num. 22. Felin., in cap. *Testimonium* 54, num. 3, De testibus; Pirrhing, *l. c.*, n. 24; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 65, et alii.

(29. Perjuri, id est qui falsum juramento confirmarunt, non possunt esse testes, neque in criminalibus, can. *Quicunque* 18, caus. 6, q. 1, can. *Parvuli* 14, caus. 22, quæst. 5, cap. *Ex parte* 7, juncta Glossa, *ibid.* verb. *De perjurio*, De testibus; et cap. *Testimonium* 54, eod. (30. Et hoc procedit, etiamsi jam fuerint emendati, et de perjurio pœnitentiam egerint, cit. cap. *Testimonium* 54, De testibus, et ibi Glossa, verb. *Perjuri*, et Abbas, *ibidem*, num. 7; Glossa, in cit. cap. *Quicunque*, verb. *Testimonium*, et ratio est, quia qui semel pejeraverunt, præsumuntur iterum pejeraturi, Glossa in cit. cap. *Parvuli*, verb. *Causa;* argument. c. *Non potest* 24, caus. 2, quæstion. 7, ibi: « Non potest erga homines esse fidelis, qui exstiterit infidus. »

(31. Valet tamen testimonium perjuri in crimine hæresis. Ad hujus enim pestiferi criminis probationem in fidei favorem potest perjurus esse testis, deponendo tam contra se, quam contra complices, quod prius celaverat; dummodo ex manifestis indiciis appareat, quod ipse perjurus, non ex animi levitate, aut odio, sed zelo fidei orthodoxæ id faciat, textu expresso in cap. *Accusatus de hæresi* 8, § *Licet*, De hæreticis, in 6, juncto ejus Summario sic dicente: « Testis in causa hæresis falsum deponens, licet perjurus sit, probat dicendo contrarium; dummodo tamen ex indiciis constet, dictum non corruptionem, sed veritatem continere. »

(32. Excommunicati vitandi nequeunt ad testimonium ferendum in judicio admitti, quia ipsi inter infames reputantur, can. *Illi qui* 3, can. *Infames* 17, caus. 6, quæst. 1. Et concordat textus in cap. *Veniens* 38 in fine, De testibus, ubi decernitur quod testes, de quorum excommunicatione dubitatur, quia excommunicati dicuntur, prius ad cautelam absolvantur, quam ad judiciale testimonium admittantur; cap. *Decernimus* 8, De sententia excomm., in 6, et cap. *Excommunicamus* 13, § *Credentes*, De hæreticis, ubi excommunicati non solum non admittuntur ad testificandum, sed etiam judex laicus ab ecclesiastico compellitur per censuras ad eos repellendos. (33. Imo excommunicati, neque possunt admitti ad testificandum contra alios excommunicatos. Sic Mascardus, *De probationib.*, vol II, conclus. 705, n. 4; Farinac., q. 56, n. 257; Pirrhing, *l. c.*, n. 31; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 43 et sequent.

(34. Possunt tamen dicti excommunicati admitti ad testimonium in crimine hæresis, textu expresso in cap. *In fidei favorem* 5, De hæreticis, in 6, ibi: « In fidei favorem concedimus, ut in negotio inquisitionis hæreticæ pravitatis excommunicati, et participes, vel socii criminis ad testimonium admittantur. » (35. Et generaliter possunt tales excommunicati esse testes in omni casu, in quo testes infames ad testificandum admittuntur. Mascard., *loc. cit.*, n. 15; Farinac. *loc. cit.*, n. 281; Pirrhing, *loc. cit.*, 31 in fine, et alii. (36. Item tales excommunicati possunt esse testes instrumentarii, scilicet in contractibus et testamentis, præsertim in casu, quo haberi non possint alii testes idonei non excommunicati. Mascard., *l. cit.*, num. 12 et 13; Pirrhing, *l. c.*, n. 31 in fine, et alii.

(37. Pauperes, et viles personæ nequeunt esse testes in causis criminalibus, arg. l. *Nonnulli* 10, ff. *De accusationibus*, ibi: « Nonnulli prohibentur accusare propter paupertatem, ut sunt, qui minus quam quinquaginta aureos habent. » Et ratio est, quia in criminalibus causis requiruntur probationes indubitatæ, et testes omni suspicione, et macula carentes. L. *Sciant cuncti* 25, cod. *De probationibus*, cap. *Denique* 1, De exceptionibus, cap. *Testes* 2, q. 7. Id autem non reperitur in testibus pauperibus, et vilibus, cum semper eis possit opponi exceptio paupertatis et vilitatis, seu plebertatis, per text. in l. *Testium* III, in princip. ff. *De testibus*, ibi: « Testium fides diligenter examinanda est, ideoque in persona eorum exploranda erit in primis conditio cujusque. Utrum quis decurio, an plebeius sit, et an honestæ et inculpatæ vitæ. . . . an locuples vel egens sit, ut lucri causa quid facile admittat. » Quæ lex est canonizata in cap. *Si testes*, § *Testium fides* 4, q. 2. Et concordat cap. *In primis*, § *Sed et de personis* 2, qu. 1, ibi: « Aut ne inopes sint, » cum similibus. Sic Farinac., *l. c.*, q. 57, n. 15 et 16. Mascard., *De probationibus*, conclus. 1161, n. 11 et seq.; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 97; Pirrhing, *loc. c.*, n. 77, et alii.

(38. Item pauperes et viles personæ non admittuntur tanquam testes idonei in causis civilibus arduis, et magni momenti. Sic Farinacius, cit. q. 57, num. 26 et 27, istud examplificans in causa unius hæreditatis, vel majoris partis bonorum, arg. l. *Propter litem*, § 1, ff. *De excusat. tutor.* Pirrhing, *loc. cit.*, n. 77. Reiffenstuel, *l. cit.*, n. 98. Mascard., *l. c.*, n. 16; Parisius, consil. 188; n. 27, vol. 5, et alii. Et ratio est, quia causæ civiles arduæ, et magni momenti æquiparantur causis criminalibus, arg. leg. *Advocati.*, cod. De *Advocat. divers. judic.*, ubi advo-

Digitized by Google

cati patrimonia hominum defendentes dicuntur « laborantium spem, vitam et posteros defendere: » unde sicut dictæ pauperes et viles personæ nequeunt esse testes in causis criminalibus, neque in civilibus arduis et magni momenti.

(39. In causis autem civilibus, non adeo arduis et magnis, pauperes et viles personæ, nisi aliunde suspectæ sint, non repelluntur a ferendo testimonio in judiciis, prout colligitur ex cap. *Si quis testium* 8, De testibus, juncta Glossa, ib., verb. *Paupertate*, ubi statuitur, quod judex admittere debeat personas idoneas ad recipiendum testimonium eorum, qui *paupertate depressi* personaliter ad ipsum judicem accedere nequeunt, adeoque pauperes et viles non repelluntur a testificando. Et ratio est, quia non tam ex facultatibus, quam ex fide et moribus testis idoneus æstimatur, arg. § *Suspectum* 3, instit. *De suspectis tutoribus et curatoribus;* Glossa, in leg. *Testium* 3 in princip., verb. *Egens*, ff. *De testibus.* Tum quia si aliter teneretur, nimis coarctaretur facultas probandi contra l. *Quoniam*, cod. *De hæred.*, cum multo plures sint pauperes quam divites, prout arguunt Farinac., *l. c.*, q. 57, n. 13; Pirrhing, *l. c.*, n. 76; Reiffenst., *l. c.* n. 99, et alii.

(40. Imo et in cæteris quoque casibus admittuntur pauperes ad testimonium, si cæteroquin sint personæ honestæ, et neutiquam suspectæ propter suam paupertatem, prout clare desumitur ex cit. cap. *Si quis testium* 8, De testibus, et tenet Glossa, *ib.*, verb. *Paupertate*, et DD., *ib.*, teste Reiffenst., *loc. c.*, n. 100, ac tenuit Rota apud Rubeum p. 12, dec. 57, n. 12. Auctoritate Baldi in cit. c. *Si quis testium*, n. 5, intelligens etiam in causa ardua, qualis de facto erat illa, in qua Rotalis decisio emanavit. Et hoc idem procedit, quamvis pauper sit vilis, si tantum sit vilis, quia pauper. Rota, *l. c.*; Menochius, l. 3, *De arbitr. jud.*, caus. 96, n. 5, et cum pluribus aliis ibi allegatis Reiffenstuel, *l. c.*, n. 100, et alii.

(41. Feminæ regulariter possunt esse testes in causis civilibus, tam de jure canonico, quam civili. Sic communis doctorum, teste Pirrhing, *l. c.*, n. 66. Et quidem loquendo de jure civili, habetur in l. *Ex eo* 18, ff. *De testibus*, l. *Qui testamento* 20, § *Mulier*, ff. *Qui testamenta facere possunt.* Et loquendo de jure canonico, habetur in cap. *Mulieres* 2, De judiciis, in 6, et c. *Ex eo* 2, et ibi Glossa verb. *Testimonium*, caus. 15, q. 3.

(42. Et hoc procedit etiam in causa matrimoniali, quamvis inter causas civiles gravissima, et valde ardua censeatur. *Communis* et colligitur aperte ex 1 *Super eo* 22, De testibus, et c. *Videtur* 3, Qui testimonium accusare possunt.

(43. Dicitur autem notanter *regulariter*, quia feminæ in aliquibus causis civilibus nequeunt esse testes, et signanter in causis feudalibus, textu claro, l. II *Feud.*, tit. 32 *Qui testes sunt necessarii;* Mascard, conclus. 754, n. 2. Farinac., q. 59, n. 25; Pirrhing, *l. c.*, n. 67. Reiffenst., *l. c.*, n. 89, et alii.

(44. Excipiuntur tamen feminæ illustres, et habentes feudum sub se, quia tales possunt esse testes etiam in causis feudalibus: Mascard., *l. c.*, n. 3. Farinac., *l. c.*, n. 40. Pirrhing, *loc. cit.*, n. 67; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 89, et alii.

(45. Neque feminæ possunt esse testes in causis civilibus arduis et magni momenti; in istis enim requiruntur testes magis idonei, quibus nihil prorsus vitii objici possit, quales non sunt feminæ; « Nam, » ut expresse dicitur in c. *Forus* 10, De verb. signif. in fine; « Nam varium et mutabile testimonium semper femina producit; » ita Farinac., c. qu. 59, n. 37 et 38; Pirrhing, *l. c.*, n. 66. Reiff., *l. c.*, n. 90, et alii.

(46. Item nequeunt feminæ esse testes in testamentis, textu expresso in § *Testes autem* 6, instit. *De testamentis ordinandis*, et l. *Qui testamenta* 20, ff. *Qui testamenta facere possunt.* (47. Possunt tamen feminæ esse testes in codicillis. Glossa in l. *Si qui* 8, cod. *De codicillis;* Tuschus, lit. *C*, concl. 405, n. 1; Baldus, cons. 283 circa finem, l. 3; Molina, disp. 131, n. 6; Pirrhing, *l. c.*, n. 74, ubi ex aliis dicit, id esse verum, etiamsi omnes testes essent feminæ; Reiffenst., *l. c.*, n. 8 et l. III *Decr.* tit. 26, n. 711, ubi testatur de communi aliorum. *Vide* verb. *Testam.*, art. 1, n. 6. (48. Insuper possunt feminæ esse testes etiam in testamentis ad pias causas. Et id favore piæ causæ et animæ testatoris; Ancharanus, in cap. *Cum esses*, 10, n. 6, De testam.; Fagnan., *ib.*, n. 34 et seq.; card. Petra, t. II *Comment. ad const.* X *Innocen. III*, sect. 3, n. 29; Reiffenst., l. II *Decr.*, titul. 20, n. 88, et alii. *Vide* verb. *Testam.*, art. 2, n. 21.

(49. Feminæ de jure canonico nequeunt esse testes in causis criminalibus criminaliter motis; c. *Mulierem* 17, juncta Glossa, verb. *Ne testis*, caus. 33, qu. 5, c. *Forus* 10, juncta Glossa, verb. *Mulier*, De verb. signif. Et ita Mascard., concl. 762, n. 1; Farin., q. 59, n. 1 et plur. seq.; Pirrhing, *l. c.*, n. 69, ubi testatur de communi. Et ratio est, quia feminæ de sua natura sunt mutabiles et inconstantes, et ideo minus idoneæ reputantur a sacris canonibus, ut sint testes in causis criminalibus criminaliter motis, in quibus agitur de gravissimo præjudicio reorum.

(50. Notanter autem dicitur *in causis criminalibus criminaliter motis*, quia in causis criminalibus solum civiliter motis, v. g. ad compensationem damni illati, vel ad privationem beneficii alicujus inhabilis, seu non canonice electi vel promoti, etiam de jure canonico possunt feminæ esse testes. C. *Tam litteris* 33, De testibus, et ibi Glossa, verb. *Feminas;* Pirrhing, *l. c.*, n. 70; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 91, et alii.

(51. Item de jure canonico possunt feminæ esse testes, si agatur de crimine per modum denuntiationis, exceptionis vel inquisitionis, ut clare constat ex cap. *Quoniam* 3, De testibus, ubi cum quædam crimina Epiphanii presbyteri denuntiata fuis-

Digitized by Google

sent papæ Gregorio, is mandavit Sabino defensori Sardiniæ, ut tam mulieres, cum quibus illa commisisse asserebatur, quam alios de ea re conscios Romam adduci curaret, seu ut ibi notant Hostiensis, et alii canonistæ, eorum examen eo mitteret, ut sic veritas aperiri posset. Sic Glossa, in cit. cap. *Quoniam* in principio; Pirrhing, *l. c.*, n. 70; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 92; Farin., cit. q. 59, n. 9, allegans plurimos alios.

(52. Item de jure canonico possunt feminæ esse testes etiam in crimine hæresis, læsæ majestatis, Simoniæ, et aliis exceptis criminibus. *Communis*, per text. in c. *In fidei favorem* 5, De hæreticis, in 6, cap. *Tanta* 7, et c. *Per tuas* 32, De Simonia, cum similibus.

(53. Item de jure canonico possunt feminæ esse etiam in causis criminalibus testes, quando non possunt haberi aliæ probationes; vel quando agitur ad defensionem alicujus, seu ad probandam ejus innocentiam; et generaliter in omnibus illis causis, in quibus de jure canonico possunt esse testes etiam personæ infames; in ipsis possunt etiam, ac multo magis feminæ esse testes. Glossa in cit. can. *Mulierem* 17, verb. *Nec testis*, caus. 33, qu. 6; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 62. Pirrhing, *l. c.*, n. 77; Farin., *cit.*, q. 59, n. 8 et 10 et seq., et alii passim. Unde, vide dicta *supra* a n. 20.

(54. De jure civili possunt feminæ, dummodo non sint criminosæ, aut infames, esse testes etiam in causis criminalibus criminaliter motis. L. *Ex eo* 18, ff. *De testibus*, et l. *Qui testamento* 20, § *Mulier*, ff. *Qui testamenta facere possunt*. Ita Abbas, in cit. c. *Quoniam* 3, n. 2, De testibus; Clarus, in *Practic.*, § fin., q. 24, n. 2; Mascard., *l. c.*, concl. 762, n. 11; Farinac., cit. q. 59, n. 17. Pirrhing, *loc. c.*, n. 68, testans de communi.

(55. Dicitur autem notanter, *Dummodo non sint criminosæ, aut infames*, quia istæ, ut quæ corpore palam ac sine delectu quæstum fecerunt, nec de jure civili possunt in causis criminalibus criminaliter motis esse testes; L. *Testium* 3, § 5, et ibi Glossa, verb. *Quæ palam*, ff. *De testibus*.

(56. Item neque de jure civili possunt feminæ esse testes in causis criminalibus valde gravibus et arduis, ut cum agitur de pœna mortis inferendæ, tunc enim etiam tres feminæ contestes reum non convincunt, et id propter exceptiones ex earum sexu resultantes, cum feminæ suapte natura sint nimis mutabiles, fragiles ac inconstantes. Mascard., *l. c.*, num. 14; Farinacius, *l. c.*, n. 21, 23 et 26; Pirrhing, *l. cit.*, n. 68, et alii.

(57. Pupilli seu impuberes regulariter in nulla causa, sive civili, sive criminali possunt esse testes, et hoc ob defectum, seu infirmitatem sui judicii, aut consilii, textu claro in L. *Testium* 3, § 5, et ibi Glossa, verb. *Impubes*, et verb. *Lubricum*, ff. *De testibus*, l. *Inviti* 19, ff. eod. can. *Infamis* 1, causa 3, q. 7, ibi : « Et impubes, quia judicio caret. » (58. Unde impuberes neque possunt esse testes in testamentis, textu expresso in § *Testes autem*, § 6, institut. *De testamentis ordinandis*, l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*.

(59. Dicitur autem notanter *regulariter*, quia variis casibus possunt impuberes esse testes. Et signanter pro matrimonio contrahendo in locis recepti concilii *Tridentini*, sess. XIV, cap. 1, *De reform. matrimonii*; duo enim testes præter parochum ibi a concilio requisiti possunt etiam esse impuberes; dummodo sint rationis compotes et bene percipiant quid agatur; concilium enim *Tridentinum*, *loc. cit.*, duos vel tres testes simpliciter, et sine ullius peculiaris qualitatis mentione ad valorem matrimonii requirit. Ubi autem lex non distinguit inter puberes et impuberes, neque non distinguere debemus, cap. *Quia circa* 22, De privil., et l. *De pretio* 8, De Publiciana in rem actione; si enim illos voluisset puberes, expressisset, quia, quod voluit expressit, arg. cap. *Inter corporalia* 2, De translatione episcop., § *Sed neque istud*, cap. *Ad audientiam* 12, De decimis, adeoque, etc. Et sic expresse tenent Barbosa, part. II *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 32, n. 138; Sanchez, lib. III *De matrimonio*, disp. 41, num. 4 et 5; Layman, lib. V *Theolog. moral.*, tract. 10, part II, cap. 4, n. 6; Reiffenstuel, lib. II *Decretal.*, tit. 20, num. 74, et lib. IV, tit. 3, num. 103, et alii passim.

(60. Item impubes factus pubes testificari potest de iis, quæ vidit in impubertate sua, Glossa in l. *Testium* 3, verb. *Impubes*, ff. *De testibus*; Farin., q. 58, n. 55, allegans alios; Speculator, tit. *De teste*, § 1, n. 35, asserens ita tenere omnes, Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 77. Et ratio est, quia pubes factus non prohibetur ullo jure testificari de iis, quæ vidit tempore suæ impubertatis, adeoque debet admitti, l. *Testimoniorum usus* 1, § 1, ff. *De testibus*, ibi : « Adhiberi quoque testes possunt non solum in criminalibus causis, sed etiam in pecuniariis litibus, sic ubi res postulat, et hi, quibus non interdicitur testimonium, nec ulla lege a dicendo testimonio excusantur. » Concessum enim intelligitur, quod expresse non prohibetur, uti habet Glossa marginal. communiter recepta in cap. *Inter corporalia* 2, De translatione episcop., verb. *Non invenitur*, arg. l. *Mutus* 45, § 1, ff. *De procuratoribus*, et cit. l. *Testimoniorum usus* 1, De testibus.

(61. Item impuberes pubertati proximi possunt esse testes in revelanda occisione sui domini, et similibus, textu expresso in l. *Excipiuntur* 14, ff. *De S. C. Syllaniano*; Farinac., d. q. 58, n. 15, 16 et 18, cum aliis ibi citatis; Speculator, *loco cit.*, n. 34; Reiffenstuel, *loco citato*, num. 76, et alii.

(62. Item tales impuberes possunt esse testes in crimine læsæ majestatis. *Communis*, arg. l. *Nullus*, cod. *Ad legem Juliam Majestatis*. (63. Item in crimine hæresis. *Communis*, per text. in cap. *In fidei* 5, et cap. *Accusatus*, 8. § *Licet*, De hæreticis, in 6. (64. Item quando aliæ probationes haberi non possunt, seu veritas aliter haberi non

Digitized by Google

potest, quam per tales impuberes, per dicta a simili de infamibus *supra* a n. 20. *Vide* ibi.

(65. Puberes minores viginti annis non possunt regulariter esse testes in causis criminalibus. Farinacius q. 57, n. 10 et 23; Speculator, tit. *De teste*, § 1, num. 34; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 75; Reiffenstuel, *loco citato*, num. 70, et alii passim per clarum textum in l. *In testimonium* 10, ff. *De testibus*, et in can. *Testes* 3, § *In testimonium*, caus. 4, q. 2, quo utroque in loco sic præcise statuitur : « In testimonium accusator citare non debet eum, qui in judicio publico reus erit, aut qui minor viginti annis erit: » ubi Glossa final. istud recte intelligit in causa criminali, uti etiam non obscure indicat ly *accusator*.

(66. Dicitur autem notanter *regulariter*, quia tales puberes minores viginti annis possunt esse testes in criminibus exceptis, et quando aliter veritas haberi non potest, cum in similibus, ut dictum est *supra* n. 62, possint esse testes etiam impuberes, adeoque a fortiori puberes, licet minores viginti annis. Farinacius, q. 57, n. 29, cum pluribus aliis ibi citatis, Alexander, con. 64, n. 5 et 6, l. 1; Mascard., *De probationibus*, conclus. 1253, n. 7; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 84, et alii passim.

(67. Puberes majores viginti annis, quamvis adhuc sint minoremnes, seu minores viginti quinque annis, possunt esse testes in causis criminalibus, prout colligitur clare a sensu contrario ex cit. l. *In testimonium* 20, ff. *De testibus*, et c. can. *Testes* 3, § *In testimonium*, caus. 4, q. 2; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 83; Farinac., q. 58, n. 19 et 21, citans plerimos alios, et appellans hanc sententiam verissimam, et magis communiter receptam, quamvis nonnulli sentiant contrarium.

(68. Puberes minores viginti annis possunt ordinarie esse testes in causis civilibus. *Communis*. Et ratio est, quia tales puberes nullibi prohibentur esse testes in dictis causis civilibus; adeoque debent admitti per dicta, et jura adducta *supra* n. 60.

(69. Dicitur tamen notanter *ordinarie*, quia tales puberes minores viginti annis nequeunt esse testes in causis civilibus valde arduis, et magni momenti per dicta et jura adducta *supra* n. 38.

(70. Parentes regulariter prohibentur ferre testimonium pro filiis, et econtra filii pro parentibus. *Communis*, textu expresso in l. *Testis* 9, ff. *De testibus*, ibi : « Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est, » l. *Parentes* 6, cod. *De testibus*, ibi : « Parentes et liberi invicem adversus se nec volentes ad testimonium admittendi sunt. » Et concordat can. *Si testes* 5, § *Testis idoneus*; et § *Parentes*, caus. 4, q. 2. Et id propter naturalem affectionem, quam inter se gerunt, ob quam eorum testimonium redditur suspectum.

(71. Et hoc extenditur etiam ad omnes ascendentes et descendentes, tam in linea paterna, quam materna usque in infinitum, quia dicti omnes quantum ad propositum veniunt appellatione parentis. *Communis*, textu expresso in l. *Appellatione* 61, De verborum signific., ibi : « Appellatione parentis non tantum pater, sed etiam avus, et proavus, et deinceps omnes superiores continentur, sed et mater, et avia, et proavia. »

(72. Dicitur autem notanter *regulariter*, quia plures sunt casus, in quibus valet testimonium patris, vel matris pro filio, et signanter in probanda filii ætate, quia parentes de ætate filiorum meliorem præ cæteris notitiam habent. *Communis*, per textum in l. *Etiam* 16, ff. *De probationibus*, ibi : « Etiam matris professio filiorum recipitur; sed et avi recipienda est. » (73. Talis autem testificatio parentum de ætate filiorum non facit semiplenam probationem, sicut alterius testis extranei, si redundet in commodum filii cum alterius præjudicio, sed solum præsumptionem aliquam, et leve indicium affert, nisi adminiculis adjuvetur, ut est v. gr. liber patris, in quo scripta est ætas filii, et hujusmodi, Mascard., *De probationibus*, conclus. 668, n. 12 et seq.; Farinac., q. 54, n. 178 et seq.; Pirrhing, *loco cit.*, n. 34; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 103, et alii.

(74. Item quando causa agitatur inter duos filios; tunc enim parens potest esse testis pro uno contra alium, quia æqualis affectio, quam præsumitur habere erga omnes filios, tollit omnem suspicionem, arg. l. *Non solum* 67, § 1, ff. *De ritu nuptiarum*, ibi : « Quia par affectionis causa suspicionem fraudis amovet; » Mascard., conclus. 1148, n. 29; Farin., q. 54, n. 203. Pirrhing, *loc. cit.*, n. 34; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 107, et alii.

(75. Item possunt parentes, aliique consanguinei testes esse in causa matrimoniali filiorum, ubi agitur super consanguinitate, vel affinitate aliquorum, quia isti melius præ cæteris id scire præsumuntur. C. *Videtur* 3, Qui matrimonium accusare possunt, cap. *Licet ex quadam* 47, De testibus, can. *De parentela* 8, caus. 35, q. 6.

(76. Item parentes, aliique consanguinei, aut affines utriusque sexus possunt esse testes, ubi agitur de matrimonio inter æquales contrahendo, et dubitatur, an vir et mulier sibi invicem promiserint, cit. cap. *Videtur* 3, Qui matrimonium accusare possunt, et cap. *Super eo* 22, juncta Glossa, verb. *Cum mater*, et Abbate, num. 8, ac Barbosa, *ibid.*, num. 4, De testibus; Farinacius, *De testibus*, q. 54, num. 191; Mascardus, *De probationibus*, concl. 1024, num. 23, cum pluribus aliis ibi citatis; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 36; Reiffenstuel, *loco cit.*, num 110, et alii.

(77. Dicitur autem notanter *inter æquales*, quia si magna adsit disparitas inter contrahentes, ut si mulier longe superet, et excedat virum nobilitate, honore, potentia, divitiis, et hujusmodi, vel vir mulierem; tunc parentes, aliique consanguinei, aut affines non censentur testes idonei, cum ob eorum affectionem et conjunctionem sanguinis, seu parentelæ semper præstantio-

Digitized by Google

res, aut locupletiores nuptias isti præcipiant, adeoque reddantur suspecti, ut expresse deciditur in cit. c. *Super eo* 22, De testibus, et tenet ibi Glossa, verb. *Cum mater*, et Abbas, n. 8, ac Barbosa n. 4 et 5; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 36. Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 111; Menoch., *De arbitrar. judic.*, lib. II, cas. 102, n. 6 et 7, et alii. Qui tamen recte concludunt, tale testimonium esse relinquendum judicis arbitrio, ut inspecta qualitate personæ, et affectionis, dijudicet, qualis fides sit ipsi præstanda, ut cum aliis etiam advertit Ventriglia, tom. I, adnotat. 3, § 3, n. 2 et seqq.

(78. Maritus pro uxore, et contra uxor pro marito regulariter testis esse non potest. *Communis*, per text. in can. *Si testes* 3, § *Idonei*, caus. 4, q. 2, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Imperari*, l. *Etiam jure* 3, cod. *De testibus*, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Etiam jure*, vers. *Quod in viro et uxore :* et id merito est statutum propter magnam affectionem, quæ est, vel præsumitur inter conjuges, aliis relictis non inferioribus motivis. (79. Et propter eamdem rationem extenditur etiam ad sponsam de futuro, et ad concubinam, atque amasiam : Mascard., concl. 1428, n. 4 et 5. Farinac., qu. 54, n. 215. Pirrhing, *loco citato*, n. 37; Reiffenstuel, *loco citato*, n. 114 et 115, et alii.

(80. Consanguinei, et affines illius, qui ipsos producit ut testes pro se adversus extraneos, non sunt testes idonei; ipsi enim ob naturalem affectionem erga suos consanguineos, et affines redduntur nimis suspecti : *Communis*, per text. in l. *Testium fides* 3; in princip., ff. *De testibus*, et canone *Si testes* 3, § *Testium fides*, caus. 4, qu. 2, can. *Consanguinei* 1, can. *Accusatores* 2, can. *Accusatoribus* 3, et can. *Suspectus* 4, caus. 3, q. 5, c. *Absens per alium* 18, caus. 3, q. 9, cum similibus.

(81. Domestici ipsius producentis non sunt testes idonei : *Communis*, per textum expressum in cit. l. *Etiam jure* 3, cod. *De testibus*, ibi : « Etiam jure civili domestici testimonii fides improbatur, » et concordat cit. can. *Si testes* 3, § *Etiam*, caus. 3, q. 2, ubi ipsissima tradita verba adducuntur, leg. *Testes eos* 24, ff. *De testibus*, ibi : « Testes eos, quos accusator de domo produxerit, interrogari non placuit. » Et concordat cit. can. *Si testes*, § *Testes*, ubi eademmet præcisa verba habentur, et cap. *In litteris* 24, De testibus, juncto ejus Summario sic præcise dicente : « Non sunt idonei testes quos actor de familia sua produxit. »

(82. Supradictæ autem conclusiones de marito et uxore, de consanguineis, et affinibus, et de domesticis, limitantur in variis casibus, et signanter quando pars adversa, contra quam supradicti testificantur, sponte eos ad ferendum contra se testimonium admittit; sive expresse, sive tacite nihil contra eorum testimonium opponendo; quisquis enim potest renuntiare favori pro se introducto, l. *Si quis in conscribendo* 29, cod. *De pactis*, cap. *Si diligenti* 12, De foro competenti, cap. *Si de terra* 6, De privilegiis; adeoque, etc.

(83. Item consanguinei, affines et domestici possunt esse testes in casibus, ubi veritas aliter quam per ipsos haberi non potest, ut si agatur de commissis in domo, nemore aut alio loco secreto. Cap. *Veniens* 33, § final. *De testibus*, cap. *Exsecrabilis* 11, juncta Glossa, verb. *Juramento*, De testibus cogendis, cap. *Si testes* 3, § *Servi responsio* 4, qu. 3, l. *Consensu* 8, § 6, vers. *Super plagis*, cod. *De repudiis*, cum similibus.

(84. Item domestici possunt esse testes, quando sunt domestici utriusque partis, id est tam ejus pro quo, quam ejus contra quem producuntur; tunc enim cessat ratio suspicionis ob parem affectionem erga utrumque. Gabriel, *Com. conclus.*, lib. I, *De testibus*, conclus. 10, n. 68. Mascard., *De probationibus*, conclus. 533, n. 36; Farinac., qu. 55, n. 92; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 44, vers. *Limitatur quinto*, et alii passim.

(85. Item domestici possunt esse testes instrumentarii, et testamentarii; cum enim ipsi ad id sint ab utraque parte rogati, censentur etiam ab utraque approbati, adeoque nequeunt amplius reprobari, sub prætextu quod sint domestici. Arg. l. *Si quis* 17, cod. *De testibus;* Mascard., conclus. 534, n. 29 et 30, cum aliis ibi citatis; Farinac., q. 55, n. 83; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 45, vers. *Denique;* Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 139, et alii.

(86. Inimici testes esse non possunt contra eos, cum quibus gerunt inimicitiam. *Communis*, per claros textus in l. *Testium fides* 3, in princip., ff. *De testibus*, authent. *De testibus*, § *Si vero dicatur*, collat. 7, can. *Accusatores* 2, et can. *Accusatoribus* 3, qu. 5, can. *Si testes* 4, § *Testium fides*, caus. 4, qu. 2, cap. *Cum oporteat* 19, De accusationibus, cum similibus.

(87. Imo inimici contra suos inimicos nequeunt esse testes, neque in criminibus exceptis, ut hæresis, Simoniæ, læsæ majestatis, et hujusmodi. Cap. *Per tuas* 32, § *Nos vero*, De Simonia, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Inimici tui capitales :* Menoch., *De arbitr. judic.*, lib. I, q. 29, n. 2, et 3; Mascard., conclus. 901, n. 2; Farinac., q. 53, n. 5 et seq.; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 53; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 133, et alii passim.

(88. Parentes contra suos filios, et vicissim filii contra suos parentes in judicio testificari non possunt. *Communis*, textu expresso in l. *Parentes* 6, cod. *De testibus*, ibi : « Parentes, et liberi invicem adversus se nec volentes ad testimonium admittendi sunt; » et concordat per expressa eadem verba can. *Si testes* 3, caus. 4, qu. 1.

(89. Parentum autem testimonium contra filios, et filiorum contra parentes admittitur in crimine læsæ majestatis, hæresis, et aliis atrocissimis exceptis criminibus. Clarus in *Practic. crimin.*, § final., q. 24, n. 22; Farinac., *De testibus*, qu. 55, n. 188 et 174; Mascard., concl. 403, n. 65; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 149; Glossa, in cap. *Laudabilem* 1. De conv. infidelium, verb. *Et Christiani.* Quod pugnantes pro patria, et fide pater in

Digitized by Google

filium, et filius in patrem insurgere debeat, argum. l. *Minime* 35, ff. *De religiosis et sumptibus funerum;* tum quia filii nascuntur patriæ seu reipublicæ, l. *Sicuti liberorum* 1, § 15, *De ventre in possessionem mittendo.* Et quidem magis quam parentibus, ut inquit Glossa in cit. l. *Sicuti liberorum*, § 15, vers. *Reipublicæ*, id probans ex l. *Postliminium* 19, § 7, *De captivis et postliminio;* et sic doctores passim, arg. c. *In fidei* 4, De hæret. in 6.

(90. Liberti contra patronos, et econtra patroni contra libertos non possunt esse testes, nec volentes, nec inviti. *Communis.* can. *Episcopus* 58, caus. 4, quæst. 2, can. *Si testes* 3, § *Ne patroni*, caus. 5, q. 2 et 3, l. *Libertorum* 12, cod. *De testibus*, ibi : « Libertorum adversus patronos illicitas atque improbas voces pœnæ objectione præcludimus, atque ita, ut non solummodo sponte prodire non audeant, sed ne vocati quidem in judicium venire cogantur. »

(91. Exceptis tamen criminibus hæresis, læsæ majestatis, et aliis similibus atrocissimis per dicta, et adducta jura n. antec.

(92. Judæi nequeunt in judicio esse testes contra Christianos. *Communis*, textu expresso in c. *Non potest* 24, caus. 2, quæst. 7, et leg. *Quoniam* 21, cod. *De hæreticis*, cum similibus.

(93. Item dicendum est de paganis, hæreticis, et quibuscunque aliis infidelibus. *Communis*, per text. in can. *Paganis* 23, et can. *Si hæreticus* 20, caus. 3, q. 7, cit. l. *Quoniam* 21, cod. *De hæreticis*, cum similibus.

(94. Prædictæ tamen duæ conclusiones limitantur in criminibus exceptis, ut hæresis, læsæ majestatis, et similibus ; ac in casibus, in quibus veritas aliter, quam per ipsos haberi non potest. *Communis*, per textum in cap. *In fidei* 5, et cap. *Contra Christianos* 13, De hæreticis, in 6.

(95. Possunt insuper Judæi, aliique infideles in instrumentis, contractibus et testamentis esse testes saltem si alii commode haberi non possint. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Quoniam* 21, in fine cod. *De hæreticis*, ibi : « Cæterum testamentaria testimonia eorum, et quæ in ultimis elogiis, vel in contractibus consistunt propter utilitatem necessariis, usus eis sine ulla distinctione permittimus, ne probationum facultas angustetur. »

(96. Laici ordinarie non possunt esse testes contra clericos et religiosos in causa criminaliter mota. *Communis*, per claros textus in can. *Nullus laicus* 2, caus. 2, q. 7, can. *Beatus Petrus* 5, caus. 7, q. 1, cap. *De cætero* 14, De testibus, cum similibus.

(97. Nec valet objicere, quod laici possunt clericos, et religiosos accusare, et contra eos agere etiam in causa criminali, saltem si suam, vel suorum injuriam prosequantur, ut expresse dicitur in citat. cap. *De cætero* 14, De testibus, adeoque possunt etiam contra eos esse testes. Non valet, inquam, quia ultra quam quod in cit. cap. *De cætero*, statim additur : « Nec tunc etiam ad testimonium, sed ad accusationem possunt admitti ; » stat adhuc evidens disparitas, quia testimonium dicere est majoris præjudicii, quam accusare, quia judex tenetur ferre sententiam secundum allegata, et per testes, non autem secundum propositam accusationem, can. *Judices* 3, caus. 3, q. 7, l. *Rem novam* 14, cod. *De judiciis*, cum similibus.

(98. Dicitur autem in conclusione notanter *ordinarie*, quia secus est in criminibus exceptis, ut hæresis, læsæ majestatis, Simoniæ et hujusmodi, quia in istis, possunt laici testificari etiam contra clericos et religiosos, si zelo justitiæ, et non odii procedant. *Communis*, per text. in cap. *Tanta* 7, De Simonia, cap. *In fidei* 5, De hæreticis, in 6, cum similibus.

(99. Item notanter dicitur : *In causa criminaliter mota*, quia in causa criminali civiliter mota, sicuti in causis civilibus possunt laici esse testes contra clericos et religiosos. Argum. cap. *Quoniam* 3, cap. *Ex part.* 7, et cap. *De cætero*, 14, De testibus : sic Abbas, in d. cap. *De cætero* n. 7; Barbosa, *ibidem*, n. 3, argumento, a sensu contrario desumpto ; Mascard., conclus. 1364, n. 44 ; Farinacius, q. 61, *De testibus*, n. 120, cum pluribus aliis ibi allegatis ; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 58 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 164, et alii.

(100. Insuper possunt laici esse testes contra clericos et religiosos ob defectum testium ecclesiasticorum, quia v. g. crimen a clerico inter solos laicos commissum est, ut in villa, ubi nulli reperiebantur ecclesiastici. Et hoc ne alioquin crimina clericorum et religiosorum remaneant impunita, et ipsis præbeatur ansa impune delinquendi. Arg. cap. *Venerabilis* XI, De testibus cogendis, ibi : « Ne pro defectu testium pereat sua justitia ; » Abbas, in cit. cap. *De cætero*, n. 3 ; Barbosa, *ibid.*, n. 3 ; Mascard., *loc. cit.*, n. 45 ; Farinac., *loc. cit.*, n. 107 ; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 58 ; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 167, et alii.

(101. Clerici et religiosi non possunt esse testes contra laicos in causa criminaliter mota. C. *Testimonium* 9, caus. 11, q. 1, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Recipiat*, et Archidiacon., *ibidem*, n. 3, argum. cit. cap. *De cætera* 14, De testibus ; Mascard., conclus. 1538, n. 62 ; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 59 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 168, et alii passim.

(102. Et ubi agitur de imponenda laico criminoso pœna sanguinis, non possunt clerici esse testes, nequidem in criminibus exceptis. Glossa, in cap. *Aliquantos* 1, dist. 50, verb. *Ad sacerdotium* ; Covarruv., in Clementin. *Si furiosus*, part. II, § 6, n. 5 ; Farinac., cit. q. 61, n. 66 et 67 ; Felin., in cit. c. *De cætero*, n. 1 ; Mascard., conclus. 1357, n. 62. Pirrhing, *loc. cit.*, n. 59 ; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 150, et alii.

(103. Possunt tamen clerici esse testes contra laicos in causis criminalibus civiliter

Digitized by Google

motis, et in causis civilibus. Archidiaconus in cit. c. *Testimonium*, n. 1; Abbas, in cit. cap. *De cætero* 14, De testibus n. 1; Felin., *ibid*., n. 1; Farinac., cit. qu. 61, n. 68 et seq.; Pirrhing. *loco cit.*, n. 60; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 179, et ipso teste, alii passim, argum. can. *Quanquam* 7, caus. 14, q. 2.

(104. Insuper clerici possunt esse testes contra laicos, ubi veritas aliter haberi non potest, non solum in civilibus et criminalibus civiliter motis, sed etiam in criminalibus criminaliter agitatis, dummodo non agatur de imponenda pœna sanguinis. Farinac., cit. q. 61, n. 71 et 72, cum aliis ibi allegatis, Felinus, in cit. cap. *De cætero*, n. 1, vers. *Fallit secundo*; Alexander, consil. 65, n. 7, lib. VII; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 60; Reiffenstuel, *loco c.*, n. 175, et alii per textum in cit. can. *Quanquam* 2, caus. 14, q. 2. Et hoc ut ibi dicitur : « Ne veritas occultetur, et malus ut bonus æstimetur. »

(105. In dictis tamen, et similibus casibus clerici, et religiosi ad testificandum cogi non possunt per judicem laicum; clerici enim, et religiosi sunt omnino exempti a jurisdictione fori laicalis. *Communis* textu expresso in cap. *Nullus judicum* 2, De foro competenti, cum similibus. *Vide* verb. *Juramentum*, art. 2, n. 43.

(106. Unde si in defectu testium laicorum oportuerit clericum ferre testimonium, episcopus ejus ad requisitionem judicis sæcularis debet per se aut per alium examinare clericum, et ejus judicialem depositionem sub sigillo suo transmittere ad judicem laicum, textu expresso in can. *Quanquam* 2, caus. 14, qu. 2, ubi ex concilio Romano sub Eugenio Papa statuitur, quod in similibus casibus : « Ne veritas occultetur, et malus ut bonus æstimetur, in providentia proprii episcopi sit, ut aut coram se, et competentibus judicibus, aut aliter honorifice veritatem testificentur. » Ita Archidiaconus in cit. can. *Quanquam*, n. 2; Abbas, in cit. cap. *Cum nuntius*, n. 3, et Felinus, *ibid.*, n. 3, De testibus; Mascard., conclus. 364, n. 51; Farinac., qu. 61, n. 84; Pirrhing, *loco cit.*, num. 60; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 177, et alii passim.

(107. Imo plures præfatorum doctorum volunt, quod in simili casu examen clerici contra laicum de licentia, et assensu episcopi, si ita expedire judicaverit, possit etiam fieri per judicem sæcularem, quia, ut dicunt, de licentia episcopi potest clericus coram judice sæculari testimonium ferre : Abbas, Mascard., Farinac., Pirrhing *locis cit.*, et alii. Ac favet textus in can. *Super prudentia* 1, in fine, caus. 14, qu. 2, ibi : « Sed si casu contractui eos interfuisse contigerit, jubente episcopo testimonium dicant; » et cit. can. *Quanquam* 2, ead. causa et qu., ibi : « Aut aliter honorifice veritatem testificentur. » Et ad id facit sequens decretum sacræ congregationis Immunitatis relatum a D. Petro Andrea Riccio in sua *Synopsi*, verb. *Testis*, n. 1, his præcisis verbis : Clericus absque licentia episcopi non potest testimonium ferre etiam in causa civili coram judice laico, sed pro licentia nihil est solvendum. *In Aquilana* 5 Maii 1637, lib. III *Decretor.* Paul., pag. 30.

(108. Qui tamen Riccius in dicta sua *Synopsi* verb. « Facultas examinandi ecclesiasticos, et exemptos » adducit sequentia decem et octo decreta ejusdem sacræ congregationis Immunitatis, ibi :

1. Attentis circumstantiis particularibus temporum, de ordine sanctissimi datur emin. legato facultas examinandi pro quinque casibus, qui possunt occurri etiam per alium (modo sit clericus) omnes personas ecclesiasticas utcunque privilegiatas, et speciali nota dignas cum præservatione ab irregularitate pro hac vice tantum, et non transeat in exemplum, modo crimina sint gravia, et enormia, scilicet contra quietem publicam. *Bononien.* 8 Maii 1697, lib. II *Decretor.* Vallem., p. 90.

2. Si veritas pro defensione rei aliunde haberi non potest, datur episcopo facultas, ut clerici possint in tribunali laico examinari in causa criminali pro defensione, præstito tamen prius juramento coram d. episcopo de servandis expressis in *Praxi Genuensi* cap. 35, n. 6, scilicet ut articuli, super quibus deponent, non contineant criminalitatem, infamiam, negativam aut repulsam : et cum dispensatione ab incursu irregularitatis. Et detur salvus conductus clericis examinandis. *Mediolan.* 24 April. 1646, lib. III *Decret.* Paul., pag. 379.

3. Supplicante carcerato a curia laica pro examine sacerdotis in ejus defensam, injungitur vicario generali, ut eum examinet, et postea communicet examen curiæ sæculari. *Firmana* 19 Julii 1673, lib. I *Decretor.* Altoviti, p. 822.

4. Ad hoc ut Immunitas possit reintegrari, et justitia adimpleatur, quando aliter, et aliunde non potest justificari, an carceratio sit facta in loco Immuni? Conceditur facultas examinandi Fratres Ordinis Capuccinorum, *Prænestina* 7 Julii 1668; lib. I *Decret.* Altov., pag. 239.

5. Sanctissimus concedit facultatem ordinario examinandi regulares, et seculares exemptos in causa processus contra gubernatorem ob obsidionem positam Ecclesiis pro capiendis confugitis cum solita præservatione : *Narnien.* 26 Julii 1672, lib. I *Decret.* Altov., pagin. 719.

6. Episcopo conceditur facultas examinandi potentatos Sanctæ Domus in causa extractionis. *Lauretana* 2 Aprilis 1679, lib. I *Decret.* Altov., pag. 332.

7. Archiepiscopo conceditur facultas, ut mandet per suos judices examinari equitem Christi super interesse cujusdam laici, et deinde tradat parti copiam authenticam examinis. *Neapolitana* 16 Septembris 1625, lib. *Script. Vet.*, p. 71.

8. In causa mortis ex veneno secutæ Sanctissimus tribuit facultatem examinandi coram episcopo medicum sacerdotem, et consignandi examen curiæ sæculari. *Tropien.*

Digitized by Google

30 Martii 1694, lib. I *Decretor.* Valleman., pag. 114.

9. Ut deveniatur in cognitionem furti, quatenus alii testes haberi non possint, conceditur vicario generali facultas examinandi sacerdotem. *Mediolanen.* 30 Julii 1678, lib. II *Decret.* Altoviti, pagin. 4621.

10. Episcopus cum facultate S. Congr. prævio juramento coram se præstando ab ecclesiasticis, concedit facultatem judici sæculari examinandi, et iisdem ecclesiasticis sese subjiciendi examini coram eodem judice, prævia declaratione facienda per fiscum utendi depositione citra pœnam sanguinis. *Ostunen.* 31 Maii 1704, lib. III *Decret.* Valleman, pag. 584; *Eugubina* 9 Septemb. 1673, lib. I *Decret.* Alt., pag. 837.

11. Ex secretaria status jussu sanctissimi pro indaganda veritate quoad rapinas, et furta patrata in legationibus Ferrariæ, etc. Datur vicario generali facultas examinandi mulierem exsistentem in conservatorio, ac etiam perquirendi in Hospitali : *Faventina* 6 Decemb. 1692, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 9.

12. Datur eminentiss. legato facultas examinandi, annuente sanctissimo, etiam per alium (modo sit clericus) in causa furti sacrilegi vasorum sacrorum facti a Fratre laico, regulares Capuccinos, et cogendi etiam per censuras cum præservatione ab irregularitate : *Ravennaten.* 1 Octobr. 1678, lib. II *Dec.* Alt., p. 165. Similis facultas conceditur etiam quoad monachos Casinenses. *Bonon.* 18 Januarii 1679, lib. II *Decret.* Alt., pag. 1699.

13. Ad hoc, ut dilucidari possit delictum resistentiæ seu oppositionis armis factæ contra curiam laicam, eminentissim. legatus Urbini ex mandato sanctissimi potest examinare clericum, eumque cogere in casu renitentiæ cum solita præservatione ab irregularitate : *Urbinaten.* 27 Januarii 1694, lib. I *Decret.* Vallem., p. 101.

14. Datur eminent. archiepiscopo facultas cogendi monachos Cœlestinos, non obstantibus eorum privilegiis, ad se subjiciendum examini in tribunali legationis, præstito prius juramento in curia Eccles. de dicenda veritate, dummodo agatur tantum judicio civili. *Bononiens.* 30 Nov. 1697, lib. II *Dec.* Vallem., pag. 122.

15. Conceditur gubernatori facultas examinandi ecclesiasticos in causa furti lampadæ secuti in sacra æde Lauretana cum solita præservatione ab irregularitate : *Lauretana* 23 Augusti 1667, lib. I *Decret.* Alt., pag. 147.

16. Jubente Sanctissimo datur gubernatori facultas in causa homicidii cujusdam canonici, ut possit examinare etiam per alium (dummodo sit clericus) personas ecclesiasticas et notarium vicarii foranei, et in casu renitentiæ, eos cogendi, ac procedendi contra easdem, si culpabiles reperiantur, præmissa solita protestatione ad formam, cap. *Prælatis*, De homicid. in 6, sicque Sanctissimus eos præservat ab omni irregularitate. *Reatina* 27 Decemb. 1682, lib. I *Decret.* Vallem., p. 14; *Verrulana* 5 Decembr. 1693, d. lib. pag. 91; *Maceraten.* 16 Decembr. 1693, et 25 Aprilis 1694, dict. lib. pag. 11, et alibi.

17. Annuente Sanctissimo, in causa grassationis datur gubernatori facultas examinandi etiam alium (dummodo sit clericus) fratrem religiosum, qui parum distabat a loco commissæ grassationis. *Spoletana* 22 Novembr. 1693, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 87.

18. Conceditur episcopo facultas impertiendi licentiam examinandi ecclesiasticos in causa homicidii, quando ex aliorum depositione nequeunt haberi probationes sufficientes ad justitiam subministrandam cum solita præservatione, facta protestatione ad tenorem c. *Prælatis*, De homicid., in 6; *Eugubina* 9 Septembris 1673, lib. I *Decret.* Alt., pag. 837.

(109. An clerici et religiosi possint sine licentia suorum respective superiorum valide et licite esse testes in testamentis, instrumentis et contractibus laicorum. *Vide* verb. TESTAMENTUM, artic. 1, n. 24 et 25.

(110. Nemo potest esse idoneus testis in propria causa. *Communis*, textu expresso in l. *Nullus* 10, ff. *De testibus*, ibi : « Nullus idoneus testis in re sua intelligitur, » l. *Omnibus* 10, c. eod., ibi : « Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt, » can. *Si testes* 3, § *Nullus*, et § *Omnibus*, caus. 4, q. 2 et 3, ubi ambæ dictæ leges canonizantur.

* Cum Gratiani decretum, quantumvis pluries Romanorum Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus legis non habeat, quin imo inter omnes receptum sit, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret, ut præ cæteris testatur SS. D. N. Benedictus XIV, lib. VII *De synodo*, c. 15, n. 6; hinc sequitur quod prædictæ leges nequeant dici canonizatæ, quæ tantum ex corpore juris civilis desumptæ sunt. *

(111. Advocati et procuratores nequeunt esse testes in causa cui patrocinium præstiterunt. *Communis*, textu expresso in l. *Mandari* 25, ff. *De testibus*, ibi : « Mandari cavetur, ut præsides attendant, ne patroni in causa, cui patrocinium præstiterunt, testimonium dicant, » cap. *Romanæ* 3, De testibus, in 6, ibi : « In appellationis causa is, qui appellantis procurator vel advocatus in priori judicio fuerat, non recipiatur in testem. » Et concordant can. *Si testes* 3, § *Patroni*, caus. 4, qu. 2 et 3, et cap. *Insuper* 6, in fine, De testibus. Et id propter præsumptam affectionem in illam causam, cui patrocinium præstiterunt.

(112. Neque judices possunt esse testes in causis quas judicarunt. *Communis*, per textum in c. *Dilecto* 40, De testibus. Et ratio est eadem, quæ n. antecedenti. Tum quia judex, actor, reus, testis, distinctæ in judicio personæ esse debent; can. *Nullus unquam* 1, et can. *Nullus introducatur* 2.

Digitized by Google

caus. 4, qu. 4, cap. *Forus* 10, § *In omni*, De verbor. significat., cum similibus.

(113. Dicta de judicibus, advocatis et procuratoribus dicenda sunt etiam de tutoribus vel curatoribus in causis suorum pupillorum, vel minorum; item de administratoribus, syndicis, et actoribus, cum eadem sit ratio eos repellendi a testimonio propter præsumptam affectionem ad negotium, quod gesserunt, quandoquidem commodum inde, vel honorem saltem, aut gratiam consequi possunt. *Communis*, per textum in cit. l. *Mandari* 25, ff. *De testibus*, ibi : « Quod et in exsecutoribus negotiorum observandum. »

(114. Tum quia supradicti omnes censerentur quodammodo esse testes in propria causa, argum. leg. *Si quidem* 1, § *In propria causa* 11, ff. *Quando appellandum sit*, ubi sic expresse habetur : « Propriam causam ab aliena quemadmodum discernimus? et palam est eam esse propriam causam, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquam suo nomine pertinet. » Quæ ipsissima expressa verba habentur canonizata (* Vide *supra* n. 110 *) in can. *Biduum* 29, caus. 2, q. 6, § *Palam est*, ibi : « Palam est eam esse propriam causam, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. »

(115. Proxeneta seu mediator inter contrahentes regulariter testis esse non potest in actu seu negotio, in quo operam suam impendit, præsertim si propter hujusmodi officium aliquod salarium, seu emolumentum receperit, ut colligitur ex cap. *Mediatores* 1, et ibi Glossa verb. *Civiliter*, De testibus, in 6, et Authentic. *De testibus*, § *Quoniam vero*, collat. 8, et cit. leg. *Mandari* 25, ff. *De testibus*. Et ratio est, quia propensus et affectus præsumitur ad negotium illud, cujus fuit mediator, perficiendum, confirmandum et approbandum, tum ne salarium aut emolumentum amittat, tum ne ei objiciatur (etiamsi salarium non receperit), quod non bene in eo negotio se gesserit. Gloss., in cit. Authent. *De testibus*, § *Quoniam*, verb. *Prohibitione;* Farinac., qu. 60, n. 206, cum seq., et alii ab ipso ibi allegati; Pirrhing., *loc. cit.*, num. 95, et alii passim.

(116. Dicitur autem notanter *regulariter*, quia in aliquibus casibus mediator seu proxeneta testis esse potest, et signanter quando ambæ partes litigantes consentiunt ut mediator ad testificandum admittatur, tunc enim etiam invitus compellitur esse testis. *Communis*, text. expresso in cit. authent. *De testibus*, § *Quoniam vero*, et ibi Glossa, verb. *Legem*, et Glossa in cit. capit. *Mediatores* 1, verb. *Civiliter*, De testibus, in 6.

(117. Item mediator seu proxeneta potest esse testis, quando aliter absque ipso veritas haberi non potest, tunc enim etiam invitus, cogi potest ad testificandum in causis civilibus. Franc., in cit. cap. *Mediatores* 1, n. 5, De testibus, in 6; Farinac., *loco cit.*, n. 117 et seq.; Mascard., *De probationib.*, concl. 1039, n. 16; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 96, vers. *Excipitur secundo*, et alii passim.

(118. Item mediator potest esse testis favore matrimonii : Mascard., *loc. cit*, n. 21; Farinacius, *loc. cit.*, n. 442; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 96, vers. *Quinto*, et alii.

(119. Prælatus, aliique clerici possunt esse testes in causa civili suæ Ecclesiæ : dummodo non subsit alia rationabilis causa illos impediens a testificando. *Communis*, textu expresso in cap. *Cum nuntius* 12, De testibus, ibi : « Non lateat prudentiam vestram, quod clerici non sunt a ferendo testimonio super negotio Ecclesiæ suæ (nisi alia rationabilis causa impediat) repellendi; » et concordat can. *Super prudentia* 1, caus. 15, q. 2. Et ratio est quia jura Ecclesiæ non sunt jura propria clericorum, cum bona Ecclesiæ sint bona Dei et patrimonium Christi, can. *Quia tua* 8, et can. *Res Ecclesiæ* 26, et can. *Nulli* 27, caus. 12, qu. 1, cum similibus. Et quod bona Ecclesiæ non sint bona propria clericorum, et consequenter ipsi testificando de iis non sint testes in propria causa, colligitur a simili de bonis universitatis, quæ non sunt singulorum, sed universitatis, ut expresse dicitur in leg. *In tantum*, § 1, ff. *De divisione rerum*, ibi : « Universitatis sunt, non singulorum..... si qua alia sunt communia civitatum : » et leg. *Sicut* 7, § 1, ff. *Quod cujuscunque universitatis nomine*, ibi : « Si quid universitati debetur, singulis non debetur, nec quod debet universitas, singuli debent; » et concordat lex *Sed si* 10, § 4, ff. *De in jus vocando*.

(120. Et idem a fortiori dicendum est de regularibus, qui sine dubio testes idonei pro suo monasterio reputantur, cum in ipsis magis cesset præsumptio affectionis, ac suspicio proprii interesse. *Communis*, per clarum textum in cap. *Insuper* 6, De testibus, ubi Summus Pontifex Eugenius III expresse concedit priori et Fratribus SS. Trinitatis, ut liceat ipsis in causis propriæ Ecclesiæ testimonium ferre ibi : « Insuper statuimus ut liceat vobis in causis Ecclesiæ vestræ ferre testimonium. »

(121. Canonici testes esse possunt eorum, quæ gesta sunt in capitulo, ut in electionibus, et hujusmodi, quæ secreto inter ipsos fieri solent, textu expresso in cap. *Veniens* 38, § final. *De testibus*, ubi id expresse ipsi conceditur, addita hac ratione : « Quia quæ in capitulo aguntur, non possunt facile, nisi per canonicos ipsos probari : » et concordat capit. *Cum dilectus* 32, § *Nos attendentes*, De election., cum similibus.

(122. Notanter autem in conclusione sub num. 119 fuit dictum ; « Dummodo non subsit alia rationabilis causa illos impediens a testificando : » quia in aliquibus casibus clerici tum sæculares, tum regulares impediuntur a testificando etiam in causa suæ Ecclesiæ ex aliqua rationabili causa, ut ex excommunicatione, perjurio, infamia, aut alio gravi crimine, ut patet ex dictis supra de infamibus a num. 17, de criminosis a n. 24, de perjuris a n. 29, de excommunicatis a n. 32.

(123. Item clerici tum sæculares tum re-

Digitized by Google

gulares nequeunt esse testes in causa suæ Ecclesiæ, quando in eadem causa constituti sunt actores, procuratores seu responsales, qui nomine ipsius ecclesiæ, seu monasterii causam exerceant, textu expresso in cit. cap. *Insuper* 6, De testibus. Et ratio est, quia nemo potest simul esse actor et testis in eadem causa. C. *Nullius unquam* 1, et c. *Nullus introducatur* 2, caus. 4, q. 4, cap. *Forus* 10, § *In omni*, De verb. significat., cum similibus.

(124. Item clerici nequeunt esse testes in causa suæ Ecclesiæ, quando commodum, seu utilitas inde proveniens est singulorum; tunc enim censerentur esse testes in re et causa propria, in qua nemo testis idoneus reputatur, per jura adducta *supra* n. 110, et doct. citatos *infra* num. 117.

(125. Unde canonicus nequit esse testis idoneus in causa suæ particularis præbendæ, cum redditus ipsius, non ad capitulum, sed ad seipsum solum spectent, sicque in tali casu esset testis in propria causa, quod est omnino prohibitum per dicta adducta jura *supra* num. 110, et doctores allegandos n. sequenti.

(126. Sic etiam ob eamdem rationem episcopus, abbas, prælatus, seu rector ecclesiæ non collegiatæ nequeunt esse testes in rebus spectantibus ad solam suam mensam seu præbendam : nam tales redditus immediate et totaliter ipsis, et non Ecclesiæ proveniunt, sicque censerentur esse testes, præsertim quoad fructus, in propria causa, quod penitus vetitum est per citata jura. Mascard., *De probationibus*, conclus. 1364, n. 29; Socinus, in *Fallentiis Regul.*, 408, fall. 4; Joan. Andr., in *Addition. ad Speculatorem*, tit. *De teste*, num. 24, vers. *Dominicalis;* Farinac., q. 60, num. 462; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 206, 207 et 208, cum pluribus aliis ibi allegatis; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 102, et alii.

(127. Item in causa universitatis sæcularis, vel alterius cujuslibet possunt regulariter esse testes illi qui sunt de universitate vel communitate, ut cives pro sua civitate, oppidani pro suo oppido. *Communis.* Et ratio est quia tales revera non sunt testes in propria causa per jura adducta *supra* n. 119.

(128. Hinc quando agitur de probatione continium admittuntur testes de civitate, oppido seu communitate, quia non testificantur in re propria, sed in ea quæ est universitatis seu communitatis. Cit. l. *In tantum*, § 1, ff. *De divisione rerum*, l. *Sicut* 7, § 1, ff. *Quod cujuscunque universitatis nomine*, l. *Sed si* 10, § 4, ff. *De in jus vocando.* Et sic communis doctorum, teste Mascardo, *De probationibus*, conclus. 395, numer. 9, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 315.

(129. Dicitur autem notanter in conclusione *regulariter*, quia testes de universitate possunt repelli in causis illis, ubi commodum inde resultans tangit singulos eorum. Et signanter in lite super nemore, vel pascuis, ubi singuli de communitate possunt ligna cædere, vel animalia sua pascere, quia tunc censerentur testificari singuli in sua propria causa. Ita Jason, in l. *Sed si* 10, § *Patronum*, n. 7, ff. *De in jus vocando;* Felinus, in c. *Insuper* 6, n. 5. De testibus; Menoch., cap. 106. num. 13; Farinac., qu. 60, num. 405 et seq.; Pirrhing, *loc, cit.*, n. 102; Reiffenst., *loc. cit.*, num. 219; Covarruv., *Practic. quæst.*, cap. 18, num. 4, testans de communi.

(130. Item quando agitur de prædio, aut vinea, cujus proprietas est quidem universitatis, ususfructus et utilitas pertinet ad singulos; tunc enim testes de universitate repelli possunt, quia censerentur testificari in propria causa. Felinus, in cit. cap. *Insuper*, n. 4; Baldus, in cap. *Cum unicus* 12. num. 1, De testibus, Farinac., cit. q. 60. n. 499 et 504; Pirhing., *loco cit.*, n. 102; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 220, et alii.

(131. Item propter eamdem rationem repelli possunt testes de universitate, quando, lite perdita, in singulos de universitate imponenda est certa collecta. Felinus, in cit. cap. *Insuper*, num. 6; Baldus, *ibid.*, n. 3; Menochius, cap. 106. num. 15; Farinac., c. q. 60, num. 505 et 507; Mascard., concl. 1422, n. 5 et 6; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 221, et alii.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(132. De infamibus quæstio apud DD. vertitur, num absolute et in genere repellantur, an admittantur salvis exceptionibus.

(133. De jure civili *infamia juris notati* indistincte a testimonio non repelluntur, sed quidem tantum specialiter enumerati in l. 5, ff. *De testib.*, quales sunt judicio publico damnati, qui pugnant cum bestiis lucri causa, quæstum corpore facientes, ad testimonium falsum dicendum pecunia corrupti; sic etiam in l. 25 princ., ff. eod., repelluntur speciatim damnati repetundarum; porro damnati ob adulterium l. 18, ff. eod., et ob carmen famosum l. 21, ff. eod. Præterea senatu moti ob turpitudinem, nec restituti l. 2, *De senat.*, quæ specialis enumeratio argumento est, non omnes in genere infames excludi, sed cæteros quidem admitti, non tamen esse testes omni exceptione majores; Umm., in *Process.* 16, num. 9; Menoch., *De arbitr. jud. quæst.*, lib. 1, q. 27.

(134. At de jure canonico indistincte repelluntur c. 54, dict. titulo, c. 15, c. 6, q. 1, adeo ut etiam judex testes infames, nemine opponente, repellere debeat.

(135. *Infamia vero facti, notati* nec jure civili, nec jure canonico absolute repelluntur. Carpzov., *Jurisprud. forens.*, const. 16, defin. 71, n. 7; Han., ad *Wesembec.*, tit. *De test.*, num. 3.

(136. Postulat tamen aliquando rei conditio, ut infames admittantur, si alii testes deficiant, et per infames tantum veritas haberi queat. (137. Sed quantum tunc fides ipsis haberi queat exponit jurisconsultus in l. 21, § 2, ff. dict. tit. his verbis : « Si ea rei conditio sit, ubi arenarium testem, vel similem personam admittere cogimur, sine tormento testimonio ejus credendum non est. »

(138. Ex qua lege generaliter doctores in-

Digitized by Google

ferunt : « Quibus casibus testis infamis, jure permittente, ad testimonium admittitur, fides ei sine tormentis non habetur. » Faciunt etiam l. 13, c. dict. tit. et novell. 90, cap. 1.

(139. Provocat huc etiam pontifex in can. 7, c. 2, q. 1 in fine, inquiens : « Multæ leges sanciunt, uti vilissimis testibus sine corporali discussione credi non debeat. »

(140. Hi autem textus conjunctim considerati ostendunt, non absolute testes vilissimos et infames torturæ esse subjiciendos, sed ubi gravitas causæ hoc postulat, ut veritas absque eis aliter haberi non possit, et tamen suspicio falsi, vel corruptionis adsit, quod veritatem fateri nolit; ut adeoque tormenta non fidem per se faciant, sed tantum operentur, ut a suspecto fides eo facilius erui possit; Tabor. *De tortur.*, c. 5, n. 18 et sequent. Quorsum potissimum pertinet, si testes vacillent aut varient, de quibus tamen constat quod facti notitiam habeant. Carpzov. *Process. crimin.*, q. 119, n. 46 et seq.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt testium numerum, testes, contestes, testes singulares, testes de scientia, testes de credulitate, testes de auditu, testium productionem, juramentum, et examen, ac interrogatoria suggestiva.

SUMMARIUM.

1. Regulariter in qualibet causa, sive profana vel sæculari, sive ecclesiastica, sive criminali, sive civili, ad legitimam probationem requiruntur, et sufficiunt duo testes idonei, et omni exceptione majores; nisi expresse per legem aut canonem plures in aliqua causa requirantur. — 2. Assignantur variæ causæ, in quibus tum de jure civili, tum de jure canonico requiruntur plures, quam duo testes, ad n. 4. — 5. Unus solus testis, cujuscunque sit dignitatis, non sufficit ad legitimam probationem. — 6. Afferuntur tamen varii casus, in quibus sufficit unicus testis. — 7. Testes quoad probationem alii vocantur testes contestes, et alii singulares, et qui sint utrique. — 8. Singularitas testium est triplex, nempe obstativa, adminiculativa et diversificativa. — 9. Singularitas obstativa quæ sit. — 10. Singularitas adminiculativa quæ sit. — 11. Singularitas diversificativa quæ sit. — 12. Testes singulares *singularitate obstativa* nihil probant. — 13. Testes singulares *singularitate diversificativa*, quamvis plene non probent, singuli tamen probant tantum quantum unus. — 14. Testes singulares *singularitate adminiculativa* probant in causis civilibus idem factum genericum, continuum, successivum. — 15. Quinimo etiam in causis criminalibus, si testes plures testentur de diversis actibus, seu indiciis ad eumdem omnino finem, et effectum tendentibus. — 16. Quamvis tamen in causis criminalibus caute sit procedendum ad reos pœna ordinaria condemnandos per solas attestationes similium testium. — 17. Testes quoad probationem, alii dicuntur testes de scientia, alii testes de credulitate, et alii testes de auditu, et qui sint omnes. — 18. Ordinarie loquendo, ad legitimam facti probationem requiruntur testes de scientia. — 19. Hinc ordinarie loquendo, ad legitimam facti probationem non sufficiunt testes de credulitate, et testes de auditu alieno. — 20. Assignantur tamen aliqui casus, in quibus admittuntur ad probationem etiam testes de credulitate et testes de auditu alieno. — 21. Testes regulariter producendi sunt post litem contestatam; et citata parte adversa. — 22. Dantur tamen plures casus, in quibus testes produci possunt etiam ante litem contestatam. Et signanter in causis civilibus, cum adest periculum ne testimonii facultas pereat. — 23. Item si reus legitime citatus comparere noluerit, sicque contumax fuerit, simulque periculum sit in mora. — 24. Item etiam lite non contestata, possunt produci et recipi testes *ad perpetuam rei memoriam*, ne videlicet in posterum probationis copia pereat. — 25. Item quando agitur per viam inquisitionis super aliquibus excessibus : vel testium publicatio imminet facienda. — 26. Item in judiciis summariis. — 27. In causis autem criminalibus criminaliter motis non possunt unquam produci, et recipi testes lite non contestata pro instituenda futura accusatione. — 28. Secus autem est dicendum in causis criminalibus solum civiliter motis. — 29. Ordinarie tres solum testium productiones fieri, et admitti possunt, quarta vero nonnisi ex gravi causa, et cum solemnitate legali admitti potest. — 30. Dicta requisita solemnitas legalis in quarta productione testium importat juramentum super tribus punctis judicialiter præstandum, quæ tria puncta assignantur. — 31. Qui testificata, seu depositiones testium nondum didicit, neque testibus producendis renuntiavit, potest in eodem etiam judicio, et super eisdem articulis iterum eodem, vel alios testes producere. — 32. Post didicita autem testificata, seu didicitas testium depositiones, aut post factam publicationem attestationum, non potest pars super eisdem articulis, vel directe contrariis reproducere priores testes, neque alios novos producere. — 33. Dantur tamen varii casus, in quibus etiam post publicationem attestationum, aut didicita attestata, et insuper etiam post conclusionem in causa possunt adhuc produci novi testes, aut reproduci priores, etiam super eisdem articulis, et admitti novæ probationes. — 34. Testes e longinquo producendi sunt sumptibus ipsius producentis. — 35. Insuper producens testes de longinquo debet eis compensare emolumenta, quibus testes ob absentiam carere debent, seu operas ob id ab eis omissas. — 36. Pars adversa, seu quicunque alius testium productionem injuste impediens peccat graviter, et potest ob id excommunicari. — 37. Testes antequam deponant, debent jurare, alioquin eorum testimonium non valet, et nihil probat in judicio. — 38. Testium juramentum non est calumniæ, sed veritatis, id est de tota veritate dicenda, quam noverint circa rem illam, super qua deposituri jurant. — 39. Juramentum testium debet esse personale, ac præstari tactis sacrosanctis Evangeliis. — 40. Episcopi non jurant tactis corporaliter sacris Evangeliis, sed tantummodo iis coram se positis et inspectis, tacto suo pectore jurant. Quod extenditur etiam ad alios sacerdotes, et alios in sacris constitutos. — 41. Testes possunt interdum testificari de consensu partium etiam sine juramento. — 42. Testes examinandi sunt ab ipsomet judice. — 43. Ob justam tamen causam potest judex alteri personæ idoneæ eorum examen committere. — 44. Testes secreto, et singillatim seorsim ab aliis sunt examinandi, et non plures simul. — 45. Potest tamen, imo debet judex adhibere notarium, aut duos viros idoneos, qui testium depositiones conscribant. — 46. Et insuper in examine testium super crimine hæresis, præter notarium adhiberi debent aliæ duæ religiosæ et discretæ personæ. — 47. Examinatio testium ordinarie fit in loco judicii, et ante prandium, dum testes adhuc sunt jejuni. — 48. Si autem expediens videatur, potest examinatio testium fieri etiam post prandium, ipsis testibus non jejunis, et etiam extra locum judicii. — 49. Personæ egregiæ, quando producuntur in testes, domi suæ examinari possunt, ac debent. — 50. Assignantur qui comprehendantur inter personas egregias. — 51. Eodem privilegio gaudent etiam testes valetudinarii, et senes, vel debilitate confecti, aut paupertate depressi, et femin.

Digitized by Google

— 52. Quod dictum est de personis egregiis, locum non habet in causis criminalibus. — 53. Nec in causis civilibus valde arduis. — 54. In examinatione testium ultra interrogatoria generalia, sunt bis facienda interrogatoria specialia, quæ generatim ad decem reducuntur, et hic assignantur. — 55. In testibus examinandis sunt omnino, utpote a jure prohibita, evitanda interrogatoria suggestiva. — 56. Assignantur interrogatoria suggestiva. — 57. Duplex potest esse suggestio, una scilicet aperta, et alia palliata, et quæ sit utraque. — 58. Confessio rei per interrogationem suggestivam extorta, non præcedentibus signis, non sufficit ad ipsum condemnandum, si omnia inde secuta, sunt penitus nulla, et invalida. — Alia ad rem ad num. 66.

(1. Regulariter in qualibet causa sive profana, vel sæculari, sive ecclesiastica, sive criminali, sive civili ad legitimam probationem requiruntur, et sufficiunt duo testes idonei, et omni exceptione majores; nisi expresse per legem, aut canonem plures in aliqua causa requirantur. *Communis*, per expressos textus c. XVII, 6, *Deuteronomii*, ibi : *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur;* c. XIX, 15, ejusdem *Deuteron.*, ibi : *In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum; Matth.* XVIII, 16, ibi : *Ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum;* cap. *Licet* 25 eod., ibi : « Juxta illud Dominicum : *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum,* » can. *Si testes* 3, § *Ubi numerus*, caus. 4, qu. 2 et 3, ibi : « Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt, pluralis enim locutio duorum numero contenta est, » leg. *Ubi*, n. 12, ff. *De testibus*, ibi : « Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficient; pluralis enim locutio duorum numero contenta est. »

(2. Dicitur autem notanter : « Nisi expresse per legem, seu canonem plures in aliqua causa requirantur; » quia in variis causis plures quam duo testes requiruntur, tum de jure civili, tum de jure canonico. Et quidem de jure civili in testamentis requiruntur septem testes, leg. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis;* leg. *Hæredes* 21, § *In testamentis*, ff. *Qui testamenta facere possunt*. Et quinque testes in codicillis; leg. *Si quis* 8, § 3, cod. *De codicillis*. (3. Item quinque testes requiruntur in donatione facta causa mortis; leg. *Cum de mortis causa* 4, cod. *De donationibus causa mortis*. Item aliæ plures sunt causæ, in quibus plures quam duo testes requiruntur, quæ brevitatis gratia relinquuntur videndæ apud Speculatorem titul. *De teste*, § *De numero testium*, n. 1; Farinac., tract. *De testibus*, q. 63, n. 253, qui plures hujusmodi causas enumerant.

(4. De jure canonico etiam in variis causis plures quam duo requiruntur testes. Et signanter in purgatione canonica episcopi requiruntur testes duodecim; can. *Omnibus* 19, caus. 2, q. 4, et concordat c. *Nobilis* 1, De purgatione canonica. Et in purgatione presbyteri septem, et in purgatione diaconi tres requiruntur, can. *Si legitimi* 12, eod. caus. 2, et q. 4. Item in causa divortii ob impotentiam viri septem requiruntur testes ex parte utriusque conjugis, qui juxent quod invicem cohabitaverint, et nunquam copulam habere potuerint, c. *Requisivisti* 2, caus. 33, q. 1, cap. *Laudabilem* 5, et c. *Litteræ* 7, De frigidis et maleficiatis. Item ad condemnandum episcopum testes LXXII, presbyterum XLIV, diaconum XXVII, et subdiaconum, vel inferiorem clericum Ecclesiæ Romanæ VII requiruntur, in c. *Præsul* 2, caus. 2, quæst. 5. Unde in cap. *Licet* 23, De testibus, expresse dicitur, quod « quædam sint causæ, quæ plures quam duos exigant testes. » Quamvis tamen de consuetudine hodie ad convincendam quamcunque personam in quacunque dignitate constitutam sufficiant duo testes idonei, et omni exceptione majores. Gratianus, in cit. can. *Præsul* 2, caus. 2, qu. 4, § *Ex præmissis*, et can. *Nullam* 3, § *Sed hoc*, ead. caus. et quæst.; Clarus, in *Practic. criminal.*, lib. v, § final, q. 66, n. 5; Pirrhing., l. c., n. 8; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 254; Farinac., q. 63, *De testibus*, num. 224, citans alios et communem.

(5. Unus solus testis, cujuscunque sit dignitatis, non sufficit ad legitimam probationem, ita ut nulla judicialis controversia testimonio unius hominis, quamvis legitimo, terminari possit. *Communis*, et habetur expresse tum de jure divino ex adductis testibus *supra* num. 1, et ex c. XVII, 6, *Deuteronomii*, ibi : *Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium :* et ex ejusdem cap. XIX, vers. 15, ibi : *Non stabit testis unus contra aliquem*. Tum de jure canonico cap. *Veniens* 10, De testibus, ibi : « Nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alicujus; » cap. *Licet* 23, eod., ibi : « Nulla est tamen causa, quæ unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur; » can. *Si testes* 3, § *Jurisjurandi*, caus. 4, quæst. 2 et 3, ibi : « Unius testis responsio omnino non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat; » can. *Admonere* 8, caus. 33, qu. 2, ibi : « Nec Evangelium, nec ulla divina humanaque lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel justificat. » Tum de jure civili, l. *Jurisjurandi* 9, cod. *De testibus*, ibi : « Manifeste sancimus, ut unius omnino testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat; » juncto ejus Summario, *ibidem*, ubi refert illud vulgatum : *vox unius, vox nullius.*

(6. Dantur tamen plures casus, in quibus etiam unius testimonium ad plenam fidem et probationem faciendam sufficit. Et signanter in quibusdam causis non judicialibus, nec alteri præjudicialibus, ut quod talis infans sit baptizatus, talis clericus sit ordinatus, talis pœnitens sit confessus, talis moribundus signa pœnitentiæ dederit, talis excommunicatus sit ab excommunicatione absolutus, talis Ecclesia sit consecrata, et hujusmodi, arg. c. *Cum itaque* 112, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Qui testimonio*, dist. 4, *De consecrat.*; Mascard., *De probationibus*, vol. 1, q. 11, n. 14, et conclus. 103, Farinac., q. 63, n. 26 et 27; Pirrhing., *loco cit.*,

Digitized by Google

num. 112, et alii passim. Item in causis judicialibus levioribus, in quibus non agitur de gravi præjudicio tertii, et in causis summariis, in quibus de plano proceditur sola facti veritate inspecta, Mascard., cit. q. 11, num. 19; Farinac., cit. q. 63, num. 30; Maranta, *De ordin. judic.*, part. IV, dist. 9, n. 75; Gabriel, *Commun. conclus.*, lib. I *De testibus*, concl. 1, n. 22 et 41: Reiffenstuel, *loco, cit.*, n. 280, et alii communiter. Item quando agitur de vitando peccato, dummodo parti jus non sit acquisitum, ut si ante contractum matrimonium dubitetur de impedimento dirimente; tunc enim sufficit testis unicus id affirmans, ut patet ex cap. *Super eo* 22, De testibus, et cap. 2, *De sponsalibus;* Abbas, in cit. cap. *Super eo*, num. 7; Farinac., cit. qu. 63, num. 48; Sanchez, lib. I *De matrim.*, disp. 71, num. 1, testans de communi. Item creditur publico officiali jurato in his quæ pertinent ad suum officium, ut nuntio seu apparitori asserenti citationem a se factam esse, ponderatori publico circa mensurationem seu ponderationem justam rerum ad se delatarum, medico, architecto, agrimensori, et hujusmodi. *Communis.*

(7. Testes quoad probationem alii vocantur testes contestes, et alii testes singulares. *Testes contestes* sunt illi, qui unum et idem ipsum factum testantur, ut quod viderint Petrum furantem talem rem, tali loco et tempore, v. gr. candelabrum argenteum tali die, in tali ecclesia. *Testes singulares* econtra sunt illi, qui testantur super diversis factis, ita ut quilibet sit singularis in suo dicto, et non concordet cum alio. Sic in re doctores communiter.

(8. Singularitas testium est triplex, nempe obstativa, adminiculativa et diversificativa. Sic Baldus, in cap. *Licet causam*, n. 11, De probationibus; Farinac., *De testibus*, q. 6, n. 4, cum aliis ibi citatis; Pirrhing, *loco citato*, n. 142; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 285, et alii passim.

(9. *Singularitas obstativa*, seu *adversativa* est ea quæ continet contrariam, seu repugnantem testium depositionem, ut si unus deponat tale homicidium, seu adulterium commissum esse in tali loco et tali tempore; alter vero asserat commissum esse in alio loco et alio tempore, ut patet de singularitate obstativa seu adversativa duorum illorum impudicorum testium senum, *Daniel.* cap. XIII, quorum unus testabatur castam Susannam commisisse adulterium sub schino, et alter sub prino; repugnat enim, quod idem numero adulterium committatur eodem tempore, in diversis locis, seu sub diversis et distinctis arboribus.

(10. *Singularitas adminiculativa*, seu *cumulativa* est ea, quæ continet testium depositionem de actibus quidem diversis, sed tamen mutuo sese adjuvantibus ad probandum id de quo est quæstio; ut si ad probandam controversam possessionem agri, unus testis asserat se vidisse illum arari a Paulo, alter dicat se vidisse illum ab eodem Paulo seminari, et alter deponat se vidisse messem ab eodem Paulo ex eo colligi: isti enim testes, quamvis sint singulares, quia deponunt de diversis actibus possessoriis, uti sunt arare, seminare et messem colligere, tamen cum tendant ad eumdem finem, probandi nempe possessionem illius agri habitam a Paulo, dictum unius testis coadjuvat dictum alterius, et sic de aliis similibus, ut cum ad probandum idem factum concurrunt diversæ quidem testium depositiones mutuo tamen sese adjuvantes, ut si unus testis deponat de facto a se viso, alter de eodem a se audito, alter de fama ejusdem, et hujusmodi.

(11. *Singularitas diversificativa* est ea, quæ continet testium depositionem de actibus diversis, quorum unus neque repugnat alteri, neque ipsius probationem coadjuvat, ut si unus testis asserat quod Petrus ludens cum Paulo amisit scuta centum tali die et tali loco, et alter dicat quod amisit octoginta alio loco et alio tempore; tales enim testes non contrarii, sed diversi, deponentes de diversis actibus reputantur; cum non repugnet quod Petrus ludens cum Paulo bis et ter, et adhuc pluries, diversas summas diverso loco et tempore amiserit. Unde neque una depositio repugnat alteri, neque eamdem adjuvat, sed quælibet manet singularis in substantia objecti, et effectus, ac si altera depositio non fuisset facta.

(12. Testes singulares singularitate *obstativa*, seu *adversativa* nihil probant. *Communis*, et patet expresse ex cap. XIII *Danielis* de adductis *supra* n. 9, duobus impudicis testibus senibus accusantibus castam Susannam de adulterio, qui, ex quo essent testes singulares singularitate *obstativa*, seu *adversativa*, succubuerunt in probatione, et falsitatis convicti fuerunt. Unde melius est habere pro se unum solum testem alioquin idoneum, quam mille testes singulares singularitate obstativa, cum isti omnes nihil probent, et ille solus probet saltem semiplene.

(13. Testes singulares *singularitate diversificativa*, quamvis plene non probent, singuli tamen probant tantum, quantum unus, adeoque ex eorum depositione oritur saltem semiplena probatio. Prima pars, scilicet quod plene non probent, habetur clare ex cap. *Bonæ memoriæ* 23, § *Contra*, De electione, ibi: « Cum etsi quilibet de se posset asserere quod ad eum citatio minime pervenisset, singuli tamen vestrum essent in suo testimonio singulares. » Et sic, ut explicat Glossa, *ibid.*, verb. *Singulares*, « Et sic esset insufficiens testimonium illorum. » Et concordat cap. *Cum dilectus* 32, § *Nos vero*, De election., ibi: « Cum contra hoc eorum esset probatio insufficiens, eo quod singuli essent in suis testimoniis singulares, » juncta Glossa, *ibidem*, verb. *Probatio*, et c. *Licet causam* 9, § *Quanquam*, De probationibus, ibi: « Et quidam alii sint in dicto sui testimonii singulares. » Secunda autem pars, scilicet, quod singuli probent tantum, quantum unus, adeoque ex eorum

Digitized by Google

depositione oriatur saltem semiplena probatio, suadetur clara ratione, quia, cum eorum depositiones in nihilo sint contrariæ, et repugnantes, ut patet ex dictis *sup.* n. 11, quælibet de se habere debet totum illum valorem, quem habet depositio unius testis cæteroquin idonei, et omni exceptione majoris, uti esse supponitur quilibet istorum in hoc casu, adeoque semiplenam facit probationem, uti facit depositio unius testis legitimi, et omni exceptione majoris. Farinac., cit. q. 54, n. 42 et 47; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 294 et seq.; Jason., in l. *Admovendi*, num. 178, ff. *De jurejurand.*; Caccialupus, *ib.*, n. 91, 92, 93, testans de communi.

(14. Testes singulares *singularitate adminiculativa*, seu *cumulativa* probant in causis civilibus idem factum genericum, continuum seu successivum. Ita Glossa final. in l. *Ob carmen*, ff. *De testibus*; Mascard., *De probationibus*, conclus. 1205, n. 24 et seq.; card. de Luca, tract. *De dote*, disp. 144, n. 9; Farin., cit. q. 64, n. 112, 130, 160 et 164; Pirrhing, *loco citato*, n. 174; Reiff., *loco citato*, num. 297 et seq.; Felin., in c. *Licet ex quadam*, num. 2; Baldus, *ib.*, n. 9, *De testibus*; Tuschus, litt. *T*, concl. 265, et alii passim. Et ratio est, quia, ut patet ex dictis *supra* n. 10, tales testes quoad rem et substantiam quæstionis non censentur esse testes singulares, sed potius contestes per notabilem textum in l. *Qui sententiam* 16, cod. *De pœnis*. Tum quia licet adhuc possent dici testes singulares, et quod deponant de alio et alio actu specifico, nihilominus tales testes etiam singulares conjunguntur in dicto casu ad plene probandum, cum tendant ad eumdem finem, quamvis per diversa media, arg. cap. *Cum dilectus* 3, juncto ejus Summario et Abbat., *ibid.*, num. 8, *De successionibus ab intestato*

(15. Quinimo etiam in causis criminalibus, si testes plures testentur de diversis actibus seu indiciis ad eumdem omnino finem et effectum tendentibus, ut si aliqui jurati deponant se vidisse Paulum egredientem e domo occisi, alii testentur de fuga ipsius, et alii de fama publica, poterunt conjungi ad faciendam plenam probationem. Mynsing., cent. 3, observ. 106; Pirrhing, *loco citato*, n. 144, vers. *Etiam*; Layman., lib. III *De justitia*, tract. 5, cap. 4, n. 5, vers. *Interim verum est*, in fine, ex l. 3, ff. *De testibus*. (16. Quamvis tamen in causis criminalibus criminaliter motis caute sit procedendum ad reos pœna ordinaria condemnandos per solas attestationes similium testium, cum ad id requirantur probationes indubitatæ; l. *Sciant cuncti*, cod. *De probationib.*, cap. *Testes* 2, q. 7 et cap. 1, *De exceptionibus*, et notant passim doctores.

(17. Testes quoad probationem alii dicuntur testes de scientia, alii testes de credulitate, et alii testes de auditu. *Testes de scientia* dicuntur, et sunt illi, qui deponunt, se scire aliquid ita esse gestum, eo quod proprio sensu corporeo, v. g. visu, vel auditu, id perceperint, nempe viderint talem furtum fieri a Petro, audierint talem blasphemiam proferri a Paulo, et hujusmodi. *Testes de credulitate* dicuntur, et sunt illi, qui jurati deponunt, se credere rem ita se habere. *Testes de auditu, auditus*, seu *ex auditu alieno* dicuntur, et sunt illi, qui jurati deponunt, se ita audivisse narrari a viris fide dignis. Sic in re doctores communiter.

(18. Ordinarie loquendo ad legitimam facti probationem requiruntur *testes de scientia*. *Communis*. Et ratio est, quia de factis externis, et sensu perceptibilibus nequeunt testes esse certi, nisi per aliquem proprium sensum corporeum; certitudo autem de eo, quod testantur, est omnino necessaria ad legitimam probationem, cum teneantur reddere causam suæ scientiæ, seu testimonii sui quando desuper interrogantur, prout a judice interrogari debent; cap. *Cum causam* 37, juncta Glossa, *ibidem*, verb. *De causis, de testibus*, quam causam suæ scientiæ, seu sui testimonii, si non reddiderint, non valebit eorum dictum, seu testimonium, ut pluribus adductis notat Glossa in cit. verb. *De causis*, et tenet communis doctorum per textum in cap. *Sicut nobis* 16, De sententia et re judicata, ibi: « Verum testimonium ipsorum quasi nude prolatum fuerat, cum de causis quæ judicem movere solent ad sententiam proferendam, nihil dixerint. »

(19. Hinc ordinarie loquendo ad legitimam facti probationem non sufficiunt *testes de credulitate* et *testes de auditu alieno*, cum tales, ut notant passim doctores, non dicantur vere et proprie testes, sed solum improprie.

(20. Dicitur autem notanter *ordinarie loquendo*, quia in quibusdam casibus admittuntur ad probationem etiam *testes de credulitate*, et *testes de auditu alieno*. Et signanter *testes de credulitate* admittuntur contra producentem. Item ad probandam rei innocentiam, ut quod hominem occiderit ad necessariam sui defensionem. Item in iis quæ difficilis probationis sunt. Item quando concurrunt alia adminicula præsumptionis, vel indicia. Sic pariter admittuntur testes de auditu alieno, si deponatur super factis antiquis ætatem, et memoriam hominum actu viventium excedentibus. Item in iis quæ facta sunt tempore pestis, cum in iis difficile reperiantur testes, qui de visu aut auditu proprio deponere possint. Item quando testimonium de auditu alieno est adminiculatum, seu conjunctum cum aliis conjecturis aut præsumptionibus, vel probationibus. Item in aliis casibus, in quibus admittuntur testes de credulitate. Sic in re doctores communiter.

(21. Testes regulariter producendi sunt post litem contestatam, et citata parte adversa. *Communis*. Et quidem quoad primam partem, textu expresso in cap. *Quoniam* 5, § 1, *Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem*, ibi: « Quoniam frequenter in dubium revocatur a multis an lite

Digitized by Google

non contestata testes recipi valeant; auctoritate præsentium duximus declarandum, regulariter verum esse quod lite non contestata, non est ad receptionem testium procedendum. » Et quoad secundam partem, textu expresso in cap. *In nomine Domini* 2, De testibus, et in Authent. *De testibus*, § *Et hic vero*, collat. 7.

(22. Dicitur tamen notanter *regulariter*, quia dantur speciales casus, in quibus testes produci possunt etiam ante litem contestatam. Et signanter in causis civilibus, cum adest periculum, ne testimonii facultas pereat, ut sitimeatur de testium morte, vel absentia diuturna, textu expresso in cit. cap. *Quoniam*, statim post verba num. antecedenti adducta, ibi : « Nisi forte de morte testium timeatur, vel absentia diuturna, in quibus casibus, cum civiliter est agendum, ne veritas occultetur, et probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, senes, et valetudinarii et alii testes, de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, etiam lite non contestata, sunt procul dubio admittendi. »

(23. Item si reus legitime citatus comparere noluerit, sicque contumax fuerit, simulque periculum sit in mora, tunc contra contumacem, etiam lite non contestata, possunt testes produci, et recipi, ac insuper si de causa liquido constet, etiam sententia definitiva ferri, textu expresso in cit. capite *Quoniam*, § *Porro*.

(24. Item etiam lite non contestata, possunt produci et recipi testes *ad perpetuam rei memoriam*, ne videlicet in posterum probationis copia pereat, textu expresso in cit. cap. *Quoniam*, § *Sunt et alii*, juncto ejus Summario, et Glossa, *ibid.*, verb. *Publicatio*, et cap. *Significavit* 41, De testibus, et Authent. *De testibus*, § *Et hic vero*, collat. 6.

(25 Item etiam lite non contestata possunt produci et recipi testes, quando agitur per viam inquisitionis super aliquibus excessibus; vel testium publicatio imminet facienda, textu expresso in cit. cap. *Quoniam*, § *Sunt et alii*.

(26. Item etiam lite non contestata possunt produci et recipi testes in judiciis summariis; cum enim in istis procedatur simpliciter, summarie, ac de plano, non est necessario præmittenda litis contestatio. Clementin. *Sæpe contingit*, De verbor. significat; Glossa communiter recepta in cit. cap. *Quoniam*, § 1, verb. *Regulariter*, ubi plures enumerat speciales casus, in quibus summarie procedi potest, et lite non contestata, possunt testes produci et recipi.

(27. In causis autem criminalibus criminaliter motis non possunt unquam produci et recipi testes, lite non contestata, pro instituenda futura accusatione. Sic Glossa communiter recepta in cit. cap. *Quoniam*, § 1, verb. *Civiliter*, ubi sic expresse habet : « Civiliter hoc ideo dicit, quia in criminalibus nunquam recipiuntur testes, lite non contestata. » Et id desumitur aperte ex cit. cap. *Quoniam*, § 1, ibi : « In quibus casibus, cum civiliter est agendum, » etc.; ergo secus, quando criminaliter est agendum : exceptio enim unius firmat regulam in contrarium in casu non excepto, l. *Quæsitum*, § *Denique*, ff. *De fundo instructo*, cap. *Dominus* 32, quæst. 7, et cap. 2, *De conjug. leprosorum*. Et ratio efficax est, quia, cum in criminalibus causis criminaliter motis non agatur de solo interesse pecuniario, ut in civilibus, sed de gravissimo præjudicio vitæ hominis, requiruntur in ipsis probationes strictissimæ et apertissimæ, ut dicit Glossa in cit. cap. *Quoniam*, § 1, verb. *Civiliter*, per textum in cit. cap. *Epiphanium* 5, q. 6, et leg. ultim., cod. *De probationibus*.

(28. Dicitur autem notanter *criminaliter motis*, quia secus est dicendum in causis criminalibus solum *civiliter motis*, cum de ipsis sit discurrendum ac de causis mere civilibus : paria enim censentur quod agatur mere civiliter vel quod de crimine agatur civiliter, arg. l. ultim., ff. *De privatis delictis*, et concordat in cit. cap. *Quoniam*, § 1, ubi dicit indistincte, *Cum civiliter est agendum*, non distinguens de causis mere civilibus ac de criminalibus civiliter agitatis. Sic doctores communiter.

(29. Ordinarie tres solum testium productiones fieri et admitti possunt, quarta vero nonnisi ex gravi causa et cum solemnitate legali admitti potest. *Communis*, textu expresso in c. *In causis* 15, De testibus, ibi : « In causis ecclesiasticis vel civilibus ultra tertiam productionem non debent testes produci, nisi adhibita quadam solemnitate, quæ in legibus invenitur expressa. » Et concordat Authent. *De testibus*, § *Quia vero*, collat. 7, et cap. *Ultra tertiam* 55, De testibus, ubi insuper determinatur solemnitas legalis observanda in quarta testium productione, ibi : « Ultra tertiam productionem non debent testes produci in causa : nisi præstito ab eo, qui hoc postulat, juramento, quod neque per se, neque per alium testificata subtraxerit vel fuerit percunctatus, neque per dolum aut artem aliquam, quartam productionem exposcat, sed quia, quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit. »

(30. Ubi, ut vides, dicta requisita solemnitas legalis in quarta productione testium importat juramentum super tribus punctis judicialiter præstandum. Primo quod *testificata*, id est factas, sive pro sua, sive pro contraria parte (ut explicat Glossa in cit. cap. *Ultra tertiam*, verb. *Testificata*) testium depositiones, *neque per se*, *neque per alium subtraxerit*, id est suppresserit, vel occultaverit, forsan advertens quod sibi non faveant. Secundo, quod nec dicta testificata *fuerit percunctatus*, id est non didicerit aut exploraverit; cum de facili posset tunc oriri periculum, et præsumptio subornationis testium, si isti post jam percunctata, seu didicita testificata produci possent, cap. *Fraternitatis* 17, juncta Glossa, *ibid.* verb. *Noviss.*, De testibus. Tertio, quod « neque per dolum aut artem aliquam, quartam productionem exposcat; » id est quod non ad malitiose protrahendam litem, donec *ali-*

Digitized by Google

quis interim moriatur, vel se absentet (ut explicat Glossa, *ibidem*, verb. *Per dolum*), « sed quia, quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit, » ut expresse habet textus in cit. cap. *Ultra tertiam*, et cit. Authent. *De testibus*, § *Quia vero*, collat. 7, tit. 2, cap. 4.

(31. Qui testificata seu depositiones testium nondum didicit, neque testibus producendis renuntiavit, potest in eodem etiam judicio, et super eisdem articulis iterum eosdem, vel alios testes producere. *Communis*, textu expresso in c. *Constitutis* 46, De testibus, juncto ejus Summario, in quo sic præcise habetur : « Qui testificata non didicit, nec renuntiavit testibus producendis super antiquis articulis, seu capitulis, testes etiam alias productos producere potest. » Et ratio est clara, quia in tali casu cessat periculum subornationis testium.

(32. Post didicita autem testificata, seu didicitas testium productiones, aut post factam publicationem attestationum non potest pars super eisdem articulis, vel directe contrariis reproducere prioris testes, neque alios novos producere. *Communis*, textu expresso in cit. Authent. *De testibus*, § *Quia vero*, cap. 4, Collat. 7, tit. 2, ibi : « Illud tamen indubium est, quia etsi semel producens testes, aut bis, aut testificationes tractaverit (id est descripserit, ut explicat Glossa) aut adversario hoc faciente, ipse disputationem acceperit, et ex hoc didicerit testificata, non habebit omnino licentiam ullam ulterius uti testium productione. » Et concordat citat. cap. *Constitutis* 46, De testibus, ibi : « Cum nondum testificata didicerint, » sumpto argumento a sensu contrario, et cap. *Ex tenore* 36, De testibus, ibi : « Cum attestationes jam essent hinc inde solemniter publicatæ, locus productioni testium jam non erat ; » juncta Glossa final. *ibidem*, cap. *Veniens* 38, § *Pars autem*, De testibus, ibi : « Non licebat eidem, postquam testificata didicerat, super eisdem articulis alios testes producere. » Et ratio est manifesta, quia tunc subest præsumptum periculum subornationis testium, id est ne pars, quæ testes produxit, eos subornet, ac instruat, ut aliquid addant, vel demant, seu corrigant de priore sua facta testificatione. Clement. *Testibus* 2, De testibus, ibi : « Testibus rite receptis, et eorum attestationibus publicatis, sicuti non licet super eisdem, vel directe contrariis articulis, alios vel eosdem testes in principali causa producere ; sic non debet in appellationis causa licere : cum non minus in principali causa subornatio sit timenda. »

(33. Dantur tamen varii casus, in quibus etiam post publicationem attestationum, aut didicita attestata, et insuper etiam post conclusionem in causa possunt adhuc produci novi testes, aut reproduci priores, etiam super eisdem articulis, et admitti novæ probationes. *Vide* verb. Probatio a n. 66 usque in fin., ubi id clare ostenditur.

(34. Testes e longinquo producendi sunt sumptibus ipsius producentis, seu ipsorum testimonium desiderantis, qui tenetur proinde eis subministrare competentes expensas in veniendo, stando et redeundo factas juxta conditionem et qualitatem ipsorum. *Communis*, textu expresso in cap. *Statutum* 11, § *Pro ferendo*, De rescriptis in 6, ibi : « Sed nec tunc, nisi a producente competentes, vocato pro testimonio veniendo, stando et redeundo, faciat ministrari expensas ; » et leg. *Quoniam libri* 11, cod. *De testibus*, ibi : « Talis debet esse cautio judicantis, ut eis (scilicet testibus) venturis ad judicium per accusatorem, vel ab his, per quos fuerunt postulati, sumptus competentes dari præcipiat ; » quæ ipsissima verba repetuntur in can. *Si testes* 3, § *Venturis*, caus. 4, qu. 2 et 3.

(35. Insuper producens testes de longinquo debet eis compensare emolumenta, quibus testes ob absentiam carere debent, seu operas ob id ab eis omissas. Et hoc ad servandos testes indemnes, ne videlicet testimonium sit testificantibus damnosum ex jactura talium emolumentorum, quia licet testimonium non debeat testibus esse lucro, non tamen debet ipsis esse nocumento. Farinac., *De testibus*, q. 76, n. 271 et 272 ; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 443, testans de veriori et magis communi contra Gailum, et alios.

(36. Pars adversa, seu quicunque alius testium productionem injuste impediens, peccat graviter, et potest ob id excommunicari. *Communis*, textu expresso in cap. *Constitutis* 46, De testibus, ibi : « Cum quosdam induxerint ad jurandum, ne adversus archiepiscopum aliquid dicerent, et alios minis et terroribus a testimonio perhibendo arcere nitantur. Nos ex officio nostro super hoc providere volentes, mandamus, ut generalem feras excommunicationis sententiam in omnes, qui impedimentum aliquod ipsi M. præstare præsumpserint in testibus producendis ; » juncto ejus Summario sic dicente : « Excommunicari possunt, qui partem impediunt in testibus producendis. »

(37. Testes, antequam deponant suum testimonium, debent jurare ; alioquin eorum testimonium non valet, et nihil probat in judicio. *Communis*, textu expresso in c. *Super bonis* 51, De testibus, ibi : « Nullius testimonio quantumcunque religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi. » Et concordant cap. *Fraternitatis* 17, cap. *De testibus* 29, cap. *Tuis* 39, De testibus, can. *Si testes* 3, § *Jurisjurandi*, caus. 4, q. 2 et 3, c. *Hortamur* 20, caus. 3, q. 9 ; item l. *Jurisjurandi* 9, Cod. *De testibus*, ibi : « Jurisjurandi religione testes, priusquam perhibeant testimonium, jam dudum arctari præcipimus ; » et l. *Testium* 19, cod. eod., ibi : « Hique cum sacramenti religione deposuerint. »

(38. Testium juramentum non est calumniæ, sed *veritatis, id est de tota veritate* dicenda, quam noverunt circa rem illam, super qua deposituri jurant. *Communis* per text. in c. *Nullam damnationem* 3, caus. 2, q. 5,

Digitized by Google

c. *Hortamur* 23, caus. 3, q. 9, can. *Non sane* 15, caus. 15, q. 6, cum similibus.

(39. Juramentum testium debet esse personale, ac præstari tactis sacrosanctis Evangeliis. *Communis*, per text. in cit. can *Nullam damnationem*, ibi: « Et prius ad sacra Christi quatuor Evangelia sacramenta præstent: » cit. can. *Hortamur*, ibi: « Tactis sacrosanctis Evangeliis, » et Clem. 1, § *Porro*, De hæreticis, ibi: « Jurabunt ad sancta Dei Evangelia corporaliter a se tacta. »

(40. Episcopi autem non jurant tactis corporaliter sacris Evangeliis, sed tantummodo iis coram se positis et inspectis, tacto suo pectore, jurant: Authent. *Sed judex*, cod. *De episcop. et cleric.*, et c. ultim., juncta Glossa, *ibidem*, verb. *Per te ipsum*, De juramento calumniæ; Vestrius, in *Practic.*, lib. VI. c. 2. n. 7; Farinac, quæst. 74, num. 81 et 82; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 121, et alii, id extendentes etiam ad alios sacerdotes, aliasque personas in sacris constitutas juxta praxim et consuetudinem fere generalem.

(41. Testes possunt interdum testificari de consensu partium etiam sine juramento: potest enim a partibus tale juramentum ipsis remitti. *Communis*, per textum in c. *Tuis quæstionibus* 39, De testibus, ibi: « Testes producere absque juramenti depositione non possunt, nisi forte a parte remittatur adversa. »

(42. Testes examinandi sunt ab ipsomet judice. Auth. *Ut defuncti, seu funera*, cap. 2, collat. 5, novella 60, et concordat l. *Testium* 3, ff. *De legibus*. Et id ut possint a judice terreri et cogi justum testimonium ferre, ut dicitur in cit. Authent. seu novella, et notat Glossa communiter recepta, *ibid.*, verb. *Testibus*.

(43. Ob justam tamen causam, ut si judex fuerit legitime impeditus, aut testes fuerint remote absentes, ita ut difficulter ad judicem accedere possint, potest judex alteri personæ idoneæ eorum examen committere. Cit. novella 60, cap. 2, l. *Judices* 18, cod. *De fide instrument.*, c. *Constitutus* 3, § *Præterea*, De fidejussor., c. *Mulieres* 2, De judiciis, in 6.

(44. Testes secreto, et singillatim seorsim ab aliis sunt examinandi, et non plures simul. C. *Venerabilis* 52, De testibus, juncta Glossa communiter recepta, *ibid.*, verb. *Examinare;* c. *Inquisitionis* 21, § *Tertiæ dubitationis*, De accusationib., ibi: « Qui post juramentum interrogati secreto; » l. *Nullum* 15, cod. *De testibus*.

(45. Potest tamen, imo debet judex adhibere notarium, seu duos viros idoneos, qui testium depositiones conscribant, c. *Quoniam* 11, De probationib.

(46. Et insuper in examine testium super crimine hæresis, præter notarium, adhiberi debent aliæ duæ religiosæ et discretæ personæ, textu expresso in cap. *Ut officium* 11, § *Verum quia*, De hæreticis, in 6.

(47. Examinatio testium ordinarie fit in loco judicii, et ante prandium, dum testes adhuc sunt jejuni, et melius sibi præsentes exsistunt, c. *Placuit* 1, De testibus, ibi: « Ac nullus testimonium dicat, nisi jejunus, » quod tamen, ut notat Glossa communiter recepta, *ib.*, verb. *Jejunus:* « Hoc de honestate dictum est, non de necessitate; » per text. in c. *Honestum* 16, caus. 22, q. 6, ibi: « Honestum etiam videtur, ut qui in sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate et timore Dei. »

(48. Unde si opus sit, aut expediens videatur, potest examinatio testium fieri etiam post prandium ipsis testibus non jejunis, ut constat de communi consuetudine, et etiam extra locum judicii ubicunque expediens visum fuerit. Glossa communiter recepta, in cit. c. *Quoniam* 11, verb. *Tempora*, De probationibus, ibi: « in quo loco facta sint, » Abbas, *ibid.*, n. 31, et alii passim, id desumentes ex ipsomet textu dicti canonis, dum ibi jubetur notarius in actis judicii scribere depositiones testium, *locs designando, et tempora, et personas.*

(49. Personæ egregiæ, quando producuntur in testes, domi suæ examinari possunt, ac debent, text. expresso in l. *Ad personas* 15, ff. *De jurejurando*, ibi: « Ad personas egregias, eosque qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad jurandum. »

(50. Inter *personas egregias* comprehenduntur episcopi. Authent. *Sed judex*, cod. *De episcop. et cleric;* imo etiam presbyteri et diaconi, vel etiam alii clerici. Abbas in c. *Si qui testium* 8, n. 5 et 6, De testibus; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 189; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 505; Farinac., *De testibus*, qu. 77, n. 213, cum aliis ibi citatis; item personæ illustres et in dignitate constitutæ: Felin. in d. cap. *Si qui testium*, n. 6; Farinac. *loc. cit.*, n. 210; Pirrhing, *l. c.*, n. 189, Reiffenst., *loc. c.*, n. 105. Item doctores: l. *Medicos* 6, cod. *De professoribus*, Glossa in c. l. *Ad personas*, 15, verb. *Ad personas*, ff. *De jurejurando;* Abbas, *l. c.*, n. 5; Farinac., *l. c.*, n. 214; Pirrhing, cit. n. 189; Reiffenst., cit. n. 505. Item milites seu equestris ordinis personæ; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 189; Reiffenst., *loc. c.*, n. 223, cum aliis ibi allegatis.

(51. Eodem privilegio gaudent etiam testes valetudinarii, et senes, vel debilitate confecti aut paupertate depressi, ita ut coram judice commode comparere nequeant propter virium imbecillitatem vel quia, cum honestæ personæ sint, non sine dedecore suo ad locum judicii venire possunt; unde etiam ad horum testimonium recipiendum debet judex mittere personas idoneas et discretas, textu expresso in cap. *Si qui testium* 8, De testibus, ibi: « Si qui testium valetudinarii sunt, et senes, vel debilitate confecti, ac paupertate depressi, ita quod non possint ad vestram præsentiam adduci, ad ipsos recipiendos mittatis personas idoneas et discretas; » juncto ejus Summario sic dicente: « Judex mittere debet examinatorem discretum ad testes recipiendos, qui ad eum commode venire non possunt; » cap. *Mulieres* 2, De judiciis, ubi idem de feminis statuitur.

Digitized by Google

(52. Quod autem dictum est *supra* num. 50, de personis egregiis, v. gr. personis illustribus, doctoribus, militibus, etc., locum non habet in causis criminalibus, quia in his magis decet ut personæ etiam egregiæ ad judicem se conferant, quam judex ad ipsas. Abbas, *l. c.*, n. 1; Felin., *l. c.*, n. 2; Farinac., *l. c.*, n. 235 et 238; Pirrhing, *l. c.*, n. 190, et alii per text. in Authent. *Apud eloquentissimum*, cod. *De fide instrumentor.*, ibi: « Sed hoc in civilibus tantummodo causis, nam in criminalibus testes apud judices repræsentandi sunt, et cum res exegerit, tormentis subjiciendi; » juncta Glossa in citat. cap. *Mulieres*, verb. *Jure prohibente*, ibi: « Jure prohibente, ut in criminali criminaliter intentata. » (53. Et id supracitati doctores extendunt etiam ad causas civiles valde arduas, quia causæ civiles valde arduæ, et magni momenti æquiparantur causis criminalibus, arg. l. *Advocati*, cod. *De advocat. diversor. judicior.*

(54. In examinatione testium, ultra interrogatoria generalia, quæ eis fieri solent, nempe cujus sint ætatis et conditionis, an sint conjuncti producenti, an inimici parti adversæ, an subornati, an in causa controversa interesse habeant, et hujusmodi, sunt eis facienda interrogatoria specialia circa causam controversam, et ejus peculiares circumstantias, quæ generatim ad decem reducuntur, prout habentur expressæ in cap. *Cum causam* 37, De testibus, ibi: « De singulis circumstantiis prudenter inquires, de causis videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama et certitudine. » Quæ decem particularia interrogatoria breviter a Glossa, *ibidem*, verb. *Tempore*, sequentibus versiculis perstringuntur:

Auditus, visus, persona, scientia, causa,
Fama, locus, tempus, ac certum, credulitasque;
Dum testes recipit, judex hæc cuncta notabit.

(55. In testibus examinandis sunt omnino evitanda interrogatoria suggestiva, utpote in jure expresse prohibita: unde tenetur judex ab ipsis abstinere, non solum quando tendunt in damnum rei, sed etiam quando tendunt in damnum fisci. Ita Farinac., *De testibus*, q. 79, n. 78; Scaccia, lib. 1 *De judiciis*, q. 86, n. 8 et 40; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 319, et ipso teste, communis aliorum, per clarum textum in l. *In criminibus* 1, § 21, ff. *De quæstionibus*, ibi: « Qui quæstionem habiturus est, non debet specialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium fecerit, sed generaliter quis id fecerit; alterum enim magis suggerentis quam requirentis videtur. »

(56. Unde, ut vides, interrogatoria suggestiva dicuntur, et sunt ea quæ fiunt de aliquibus in specie, sive exprimendo speciales personas, circumstantias et qualitates alicujus causæ civilis vel criminalis, seu rei gestæ aut criminis commissi, ut si judex interroget testem, an viderit quod Paulus occiderit Petrum tali die, in tali loco, percutiendo ipsum baculo, vulnerando in capite, etc., *seu*, an viderit Caium tali die furari calicem in tali sacello, furari equum in tali domo, die, etc., hoc enim modo dicitur testis interrogari per suggestionem, suggerendo nempe, seu ipsi indicando quid respondeat, scilicet: « Ita vidi, quod Paulus occiderit Petrum talie die et loco, percutiendo ipsum baculo, et vulnerando in capite, etc.; *seu*, vere vidi Caium teli die furari calicem in tali sacello, furari equum in tali domo, tali die, » etc. Farinac., tom. III *Praxis criminalis*, q. 84, n. 91 et 92; Scaccia, lib. 1 *De judiciis*, cap. 86; Reiff., *loc. cit.*, n. 516, et alii.

(57. Duplex autem potest esse suggestio, scilicet aperta et palliata. *Suggestio aperta* dicitur, quando de ea aperte seu clare constat ex ipsamet facta interrogatione, uti liquet in allatis exemplis. *Suggestio palliata* dicitur, quando tecto aliquo modo aperitur via respondendi, sed de ea ex interrogatione non apparet; et hoc dupliciter accidit: primo, quando nullo modo apparet, de qua re testis fuerit interrogatus, ut si in Actis scribatur: *Ad opportunam interrogationem respondit*, etc. Sic enim libera datur via respondendi; secundo, quando interrogans prævenit testem in responsione, quasi subtiliter ei indicando modum respondendi; seu quando interrogans prævenit reum in responsione, si ipsemet reus interrogetur, quasi subtiliter ei indicando modum evadendi. Farinac. *loc. c.*, num. 91, 92; Scaccia, cit. cap. 86, n. 8 et 40, cum aliis ibi citatis, et litteraliter Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 517.

(58. Confessio rei per interrogationem suggestivam extorta, non præcedentibus signis, non sufficit ad ipsum condemnandum, et omnia inde secuta sunt penitus nulla et invalida. Scaccia, lib. 1 *De judiciis*, 86, num. 7 et 40; Farinac., tom. III *Prax. crim.*, q. 83, num 84; cum pluribus aliis ibi allegatis; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 521; Ludovicus de Ameno, in *Pract. crim.*, tit. 19, § 4, num. 17, et ipso teste, alii communiter. Et ratio est, quia interrogationes suggestivæ sunt omnino in jure prohibitæ. *Cit. loc. In criminibus* 1, § 21, ff. *De quæstionibus*. « Quæ autem contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, » textu expresso in cap. *Quæ contra jus* 64, De regul. jur., in 6, et concordat can. *Imperiali* 13, caus. 25, q. 2 et l. *Non dubium* 5, *cod. De legibus*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(59. « Nunc (ait imperator Constantinus in l. 9, § 1, cod. *De testib.*) manifeste sancimus ut unius omnino testis responsio non audiatur etiamsi præclaræ curiæ honore fulgeat: » quod adeo doctores extendunt, ut ne consuetudine quidem, aut per summum principem introduci possit, ut uni testi plene credatur. Confer Umm. ad *Process.*, disput. 17, num. 42.

(60. Justa vero ratione evenire interdum potest, ut unico testi credatur: Horn. *Dissert. de probat. per unic. test.* Ita in praxi practicari solet, quando persona in officio publico constituta de illis testificatur quæ egit ratione officii, vel coram ipso gesta

Digitized by Google

sunt. Et ita credendum est judici, si asserat testamentum coram se conditum fuisse, licet vel maxime juramentum non præstet. Carpzov. *Jurisprud. forens.*, part. I, const. 16, definit. 27; Philipp., decis. 44, observ. 3, n. 18.

(61. Sic etiam nuntio publico in iis quæ ad officium ejus spectant, creditur, non item in illis, quæ extra officium sunt. Adi Mev. *Ad jus Lubecens.*, lib. I, tit. 1, art. 3, num. 17, veluti si testificetur de exsecutione eorum quæ ipsi sunt commissa; l. 5, cod. *De exact. tribut.*, nequaquam vero de facto tertii. (62. Idem quoque hodie locum habet quoad actuarios, secretarios, etc., cum æque juratæ personæ sint, ut fidem publicam in iis quæ ad officia eorum spectant, habere debeant: Philipp., ad decis. 38, observ. 3.

(63. Natura quoque negotii admittit aliquando probationem per unum testem, veluti si in summariissimo de præsentanea possessione agatur. Brunemann., in l. 91, cod. *De testib.*; Horn. *Dissert.* cap. 3, num. 5.

(64. Pro rei vero gravitate quandoque ne duo quidem testes sufficiunt, ut patet ex l. 18, cod. *De testib.* Disponit hic imperator, quod contra debitum in scriptis contractum testes non facile audiendi sint, qui solutionem probare velint. Quin potius qui exceptionem solutionis recte docere vult, producere debet vel quinque testes idoneos, et summæ integræque opinionis, qui solutioni præsentes fuerint, vel per apocham. (65. Cæterum moribus non quinque amplius testes requiruntur, sed duo sufficiunt. Ant. Faber, in *Cod.* lib. IV, tit. 15, defin. 23, num. 12 et sequent.; Gudelin., *De jur. novissim.*, lib. IV, cap. 11; Gronowegen, *De leg. Abrog.* ad dict. l. 18, n. 4; Sand., lib. I, tit. 10, defin. 1.

(66. Simile quid est in l. ultim. cod. *Si certum petatur*, ubi cavetur, ut si debitum excedat X libras auri tunc chirographum, et quitantia alias robur non habeat, nisi trium testium subscriptione munita sit. Sed moribus nec requiritur hæc trina testium subscriptio. Gudelin., *loco* mox *citato*, Gronowegen., ad dict. l. ult. Christin., vol. 5, decis. 5, num. 8.

ARTICULUS III.

Quoad testium exceptionem seu approbationem, coactionem et obligationem

SUMMARIUM.

1. Exceptiones, quæ testibus possunt objici, sunt triplicis generis. — 2. Exceptio contra *personas testium* quomodo fiat. — 3. Exceptio contra *eorum examen* quomodo fiat. — 4. Exceptio contra *eorum depositiones seu dicta*, quomodo fiat. — 5. Exceptiones contra personas testium sunt opponendæ ante publicationem attestationum, alioquin non valent, nisi in tribus casibus, qui assignantur. — 6. Exceptiones contra depositiones et dicta testium opponendæ sunt post publicationem attestationum. — 7. Et idem servata proportione dicendum venit de exceptionibus contra examen testium. — 8. Nemo potest excipere contra seu reprobare testes, quos induxit pro se, sed tenetur eos admittere contra se, etiam in alio judicio, nisi nova causa superveniat. — 9. Item potest quis excipere contra et reprobare testem antea a se productum, non solum ex inimicitia postea inter se orta, sed etiam ex quacunque nova causa de jure sufficiente ad aliquos testes repellendos. — 10. Testes probatorii possunt reprobari per alios testes reprobatorios reprobatoriorum: ultra vero non est permissum alios testes reprobatorios producere. — 11. Qui sint testes probatorii, qui reprobatorii, et qui reprobatorii reprobatoriorum. — 12. Testes legitime citati testificari recusantes in causa civili cogi possunt a judice ad testificandum. — 13. De jure civili etiam in causis criminalibus cogi possunt testes laici ad testificandum. — 14. De jure canonico in causis criminalibus criminaliter motis etiam testes laici ordinarie cogi non possunt ad testificandum. — 15. Et a fortiori dicendum est, quod testes etiam laici cogi non possunt ad testificandum de crimine occulto et non notorio, quamvis forte duobus vel tribus cognitum sit. — 16. Item nec cogi possunt testes etiam laici ad testificandum in causis criminalibus, quando ex tali testificatione imminet ipsis testibus gravis periculum, v. g. inimicitiæ capitalis. — 17. Dantur tamen varii casus, in quibus etiam de jure canonico cogi possunt testes ad testificandum etiam in causis criminalibus motis, et signanter quando veritas aliter haberi non potest. — 18. Item sic compelli possunt testes, quando malitiose se subtrahunt a ferendo testimonio timore adversæ partis, aut gratia, vel odio aliquo. — 19. Item sic cogi possunt, quando pars adversa malitiose impedit eorum productionem. — 20. Item testes cogi possunt ad testificandum in crimine hæresis, læsæ majestatis, conjurationis, Simoniæ, et aliis similibus atrocioribus delictis. — 21. Ad testificandum regulariter in nulla causa cogi possunt parentes et liberi contra se invicem; imo illi neque volentes admittuntur. — 22. Item regulariter in nulla causa cogi possunt ad testificandum agnati et cognati contra suos consanguineos usque ad tertium gradum inclusive. — 23. Item regulariter in ulla causa cogi possunt ad testificandum contra se invicem socer et socrus, gener et nurus, vitricus et noverca, privignus et privigna, patruus et amita, avunculus et matertera, maritus et uxor, et hujusmodi affines. — 24. Item regulariter in nulla causa cogi possunt liberti ad testificandum contra patronos, nec patroni contra suos libertos. — 25. Item regulariter in nulla causa cogi possunt ad testificandum senes majores LXX annis, valetudinarii, milites, et illi qui cum magistratu reipublicæ causa absunt, vel quibus venire non licet. — 26. Supradicti tamen privilegiati cogi possunt ad testificandum in aliquibus casibus; et signanter quando veritas aliter quam per ipsos haberi non potest. — 27. Item dicti privilegiati cogi possunt ad testificandum in crimine læsæ majestatis, hæresis, et aliis atrocissimis exceptis criminibus. — 28. Clerici autem et religiosi, ubi agitur de imponenda pœna sanguinis, nequidem cogi possunt ad testificandum in dictis criminibus exceptis propter periculum irregularitatis. — 29. Clerici, si non adsint alii testes, cogi possunt ad perhibendum testimonium veritatis, etiamsi cederet in aliquod damnum Ecclesiæ. — 30. Non obstante juramento, quo testis juravit, se nihil dicturum, neque depositurum in judicio, potest is ad testificandum compelli. — 31. Imo talis potest testificari nulla prævia dicti sui juramenti absolutione. — 32. Consultius tamen est ab solutionem ejusdem ad cautelam petere; vel saltem quod judex prius declaret nullitatem ipsius. — 33. Testes an et quando possint, vel non in præstando juramento uti restrictione mentali, seu amphibologia aut æquivocatione? *remissive*. — 34. Obligatur testis sub gravi peccato ex charitate et sponte sua testimonium dicere, quando proximus in gravi necessitate de vita, fama vel bonis fortunæ periclitatur, et malum testando, impediri potest. — 35. Ex

Digitized by Google

justitia autem legali, seu ex obedientia tenetur sub gravi testimonium ferre solum, quando a competente judice legitime est citatus et interrogatus. — 36. Judex quando censeatur juste et juridice exigere a testibus testimonium. — 37. Assignantur aliqui casus, in quibus testis sub mortali tenetur testimonium ferre in legitimo judicio. — 38. Assignantur aliqui casus, in quibus testis non obligatur testimonium ferre etiam interrogante et præcipiente judice. — 39. Unde in dictis casibus, et quoties judex non legitime interrogat, licitum est testimonium recusare, subterfugere, tergiversari. Aut si necessario sit respondendum, veritatem dissimulare, aut aliqua licita amphibologia vel restrictione mentali eludere.—40. Testis in pluribus peccat et assignatur quando. — 41. Testis, qui ex malitia scienter falsum deponit, præter pœnas perjurii quas incurrit, tenetur etiam ad restitutionem totius damni inde secuti propter injustitiam commissam. — 42. Item tenetur talis malitiosus, et falsus testis revocare suum falsum testimonium cum pari suo damno et periculo etiam vitæ, si reus a se injuste pro tali testificatus, de ea periclitetur et potetur revocando aliquid effecturus.—43. Si autem testis ex ignorantia invincibili, inadvertentia aut oblivione inculpabili falsum deposuit, quamvis teneatur retractare id quod dixit, et damnum impedire eo modo, quo potest, non tenetur tamen ex justitia ad restitutionem damni illati. — 44. Item ad restitutionem non tenetur talis testis in casu, quo a parte rei per dictum suum falsum testimonium nihil effecerit, seu nullum damnum causaverit, ex quo per falsa testimonia aliorum jam tota causa damni fuerit posita, ita ut judex ex hoc testimonio nihil penitus fuerit motus. — 45. Testis autem, qui falsum deposuit non scienter, et nec ex notabili negligentia, seu non ex culpa lata, sed tantum ex culpa levi, licet non teneatur ad restitutionem totalis damni, tenetur tamen ad restitutionem partis juxta proportionem culpæ. — 46. Alia ad rem cum additionibus ex aliena manu, ad n. 67.

(1. Exceptiones, quæ testibus objici possunt, sunt triplicis generis, scilicet contra personas testium, contra examen testium et contra depositiones, seu dicta testium. Hiltropius in *Process. judicial.*, tit. 9, cap. 6; Pirrhing, *loc. citato*, num. 239; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 334, et alii.

(2. Exceptio *contra personas testium* fit opponendo ipsis quod vel omnino vel saltem respectu talis causæ inhabiles sint ad ferendum testimonium, et qui sint tales sic inhabiles, abunde patet ex supradictis art. 1.

(3. Exceptio *contra examen testium* fit opponendo quod non sit legitime factum vel ex defectu jurisdictionis, si nempe a judice incompetente testes fuerint examinati, v. gr. clerici a judice sæculari sine consensu proprii superioris, vel quia testes producti et recepti sunt ante litem contestatam, aut parte adversa non citata, aut post tertiam productionem, non observata requisita solemnitate legali, aut post didicita testificata, seu cognitas depositiones eorum, aut post conclusionem in causa, sive renuntiationem a partibus factam productioni testium, vel quia non jurati sunt recepti et examinati, aut non singillatim, et seorsim in secreto, sed simul plures admissi, et hujusmodi, de quibus exceptionibus satis constat ex supradictis art. 1.

(4. Exceptio *contra depositiones seu dicta testium* fit opponendo quod deposuerint contraria, sive unus testis sibi ipsi, sive unus alteri contradicat. Vel quod deposuerint singularia, vel sine certa scientia deposuerint inverisimilia, aut penitus falsa. Vel etiam quod deposuerint per interrogatoria suggestiva sibi facta, et hujusmodi, de quibus plene constat ex dictis *supra* art. 2.

(5. Exceptiones contra personas testium sunt opponendæ ante publicationem attestationum, alioquin non valent, nisi in tribus casibus. *Communis*, textu expresso in cap. *Præsentium* 31, De testibus, ubi assignantur dicti tres casus. Primo scilicet : « Si quis cum juramento firmarit quod ad hoc ex malitia non procedat. *Secundo*, si forsan ante publicationem id fuerit protestatus. *Tertio*, quando quis ostendere poterit, quod post publicationem didicerit, quod objicit in personas. »

(6. Exceptiones contra depositiones seu dicta testium opponendæ sunt post publicationem attestationum. *Communis*. Et ratio est clara, quia partes ante publicationem attestationum ignorant penitus quid testes deposuerint, sicque nesciunt quid in eorum dictis, seu depositionibus sit reprobandum, adeoque, etc.

(7. Et idem, servata proportione, dicendum venit de exceptionibus contra examen testium ; tales enim exceptiones, ut de se patet, nequeunt opponi, nisi quando, examine illo testium producto, altera pars cognoscere potuit, istud, se non citata, aut alias illegitime fuisse attentatum et factum. Sic præcisis verbis Reiffenstuel, *loc. citat.*, num. 673, et alii passim.

(8. Nemo potest excipere contra, seu reprobare testes, quos induxit pro se, sed tenetur eos admittere contra se, etiam in alio judicio, nisi nova causa superveneri. *Communis*, textu expresso in l. *Si quis testibus* 17, cod. *De testibus*, ibi : « Si quis testibus usus fuerit, iidemque testes adversus eum in alia lite producantur, non licebit ei personas eorum excipere, nisi ostenderit inimicitias inter se et illos postea emersisse, ex quibus testes repelli leges præcipiunt : » et concordat can. *Si testes* 3, § *Si quis testibus*, caus. 4, q. 2 et 3, ubi repetuntur ipsissima præcisa verba.

(9. Item potest quis excipere contra et reprobare testem antea a se productum, non solum ex inimicitia postea inter se orta, sed etiam ex quacunque nova causa de jure sufficiente ad aliquos testes repellendos, ut si postea testis ille factus sit infamis, perjurus, et hujusmodi. *Communis*, arg. cit. l. *Si quis testibus* 17, cod. *De testibus*, et citat. can. *Si testes* 3, § *Si quis testibus*, caus. 4, q. 2 et 3. Ubi enim eadem est ratio, ibi etiam eadem est legis dispositio; l. *Loco* 27, ff. *De legibus*, l. *Illud* 32, ff. *Ad legem Aquiliam*, et c. *Inter corporalia* 2, De translatione episcopi : cum ratio legis sit anima legis, leg. *Cum ratio* 7, De bonis damnatorum.

(10. Testes probatorii possunt reprobari

Digitized by Google

per alios testes reprobatorios a parte adversa productos, et etiam hi ipsi reprobatorii possunt reprobari per testes reprobatorios reprobatoriorum; ultra vero, id est, contra testes suos reprobatorios reprobatoriorum non est permissum alios testes reprobatorios producere. *Communis*, textu expresso in c. *Licet dilectus* 49, De testibus, juncto ejus summario sic expresse dicente : « Testes probatorios et reprobatorios probatoriorum reprobare licet, sed reprobatorios reprobatoriorum non licet. » Unde, ut vides, ad æqualitatem servandam in judiciis, et ne veritas succumbat, ac per falsos testes opprimatur, jure merito tam actori quam reo permittitur reprobare, tum testes probatorios super principali negotio ab altera parte productos, tum etiam horum reprobatorios; et ne detur processus in infinitum, statuitur quod in tertia productione testium priores testes reprobantium utrobique detur status, nec ultra ad quartam testium productionem contra tertios productos possit procedi, textu expresso in cit. c. *Licet dilectus*, ibi : « Ne si producendi quartos contra tertios, et sic deinceps partibus licentia tribuatur, negotium diutius protelari contingat. »

(11. *Testes* autem *probatorii* dicuntur, et sunt illi qui super causa seu negotio principali producuntur ad probationem illius; *testes reprobatorii* vero dicuntur et sunt illi qui ab altera parte producuntur ad reprobandum seu refutandum personas aut dicta illorum testium probatoriorum, probando scilicet per eos, quod testes illi probatorii sint a jure inhabiles, utpote servi, infames, et hujusmodi, aut quod eorum depositio sit contradictoria, falsa, etc., et sic ipsi nihil probent. *Testes reprobatorii reprobatoriorum* tandem dicuntur et sunt, illi qui vicissim producuntur ad reprobandum personas aut dicta testium reprobatoriorum. Sic in re doctores communiter, id desumentes ex cit. cap. *Licet dilectus* 49, De testibus, et ejus summario, et cap. *Præsentium* 4, De testibus, in 6, juncto pariter ejus summario.

(12. Quando testes legitime citati venire aut testificari in causa civili recusant, tunc per judicem sive ordinarium, sive delegatum ad testificandum compelli possunt. *Communis*, textu expresso in c. *Causam* 1, De testibus cogendis, ibi : « Mandamus quatenus testes ab alterutra partium in suæ assertionis testimonium invocatos, ne veritatem occultent, diligentius moneas et inducas; si autem odio, vel gratia, vel timore se subtrahant, eos ad ferendum testimonium coram præfatis judicibus, vel eorum nuntio, quem ad hoc miserint, ecclesiastica districtione compellas; » juncto ejus summario sic dicente : « In causa civili monendi et inducendi testes sunt ad testificandum. Et si se subtrahant odio, gratia, etc., compelluntur : » et concordant c. *Cum super* 2, cap. *Super eo* 3, cap. *Pervenit ad audientiam* 4, cap. *Pervenit ad nos* 5, cap. *Cæterum* 6, eod l. *Temporibus* 1, § 3, ff. *De inspiciendo ventre*, cum similibus.

(13. De jure civili etiam in causis criminalibus cogi possunt testes laici ad testificandum. Pirrhing., lib. II *Decretal.*, tit. 21, num. 15 in fin.; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 18, Sigismund. Scaccia, lib. II *De judiciis*, cap. 10, num. 13; Julius Clarus, in *Praxi criminal.*, l. 5, § final., q. 24, num. 21, testans sic servari in jure civili de communi consuetudine, arg. l. *Si quando* 19, cod *De testibus*, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Causis*, cum similibus, et cap. *Super eo* 3 in fine, De testibus cogendis.

(14. De jure canonico in causis criminalibus criminaliter motis testes etiam laici ordinarie cogi non possunt ad testificandum. Sic Glossa, in cap *Super eo*, verb. *Passim*; in cap. *Pervenit ad nos*, verb. *Recusant*, in cap. *Dilectorum*, verb. *Super criminibus*, De testibus cogendis; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 11, cum Innocent., Abbate, Imola, et aliis ibi citatis, testans insuper sic sentire alios canonistas communiter, Reiffenstuel, *l. c.*, n. 20; Farinac., tract. *De testibus*, q. 78, n. 115, dicens hanc esse communem sententiam canonistarum per text. in cap. *Dilectorum* 10, n. 11, vers. *In occultis*, De testibus cogendis, ibi : « Testes, qui fuerint nominati, præterquam super criminibus (si se gratia, odio vel timore subtraxerint) per censuram ecclesiasticam cogatis veritati testimonium perhibere; » ubi, ut vides, expresse excipiuntur causæ criminales per verba : « Præterquam super criminibus. »

(15. Et a fortiori dicendum est quod testes etiam laici cogi non possunt ad testificandum de crimine occulto et non notorio, quamvis forte duobus, vel tribus cognitum sit, textu expresso in cap. *Super eo* 3, De testibus cogendis, ibi : « Verum si non est notorium, et is qui convenitur factum negaverit, testes, qui interfuerunt facto, monendi sunt, non cogendi, ad ferendum testimonium veritati; » et sic tenent Jo. Andr., in cit. cap. *Dilectorum* 10, num. 41, vers. *In occultis*, De testibus cogendis; Laym., lib. III *Theolog. moral.*, tract. 6, cap. 4, n. 9; Farin., q. 78, num. 121, cum aliis ibi allegatis; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 12, ubi allegat S. Thomam, et alios.

(16. Item nec cogi possunt testes etiam laici ad testificandum in causis criminalibus, quando ex tali depositione seu testificatione imminet ipsis testibus grave periculum, v. g. capitalis inimicitiæ. Baldus, in cit. cap. *Dilectorum*, n. 6, et Felinus, *ibid.*, n. 3; Layman., *l. c.*; Pirrhing, *loco citato*; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 23; Lessius, lib. II *De instit.*, cap. 30, dub. 6, n. 50; Menochius, *De arbitrar. judic.*, lib. II, casu 487, n. 3 et seq., et alii. Et ratio est quia nemo potest cogi testificari in præjudicium suorum consanguineorum vel affinium, textu expresso in l. *Lege Julia* 4, ff. *De testibus*, quæ est canonizata (* *vide* supra art. 1, n. 110 *) in cap. *Si test.* 1, caus. 4, q. 2 et 3, § *Lege Julia*; et concordat l. *Parentes et liberi* 6, cod. *De testibus*, cum similibus : ergo multo minus

Digitized by Google

cogitur quis testificari in tam grave proprium præjudicium, ut est inimicitia capitalis.

17. Dantur tamen varii casus, in quibus etiam de jure canonico cogi possunt testes ad testificandum etiam in causis criminalibus criminaliter motis. Et signanter quando veritas aliter haberi non potest, textu expresso in cap. *Pervenit ad nos* 5, De testibus cogendis, ibi : « Qui... testificari recusant, si aliter veritas nequiverit elici, ad illud sunt per censuram ecclesiasticam compellendi ; » juncto ejus summario sic habente : « Si res aliter probari non potest, et in causa criminali compellendi sunt testes ; » et sic Glossa, *ibid.*, verb. *Ecclesiasticis ;* Abbas, in cit. cap. *Dilectorum*, n. 6 ; Socinus, in *Fallentiis Regul.* 417, fallent. 2 ; Farinac., d. q. 78, n. 121, cum plurimis aliis ibi citatis ; Pirrhing., *l. cit.*, n. 13 ; Reiffenstuel, *l. cit.*, n. 25 et alii.

(18. Item compelli possunt testes ad testificandum etiam in criminalibus, quando malitiose se subtrahunt a ferendo testimonio timore adversæ partis, aut gratia, vel odio aliquo, c. *Super eo* 3, De testibus cogendis, juncto ejus summario, in quo dicitur : « Testis, qui timore adversæ partis se subtrahit, testificari compellitur : » adde etiam in criminali secundum communem intellectum, cap. *Cum contra* 9, eod., ibi : « Nos igitur respondemus quod testes prædicti, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, debes, appellatione remota, compellere veritati testimonium perhibere ; » juncto ejus summario sic dicente : « Testes, qui se subtrahunt, etiam in criminali cogendi sunt ; » Farinac., q. 78, n. 127, cum plurimis aliis ibi citatis ; Pirrhing, *l. c.* n. 14 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 26, et alii passim.

(19. Item testes etiam in criminalibus cogi possunt ad testificandum, quando pars adversa malitiose impedit eorum productionem, c. *Pervenit ad audientiam* 4, De testibus cogendis, juncto ejus summario sic habente : « Compelluntur testes etiam in criminali, quos accusatus malitiose accusatori subtrahit ; » Pirrhing, *l. c.*, n. 14, cum aliis ibi allegatis ; Reiff., *l. c.*, n. 226 ; Farin., *l. c.*, et alii passim.

(20. Item testes cogi possunt ad testificandum in crimine hæresis, læsæ majestatis, conjurationis, Simoniæ, et aliis similiter atrocioribus delictis. *Communis*, per claros textus in c. *Si qui per capillum* 10, caus. 22, q. 1, c. *Venerabilis* 11, De testibus cogendis, juncto ejus summario sic habente ; « Ad detegendam veritatem conjurationis coguntur socii, etiam jurati ; » cum similibus aliis.

(21. Ad testificandum regulariter in nulla causa cogi possunt parentes, et liberi contra se invicem, imò isti neque volentes admittuntur. *Communis*, textu expresso in l. *Parentes*, 6, cod. *De testibus*, ibi : « Parentes et liberi invicem adversus se, nec volentes, ad testimonium admittendi sunt. » Et concordat c. *Si testes* 3, § *Parentes*, caus. 4, q. 2 et 3, ubi ipsissima verba repetuntur.

(22. Item regulariter in nulla causa cogi possunt ad testificandum agnati et cognati contra suos consanguineos usque ad tertium gradum inclusive. Colligitur aperte ex l. *Lege Julia* 4, ff. *De testibus*, et c. *Si testes* 3, § *Lege Julia*, caus. 4, q. 2 et 3, in quo utroque loco expresse cavetur, ne consanguinei inviti cogantur adversus se dicere testimonium usque *ad sobrinam*, *sobrinove natum*, qui tertio gradu ab invicem distant, ut patet ex arbore consanguinitatis.

(23. Item regulariter in nulla causa cogi possunt ad testificandum contra se invicem socer et socrus, gener et nurus, vitricus et noverca, privignus et privigna, patruus et amita, avunculus et matertera, maritus et uxor, et hujusmodi affines, cit. l. *Lege Julia*, et cit. c. *Si testes* 3, § *Lege Julia*, caus. 4, q. 2, et juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Imperari*, cum similibus ; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 23, et alii communiter.

(24. Item regulariter in nulla causa cogi possunt liberti ad testificandum contra patronos, nec patroni contra suos libertos, textu expresso in cit. l. *Lege Julia*, et cit. cap. *Si testes*, § *Ne liberto*, et § *Ne patroni*. Et concordat l. *Libertorum* 12, cod. *De testibus*, cum similibus.

(25. Item regulariter in nulla causa cogi possunt ad testificandum senes majores 79 annis, valetudinarii, milites, et illi qui cum magistratu reipublicæ causa absunt, vel quibus venire non licet, textu expresso in cit. can. *Testes* 3, § *Inviti*, caus. 4, qu. 1 et 3, et l. *Inviti*, ff. *De testibus*, cum similibus.

(26. Notanter autem in conclusionibus a num. 20, dicitur *regulariter*, quia supradicti privilegiati cogi possunt ad testificandum in aliquibus casibus. Et signanter, quando veritas aliter quam per ipsos haberi non potest. *Communis*, per textum in cap. *Pervenit ad nos* 5, De testibus cogendis, ibi : « Si aliter veritas nequiverit elici, » cap. *Venerabilis* 11, eod., ibi : « Ne pro defectu testium pereat sua justitia, » can. *Quanquam* 2, caus. 14 ; q. 2, ibi : « Ne veritas occultetur, » cum similibus. Et ratio est clara, quia tunc favore eruendæ veritatis eorum privilegium cessat, cum publica utilitas, quæ in perhibendo testimonio veritati versatur, merito præponderare debeat.

(27. Item dicti privilegiati cogi possunt ad testificandum in crimine læsæ majestatis, hæresis, et aliis atrocissimis exceptis criminibus. Farinac., tract. *De testibus*, q 55, n. 160 et seq. ; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 23, et alii communiter. *Vide* dicta art. 1, a n. 79.

(28. Clerici autem et religiosi, ubi agitur de imponenda pœna sanguinis, ne quidem cogi possunt ad testificandum in dictis criminibus exceptis propter periculum irregularitatis, ut notat Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 37, et fusius id probat lib. II *Decretal.*, tit. 20, a n. 170, solvens contraria. *Vide* art. 1, n. 102.

(29. Clerici, si non adsint alii testes, cogi possunt ad perhibendum testimonium veri

Digitized by Google

tatis, etiamsi cederet in aliquod damnum Ecclesiæ. Glossa unica in cap. *Cum nuntius* 12, De testibus; Abbas, *ibid.*, n. 4; Reifenstuel, *loc. cit.*, tit. 21, n. 41, et alii passim. Et ratio est quia in defectu probationum cessat omne privilegium, ne veritas occultetur et injustitia foveatur, per jura adducta *supra* n. 25. Iniquum enim esset, Ecclesiam contra alium injuste locupletari aut manuteneri, atque etiam gravi alterius læsione veritatem opprimi.

(30. Non obstante juramento, quo testis juravit, se nihil dicturum, neque depositurum in judicio, potest is ad testificandum compelli. *Communis* textu expresso in cap. *Pervenit ad audientiam* 4, De testibus cogendis, juncta Glossa, *ib.*, verb. *Juramento astrinxit*, cap. *Venerabilis*, 11, eod. juncto ejus summario sic dicente : « Ad delegendam veritatem conjurationis coguntur socii etiam jurati. » Et concordat cap. *Intimavit* 18, De testibus, ibi : « Injungimus ut.... eos, qui sunt juramento astricti.... in testimonium recipere non postponas. » Item, cap. *Constitutis* 45, De testibus, ibi : « Illos autem, quos, ut dictum est, jurasse constiterit, quod contra archiepiscopum nihil dicerent, denunties, juramento hujusmodi non teneri. » Item, cap. *Olim* 26, De accusationibus, ibi : « Juramentis, si qua de tacenda veritate Abbas extorserit, relaxatis. »

(31. Imo talis potest testificari nulla prævia dicta sui juramenti absolutione. Glossa in cit. cap. *Venerabilis* 11, verb. *Absolvant*, De testibus cogendis; Abbas, *ibid.*, n. 5; Pirhing., lib. II *Decr.*, t. XXXII, n. 29. Reifenstuel, *ibid.*, n. 45; Vallens., *ibid.*, n. 3; Mascard, *De probationibus*, q. 5, proœmial, n. 48 et 54; Farinac., d. q. 78, n. 150 et 151. Et ratio est quia cum tale juramentum sit temerarium, et contra bonos mores præstitum, ne scilicet veritas manifestetur, et justa sententia sequatur, non est obligatorium, textu expresso in cap. *Non est obligatorium* 18, De regul. juris, in 6, ibi : « Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. » Unde absque ullo periculo perjurii potest quis ipsi contravenire, cap. *Quanto* 18, De jurejurando, juncto ejus summario, in quo sic habetur : « Jurans scienter illicitum non indiget absolutione, sed tenetur illud non observare. » *Cum*, ut dicitur *ibidem* in textu, « Cum juramentum, non ut esset iniquitatis vinculum, fuerit institutum. » Et concordant cit. cap. *Constitutis* 45, De testibus, per textum adductum numero antecedenti, ubi, ut vides, posteriora illa verba : « Denunties, juramento hujusmodi non teneri; » aperte indicant tale juramentum ipso jure fuisse invalidum, veluti contra bonos mores præstitum, quia ibi pontifex non mandat suo delegato, ut illos, qui sic jurarunt, a suo juramento prius absolvat, sed solum ut denuntiet illos tali suo facto juramento non teneri. (32. Recte tamen monent supracitati doctores et alii, quod consultius sit absolutionem ejusdem ad cautelam petere, vel saltem quod judex prius declaret nullitatem ejus, arg. cap. *Veniens ad apostolicam* 38 in fine, De testibus, ibi : « Ad cautelam absolvatis eosdem, ut vocati ad testimonium libere valeant pro utraque parte testari. »

(33. Testes an et quando possint, vel non in præstando juramento uti restrictione mentali, seu amphibologia, aut æquivocatione. *Vide* verb. JURAMENTUM, art. 1, a num. 13, et verb. RESTRICTIO MENTALIS per tot., et vide etiam aliqua ad rem sub verb. REUS. V. *Add. Cass.*, v. JURAMENTUM.

(34. Obligatur testis sub gravi peccato, et charitate, et sponte sua testimonium dicere, quando proximus in gravi necessitate de vita, fama vel bonis fortunæ periclitatur, et malum, testando, impediri potest. Communissima doctorum in materia de charitate : tunc enim urget charitas, ut innocenti et sic indigenti succurramus.

(35. Ex justitia autem legali seu ex obedientia tenetur sub gravi testimonium ferre solum, quando a competente judice legitime est citatus et interrogatus. Sic doctores communiter cum S. Thoma 2-2, q. 70, art. 1, n. 2, et Scoto in 3, dist. 15, q. 3. Et ratio est manifesta, quia justo legitimi superioris præcepto in re gravi, ut est præceptum legitimi judicis juridice interrogantis et testimonium exigentis, parendum est sub mortali.

(36. Tunc vero judex juste sive juridice exigit a testibus testimonium, quando hominis infamia, justa accusatio, vel denuntiatio criminis cum semiplena probatione, vel aliis indiciis sufficientibus ad testes examinandos præcesserunt. Sic ex communi Lessius, lib. II, c. 30, dub. 6; Layman, *Theol. moral.*, l. III, tract. 6, cap. 4, n. 8; Sporer, tom. II, tract. 5 *in* VIII *Præcept. Decalog.*, cap. 4, sect. 3, n. 51, et alii passim.

(37. Unde testis sub mortali tenetur testimonium ferre in legitimo judicio in sequentibus casibus : I. Si de auctore delicti sit saltem semiplene probatum, aut sufficientia de hoc habeantur indicia. II. Si procedatur via accusationis, et possit crimen sufficienter probari. III. Si auctor laboret infamia criminis patrati. *Communis*. Et ratio est clara, quia nisi in his casibus obligetur quis testimonium ferre, nihil prodessent tribunalia justitiæ cum maximo reipublicæ et particularium detrimento.

(38. Non obligatur autem testis, etiam interrogante et præcipiente judice, testimonium ferre in sequentibus casibus. I. Si rem solum ex confessione sacramentali noverit, ut patet ex dictis sub verb. JURAMENTUM, art. 1, n. 15. II. Si criminis notitiam accepit sub secreto naturali ad honestum finem, utpote advocatus, medicus, chirurgus, obstetrix, vir doctus, aut valde amicus, etc., ad consilium, auxilium vel remedium adhibendum misero criminoso, alias secluderetur miseris subsidium necessarium. Excipe tamen, si defectu testimonii immineret communitati, aut privato aliquod grave et notabile damnum, quia in tali casu

Digitized by Google

obligaretur ad testificandum, cum tunc non obligaret naturale secretum. III. Si crimen est occultum, ita ut nulla publica de eo adsint indicia, quamvis fere duobus vel tribus privatim cognitum esset : nisi tamen crimen valde perniciosum esset reipublicæ, quia tunc teneretur illud testificari, cum bonum commune prævalere debeat particulari. IV. Si rem noverit a personis dubiæ aut modicæ fidei, quia tunc potest se habere, ac si nihil sciret. V. Si auctor non laboret infamia, nec damnum timeatur postea. VI. Si notitiam delicti, alteriusve secreti per injuriam accepit, v. g. litteras aperiendo, vel hominem per vim cogendo aut per ebrietatem ad id inducendo, tunc enim id testari non tenetur : nec juste potest, cum injuria semel illata non sit extendenda. VII. Si sciat factum hominis, de quo interrogatur, a peccato et pœna alienum esse, ut si ex ignorantia hominem pro fera occidit, si rem alienam abstulit ob justam compensationem, vel gravissima necessitate coactus; tunc enim non tenetur de eo testari, imo factum simpliciter negare potest, sicuti et ipse reus etiam addito juramento, quia interrogatio judicis procedit ex præsumptione commissæ culpæ, seu de facto criminoso, quale factum recte negat etiam juratus. Sicuti ex communi docent Lessius, *l. c.*, cap. 31, dub. 3, n. 14; Layman, *loco cit.*, num. 9, verb. *Si scias;* Sporer, *loc. cit.*, n. 52, et alii passim. VIII. Si ex testificatione sibi, vel suis notabile damnum immineat, non tenetur testari, nisi crimen reipublicæ perniciosum sit, ut proditio, et hujusmodi, et alia ratione impediri non possit. Sic docent Navar. 1, *Manual.* cap. 25, et in canon. *Inter* 11, q. 3; Petrus Navarra, lib. II, cap. 4; Lessius, lib. II, c. 30 et 31; Layman, lib. III, tract. 6, cap. 4, et lib. IV, tract. 3, cap. 14; Busemb., lib. IV, c. 3, art. 4, dub. 6, secutus a La Croix lib. IV, n. 1514; Sporer, *loc. cit.*, n. 52; Henno, tom. II, tract. 2, *Disp. accessoria*, q. 4, conclus. 2; Pontas, verb. *Testis;* Merbesius, t. I *Summ. Christ.*, part. II, quæst. 192, et alii passim.

(39. Unde in dictis casibus, et quoties judex non legitime interrogat, licitum est testimonium recusare, subterfugere, tergiversari. Aut, si necessario sit respondendum, veritatem dissimulare, aut aliqua licita amphibologia vel restrictione mentali eludere, juxta notata et dicta sub verb. Juramentum, art. 1, a n. 13, verb. Restrictio mentalis per tot., et partim sub verb. Judex, ac verb. Reus. Vide *ibi* (101).

(40. Testis in pluribus peccat. Et signanter si affirmet quod ignorat. Item si veritatem, quam debebat celare, aperiat. Item si se occultet ne interrogetur, casu quo teneatur testari. Item si judici, juste et legitime interroganti, ad rem non respondeat. Item si pretium pro dicenda veritate accipiat, sicuti peccat judex, si pretium accipiat pro ferenda sententia justa, cum nemo possit aliquid accipere pro eo ad quod tenetur ex officio. *Vide* verb. Judex a num. 33.

(41. Testis, qui ex malitia scienter falsum deposuit, præter pœnas perjurii, quas incurrit, tenetur etiam ad restitutionem totius damni inde secuti propter injustitiam commissam. *Communis.* (42. Item tenetur talis malitiosus et falsus testis revocare suum falsum testimonium cum pari suo damno et periculo, etiam vitæ, si reus a se injuste pro tali testificatus, de ea periclitetur et putetur revocando aliquid effecturus. *Communis.* In damno enim æquali potius habenda est ratio innocentis.

(43. Si autem testis ex ignorantia invincibili, inadvertentia aut oblivione inculpabili, falsum deposuit; quamvis teneatur retractare id quod dixit, et damnum impedire eo modo, quo potest, non tenetur tamen ex justitia ad restitutionem damni illati; cum neque teneatur ex re accepta, neque ex injusta acceptione seu ex delicto, et vere injustitiam non commiserit. Cajetanus, 2-2, q. 70, art. 4; Navarrus, in *Manuali*, cap. 25, n. 40; Sanchez, tom. II *Consil. moral.*, l. VI, cap. 5, dub. 7; Busemb. *loc. cit.*; Lezana, in *Summa qq. regular.*, verb. *Testis regular.*, n. 4; Diana, Fagundez, Corduba, et alii passim.

(44. Item ad restitutionem non tenetur talis testis in casu quo a parte rei per suum falsum testimonium nihil effecerit, seu nullum damnum causaverit, ex quo per falsa testimonia aliorum jam tota causa damni fuerit posita, ita ut judex ex hoc testimonio nihil penitus fuerit motus. Lessius, lib. II, cap. 30, dub. 7; Diana, part. III, resolut. 105; Fagundez, in VIII *Præcept. Decalog.*, lib. VIII, cap. 42, n. 3; Busemb., *loc. cit.* circa finem, et alii.

(45. Testis autem, qui falsum deposuit, non scienter, nec ex notabili negligentia, seu non ex culpa lata, sed tantum ex culpa levi, licet non teneatur ad restitutionem totalis damni, tenetur tamen ad restitutionem partis juxta proportionem culpæ. Navarr., *loco cit.*, n. 49; Sanch., *loco cit.*, dub. 27; Fagundez, *loco cit.*, n. 1; Lezana, *loco cit.*, n. 4; Sotus, lib. V, *De justitia*, q. 7, art. 4.

(46. Alia ad rem. *Vide* verb. Judex, verb. Juramentum, verb. Restitutio, verb. Restrictio mentalis, verb. Reus.

(47. Testes plures, sed singulares quoad varios actus successivos, ex quibus unicum delictum conflatur, si non ad pœnam, sufficientes decernuntur ad torturam pro eruenda veritate. Bened. XIV, tom. I, constitut. 97, incip. *Sacerdos in æternum*, § 4.

(48. Testimonium judicis omni exceptione majoris in antiquis attendi debet. Idem, constit. 75, incip. *Apostolicæ servitutis*, § 15.

(49. Testis unicus non probat de jure,

Nota Romani theologi.

(101) Circa testes in ordine ad dicendam veritatem judici legitime interroganti, absque ulla mentali restrictione, vide quæ adnotavimus *supra* in verb. Accusatus, post num. 43. Vide *Addit. Casin.*, v. Juramentum.

Digitized by Google

Idem, tom. II, constitut. 28, incip. *Postremo mense*, § 55. (50. Limita quando testis unicus legitimis præsumptionibus et validis conjecturis adminiculatus est. Idem, *ibid.*, § 55. (51. Item limita, ut collatio baptismi per unicum testem fide dignum probari possit. Idem, *ibid.*, § 31. (52. Testes in judiciis civilibus et canonicis admittuntur etiam mulieres. Idem, *ibid.*, § 55.

(53. Testes *habentes notam manum*, identitatem scripturæ autographæ non probant, nisi validis adminiculis fulciantur, id est comparentur cum aliis ejusdem scriptis per peritos, qui de identitate characteris juxta eorum artis regulas judicium faciant, et hujusmodi. Idem, constitut. 46, incip. *Postulatum*. (54. Testes examinati *turmatim* invalidam probationem in causis beatificationis seu canonizationis constituunt, sed de substantia examinis formalis est, ut singuli seorsim audiantur. Idem, *ibid.*

(55. Testes pro electione sepulturæ sufficiunt duo. Sic expresse resolvit sacra congreg. Concil. *in Neapolitana Electionis sepulturæ* 13 Febr. 1666, lib. XXV *Decretor.* pag. 29, apud *Thesaur. resolut.* tom. II, pag. 304, *in causa Sorana Funerum*, § *Redacta*, et sæpe alibi. (56. Nec requiritur quod tales testes deponentes super electione sepulturæ recipiantur medio juramento per publicum notarium, ut expresse statuit eadem sac. congr., *in Senogallien. Funerum* die 18 Decembr. 1739, ubi ad secundum sic propositum dubium : « An testes super electione sepulturæ deponentes, recipi debeant medio juramento per publicum notarium : sive potius sufficiat, eosdem testes deponere oretenus cum juramento coram ipsomet parocho vel vicario foraneo ? » respondit : « ad II *negative* ad primam partem, et *affirmative* ad secundam. » Ita apud *Thesaurum resolutionum*, tom. IX, pag. 156, *in* dicta *Senogallien. Funerum*.

(57. Testes synodales tum in synodis provincialibus, tum diœcesanis, eligebantur viri probatæ fidei, ut diœcesim perlustrarent, exploraturi an synodalia statuta custodirentur, et omnia in futura synodo fideliter referrent, quæ emendanda deprehendissent. (58. Differebant a *periodeutis*, seu visitatoribus, quia jurisdictione carebant. (59. Valde utiles erant, et adhuc essent ; difficulter tamen idonei inveniuntur, qui velint tale munus suscipere, adeoque fere ubique in desuetudinem abierunt, et in eorum locum suffecti sunt fiscales episcoporum et decani, hoc est vicarii foranei, qui utique si doctrina, pietate, prudentia et zelo præstarent, ac munus suum diligenter obirent, synodalium testium defectum supplerent et compensarent. Sic pluribus ad rem erudite suo more deductis, tradit Benedict. XIV, *De synodo diœcesana*, lib. IV, cap. 3 per tot.

(60. In testes assistentes matrimonio contracto non præmissis debitis denuntiationibus, excommunicatio latæ sententiæ decerni potest. Idem, *ibid.*, lib. VII, cap. 69, n. 2. Vide tom. V, verb. MATRIMONIUM, art. 2, sub n. 1.

(61. Testes de auditu auditus allati in processu apostolico, conjungi non possunt in linea æqualis probationis, cum testibus de visu exstantibus in processu ordinario in causis beatificationis et canonizationis sanctorum. Benedict. XIV, in Appendice ad tomum IV sui *Bullarii* p. 2, constitut. incip. *Cum ex relatione*, § 2. (62. Vim tamen adminiculativam habere possunt, modo majorem, modo minorem, pro varia circumstantiarum conditione. Idem, *ibidem*, § 3.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. Debent testes produci coram judice, cui fides est facienda, et quidem in loco judicii, cum major dicatur auctoritas præsentium testium, quam testimoniorum. L. 3, § 4, ff. *De testib.*

(64. Nihilo tamen minus potest judex interdum examen testium delegare, præsertim in civilibus. Nov. 20, c. 8, Auth. apud C. *De fide instrum.*

(65. Hinc sponte sua fluit, notarios non aliter posse testes per se examinare, quam si examen hoc a judice delegatum sit. Et ita hoc examen privatum a notario factum nullum est. Beust. ad l. 31, n. 212. ff. *De jurejurand.* ; Carpzov., lib. III, respons. 87, n. 3; Grev., conclus. 103, n. 1 et 9, atque adeo nihilominus modo probatio adhuc salva sit, denuo a judice juramento astringendi et examinandi sunt.

(66. De cætero ubi non requiritur solemnis probatio, sed sufficit nuda demonstratio, facilius depositio testium coram notario admittitur, uti communiter hodie in possessorio summariissimo fieri solet, ubi præsentes, vel quasi, demonstrasse sufficit

(67. Pariter in processu exsecutivo ad probandam exceptionem incontinenti admitti posse examen testium coram notario citra delegationem, tenet Carpzov., *Jurisprud. forens.*, p. I, *Const.* p. I, const. 3, defin. 30, cum judicium summarie peragatur.

TESTIUM PRÆSENTIA QUOAD MATRIMONIA.

Vide verb MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, *art.* 1, *n.* 19 *ad* 113.

THALMUD HEBRÆORUM.

SUMMARIUM.

1. Judæi et Hebræi unde sint dicti. — 2. Thalmud Hebræorum seu Judæorum quid sit et importet. — 3. Quando et a quibus fuerit compilatum. — 4. Thalmud aliud est Hierosolymitanum, et aliud Babylonicum. — 5. Thalmud secundum Pignatell. quando fuerit inceptum et completum, et a quo in compendium redactum, quod secundo loco habetur post Bibliam. — 6. Thalmud sive Hierosolymitanum,

Digitized by Google

sive Babylonicum quid contineat. — 7. Thalmud jussu Greg. IX fuit per totam Galliam combustum. — 8. Idemque fieri statuerunt Innocentius IV, Clemens IV, Honorius IV et Joann. XXII. — 9. Referuntur plures ejusdem libri combustiones ordinatæ a diversis Pontificibus in Urbe, et per Italiam.— 10. Demum Clemens VIII prohibitionem confirmavit, nulloque pacto retineri, vendi aut iterum excudi mandavit, quodque infra duos menses ordinariis seu inquisitoribus deferretur. — 11. Et contra omnes transgressores tum Hebræos, tum Christianos gravissimas pœnas imposuit. — 12. Addita contra transgressores Christianos excommunicatione latæ sententiæ.— 13. Hæc excommunicatio licet per dictam constitutionem non sit explicite et expresse reservata quoad omnes, asseritur tamen implicite reservata quoad aliquos, qui assignantur cum causa reservationis. — 14. Alia ad rem, ad num. 15.

(1. Judæi dicti sunt a *Juda*, quarto Jacobi patriarchæ filio. Unde Palæstina Syriæ regio, utpote ab eis inhabitata, Judææ nomen obtinuit. Joann. Bohem, *De nation. mund. in Republic. Hebræor.* cap. 3; card. Petra, tom. III *Commentar. in constit.* 2 *Innocentii IV*, n. 1. Et Hebræi dicti sunt ab *Heber* abnepote Semi filii Noe, ut notant Tertull., in *Apol.* c. 18, et post plures Gonzal., in cap. *Judæi* 5, n. 1, De Judæis; Petra, *loco cit.*, n. 1, recte advertens quod sacri canones tum antiqui cum recentiores eos utroque nomine promiscue appellant, et Josephus, lib. I *Antiquit. Judaicarum*. Alii tamen autumant, Hebraicam gentem et linguam fuisse cognominatam ex eo quod cum ipsi Abraham de terra et cognatione sua egredi, et terram Chanaam ingredi a Deo jusso, ut in eam terram iret, superandus fuisset Euphrates, dictus sit *Hebræus*, id est *transitor*, et inde ejusdem posteri Hebræi fuerint appellati.

(2. Thalmud Hebræorum, seu Judæorum, Hebraice idem importat quod Latine sonat *disciplina* seu *doctrina*. Sic Decian., lib. V *Tract. criminal.*, cap. 12; cardin. Petra, tom. III *Commentar. in constitut.* 2 *Innocentii IV*, n. 3, et alii. Sixtus autem Senensis, lib. IV *Bibliothec. sacr.*, dicit nomine Thalmud significari *ingens ac vastum opus Judaicarum traditionum*, in quo collecta sunt decreta omnia rabbinorum, Sammai, Hillel, Akiba, Joseph et filiorum Asamonæi, una cum aliis innumeris aliorum magistrorum statutis, sententiis, et tam divinarum quam humanarum legum expositionibus, quibus nunc tota Judæorum natio regitur. Ab aliis vero vocatur *jus Judaicum*, tam civile quam sacrum, doctrinale etiam, ac *Pandectæ* et *Digesta*. Sic Pignatell., tom. V, consult. 15, n. 14.

(3. Thalmud compilare cœpit quidam Judas Simonis filius circa annum Christi 150, post ultimam Hierosolymæ desolationem, inde circa annum 300 auctum, et Thalmud Hierosolymitanum appellatum a quodam R. Joanna. Postremo iterum compilatum fuit cum aliis additionibus circa annum 479 a RR. Ase, Jesse et Hemai, quæ compilatio cum Babyloniæ contigerit, exinde Thalmud Babylonicum appellatum est, ut referunt Decianus, *loc. cit.*, n. 3; Cherubin. Junior ad *Constitut. Clementis VIII*, schol. 2; Voisin., in procem. *Pugion. fidei*, pag. 57; Rota, *loc. cit.*, n. 4. (4. Unde Thalmud aliud est Hierosolymitanum, et aliud Babylonicum.

(5. Pignatell. autem, *loc. cit.*, n. 10, habet quod liber Thalmud cœptus est anno a Domino Jesu 100, ad umbilicum productus anno ejusdem 400, sed Ben-Majemon in compendium redegit Thalmud, et scripsit anno 1150, et habetur secundo loco post Bibliam; et tantæ est auctoritatis ut Thalmud.

(6. Thalmud, sive Hierosolymitanum, sive Babylonicum, ultra infinitas ineptias, abusiones, erroneas et stultitias inauditas, continet tacite vel expresse innumerabiles hæreses seu errores contra veteris ac novæ legis Scripturas, nec non contumeliosas impietates et blasphemias contra Deum, sanctissimam Trinitatem, Salvatorem nostrum, beatissimam Virginem, beatos angelos, patriarchas, prophetas, apostolos aliosque sanctos Dei, sanctissimam crucem, sacramenta novæ legis, sacras imagines, sanctam Catholicam Ecclesiam, Sedem Apostolicam, Christianam religionem, ac Christianos, ac plurima alia deliramenta, quæ videri possunt apud Sixtum Senensem, lib. II, tom. I *Bibliothecæ sacræ*; Isidor. episcop. Hispal., lib. *contra Judæos*, n. 49; Marquard., *De Judæis*, p. III, cap. 1; n. 49, inter *Tract. magn.*, tom XIV, et plura ejusdem libri capita affert Pignatell., cit. t. V, cons. 14, n. 11, quæ referuntur sub verb. HEBRÆUS a n. 38.

(7. Hujus impii nefandique Thalmud fere infinita volumina in tota Gallia reperta, fuerunt Parisiis jussu Gregorii IX Summi Pontificis, et auxilio regis Galliæ, tunc sancti Ludovici, anno circiter 1239 igne combusta. (8. Hoc idem quoad combustionem Thalmudicorum voluminum statuerunt Innocentius IV, Clemens IV, Honorius IV et Joannes XXII. (9 In Italia quoque Julius III, anno 1553, cum festa Tabernaculorum a Judæis mense Septembris celebrarentur, per omnes urbes Thalmudica volumina inquiri et comburi jussit. Deinde Paulus IV per decretum supremæ inquisitionis anno 1559, eorumdem Thalmudicorum voluminum perquisitionem et combustionem fieri mandavit, sicque fecere sanctus Pius V, anno 1566, et Gregorius XIII, statuentes ut ab inquisitoribus procedatur contra Judæos hujusmodi volumina retinentes. (10. Et postremo Clemens VIII, constitut. 20, incip. *Cum Hebræorum*, omnes præcedentes circa Thalmudicos libros prohibitiones approbans, omnibus tum Judæis, tum Christianis eos retinere, aut quovis modo uti vetuit, etiam sub prætextu expurgationis factæ aut faciendæ, revocans quascunque licentias ad id obtentas a quibuscunque, etiam a nuntiis apostolicis, aut de latere legatis, ac prohibens in futurum quibuscunque concedere facultates eos retinendi, legendi, deferendi, emendi, vendendi aut de novo excudendi. (11. Iterum jubendo, ut infra duos menses a die publi-

Digitized by Google

cationis eos retinentes, locorum ordinariis sive inquisitoribus deferrent, ab his statim comburendos, indicta contra transgressores Hebræos pœna amissionis librorum, publicationis bonorum, aliisque gravioribus, etiam corporis afflictivis arbitrio ordinariorum aut inquisitorum. (12. Et contra Christianos ultra præfatas pœnas, excommunicatione latæ sententiæ etiam imposita.

(13. An autem excommunicatio lata contra Christianos legentes aut retinentes libros Thalmudicos sit reservata Summo Pontifici, dubitant doctores. Quoad excommunicationem enim appositam per bullam Pii IV, *In Indice librorum prohibitorum*, possunt absolvi a proprio confessario, ut recensendo tenorem ipsius excommunicationis ab altera imposita in bulla *Cœnæ Domini*, docent Suarez *De fide*, disp. 20, sect. 3, num, 39; Becanus, *De fide*, cap. 15, q. 8; Delbene, *De offic. inquisit.*, part. I, dubit. 46, n. 5 et seq.; Bonacina, tom. III, *De censur. in bulla* Cœnæ, disp. 1, q. 2, punct. 4, n. 2; card. Petra, *loco cit.*, n. 13, ubi subjungit quod nec etiam potest dici, quod incurratur excommunicatio lata in bulla *Cœnæ*, quia procedit contra legentes libros hæreticorum, et sic non comprehendit istos Judæorum, et firmat idem Delbene, dubit. 36 in *Corol.* n. 1, 2 et 6; Bonacina, cit. disp. 1, q. 2, punct. 4, num. 21. Unde idem Petra recte concludit quod cum in constitutione Clementis VIII nulla adsit reservatio censuræ, non videtur quare possit dici reservata, sicque solum elicitur talis reservatio quoad ferentes, vel auxilium præstantes Hebræis, ut dictos libros habeant, quia, cum ex eadem constitutione isti incurrant pœnas fautorum hæreticorum, proinde incurrunt etiam excommunicationem contentam in bulla *Cœnæ*. Hactenus erudite suo more eminentissimus Petra, *loc. cit.*, n. 13 et 14. *Vide* verb. Libri prohibiti, num. 18.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(14. Longe a veritate aberrat Ferraris noster in taxanda Thalmudis epoca, præterquam quod Misna cum Thalmud, itemque Thalmud utrumque Hierosolymitanum cum Babylonico confundit. Quoniam vero meum non est nunc chronologum, aut historicum litterarium agere, lectores remitto ad *Rabbinicas Bibliothecas* Bartolocci et Wolfii. Illud autem, de quo lectorem eumdem admonendum esse censeo, est, quod etsi corpus Thalmudicum multis ac fere innumeris refertum sit fabellis, nugis, contradictionibus, erroribus vel etiam blasphemiis, quarum amplissimum catalogum elaboravit prædictus Bartolocci, tom. III, a pag. 359 ad pag. 663, ac propterea jure in illud animadversum sit, dirisque flammis devorandum traditum: negari tamen nequit, quin multa adhuc in eodem reserventur divinarum Scripturarum explanationi, rectæque earumdem intelligentiæ perquam utilia, necnon antiquæ genuinæque traditiones Israëliticæ gentis, tum argumenta adversus

Judæorum pervicaciam, et quod maxime est notandum, Catholicæ Ecclesiæ apologia adversus hujus temporis hæreticos. Abstinere omnino nequeo ab adducendo nonnullorum clarissimorum virorum testimonia et judicia de eodem Thalmud. Illustrissimus Bossuetius in admirabili suo opere, cui titulus: *Discours sur l'histoire universelle*, part. II, hæc scripta reliquit: « Habent (Judæi) opus ab iis appellatum *Thalmud*, id est *doctrina*, quod æquali cum sacra Scriptura veneratione prosequuntur. Antiquorum eorum magistrorum tractatus atque sententias in unum collectas complectitur: et, quamvis partes singulæ, quibus magnum hujusmodi opus constat, eadem minime potiantur antiquitate; posteriores tamen, qui inibi referuntur, auctores, priora Ecclesiæ sæcula attigere. Hæc autem in collectione, inter innumeras indecentesque fabellas, quarum pleræque evulgatæ conspicientur post Christi adventum, quædam occurrunt vetustissimarum traditionum lipsana Hebraicæ gentis, probationesque, quibus facile redarguatur. » Idem est judicium quod de eodem Thalmud novissime efformavit clar. abbas Houtteville in egregio opere adversus incredulos edito, tom. I, *Discours critique*, p. 148: « Generatim (inquit, de Thalmud loquendo,) magnum hoc opus residua quædam pretiosa continet veterum Judaicarum traditionum, a quibus adjutorium postulari posse recognosco ad sacrarum Scripturarum intellectum..... Neque asserere vereor, quin in ea tractatuum sententiarumve caterva, quibus compactum est, talia reperiantur, ut si quis ea seligere apprime norit, invictissima ex iis elaborare possit argumenta pro Ecclesia cum Judæis disceptaturus. » Præiverat Claudius Fleury, *Discours sur l'histoire ecclésiastique*, v^e^ discours, § 5.

(15. Hinc mirum non est si Raymundus Martini Dominicanæ familiæ sæc. XIII splendidissimum ornamentum, in proœmio eximii singularisque operis *Pugionis fidei*, num. 5 profiteatur: « Secundario vero (materia hujus Pugionis) erunt quædam traditiones, quas in Thalmud et Midraschim, id est glossis et traditionibus antiquorum Judæorum reperi, et tanquam margaritas, quasi de quodam maximo fimario sustuli non modice lætabundus. » Quod et fideliter præstitit pius doctusque vir maximo cum Ecclesiæ emolumento, adeo ut, omnes quotquot in posterum Christianam religionem adversus Judaicam perfidiam vindicare aggressi sunt, a Raymundo arma commodarint. Eamdem et ipse spartam secutus quantocius, nedum adversus Judæos, verum etiam adversus heterodoxos hujus temporis, Ecclesiæ Catholicæ dogmata propugnavit Thalmudicis cæterisque Judaicis traditionibus in cœno Rabbinicorum voluminum involutis v. c. abbas D. Bernardus Poch. * Opus, in quo elaborando annos plures contriverat, morte interceptus, absolvere D. Bernardus Poch minime potuit. Obiit autem Romæ an. 1782, die 3 Martii *.

Digitized by Google

THEOLOGIA, THEOLOGUS.

SUMMARIUM.

1. Theologia quid sit. — 2. Theologia est quintuplex, scilicet positiva, ascetica, polemica, scholastica et moralis. — 3. Quæ sit theologia positiva. — 4. Quæ sit ascetica. — 5. Quæ sit polemica. — 6. Quæ sit scholastica. — 7. Quæ sit moralis. — 8. Theologia ratione subjecti, in quo recipitur, dividitur in theologiam Dei, in theologiam beatorum et in theologiam viatorum, et quæ sint hæ tres theologiæ. — 9. Theologia ratione objecti, circa quod versatur, dividitur in theologiam necessariorum et in theologiam contingentium, et quæ utraque sit. — 10. Theologiæ objectum quodnam sit.— 11. Theologia Dei non est proprie scientia.— 12. Theologia beatorum de necessariis est scientia. — 13. Theologia viatorum non est proprie scientia.—14. Theologia in se et in quocunque intellectu est sapientia, deposita tamen evidentia in intellectu viatorum. — 15. Quid sit sapientia.—16. Theologia Dei non est practica, sed speculativa. — 17. Theologia autem beatorum et viatorum est practica. — 18. Affertur origo cathedræ scholasticæ religionis seraphicæ.— 19. Quoad ea quæ concernunt theologum, *remissive*.

(1. Theologia est divinarum rerum ex iis, quæ revelata sunt, sacra doctrina. Est in re Communis.

(2. Theologia est quintuplex, scilicet positiva, ascetica, polemica, scholastica, moralis. Sic doctores communiter (102).

(3. Theologia *positiva* est, quæ in sensu Scripturæ, traditionum, decretorum pontificiorum et definitionum conciliorum explicando occupatur, uti est theologia sanctorum Patrum et aliorum sacræ Scripturæ, ac sacrorum canonum interpretum, et ideo dicitur *positiva*, quia ponit fundamenta pro construendis argumentationibus theologicis: ejus præcipua functio est interpretari sacras Scripturas, traditiones ac sacros canones.

(4. Theologia *ascetica*, seu *mystica*, aut *affectiva* est, quæ non tam rationis discursu, quam simplici mentis intuitu affectuose res divinas contemplatur, et sapit, et ideo, non solum intellectum illuminat, sed præsertim voluntatem inflammat, et dicitur *ascetica*, quia potissimum docetur in asceteriis religiosorum : ac ejus præcipua functio est tradere doctrinas ad perfecte virtutes consequendas necessarias, et docere veram perfectionem Christianam.

(5.Theologia *polemica*, seu *dogmatica*, aut *theoretica* est, quæ fidei dogmata et mysteria fidelibus exponit, et contra infideles defendit, et dicitur *polemica* a quodam verbo Græco, quod *bellum* significat, quia tractat controversias, et docet modum defendendi veram fidem, et expugnandi hæreses. Et ejus præcipua functio est ponere vera fidei mysteria fidelibus, ut confirmentur, et infideles convincere de erroribus, ut convertantur.

(6. Theologia *scholastica* est, quæ artificiosa methodo, et syllogistice de rebus divinis disserit ad differentiam positivæ, quæ privata sacrarum Scripturarum lectione et exercitatione SS. PP. comparatur. Et dicitur *scholastica*, quia in scholis traditur, et a doctoribus scholasticis est inducta. Et ejus præcipua functio est deducere conclusiones certas ex principiis partim fidei, et partim luminis naturalis.

(7. Theologica *moralis* est, quæ de rebus ad mores pertinentibus in ordine ad salutem conclusiones proponit, easque argumentis facilioribus declarat et confirmat. Et dicitur *moralis*, quia mores ad fidei Christianæ regulam ordinat; et ejus præcipua functio est actus humanos, seu morales hominum dirigere, et ad id explicare et resolvere casus conscientiæ.

(8. Theologia ratione subjecti, in quo recipitur, dividitur in theologiam Dei, in theologiam beatorum, et in theologiam viatorum. *Theologia Dei* est, quæ immediate innititur lumini supernaturali increato, nempe intellectui divino. *Theologia beatorum* est, quæ innititur lumini supernaturali creato clare, et evidenter manifestativo, nempe visioni beatificæ. *Theologia viatorum* est quæ innititur lumini supernaturali creato, sed obscuro, nempe fidei. Theologia Dei est comprehensiva, theologia beatorum est intuitiva, theologia viatorum est discursiva.

(9. Theologia ratione objecti, circa quod versatur, dividitur in theologiam necessariorum et in theologiam contingentium. *Theologia necessariorum* est, quæ respicit veritates necessarias, ut unitatem Dei in essentia, trinitatem in Personis, infinitatem in suis attributis, seu, unico verbo, est quæ respicit Deum ad intra. *Theologia contingentium* est, quæ respicit veritates contingentes, ut creationem mundi, incarnationem divini Verbi, creaturas, quas Deus libere vel creat et moderatur in ordine naturæ; vel vocat et justificat in ordine gratiæ; vel beatificat et coronat in ordine gloriæ, seu, unico verbo, est quæ respicit Deum ad extra.

(102) Mirum est quot extremis hisce temporibus, in Germania præsertim, ortæ sint theologiæ divisiones, ut theologia *patristica*, theologia *pastoralis*, theologia *scripturistica*. Sed hæ non tam theologiæ divisiones sunt, quam aut fontium, ex quibus theologia hauriri potissimum debet, ut sacræ Scripturæ, ac Patrum, aut usuum quorumdam, ad quos accommodari posset, indicatio. Quæ si tandem theologiæ nomine pervulgetur, quidni theologiam partiamur in pontificiam, synodicam, catechisticam, concionatoriam, etc.? Communem, qui sapit, partitionem sequetur, vel potius theologiam dividet in positivam et scholasticam, positivam vero in dogmaticam, et polemicam, scholasticam in speculativam et practicam, ad quam moralis theologia et ascetica revocari poterit. Confer. t. I *Thesauri theologici* Zaccariani Prodromum P. Josephi Gautier ad theologiam dogmatico-scholasticam, dissertat. 1.

Digitized by Google

(10. Theologiæ objectum est omnis veritas aliquo modo ad Deum pertinens et deducibilis ex revelatis; reductive autem, et ultimate est ipse Deus; et hoc clare patet tum ex ipsius nomine: vocatur enim theologia ex quo sit scientia vel sermo de Deo, et tum ex hoc quod omnia, de quibus agitur in theologia, directe vel indirecte ipsum Deum respiciant.

(11. Theologia Dei non est proprie scientia: ad rationem enim scientiæ requiritur discursus seu progressus a minus notis ad notoria, Deus autem omnia unico actu clarissime intelligit. (12. Theologia beatorum de necessariis est scientia. Habet enim omnes conditiones ad scientiam requisitas, et etiam discursum, de quo majus est dubium, quia beati ex Scoto prius saltem natura intelligunt quidditatem rei quam proprietates. (13. Theologia viatorum non est proprie scientia: deficit enim ipsi evidentia, cum nitatur in fide, quæ est obscura; potest tamen dici scientia lato modo, sumendo scientiam pro cognitione ita certa, ut ipsius certitudo æquipolleat evidentiæ, ut habetur ex Scoto, q. 3 Prolog.

(14. Theologia in se et in quocunque intellectu est sapientia; seposita tamen evidentia in intellectu viatorum: est enim cognitio rerum altissimarum, nempe Dei et divinorum, quæ habetur per rationes altissimas, scilicet per fidem in intellectu viatorum, per lumen gloriæ in intellectu beatorum, et per essentiam divinam in intellectu Dei. (15. Quod est proprium sapientiæ, quæ definitur, quod sit notitia rerum divinarum per altissimas causas.

(16. Theologia Dei non est practica, sed speculativa. Ipsa enim non est regulativa, cum intellectus Dei nequeat regulare divinam voluntatem, ex quo ipsa sit summe recta, et regula omnium, nec possit habere malos actus, adeoque non est regulabilis, et consequenter Dei theologia nec est regulativa, nec practica. (17. Theologia autem beatorum et viatorum est practica: operatur enim circa objectum ipsum diligendo, nec manet in sola contemplatione Dei, sed excitat voluntatem ad Deum amandum, et sic dirigit praxim: et hæc aliqualis breviter de theologia perstricta notitia sufficiat. Reliqua de ea, tum positiva, tum ascetica, tum polemica, tum scholastica, tum morali relinquendo videnda apud suos respective auctores, qui fuse ad rem integra volumina ediderunt.

(18. Hic juvat addere quod in nostro Minoritico ordine primus omnium legitime sacram theologiam interpretatus est S. Antonius de Padua cum facultate, ut sequitur, S. P. nostri Francisci.

«Charissimo meo Fratri Antonio, Frater Franciscus, in Christo salutem.

« Placet mihi, quod sanctæ theologiæ litteras Fratribus interpreteris; ita tamen, ut neque in te, neque in cæteris (quod vehementer cupio) exstinguatur sanctæ orationis spiritus juxta Regulam, quam profitemur. Vale. »

Recepta hac Seraphici S. Patris patentali facultate, primam cathedram scholasticæ doctrinæ aperuit S. noster Antonius in nostro Fratrum Minorum ordine, eamque docuit in alma studiorum matre civitate Bononiæ, et in aliis Galliæ et Italiæ civitatibus, et postremo in civitate Paduæ, ubi gloriosum ac miraculosum vitæ suæ cursum complevit; et præ innumerabili miraculorum multitudine, nondum a suæ gloriosæ mortis transacto anno (quod mirum est) a Gregorio IX plaudente urbe et orbe in civitate Spoleti (ubi tunc aderat Romana curia) sanctorum fastis omni cum solemnitate fuit ascriptus. Sic P. Petrus Antonius de Venetiis in *Viridario Seraphico* italice conscripto tom. II, cap. 2, pag. 9, aliique apud Wadingum ad an. 1222, et habetur in opusculis ejusdem S. P. Francisci, tom. I, epistola tertia.

(19. Quoad ea quæ concernunt theologum, *vide* verb. Canonicus, art. 2, a n. 1 usque ad n. 44, ubi abunde de omnibus.

THESAURUS S. M. ECCLESIÆ.

Vide verb. Indulgentia, *art.* 1, *a n.* 4.

THESAURUS.

Vide verb. Dominium, *art.* 3, *a n.* 26 *ad n.* 45.

THURIFICATIO.

SUMMARIUM.

1. Thurificatio juxta formam Cæremonialis cum unico tantum thuribulo est facienda. — 2. Usus duorum thuribulorum non probatur. — 3. Thurificatio est munus diaconi. — 4. Thurificatio debetur canonicis paratis ante vicarium generalem. — 5. Thurificatio debetur prius canonicis cathedralis et collegiatæ quam gubernatori. Vide tamen infra, a num. 32 ad 39. — 6. Finito evangelio missæ solemnis, cui cum cappa assistat episcopus, thurificandus est celebrans, et non episcopus. — 7. Thurificatio in ecclesia collegiata exempta præsente episcopo et abbate, quomodo facienda. — 8. Canonicis collegiatæ debetur thurificatio ante rectores et beneficiatos ecclesiarum parochialium. — 9. Thurificatio debetur duplici ductu canonicis, clericis vero parochialium ecclesiarum unico ductu. — 10. Portionariis et aliis beneficiatis quando debeatur thurificatio duplici ductu. — 11. Dignitatibus et canonicis hinc inde distributis in choro quomodo fieri debeat thurificatio. — 12. Assistentes episcopo thurificantur et recipiunt pacem ante dignitates. — 13. Archidiaconus, qui tenet baculum episcopi, thurificandus est immediate post diaconos assistentes. — 14. Assistens presbyter, et non diaconus Evangelii, thu-

Digitized by Google

rificare debet episcopum. — 15. Canonici stantes, et non genuflexi thurificare debent episcopum. —16. Thurificatio cum triplici ductu thuribuli unico tantum. et digniori, id est episcopo, convenit. — 17. In absentia episcopi thurificatio fieri debet celebranti triplici ductu. — 18. Dignitatibus et canonicis cathedralium debetur thurificatio duplici ductu, cæteris vero de choro unico ductu. — 19. Dignitatibus cathedralium debetur thurificatio solum duplici ductu, quando firmiter non probatur immemorabilis, quod triplici ductu incensentur, absente episcopo. — 20. Thurificatio non debetur canonicis ab episcopo celebrante. — 21. Thurificatio duplici solum ductu debetur vicario generali sedenti in choro, licet sit prælatus.— 22. Thurificatio debetur magistratui post canonicos æquis ductibus. — 23. Dominus loci, et quivis alius non est thurificandus a presbytero celebrante.—24. Est tamen servanda consuetudo circa thurificationem baronis domini loci.—25. Curatus sive rector Ecclesiæ thurificandus est ante dominum loci. — 26. Diaconus Evangelii debet thurificare chorum, non obstante prætensa contraria consuetudine. — 27. Diaconus debet incensare canonicos et alios, non tamen mansionarios. — 28. Diaconus non debet dare pacem laicis nec domino loci. — 29. Consuetudo, ut vicarius generalis thurificetur ante canonicos, est servanda.— 30. Consuetudo loci vel ecclesiæ servanda est ut vicarius generalis sit thurificandus ante vel post capitulum. — 31. Consuetudo ut mansionarii ab una parte thurificentur immediate post canonicos ejusdem partis antequam thurificentur dignitates et canonici alterius partis, non est servanda. — 32. Consuetudo, ut gubernator thurificetur immediate post episcopum, est servanda. — 33. Consuetudo incensandi gubernatores civitatum Sedis Apostolicæ, qui sunt referendarii, et utuntur rochetto ante canonicos, est servanda. — 34. Consuetudo, quod gubernator status thurificetur, et habeat pacem ante rectores et curatos ecclesiarum, servanda est. — 35. Consuetudo laudabilis, quod gubernator non thurificetur, nec osculetur librum Evangelii, nec habeat pacem immediate post episcopum, servanda est. — 36. Gubernator protonotarius cum habitu prælatitio divinis assistens thurificandus est ante canonicos immediate post episcopum. — 37. Gubernator dignissimus et perpetuus thurificandus est immediate post episcopum, et ante canonicos etiam paratos.— 38. Gubernator civitatis etiam non prælatus thurificandus est immediate post canonicos; assistens ante alios canonicos, et ab ente episcopo immediate post vicarium generalem.— 39. Etiamsi gubernator sit uxoratus.— 40. Gubernator civitatis thurificandus est duplici et non triplici ductu.— 41. Si adsit autem consuetudo, quod ipse gubernator, seu alii thurificentur triplici ductu, est servanda. —42. Dignitatibus in choro, quamvis cum rochetto et habitu protonotarii exsistentibus, non debetur thurificatio triplici, sed solum duplici ductu. — 43. Thurificatio cum triplici ductu non debetur vicario apostolico. — 44. Neque primæ dignitati Sanctæ Mariæ in Cosmedin urbis. — 45. Thus et pax domino loci debet dari juxta formam Libri cæremonialis. — 46. Mulieribus non datur thus et pax inter missarum solemnia. Et an aliquando dari debeat? remittitur arbitrio episcopi. Non deberi autem nisi reginis et magnis principissis est novissima statutum. — 47. Canonici et beneficiati, ac magistratus in Vesperis, quando assistunt beneficiati cum pluvialibus, thurificandi sunt per aliquem ex dictis beneficiatis assistentibus pluviali indutis. — 48. Canonicus locum tenens episcopi non est thurificandus ante dignitates. — 49. Prior collegiatæ, si in cathedrali præsens fuerit cum illius dignitatibus et canonicis, thurificandus est duplici ductu. — 50. Tam dignitates quam canonici lateris dignioris chori incensandi sunt prius quam dignitates et canonici alterius lateris. — 51. In feria VI Parasceve post thurificationem oblatorum, non est iterum thurificandum SS. Sacramentum, nec ob ejus præsentiam est omittenda incensatio crucis. — 52. Reliquia SS. Crucis non est thurificanda a celebrante genuflexo. — 53. Thurificatio non debetur laicis a diacono parato, sed a solo clerico cotta induto. — 54. Diaconus ministrans thus canonico celebranti debet dicere *Benedicite, Pater reverende*, et non *Pater reverendissime;* quod dicitur solum si celebret episcopus, et *Pater eminentissime*, si cardinalis. — 55. Traditur modus et ordo servandus a diacono in thurificatione, ad num. 57. — 58. Si altare, in quo canitur missa, longe distet a choro, thuriferarius et non diaconus ipsum incensabit. — 59. Imperator, reges aliique supremi principes et proreges, quando et quomodo thurificandi. — 60. Quomodo incensandi domini locorum minorum, ad num. 61. — 62. Omnibus de more incensatis thurificandus est populus ter. — 63. Quando chorum incensat thuriferarius, potest illum incensare, vel in communi transeundo ante sedilia, vel singillatim omnes. — 64. Si in presbyterio vel in choro, ubi benedicendum est incensum, adsit episcopus diœcesanus, vel aliquis eo major, tunc ipse illud benedicit. — 65. Quando ad Vesperas præter altare majus est incensandum aliud altare, quomodo facienda incensatio? — 66. Incensatio chori ad Vesperas quando cessare debeat? — 67. Quando duo sunt thuriferarii, quomodo facienda incensatio? — 68. Qui thurificat, semper stare debet; solus Papa a genuflexo incensatur. — 69. Adducitur responsio sacræ congr. Rit. ad varia dubia. — 70. In choro thurificandi sunt omnes singillatim. — 71. Alia ad rem, ad num. 74.

(1. Thurificatio (103) juxta formam Cæremonialis cum unico tantum thuribulo (104) est facienda. Sacra congr. Rit., *in Lucerina* 21 Julii 1618, apud Aldan., in *Compendio canonicarum resolutionum* lib. I, tit. 9, num. 34, et Barbos., in *Summ. apostolic. decis.*, verb. *Thurificatio*, n. 1. (2. Usus enim duorum thuribulorum non probatur. Sacr. congr. Rit., *in Alexandrina* 15 Martii 1608, in respons. ad 2 Dub. et *in* dict. *Lucerina*, apud Aldan., *loco cit.*, n. 36, et Barbosa, *l. cit.*, n. 2.

(3. Thurificationis munus est diaconi, qui etiamsi sit ex dignitatibus vel canonicis, post incensatum episcopum, debet alios prælatos, si adsint, magistratum sæ-

(103) Ab Hebræorum Ecclesia ad nostram thurificationis usus profluxit ab antiquissimis usque temporibus. Vide quæ t. III *Bibl. Ritual.* ad Mabonati disputationem 2, § 5, Zaccaria adnotavit p. 40. Multiplex autem hujus fuit cum in Christianorum funeribus (licet non ubique, certe si quid video, in Africa nullum fuisse saltem in sepeliendis mortuis, indicat Tertullianus *Apolog.* cap. 22); tum præsertim in liturgia, ut pluribus ostendunt Scortia l. III, cap. 15, et Georgius *De liturg. R. P.* l. III, cap. 2. Porro quotiescunque incensum thuribulo imponeret sacerdos, illud prius benedicebat; atque hujusmodi benedictionum formulas plures suppeditat Martenius, *De ant. Eccl. ritib.*, tom. I, lib. I, cap. 4, art. 12.

(104) Variis thuribulum nominibus apud veteres vocatum invenio, *thymiamaterium* Græca voce, *incensarium, incensorium*, imo et *fumigatorium*. Confer Georgii disquisitiones *De sacro ministerio*, cap. 7.

Digitized by Google

cularem, dignitates et canonicos incensare; mansionarios vero et alios capellanos, alius capellanus seu magister cæremoniarum pro Ecclesiæ consuetudine incensare debet. Sacra congr., *in Lucen.* 10 Julii 1600, apud Aldanum, *loc. c.*, n. 37; Barbos., *loco c.*, n. 3.

(4. Thurificatio debetur canonicis paratis ante vicarium generalem. Sacra congregat. Rit., *in Egitanien.* 3 Augusti 1602, et *in Tiburtina* 6 Martii 1610, apud Barbos., *loco cit.*, n. 10, et tract. *De canonicis*, c. 18, n. 29.

(5. Thurificatio debetur prius canonicis cathedralis et collegiatæ quam gubernatori et officialibus. Sacra congregat. Rit., *in Complen.* 28 Januar. 1612, apud Sellium in *Selectis canonicis* cap. 16, n. 23, et Barbosam, *loco cit.*, n. 11. Vide tamen *infra* a n. 32 ad 39.

(6. Finito evangelio missæ solemnis, cui assistit episcopus cum cappa, thurificandus est celebrans, non vero episcopus. Sacra congr. Rit. 4 August. 1663, apud Pittonum, *Constit. ad canonicos*, n. 720.

(7. Thurificatio in ecclesia collegiata exempta, præsente episcopo cum canonico Ecclesiæ cathedralis et abbate cum canonicis dictæ ecclesiæ collegiatæ, debetur primum episcopo triplici ductu thuribuli, et post episcopum immediate canonico cathedralis ecclesiæ duplici ductu, deinde abbati etiam duplici ductu. Sacra congregat. Rit., *in Alexandrina S. Petri in Bergolio* 7 Februarii 1604, apud Barbosam, *loco cit.*, n. 12, et tract. *De canonicis* cap. 34, n. 32. Et iterum in Decretis generalibus 22 Septembr. 1659, § 15, ibi: « Episcopus præterea trino ductu, et immediate canonici cathedralis duplici, moxque abbas (nisi celebret) pariter duplici, ac subinde canonici vel monachi abbatialis ecclesiæ unico tantum ductu thurificentur. » *Vide* verb. ABBAS, ubi dantur decreta per extensum.

(8. Canonicis collegiatæ thurificatio debetur ante rectores et beneficiatos aliarum ecclesiarum parochialium, etiam quando in eorum propriis ecclesiis simul divinis intersunt, nec est hujusmodi cæremonia aliquo prætextu omittenda, si ex consuetudine fieri solet. Sacra congregat. Rituum, *in Calaguritana* 1 Junii 1601, apud Aldan., *loc. cit.*, n. 40; Barbosa, *loc. cit.*, n. 23.

(9. Thurificatio debetur duplici ductu thuribuli canonicis collegiatæ; clericis vero parochialium ecclesiarum unico ductu. Sacra congreg. Rit., *in Cæsaraugustana de Daroca* 19 Januarii 1613, apud Barbosam, *loco citato*, n. 14, et tract. *De canonicis*, capit. 18, n. 66.

(10. Thurificatio debetur duplici ductu portionariis et aliis beneficiatis, sicut et canonicis, quando tales portionarii et beneficiati in reliquis omnibus et per omnia æquiparantur canonicis, et æqualiter incedunt in processionibus, et sedent in æqualibus scamnis, non obstante Cæremonialis libro, qui intelligitur, quando non adsunt presbyteri, qui sunt omnino æquales canonicis. Sacra congregatio Rit., *in* dicta *Cæsaraugustana de Daroca* 21 Martii 1615, apud Barbosam, *loco cit.*, n. 25, et tract. *De Canonicis*, cap. 34, n. 34.

(11. Dignitatibus hinc inde distributis in choro debent incensari eæ cum canonicis ab una parte, deinde aliæ cum aliis canonicis ab altera parte; non vero omnes dignitates simul ante omnes canonicos. Sacra congreg. Rit. apud Gavant., in *Manual. episcop.*, verb. *Missa conventualis* in *addit.* n. 3, apud Pitton. *Constit. ad canonicos*, n. 123.

(12. Assistentes episcopo, licet sint minus digni, ratione assistentiæ ante dignitates thurificantur, et recipiunt pacem. Sacra congreg. Rit., *in Bracharen.* 19 Junii 1608, apud Barbos., tract. *De canonicis*, cap. 33, n. 15 et 16, et Pitton., *loc. cit.*, n. 140.

(13. Archidiaconus, qui sustinet baculum episcopi, dum celebrat solemniter, thurificandus est immediate post diaconos assistentes. Sac. congr., *in* d. *Bracharen.* 19 Junii 1608, apud Barbos., tract. *De canonicis*, cap. 5, n. 52 et cap. 33, n. 22.

(14. Assistens presbyter, sive dignitas sit, sive canonicus, thurificare debet episcopum, et non diaconus evangelii. Sac. Rit. congreg. *in Placentina* 19 Maii 1607, apud Barbos., tract. *De canonicis*, cap. 23, n. 17, et Pittonum, *loc. c.*, n. 207.

(15. Thurificatio non debetur episcopo a canonico, vel dignitate assistente genibus flexis, sed stante. Sac. congregat. Rit. *in Ucensi*, apud Barbos., in *Summ.*, *loc. c.*, n. 4 et tract. *De canonicis*, cap. 33, n. 29, et Aldan., *loc. cit.* n. 38.

(16. Thurificatio cum triplici ductu thuribuli, unico tantum et digniori, id est episcopo convenit. Sac. congreg. Rit. *in Vintimilien.* 11 Decemb. 1604, et *in Civitat. ducal.* 11 Novemb. 1614, apud Barbos., *loc. c.*, n. 5, et tract. *De canonicis*, cap. 34, n. 26; Pitton., *loc. c.*, n. 281.

(17. In absentia vero episcopi thurificatio fieri debet celebranti triplici ductu juxta regulas Cæremonialis. Sac. congreg. Rit., *in Patavina Plebis Sacci* 9 Maii 1606, et *in Comen. Valutiæ* 30 Januarii 1616, apud Pitton., *loc. cit.*, n. 281, et Barbos. *loc. cit.*, n. 6.

(18. Dignitatibus autem, et canonicis cathedralium in suis ecclesiis duplici, cæteris vero de choro unico ductu thurificatio debetur. Ead. sacr. cong. Rit., *in d. Patavina, et Comensi*, apud Pitton., *loc. cit*, et Barbos., *loc. c.*, n. 7.

(19. Unde thurificatio duplici solum ductu debetur dignitatibus cathedralium, nisi firmiter probetur immemorabilis, quod triplici ductu thurificentur, absente episcopo. Sac. congr. Rit., *in Casertana* 16 Septembr. 1623, apud Barbos., *loc. c.*, n. 8, tract. *De canonicis*, c. 34, n. 31.

(20. Thurificatio non debetur canonicis ab episcopo celebrante. Sacr. congreg. Rit., *in Uladistanien.* 2 Martii 1613, apud Sellium in *Selectis canon.* cap. 16, n. 22; Barbos., *loc. cit.*, n 9.

(21. Thurificatio duplici, non autem triplici ductu debetur vicario generali sedenti in choro, licet supra canonicos, et sit præ-

Digitized by Google

latus. Sac. congreg. Rit., *in Nepesina* 14 Januarii 1617, apud Barbos., *loc. cit.*, num. 16 et tract. *De canonicis*, cap. 34, n. 29.

(22. Thurificatio debetur magistratui post canonicos æquis ductibus. Sacr. congr. Rit., *in Interamnen.* 20 Junii 1600, et *in Faventina* eadem die et anno, apud Aldan., *loc. cit.*, n. 41; Barbos., *l. cit.*, n. 17. Nam canonici ante magistratum thurificandi sunt, tam in cathedrali quam in aliis, in quibus simul convenerint, ubi talis est consuetudo. Sacr. Rit. congr., *in Narnien.* 15 Junii 1603, apud Barbos., *l. cit.*, n. 17, et tract. *De canonicis*, cap. 18, n. 75.

(23. Thurificatio a presbytero celebrante non est præstanda domino loci, nec aliis. Sacr. congreg. Rit., *in Calaguritana* 5 Julii 1614, apud Aldan., *loc. cit.*, n. 42, et Barbos., *l. c.*, n. 18.

(24. Circa thurificationem autem baronis domini loci servanda est consuetudo. Sacr. Rit. congr. *in S. Agathæ* 17 Novemb. 1607, apud Sellium, in *Selectis canonicis* cap. 55, num. 58, et Barbos., in *Summ. apostolic. decis.*, verb. *Consuetudo circa thurificationem*, n. 5.

(25. Curatus, sive rector ecclesiæ parochialis tanquam caput ecclesiæ thurificandus est ante dominum loci. Sacra congr. Rit., *in Turritana* 7 Augusti 1601, apud Sellium, *loc. cit.*, cap. 71, n. 20, et Barbos., *loc. cit.*, verb. *Curatus*, n. 12.

(26. Diaconus evangelii debet thurificare chorum, nec ab eo munere excusatur sub prætextu contrariæ consuetudinis. Sacra congreg. Rit., *in Alexandrina* 15 Martii 1608, in respons. ad dub. 10, apud Aldan., *loc. cit.*, tit. 9, num. 35, et Barbos., *loc. c.*, verb. *Diaconus*, n. 4.

(27. Diaconus debet incensare canonicos et alios, non tamen mansionarios. Sacr. congr. Rit., *in Lucerina* 29 Aprilis 1530, apud Aldan., *loc. cit.*, num. 84, et Barbos., *loc. cit.*, n. 3.

(28. Diaconus non debet dare pacem laicis, nec domino loci. Sacr. congr. Rit., 5 Julii 1614, apud Gavant., in *Rubricis Missalis*, part. II, tit. 10, num. 8, vers. *Ordo*, et Barbos., *l. c.*, n. 6.

(29. Consuetudo, ut vicarius generalis thurificetur ante canonicos, servanda est, sive qui thurificat sit canonicus, sive acolythus. Sacr. congr. Rit., *in Alexandrina* 15 Martii 1609, apud Sellium, *l. c.* cap. 56, et Barbos., *l. c.*, verb. *Consuetudo circa thurificationem*, n. 1.

(30. Consuetudo loci vel ecclesiæ servanda est, ut vicarius generalis sit thurificandus, et debeat accipere candelam, cinerem, palmam, et adorare crucem ante vel post capitulum. Sacr. cong. Rit., *in Neocast.* 19 Januarii 1607, apud Sellium, *loc. c.* cap. 56, n. 54. Barbos., *l. c.*, n. 2.

(31. Consuetudo, ut mansionarii ab una parte thurificentur immediate post canonicos ejusdem partis, antequam thurificentur dignitates et canonici, qui sedent ab alia parte chori, non est servanda. Sac. cong. Rit., *in Placentina* 19 Maii 1607, in respons. ad dub. 3, apud Sell., *loc. cit.*, cap. 56, num. 57, et Barbos., *l. c.*, n. 4.

(32. Consuetudo ut gubernator thurificetur immediate post episcopum, servanda est. Sacr. congreg. Rit., *in Alexandrina* 15 Martii 1608, respons. ad dub. 4, apud Sell., *loc. cit.* cap. 56, n. 59; Barbos., *l. c.*, n. 6.

(33. Consuetudo incensandi gubernatores civitatum Sedis Apostolicæ, qui sunt referendarii et prælati, et utuntur rochetto, ante canonicos post episcopum, servanda est. Sac. cong. Rit., *in Cæsenaten.* 7 Decemb. 1501, apud Sell., *loc. c.*, cap. 56, n. 60, et Barbos., *l. c.*, n. 7.

(34. Consuetudo, quod gubernator status thurificetur, et habeat pacem ante rectores et curatos ecclesiarum, servanda est. Sacr. cong. Rit., *in Gotian.*, *in Sardinia* 5 Julii 1615, apud Sell., *l. c.*, cap. 56, num. 61; Barbos., *l. c.*, n. 8.

(35. Consuetudo laudabilis, quod gubernator non thurificetur, nec osculetur librum evangelii, nec habeat pacem immediate post episcopum, servanda est. Sacr. congr. Rit., *in Tullen.* 2 Augusti 1603, apud Sellium, *l. cit.*, num. 62; Barbosam, *l. c.*, n. 9.

(36. Gubernator protonotarius cum habitu prælatitio, id est rochetto et mantello, divinis assistens thurificandus est ante canonicos immediate post episcopum. Sac. congreg. Rit., *in Faventina* 5 Julii 1603, apud Aldan., *l. c.*, tit. num. 64, et Barbos., *l. c.*, verb. *Gubernator*, n. 10.

(37. Gubernator dignissimus et perpetuus thurificandus est immediate post episcopum et ante canonicos, etiam paratos. Sacr. congr. Rit., *in Alexandrina* 15 Martii 1698, in respons. ad dub. 4, apud Sellium, *loc. cit.*, cap. 27, n. 34; Barbosam, *l. c.*, verb. *Gubernator*, num. 11.

(38. Gubernator civitatis etiam non prælatus thurificandus est immediate post canonicos assistentes ante alios canonicos; absente vero episcopo, immediate post vicarium generalem. Sac. cong. Rit., *in Faventina* 9 Maii 1606, et *in Fanen.* 1 Septemb. 1607, apud Sell., *l. c.*, cap. 27, n. 75; Barbos., *l. c.*, n. 12. (39. Etiamsi gubernator sit uxoratus. Ead. Sacr. congr., *in Faventina* 17 Nov. 1607, apud Sell., *l. c.*, cap. 27, n. 36; Barbos., *l. c.*, n. 12.

(40. Gubernator civitatis thurificandus est duplici, non triplici ductu thuribuli. Sacr. Rit. congr., *in Civitatis ducalis* 11 Novembr. 1614, apud Sellium, cit. cap. 27, num. 38; Barbos., *loco citato*, num. 15.

(41. Quoad thurificationem triplicis ductus, licet per regulas Cæremonialis debeatur soli episcopo vel celebranti, nihilominus si adest immemorabilis consuetudo, quod alii pariter thurificentur triplici ductu, ea omnino servari debet. Sacr. cong. Rit., *in Casertana* 18 Septemb. 1632, apud Pitton., *Const. ad canonicos*, num. 957.

(42. Dignitatibus in choro non debetur thurificatio triplici, sed duplici tantum ductu, non obstante quod ibi amissis distributionibus, persona, quæ habet dignitatem, incederet cum rochetto et habitu protono-

Digitized by Google

tarii, ut respondit sac. cong. Rit., *contra præpositum Ecclesiæ Insulanæ* 21 Martii 1699, apud Monacell., tom. IV Supplement. ad tom. II, num. 18.

(43. Thurificatio cum triplici ductu nec debetur vicario apostolico. Sacr. congr. Episcop., *in Melphien.* 28 Augusti 1689, apud eumdem, n. 19.

(44. Neque primæ dignitati ecclesiæ collegiatæ Sanctæ Mariæ in Cosmedin urbis. *Congregatio deputata trium cardinalium* die 4 Septemb. 1705, in respons. ad dub. 31, apud eumdem Monacell., *l. c.*, n. 20.

(45. Thus et pax domino loci debet dari juxta formam libri Cæremonialis. Sac. congr. Rit., *in Strongolen.* 4 Mart. 1606, apud Sellium, in *Selectis canonicis*, cap. 17, n. 29, et Barb., *loc. cit.*, verb. *Pax*, n. 6.

(46. Mulieribus non datur thus et pax inter missarum solemnia. Sac. cong. Rit., *in Pacen.* 28 Januar. 1612, et *in Lucerina* 3 Junii 1617. Et an aliquando debeat dari, remittitur arbitrio episcopi. Eadem sacr. cong., *in* d. *Pacen.* 28 Januarii 1612, apud Sell., *l. c.*, n. 11, c. 51, num. 17; Barbos., *l. cit.*, verb. *Mulier*, num. 5, et verb. *Pax*, num. 8. Non debere autem dari, nisi reginis et magnis principissis, non obstante consuetudine contraria, decrevit eadem congr., *in Larinen.* 6 Decemb. 1702, apud Monacell., suppl. ad tom. III, num. 4.

(47. Canonici et beneficiati, ac magistratus in Vesperis, quando assistunt beneficiati cum pluvialibus, thurificandi sunt per aliquem ex dictis beneficiatis assistentibus pluviali indutis. Sac. congr. Rit., *in Turritana* 5 Jul. 1671, apud Pitton., *Constitution. ad canonicos*, num. 514.

(48. Canonicus locum tenens episcopi debet in choro sedere in loco suæ receptionis in habitu canonicali, nec ei competit pacis et thuris honor ante dignitates, et non lucratur distributiones, nisi sedeat in suo stallo cum habitu canonicali. Sacr. cong. Rit., *in Hidruntina* 10 Nov. 1612, apud Pitton., *l. c.*, n. 264, et Barbosam, tractat. *De canonicis*, c. 33, num. 40.

(49. Prior collegiatæ, si in cathedrali præsens fuerit, simul cum illius dignitatibus et canonicis duplici ductu thurificandus est, quamvis nullam habeat præcedentiam supra canonicos cathedralis. Sacr. congregat. Rit., *in Tuscanensi* 19 August. 1619, apud Pitton., *l. c.*, n. 356, et Barbosam, tract. *De canonicis.*, c. 11, num. 3 et 9.

(50. Tam dignitates quam canonici a latere digniori chori sedentes prius thurificandi sunt, quam dignitates et canonici qui sedent a latere chori minus digno. Sac. Rit. cong., *in Benevent.* 5 Dec. 1648.

(51. In feria VI Parasceves thurificanda sunt oblata; sed post thurificationem oblatorum non est iterum thurificandum SS. sacramentum, ob cujus tamen præsentiam non est omittenda thurificatio crucis; sed crux et altare thurificanda sunt eo prorsus modo, quo fit in aliis missis, non omissis debitis genuflexionibus transeundo ante SS. sacramentum. Sac. Rit. congr., *in Panormit.* 5 Jul. 1638.

(52. Reliquia SS. crucis non est incensanda a celebrante genuflexo: sac. Rit. congr., *in Brixien.* 15 Septemb. 1636, ubi etiam statuit quod non est genuflectendum a capitulo et clero processionaliter transeuntibus ante altare, in quo recondita est ipsa reliquia SS. crucis; et quod post expositionem dictæ reliquiæ SS. crucis, vel post ejus delationem in processione, benedicendus est populus cum ipsa.

(53. Thurificatio non debetur laicis a diacono parato vel beneficiato, sed a solo clerico cotta induto; ut sæpe resolvit sacr. congr. Rit. et signanter *in Pacen.* 21 Mart. 1699, et *in Calagurit.* 5 Jul. 1614, teste Pignatell., tom. I, consult. 7, num. 30, et Ursaya, tom. II, disceptat. 7, num. 12.

(54. Diaconus ministrans thus canonico celebranti, ut benedicat, debet dicere *Benedicite, Pater reverende*, et non *Pater reverendissime*. Sac. congr. Rit. 4 Apr. 1699. Si autem celebrans sit episcopus, debet dicere *Pater reverendissime*, ex *Cærem. episcop.* lib. I, cap. 23. Et nonnulla Cæremonialia regularium relata a Francisco Maggio in lib. *De offic. chori* opusc. 4, disquisit. 23, præscribunt etiam abbatibus, generalibus seu præpositis pariter generalibus, in tali circumstantia debere dici a diacono *Benedicite, Pater reverendissime*. Sic eruditissimus P. Merati, tom. I, part. II, tit. 4, num. 19. Si vero celebrans sit cardinalis, dicit *Benedicite, Pater eminentissime*, ut tradit dict. Merati, *loc. cit.*, tit. 14, n. 26. Sicut celebrante Summo Pontifice, *Pater beatissime*.

(55. Facta de more a celebrante incensatione altaris, diaconus incensat ipsum celebrantem triplici ductu. Si autem in presbyterio adsit episcopus diœcesanus, diaconus ipsum incensabit triplici ductu, et celebrantem duplici; et si adsit legatus, vel alii cardinales, ipsi triplici ductu, et episcopus, ac celebrans duplici thurificantur. *Cæremon. episcop.* lib. I, cap. 23; *Cæremon. ordinis Minor.*, part. III, cap. 2; Bongiovanni in *Silva sacrar. cæremoniar.*, lib. III, cap. 11, et lib. IX, cap. 2; Merati, tom. I, part. II, tit. 7, num. 73, post Gavant., *ibid.*, litt. *C*, et alii passim. Et si adsint episcopi exteri vel alii prælati, honoris gratia thurificantur immediate post celebrantem triplici ductu, sicuti et triplici ductu incensabitur ipse celebrans. *Cærem. ord. Min.*, *l. cit.*; Merati, *loc. cit.*, et alii: quod tamen intelligendum est in absentia supradictorum dignorum.

(56. Cum diaconus accesserit ad incensandum chorum, si ibi exsistat aliquis ex prædictis, incensabit modo dict. num. antec. Et si nullus dignior ibi exsistat, et adsit P. generalis, thurificabit eum triplici ductu. At sic etiam si absente generali, adsit provincialis, et ita absentibus generali et provinciali prælatus localis, qui, sive alius prælatus, præsente præsule majori, duplici tantum ductu thurificabitur. *Cæremon. ord. Minor.*, part. III, c. 2; Bongiovanni, lib. III, cap. 11, et alii. Incensato prælato, diaconus incen-

Digitized by Google

sabit cantores paratos duplici ductu, deinde incensabit Patres singillatim in prima et secunda parte chori duplici ductu, sicuti ex supra allatis decretis singillatim sunt duplici ductu incensandi omnes canonici; alios autem fratres unico tantum ductu incensabit; et omnes in choro incensandi, stantes extra stallum se mutuo invitare debent modesta capitis inclinatione ad thurificationem prius recipiendam, ita ut quilibet alium sibi immediate subsequentem sic reverenter præmoneat. *Cæremon. episcop.* lib. I, c. 23; Gavant., tom. I, part. II, titul. 7, rub. 10, litt. *C*; Merati, *ibid.*, n. 71; Bissus, litt. *L*, n. 18, § 3; Bauldry, part. III, cap. 11, n. 18; *Cæremon. ord. Minor.* part. III, cap. 2, part. IV, c. 6 et 7; Bongiovanni, lib. III, c. 11, et lib. IX, c. 2, et alii.

(57. Diaconus procedens ad incensandum chorum debet incedere manibus junctis, et capite detecto ex parte epistolæ. *Cæremon. ord. Minor.*, part. I, cap. 4, part. II, cap. 9, et parte V, cap. 2; Bongiovanni, lib. III, cap. 11; et alii. Ac debet incensationem absolvere antequam præfatio incipiatur, quia celebranti debet assistere vel stare retro post eum. *Cæremon. ordin. Minor.* part. II, c. 9, n. 7, et part. III, cap. 2, num. 16; Bongiovanni, lib. III, cap. 11, et alii, ac *Rubrica Missalis* 7, n. 11, ubi expresse habetur: « Cum dicitur præfatio, diaconus et subdiaconus stant retro celebrantem, et paulo ante priusquam dicatur *Sanctus*, accedunt ad altare, » etc. Et in eadem rubrica 7, num. 10, statuitur sic: « Cum redditur thuribulum diacono, dicit: *Accendat in nobis*, etc., et incensatur ab eo; deinde diaconus incensat chorum. » Unde stat clarum, quod incensatio chori facienda est immediate post incensationem altaris et celebrantis, antequam incipiatur præfatio, et non tempore quo canitur ipsa præfatio; et si tanta sit multitudo clericorum et religiosorum, ut incensatio finiri non possit, antequam præfatio incipiatur, tunc sufficit incensare separatim prælatum, et omnes paratos, ac illos, qui sunt in sedibus superioribus: reliqui autem inferiores brevitatis gratia poterunt incensari sine mora, ita ut incensatio finita sit, antequam incipiatur præfatio, ut salvetur dispositio Rubricarum, ut docet Bongiovanni, *l. c.*, ex *Cæremon. ord. Minor*, *loc. cit.*, et alii, et non paulo ante priusquam dicatur *Sanctus*, ut tradunt Corsettus tract. 1, can. 11, n. 22; Merati, *loc. cit.*, num. 71; Bissus, *loc. cit.*, § 7; Baldus, *loc. cit.*, n. 18.

(58. Si altare, in quo canitur missa, longius distet a choro, thuriferarius pro diacono ad ipsum incensandum se conferet. Nisi in choro superior aliquis præcipuus adesset, aut magnus præsul; quia tunc convenientius id præstare debebit cæremoniarius comitatus a thuriferario. *Cæremonial. ord. Min.*, part. II, c. 9, n. 4; Bongiovanni, *l. c*; Alcozer, et Bauldry, part. I, c. 9, art. 1 et alii.

(59. Imperator et reges ante episcopum triplici ductu thurificantur. *Cæremon. episcop.*, lib. I, c. 23; Bongiovanni, lib. IX, c. 2, et alii passim. Princeps magnus non recognoscens superiorem, proreges et gubernatores regnorum et provinciarum thurificantur a primo assistente immediate post episcopum triplici ductu. *Cæremon. episcop.*, *loc. cit.*; Bongiovanni, *loc. cit.*; Merati, *loc. cit.*, n. 73; Flumara, part. II, cap. 3, et alii.

(60. Domini locorum minorum et magistratus incensari poterunt a thuriferario duplici, vel unico ductu pro qualitate personarum; illi videlicet, quibus proprium scamnum, seu sedes ab aliis distincta parari solet, distincte incensandi sunt juxta laudabilem consuetudinem in toto incensationis ordine et ritu ad pacem tam laicorum quam clericorum conservandam. *Cærem. episcop.*, lib. I, c. 23; *Cæremon. ord. Minor.*, part. II, c. 9, et part. III, c. 2; Bongiovanni, lib. III, cap. 11; Castald., in *Epitome*, part. II, tract. 1, tit. 7; Pollac., *Aphorism.*, part. II, cer. 3, pag. 128; Gavant., *loc. cit.*, lit. *C*, et alii passim.

(61. Et quod in similibus incensationibus servanda sit laudabilis et legitima consuetudo, pluries decrevit sacr. Rit. congregat., ut refert Capon., discept. 329, a n. 17, et signanter in *Casertana* 18 Septembris 1682, quam referunt etiam et sequuntur Barbosa, in *Summa apostolicar. decision.*, collect. 705, n. 8, et *De canonicis*, cap. 34, n. 31, vers. *Supradicta*; Panimol., decis. 1, adnotat. 13, n. 29, et Pignatell., tom. IV, consult. 4, n. 4, ubi sequentem adducit congruam rationem: « quia quod non thurificetur triplici ductu, nisi episcopus et celebrans, est solum ex regulis Cæremonialis, atque adeo de puro atque mero jure ecclesiastico, ergo consuetudo thurificandi alios, etiam triplici ductu, potest illis prævalere. » Quod confirmat etiam Matthæuc., in *Official. cur.*, cap. 28, verb. *Officialis quoad juspatronatus* n. 3. Et statuit ead. sacra congregatio, *in Aprutina* 6 Octobr. 1696, ad sextum dubium, ubi cum quæsitum fuisset: « An magistratui Therami debeatur thurificatio duplici, vel unico ductu, et a quo sit thurificandus? » respondit: « Servetur solitum. »

(62. Omnibus de more incensatis, incensandus est a thuriferario populus ter, primo in medio, deinde versus latus Epistolæ, quod est dextrum populi, tertio versus latus aliud cum honoris significatione et debitis reverentiis ante et post. *Cæremon. ord. Minor.*, part. II, c. 9, n. 5; Bongiovanni, lib. III, cap. 11; Gavant., *loc. cit.*, litt. *D*, et alii passim juxta *Missalis rubricam*, tit. 7, n. 10.

(63. Quando chorum incensat thuriferarius, potest illum incensare, vel in communi transeundo ante sedilia, vel sigillatim Patres, et alios suo ordine facie ad faciem, juxta laudabilem cujusque provinciæ consuetudinem. *Cærem. ord. Minor.*, part. III, cap. 2, n. 2; Bongiovanni, lib. IX, cap. 2, et alii.

(64. Si in presbyterio vel in choro, ubi benedicendum est incensum, adsit episcopus diœcesanus, vel aliquis eo major; tunc spectat ad ipsum incensum imponere et benedicere, ministrante thuribulum primo

Digitized by Google

ex assistentibus cum debitis osculis, et dicente *Benedicite, Pater reverendissime;* et si erit cardinalis, *Pater eminentissime;* et thurificatur triplici ductu, celebrans vero duplici. *Cæremon. episcopor.*, lib. I, cap. 23; *Cæremon. ordin. Minor.*, part. III, cap. 2, n. 5, et part. IV, cap. 7, n. 11; Bongiovanni, lib. III, cap. 11, et lib. IX, cap. 2; Gavant. et Merati, tom. II, sect. 10, cap. 3, n. 15, et alii passim. Si autem ad Vesperas est præsens generalis aut provincialis in sua provincia seu episcopus diœcesanus, vel alius eo major, tunc expedit quod celebrans incensetur apud altare, sicut in missa, triplici ductu in cornu Epistolæ, et inde revertatur ad chorum, ubi fiet incensatio de more secundum dignitatem et ordinem omnium ibi exsistentium. *Cæremon. ord. Minor.*, part. III, cap. 3, n. 6, et part. IV, cap. 7, n. 11; Bongiovanni, lib. IX, cap. 2, et alii.

(65. Quando ad Vesperas præter altare majus aliud altare, seu alia altaria incensanda sunt, tunc, facta incensatione altaris majoris, vel illius, ubi SS. sacramentum asservatur (quod prius est incensandum, quam altare, ad quod Vesperæ fiunt, ut docent Gavant., tom. II, sect. 10, cap. 3, n. 18, et Merati, *ibid.*, n. 15, ac alii), incensantur alia altaria; et peracta incensatione altarium omnium, quæ incensanda sunt, revertuntur omnes parati ad chorum, et fit ibi de more incensatio secundum modum et ordinem prædictum; pergendo autem de choro ad altaria, et redeundo de altaribus ad chorum, celebrans cum ministris incedere debet detecto capite ob reverentiam cantici evangelici *Magnificat*. *Cæremon. ord. Minor.*, part. III, c. 3, n. 5; Bongiovanni, lib. IX, cap. 3; Bauldry, part. II, cap. 11; Merati, *loc. cit.*, n. 12; Castaldus, in *Cæremon. cleric. regularium*, lib. II, cap. 20; Flumara, in eod. *Cæremon.*, part. II, cap. 4, et alii plures.

(66. Incensatio, quæ omnibus dari debet, quia Christus communicat omnibus odorem suum (S. Thomas, part. III, q. 83, art. 5), et quia quæ facit sacerdos, pertinent ad omnes (Durand., cap. 31), item quia thurificatio repræsentat diffusionem gratiarum spiritualium in capite et ab eo ad membra (idem l. IV, c. 5; Gavant., tom. I, part. II, titul. 7, litt. *C*), cessare debet ad Vesperas antequam celebrans dicat vers. *Dominus vobiscum*, ex *Cæremonial. episcopor.*, lib. II, cap. 3, et *Cæremonial. ordin. Minor.*, part. III, cap. 2; Gavant., tom. II, sect. 10, cap. 3, n. 20. Unde qui in choro sunt cantores, vel musici, majori pausa ac graviori modulatione canticum *Magnificat* præcinere debent, et organista sonum solemnius in longum protrahere, ut ante vers. *Dominus vobiscum*, et orationem, incensatio compleatur. Merati, tom. II, sect. 10, cap. 3, n. 16; Bongiovanni, *loc. cit.*, et alii passim.

(67. Quando duo sunt thuriferarii, quisque a parte sua incensat unum ex assistentibus, et postea cantores per ordinem duplici ductu; sicque etiam quisque suo thuribulo incensat suam partem chori, vel singillatim patres, et alios suo ordine facie ad faciem cum debitis reverentiis ante et post, vel in communi transeundo ante sedilia, una simul egredientes ad planum chori, ubi ceroferarios per ordinem incensabunt; tantum ter populum, unusquisque a sua parte, incipiendo in medio: et ultimo seipsos, peractis simul ante et post incensationem reverentiis et genuflexionibus debitis. *Cæremon. ord. Minor.*, part. III, cap. 2, n. 1; Bongiovanni, lib. IX, cap. 2; Gavant., in *Epitom.* tract. 1, part. II, tit. 7, n. 23, et tractat. 2, part. II, tit. 3, et alii.

(68. Qui thurificat, semper stare debet; solus Summus Pontifex a genuflexo incensatur. *Cæremon. episcopor.*, lib. I, cap. 23; Bongiovanni, lib. IX, cap. 2, et alii passim.

(69. Hic juvat adducere responsionem S. Rit. congregat., *in Ostunen.* 24 Novembris 1703, ad sequentia dubia:

« I. An duci Ostuni liceat retinere sedem cameralem coopertam serico villoso rubeo, cum genuflexorio, tam in cathedrali quam in aliis ecclesiis sæcularibus et regularibus civitatis extra presbyterium, sive absente, sive præsente episcopo? Et quatenus *affirmative*. Nihil de sede fixa et dentur decreta.

« II. An idem liceat etiam ejus fratribus. *Negative*.

« III. An dicto duci debeatur thurificatio triplici ductu per aliquem magistrum cæremoniarum, sive alium presbyterum cotta indutum? » Duplici ductu per alium capellanum, sive acolythum.

« IV. An eadem debeatur etiam ejusdem fratribus? *Negative*.

« V. An dicto duci debeatur pax cum instrumento per aliquem magistrum cæremoniarum, sive alium presbyterum cotta indutum? *Affirmative*.

« VI. An eadem debeatur etiam fratribus? *Affirmative*.

« VII. An dicto duci accedenti ad ecclesiam cathedralem, debeat obviam ire procurator capituli, sive alius canonicus ejusdem nomine in habitu canonicali, eidemque in janua ecclesiæ porrigere aspersorium aquæ benedictæ.

« VIII. An idem debeatur etiam fratribus. » Ad VII et VIII *negative* prout jacent?

Reproposita vero causa die 12 Julii 1704, per card. Coloredum sub sequentibus duobus dubiis:

« An fratribus ducis Ostuni instantibus liceat retinere sedem cameralem non fixam cum genuflexorio inferioris ornatus, ac est illa, quæ juxta antiqua decreta conceditur dicto duci, tam in cathedrali, quam in aliis ecclesiis sæcularibus et regularibus ejusdem civitatis, extra tamen presbyterium, sive præsente, sive absente episcopo? Et quatenus *affirmative*.

« II. An dictis fratribus ducis Ostuni debeatur thurificatio unico ductu per capellanum, sive acolythum cotta indutum? »

Sac. congregatio tam in voce quam in scriptis, partibus informantibus auditis; ad utrumque: *Nihil* respondendum censuit

Digitized by Google

Iterum, et tertio reproposita eadem causa die 4 Aprilis 1705, ad instantiam episcopi prætendentis denegare dictum genuflexorium, responsum fuit : « In decisis ; » videlicet : « Nihil de sede fixa, et dentur decreta ; » quibus alias declaratum fuit, domino loci permitti posse sedem cum genuflexorio et tapeto, non tamen gradatam neque fixam, sed amovibilem, et extra presbyterium. Sic refert D. Ursaya, tom. IV, part. I, discept. 4, n. 1, qui ibid., n. 90, alias ejusdem sacræ congregationis resolutiones adducit præcisis his verbis :

« *Mileten.* 26 Aprilis 1704. Obtento ab A. C. adversus promotorem fiscalem curiæ episcopalis Mileten. per Alphonsum Toralba baronem Calimeræ, etc., monitorio super manutentione in possessione, etc., detinendi in parochiali dicti castri sedem, stratum et genuflexorium, et recipiendi aquam benedictam, etc., remissa, etc., causa, etc., ad sac. Rit. congreg. super infrascriptis dubiis.

« Primo an liceat Alphonso Toralba baroni Calimeræ retinere in ecclesia matrici seu parochiali dicti loci pro audiendis divinis, sedem fixam extra presbyterium, absente et non residente episcopo? Vel potius amovibilem cum scabello, tapeto, suppedaneis et postergalibus in casu.

« Secundo an eidem liceat retinere genuflexorium cum tapeto et pulvinaribus? et quatenus *affirmative;*

« Tertio an eædem prærogativæ, in utroque dubio recensitæ, competant etiam baronissæ ejus matri in casu, etc.

« Ad primum quoad sedem fixam, *negative.* Quoad amovibilem et cameralem tantum, *affirmative;* in reliquis vero, *negative.*

« Ad secundum, *affirmative*, juxta decreta *in Larinen.* 12 Septembr. 1699, *in Ostunen.* 24 Nov. 1703.

« Ad tertium, *negative.*

« *Toletana.* Capitulum et canonici metropolitanæ ecclesiæ ad evitandos abusus pomparum et fastus nobilium ad dictam ecclesiam confluentium, qui sellas, strata et pulvinaria præmittebant, decreverunt, alias nemini licere in posterum supradictis commoditatibus seu vanitatibus in d. ecclesia uti, exceptis duntaxat regalibus personis et magnatibus. Quod decretum fuit litteris S. Pii V, confirmatum anno 1571; ex quo decreto cum effectum esset, ut nobiles retraxerint se a dicta ecclesia, tandem dictum capitulum, et canonici ad revocandos nobiles decreverunt ampliare et extendere dictum decretum ad omnes titulares, et magistratus, et officiales, eorumque uxores, filios et alios narratos in libello supplici ipsius capituli ; quod cum per se facere nequirent, ex quo decretum illud erat auctoritate Apostolica confirmatum, ad sacram congregationem recursum habuerunt, quæ respondit *Nihil*, die 28 Martii 1626. »

(70. In choro thurificari debent omnes singillatim. Quod si tanta sit multitudo clericorum, ut incensatio finiri non possit ante finem præfationis, tunc sufficit incensare separatim illos, qui sunt in sedibus superioribus, et reliqui inferiores poterunt incensari sine mora, ita ut finita sit incensatio paulo antequam dicatur *Sanctus.* Merati, tom. I, part. II, tit. 7, num. 70 et 71; Bissus, litt. I, § 7; Bauldry, part. II, art. 7, num. 18; Corset., tract. 1, cap. 11, num. 21; Gavant., tom. I, part. II; tit. 7, litt. *C*, cum aliis ibi citatis. Et ad hoc facit decretum sac. Rit. congr., *in Placentina ad tertium dubium* sub die 10 Maii 1607. Vide *Resolutiones sac. congr.*, in Append. h. tom., et verb. ASPERSORIUM, num. 8.

(71. Alia ad rem. *Vide* verb. ECCLESIA, art. 5, a n. 33, verb. GUBERNATOR, a num. 8 ad 16, et verb. MAGISTRATUS, num. 3 et 9 ; doctissimum P. Cajetanum Mariam Merati in tom. I, part. III, tit. 7, num. 72 et 73, ubi ait quod ex *Cæremoniali episc.*, l. I, cap. 23, num. 32, inter alia habetur : « Quod si adsit dominus loci laicus, vel alius princeps major, debeat incensari ter, sicut incensatur episcopus, celebrans, dignitates et canonici bis, » etc.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(72. Sanctissimum sacramentum Eucharistiæ in tabernaculo altaris reconditum thurificari non debet, sed solum unicum genu tum in transitu tum in reditu flectendum est ante illud, dum thurificatur altare. (73. At vero si fuerit ibidem expositum, incensatio illius debet a celebrante fieri genuflexo utroque poplite super gradu superiori suppedanei altaris. Gavant., in *Rubric. Missal.* part. II, tit. 8, num. 10, § *Incensat.* Et tunc non incensatur crux, quæ imo adesse haud deberet in altari. Bauldry, in *Manual. sacr. Cærem.*, part. II, tit. 8, num. 9, art. 3, num. 2, et rursus part. III, cap. 20, num. 5. (74. Et celebrans in primo gradu suppedanei stans thurificatur. *Synod. diœces. Benev.*, part. I, tit. 29, sect. 4, § 2, num. 11.

TITULUS.

SUMMARIUM.

1. Titulus crucis Domini quando Romæ inventus. — 2. Titulus *Servus servorum Dei*, quo utitur Papa in bullis, a quo fuerit primo inventus. — 3. Papa quare se vocat tali titulo. — 4. Titulus *Eminentissimi* et *Vestræ Eminentiæ* quando cœperit dari cardinalibus, etc. — 5. Tali titulo contenti esse debent cardinales, quamvis sint magni principes. — 6. Tituli cardinales in aliis civitatibus extra Romam olim erant, qui erant tituli parochiales, et sub episcopi jurisdictione erant. — 7. Tituli cardinalitii Romæ erunt olim parochiæ. — 8. Tituli cardinalitii Ecclesiarum Romæ a Sixto V fuerunt præscripti et numerati, et postea designati a Clemente VIII et a sacr. congr. Rit. approbati, ac a Paulo V confirmati. — 9. Cardinales in suis titulis circa suos clericos ut possunt censuris. — 10. Cardinales tenentur residere in suis titulis. — 11. Titulus *Messere* anno 1564 tribui solebat nobilibus personis. — 12. Titulum honorificum sibimetipsi attribuere nimis absonum est. — 13. Titulo *de Suor*, non *de Donne* vocari debent moniales. — 14. Titulum, characterem et ordinem

Digitized by Google

semper retinet episcopus, licet dimittat ecclesiam. — 15. Episcopus ordinans aliquem sine legitimo titulo, tenetur sustentare ordinatum. — 16. Quis et quotuplex sit legitimus titulus pro sacris ordinibus recipiendis? *remissive*.—17. Ut quis possit ordinari titulo familiaritatis quid requiratur? *remissive*. — 18. Titulus coloratus an et quando sufficiat ad inducendum valorem iis, quæ publici ministri faciunt, præsertim in administratione sacramentorum, et signanter sacramenti Pœnitentiæ, *remissive*. — 19. Titulus potest esse, vel verus, vel coloratus, vel apparens, vel præsumptus, et qui sint omnes præsertim respectu præscriptionis? — 20. Titulus verus non requiritur ad præscribendum. — 21. Titulus coloratus sufficit ad præscribendum — 22. Titulus etiam existimatus, dummodo non sit titulus pro emptore, sufficit ad præscribendum. — 23. Cætera autem, quæ concernunt justum titulum ad præscriptionem requisitum, *remissive*. — 24. Titulus coloratus beneficii qui sit et quando habeatur? — 25. Titulus beneficii quando amittatur et quando non? *remissive*. — 26. Titulus antiquus ecclesiæ mutari non potest a confraternitate. — 27. Titulus alienus non potest assumi cum alterius præjudicio, alias punitur assumens. — 28. Capitulum cathedralis non est salutandum a concionatore cum titulo Reverendissimi, atque in absentia episcopi. — 29. Alia ad rem ad num. 36.

(1. Titulus crucis D. N. Jesu Christi inventus fuit Romæ in ecclesia Sanctæ Crucis in Hierusalem die ultima mensis Januarii 1492, Græcis, Hebraicis et Latinis characteribus conscriptus. Alexander VI, constit. 4 incip. *Admirabile* (105).

(2. Titulus *Servus servorum Dei*, quo utitur Papa in bullis, fuit primo inventus a S. Damaso Papa.

(3. Quidquid dicant alii, id attribuentes sancto Gregorio Magno. *Vide* verb. Papa, art. 2, num. 35. Papa quare se vocet tali titulo? Vide, *ibid.*, num. 34 (106).

(4. Titulus *Eminentissimi* et *Vestræ Eminentiæ* cœpit dari cardinalibus anno 1630, ex decreto sacræ congregationis Rituum, confirmato ab Urbano VIII, die 10 Junii 1630, quo statuit, quod talis titulus a nemine, præter quam ab ecclesiasticis Romani imperii electoribus, ac magno magistro hospitalis Hierosolymitani usurpari possit, aut aliis attribui. *Vide* verb. Cardinales, art. 2, num. 13, ubi affertur ad litteram tale decretum.

(5. Quod postea Innocentius X sanctione firmavit, jubens omnes tali titulo contentos esse, quamvis sint magni principes. 24 Apr. 1645.

(6. Tituli cardinales in aliis civitatibus extra Romam olim erant, qui erant tituli parochiales, et sub episcopi jurisdictione erant. Concil. *Meldense*, cap. 54, et Concil. *Roman.* sub Leone IV (107).

(7. Tituli cardinalitii Romæ erant olim parochiæ. Concil. *Roman.* sub Leone IV.

(8. Tituli cardinalitii ecclesiarum Romæ a Sixto V fuerunt præscripti, et numerati constitut. 55 incip. *Religiosa*. Quæ affertur ad litteram sub verbo Cardinales, art. 5, num. 23. Vide *ibi*, ubi insuper sub num. 54 afferuntur, prout postea fuerunt designati a Clemente VIII et a sacra congreg. Rit. approbati, ac a Paulo V confirmati.

(9. Cardinales in suis titulis circa suos clericos uti possunt censuris, ut excommunicatione, suspensione et interdicto. Cap. *His quæ*, De majoritat. et obedient.

(10. Cardinales tenentur residere in suis titulis, alias si Romæ non resideant, et sine Papæ dispensatione alibi degant, deponendi sunt, ut fuit depositus cardinalis Anastasius, quia per quinque annos non resederat in titulo Sancti Marcelli Romæ, cap. *Ex gestis*, De clericis non residentibus. (11. Titulus *Messere*, anno 1564, tribui solebat nobilibus personis. Rota, *in Melevitana* 20 Januarii 1706, § *Nec ex alio, coram Caffarel.* Ursaya, *Miscellan.* 1, litt. *T*, num. 81.

(12. Titulum honorificum sibimetipsi attribuere nimis absonum est. Rota, *in Salisburgen. Primogenituræ de Lodrono* 20 Feb. 1713, § *Certius, coram Ansaldo;* Ursaya, *Miscellaneo* 2, litt. *T*, num. 34.

(13. Titulo *de Suor.* non *de Donne*, vocari debent moniales. S. congr. Episc. et Regul., *in Toletana* 9 Januar. 1595, apud Joan. Mariam Novarr., verb. *Monialis*, num. 5, et Barbos., in *Summ. ap. decis.*, eod. verb. *Monialis*, num. 10.

(14. Titulum, characterem et ordinem semper retinet episcopus, licet dimittat Ecclesiam. Sacra congr. Rit., *in Minerb.* 4 Martii 1601, apud Sell., in *Selectis canonic.* cap. 3, num. 64, et Barbosa, *loc. cit.*, verb. *Episcopus*, num. 6.

(15. Episcopus ordinans aliquem sine legitimo titulo tenetur sustentare ordinatum, textu expresso in capit. *Si episcopus* 37, De præbend. in 6.

(16. Quis et quotuplex sit legitimus titulus pro sacris ordinibus recipiendis. *Vide* verb. Ord., art. 2, a num. 47.

(17. Ut quis possit ordinari titulo familiaritatis, quid requiratur. *Vide* d. verb. Ordo, art. 3, a n. 29. *Vid.* in append. Decret. in fin. h. tom.

(18. Titulus coloratus, an et quando sufficiat ad inducendum valorem iis, quæ publici ministri faciunt, præsertim in administratione sacramentorum, et signanter sacramenti pœnitentiæ. *Vide* verb. Confessarius, art. 1, a num. 31 ad 42.

(19. Quoad ea quæ concernunt titulum ad præscriptionem requisitum, advertendum est, quod titulus potest esse, vel verus, vel coloratus, vel apparens, vel præsumptus. Titulus *verus* est, cum re ipsa exsistit, uti si res sit reipsa legitima hæreditate acquisita. Titulus *coloratus* est, cum intervenit talis titulus, sed ob ignoratam cau-

(105) Vol. IX *Symbolarum Gorianarum* decadis Florentinæ præclara exstat dominici M. Mannii *De titulo Dominicæ Crucis archetypo* dissertatio.

(106) Confer Raynaudum in *Onomastico Pontificio*, v. *Servus servorum Dei.*

(107) Vide Andreucci dissertationem *de cardinalibus in genere*, p. 1.

Digitized by Google

sam fuit invalidus, ut si hæreditas sit acquisita a non potente propter aliquem occultum juris, vel facti defectum talem hæreditatem relinquere. Titulus *apparens*, seu existimatus est, cum talis titulus re ipsa non exsistit, attamen bona fide putatur exsistere, ut si quis prudenter existimet talem hæreditatem legitime a patre suo relictam fuisse, cum tamen contra dispositionem legis ei obvenerit. Titulus *præsumptus* est, cum non scitur de ullo certo titulo, quo res incepta sit possideri, nihilominus prudenter præsumitur aliquis adfuisse ratione possessionis longissimi temporis, et hic etiam titulus sufficit ad præscriptionem. Leg. 4, Cod. *De præscriptione* 30 *vel* 40 *annorum*, et cap. *Ad aures*, De præscriptionibus.

(20. Titulus verus non requiritur ad præscribendum. *Communis*. Et ratio est evidens, quia ubi adest verus titulus rem possidendi, jam antecedenter ad præscriptionem habetur dominium, cum nullus possit rem suam præscribere.

(21. Titulus coloratus sufficit ad præscribendum. *Communissima* per clara jura in tot. titul., ff. et Cod. *De usucapionib.*, titul. *Pro emptore*, titul. *Pro hærede*, titul. *Pro donato*, titul. *Pro derelicto*, titul. *Pro legato*, titul. *Pro dote et instit. de usucapionibus.*

(22. Titulus etiam apparens, seu existimatus, dummodo non sit titulus pro emptore, sufficit ad præscribendum. Leg. *Si existimans* 48, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, cum similibus.

(23. Cætera autem, quæ concernunt justum titulum ad præscriptionem requisitum, *vide* verb. USUCAPIO, § 3 et per tot., ubi abunde de omnibus.

(24. Titulus coloratus beneficii dicitur, qui apparet, seu probabiliter videri potest esse justus, ut si collatio habetur ab eo, qui habet potestatem ordinariam conferendi, quamvis tunc adfuerit impedimentum legitimum validæ provisionis. Unde si Petro, v. g., conferatur beneficium Pauli adhuc viventis, mortuo Paulo, Petrus habebit titulum coloratum. Item si beneficium prius conferatur Petro, et postea Paulo, Paulus habebit titulum coloratum, quamvis de jure titulus verus sit penes Petrum. Item si impetratum sit beneficium non expresso ejus valore, quando id pro validitate impetrationis requiritur; tunc ad talem impetrationem et collationem requiritur titulus coloratus, et sic de similibus, ut notant passim doctores.

(25. Titulus beneficii quando amittatur, et quando non. *Vide* verb. RESIGNATIO BENEFICII.

(26. Titulus antiquus Ecclesiæ mutari non potest a confraternitate. Sacr. Rituum congreg. 26 Octob. 1604.

(27. Titulus alienus non potest assumi cum alterius præjudicio; alias punitur assumens, ut, pluribus adductis, egregie suo more probat eminentissimus card. Petra, tom. II *Commentar. ad constitut.* 1 *Cœlestini III.*

(28. Capitulum cathedralis non est salutandum a concionatore cum titulo Reverendissimi, neque in absentia episcopi. Sac. congreg. Rit., *in Capuana* 23 Januar. 1700, in respons. ad III, apud Monacell., tom. IV, supplement. ad 1 tom., n. 20.

(29. Titulares episcopi nequeunt cogere synodum diœcesanam, nisi qui a suis ecclesiis expulsi sunt, aut in terris Christianorum jurisdictionem exercent in determinatis locis. Benedict. XIV, *De synodo diœcesana*, lib. II, c. 4, a num. 2 ad 6. (30. Episcopi titulares non fuerunt admissi ad concilium Romanum sub Benedicto XIII celebratum anno 1725. Idem, *ibid.*, lib. V, cap. 10, num. 3 (108).

(31. Fraudibus, quæ contingere possunt in assignatione tituli pro sacris ordinibus suscipiendis, sive in beneficiis et patrimoniis fictitiis, sive in patrimoniis conditionaliter constitutis, cum pacto ut clerici ad sacros ordines promoti, si aliunde acquirant, unde honeste vivere possint, bona sibi assignata in patrimonium eorumque usumfructum domino restituant et relinquant, variis decretis occurrit sacra congregatio Concilii, ut patet ex jam adductis tom. V, verb. *Ordo*, art. 2, a n. 90 ad 100, et tom. VI, verb. *Patrimonium*, a n. 3 ad 44, quibus expresse definivit, non solum non licere clericis patrimonium distrahere, ad cujus titulum fuerunt ordinati, sed neque cum aliis bonis cujuscunque generis, sine expressa episcopi licentia illud permutare, ut declaravit eadem sacr. congr. 20 Julii 1619, lib. XVII *Decretor.* pag. 17, ibi : « Patrimonium, ad cujus titulum aliquis est promotus, posse utique de licentia episcopi permutari cum aliis bonis non minoris reditus aut valoris, sed debere episcopum declarare, bona ex permutatione acquisita, esse subrogata in locum prioris patrimonii, ita ut deinceps alienari nequeant, nisi servata forma a concilio præscripta. » Et die 6 Martii 1638, lib. XV *Decretor.* pag. 667 : « Sacra, etc., censuit eum, qui de facto alienavit patrimonium, ad cujus titulum fuerat ordinatus, nulla facta mentione, quod ad illius titulum promotus fuisset, in censuras non incidisse, sed alienationem, ut proponitur, factam, esse ipso jure nullam. » Sic refert Benedict. XIV, tom. II, notific. 6, ubi plurima erudite suo more ad rem tradit merito observanda, et alia similia *De synodo diœcesana*, lib. VII, cap. 7, n. 1 et sequent.

(32. Si quis ordinandus sit ad titulum beneficii in aliena diœcesi obtenti, et hoc perpetuam exigat residentiam, proventus respondere debent taxæ diœcesis, in qua beneficium erectum reperitur. Aliter respondere debent taxæ diœcesis, in qua clericus habet domicilium. Idem, *ibid.*, num.

(108) An vero episcopi titulares possint, ac debeant vocari ad concilia generalia, in iisque votum habeant decisivum, gravior quæstio est, de qua Andreuccius *De episcopo titulari*, p. II, num. 118 seqq. Nullus certe titularium episcoporum, qui plures erant, vocatus fuit ad Lateranense et Tridentinum concilium. *Vide* cardinalem de Lugo, l. V *Responsor. moral.*, dub. 15.

Digitized by Google

2, ex decret. sacræ congregationis Concil., *in Alatrina* 9 Julii 1708, et *in Romana, seu Sanctæ Agathæ Gothorum* 27 Maii 1713, et ex constitutione Innocentii XIII, incip. *Apostolici ministerii*, ubi expresse habetur : « Cum etiam juxta memoratam Innocentii XII prædecessoris constitutionem, ratione ac titulo beneficii in aliena diœcesi obtenti, non aliter liceat ordines ab episcopo ejusdem diœcesis suscipere, quam si beneficium sit ejus reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, detractis oneribus, per se sufficiat, declaramus sufficientiam hujusmodi præfiniendam esse, non juxta taxam synodalem, sive morem pro promovendis ad sacros ordines, vigentem in loco prædicti beneficii (nisi tamen illud continuam et præcisam residentiam requirat) sed juxta taxam, vel ea deficiente, juxta morem, in alio loco domicilii vigentem. »

(33. Si beneficium habeat annexum onus missarum a beneficiato per se, vel per alium celebrandarum, poterit episcopus determinare, an inter proventus sit numeranda vel detrahenda stipes respondens numero missarum, ad quas celebrandas clericus, sive per se, sive per alium tenetur ex lege beneficii. Idem, *ibidem*, a n. 3 ad 7. *Vide* tom. V, verb. ORDO, art. 2, a n. 105 ad n. 110.

(34. Titulus beneficii aut patrimonii est necessarius etiam pro ordinatione Græcorum ; nec loco patrimonii potest clericus Græcus assignare dotem suæ uxoris; nec ordinarius eam admittere. Idem tom. I *Bullar.*, constitut. 57 incip. *Etsi pastoralis*, § 7.

(35. Benedictus XIV, constitut. incip. *Maxima*, Portugalliæ et Algarbiorum regi, ejusque successoribus in perpetuum *Fidelissimi* titulum assignavit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36. Titulus *insignis* cuinam ecclesiæ competat ? Et quibus competat titulus capitularium? *Vide* unam itemque alteram rem examinatam a Rota in *Theatina deletionis titulorum* 18 Martii 1782, *cor. bon. mem. Nunez.*

TOLERANTIA

DIVERSARUM RELIGIONUM.

Lubet sequentia expendere.

(1. Tolerantiæ religiosæ pertractatio, ut recte monet D. Zallwein t. III *Princip. jur. eccl.* p. 387, non ad theologiam duntaxat, sed ad omnes ferme disciplinas jurisprudentiæ spectat. Pertinet inprimis ad « theologiam et jurisprudentiam naturalem publicam, » ut inde doceamur, an et qualis religio secundum principia juris naturæ et divini tolerari possit et debeat. Pertinet deinde ad *Jurisprudentiam ecclesiasticam civilem*, tam publicam quam privatam, ut sciamus quid leges ecclesiasticæ et civiles, publicæ et privatæ, circa *tolerantiam religionum* statuerint, quarum tolerantiam permiserint, reprobaverint, approbaverint, et lege publica communierint. Pertinet demum ad *Politicam*, ex cujus regulis sanioribus dicendum, quid sanior *politia*, quid ratio boni publici, quid *ratio status* circa *tolerantiam*, et maxime pluralitatem religionum in Republica exigat. Esto enim; sanior *politia* pluralitatem religionum in Republica non facile debeat, aut possit admittere, sed omni studio ante omnia conandum sit, ut vera, eaque unica religio, et unanimis recte Deum colendi formula sarta tectaque servetur, quo dissensionibus et motibus civilibus omnis ansa præcludatur; quas nulla magis fax accendere solet, quam religionis diversitas, unde Civitates concuti et lacerari regna necesse est, dum quisque pro religione sua movet et movetur : nihilominus tamen dantur quoque rationum momenta, quæ plurium religionum in una civitate permissionem et receptionem exigant : cujusmodi foret, si plus mali ex eliminatione, quam ex earum tolerantia secuturum prævideretur ; tunc enim veræ politicæ regulis consentaneum foret ex duobus malis, minus eligere, ut in Germania, ubi Catholici tolerant religionem protestantium et reformatorum, seu Calvinianorum.

(2. Tolerantia in genere describi potest « affectio animi, indeque fluens declaratio, qua ex justis causis et approbatis illa, quæ nobis adversa sunt, vel a nobis non probantur, prohibere aut declinare non possumus vel non debemus, patienter ferimus, illis non repugnamus aut resistimus, imo aliquando boni publici causa, aut majoris mali evitandi causa expresse admittere cogimur. » Quamobrem tolerantia supponit et *scientiam*, et *voluntatem*, quatenus ea, quæ toleramus, et sentimus, et intelligimus, et nos intelligere declaramus, etiam per *voluntatem* amplectimur, et ea, quæ non possumus vel non debemus avertere, patienter ferimus. Hoc modo *tolerantia* differt a *dissimulatione;* ea enim, quæ dissimulamus, ignorare videmur, et videri volumus; ea vero, quæ toleramus, nos scire et patienter ferre videri volumus, et quandoque publice declaramus et ostendimus. Hinc datur *tolerantia expressa et tacita*, cum tamen *dissimulatio expressa* dari nequeat. Differt quoque a *conniventia*, quæ ferme cum dissimulatione coincidere videtur.

(3. Deinde omnis tolerantia fundari debet in justis et probatis rationibus, quæ ad tria reduci capita possunt : aut enim ea, quæ toleramus, et non impedimus, vel *non debemus*, vel *non possumus* impedire; aut ea impedire *non expedit*. Prima ratio impedimentum *legis;* altera impedimentum *naturæ;* tertia impedimentum *utilitatis* designat. Ex impedimento *juris* tenemur tolerare re-

Digitized by Google

ligionem protestantium : ex impedimento *naturæ* calamitates subito emergentes, maxime naturales, e. g. grandinem, imbres, etc.; ex impedimento *utilitatis* e. g., inveteratos mores, esto bono publico, non adeo proficui videantur, quos majoris mali evitandi gratia patienter ferimus.

(4. Sequitur tertio *tolerantiam* et *permissionem* aliquoties ab invicem differre, aliquoties convenire : nam aliquoties *permissio* est pure *negativa*, quæ consistit in mera negatione præcepti, et prohibitionis, quando actus nec præcipitur, nec prohibetur, nec præcipi aut prohiberi potest ex eo quod sit nec bonus, nec malus sed prorsus indifferens. Aliquoties *permissio* est *positiva*, quæ dat jus positivum aliquid agendi citra culpam et pœnam, e. g. si princeps det facultatem venandi in silva sibi propria, id quod posset impedire; aut debitor creditori concedit jus alienandi fundum sibi oppignoratum, quo in casu id, quod permittitur, rectæ rationi et juri naturæ debet esse conforme. Aliquoties est *permissio pure talis*, quæ est circa actus illicitos, et solummodo impunitatem, non vero licitatem tribuit, et hinc a quibusdam vocari solet *permissio impunitatis*, veluti quando lex 12 tabularum permisit occisionem furis nocturni, lex Romana concubinatum, et hinc inde permittuntur lupanaria. Et hujusmodi *permissiones* fiunt vel ob evitationem majoris mali, vel ob impossibilem exstirpationem, uti in datis exemplis, vel ob spem majoris boni, quomodo Ecclesia permittit vivere Judæos suis ritibus, quia sperantur eo facilius ad religionem Christianam reducendi.

(5. Sequitur quarto *tolerantiam* esse multiplicis generis, et quidem aliam *publicam*, aliam *privatam* : illa nititur auctoritate imperantium in ordine ad regendam rempublicam, illiusque bonum promovendum; hæc respicit obligationem hominum privatorum, quatenus « ex regulis Christianæ charitatis, vel pietatis, vel ex regulis prudentiæ, vel ex regulis juris aliqua tolerare, pati et sine resistentia dissimulare tenemur.

(6. *Publica* tolerantia rursus est vel *necessaria*, vel *voluntaria*, seu *gratiosa;* illa debetur ex legibus fundamentalibus, vel pactis publicis inter imperantes et subditos initis, qualis est religionis Lutheranæ in Germania : hæc unice dependet a voluntate imperantis, et pacto respective privato inter ipsum et subditos inito, ita ut in arbitrio imperantis solius stet *tolerantiæ* huic limites ponere, et eam restringere; id quod non potest, si subditis debeatur *tolerantia* ex lege fundamentali et pacto publico.

Iterum alia *simplex*, et alia *qualificata :* hæc perfectam jurium communionem introducit cum iis, qui verum jus civitatis habent, ita ut idem sit tolerari, ac jure civitatis perfecto gaudere; illa in simplici imperantis permissione consistit, et sine perfecta jurium communione alias ex jure civitatis promanantium nunc arctiores, nunc ampliores recipit terminos, quos egredi non licet.

(7. Apud nos necesse non esset plura hac de re persequi. Italia enim ad hæc tempora, una excepta Judaica, religionum pluralitatem, Deo nobis opitulante, ignoravit. Hæc præcipue adnotamus in Germaniæ gratiam, ubi tres tantummodo religiones ex Pace Westphalica permittendæ essent, Catholicorum, Lutheranorum et reformatorum. Certe disertissima sunt Pacis Westphalicæ verba artic. VII, § 2, « sed præter religiones supra nominatas nulla alia in sacro imperio Romano recipiatur vel toleretur. » Nihilominus protestantes in plures abiere sententias, quorum aliqui volunt, paciscentes tolerantiam solummodo *necessariam* determinare; *gratiosam* econtra imperantium arbitrio relinquere voluisse. Huic sententiæ suffragatur ferme communis praxis Germaniæ, cum passim non modo diversi generis hæretici, e. g. Anabaptistæ, Mennonitæ, Hernhutiani, sed etiam Judæi a statibus imperii recipiantur et tolerentur. Alii hanc clausulam a Catholicis clandestine intrusam ac suppositam fingunt, quorum doctrinam ne ipsi quidem sapientiores protestantici approbant, metuentes ne Catholici jure retorsionis ac repressaliarum utentes similia ipsis jure certe longe majori objiciant. Alii, quorum opinio plures habet sequaces, citatum § intelligunt de tolerantia et exercitio religionis *publico*, *qualificato* ac *privilegiato*, tali, quali fruuntur Protestantes; non vero de tolerantia *simplici* et exercitio *privato*. Hujus opinionis præter alios sunt Boehmerus *Jur. eccl.*, tom. I, tit. 1, § 58, et Henninges, *Medit. ad P. W.*, p. 879.

(8. Verum cum clarissima sint, ut vidimus, Pacis Westphalicæ hac de re verba, utquid ad contortas Zalwein interpretationes confugimus ? quam facile fuisset paciscentibus distinguere inter exercitium *publicum* et *privatum*, inter *tolerantiam privilegiatam et simplicem*, si illorum intentio fuisset restricta ad exercitium *privilegiatum* ? Anne fortassis aliud mente retinuerunt paciscentes, et aliud verbis expresserunt, et hoc agendi modo Catholicos circumvenerunt? Sed hoc ipsis fore probrosum facile intelligent ipsi. Imo de aliarum sectarum exercitio tolerando ne quidem ipsos tunc temporis protestantes somniasse, id argumento est, quod ipsis tota contentione laborandum fuerit, ut pro se *libertatem conscientiæ* et tolerantiam suæ religionis eblandirentur et extorquerent. Omnis illorum zelus pro vindicanda *libertate conscientiæ* erat interessatus, partialis, unice intentus in bonum suæ religionis protestanticæ. Et quare haud pauci eorum Zwinglianos et reformatos in consortes religionis, ac in participium tolerantiæ, juriumque eidem annexorum admittere noluerint, et tandem ægre admodum reformatos admiserunt? Quare in hodiernam usque diem protestantes in reformatos adeo sunt rigidi, ut illorum exercitium in illis locis,

Digitized by Google

ubi qui ipsi dominantem habent religionem, ægerrime admittant, et eorum exercitium, quantum possunt, restringant? Nondum eo ævo seu tempore, reformationis illa libido, et vaga libertas sentiendi in materia religionis, ille indifferentismus et syncretismus invaluit, qui nunc plurimorum animos occupat, sectis quibuscunque januam aperit, et introitum permittit liberrimum, illis etiam, quos jus naturæ ex omni orbe proscriptos vult, et eliminatos, quales sunt ipsi etiam athei, et indifferentistæ. Nondum invaluit illud: « sunt boni cives, quieti, pacifici: ergo tolerandi: » quidquid deinde sit de bono religionis, quæ in ultimis habetur curis, quemadmodum supra dictum fuit. Aut ergo intentio paciscentium fuit excludendi omnes alias religiones, aut syncretismum aliquem, qui universale scutum sectarum, ac errorum, novitatumque clypeus est, in imperium introducendi, ibidem fovendi ac tuendi. Illud primum loquitur *littera*; istud alterum dicere nos Catholici erubescimus, et nec homos Protestanticorum, qui zelantes pro bono suæ religionis videri cupiunt, permittit. Hactenus cl. Zallwein, quem fere exscripsimus. *Vide* infra v. Zizania, quorum parabola *Matth.* xiii, maxime abuti protestantes solent, ut quamvis religionem tolerandam esse suadeant.

TONSURA.

1. Tonsura sit, necne, ordo, non est definitum. Benedictus XIV, constitut. incip. *Ad audientiam*, § 22.

2. Alia ad rem, *vide* verb. Ordo, art. 1, a num. 8 ad 15, et art. 2, n. 1.

TRADITIONES.

SUMMARIUM.

1. Traditio generatim sumpta quid sit?—2. Traditio speciatim, et prout moris est magis stricte sumpta, quid sit? — 3. Traditio dividitur in divinam, Apostolicam et ecclesiasticam, et quæ sit istarum quælibet? — 4. Præter sacram Scripturam, seu verbum Dei scriptum, admittendæ et observandæ sunt traditiones Apostolico-divinæ, seu verbum Dei non scriptum. — 5. Traditiones divinæ sunt infallibiles fidei regulæ, ac verbum Dei scriptum.—6. Traditiones pure Apostolicæ et pure ecclesiasticæ, quamvis non habeant parem cum traditionibus divinis, seu apostolico-divinis auctoritatem, nihilominus sunt ab omnibus observandæ, si sint universales. — 7. Imo tales traditiones violans est anathema.

1. Traditio generatim sumpta est doctrina successive per tempora ab uno in alterum transmissa, sive interim scripta sit, sive non. Sic in re communis doctorum.

2. Traditio autem speciatim, et prout moris est, magis stricte sumpta, est doctrina non scripta a primo suo auctore, seu ab exordio, licet postea ab aliis fuerit conscripta, et per codices ad nos transmissa. Sic doctores communiter.

3. Traditio dividitur in divinam, Apostolicam et ecclesiasticam. Traditio *divina*, seu *verbum Dei non scriptum* est doctrina fidei et morum, non scripta in libris Canonicis, sed ex ore Christi docentis immediate apostolos procedens, vel a Spiritu sancto iisdem dictata, et ab eis viva voce Ecclesiæ tradita, et continua successione in posteros ad nos usque transmissa, et in Ecclesia catholica pro revelata a Deo semper habita, qualis traditio potissimum habetur circa materiam et formam sacramentorum, circa perpetuam virginitatem B. M. Virginis, et hujusmodi in Ecclesia catholica perpetuo conservata, licet in sacra Scriptura expresse non habeatur. Traditio *Apostolica*, licet interdum soleat confundi cum divina, eo quod per apostolos, ut Christi præcones, seu nomine Christi loquentes, viva voce fuerit Ecclesiæ tradita, seu promulgata, proprie tamen est illa, quæ ab apostolis ex instinctu Spiritus sancti primo viva voce profecta est, et ab ipsis ad nos usque per majores intermedios transmissa; quamvis in eorum libris et Epistolis non reperiatur expressa, uti est jejunium Quadragesimæ, observatio diei Dominicæ loco Sabbati, et alia hujusmodi. Traditio *ecclesiastica* proprie est illa, quæ nec a Christo, neque ab apostolis, sed post Christi ascensionem, et apostolorum mortem, est ab Ecclesiæ auctoritate, aut praxi, aut prælatis inchoata, et in populum fidelem introducta, uti est consecratio ecclesiarum et altarium, abstinentia a carnibus, ovis et lacticiniis certis diebus, aliquorum jejuniorum et festorum observantia, et alia hujusmodi.

4. Præter sacram Scripturam, seu verbum Dei scriptum, admittendæ et observandæ sunt traditiones Apostolico-divinæ, seu verbum Dei non scriptum. Communis Catholicorum contra modernos hæreticos, et habetur expresse ex *II ad Thessalonicenses* ii, ibi: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Estque definitum in concil. *Trid.* sess. iv, *De canonicis Scripturis.*

5. Traditiones divinæ sunt infallibiles fidei regulæ, ac verbum Dei scriptum. Communis inter Catholicos contra dictos modernos hæreticos. Et ratio est quia verbum Dei scriptum non habet, quod sit infallibilis fidei regula ex eo quod scriptum sit, sed ex eo quod a Deo procedat; sed æque procedit a Deo verbum Dei non scriptum, ac scriptum, ergo, etc. Scriptura enim confert ad memoriæ commoditatem, non vero ad rei veritatem: unde concilium *Tridentinum* cit. sess. iv, sic expresse habet: « Sacrosancta synodus traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto dicta-

Digitized by Google

tas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit et veneratur. » Et S. Joannes Chrysostomus in cit. *Epist. ad Thessalonicenses II*, sic dicit : *Hinc patet quod non omnia per Epistolam tradiderit, sed multa etiam sine litteris ; eadem vero fide digna sunt tam illa quam ista*, quo pari sensu loquuntur cæteri sancti Patres.

(6. Traditiones pure Apostolicæ et pure ecclesiasticæ, quamvis, ut de se patet, non habeant parem cum traditionibus divinis seu Apostolico-divinis auctoritatem, nihilominus sunt ab omnibus observandæ, si sint universales. Ita Catholici communiter, concil. *Coloniens.* II, part. IX, cap. 1, can. *Si quis omnem*, 2, caus. 1, q. 7. Unde S. Augustinus, epist. 118, cap. 5, loquens de his traditionibus sic expresse dicit : « Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia... quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est. » (7. Imo tales traditiones violans est anathema textu expresso in cit. can. *Si quis omnem* 2, caus. 1, q. 7, ibi : « Si quis omnem traditionem ecclesiasticam scriptam vel non scriptam violat, anathema sit (109). »

TRANSACTIO.

SUMMARIUM.

1. Transactio dupliciter sumitur, scilicet late, seu minus proprie et stricte, seu magis proprie. — 2. Transactio late seu minus proprie sumpta quid sit ? — 3. Transactio stricte seu magis proprie sumpta quid sit ?—4. Tria ad transactionem stricta, et magis proprie sumptam requiruntur; primo quod fiat de re dubia. — 5. Hinc si tempore transactionis pars transigens certo cognoscat, sibi nullum in re, de qua transigitur, jus competere, tunc non valet transactio inde secuta, et tenetur in foro conscientiæ restituere totum id, quod ob talem transactionem ab altera parte recepit, seu ei debitum non dedit. — 6. Imo nedum in foro interno, sed etiam in foro externo invalida est talis transactio. — 7. Secundo requiritur ad strictam et propriam transactionem, quod fiat super lite incerta, et necdum finita. — 8. Tertio requiritur, quod non fiat gratis, sed onerose, aliquo hinc inde dato et retento, promisso vel remisso. — 9. Generatim et universim loquendo, transigere possunt omnes, qui liberam rerum suarum administrationem habent, easque aliis donare, seu quovis modo alienare possunt. — 10. Item generatim et universim loquendo potest fieri transactio de omnibus rebus dubiis et litibus incertis, de quibus id nullo jure prohibitum reperitur. — 11. Hinc super matrimonio nequit fieri transactio, nec amicabilis compositio. — 12. Quamvis tamen fieri possit transactio, seu amicabilis compositio super sponsalibus. — 13. Item fieri nequit transactio super relictis in testamento, vel codicillo, nisi prius inspectis cognitisque verbis illius. — 14. Item non valet transactio super alimentis in ultima voluntate relictis, nisi fiat causa cognita et auctoritate judicis interveniente. — 15. De quolibet crimine capitali (excepto adulterio) licitum est transigere. — 16. De aliis autem criminibus, quæ pœnam sanguinis non irrogant, non est licitum transigere, præterquam de crimine falsi. — 17. Transactio super beneficio ecclesiastico, vel alia re spirituali cum interventu rei temporalis vicissim datæ, remissæ vel promissæ, neque privato partium consensu, neque auctoritate judicis ordinarii fieri potest absque labe Simoniæ, bene tamen gratuita et amicabilis compositio. — 18. Potest tamen super spiritualibus fieri transactio absque labe Simoniæ, si detur spirituale pro spirituali. — 19. Transactio super spirituali subjectione est Simoniaca, et consequenter illicita et nulla, si fiat dato vel remisso aliquo temporali. — 20. Neque potest absque labe Simoniæ fieri transactio super jurepatronatus interventu rei temporalis ac pretio æstimabilis. — 21. Prælatus seu rector ecclesiæ nequit transigere de rebus ecclesiæ immobilibus vel pretiosis absque solemnitatibus a jure requisitis. — 22. Potest tamen prælatus, seu rector ecclesiæ transigere super juribus Ecclesiæ in præjudicium sui ipsius, ita ut talis transactio sit mere personalis, et non transeat ad successores. — 23. Talis autem transactio personalis super rebus, seu juribus Ecclesiæ fit realis, et obligat successores, si fuerit a Papa ex certa scientia confirmata. — 24. Transactio semel bona fide, ac legitime celebrata, invita altera parte transigentium, revocari, aut rescindi non potest. — 25. Imo talis transactio, nequidem interveniente rescripto principis, revocari valet. — 26. Item nec talis transactio rescindi potest prætextu instrumentorum de novo postea repertorum ad litem sopitam pertinentium. — 27. Dummodo tamen in supradictis nulla intervenerit fraus aut dolus. — 28. Unde si quis graviter lædat alterum in transactione, tenetur in foro conscientiæ ad restitutionem rei injuste acceptæ seu retentæ. Et insuper contra eum in foro externo datur actio de dolo malo, et rescinditur transactio, si dolus vere intervenisse probatur. — 29. Probabilius est quod transactio bona fide hic inde celebrata rescindi possit ob læsionem ultra dimidium. — 30. Est tamen vere probabilis etiam contraria sententia. — 31. Afferuntur varia decreta sacr. cong. Immunitatis concernentia transactionem inter ecclesiasticos et laicos, ad n. 37. — 38. Transactio super rebus ecclesiasticis nequit fieri sine beneplacito Apostolico ; et si fiat cum reservatione ipsius, ante hujus impetrationem revocari potest. — 39. Alia ad rem ad n. 49.

(1. Transactio dupliciter sumitur, scilicet late seu minus proprie, et stricte seu magis proprie. *Communis.* (2. Transactio late seu minus proprie sumitur pro omni actu, quo ab obligatione receditur, et quasi transitur, ac negotium aliquod inter quosdam componitur, sive id fiat litis componendæ causa, sive non. Et juxta hanc acceptionem omnis distractus, et etiam res judicata, jusjurandum, ac quodlibet pactum nomine transactionis comprehenditur, l. *Hujus edicti* 1, § 3, et l. *Tres fratres* 35, ff. *De pactis*, l. *Jusjurandum* 2, ff. *De jurejurando*, l. *Transacta* 229, ff. *De verbor. significatione.* (3. Transactio stricte seu magis proprie sumpta est « de re dubia et controversa, sive lite incerta, et necdum finita, non gratuita, sed onerosa inter partes conventio, seu pactio vel compositio. » Desumitur clare ex l. *Qui transigit* 1, ff. *De transactionibus*, ibi : « Qui

(109) Præter Canum, Bellarminum cæterosque polemicos disputatores vide de traditionibus Prodromum P. Gautier, diss. 3, art. 2, t. I *Thesauri theologici* Zaccariani, p. 204.

Digitized by Google

transigit, quasi de re dubia et lite incerta, neque finita transigit. » Et concordant *l. Præses* 12, l. *Transactio* 38, et l. *Jubemus* 43, cod. eod.

(4. Unde ex data definitione colligitur tria requiri ad strictam et propriam transactionem. Primo requiritur ut dicta transactio fiat de re dubia, ut sic distinguatur a pacto, quod est de re certa et indubitata, quæ per pactum subinde remittitur; per text. in l. 1, ff. *De transact.* Ad quod Glossa in Rubrica *De transactionibus* ante cap. *Sicut grave* 1, cod., hos duos affert vulgares versiculos :

Incerta de re transactio dicitur esse,
Sed fiunt certæ pacta favore rei.

(5. Hinc si tempore transactionis pars transigens certo cognoscat, sibi nullum in re, de qua transigitur, jus competere, tunc non valet transactio inde secuta, et tenetur in foro conscientiæ restituere totum id quod ob talem transactionem ab altera parte recepit, seu ei debitum non dedit, cum talis sic transigens nullum habeat justum titulum, vi cujus possit aliquid accipere, ut recedat ab actione, vel retineat id, de quo agitur, ut de se patet et docet communissima doctorum. (6. Imo nedum in foro interno seu in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo invalida est talis transactio; vel ipso jure, si sit actor, qui sic transigat, sciens certo rem ad alteram partem spectare, ut constat ex l. in *Summa* 65, ff. *De condiction. indebit.* Vel per exceptionem, seu replicationem doli, instante actore, rescindenda erit, si sit reus, qui sic transegerit, sciens certo rem ad actorem pertinere, uti habetur ex leg. sub *prætextu* 19, cod. *De transactionibus*, et docet Glossa in *Super eo* 6, verb. *Dato de transact.*; Abbas, *ibid.*, in fine; Molina, tract. 2, *De justitia*, disp. 555, num. 1; Pirrhing, lib. 1 *Decretal.* tit. 36, n. 3; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 4; Engel, *ibid.*, n. 3, et alii passim.

(7. Secundo requiritur ad strictam et propriam transactionem, quod fiat super lite incerta, et necdum finita, quia, si lis jam sit per latam a judice sententiam finita, et nulla fuerit super ipsa interposita appellatio, jam transit in rem judicatam, sicque non amplius locus est transactioni super ea, cum non amplius lis sit incerta, nam res judicata pro veritate accipitur, textu expresso in leg. *Res judicata* 206, ff. *De reg. juris*, ibi : « Res judicata pro veritate accipitur. » Unde in l. *Eleganter* 23, § 1, ff. *De condictione indebiti*, recte statuitur : « Si post rem judicatam quis transegerit et solverit, repetere poterit, idcirco quia placuit transactionem nullius esse momenti. » Et concordat textus expressus in leg. *Si causa* 32, cod. *De transactionibus*. Nec transactio est de qualibet re dubia, sed de re dubia propter litem jam motam, et necdum finitam, vel saltem movendam, utpote quia controversia, seu dubium inter partes ortum est, timetur quod lis possit in judicio moveri, quamvis nondum sit mota; tunc enim inter partes ad eam controversiam dirimendam et litem impediendam valide et licite possunt antea inter se transigere, textu expresso in leg. *Cum te* 2, cod. *De transactionibus*.

(8. Tertio requiritur ad strictam et propriam transactionem, quod non fiat gratis, sed onerose, aliquo hinc inde dato et retento, promisso vel remisso, textu expresso in leg. *Transactio* 36, cod. *De transactionibus*, ubi dicitur quod « Transactio nulle dato » (pro eo quod remittitur), « retento, seu promisso, minime procedit. » Et in hoc differt a compositione amicabili, quæ gratis fit, nullo dato, aut retento seu promisso, sed per ipsam pars debiti gratis remittitur et condonatur, c. *Super ea* 7, De transactionibus. Quamvis tamen compositio amicabilis in largiori significatione interdum pro transactione sumatur, et econtra transactio pro amicabili compositione, ut colligitur ex cap. *Ex litteris* 6, et cap. *Veniens* 8, De transactionib.

(9. Generatim et universim loquendo transigere possunt omnes, qui liberam rerum suarum administrationem habent, easque aliis donare, seu quovis alio modo alienare possunt, arg. l. *In re* 11, cod. *Mandati*. Qui autem non possunt res alienare, neque circa illas transigere possunt. Transactio enim est species alienationis : Extravagant. *Ambitiosæ*, De rebus ecclesiast. non alienand. Et sic tenent doctores communiter.

(10. Item generatim et universim loquendo, potest fieri transactio de omnibus rebus dubiis et litibus incertis, de quibus id nullo jure prohibitum reperitur; concessum enim intelligitur quidquid expresse prohibitum non reperitur, leg. *Nec non* 28, § 2, ff. *Ex quibus causis*; ff. l. *Testimonium* 1, § 1, ff. *De testibus*, l. *Mutus* 43, § 1, *De procuratoribus*; Glossa marginal. communiter recepta in cap. *Inter corporalia* 2, de translatione episcop., verb. *Non invenitur*. Econtra autem transactio fieri non potest super iis, de quibus aliquo jure prohibitum reperitur : juri enim publico nequit derogari pacto privatorum, textu expresso in l. *Jus publicum* 38, ff. *De pactis*, cap. *Si diligenti* 11, De foro competenti. Unde immerito in cap. *Quæ contra* 64, De reg. jur. in 6, dicitur expresse : « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. »

(11. Hinc super matrimonium nequit fieri transactio nec amicabilis compositio, utpote expresse prohibita in c. *Ex parte sua* 11, De transact., juncta Glossa communiter recepta, *ibidem*, verb. *Sacramentum*, ibi : « Sic patet quod in matrimonio transactio seu compositio non habet locum. » (12. Quamvis tamen fieri possit transactio seu amicabilis compositio super Sponsalibus de futuro, cum ea dependeant ex libero contrahentium assensu vel dissensu, nec ad id habeatur resistentia juris. *Communis*.

(13. Item fieri nequit transactio super relictis in testamento vel codicillo, nisi prius inspectis cognitisque verbis illius, textu expresso in leg. *De his* 6, ff. *De transactio-*

Digitized by Google

nibus, ibi : « De his controversiis, quæ ex testamento proficiscuntur, neque transigi, nec exquiri veritas aliter potest, quam inspectis cognitisque verbis testamenti. » Et concordat lex *Cum hi* 8, § 2, ff. eod. et lex *Omnibus* 1, § 1, ff. *Testamenta quemadmodum aperiantur*, ubi ad id requiritur insuper auctoritas judicis. Et ratio est quia tales transactiones sunt captiosæ, cum possint hæredes testamenta occultare, et facile legatarios inducere, ut modico statim sibi dato contenti, magna relicta, sive legata, inexspectato evenientia, et necdum certo scita, repudient, ut cavetur in cit. l. *Cum hi* 8, ff. *De transactionibus*, et sic deperent cum non parvo boni publici præjudicio ultimæ defunctorum voluntates contra præscriptum l. *Habeat unusquisque* 1, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*, l. *Vel negare* 6, ff. *Testamenta quemadmodum aperiantur*, can. *Ultima voluntate* 4, caus. 13, q. 2, cum similibus, ubi statuitur « quod ultima voluntas, seu dispositio defuncti modis omnibus servari debeat. »

(14. Item propter eamdem rationem non valet transactio super alimentis in ultima voluntate relictis, nisi fiat causa cognita et auctoritate judicis interveniente. *Communis*, textu expresso in citat. l. *Cum hi* 8, ff. *De transactionibus*, ibi : « Cum hi, quibus alimenta relicta erant, facile transigerent, contenti modico præsenti, divus Marcus oratione in senatu recitata effecit, ne aliter alimentorum transactio rata esset, quam si auctore prætore facta ; solet igitur prætor intervenire, et inter consentientes arbitrari, an transactio, vel quæ admitti debeat, ejusdem prætoris notio ob transactionem erit, sive habitatio, sive vestiarium, sive de prædiis alimentum legabitur. »

(15. De quolibet crimine capitali (excepto adulterio) licitum est transigere, textu expresso in leg. *Transigere* 18, c. *De transactionibus*, ibi : « Transigere, vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non est. » Et ratio est quia licitum est unicuique sanguinem suum quovis modo redimere, corrumpendo etiam adversarium, ut ab accusatione desistat, textu expresso in leg. *In capitalibus* 1, De bonis eorum qui sententiam, ibi : « In capitalibus criminibus a principibus decretum est non nocere ei, qui adversarium corrupit, sed in his demum, quæ pœnam mortis continent, nam ignoscendum censuerunt ei, qui sanguinem suum qualitercunque redemptum voluerit. »

(16. De aliis autem criminibus, quæ pœnam sanguinis non irrogant, non est licitum transigere, præterquam de crimine falsi, textu expresso in cit. l. *Transigere* 18, cod. *De transactionibus*, ibi : « In aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet citra falsi accusationem. » Et ratio est quia hic cessat periculum capitis et sanguinis, et ideo transigentes excusationem non merentur ; tum quia id exigit bonum commune reipublicæ, ne crimina maneant impunita. Unde merito l. *In omnibus causis*, ff. *De prævaricatione*, statuitur quod in omnibus causis, præterquam in causa capitali et sanguinis, qui delatorem seu accusatorem corrupit, pro victo habeatur, ibi : « In omnibus causis, præterquam, in sanguine, qui delatorem corrupit, ex senatusconsulto pro victo habetur. »

(17. Transactio super beneficio ecclesiastico, vel alia re spirituali, de qua litigatur, neque privato partium consensu, neque auctoritate judicis ordinarii fieri potest absque labe Simoniæ, interventu rei temporalis vicissim datæ, remissæ vel promissæ ; bene tamen gratuita et amicabilis compositio *Communis*, textu expresso in c. *Super eo* 7, De transactionibus, ibi : « Transigi super re sacra et litigiosa non potest, etenim res sacræ, ut possideantur aliquo dato vel remisso, sive promisso, speciem credimus habere Simoniæ. Alias si gratis, et amicabiliter inter se litigantes componant, sacris canonibus nequaquam dicimus obviare. », Et concordat cap. *Constitutus* 4, eod. et cap. *Exhibita* 9, De rerum permutat., cap. *Cum pridem* 4, De pactis ; Pitonius, *De controvers. patronor.*, allegat. 100, n. 661 et seq., cum aliis ibi allegatis.

(18. Potest tamen super spiritualibus fieri transactio absque labe Simoniæ, si detur spirituale pro spirituali, ut si decimæ litigiosæ pro parte per transactionem dividantur, aut clerici pro jure decimandi controverso sese obligent ad administranda sacramenta, et hujusmodi. *Communis*, arg. cap. *Ad quæstiones* 6, juncto ejus summario, *De rerum permutat.*, ubi habetur expresse quod spiritualia possunt adinvicem permutari, adeoque potest etiam super eisdem transigi.

(19. Transactio super spirituali subjectione est Simoniaca, et consequenter illicita et nulla, si fiat dato vel remisso aliquo temporali. *Communis*, textu expresso in cap. *Præterea* 10, juncto ejus summario *De transactionibus*.

(20. Neque potest absque labe Simoniæ fieri transactio super jurepatronatus, seu præsentandi ad beneficia, interventu rei temporalis ac pretio æstimabilis. *Communis*, textu expresso in cap. *Præterea quando* 9, De transactionibus. Et ratio est quia res spiritualis non potest absque Simonia dari aut promitti pro re temporali, citat. cap. *Super eo* 7, De transactionibus. Juspatronatus autem vel secundum se, et intrinsece est spirituale, ut tradit Glossa in d. cap. *Præterea quando*, verb. *Simoniaca*, ibi : « Quia juspatronatus est spirituale, » vel saltem spirituali annexum, cap. *Quanto* 3, De judiciis, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Connexa* ; unde, ut ibi dicit Glossa, « spirituale censetur propter connexitatem, » et ideo non potest super ipso transigi interventu rei temporalis, sine labe Simoniæ, cum ipsa non solum committatur in spiritualibus, sed etiam in spiritualibus annexis, c. *Si quis objecerit* 7, caus. 1, q. 3, quia de connexis idem est judicium, c. *Translato* 3, De constitutionibus. Unde ob id juspatro-

Digitized by Google

natus per se vendi non potest, c. *De jure* 16, De jurepatronat., cum similibus.

* « Dubitatur, an possit admitti ab episcopo transactio cum pensione super beneficio, si partes prius de illa convenerint, sed dependenter ab episcopi consensu? Negant Laym. et Reg., sed probabilius affirmant Salm... cum Bon. et Torre. » Ita S. Alph. de Liguori, *Theol. moral.*, lib. III, cap. 2; *De irrelig.*, dub. 3, art. 1, n. 80 *.

(21. Prælatus seu rector ecclesiæ nequit transigere de rebus ecclesiæ immobilibus, vel pretiosis absque solemnitatibus a jure requisitis. Cum enim transactio sit species alienationis, qua vel rem nobis competentem, aut quam credimus competere, dimittimus, arg. l. *Si quid* 1, § 6 et 9, ff. *Si quid in fraudem*, nequit fieri super dictis rebus, sicut nequit fieri alienatio sine solemnitatibus a jure requisitis, Extravagant. *Ambitiosæ*, De rebus eccles. non alienandis.

(22. Potest tamen prælatus seu rector ecclesiæ transigere super juribus ecclesiæ in præjudicium sui ipsius, ita ut transactio teneat pro toto tempore, quo ecclesiam possidebit. Sic desumitur ex cap. *Veniens* 7, § *Mandamus*, De transactionibus, et notat Abbas, *ibid.*, n. 1, et Fagnan. n. 2, et communis aliorum, teste Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 36, n. 63. Et ratio est quia talis transactio est potius inter personas, quam inter ecclesias, sicque non realis, sed mere personalis quæ non transit ad successores, ut *ibi* innuit Pontifex: « Cum alias transactio inter personas facta potius quam inter ecclesias videatur, ne pacta inter alios acta, aliis obesse patiamur, etc., » et habet Glossa, *ibid.*, verb. *Inter alios*.

(23. Talis autem transactio personalis super rebus seu juribus Ecclesiæ fit realis et obligat successores, si fuerit a Papa ex certa scientia confirmata. Sic colligitur ex cit. cap. *Veniens* 7, De transactionibus, et habet expresse Glossa, *ibid*, *Confirmata* ex pluribus juribus ibi adductis, et sequitur Fagnan., *ibid.*, num. 3, cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 64, et alii passim; ac Rota, part. IV recent. decis. 31, num 2. Et ratio est quia, ut argumentatur citata Glossa, *ibid.*, verb. *Confirmata*, Papa potest facere ut transactio, quæ nulla est, sit aliqua arg. can. ultim. caus. 16, q. 1, et cap. *Cum Apostolicæ* 7, De his quæ fiunt a prælato sine consensu capituli, adeoque prosequitur dicta Glossa, multo magis potest efficere, ut sit alia, nempe ut ex personali fiat realis, cum plus sit de nihilo aliquid facere quam de aliquo aliud, arg. can. *Revera de conseerat.*, dis. 2, et l. *Rem in præsenti* 1, in princip. cod. *De rei uxoriæ actione*.

(24 Transactio semel bona fide ac legitime celebrata invita altera parte transigentium revocari aut rescindi non potest. L. *Cum te* 5, cod. *De transactionib.*, l. *Postquam liti* 5, cod. *De pactis*.

* Cum nullus esset litium finis, si a transactionibus bona fide interpositis posset quis facile discedere, ut in l. 10, cod. *De transact.* *

(25. Imo talis transactio, ne quidem interveniente rescripto principis, revocari valet, textu expresso in l. *Causas* 16, cod. *De transactionibus*, ibi: « Causas vel lites transactionibus legitimis finitas imperiali rescripto resuscitari non oportet. »

(26. Item nec talis transactio rescindi potest prætextu instrumentorum de novo postea repertorum ad litem sopitam pertinentium, textu expresso in l *Sub prætextu* 19, cod. *De transactionibus*, ibi: « Sub prætextu instrumenti post reperti transactionem bona fide finitam rescindi jura non patiuntur. » Et concordat l. *Sub prætextu* 29, cod. eod., ibi: « Sub prætextu specierum post repertarum generali transactione finita rescindi prohibent jura, » et c. *Sicut grave* 1, De transactionibus.

* Nec sub prætextu evictionis rerum traditarum rescindi valet transactio l. *Sub prætextu*, ff. *De transact.* Dummodo tamen inita sit transactio super ipsa re, de qua lis erat, et apud eum qui transegit, jam constituta et retenta, cum videatur periculum in se suscepisse is, qui rem retinere voluit, et de ea ipsa transactionem peregit leg. 33, cod. *De transact* *.

(27. Dummodo tamen in supradictis nulla intervenerit fraus aut dolus, quia, si adversarius per se vel per alium alteri parti transigenti instrumenta, quibus veritas cognosci potuisset, dolo subtraxisset, sicque defectu talium instrumentorum cum sui præjudicio ad transigendum coegisset, transactio posset rescindi actione doli mali competente parti innocenti et deceptæ. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Sub prætextu* 19, cod. *De transactionib.* Fraus enim et dolus nemini patrocinari debent, cap. *Ex litteris* 2, De dolo et contumac., cap. *Sedes* 15, cap. *Ex tenore* 16, De rescriptis, cap. *Tuæ* 12, De clericis non resident., l. *In fundo*, ff. *De rei vindicat.*, l. *Cum hi*, ff. *De transactionib.*, l. *Legatarius*, cod. *De legatis*.

(28. Unde, si quis graviter lædat alterum in transactione, tenetur in foro conscientiæ ad restitutionem rei injuste acceptæ seu retentæ, ut certum est apud omnes, et insuper contra eum in foro externo datur actio de dolo malo et rescinditur transactio, si dolus vere intervenisse probetur. *Communis*, per tex. in l. *De dolo* 2, et *Non possunt* 3, cod. *De dolo malo*, l. *Qui cum tuteribus* 9, § 2, ff. *De transactionibus*, cum similibus et juribus num. antecedenti allegatis (110).

(29. Probabilius est quod transactio, etiam bona fide hinc inde celebrata, rescindi possit ob læsionem ultra dimidium. Bartolus in l. *Si quis cum aliter* 36, num. 4, ff. *De verbor. significat.*, et l. *Rem majoris* 2,

(110) Rescinditur etiam transactio, si ex falsis instrumentis facta sit l. 42, cod. *De transact.* Item si metus causa confecta sit transactio. Verum non quilibet metus sufficit, sed talem metum probari oportet, qui salutis periculum vel cruciatum contineat l. 13, cod. *De transact.*

Digitized by Google

num 9, cod. *De rescindend. vendit.*, Abbas, in cap. *Cum causa* 6, num. 7 et 8, *De empt. et vendit.*; Engel., lib. I *Decretal.*, tit. 36, num. 14, et Reiffenstuel, *ibid.*, n. 56; Fachineus, lib. II *Controvers.*, cap. 6, allegans Rotam Romanam, in I part. *Novissimar.*, decis. 102, num. 2, et plures alios contra plures alios; et conclusio desumitur ex l. *In summa* 65, § 1, ff. *De condictione indebiti*, ubi propter immodicam læsionem, aut evidentem calumniam permittitur quis adversus transactionem venire. Item ex l. *Si superstite* 5, cod. *De dolo malo*, ubi expresse statuitur quod filia emancipata, et cum patre bona fide transigens, si læsa est immodice, habeat actionem in factum contra patrem. Item ex l. *Rem majoris* 2, cod. *De rescindenda venditione*, ubi rescinditur venditio, in qua intervenit læsio ultra dimidium, et de hoc datur ratio, quia istud *humanum est*; cum autem non sit hoc minus humanum in transactione ob læsionem ultra dimidium, idem de ipsa concludendum est. Et concordat cap. *Cum causa* 6, De emption. et vendition., cum similibus. Tum quia in jure dolus ex proposito, et dolus re ipsa æquiparantur, arg. l. *Si quis cum aliter* 36, ff. *De verbor. significat.*, ibi : « Idem est, etsi nullus dolus intercesserit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habeat; » et tradunt Covarr. in capit. *Quamvis*, part. III, § 4, num 5, *De pactis* in 6; Gailus, lib. II, *Practic.*, observat. 147, num. 11; Fachineus, lib. XII *Controvers.* cap. 6, § *Movet secundo*, citans alios; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num 58, et alii. Atqui ex læsione ultra dimidium dolus re ipsa apparet atque præsumitur, l. *Omnes* 17, § *Lucius*, ff. *Quæ in fraudem creditor.*, et notant citati auctores cum communi : ergo sicuti ob dolum ex proposito rescindi debet transactio ex dictis *supra* num. 27 et 28, ita etiam rescindi debet ob dolum re ipsa, sive ob læsionem ultra dimidium; est enim hoc conformius æquitati naturali, ne quis cum alterius jactura locupletetur; et justitiæ commutativæ, quæ æqualitatem inter contrahentes desiderat.

(30. Est tamen vere probabilis etiam contraria sententia, quam tenet Glossa final. in cit. cap. *Cum causa* 6, De emption. et vendition.; Jason, in l. *Si quis cum aliter* 36, num. 33 et seq., De verbor. significat., et plures alii variis muniti juribus, et signanter l. *Lucius* 78, § ultim., ff. *Ad. S. C. Trebellianum*, ubi negatur rescissio transactionis super fidei commisso factæ, quamvis ex instrumentis postea appareat quadruplo plus in hæreditate fuisse, et favent l. *Sub prætextu* 19 et l. *Sub prætextu* 29, cod. *De transactionibus*, l. *A divo Pio* 15, § *Pignora* 3, ff. *De re judicata*, et plures aliæ, quas affert, sed tamen solvit Fachineus lib. II *Controvers. juris*, cap. 6.

(31. Afferuntur varia decreta sacræ congregationis Immunitatis concernentia transactionem inter ecclesiasticos et laicos, prout referuntur a D. Riccio in sua *Synopsi*, verb. *Transactio*, ut *infra*. Transactio seu concordia inter utrumque clerum et ducem, ac consiliarios reipublicæ Sancti Marini pro collectis certis contribuendis ab ecclesiasticis reipublicæ in perpetuum pro rebus acquisitis ab ecclesiasticis et locis piis, non tamen primæ erectionis, nec pro patrimoniis ad ordines recipiendos assignatis, confirmatur, dummodo exactio dd. collectarum ab ecclesiasticis fiat per deputatos ecclesiasticos. Sacr. cong. Imm., *in Feretrana* 22. Sept. 1693, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 76.

(32. Confirmatur, annuente sanctissimo, concordia super gabella carnis civitatis Oseen. facta inter clerum et civitatem, modo accedat consensus cleri regularis, qui in concordia non interfuit. In hac concordia ecclesiastici se obligabant ad emendas carnes in macellis civitatis cum certis limitationibus et reservationibus, et civitas se obligabat ad solutionem certæ summæ quolibet anno augendæ vel minuendæ juxta augmentum, vel diminutionem ecclesiasticorum in civitate, secundum fidem episcopi. Sacr. cong. Immun. *in Oscen.* 22 April. 1692, lib. *Decret crimin.*, pag. 122.

(33. Regularibus repugnantibus suprascriptæ concordiæ civitatis Oséen. episcopus præfigat terminum ad deducendum eorum difficultates in sacra congregatione. Sacra cong. Immunit. *in Oscen.* 2 Junii 1693, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 50.

(34. Tandem concordia præfata approbetur juxta declarationem faciendam a D. secretario, quæ præcipue tendebat ad explicanda aliqua loca dictæ transactionis pro manutentione jurisdictionis ecclesiasticæ, et exsequi permittitur, etiam dissentientibus aliquibus ex Regularibus. Sacra. congr. Immun. *in Oscen.* 25 Maii 1694, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 124.

(35. Non obstante transactione et aliis contractibus factis per superiorem et regulares cum communitate pro solvendis oneribus laicis pro bonis acquisitis, archiepiscopus tueatur libertatem ecclesiasticam. Sacra congregat. Immun. *in Taurinen.* 14 Januarii 1698, lib. IV *Decretor.* Vallem., p. 133.

(36. Transactio facta ab ecclesiastico de solvendis collectis regiis, est cassanda. Sacra cong. Immun., *in Reatina* 8 August. 1702, lib. III *Decretor.* Vallem., p. 435.

(37. Quoad transactionem inter communitatem, et monasterium sanctimonialium, sacra congr. decernit servandam esse primam transactionem anni 1671 approbatam a Clemente X, quæ eximit monasteria a collectis super bonis acquisitis usque ad illum annum. Sacra congr. Immun. *in Nullius S. Angeli in Vado* 14 Januar. 1698, lib. II *Decretor.* Valleman., pag. 133.

(38. Transactio super rebus ecclesiasticis nequit fieri sine beneplacito Apostolico. *Communis. Vide* verb. ALIENATIO, art. 4, num. 12. Et si fiat cum reservatione dicti Beneplaciti, revocari potest, adestque locus pœnitentiæ ante ipsius impetrationem. Rota, part. I., recent. dec. 624, num. 12, card. de Luca, *De benefic.*, disc. 51, n. 5 et 6, cum

Digitized by Google

aliis Pignatell., tom. I, consult. 136, num. 4, et alii plures.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(39. Jure Romano transactio super relictis in testamento non inspectis tabulis facta, vitiosa est, l. VI, ff. *De transact.* Disquiri vero solet, an transactio hæc moribus sustineatur, si inspectioni huic fuerit renuntiatum, vel juramento ipsa transactio confirmata fuerit?

(40. Simplicem renuntiationem non sufficere existimant Mantic., *De tacit. et ambig.*, lib. I, tit. 2, num. 2 et seq.; Sand., *Decis. Frisic.* lib. IV, tit. 5, defin. 15, ex ratione illa, quod juri prohibitivo renuntiari haud potest.

(41. At si accesserit juramentum, valere transactionem ex dispositione juris canonici, tenet Vinnius *De transact.*, cap. 5, num. 8, eo quia potest juramentum hoc sine peccato servari.

(42. Cæterum pactum remissorium seu gratuitum, quo renuntiat quis omni illi, quod sibi in testamento relictum est, subsistere, firmant Lauterbach, in *Compend. jur.* lib. II, tit. 15; Borcholten, *De transact.*, c. 4, n. 29, ea adducta ratione, quod cessat hic ratio illa prohibitiva transactionis, quod homines modico incontinenti dato, inexspectato obvenientia facile repudiare solent; l. 8 princip., ff. *De transact.* (43. Contrarius vero est Strich., in *Usu modern. Pandect.*, lib. II, tit. 15, § 10 : «Verum, inquit, et hic forte existimabit paciscens, parum sibi relictum esse; unde ad liberalem repudiationem exigui lucri facile induci potuit; non idem forte facturus, si quantitatem relicti in testamento scivisset. Nec quidquam stringit Hunnii ratio, quod illa, quæ in testamento relicta sunt integra repudianda. Hoc enim in ipsa hæreditate concedo, in legato nego. Imo nec legatum pro parte sic accepto, sed integrum; partem vero vi transactionis alteri cedo. Vix ergo sine juramento tale subsistet pactum. »

(44. Pariter jure Romano de alimentis in testamento relictis transigi haud potest, nisi auctore prætore. L. 8, princ. ff. *De transact.*, et l. 3, cod. eod., nisi melior reddatur conditio alimentorum, dict. leg. 8, § 6. (45. At prohibitum haud esse pactum, quo alimenta futura gratis remittantur, tenet Hunnius *De transact.*, c. 3, exercit. 22; Vinn., eod. tract., cap. 6, numer. final.

(46. Sed et contradicit Strich., in *Usu modern. Pandect.*, lib. II, tit. 15, § 11. Ade Coler., *De aliment.*, lib. I, cap. 8, n. 48 et sequent. Accedente vero juramento sustineri transactionem, sentiunt Bachov., hoc titul. *De transact.*, cap. 2, num. 8, Vinn., eod. tractat., cap. 6, num. 16.

(47. An et decretum judicis requiratur in sessione alimentorum ex contractu debitorum, vide apud Rot., in *Romana Cessionis* 11 Junii 1713, et in confirmatoria 8 Decembris ejusdem anni *cor. clar. mem. Aldrov.*

(48. Reliquum est, ut dispiciatur, an transactio hodie involvat novationem. Affirmat Anton. Faber, in cod. hoc titul., defin. 2. At negat, et quidem rectius innixus in l. final., cod. *De novat.*, Strichius *in Us. modern. Pandect.*, dict. lib. II, dict. tit. 15, § 4.

(49. Utilis vero est hæc observatio; nam si transactioni haud inest novatio, non liberantur pignora, et fidejussores prioris obligationis. Imo, et pristina actione agi potest, recusante altero implere transactionem; Strich., *ubi supra.*

TRANSITUS.

SUMMARIUM.

1. Regulares professi non possunt ad aliam religionem etiam strictiorem transire sine licentia Sedis apostolicæ. — 2. Regulares professi transeuntes de licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem religionem etiam ejusdem ordinis, tenentur in secunda religione novum annum probationis peragere, et ibi professionem emittere. — 3. Regularis professus habens indultum Apostolicum transeundi ad aliam religionem, non potest transire ad laxiorem. — 4. Si tamen indultum sit concessum transeundi ad quamcunque religionem, in qua regularis et claustralis observantia vigeat, tunc potest transire etiam ad laxiorem, dummodo sit religio claustralis et regularis. — 5. Transitus regularium conversorum ad statum clericalem etiam in anno novitiatus est prohibitus; unde non potest concedi, nisi a Sede Apostolica. — 6. Et a fortiori, si jam professionem emiserint in statu laicorum et conversorum, non possunt de sola licentia prælati regularis et definitorii transire ad statum clericorum, sed talis licentia obtineri debet a Sede Apostolica, ad n. 7. — 8. Conversi transeuntis ex indulto Apostolico ad statum clericalem præcedentia initium sumere debet a die clericatus, non autem a die susceptionis habitus. — 9. Transitus de statu clericali ad illum conversorum, justa causa concurrente, potest fieri cum sola licentia prælati regularis cum consensu discretorum, vel alias, prout cujusque statuta præscribunt. Dummodo transiens in ordinibus sacris non sit constitutus. — 10. Quoad ea quæ concernunt affiliationes regularium in aliis conventibus, et transitus eorum ad alienas provincias, *remissive.* — 11. Transitus de ritu Græco ad Latinum, et econtra, non permittitur absque licentia Papæ. — 12. Facilius tamen permittitur transitus a Græco ad Latinum, et nunquam regulariter de Latino ad Græcum. — 13. Ratione transitus cadaveris per alias parochias nequeunt ipsi parochi aliquid exigere. — 14. Talis transitus potest fieri per quascunque diœceses et parochias, stola et cruce elevata, etiam irrequisitis earumdem parochis. 15. Alia ad rem ad n. 33.

(1. Regulares professi non possunt ad aliam religionem etiam strictiorem transire sine licentia Sedis Apostolicæ. Monacell., tom. II, tit 16, formul. 3, numero 18, Donatus, *Præx. rerum regular.*, tom. II, part. II, tract. 5, q. 22, 11, et communis aliorum ex praxi et stylo curiæ, et quoad transitum ad alias religiones edita est novissime a Bened. XIII, const. incip. *Licet sacra. Vide* verb. REGULARES, art. 1, 61, ubi affertur ad litteram.

(2. Regulares professi transeuntes de li-

Digitized by Google

centia Sedis Apostolicæ ad laxiorem religionem etiam ejusdem ordinis, tenentur in secunda religione novum annum probationis peragere, et ibi professionem emittere. Sic sac. congr. Conc., quæ apud Fagnan., lib. III *Decretal.* in cap. *Ad Apostolicam* 17, De regularibus, num. 67, expresse respondit, « Transeuntem de licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem religionem etiam ejusdem ordinis, teneri in secunda religione novum annum probationis peragere. »

(3. Regularis professus, qui habet indultum Apostolicum transeundi ad aliam religionem, non potest transire ad laxiorem. Conc. Trid., cap. 19, sess. XXV, *De Regularibus*, et sac. cong. Conc., *in Cajetan. Transitus* 4 Mart. 1743, in qua rescriptum fuit, « Transitum ad laxiorem fuisse nullum, et orator omnino intra mensem redeat ad suam religionem. » Sic apud Monacell., tom. IV, Supplem. ad II tom., num. 435.

(4. Si tamen indultum sit concessum transeundi ad quamcunque religionem, in qua regularis et claustralis observantia vigeat, tunc potest transire etiam ad laxiorem, dummodo sit religio claustralis et regularis, quia, cum Apostolicum indultum limitaverit religionem claustralem et regularem, videtur noluisse limitare qualitatem religionis circa arctitudinem majorem vel minorem, alias id expressisset, arg. cap. *Inter corporalia* 2, De translation. episcop., § *Sed neque istud*, cap. *Ad audientiam* 12, De decimis, et cap. *Quia circa* 22, De privilegiis. Sic recte notat eminent. Petra tom. V *Commentar. ad const.* 3 *Calixti III*, num. 9, referens quod cum hujusmodi Breve obtinuisset quidam monachus Camaldulensis generaliter ad aliam religionem, ubi regularis et claustralis observantia vigeret : et inde transiisset ad laxiorem canonicorum regularium S. Augustini congregationis Ultiensis : et disputato dubio in sacra congregatione Concilii ex remissione facta per sacram Pœnitentiariam. Sac. cong., *in Taurinensi Transitus* 6 Aug. 1712 rescripsit, « constare de validitate transitus. » nulla facta difficultate circa laxiorem qualitatem canonicorum regularium. Hæc ipse.

(5. Transitus regularium conversorum ad statum clericalem etiam in anno novitiatus est prohibitus, unde non potest concedi, nisi a Sede Apostolica : habetur ex decretis Clementis VIII editis pro institutionis novitiorum in monasteriis designatis vel designandis, constit. incip. *Cum ad regularem* n. 43, ubi sic expresse statuitur : « Sed qui ad conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possunt. » Quæ decreta Clementis VIII confirmata fuerunt jussu Urbani VIII, a sacra congreg. Conc. in *Decretis de apostatis et ejectis*, et ita card. Petra, tom. IV *Commentar. ad const.* 8 *Eugenii IV*, n. 6, ubi expresse dicit quod proinde hic transitus fieri non potest, nisi cum licentia Papæ, quamvis jure antiquo id fieri potuerit cum licentia superiorum regularium, Passerin. *De statib. homin.*, tom. III, q. 189, art. 8, n. 227 ; Donatus, *Prax. rer. regul.*, tom. II, tr. 14, q. 14, recte dicens quod optima ratione id factum est, ut juxta præceptum Apostoli, *I ad Corinth.* cap. VII : *Unusquisque permaneat in ea vocatione, in qua vocatus est;* ut auferatur ansa et occasio ambitionis, qua solent homines altiora appetere non sine murmure, et prælatorum molestia.

(6. Et a fortiori, si jam professionem emiserint in statu laicorum seu conversorum, non possunt de sola licentia prælati regularis et definitorii transire ad statum clericorum, sed talis licentia obtineri debet a Sede Apostolica, quæ ad id solet expedire brevia cum clausula, *De licentia tamen superiorum superiorum*, quæ debet intelligi copulative de illa generalis et provincialis simul, prout expresse declaravit sacra congreg. Episcop. et Regular., *De mandato Urbani VIII*, die 2 Aug. 1630, apud Peyrin. *De prælat.*, q. 3, cap. 1, § 6, n. 146, nempe « clausulam, de licentia superiorum in brevibus prædictis appositam, esse intelligendam de generali ordinis, et provinciali oblatorum hujusmodi, ita ut pro eorumdem brevium exsecutione requiratur utriusque licentia et consensus. »

(7. Et quod laici seu conversi professi non possint transire ad statum clericalem de sola licentia prælati regularis, clare habetur ex cit. decr. Clem. VIII, per illa adducta verba : « Etiam durante tempora probationis, non possint; » quæ manifeste indicant a fortiori sic transire non posse post jam emissam professionem. Et id expresse decrevit sac. congreg. Episcop. et Regular. sub pœna suspensionis ab officio superioribus talem facultatem concedentibus, ut refert Nicolius in *Flosculis*, verb. *Conversus*, n. 3, his verbis : Superiores, qui contra decretum Clementis VIII, super receptione et institutione novitiorum 19 Mart. 1603, sub constit. 82 incip. *Cum ad regularem*, § 23, tenoris subsequentis : « Qui ad conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint, » dant eisdem conversis licentiam transeundi ad statum clericalem, suspendi debent ab officio ad tempus ; transeuntes vero reducendi sunt ad laicalem cum perpetua suspensione a susceptis ordinibus. Hæc ille, adducens ad id decretum sacr. congreg. Episcop. et Regular., *in una Minimorum* 14 Februar. 1620, et 25 Jan. 1646. Et sic etiam *eadem sacr. congr. Episcop. et Regular. decrevit in una Augustinianorum* 23 Jan. 1631, apud D. Nicolium *loco cit.* Item pro congregatione Hispaniæ, fratrum Discalceatorum de ordine SS. Trinitatis Redemptionis Captivor. id statuit Alexander VII, constit. 138, incip. *Pastoralis officii.* Item pro ordine Eremitarum S. Augustini Clemens X, const. incip. *Exponi*, teste Lantusca in *Theatr. regular.*, verb. *Laici, seu conversi*, in supplement., *sub num* 2. Et hoc probat praxis et stylus curiæ : et signanter sacr. congreg. Concilii, quæ dignis de cau-

Digitized by Google

sis hanc licentiam concedit; ut concessit in una ordinis S. Mariæ de Mercede die 16 Januarii 1700, cuidam laico seu converso, attento, quod in religione studiis vacasset, ac se ad clericorum munus idoneum reddidisset; et aliis dignis de causis hanc licentiam denegat, ut denegavit in una Ordinis Prædicatorum provinciæ Bæticæ die 16 Martii 1700, cuidam alteri religioso laico vix idoneo ad divina peragenda, quamvis ipse transitum exoptaret ob nimiam devotionem erga SS. Eucharistiæ sacramentum, esset que vitæ exemplaris, ac de religione optime meritus. Sic refert emin. Petra cit. tom. IV *Comment. ad constit.* 8 *Eugenii IV*, num. 16.

(8. Conversi, seu laici ex indulto Apostolico transeuntis ad statum clericalem præcedentia initium sumere debet a die clericatus, non autem a die susceptionis habitus conversorum. Sacra congregat. Episcop. et Regul., *in una Minorum de Observantia* 26 *Februarii* 1649, apud Lantusc., in *Theatr. regul.*, verb. *Præcedentia*, num. 3, et sac. congreg. Concil., *in una Minimorum S. Francisci de Paula* 15 Aprilis 1684, apud card. Petram. tom. IV *Comment. ad constitut.* 8 *Eugenii IV*, sub num. 17.

(9. Transitus de statu clericali ad illum conversorum, justa causa concurrente, potest fieri cum sola licentia prælati regularis, scilicet provincialis, aut generalis cum consensu discretorum vel alias prout cujusque ordinis statuta præscribunt; dummodo transiens in ordinibus sacris non sit constitutus. Donatus, *loc. cit.*, quæst. 19, cum pluribus ibi citatis; Pellizarius, in *Manual. Regul.* tom. I, tract. 3, cap. 5, sect. 3, num. 136; Lezana, in *Summa q. regul.*, part. 1, cap. 22, n. 25; Murga, *ad constit.* 7 *Alexandri IV*, num. 153; card. Petra, *loc. cit.*, num 16, ubi cum Sanchez, lib. VI *Moral.*, c. 7, num. 80 dicit prælatum regularem hunc transitum non solum permittere, sed etiam jubere posse ob punitionem delicti; quamvis tamen consultius censeam in similibus casibus recurrendum esse pro providentia ad Sedem Apostolicam.

* Imo ad Sedem Apostolicam semper in his casibus confugiendum est, cum alias ob causas, tum maxime, quia religiosus, qui a statu clericali ad statum conversorum dejicitur, etiamsi ordinibus sacris non sit initiatus, onere divini officii recitandi tenetur *.

(10. Quoad ea quæ concernunt affiliationes regularium in aliis conventibus, et transitus ad alienas provincias. *Vide* verb. AFFILIATIO per tot.

(11. Transitus de ritu Græco ad Latinum, vel econtra, non permittitur absque licentia Papæ. Card. Petra tom. IV *Comment. ad constit.* 17 *Eugenii IV*, sect. 2, num. 12. Communis aliorum per constitutionem 12 S. Pii V, incip. *Providentia.*

(12. Facilius tamen permittitur transitus a Græco ad Latinum, et nunquam regulariter de Latino ad Græcum. Card. Petra, *loc. cit.*, num. 13, cum Vericell. et Dandino ibi citatis, testans de usu sacræ congregationis supremæ inquisitionis.

(13. Capitulo, canonicis et parochis licitum non est aliquid exigere ratione transitus per eorum parochiam, quando funus ducitur ab una parochia ad ecclesiam funeris sitam in alia parochia. Sacr. congr. Concil., *in Trojana Funerum* 7, et 21 Maii 1701, ad 4 dub., et sacr. congreg. Episcopor. et Regular., *in Placentina* 13 Novembr. 1713, ad 2 dub.

(14. Ubi etiam statuit quod occasione funerationis cadaverum alterius diœcesis, aut parochiæ in ecclesiis regularium, potest proprius parochus defuncti ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad dictas ecclesias, libere transire per quascunque diœceses et parochias stola et cruce elevata, etiam irrequisitis earumdem parochis. *Vide* verb. PAROCHUS, art. 3, num. 36 et seq.

(15. Transitus regularium de uno ad alium ordinem concedi potest a cardinali summo pœnitentiario, nedum a laxiore ad arctiorem, verum etiam ad æqualem; et ab arctiori ad laxiorem ob justas tamen et graves respective causas ab eodem probandas, audito prius superiore ordinis a quo et cum consensu superioris ordinis ad quem. (16. Et pro majori transitus firmitate, potest in his omnibus idem major pœnitentiarius statutis et privilegiis Apostolicis quomodolibet obstantibus opportune derogare. Benedict. XIV, tom. II, constitut. 95, incip. *Pastor bonus*, § 34.

(17. Non potest tamen ipsum transitum concedere summus pœnitentiarius a religione claustrali ad ordines hospitalarios, aut militares, excepto ordine S. Joannis de Deo, nec ad ordinem S. Benedicti antiquioris observantiæ, aliasque similes congregationes. Idem, *ibid.*, § 18. (18. Transitus autem ad ordinem hospitalarium S. Spiritus in Saxia specialiter, et omnimode prohibetur. Idem constit. 15, incip. *Sæpe Romanorum* § 5, confirmans ad id constitutionem Benedicti XIII, incip. *Sacra.*

(19. Concedere etiam potest major pœnitentiarius transitum ab uno monasterio ad aliud monialibus tantum ultra montes existentibus, legitima concurrente causa, in signatura discutienda et approbanda. (20. Committendo tamen facultatem hujusmodi transitus admittendi et exsequendi, arbitrio ordinarii clausulis opportunis pro casuum varietate. Idem in cit. constit. *Pastor bonus*, § 36.

(21. Transitus regularium ab ordine laxiore ad strictiorem impediri non debet sine causa. Idem, tom. II, constit. 25, incip. *Ex quo.* (22. Si superiores duorum ordinum dissentiant, judicium ad Sedem Apostolicam devolvitur, quæ concedere solet dictum transitum cum derogatione super consensu superioris ordinis laxioris. Idem, *ibid.*

(23. A regularibus se prætendentibus Apostolica facultate translatos ad statum clericalem sæcularem, vel ad ordines, in quibus non vigeat claustralis observantia, vel ad ordines militares aut hospitalarios (ad quos

Digitized by Google

non nisi perraro, et gravissimis, rationabilibusque de causis solet transitus concedi), et actu degentibus extra claustra, debent episcopi exquirere de veritate talis indulti, et eos compellere adhibita etiam vi, ad sibi hujusmodi indultum ostendendum, atque insimul, postquam illud perlegerint, diligenter expendere causas in ipso indulto contentas et expressas, veræne, an falsæ sint. Quod si illud indultum commonstrare, et tradere detrectaverint, adversus ipsos, juris ordine servato, statim procedere juxta facultatem sibi attributam a concilio Tridentino c. 3, sess. VI *De reform.* (24. Et si indulti causas minime veras esse compererint, non debent dubitare super ejus subreptione seu obreptione pronuntiare, et adversus religiosum procedere extra claustra sine facultate degentem. Idem, tom. II constit. incip. *Pontificia commendatione.*

(25. Transitus a ritu Latino ad Græcum est omnino interdictus. Benedict. XIV, tom. I, constit. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 2. (26. Transitus vero a ritu Græco ad Latinum permittitur pueris de consensu Patris Græci, et licentia episcopi Latini. Idem, *ibid.* (27. Adultis autem laicis de licentia episcopi diœcesani. Idem, *ibid.*

(28. Transitus a ritu Græco ad Latinum prohibetur communitatibus Italo-Græcorum, sive Albanensium absque licentia Sedis Apostolicæ. Idem, *ibid.* (29. Item ecclesiasticis quibuscunque absque simili licentia S. Sedis. Idem, *ibid.* (30. Transitus a ritu Græcorum Melchitarum ad Latinum, aut Maroniticum ritum interdicitur. Idem, constit. 87, incip. *Demandatum.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(31. Gravis hic se offert quæstio, an transeunte abbate alicujus monasterii ad religionem strictioris observantiæ, procedi statim valeat ad electionem successoris in prælaturam ?

(32. In eam itum est sententiam, non posse durante novitiatu, et ante professionem novæ religionis, idque quia ad electionem successoris deveniri haud potest, priusquam vacet abbatia, cap. *Nulla*, De concess. præbend. Hæc autem minime vacat ante emissam ab abbate professionem in nova religione. Durante enim novitiatu non desinit ille esse abbas monasterii, a quo transiit, et ita quidem, ut si a novitiatu egrederetur, fortasse quod perferre nequiret rigorem novæ religionis, rediret ad monasterium, et ipsam etiam abbatiam ; Wiestner in *Decretal.* lib. III, tit. 31, n. 133 ; Donat., *Prax. regular.*, tom. I, part. II, tract. 5, q. 52, n. 1 et plur. sequent., et rursus q. 55, n. 1 et 4, ubi, quod, durante novitiatu, in suspenso remanent jura omnia a priori religione dependentia.

(33. Non ignoro, esse, qui tenent, in ipso ingressu in novitiatum strictioris religionis, abbatiam vacare per tacitam renuntiationem. At opinio hæc aperte contradicit cap. 4 *De regular.* in 6 ibi : « Beneficium illius, qui religionem ingreditur, non est intra probationis annum alicui conferendum, nisi ipsius accedat assensus. » Hinc enim manifestum redditur, solo ingressu in novitiatum non induci renuntiationem beneficii, cum alias citra assensum fas esset conferre beneficium illud. Confer Wiestner in *Decretal.* lib. III, tit. 31, n. 135, qui et aliam reddit rationem, quod ex dispositione concilii *Trident.*, sess. XXV, cap. 16, *De regul.* non aliter teneat quælibet renuntiatio emissa a novitio, nisi facta sit intra duos menses ante professionem. Sed dubito an dispositio hæc locum sibi vindicare queat quoad regulares transeuntes ad aliam religionem.

TRANSITUS SENTENTIÆ IN REM JUDICATAM, UBI ETIAM DE CONDEMNATIONE IN EXPENSIS.

APPENDIX EDITORUM CASINENSIUM

Ad verb. *Sententia* n. 48 et seqq., n. 60 et seq.

(1. Rem hanc ut rite explanemus, illud habe, quod dantur casus nonnulli, in quibus *Sententia* (licet ab ea intra terminos juris non fuerit appellatum) non transit in rem judicatam, prout advertit cum *communi* Lucius noster verb. SENTENTIA n. sup. cit. quosve præstat hic enucleatius ac fusius evolvere.

(2. *Ac primum:* Non transit in rem judicatam sententia, quæ est irrita ipso jure ; ut si a judice incompetente (111), vel in falsum procuratorem mandato carentem, aut contra jus commune sit lata ; nam talis sententia nequidem decennio, multo minus decennio elapso, auctoritatem rei judicatæ consequitur, cum de nullitate agi, et sententia hujusmodi retractari secundum communem doctrinam usque ad annos triginta possit. Neque appellatio eo casu est necessaria, quia appellatio tantum interponitur, quando sententia valet. Schmalzgrueber, *De sentent.*, etc., n. 64.

(3. *Secundo :* Sententia lata in causa matrimoniali, sive quidem lata sit contra matrimonium, quod revera contractum est valide, sive pro matrimonio, si illud ob impedimentum consanguinitatis, etc., contractum sit invalide ; quia nec contractum valide auctoritate sententiæ judicialis dissolvi, nec contractum invalide eadem aucto-

(111) Vel si sententia lata sit a judice competente quidem, sed contra jus expressum, l. 1, ff. *Quæ sententia sine appellat.*, etc. Aut contra priorem rem judicatam l. 1, cod. *Quando provocatio*, etc. Idem dicas si lata sit a judice excommunicato, cap. 24, *De sentent.*, etc., cap. 13, *De hæret.* vel a judice pecunia corrupto l. 7, cod. cit. tit. *Quando provocatio*, etc. — Devoti *Jus canonic. univers.* ad tit. *De sentent.*, etc., § 8.

Digitized by Google

ritate convalescere potest. Ita DD. comm. ex c. Lator. tit. c.

(4. *Tertio* : « Sententia censuræ, ut excommunicationis, suspensionis et interdicti, etiam post elapsum decennium ad appellandum jure concessum, non transit in rem judicatam, quominus excommunicatus, v. g. quandoque petere possit absolutionem, et per simplicem querelam de injusta excommunicatione conqueri, quamvis non audiatur per viam appellationis, ut tradit Gl. in *C. ad reprimendum* 8, De offic. jud. ordin., verb. *Suspendatur;* Abbas, in c. *Consanguinei* 1, n. 9 (De sentent., etc.)... idque sumitur ex c. *Cum contingat* 36, De offic. jud. deleg., c. fin. *De pœnis*, c. *Sacro* 48, De sentent. excomm., ex quibus constat quod petens absolutionem, et probare volens sententiam esse injustam, semper auditur (112). Ratio est, quia in his sententiis censurarum eadem militat ratio, quæ in sententia lata in causa matrimoniali, adeoque etiam locum habet eadem juris dispositio.

(5. « Similiter (* nota *), si semel per sententiam fuit pronuntiatum, aliquem non esse ligatum excommunicatione, potest etiam post decennium adhuc probari esse ligatum; quia pronuntiatio judicis, quod quis non sit excommunicatus, non mutat rei veritatem, si vere sit excommunicatus. Verumtamen post terminum appellationis elapsum, præsumitur pro justitia excommunicationis, ita ut excommunicato incumbat onus probandi, quod excommunicatio sit injusta. » Hæc Pirrhing ad tit. *De sentent.*, etc., n. 58. Idem docet Schmalzgrueber ad tit. cit., n. 69.

(6. *Quarto* : « A sententia lata in causa beneficiali, a qua intra decem dies non est appellatum, non transit in rem judicatam in præjudicium Ecclesiæ, vel in præjudicium animæ, si periculum peccati immineat... Quare si quis non canonice et legitime promotus sit ad prælaturam, vel beneficium, vel intrusus, potest quis, etiam post decem dies, eum denuntiare judici, vel proponere quærelam ad impediendum peccatum, et Ecclesiæ damnum, ut colligitur ex c. *Constitutis* 48, in fine, De appellat. Quinimo etiam judex potest ex officio in tali casu, si a sententia non sit appellatum intra decem dies, inquirere de titulo legitimo, et procedere contra non canonice electum vel institutum, ut a prælatura vel beneficio amoveatur.

(7. « Verumtamen sententia lata in causa beneficiali per lapsum decennii transit in rem judicatam in proprium præjudicium beneficiati contradicentis, ita ut opponere volens postea, non sit audiendus, c. *Quod ad consultationem* 15 (*De sentent.*, etc.), et habeatur in c. *Cum dilectus* 32 in fin. (*De elect.*) ubi Abb. ait quod in præjudicium beneficiati transeat sentententia in rem judicatam, quia ipse sine peccato potest non contradicere seu non se opponere. » Unde cum semel acquieverit sententiæ, non appellando, non potest amplius contradicere, Marant., *De ord. judic. p.* in actu 1 *De sentent.* n. 150, ubi ait quod sententia lata in causa beneficii ecclesiastici non transit in rem judicatam in præjudicium superioris, sed bene transit in præjudicium ipsarum partium. Pirrhing *loc. cit.*, n. 59.

Audiamus pariter Schmalzgrueberium in hæc verba : « Sententia lata in causa beneficiali (non transit in rem judicatam), argumento ducto a matrimonio carnali ad spirituale; nam etsi vi istius, ille, qui per eam in causa succubuit, et intra decennium a sententia non appellavit, eo elapso, opponere volens, non audiatur, et sic quoad ipsum eatenus sententia transeat in rem judicatam, non tamen decennii lapsus victorem ita securum efficit, ut non, eo elapso, de nullitate tituli adversus illum opponi a quocunque, vel inquiri ex officio possit a judice. » Ad cit. tit. *De sentent.*, etc., n. 65.

(8. *Deinde* : « (Non transit in rem judicatam) sententia lata ex falsis instrumentis vel testimoniis, præsertim si testes pecunia corrupti fuerint. Nam hæc etiam post decennium retractatur, si ea condemnatus probet, adversarium hujusmodi instrumentis vel testamentis usum et judicem in pronuntiando eorum fidem secutum esse, cap. *Cum J. et A.* 22, (cit. tit. *De sentent.*) l. *Divus* 38, ff. eod. 1, et qui 2 l. *Falsam*, cod. *Si ex falsis*, etc. Addidi, « et judicem eorum fidem secutum esse : » nam, ut recte advertit Abb., si judex, prolatis instrumentis pluribus, quibusdam falsis, quibusdam veris, aut plurium testium quorumdam corruptorum, aliorum idoneorum attestationibus receptis, vera secutus sententiam tulit, hæc in rem judicatam transit, et confirmanda est, per textum cap. *Cum J. et A.* cit., quod utile per inutile vitiari non debeat, ut habet reg. 36, *De R. J.* in 6. » Ita anted. Schmalzgrueber, *ibid.*, n. 66.

(9. *Amplius* : « (Non transit in rem judicatam) sententia lata ex juramento necessario, quod in supplementum probationum a judice delatum est parti; hæc enim ex repertis postea instrumentis, etiam lapso decennio, impugnari, et postquam falsitas, et injustitia juramenti sufficienter probata fuerit, retractari potest, ac debet, ut habetur l. *Admonendi* 33, ff. *De jurejur.* » Idem, *ibid.*

(10. *Pari modo* non transit in rem judicatam sententia lata ex probationibus a jure reprobatis, v. g. per duellum aut experientiam ferri candentis, aquæ frigidæ aut ferventis; nam tali casu sententia est ipso jure nulla. — Schmalzgrueber, *l. cit.*, n. 68.

(11. *Denique* quævis sententia, quando causa, ex qua aliquis condemnatus est, ad non

(112) Adeoque in causis censurarum semper est audiendus, qui se immerito excommunicatum queritur, cap. 36, *De offic. et potest. jud. delegat.*, cap. 48, De sentent. excommunicat. — Devoti *Jus canon. univ. De sentent.*, etc., § 8.

Digitized by Google

causam transit; hinc revocanda et pretium restituendum sartori vel fulloni est, quod solvere per sententiam debuit ob pannum aut vestimentum sua culpa amissum, si hoc, soluto pretio, repertum fuit, l. *Si fullo* 2, De condict. sine caus. — Idem, *ibid.*

(12. Expensas porro judicii quod attinet, illud utique exploratum est, quod victus victori in hujusmodi expensis sit condemnandus, textu expresso in l. *Properandum*, et DD. communiter. Quæ regula procedit non solum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus, sive procedatur per viam accusationis, sive denuntiationis aut inquisitionis. *Communis.*

(13. Fallit nihilominus dicta regula, quando victus justam causam litigandi habuit, quo casu expensæ compensantur. Etsi vero non possit dari regula certa, quando quis censeatur habere justam causam litigandi, nihilominus attamen quædam causæ et circumstantiæ vulgo assignantur ad rem a DD. inter quas et hanc habeto (113), nempe ubi quis litigat *ob suum pudorem servandum*; siquidem parcitur verecundiæ, et pro servando pudore multa permittuntur, alias prohibita. Ventriglia *Præx. rerum notabil.*, etc., part. 1, adnotat. 21, n. 26.

(14. « Nota (vero) in hac materia notabilem decis. Gram... ubi habetur, quod ea quæ diximus de justa causa excusante victum ab expensis, de plano procedunt in reo, non autem in actore; qui non ita simpliciter excusatur ab expensis; quia, cum sit in ejus potestate venire ad judicium, debet venire instructus et provisus, alias sibi imputandum est, et proinde tanquam succumbens in facto proprio, in quo error prætendi non potest, debet condemnari in expensis, sive simus in causa principali, sive appellationis... quia non investigavit omnia quæ debuit, antequam perveniret ad judicium. » Ventriglia, *loc. cit.*, n. 29.

TRANSLATIO.

SUMMARIUM.

1. Translato festo, ordinarie non transfertur indulgentia. — 2. Festum duplex occurrens ante octavam non privilegiatam, non est transferendum post octavam, sed infra eamdem celebrandum est prima die non impedita. — 3. Festum semiduplex occurrens in festo duplici infra octavam non privilegiatam, non est transferendum post illam, quando dies immediate sequens impedita non fuerit. — 4. Officium semiduplex occurrens in Dominica infra octavam non privilegiatam olim non erat celebrandum in feria secunda sequenti, licet non impedita, si adesset reponendum aliud festum altioris ritus: secus tamen hodie propter posterius decretum relatum infra, sub n. 19 et 20. — 5. Non est transferendum in diem immediate sequentem festum illud, ante cujus translationem habentur reponenda alia officia prius translata ejusdem ritus, excepto festo semiduplici in Dominica infra octavam non privilegiatam occurrente. Adest tamen posterius contrar. decret. — 6. In repositione duorum vel plurium festorum ritum habentium eumdem, et die occurrentium diversa, debet attendi prioritas translationis, nisi attendenda sit major dignitas. — 7. Si plura sint transferenda festa eadem die occurrentia, quibus non convenit ratio majoris dignitatis, debet attendi in eorum repositione major apparatus vel populi concursus. — 8. Officium particulare alicujus diœcesis vel religionis occurrens die 25 Februarii est transferendum in anno bissextili ad primam diem non impeditam; dummodo non sit duplex primæ classis. — 9. Si occurrerint vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus unica die occurrentia, quorum unum sit universale et alterum particulare alicujus diœcesis, vel religionis, debet fieri prius de universali, et deinde de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. — 10. Si simul sint transferenda festa S. Marci Evangelistæ, et SS. apostolorum Philippi et Jacobi, debet prius reponi festum S. Marci, deinde festum Apostolorum. — 11. Si simul transferenda sint festa S. Josephi et Annuntiationis B. Mariæ virginis, debet prius fieri officium Annuntiationis, et deinde de S. Josepho. — 12. Si festum Annuntiationis B. M. V. occurrerit in feria sexta in Parasceve, vel Sabbato sancto, transferri debet ejus officium una cum præcepto audiendi missam; et vacandi ab operibus servilibus ad feriam secundam post Dominicam in Albis, protracto ad alium diem festo in ea occurrente, nisi fuerit duplex primæ classis. — 13. Si festum S. confessoris transferatur in proxime sequentem diem, in hymno *Iste confessor* nulla fit mutatio versiculi, sed debet dici *Meruit beatas.* — 14. Translato autem festo S. confessoris ultra sequentem diem, in hymno *Iste confessor* facienda est mutatio versiculi dicendo *Meruit supremos.* — 15. Officium nominis B. M. V. occurrens in festo Exaltationis S. Crucis, vel in alio altioris ritus, aut dignitatis, debet transferri, non vero omitti. — 16. Si in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum occurrerit Dominica, vel aliquod festum de præcepto, officium cum missa defunctorum transfertur in sequentem diem, etiam festo duplici impeditam. — 17. Festa duplicia et semiduplicia translata præferenda sunt officiis semel in hebdomada concessis. — 18. Officia sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembri, licet alias transferri possent in annum sequentem, secus nunc. — 19. Officium semiduplex in Dominica infra Octavam non privilegiatam occurrens tantum habet juris in feria ei immediate sequenti non impedita, ut non cedat duplici 1 classis translato. — 20. Pluribus festis ejusdem ritus translatis, officium de primo translato recitandum est, etiamsi ultimo translatum posset in diem immediate sequentem transferri, semidu-

(113) Aliæ causæ a DD. ad rem enumeratæ sunt istiusmodi. Nempe, 1° si victus intentionem, vel exceptionem suam semiplene probavit, et spectare potuit, se admittendum ad juramentum suppletorium; 2° si eadem probavit testibus, qui præter spem ejus fuerunt reprobati; vel aliter deposuerunt in judicio, quam extra hoc rem se habere jactarunt; 3° si pro se habuit sententiam plurium jurisperitorum facultatis cujusdam juridicæ, aut saltem unius celebris doctoris; 4° si jura pro et contra litigatorem militantia ambiguos et varios intellectus habeant, ita ut quis frequentiori et meliori DD. calculo approbatus sit, non facile cognoscatur; 5° si actor plus dubito sibi petiit; 6° si victus suscepit causam jussu superioris, Papæ, vel alterius principis; 7° si actor debitorem de solutione non interpellatum in jus vocari petiit, et reus comparens debitum confiteatur, seque ad solutionem paratum offerat; debuisset enim actor eumdem extrajudicialiter pro solutione interpellare, quam deferre causam in judicium. Schmalzgrueber, *De sent.*, etc. n. 118.

Digitized by Google

plici tamen occurrente in Dominica infra octavam non privilegiatam excepto. — 21. Alia ad rem, *remissive*. — 22. Monialis translata ad aliud monasterium, nisi aliud disponat sacra congregatio, relinquit dotem primo, solvitque novam secundo. — 23. An monialis translata vel regularis translatus possit secum deferre ad monasterium *ad quod*, vel debeat reliquere monasterio *a quo* bona, quæ habet, *remissive*. — 24. Quoad ea quæ concernunt translationem episcopi de una ad aliam ecclesiam, *remissive*. — 25. Quoad ea quæ concernunt translationem conventuum, *remissive*. — 26. Quoad ea quæ concernunt translationem imaginum et reliquiarum, *remissive*.

(1. Translato festo, in cujus die conceditur indulgentia non transfertur etiam indulgentia, nisi ex concessione speciali. Sacr. congreg. Rit. 10 Junii 1690.

(2. Festum duplex occurrens ante octavam non privilegiatam non est transferendum post octavam, sed infra eamdem celebrandum prima die impedita. Sacr. congr. Rit. 30 Sept. 1679.

(3. Festum semiduplex occurrens in festo duplici infra octavam non privilegiatam non est transferendum post illam, quando dies immediate sequens alio festo duplici vel semiduplici impedita non fuerit, sed faciendum tunc est officium die immediate sequenti. Sacra Rit. congr. 30 Septemb. 1679.

(4. Officium semiduplex occurrens in Dominica infra octavam non privilegiatam non erat olim celebrandum in feria secunda sequenti, licet non impedita, si adesset reponendum aliud festum altioris ritus. Sacra Rituum congregat. 1 Martii 1681. Secus tamen hodie propter posterius decretum relatum infra sub num. 10 et 20.

(5. Non est transferendum in diem immediate sequentem festum illud, ante cujus translationem habentur reponenda alia officia prius translata ejusdem ritus, non obstante decreto edito die 30 Septembris 1679. Quoad vero festum semiduplex in Dominica infra octavam occurrens, omnino servanda est rubrica generalis breviarii de translatione festorum n. 5. Sacra congregat. Rit. 22 Decembr. 1696. *Vide* tamen resolutiones sacræ congr. in fin. h. tom., ubi afferuntur contraria recentiora decreta, et serva ut ibi.

(6. In repositione duorum vel plurium festorum ritum habentium eumdem, et die occurrentium diversa, attendatur prioritas translationis, nisi attendenda sit major dignitas. Sacr. Rit. congr. 13 Junii 1682.

(7. Si plura sint transferenda festa, quæ eadem die occurrunt, et quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus, vel populi concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas, supposito tamen, quod sint ejusdem ritus. Sac. Rit. congr. 20 Julii 1686.

(8. Officium particulare alicujus diœcesis vel religionis, quod occurrit die 25 Februarii, est transferendum in anno bissextili ad primam diem non impeditam, dummodo non sit duplex primæ classis. Sacr. Rit. congreg. 7 Septemb. 1680.

(9. Si occurrerint vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus, quæ unica die occurrebant, quorum unum sit universale et alterum particulare alicujus diœcesis vel religionis, prius fiat de universali, deinde de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. Sac. Rit. congregat. 27 Septemb. 1698.

(10. Si simul sint transferenda festa S. Marci Evangelistæ et SS. apostolorum Philippi et Jacobi, prius reponatur festum S. Marci, deinde festum apostolorum. Sac. Rit. congreg. 18 Septembr. 1666.

(11. Si simul transferenda sint festa S. Josephi, et Annuntiationis B. M. V. prius reponatur Annuntiationis festum, deinde S. Josephi, non obstante decreto edito in contrarium sub die 12 Junii 1682. Sacra congreg. Rit. 14 Junii 1692.

(12. Si festum Annuntiationis B. M. V. occurrerit in feria sexta in Parasceve vel Sabbato sancto, transfertur ejus officium una cum præcepto audiendi missam, et vacandi ab operibus servilibus ad feriam secundam post Dominicam in Albis, protracto ad aliam diem festo in ea occurrente, nisi fuerit duplex primæ classis. Sacra Rituum congr. 11 Martii 1690. *Vide* tamen verb. RESOLUTIONES SACR. CONGREGAT. in fine hujus tom.

(13. Si festum S. confessoris transferatur in proxime sequentem diem, in hymno *Iste confessor*, etc., nulla fit mutatio versiculi, sed dicitur *Meruit beatas*, dummodo primæ Vesperæ non sint impeditæ. Sac. Rit. congreg. 13 Januarii 1683. (14. Translato autem festo S. confessoris ultra sequentem diem, in hymno *Iste confessor* facienda est mutatio versiculi, dicendo *Meruit supremos*. Sacra Rit. congregat. 14 Junii 1692.

(15. Officium nominis B. M. Virginis occurrens in festo Exaltationis Sanctæ Crucis, vel in alio altioris ritus, aut dignitatis, transferatur, non vero omittatur. Sacra Rit. congreg. 20 Julii 1686.

(16. Si in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum occurrerit Dominica, vel alicubi festum de præcepto diei Dominico æquale, officium cum Missa defunctorum transferatur in sequentem diem etiam festo duplici impeditam. Sacra Rit. congr. 5 Octobr. 1688.

(17. Festa duplicia et semiduplicia translata præferenda sunt officiis semel hebdomada concessis, ita ut festum duplex, seu semiduplex etiam translatum, nec non dies octavæ sit dies impeditus respectu talium officiorum. Sacr. cong. Rit. 8 Feb. 1699 et 26 Martii 1706. Vide *Resolutiones sacr. congregat.* in fin. h. tom., ubi affertur decr. ad litteram.

(18. Officia sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembris, alias transferri poterant in annum sequentem ex decreto S. Rit. cong. 7 Decemb. 1680. At nunc id vetitum est ex decreto ejusdem sacræ Rit cong. die 26 Nov. 1735, et 8 Martii 1738.

Digitized by Google

(19. Officium semiduplex in Dominica infra octavam non privilegiatam occurrens tantum habet juris in feria secunda immediate sequenti non impedita, ut non cedat duplici primæ classis translato. Sac. Rit. cong. 16 Septembris 1702.

(20. Pluribus festis ejusdem ritus translatis, officium de primo translato recitandum est, etiamsi ultimo translatum posset in diem immediate sequentem transferri, non obstante quocunque alio decreto in contrarium. Semiduplex tamen occurrens in Dominica infra octavam non privilegiatam celebrandum est ante quodcunque prius translatum etiam 1 classis feria II immediate sequenti, alio festo occurrente non impedita. Sac. Rit. cong. 16 Septembris 1702.

(21. Alia ad rem. *Vide* verb. FESTUM OCTAVÆ, verb. OFFICIUM DIVINUM et *Resolutiones sacrarum congregationum*, Rubr. *De translatione festorum*.

(22. Monialis translata ad aliud monasterium, nisi aliud disponat sacra congregatio, relinquit dotem primo, solvitque novam secundo. Sic pluries decrevit S. Episcoporum cong. *Vide* verb. MONIALIS, art. 2, n. 50, ubi dantur decreta.

(23. An monialis translata, vel regularis translatus possit secum deferre ad monasterium *ad quod*, vel debeat relinquere monasterio *a quo* bona, quæ habet. *Vide* d. verb. MONIALIS art. 2, n. 50, et verb. AFFILIATIO RELIGIOSORUM.

(24. Quoad ea quæ concernunt translationem episcopi de una ad aliam ecclesiam. *Vide* verb. EPISCOPUS, art. 3, a n. 40 ad 46.

(25. Quoad ea quæ concernunt translationem conventuum. *Vide* verb. CONVENTUS, artic. 1, n. 12 et 13.

(26. Quoad ea quæ concernunt translationem imaginum et reliquiarum. *Vide* verb. IMAGINES, et verb. CULTUS SANCTORUM.

TREBELLIANICA

Vide verb. FALCIDIA *an.* 4

TREGUA

SUMMARIUM.

1. Tregua quid sit. — 2. Treguæ in jure civili alio nomine vocantur *Induciæ*, vulgo *Armistitium*. — 3. Pax quid sit. — 4. Tregua est duplex, scilicet conventionalis, et canonica seu legalis. — 5. Tregua *conventionalis* quæ sit. — 6. Tregua *canonica* seu *legalis* quæ sit. — 7. Treguæ canonicæ quibus diebus sint servandæ. — 8. Quæ pœnæ sint statutæ contra eas violantes. — 9. Quæ personæ gaudeant tregua seu securitate perpetua. — 10. Supradicti duo canones de tregua non sunt usu recepti, nec proinde hodie tenent. — 11. An et quando et quibus de causis inita pax et tregua cum hostibus frangi possit, eisque bellum indici vel non, *remissive*.

(1. Tregua est securitas personis et rebus ad tempus præstita, bello, vel discordia seu lite nondum finita. Sic in re communis.

(2. Unde treguæ in jure civili vocantur alio nomine *Induciæ* (vulgo *Armistitium*), quia tregua proprie dicta nihil aliud est quam induciæ belli, cum scilicet inter hostes ad breve tempus convenit, ne se invicem armis lacessant, textu expresso in l. *Postliminium* 29, § 1, ff. *De captivis et postliminio reversis*, ibi : « Induciæ sunt, cum in breve et in præsens tempus convenit, ne invicem se lacessant. » (3. Pax autem ad differentiam treguæ est totalis, et perpetua discordiæ seu litis, aut belli peremptio voluntaria inter litigantes facta : non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur, c. *Noli* 3, caus. 13, q. 1.

(4. Tregua est duplex, scilicet conventionalis, et canonica seu legalis. Sic Glossa communiter recepta in c. *Treguas* 1, verb. *Frangere*, De tregua, et pace.

(5. Tregua *conventionalis* est illa, quæ ex libera litigantium voluntate initur, et ex conventione formam et modum recipit, sicuti quilibet alius contractus ; l. *Depositum*, 1, § 6, ff. *Depositi*, c. *Contractus* 86, De reg. jur. in 6. Unde hæ treguæ seu induciæ conventionales inter gentium jura numerantur, c. *Jus gentium* 9, dist. 1. Omnium enim gentium usu et consensu secundum naturalem æquitatem constitutum est, ut etiam hosti fides data servanda sit, c. *Noli* 3, caus. 23, q. 1. Dummodo is quoque ex sua parte fidem servet, c. *Pervenit* 2, De jurejurando, c. 2, caus. 28, q. 2 (114).

(6. Tregua *canonica* seu *legalis* est illa, quæ per canonem seu legem constituta est, de qua fit mentio in c. *Tregua* 1, et c. *Innovamus* 2, De tregua et pace.

(7. Unde in cit. c. *Treguas* assignantur dies, in quibus servandæ sunt treguæ præcisis his verbis : « Treguas a quarta feria post occasum solis, usque ad secundam feriam in ortu solis, ab Adventu Domini usque ad Octavas Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad Octavas Paschæ ab omnibus invio-

(114) Hinc hujusmodi induciæ, facta conventione, ligant primario paciscentes, secundario subditos, sive per modum contractus publici, ut contendit Textorin *Synops. jur. gent.*, c. 19, sive per modum legis post factam promulgationem, ut vult Grotius, lib. III, c. 22, sive demum utroque modo, quod P. Schwarz probabilius videtur *Institut. jur. universal.* p. II, tit. V, instruct. 3, § 2. Terminus porro, a quo induciarum initium sumendum est, non est dies pactas inducias subsequens, ut ait Grotius, *loc. cit.*, cap. 21, n. 5, sed dies a momento perfectæ conventionis fluens, ut recte Pufendorfius, et Schwarzius, *loc. cit.*, statuunt.

Digitized by Google

labiliter observari præcipimus. » (8. Et insuper statuuntur gravissimæ pœnæ contra eas violantes, ibi : « Si quis autem treguas frangere præsumpserit, post tertiam admonitionem (si non satisfecerit) suus episcopus sententiam excommunicationis dictet in eum, et scriptam vicinis episcopis annuntiet, quorum nullus excommunicatum in communione recipiat ; imo scriptam sententiam quisque confirmet.

(9. Et in cit. cap. *Innovamus* 2, De tregua, assignantur personæ, quæ gaudent tregua, seu securitate perpetua, ita ut belli duces et milites eas molestare non possint, ibi : « Innovamus, ut presbyteri, monachi, conversi, peregrini, rustici euntes vel redeuntes, vel in agricultura exsistentes, et animalia, quibus arant et semina portant ad agrum, congrua securitate lætentur. »

(10. At vero isti duo canones non sunt usu recepti, nec proinde hodie tenent, ut notant Glossa in cit. c. *Treguas*, verb. *Frangere;* Abbas, Innoc. et alii expositores communiter.

(11. An autem, et quando, et quibus de causis inita pax, et tregua cum hostibus frangi possit, eique bellum indici, vel non? *Vide* verb. BELLUM per tot, ubi cuncta, quæ bellum concernunt in quinque distinctis articulis fuse discutiuntur.

TRIBUTUM.

Vide verb. GABELLA.

TRIDENTINI CONCILII DECRETA.

(1. Tridentini concilii decreta (115) enuntiantur, et impleri jubentur circa jurisdictionem episcoporum in omnes animarum curam gerentes, et in Ecclesias, quibus adnexa est hujusmodi cura. Benedictus XIV, tom. II, constitut. 1, incip. *Quamvis*, et constit. 33, incip. *Inter multa.* (2. Item super electione dignioris inter approbatos ad animarum curam. Idem constit. 4, incip. *Redditæ nobis.*

(3. Item super jurisdictione episcoporum in regulares extra claustra degentes. Idem constit. 7, incip. *Pontificia commendatione.* (4. Item super ordinationibus regularium, et super abolitione privilegiorum recipiendi ordines a quocunque, vel extra tempora. Idem constit. 27, incip. *Impositi nobis.* (5. Item de non recipiendis regularium recursibus adversus professionis validitatem post elapsum a die professionis quinquennium; vel si reclamantes extra claustra degant, aut habitum dimiserint. (6. Et de forma servanda in hujusmodi judiciis. Idem constitut. 47. incip. *Si datam.* Vide *supra* ad verb. REGULARIS PROFESSIO. (7. Item de confessariis extraordinariis bis aut ter in anno exhibendis religiosarum mulierum communitatibus. Idem constit. incip. *Pastoralis curæ.*

(8. Item de abstinentia clericorum a luxu, conviviis, choreis, aleis. Item constit. 45, incip. *Inter cætera.* (9. Item de coercendis iis, qui mulieres cogunt ad ingrediendam religionem. Idem constit. 47 incip. *Si datam.* (10. Item super facultatibus episcoporum circa ea quæ observari debeant, aut evitari in celebratione missæ. Idem constit. incip. *Accepimus.* (11. Item super residentia episcoporum, et super eorum absentiæ causis. Idem constit. 18, incip. *Ad universæ.*

(12. Item de non ordinandis sine causa episcopis titularibus, et de his, quæ hujusmodi episcopis permittuntur. Idem constit. 36 incip. *Cum a nobis.* (13. Item de reservatione causarum criminalium judicio episcopi seu ordinarii, exclusis archidiaconis, decanis, aliisque inferioribus. Idem constit. 40 incip. *Causarum* (116).

TRISAGIUM.

(1. Trisagium, quo tres personæ divinæ laudantur his verbis : *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis, miserere nostri;* e cœlo adductum est, cum puer e terra elevatus Constantinopoli, et in cœlum raptus per unam horam, descendit postea illud recitans.

(2. Cum enim orbis pene universus ita horribili et longo terræmotu quateretur, ut anno 446 in sola Constantinopolitana urbe subversa fuerint omnia magnificentiora ædificia, et quingentæ septem turres, ut ex Marcellino refert Berninus tom. I *Histor. omnium hæresum*, cap. 6, De gestis tempore Felicis III, afferens quæ scribit Nicephorus lib. XIV, cap. 46, nempe : « Theodosius imperabat, et terræmotus magnus et admirandus exstitit, qui priores magnitudine, celeritate et temporis diuturnitate facile superavit, et non ex intervallo, sed motu continuo omnia concussit, idque per orbem fere universum. » (3. Hac de causa, ne vivi sepelirentur, antequam interirent, imperator Theodosius cum suis magnatibus, Proclus episcopus cum suo clero, civesque omnes extra urbem se receperunt, et hra-

(115) Ubi Tridentina synodus non est recepta, facultatibus ab illa concessis episcopi uti non possunt. Benedictus XIV *De syn. diœces.*, lib. IX, cap. 5, n. 2.

(116) In dispensationibus Pontificis, quæ alicui Tridentinæ sanctioni derogant, necesse non est ut expresse isthæc derogatio indicetur, ac sine illa dispensationes vim suam habent. Idem Bened. XIV, *loc. cit.*, lib. XIII, cap. 23.

Digitized by Google

chiis extensis ad cœlum versus, ut scribit Nicephorus, *loco cit.*, « obtestabantur Deum, ut propitius eis esset, et ab imminenti calamitate orbem liberaret. » (4. Tuneque infantulus, toto populo spectante, in cœlum per unam horam raptus est, indeque reversus nuntiavit episcopo ac imperatori, aliisque inibi exsistentibus, audisse angelos ante thronum Dei hoc divinum canentes trisagium : *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis, miserere nostri*, sibique mandatum fuisse, ut eam laudationem populo indicaret. (5. Quæ ubi Proclus intellexit, subjungit Nicephorus, *loc. cit.*, « statim ad eum modum psallere jussit, et terræmotus statim etiam constitit, omninoque quievit ; » et ut scribit Felix III Summus Pontifex epist. 3. (6. Quam laudationem ubi populi incœperant, civitatem receperunt, Deoque per hujusmodi laudem propitio facto, et ab imminenti ira sunt liberati, et exinde, ut prosequitur, *loc. cit.*, Nicephorus : « Imperator Theodosius et Pulcheria tanto miraculo perculsi, constitutione imperiali confestim, ut per orbem omnem hymnus divinus iste concineretur, decreverunt; et eo tempore Ecclesia Christi eum acceptum, non quolibet tantum die usurpat, sed etiam cujuslibet carminis et laudis Dei initio ante omnia pleno ore præmittit (117). »

TUTELA, TUTOR, CURA, CURATOR.

SUMMARIUM.

1. Tutela quid sit. — 2. Tutores qui sint. — 3. Tutela dividitur potissimum in testamentariam, legitimam et dativam.— 4. Tutela testamentaria quæ sit.— 5. Tutela legitima quæ sit.—6. Tutela dativa quæ sit. — 7. Sic tutores alii sunt testamentarii, alii legitimi, et alii dativi. — 8. Tutela finitur, postquam impuberes consecuti sunt pubertatem. — 9. Pubertas quando habeatur. — 10. Tutela finita, incipit cura seu curatio, aut curatela, quæ de jure communi Cæsareo durat usque ad annos XXV completos, tam in masculis quam in feminis. — 11. Si autem per municipale statutum, seu principis alicujus supremi sit taxata minor ætas, v. g. ad annum 20 in masculis, et ad annum 18 in feminis, tunc, eo elapso, minor liberatur a cura. — 12. Sic etiam finitur cura ante dictum tempus, si minor veniam ætatis a principe impetraverit. — 13. Curator quis sit.— 14. Tutores et curatores, in quibus differant inter se ad n. 16. — 17. Stante consuetudine omnium fere regionum, finita tutela, tutor tanquam curator, perseverat usque ad XXI annum.—18. Non potest tamen, qui fuit tutor, compelli, ordinarie loquendo, ad perseverandum, si noluerit, in curatione et administratione bonorum ejusdem puberis. — 19. Item nec pupillus tenetur stare ejusdem tutoris curæ, nisi forte testator aliter disposuerit. — 20. Tutor dativus perveniente altero ex fratribus ad majoritatem, cessat quoad omnes fratres, et factus major fit tutor aliorum fratrum impuberum. — 21. Non sic autem tutor testamentarius. — 22. Judex pro dando tutore debet habere jurisdictionem in pupillum cui dandus est, et in eum qui dari debet. — 23. Tutor proprie et in rigore constituendus est per judicem habitationis pupilli, quamvis ejus bona alibi extent. — 24. Si autem administratio dictorum bonorum impugnetur a judice loci in quo sita sunt bona, tunc equidem, ne bona pupilli in deterius abeant, constitui potest a judice loci bonorum curator. — 25. Si pupillus sit clericus, tutor est per judicem ecclesiasticum constituendus. — 26. Neque per judicem laicum potest dari tutor clericus seu ecclesiasticus. — 27. Potest tamen a judice ecclesiastico dari pupillo clerico tutor laicus. — 28. Existantibus ex eodem patre pluribus pupillis, quorum alii sint laici et alii ecclesiastici, a quo dandus sit tutor. — 29. Curator, si æque principaliter dandus sit personæ, tunc dandus est a judice sub cujus jurisdictione est persona. — 30. Si persona ratione status sit sub uno judice, scilicet clericus sub potestate ecclesiastica, at bona ejus sint sub potestate laicali, et curator dandus sit tantum bonis, tunc dari debet a judice laico sub cujus jurisdictione sunt eadem bona. — 31. Si curator dandus sit, non solum rebus, sed rebus simul et personæ, licet principaliter rebus, et nonnisi secundario personæ, tunc probabilius dandus est a judice sub cujus potestate est persona. — 32. Parentes possunt testamento filiis suis impuberibus, sive masculini, sive feminini sexus tutores constituere, si modo in potestate sua sint. — 33. Pater, etiamsi fuerit minor XXV annis, potest filiis suis dare testamento tutorem, si perpenso consilio id præstet. — 34. Si autem pater fuerit adhuc ipse sub patria potestate, quamvis fuerit major XXV annis, non potest filiis suis tutorem dare. — 35. Potest pater, superstite matre, filiis suis impuberibus testamento tutorem dare, ipsa matre exclusa. — 36. Mater, qua mater est, non potest filiis testamento tutorem constituere. — 37. Si autem mater in testamento filium hæredem instituat, et simul tutorem ei constituat, erit recte constitutus tutor. — 38. Item quilibet extraneus, si impuberem hæredem instituat, tutorem ei constituere potest a judice cum inquisitione confirmandum. — 39. Item patronus, si libertum hæredem instituat, potest ei tutorem constituere a judice probabilius cum inquisitione confirmandum.— 40. Pater potest in testamento dare tutorem filiis suis quemcunque benevisum, et etiam feminam.—41. Si pater in suo testamento constituit tutores filiis et filiabus, tutela extenditur etiam ad posthumos et posthumas. — 42. Si pater in testamento constituit tutorem pro filiis, tutela extenditur etiam ad filias. — 43. Si pater in testamento constituit tutorem pro filio, tutela extenditur ad omnes ejusdem filios. — 44. Si pater liberis suis testamento tutores dederit, censetur et nepotibus consuluisse, modo illi in potestate patris non sint relapsuri : secus si filiis, retento proprio nomine filiorum. — 45. Pater filiis suis sub patria potestate non exsistentibus, sed emancipatis, non potest constituere tutorem simpliciter, sed solum potest ipsis tutorem constituere a judice confirmandum. — 46. Pater nequit filio suo naturali et illegitimo dare tutorem testamento, nisi vel illum hæredem instituat, vel aliquid eidem relinquat. — 47. Regulariter in testamento dari nequit tutor quoad exercitium tutelæ, qui non attigerit XXV annum suæ ætatis. — 48. Filiusfamilias, non obstante quod sit sub patria potestate, si habeat cæteras conditiones ad hoc requisitas, non interdicitur a munere tutelæ. — 49. Servus, durante servili sua conditione, nequit testamento tutor constitui. — 50. Si autem servus constituatur tutor a proprio domino cum scientia servitutis, tunc intelligitur actu prævio liberari a servitute, et sic recte tutor constitutus. — 51. Si vero sit servus

(117) Verum non multo post Petrus Cnapheus in Antiochenam sedem, ejecto Calendione, intrusus salutare Trisagium corrupit, addita ad finem clausula *qui passus es pro nobis, miserere nobis*, totam Trinitatem passam fuisse blasphemans, initiumque dans Theopaschitarum sectæ. Damnatus est Cnapheus a Felice III, in Romana synodo an. 483.

Digitized by Google

alienus, solum cum liber erit, habebitur verus tutor. — 52. Episcopi et monachi nequeunt esse tutores testamentarii. — 53. Imo neque sacerdotes, aliique clerici in sacris constituti possunt esse tutores testamentarii. — 54. Sacerdotes, aliique clerici sæculares, licet non possint esse tutores testamentarii, possunt tamen esse tutores legitimi. — 55. Episcopi autem et monachi neque possunt esse tutores legitimi. — 56. Qui habet bona indivisa cum pupillis, potest eorumdem esse tutor testamentarius, si testator noverit talem indivisionem. — 57. Item creditor et debitor potest testamento tutor constitui, si testator plenam cognitionem habuerit de tali credito et debito. — 58. Civis alterius civitatis potest constitui tutor testamentarius pupillorum alibi degentium. — 59. Mutus nequit esse tutor. — 60. Item nec surdus. — 61. Item nec furiosus, durante furore, et amens, durante amentia. — 62. Item nec prodigus. — 63. Feminæ, quamvis de jure nequeant ordinarie esse tutrices, possunt tamen ex voluntate testatoris tutelam exercere. — 64. Si maritus in testamento uxorem tutricem filiorum constituerit etiam in casu secundarum nuptiarum, non est necesse quod eadem uxor renuntiet secundis nuptiis. — 65. Secus autem est dicendum, si maritus simpliciter eam constituerit tutricem testamentariam. — 66. Tutela legitima competit proximiori pupilli. — 67. Et si plures fuerint in eodem gradu, omnes debent admitti ad ipsam tutelam. — 68. Mater in tutela filiorum impuberum nor præfertur avo paterno. — 69. Præfertur tamen mater in tutela filiorum avo materno. — 70. Item mater præfertur aviæ, sive paternæ sive maternæ. — 71. Affertur, et solvitur instantia. — 72. Avia paterna, præsertim in Italia, præferenda est maternæ. — 73. Non existente avia paterna, nec materna, admittenda est ad tutelam proavia. — 74. In concursu avi materni cum avia materna, præfertur avus. — 75. Mater etiam tantum naturalis præfertur in omnibus casibus, in quibus præfertur mater legitima. — 76. In concursu patris et matris naturalis præfertur mater. — 77. Excipe tamen in casu, quo filii naturales essent a patre legitimati. — 78. In concursu matris et aviæ cum fratre majori filiorum et nepotum, ordine successivo præferuntur mater et avia. — 79. Item mater et avia præferuntur etiam patruis. — 80. Comparando fratres utrinque conjunctos cum paternis, etiam ex parte patris, præferuntur fratres, si fuerint majores. — 81. Frater utrinque conjunctus in tutela fratrum suorum impuberum præfertur fratri ex uno, tantum latere conjuncto. — 82. Concurrentibus duobus fratribus utrinque conjunctis et habilibus, uterque æque primo admittendus est ad tutelam, etiamsi unus respectu alterius sit minoris ætatis. — 83. Concurrentibus agnatis et cognatis secundum modernam dispositionem juris communis admittuntur ad tutelam proximiores in gradu, nulla habita ratione cognationis et agnationis. — 84. Secundum autem consuetudinem et jura municipalia totius fere Italiæ præferuntur agnati cognatis. — 85. Tutor, sicuti et curator, cum primum, judicis auctoritate interveniente, bonorum administrationem suscepit, inventarium conficere debet. — 86. Talis inventarii confectio debet præcedere administrationem, exceptis tamen aliquibus casibus necessitatis, et signanter excepto casu, quo res aliqua non admitteret dilationem, ex quo posset statim periclitari. — 87. Nec tenetur tamen tutor inventarium conficere casu quo testator id ei remiserit, aut vetuerit. — 88. Curatores iis omnibus dari possunt, qui suis rebus superesse non possunt. — 89. Generaliter loquendo curatores dantur minoribus, qui excesserunt annum 24, nec pervenerunt ad an. 25. — 90. Curatores dari possunt furiosis et mente captis, etiamsi excesserint XXV ætatis suæ annum. — 91. Si filiusfamilias inciderit in amentiam et furorem, licet fuerit emancipatus pater erit legitimus curator. — 92. Si pater factus fuerit furiosus et amens, constituendus est ejus tutor filius ætate major. — 93. Item si mater facta fuerit furiosa et amens, est ei dandus filius curator. — 94. Curatores dari possunt prodigis. — 95. Et ad dandos tales curatores sufficit, quod prodigorum conjuncti habentes notitiam de eorum prodigalitate, eos petant. — 96. Imo etiam, nemine petente, potest judex ex officio, si notorie constet de prodigalitate, curatorem dare tali prodigo. — 97. Curator dari potest assiduo lusori. — 98. Item curator dari potest feminæ prodigæ et luxuriose viventi. — 99. Masculo tamen luxuriose viventi non interdicitur administratio. — 100. Si autem masculus, nedum luxuriose, sed et prodige viveret, posset ei dari curator uti prodigo. — 101. Maritus non potest dari curator uxori suæ. — 102. Curatores dari possunt captivis, quantumvis majoribus. — 103. Item dari possunt curatores absentibus. — 104. Item curatores dari possunt mutis et surdis. — 105. Curatores et tutores regulariter tenentur satisdare. — 106. Excipiuntur tamen tutores testamentarii. — 107. Item excipiuntur etiam tutores et curatores dati ex inquisitione. — 108. Tutores et curatores tenentur administrare bona pupillorum et minorum tali cura et diligentia, qualem providus paterfamilias propriis bonis adhibere solet. — 109. Tutores et curatores tenentur operam dare, ut ex bonis immobilibus fructus proveniant, bona mobilia minus utilia vendere, pecuniam non otiosam relinquere, sed eam in utilem prædiorum emptionem, et in annuos reditus convertere, quibus culpabili eorum incuria neglectis, obliganur ad restitutionem totius interesse. — 110. Ad nullum tamen interesse tenentur tutores et curatores, si, factis debitis diligentiis, pro implicanda in prædiis et annuis reditibus tali pecunia, nulla eis certa et tuta occasio affulgeat. — 111. Salarium pro tutela accipere interdictum est tutoribus, præterquam si eis a judice sit constitutum. — 112. Nihilominus tamen non interdicitur judici, quin, interveniente causa, possit tutoribus congruum salarium assignare; imo in variis regionibus ex dispositione jurium municipalium assignantur tutoribus et curatoribus certæ portiones. — 113. Quinimo curator hæreditatis jacentis habet jus hypothecæ in bonis ejusdem hæreditatis pro suo salario cum prælatione quoad omnes alios creditores hæreditatis, licet anteriores. — 114. Si tutores et curatores ab initio assumptæ tutelæ et curæ salarium non petierint, nec de illo protestati fuerint, et postea illud petant, non est decernendum a judice pro præterito, sed tantum pro futuro. — 115. Non possunt autem tutores et curatores sibi ipsis salarium constituere. — 116. An et quando pupilli et minores possint sine auctoritate tutorum et curatorum contractus celebrare? et an, si aliquos sic celebraverint, obligentur ad illos, tum civiliter tum naturaliter, seu tam in foro externo quam in foro interno seu conscientiæ, *remissive*. — 117. Alia ad rem ad num. 122.

(1. Tutela est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem suam sponte se defendere nequit, jure civili data ac permissa. Sic textus expressus in l. *Tutela* 1, De tutelis, et in § *Est autem tutela* 1, instit. *De tutelis*.

(2. Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent, exque re ipsa nomen acceperunt. Itaque appellantur tutores, quasi *tuitores*, atque defensores; sicuti æditui dicuntur qui ædes tuentur. Sic textus expressus in cit. l. *Tutela* § 1, et in § *Tutores autem sunt* 2, instit. *De tutelis*.

(3. Tutela dividitur potissimum in teste-

Digitized by Google

mentariam, legitimam et dativam. Sic communis doctorum. (4. Tutela *testamentaria* est, quæ constituitur a parentibus in testamento vel in codicillis testamento confirmatis, liberis suis impuberibus in sua potestate exsistentibus; § *Permissum est* 3, instit. *De tutelis;* leg. *Lege duodecim* 1, ff. *De testamentar. tutela*, l. *Testamento* 3, ff. eod. (5. Tutela *legitima* est, quæ a lege inducitur in favorem pupillorum, non exstantibus tutoribus testamentariis; quando etenim non adsint tutores ex testamento relicti, adsunt tamen consanguinei; tunc jure statutum est, ut qui proximior consanguineus est pupillo, ille sit illius tutor legitimus; l. *Legitimæ tutelæ* 1, ff. *De legitimis tutoribus*, leg. *Intestato* 6, leg. *Si plures* 9, ff. eod. et concordat instit. *De legitima agnatorum tutela*, et § *Cum autem* 7, instit. *De capitis deminutione.* (6. Tutela *dativa* est actus legitimus, per quem non exstantibus testamentariis, neque legitimis tutoribus, ad petitionem matris, vel aliorum proximiorum consanguineorum ejusdem pupilli, datur eidem tutor a judice vel magistratu. L. *Dativus* 7, ff. *Rem pupilli salvam fore*, l. *Generaliter* 52, cod. *De episcop. et clericis*. L. *Nemo* 5, cod. *De legitima tutela*, l. *Sive proconsul* 1, cum similibus, ff. *De tutoribus et curatoribus datis*, l. *Matris* 1, ff. *Qui petant tutores*, cum similibus.

(7. Unde juxta dictam tutelæ divisionem tutores alii sunt testamentarii, alii legitimi et alii dativi, arg. citatis juribus, cum similibus.

(8. Tutela finitur, postquam impuberes consecuti sunt pubertatem; seu pupilli et pupillæ remanent sub tutela, donec impuberes exsistant; facti autem puberes a tutela liberantur, textu expresso in Instit. *Quibus modis tutela finitur*, in principio, ibi: « Pupilli pupillæque, cum puberes esse cœperint, a tutela liberantur. » Et concordat lex *Nisi* 4, in princ., ff. *De tutela et rationib. distrahend.*, l. *Si curatoris* 1, cod. *Quando tutores et curatores esse desinant*, cum similibus; Rota, part. IV, recent., t. I, decis. 588, n. 6, part. XV, decis. 255, n. 1, decis. 377, n. 43.

(9. Pubertas autem habetur in masculis anno XIV completo, et XII in feminis, textu expresso in cit. instit. *Quibus modis tutela finitur*, in princip., ibi: « Pubertatem in masculis post decimum quartum annum completum illico initium accipere disposuimus, antiquitatis normam in feminis bene positam in suo ordine relinquentes, ut post duodecim annos completos viri potentes esse credantur. » Et concordat lex *A qua ætate* 5, ff. *Qui testamenta facere possunt*, lex *Minoribus* 2, ff. *De vulgari et pupillari substitut.*, lex *Indecorum* 4, cod. *Quando tutores et curatores esse desinant;* Rota, part. IV, recent., t. I, decis. 588, n. 5, part. XV, decis. 135, n. 9.

(10. Tutela finita, incipit cura seu curatio aut curatela, quæ de jure communi Cæsareo durat usque ad annos XXV completos, tam in masculis quam in feminis, textu expresso in instit. De curatoribus in principio, ibi: « Masculi quidem puberes, et feminæ viri potentes, usque ad vicesimum quintum annum completum curatores accipiunt, quia licet puberes sint, adhuc tamen ejus ætatis sunt, ut sua negotia tueri non possint; » l. *Hoc edictum* 1, ff. *De minoribus*, § 2 et 3, ibi: « Apparet minoribus annis viginti quinque eam opem polliceri, nam post hoc tempus compleri virilem vigorem constat. Et ideo hodie in hanc usque ætatem adolescentes curatorum auxilio reguntur, nec ante rei suæ administratio eis committi debebit, quamvis bene rem suam gerentibus. »

(11. Dicitur autem notanter *De jure communi Cæsareo*, quia, si per municipale statutum, seu principis alicujus supremi, sit taxata minor ætas; v. g. ad annum vicesimum in masculis, et ad annum decimum octavum in feminis, tunc eo elapso, minor liberatur a cura, ut tradunt communiter doctores. (12. Sicuti etiam finitur cura ante dictum tempus, si minor veniam ætatis a principe impetravit, textu expresso in l. *Omnes adolescentes* 2, cod. *De his qui veniam ætatis impetraverint.*

(13. Curator vero is est, qui præpositus est alicui, quique potestatem habet administrandi bona ejus, qui, vel ob ætatem, vel ob mentis corporisque vitium suis rebus superesse non potest. Ita in re communis per claros textus in § *Sed et mente captis* 4, instit. *De curatoribus*, l. *His qui* 12, ff. *De tutoribus et curatoribus datis ab his*, etc., l. *Sed et aliis* 2, ff. *De curatoribus furioso, et aliis.*

(14. Tutores et curatores differunt inter se. Primo, quia tutores dantur principaliter personæ, secundario, rebus, ut patet per jura adducta *supra* n. 1 et 2, juncta l. *Quia personæ* 14, ff. *De testamentaria tutela*, et § *Certæ autem*, instit. *Qui testamento tutores dari:* curatores autem vel rebus tantum, vel principaliter rebus, et non nisi secundario personæ, saltem regulariter loquendo per textum in l. *In copulandis* 8, cod. *De nuptiis*, ibi: « Nec curatori, qui solam rei familiaris sustinet administrationem; » Marianus Socinus, consil. 97, n. 6, lib. I; Rosignol. *De tutor. et curator.*, contract. 17, prænotion. 28, n. 1, et alii. Dicitur autem notanter *saltem regulariter loquendo*, quia curatores amentibus et furiosis neque principaliter dantur personis, sicut tutores pupillis et impuberibus, textu expresso in l. *Consilio* 6, ff. *De curatoribus furioso, et aliis extra minores dandis*, ibi: « Consilio et opera curatoris tueri debet non solum patrimonium, sed et corpus, ac salus furiosi: » isti enim quamvis fuerint ætate adulti, in dirigendis tamen se ipsis rebusque suis sunt tanquam pupilli, ipsisque in judicio æquales, ac insuper inferiores saltem illis qui septennium excesserint, adeoque etiam quoad personam indigent tutore, sicuti pupilli; Montanus. *De tutor. et curator.*, cap. 29; n. 9. Decius, in l. *Quo tutela*,

Digitized by Google

§ *Nemo*, n. 4, ff. *De regul. juris*; Rosignol. *loc cit.*, n. 2, et alii.

(15. Secundo, differunt, quia tutores regulariter dantur impuberibus per jura adducta supra n. 8 et 9, et iis ad summum, qui impuberibus comparantur per cit. l. *Consilio*, et dicta num. antecedenti; curatores vero dantur puberibus usque ad 25 annum, secundum jus commune Cæsareum per jura adducta *supra* n. 10, vel usque ad 20 in masculis, et 18 in feminis, secundum aliqua statuta municipalia, seu ad minorem ætatem, secundum veniam impetratam a principe, per dicta *supra* n. 11 et 12. Decius in cit. l. *Quo tutela*, § *Nemo*, ff. *De regul. jur.*, et l. *Curator*, ff. *De tutoribus et curator. datis ab his*, etc. Rosignol., *loc. cit.*, n. 8, et alii passim.

(16. Tertio, differunt, quia tutores certæ rei et causæ dari non possunt, per text. in § *Certæ autem rei* 4, institut. *Qui testamento tutores dari possunt*, l. *Certarum rerum* 12, et l. seq., ff. *De testamentaria tutela*: curatores autem et certis rebus et determinatis causis dari possunt, per text. in § *Item inviti* 2, *De tutoribus*, ibi: « Curator enim et ad certam causam dari potest; » Portius, in tit. *De curatoribus*, n. 4; Angelus, in § *Certæ autem rei* 4, instit. *Qui testamento tutores dari possunt*; Rosignol., *loc. cit.*, n. 12, et alii alias enumerantes differentias, quæ tanquam minus scitu necessariæ, brevitatis gratia apud ipsos aliosque legistas videndæ relinquuntur.

(17. Stante consuetudine omnium fere regionum, finita tutela, tutor tanquam curator perseverat usque ad XXV annum; Montanus, *De tutor. et curator.*, cap. 37, num. 86; Antonius Gailus, lib. II *Practic. observat.* 96; n. 1; Rosignol., *loc. cit.*, part. II, contract. 17, prænot. 1, n. 18, et prænot. 2, n. 1, et alii.

(18. Non potest tamen, qui fuit tutor, compelli ordinarie loquendo, ad perseverandum, si noluerit, in curatione et administratione bonorum ejusdem puberis, per text. in l. *A tutoribus* 33, § 1, ff. *De administrat. tutor.* Æquitas enim non postulat, ut qui diu in onere tutelæ permanserit, ulteriori onere prægravetur.

(19. Item nec pupillus tenetur stare ejusdem tutoris curæ, nisi forte testator aliter disposuerit, quod nempe perseveret sub cura tutoris, donec pervenerit ad XXV annum, per text. in l. *Si tutor* 9, ff. *De tutel. et rationib. distrahend.*, leg. *Tutor* 28 et leg. *Maximeque* 29, ff. *De administrat. tutor. et curator.*

(20. Tutor dativus, perveniente altero ex fratribus ad majoritatem, cessat quoad omnes fratres, et factus major fit tutor aliorum fratrum impuberum. Exsistente enim tutore legitimo, cessat tutor dativus, cum hic detur solum non exstantibus testamentariis nec legitimis tutoribus, per jura adducta supra n. 6. Rota, part. II, recent., decis. 306, n. 2, et part. III, decis. 60, n. 4; Rosignol., *loc. cit.*, prænot. 3, n. 3, cum pluribus ibi ad id adductis.

(21. Non sic autem tutor testamentarius, quia hic, altero ex fratribus perveniente ad majoritatem, non cessat esse tutor quoad alios fratres impuberes. Exsistente enim tutore testamentario, non est locus legitimo tutori, cum tutor testamentarius cuicunque alteri præferatur, et tutor legitimus subintret solum in defectum tutoris testamentarii, per jura adducta *supra* n. 5. Rota, part. V, tom. II, decis. 435, n. 4, part. XIII, decis. 34, n. 4; Montanus, *De tutoribus et curatoribus*, cap. 27, n. 97; Rosignol., *loc. cit.*, n. 4, et alii.

(22. Judex pro dando tutore debet habere jurisdictionem in pupillum cui dandus est, et in eum qui dari debet, textu expresso in l. *Neque a præside* 5, cod. *Qui dare tutores vel curatores possunt.*

(23. Tutor proprie et in rigore constituendus est per judicem habitationis pupilli, quamvis ejus bona alibi exstent. Tutor enim datur principaliter pro persona pupilli, per jura adducta *supra* n. 1, 2 et 14, quæ persona, utpote principalior, trahit ad se etiam bona, quamvis alibi exsistentia, cum tutela legitime collata extendatur ad omnia bona ubicunque exsistentia, per text. in § *Datus* 17, instit. *De excusationibus tutorum*, l. *Propter litem* 21, § 2, ff. *De excusationibus*, l. *Magis puto* 5, § 12, ff. *De rebus eorum qui sub tutela, vel cura sunt*; Rota, part. V, recent., tom. I, dec. 177, n. 27 et 29, et part. IX, tom. I, decis. 12, n. 26, 27 et 28. Angelus Aretin. instit. *De legitim. agnat. tut.*, n. 3, vers. *Quæro, si tale*; Marianus Socinus, consil. 97, n. 6, et consil. 248, n. 2, lib. I; Alexander, consil. 44, n. 17, lib. V; Rosignol., *loc. cit.*, part. I, contract. 17, prænot. 17, num. 11 et alii. (24. Si autem administratio dictorum bonorum impugnetur a judice loci, in quo sita sunt bona, tunc equidem, ne bona pupilli in deterius abeant, constitui potest a dicto judice loci bonorum curator: et ratio est, quia quotiescunque tutor legitime datus, est impeditus seu absens, potest alius substitui, ut docet Rota, part. II *Diversar.*, decis. 89, n. 6, et part. XIII, recent., decis. 108, n. 3, et part. XV, recent., decis. 107; Montanus, *De tutorib.*, cap. 24, per tot.; Paulus Christin., decis. 150 per tot., volum. 3, et alii. Atqui, exstante impugnatore seu contradictore quoad tutorem datum a judice habitationis pro administratione bonorum alibi exsistentium, talis tutor in ordine ad dictam administrationem talium bonorum intelligitur impeditus, et est absens; ergo saltem in ordine ad eadem poterit constitui curator, et quidem per judicem talis loci, ne etiam alius, si fuerit datus a judice habitationis pupilli, per similem impugnationem seu contradictionem, impediatur, et interim bona pupilli in tali loco exsistentia in deterius abeant. Et quamvis talis in l. *Pupillo* 27, *De tutorib. et curatorib. datis ab his*, et leg. *Unica*, cod. *Ubi petantur tutores et curatores*, exprimatur communi nomine tutoris, proprie tamen non est nisi curator, cum non detur personæ, sed rebus; arg. citatis juribus *supra*, n. 14, ut recte notat Rosignolus, *loc. cit.*, n. 10, et alii.

Digitized by Google

Vide Rotam, part. IX, recent., tom. I, decis. 12, n. 44 et 45, ubi declarat textum in cit. leg. *Unica*, cod. *Ubi petantur tutores*.

(25. Si pupillus sit clericus, tutor per judicem ecclesiasticum constituendus, Joannes Fabr., institut. *De Attiliano tutore* n. 4 in fine; Sperellus, decis. 1, n. 4; Franciscus Ripa, in cap. 2, n. 10, *De judiciis;* Marianus Socinus, in leg. *Si quis clericus*, n. 23 in fine, ff. *De foro competent.;* Montanus, *De tutoribus*, cap. 4, n. 25 et 28. Diana, part. I, tract. 2, resolut. 95; Balletus, *Disquisit. cleric.*, part. I, tit. *De favore cleric. personali*, § 6, n. 15; Anguianus, *De legibus*, part. I, lib. II, controvers. 23, n. 69; Rosignol., *loc. cit.*, n. 12, et alii passim. Et ratio est clara, quia tutor datur principaliter personæ, et non nisi secundario rebus, per jura citata *supra* n. 14. Atqui persona clerici non est subdita judici laico, c. *Bene quidem* 1, dist. 96, cap. *Ecclesia S Mariæ* 10, De constitutionib., cap., *Cum laicis* 12, De rebus ecclesiæ alienandis, vel non, cum similibus, ergo non potest per judicem laicum constitui tutor pupillo clerico.

(26. Neque per judicem laicum potest dari clerico tutor clericus, seu ecclesiasticus; adhuc enim laicus diceretur exercere jurisdictionem, quam nec habet, nec habere potest in pupillum clericum. Decius, consil. 150, n. 9; Montanus, *De tutor. et curator.*, cap. 7, n. 27; Rosignol., *loc. cit.*, n. 26, et alii.

(27. Potest tamen a judice ecclesiastico dari pupillo clerico tutor laicus. Sic in similibus Glossa in cap. *Bene quidem* 1, dist. 96, verb. *Præter;* Archidiaconus, in cap. *Clericum cujuslibet* 11, q. 1; Federicum de Senis, consil. 126, et alii tenentes, quod episcopus causas civiles clericor. possit delegare laicis, uti ex Gloss. in c. *Decernimus* 2, De judiciis, verb. *Non præsumant*, arg. cit. cap. *Delegat.*, n. 38, et in terminis docent Montanus, *De tutor. et curat.*, cap. 4, n. 31. Rosignol., *loc. cit.*, n. 28, et alii; et ratio est, quia tutor laicus sic deputatus a judice ecclesiastico exercet munus tutelæ non ex propria, sed ex judicis ecclesiastici constituentis auctoritate, sicque fundamentaliter ex officio ecclesiastico, adeoque sine repugnantia dari potest a judice ecclesiastico pupillo clerico tutor laicus, sicuti laicus potest esse procurator clerici et syndicus Ecclesiæ, per textum in cap. 1 *De procurator.*, et cap. 1 *De syndic.*

(28. Exstantibus ex eodem patre pluribus pupillis, quorum alii sint laici, et alii ecclesiastici, quamvis una doctorum sententia velit in tali casu dandum esse tutorem pro omnibus a judice ecclesiastico, et altera teneat dandum esse pro omnibus a judice laico; placet tamen sententia media docens, unum tutorem pro clericis dandum esse a judice ecclesiastico, et alterum pro laicis dandum esse a judice laico; nisi forte uterque judex concurrat ad unum et eumdem constituendum, qui utraque auctoritate respective regat. Et ratio est quia, sicut judex laicus nullam habet jurisdictionem in personam ecclesiasticam, cap. *Bene quidem* 1, dist. 96, c. *Ecclesia S. Mariæ* 10, De constitutionibus, cap. *Cum laicis* 12, De rebus ecclesiæ alienandis, vel non, cum similibus: ita nec judex ecclesiasticus in personam et causam mere laicalem, cap. *Licet* 10, et cap. *Ex tenore* 11, De foro competente, cum similibus.

(29. Curator, si æque principaliter dandus sit personæ, puta furiosi, amentis, sicuti tutores pupilli principaliter quoad personam, tunc dandus est a judice, sub cujus jurisdictione est persona, et sic, si fuerit clericus, a judice ecclesiastico per dicta *supra*, n. 25. Vel si persona fuerit laicalis sub uno territorio, et bona ejus sub alio, tutor dandus erit a judice territorii seu habitationis, sub cujus potestate est persona per dicta *supra*, n. 23, cum limitatione adducta, *ibid.*, n. 24.

(30. Si persona ratione status sit sub uno judice, scilicet clericus sub potestate ecclesiastica, et bona ejus sint sub postestate laicali et curator dandus sit tantum bonis, tunc dari debet a judice laico, sub cujus jurisdictione sunt eadem bona. Et ratio patet a contrario sensu ex dictis *supra*, n. 25, quod nempe pupillo clerico dandus sit tutor a judice ecclesiastico, quia principaliter datur personæ, et non nisi secundario rebus, adeoque a contrario sensu, cum in nostro casu curator dandus sit rebus tantum, et nullo modo personæ, utique dandus erit a laico judice, sub cujus jurisdictione sunt bona. Decius, consil. 150, n. 3 et 7; Ripa, in cap. 2, n. 10, *De judiciis;* Marianus Socinus, in cap. *Si quis clericus*, n. 23, De foro competent.; Alexander, consil. 41, num. 17, lib. V; Rosignol., *loc. cit.*, prænot. 28, num. 5, et alii.

(31. Si curator dandus sit, non solum rebus, sed rebus simul et personæ, licet principaliter rebus, et non nisi secundario personæ, tunc probabilius dandus est a judice sub cujus potestate est persona: et ratio est quia licet persona sub illo munere non veniat, nisi secundario, ipsa tamen non potest cadere sub potestate laicali, si fuerit ecclesiastica, per jura adducta *supra*, sub n. 25. Nec sub alio judice laico, in cujus territorio non degit, quamvis fuerit persona laicalis, cum judex non habeat jurisdictionem in personam degentem extra suum territorium seu provinciam, cap. *Romano* 5, De sentent. excommunicationis, cap. *Ut animarum*, 2, De constitutionibus in 6, l. *Neque a præside*, 5, cod. *Qui dare tutores, vel curatores possunt*, l. *Unica*, cod. *Ubi petantur tutores et curatores*, cum similibus, adeoque in tali casu dandus erit curator ab illo judice, sub cujus jurisdictione est persona, cui dandus est. Sic expresse Rosignolus, *loc. c.* n. 7, et alii.

(32. Parentes possunt testamento filiis suis impuberibus, sive masculini, sive feminini sexus tutores constituere, si modo in potestate sua sint, textu expresso in l. *Lege duodecim* 1, ff. *De testamentaria tutela*,

Digitized by Google

ibi : « Lege duodecim tabularum permissum est parentibus liberis suis, sive feminini, sive masculini sexus, si modo in potestate sint, tutores testamento dare; » et concordat § *Permissum est* 3, instilut. *De tutelis*, cum similibus.

(33. Pater, etiamsi fuerit minor XXV annis, potest filiis suis dare testamento tutorem, si perpenso consilio id præstet; et ratio est, quia tales filii ita sunt sub ejus patria potestate, ac si ipse esset major XXV annis, unde sicuti pater major XXV annis potest tutorem dare filiis sub sua patria potestate exsistentibus per jura mox adducta, ita etiam pater minor XXV annis, dummodo perpenso consilio id præstet; Angelus Aretinus in § *Furiosus*, n. 2, instit. *Qui testamento tutores dari possunt;* Montanus, *De tutoribus et curatorib.*, cap. 8, n. 5; Romanus, singul. 70, incip. *Adultus;* Joan. Gutierez, *De tutor. et curator.*, part. I, cap. 3, n. 11 ; Rosignol., *loc. cit.*, prænot. 5, n. 2, et alii.

(34. Si autem pater fuerit adhuc ipse sub patria potestate, quamvis fuerit major XXV annis, non potest filiis suis tutorem dare. Exsistente enim patre sub patria potestate, sunt sub eadem etiam ipsius filii, et sic nepotes ex filio respectu avi, per text. in l. *Nam civium*, ff. *Qui sunt sui vel alieni juris*, leg. *Si maritus*, cod. *De patria potestate*, cum similibus. Pater autem potest solum tutorem dare filiis exsistentibus sub sua potestate ex cit. l. *Lege duodecim* 1, ff. *De testamentaria tutela*, ibi : « Si modo in potestate sunt, » cum similibus, adeoque pater adhuc exsistens sub patria potestate, cum sui filii non sint sub ejus potestate, sed sub potestate avi, non potest ejus testamento tutorem constituere, Montanus, *De tutor. et curator.*, cap. 3, n 47; Carolus Philippus Corneus, consil. 129, n. 9 et 10, vol. I; Rosignol, *loc. cit.*, prænot. 5, n. 6, et alii.

(35. Potest pater, superstite matre, filiis suis impuberibus testamento tutorem dare, ipsa matre exclusa. Habetur clare ex authent. *Matri et aviæ*, cod. *Quando mulier tutelæ officio fungi possit*, ibi : « Matri et aviæ secundum ordinem tutelam etiam ante agnatos subire permittimus... solis testamentariis tutoribus eas præcedentibus, legitimis et dativis postpositis : defuncti namque voluntatem præponi volumus; » Rot., part. IV, recent., tom. II, decis. 435, n. 10.

(36. Mater, qua mater est, non potest filiis testamento tutorem constituere, leg. *Mater* 4, cod. *De testamentaria tutela*, leg. *Pater* 4, ff. eod., l. *Mulier* 2, ff. *De confirmando tutore;* Montanus, *De tutor. et curator.*, cap. 8, n. 38 et cap. 24, n. 18; Marianus Socinus, consil. 59, n. 29, lib. III ; Angelus Aretinus, in tract. *De testament.*, verb. *Tutores autem;* Santelicius, decis. 206, n. 3; Decius, in leg. *Quo tutela*, n. 2, ff. *De regul. jur.*, et alii : et ratio est quia jura permittunt parentibus testamento constituere tutores filiis, et nepotibus, si illos habeant in potestate, textu expresso in l. *Lege duodecim* 1, ff. *De testamentaria tutela*, l. *Ut ne* 1, § 1, ff. *De confirmando tutore*, § *Permissum* 3, instit. *De tutelis*. Mater autem, qua talis est, non habet liberos in potestate, § *Cæteri* 3, instit. *De hæredum qualitate et differentia*, et § *Feminæ* 10, institut. *De adoptionib.*, adeoque mater, qua mater est, non potest filiis testamento tutorem constituere.

(37. Dicitur autem notanter *mater, qua mater est*, quia si mater in testamento filium hæredem instituat, et simul tutorem ei constituat, erit recte constitutus tutor et a judice cum inquisitione confirmandus, l. *Mater* 4, cod. *De testamentaria tutela*, ibi : « Mater testamento filiis tutores dare non potest, nisi eos hæredes instituerit, » leg. *Pater* 4, ff. *De testamentaria tutela*, ibi : « Pater hærede instituto filio vel exhæredato, tutorem dare potest, mater autem non nisi instituto quasi in rem potius quam in personam tutorem dare videatur, sed et inquiri in eum, qui matris testamento datus est tutor, oportebit. »

(38. Item quilibet extraneus, si impuberem hæredem instituat, tutorem ei constituere potest, a judice cum inquisitione confirmandum. Leg. *Si patronus* 4, et l. *Tutores* 5, ff. *De confirmando tutore.*

(39. Item patronus, si libertum hæredem instituat, potest ei tutorem constituere, a judice probabilius cum inquisitione confirmandum, leg. *Si patronus* 4, ff. *De confirmando tutore;* quinimo plurimi doctores citati et secuti a doctissimo Rosignolo, *l. c.*, contract. 16, disq. 2, § 6, n. 5, docent posse patronum tutorem constituere suo liberto, sive ipsum hæredem instituerit, sive non instituerit.

(40. Pater potest in testamento dare tutorem filiis suis quemcunque sibi benevisum; unde licet femina sit incapax a jure per textum in l. *Feminæ* 18, ff. *De tutelis*, l. *Tutelam* 1, cod. *Quando mulier tutelæ officio*, tamen ex voluntate testatoris potest tutelam exercere per text. in l. *Liberto* 31, § 6, ff. *De negotiis gestis*, ibi : « Quanquam mater filii negotia secundum patris voluntatem pietatis fiducia geret; » et ibi doctores, quos allegat et sequitur Rota, part. II, recent., tom. II, dec. 435, n. 6, ubi n. 17 et 18, subjungit quod licet femina non possit esse tutrix ob imminentiam litium, hoc tamen non procedit in tutrice data a testatore, cum ejus fides videatur approbata a testatore, verisimiliter non ignorante litium occasionem.

(41. Si pater in suo testamento constituit tutorem filiis et filiabus, tutela extenditur etiam ad posthumos et posthumas, textu expresso in § *Si quis filiabus* 5, inst. *Qui testamento tutores dari possunt*, l. *Si quis filiabus* 5, ff. *De testamentaria tutela*, cum similibus.

(42. Si pater in testamento constituit tutorem pro filiis, tutela extenditur etiam ad filias; textu expresso in l. *Si quis ita* 16, ff. *De testamentaria tutela*, cum similibus.

Digitized by Google

(43. Si pater in testamento constituit tutorem filio et plures habuerit, tutela extenditur ad omnes ejusdem filios, textu expresso in c. l. *Si quis ita* 16, § 1, cum similibus.

(44. Si pater filiis suis testamento tutores dederit, censetur et nepotibus consuluisse, modo isti in potestate patris non sint relapsuri; secus si filiis, retento proprio nomine filiorum, textu expresso in § *Filiabus* 5, inst. *Qui testamento tutores dari possunt*, ibi: « Quod si nepotes sint; an appellatione filiorum, et ipsis tutores dati sint? dicendum est, ut et ipsis quoque dati videantur, si modo *liberos*, dixerit, cæterum si *filios*, non continebuntur, aliter enim filii, aliter nepotes appellantur; » et sic expresse concordat etiam l. *Quid si* 6, ff. *De testamentaria tutela*.

(45. Pater filiis sub patria potestate non exsistentibus, sed emancipatis, non potest constituere tutorem simpliciter, cum ad id requiratur patria potestas ex § *Permissum* 3, inst. *De tutelis*. l. *Lege duodecim* 1, ff. *De testamentaria tutela*, l. *Ut ne* 1, ff. *De confirmando tutore*, sed solum potest ipsis tutorem constituere a judice confirmandum, et quidem sine inquisitione, textu expresso in § *Sed et si* 5, ff. *De tutelis*, ibi : « Sed et si emancipato filio tutor a patre datus fuerit testamento, confirmandus est ex sententia præsidis omnimodo, id est sine inquisitione. »

(46. Pater nequit filio suo naturali et illegitimo dare tutorem testamento, nisi vel illum hæredem instituat, vel aliquid eidem relinquat, textu expresso in l. *Naturali filio* 7, ff *De confirmando tutore*, ibi : « Naturali filio, cui nihil relictum est, tutor frustra datur a patre, nec sine inquisitione confirmatur. » Et ratio inter alias est, quia ad constituendum tutorem testamento filiis requiritur patria potestas, ex citatis juribus *supra*, n. 43. Filius autem naturalis et illegitimus non est in potestate patris, textu expresso in § *Si adversus* 12, et § *Aliquando* 13, inst. *De nuptiis*.

(47. Regulariter in testamento dari nequit tutor quoad exercitium tutelæ, qui non attigerit 25 annum suæ ætatis, textu expresso in § *Item major* 13, inst. *De excusat. tutorum*, ibi : « Minores autem XXV annis olim quidem excusabantur, nostra autem constitutione prohibentur ad tutelam, vel curam aspirare, adeo ut nec excusatione opus sit, » et § *Furiosus* 2, inst. *Qui testamento tutores*, ibi : « Furiosus, vel minor XXV annis tutor testamento datus, tutor tunc erit, cum compos mentis, aut major XXV annis tutor fuerit factus. »

(48. Filiusfamilias, non obstante quod sit sub patria potestate, si habeat cæteras conditiones ad hoc requisitas, non interdicitur a munere tutelæ, textu expresso in princ. instit. *Qui testamento tutores dari possunt*, ibi : « Dari autem tutor potest testamento, non solum paterfamilias, sed etiam filiusfamilias. » Et concordat l. *Filiusfamilias* 9, ff. *De his qui sui vel alieni juris sunt* : « Filiusfamilias in publicis causis loco patrisfamilias habetur, veluti si magistratum gerat, vel tutor detur. »

(49. Servus durante servili sua conditione, nequit testamento tutor constitui, textu expresso in l. *In servili* 7, cod. *Qui dari tutores, vel curatores possunt*. Et concordat l. *Qui tutelam* 38, § 1, ff. *De testamentaria tutela*, et § *Sed et servus* 1, inst. *Qui testamento tutores dari possunt*. (50. Si autem servus constituatur tutor a proprio domino cum scientia servitutis, intelligitur actu prævio liberari a servitute, et sic recte tutor constituitur, textu expresso in cit., § *Sed et servus* 1, inst. *Qui testamento tutores*, etc. (51. Si vero sit servus alienus, solum cum liber erit habebitur verus tutor, textu expresso in cit. § *Sed et servus*, et in cit. l. *Qui tutelam* 38, § 1, ff. *De testamentaria tutela*.

(52. Episcopi et monachi nequeunt esse tutores testamentarii, textu expresso in authent. *De sanctissimis episcopis*, seu novella 123, c. 5, ibi : « Deo autem amabiles episcopos et monachos ex nulla lege tutores aut curatores cujuscunque personæ fieri permittimus. » Rota, part. IV, rec., tom. II, dec. 116, num. 16, et p. 16, decis. 252, n. 19.

(53. Imo neque sacerdotes, aliique clerici in sacris constituti possunt esse tutores testamentarii. Bartolus authent. cit., cap. 5, n. 1; Abbas, in cap. *Non eo minus*, n. 15, De immun. eccles.; Bertrandus, cons. 716, part. II, lib. II; Alciatus, præsumpt. 18, reg. 3; Guttierez, *De tutor.*, part. I, cap. 1, num. 39; Carolus de Grassis, *De effectibus cleric.*, cap. 15, a n. 1 usque ad 16; Rosign., *loc. cit.*, prænot. 6, n. 14, cum plurimis aliis ibi allegatis, et colligitur etiam ex cit. authent., cap. 5, ubi licet sacerdotibus, diaconis et subdiaconis videatur concedi facultas ad tutelam, hæc tamen facultas restringitur ad tutelam legitimam, ut ipsiusmet verba indicant, et interpretes passim intelligunt.

(54. Sacerdoets igitur, aliique clerici sæculares, licet non possint esse tutores testamentarii, possunt tamen esse tutores legitimi, cit. authent. seu novella 123, c. 5, ibi : « Presbyteros autem, et diaconos et subdiaconos jure et lege cognationis tutelam, aut curam suscipere hæreditatis permittimus proprie et solo gradu cognationis ad tutelam et curam vocatis, hujusmodi suscipere administrationem permittimus. » Et concordat cap. *Pervenit* ultim., dist. 86, et tenent passim doctores; et ratio cur clericis sæcularibus permittitur tutela legitima, non autem testamentaria, est stricta lex agnationis, cognationis et sanguinis, quæ adeo indita est humanis cordibus, ut vix videatur posse evelli, et ideo ex benigna jurium indulgentia permittitur eis tutela legitima et non testamentaria, in qua non viget sic strictum vinculum sanguinis.

(55. Episcopi autem et monachi nequo possunt esse tutores legitimi, ut patet ex cit. authent. seu novella 123, cap. 5, per verba adducta supra n. 52. Et ratio est quia episcopalis cura adeo gravis et urgens est, et stricta erga Deum, ut excludat omnimo-

Digitized by Google

dam curam temporalem, et cum sit in ordine ad Deum, et ad bona spiritualia, præ-valere debet cuicunque temporali. Et monachi ex vi proprii instituti intelliguntur sæculo mortui, et soli Deo vivere, unde nullatenus decet eos externis publicis curis implicari, can. *Monachis* 35, caus. 16, q. 1.

(56. Qui habet bona indivisa cum pupillis, potest eorumdem esse tutor testamentarius, si testator noverit talem indivisionem: testator enim ipsum eligens cum plena cognitione talis indivisionis, videtur absolute fidere ejus personæ, ipsiusque fidem totaliter approbare per text. in leg. *Tres tutores* 55, § final. ff *De administratione tutor*. Unde testamentarii tutores satisdare non coguntur, institut. *De satisdatione tutorum* in principio, ibi: « Nam tutores testamento dati satisdare non coguntur, quia fides eorum, et diligentia ab ipso testatore approbata est. »

(57. Item creditor et debitor potest testamento tutor constitui, si testator plenam cognitionem habuerit de tali credito et debito, arg. dict. et allegatis juribus, num. antecedenti.

(58. Civis alterius civitatis potest constitui tutor testamentarius pupillorum alibi degentium, textu expresso in l. *Quæro* 32, ff. *De testamentaria tutela*, ibi: « Quæro an, non ejusdem civitatis cives testamento quis tutores dare possit: Paulus respondit posse. »

* Licet ex sen. cons. Liboniano tutor esse non possit, qui se testamento tutorem pupillo scripsit, nihilominus si testatoris voluntas non ambigua sit, et tutor mediante judicis decreto idoneus reputetur, admittendus est. Nec ulla ejus excusatio valet, quia consensisse videtur voluntati testatoris l. 29, ff. *De testam. tut.*, l. 18, § 1, ad leg. Corn. *De fals. Paul.*, lib. III *Sentent.* *

(59. Mutus nequit esse tutor, textu expresso in leg. *Tutela* 1, § 22, ff. *De tutelis*, ibi: « Mutus tutor dari non potest, quoniam auctoritatem præbere non potest, » leg. *Agnato* 10, ff. *De legitimis tutoribus*, ibi: « Surdus et mutus nec legitimi tutores esse possunt, cum nec testamento, nec alio modo utiliter dari possint. »

(60. Item nec surdus potest esse tutor, textu expresso in citat. leg. *Tutela* 1, § 3, *De tutelis*, ibi: « Surdum non posse dari tutorem; » plerique, et Pomponius lib. LXIX ad edictum probant, quia non tantum loqui, sed audire tutor debet; et cit. l. *Agnato*, per verba n. antecedenti adducta.

(61. Furiosus, durante furore, et amens durante amentia, nequit esse tutor, textu expresso in § *Furiosus* 2, institut. *Qui testamento tutores dari possunt*, et leg. *Furiosus* 11, ff. *De tutelis*.

(62. Item prodigus tutor esse non potest, leg. *His qui* 12, § 2, ff. *De tutoribus et curatoribus datis ab his*, et arg. l. *Nemo* 5, cod. *De legitima tutela*.

(63. Feminæ, quamvis de jure nequeant ordinarie esse tutrices, possunt tamen ex voluntate testatoris tutelam exercere per dicta et jura adducta *supra*, num. 40.

(64. Si maritus in testamento uxorem tutricem filiorum constituerit etiam in casu secundarum nuptiarum, non est necesse quod eadem uxor renuntiet secundis nuptiis: quamvis enim mater transiens ad secundas nuptias, ipso jure privetur tutela filiorum prioris matrimonii, per text. in authent. *Sacramentum*, cod. *Quando mulier tutelæ officio*, l. *Si pater* 3, cod. eod., l. *Lex, quæ tutores*, § *Lex enim*, cod. *De administr. tutor.*, et authent. *Ut sine prohibitione*, vers. *Propterea igitur*, collat. 7, tamen dicta jura procedunt solummodo, vel quoad tutelam legitimam, vel quando aliter non est dispositum a testatore, qui potest quamcunque legem juri non repugnantem pupillis et rebus suis statuere, cum provisio hominis cessare faciat provisionem legis, l. final., cod. *De pact. convent.*, l. *Et habes*, § *Cum quis*, ff. *De precario*. Ubi patet de tutore, qui ex dispositione legis satisdare tenetur rem pupilli salvam fore finita tutela, per text. in princip. inst. *De satisdatione tutorum*, et l. *Sciendum* 1, l. *In dubium* 3, cod. *De tutore, qui satis non dedit*, cum similibus; tamen ad hoc onus tenetur, quando a testatore fuit liberatus, ut communiter tradunt doctores per textus in cit. juribus, cum similibus.

(65. Secus autem est dicendum, si maritus simpliciter eam constituerit tutricem testamentariam, quia talis simplex dispositio sine ullo adjecto intelligitur facta secundum dispositionem juris; jus autem disponit quod mulier, ut valide suscipiat tutelam, teneatur renuntiare secundis nuptiis, ex senatusconsulto Vellejano, textu expresso in l. *Si pater* 3, cod. *Quando mulier tutelæ officio*, et quod si transeat ad secundas nuptias, ipso jure privetur tutela filiorum prioris matrimonii, ut ex cit. juribus in principio num. antecedentis. * Si mater vero nullo testamentario tutore dato vel illo excusato aut rejecto, tutorem filio suo impuberi non petierit, et ad secundas convolaverit nuptias, a successione filii privatur, l. 23, § 2, ff. *Ad sen. cons. Tertyll.*, l. 6, c. *ad sen. cons. Tertyll.* *

(66. Tutela legitima competit proximiori pupilli, text. expresso in § *Cum autem* 7, institut. *De capitis diminutione*, l. *Legitimæ tutelæ* 1, ff. *De legitimis tutoribus*, cum similibus. (67. Et si plures fuerint in eodem gradu, omnes debent admitti ad ipsam tutelam, textu expresso in leg. *Si plures* 9, ff. *De legitimis tutoribus*.

(68. Mater in tutela filiorum impuberum non præfertur avo paterno. Colligitur aperte *ex* § *Permissum est* 3, institut. *De tutelis*, ex leg. *Lege duodecim* 1, leg. *Si hæreditas* 10, § 2, ff. *De testamentaria tutela*, ubi habetur quod avus paternus, mortuo filio, et adhuc superstite nuru, potest testamento dare nepotibus ex eodem filio et nuru tutorem, etiam ad exclusionem ejusdem nurus; adeoque, exsistente avo paterno simul cum nuru matre filiorum impuberum, avus ipse paternus erit præferendus; cum enim hic possit dare alium tutorem ad exclusionem ejusdem nurus a tali tutela, a fortiori

Digitized by Google

poterit ipsemet dictam tutelam exercere ipsa nuru exclusa.

(69. Præfertur tamen mater in tutela filiorum avo materno. Sic tacite videtur sentire Glossa in authent. *Matri et aviæ*, vers. *Item quid sit*, cod. *Quando mulier tutelæ officio*, ubi dicit quod *si fuerit mater et avus, præponitur avus paternus;* unde cum in suppositionem talis propositionis indefinitæ, quod *si fuerit mater et avus*, limitet prælationem solum in favorem avi paterni, videtur ipsam prælationem denegare avo materno. Et hoc suadet aperta ratio, quia in tantum conceditur prælatio avo paterno, et denegatur materno, quia majora substant onera illi quam isti. Ille enim per prius in concursu cum matre tenetur nepotes alere, et neptes dotare; iste vero, scilicet maternus, nisi per posterius ad matrem; et insuper in illo salvatur ratio agnationis, respectu cujus major sollicitudo et cura præsumitur, in isto vero nequaquam, cum sit alterius agnationis. Unde jura videntur magis fidere ascendentibus per virilem sexum, quam ascendentibus per femineum. Sic expresse Rosignolus, *loc. cit.*, prænot. 10, n. 15, et alii.

(70. Item mater præfertur aviæ sive paternæ, sivæ maternæ; et ratio est clara, quia, cæteris paribus, ille præferendus est in munere tutelæ, qui proximior est in gradu ascendentis, et linea, arg. § *Cum autem* 7, institut. *De capitis diminutione*, leg. *Legitimæ tutelæ* 1, ff. *De legitimis tutoribus*, cum similibus, ubi statuitur quod tutela legitima competat proximiori pupilli: atqui mater comparative ad aviam, sive paternam, sive maternam proximior est in linea et gradu ascendentis: ergo est ipsa præferenda. Nec valet dicere, quod sicuti matri præfertur avus paternus, ita etiam debeat ipsi præferri avia paterna. Non valet, inquam, quia in ordine ad tutelam diversa est omnino ratio de avia, ac de avo paterno in ordine ad matrem: perpensius enim consilium et salubrius judicium consideratur in avo paterno comparative ad matrem, ac consideretur in avia paterna comparative ad eamdem matrem in ordine ad administrationem pupillorum ac eorumdem substantiæ; tum quia feminæ non admittuntur ad tutelam, leg. *Femina* 18, ff. *De tutelis*, l. *Tutelam* 1 cod. *Quando mulier tutelæ officio*, cum similibus. Et solum ex speciali privilegio est id concessum matri et aviæ, authent. *Ut liceat matri et aviæ*, et authent. *Matri et aviæ;* cod. *Quando mulier tutelæ officio*, etc. (71. Privilegium autem in ordine ad easdem intelligendum est cum ordine successivo ad normam aliorum tutorum legitimorum, inter quos præferuntur semper proximiores in gradu, § *Cum autem* 7, institut. *De capitis diminutione*, leg. *Legitimæ tutelæ* 1, ff. *De legitimis tutoribus*, cum similibus, adeoque cum mater comparative ad aviam, sive paternam, sive maternam, proximior sit in linea et gradu ascendentis, debet omnino præferri. Sic docent Montanus, *De tutoribus et curatorib.*, cap. 15, n. 6; Menochius, *De arbitror. judic.*, lib. II, cent. 3, casu 150, n. 3; Marcus Antonius Sabellius, in *Summa divers. tract.*, in verb. *Tutelæ*, n. 8, vers. *Quod tutela legitima;* Corneus, consil. 274, n. 1, l. 3; Rosignolus, *loc. cit.*, n. 9 et 10, et alii.

(72. Avia paterna, præsertim in Italia, præferenda est maternæ. Sicut enim avus paternus, non obstante identitate gradus et sexus, præfertur materno in munere tutelæ, ita etiam avia paterna præferenda est maternæ, ut servetur ordo; quamvis enim in novella 118 Justiniani imperatoris, sit sublatum antiquum jus agnatorum, et sit novum jus conditum, quod nempe tam agnati quam cognati, qui proximi sunt, et idonei ad tutelam, ut hæredes, ita et tutores esse debeant: tamen per universam fere Italiam ex juribus municipalibus et consuetudinariis agnati etiam quoad successionem præferuntur cognatis, quibus stantibus videtur ibi adhuc vigere jus antiquum, quo scilicet prælatio detur agnatis. Sic testantur et tenent Minsyngerius, instit. *De legitim. agnator. succession.;* Montanus, *De tutorib. et curator.*, cap. 15, n. 46; Rosignol., *loc. cit.*, n. 13, 19 et 28, ac alii plures.

(73. Non exsistente avia paterna, nec materna, admittenda est ad tutelam proavia, arg authent. *Ut liceat matri et aviæ*, et authent. *Ut matri et aviæ*, cod. *Quando mulier tutelæ officio*, etc. Proavia enim proprie venit nomine aviæ, per text. in l. *Appellatione* 51, ff. *De verbor. significat.*, ibi: « Appellatione parentis non tantum pater, sed etiam avus et proavus, et deinceps omnes superiores continentur, sed et mater, et avia, et proavia. » Sic Bartolus in l. *Si quis sub conditione*, n. 16, ff. *De testamentaria tutel.;* Joannes Gutlierez, *De tutor.*, part. I, cap. 8, n. 17; Rosignol., *loc. cit.*, n. 14, et alii passim.

(74. Item in concursu avi materni cum avia materna præfertur avus; in omnibus enim aliis, cæteris paribus, masculi præferuntur feminis, ut patet in concursu patris et matris, in concursu avi paterni et aviæ maternæ, in concursu fratrum et sororum, quia in masculis consideratur perpensius consilium et salubrius judicium, quam in feminis, quoad administrationem pupillorum, eorumque substantiæ. Bartolus, in l. *Si quis sub conditione*, n. 6, ff. *De testamentaria tutela;* Montanus, *De tutoribus et curator.*, cap. 15, n. 47; Decius consil. 188, n. 1 et 2; Rosignol., *loc. cit.*, n. 16, et alii.

(75. Mater etiam tantum naturalis præfertur in omnibus casibus, in quibus præfertur mater legitima. Sic Glossa communiter recepta in authent. *Matri et aviæ*, verb. *Matri*, cod. *Quando mulier tutelæ officio*, per clarum text. in novella 94, cap. 1 in fine, et l. *Si pater* 3, cod *Quando mulier tutelæ officio*.

(76. In concursu patris et matris naturalis præfertur mater; mater enim naturalis semper est certa, et jura cognationis semper cum filiis retinet, et sicut filii naturales, et etiam spurii succedunt matri, per text. in

Digitized by Google

l. *Modestinus*, l. *Hac parte*, l. *Spurius*, ff. *Unde cognati*. ita etiam mater eisdem filiis succedit, per text. in cit. l. *Hac parte*, et l. *Spurius*, ff. *Unde cognati*. Unde quoad matrem pro legitimis habentur, l. *Si suspecta* 29 § 1, ff. *De inofficioso testamento*. Adeoque, cum hæc non verificentur respectu patris naturalis, stat quod ipsi sit præferenda naturalis mater. Bartolus, in authentic. *Matri* et *aviæ*, n. 3, cod. *Quando mulier tutelæ officio;* Montanus, *De tutor. et curator.*, cap. 15, n. 26 et seq.; Angelus, *De legitima patron. tutela*, n. 6, Rossignol., *loc. cit.*, n. 20, et alii.

(77. Excipe tamen in casu, quo filii naturales essent a patre legitimati, quia tunc debet præferri pater, cum filii legitimati, necdum per subsequens matrimonium, sed etiam per rescriptum principis habeantur tanquam veri legitimi, adeoque sicuti pater præfertur respectu filiorum legitimorum, ita etiam respectu legitimatorum. *Communis.*

(78. In concursu matris et aviæ cum fratre majori filiorum et nepotum, ordine successivo præferuntur mater et avia, textu expresso in cit. authent. *Matri et aviæ*, cod. *Quando mulier tutelæ officio*, ibi : « Matri et aviæ secundum ordinem tutelam etiam ante agnatos subire permittimus. »

(79. Item mater et avia præferuntur etiam patruis. Decius in cap. *Ex parte*, De appellatione, et consil. 16; Gualdus, *De cautel. ultim. volunt.*, tit *De tutorib.*, cautel. 1; Rossignol., *loc. cit.*, n. 23, et alii per text. in cit. authent. *Matri et aviæ*.

(80. Comparando fratres utrinque conjunctos cum patruis etiam ex parte patris, præferuntur fratres, si fuerint majores. *Communis*. Consanguinei enim proximiores præferuntur remotioribus, textu expresso in § *Cum autem* 7, institut. *De capitis diminutione;* l. *Legitimæ tutelæ* 1, ff. *De legitimis tutoribus*, cum similibus.

(81. Frater utrinque conjunctus in tutela fratrum suorum impuberum præfertur fratri ex uno tantum latere conjuncto : in fratre enim utrinque conjuncto præsumitur major propensio et affectio intensior erga fratres, et sic etiam major sollicitudo, ac cura, quam sit in alio fratre ex uno tantum latere conjuncto, adeoque est præferendus; Baldus in l. *De emancipatis*, cod. *De legitim. hæredib.;* Stephanus Gratianus, *Disceptat. forens.* cap. 671, num. 19; Rosignol., *loc. cit.*, num. 25, et alii.

(82. Concurrentibus duobus fratribus utrinque conjunctis et habilibus, uterque æque primo admittendus est ad tutelam, etiamsi unus respectu alterius sit minoris ætatis; cum enim omnes sint in eodem gradu, et capaces administrationis tutelæ respectu impuberum, et æquale jus habeant succedendi, sic etiam æqualiter debent ad dictam tutelam admitti, per text. in l. *Si plures*, ff. *De legitimis tutoribus*, ibi : « Et si eodem gradu plures sint, omnes tutelam nanciscuntur. »

(83. Concurrentibus agnatis et cognatis secundum modernam dispositionem juris communis admittuntur ad tutelam proximiores in gradu, nulla habita ratione cognationis et agnationis, textu expresso in novella 118, cap. 5. (84. Secundum autem consuetudinem, et jura municipalia totius fere Italiæ præferuntur agnati cognatis. Mynsingerius institut. *De legitima agnatorum successione;* Montanus, *De tutor. et curatorib.*, cap. 15, num. 48; Rosignol., *loc. cit.*, n. 28, et alii. Vide *supra*, num. 72.

(85. Tutor, sicuti et curator, cum primum judicis auctoritate interveniente, bonorum administrationem suscepit, inventarium conficere debet, textu expresso in l. *Tutor* 7, ff. *De administratione tutorum et curatorum*, et l. *Tutores vel curatores* 24, cod. eodem.

(86. Talis inventarii confectio debet præcedere administrationem, exceptis tamen aliquibus casibus necessitatis, et signanter casu quo res aliqua non admitteret dilationem, ex quo posset statim periclitari, cujusmodi sunt fructus, et alii similia, quæ sunt obnoxia corruptioni, cit. leg. *Tutor* 7, ff. *De administrat. tutor. et curator.* in princip., ibi : « Nihil itaque gerere ante inventarium factum eum oportet, nisi id quod dilationem nec modicam exspectare possit; » et concordat l. *Veteris juris* 13, § 1, cod. *Arbitrium tutelæ*.

(87. Non tenetur tamen tutor inventarium conficere casu quo testator id ei remiserit, aut vetuerit. Montanus, *De tutor. et curator.*, cap. 32, regul. 5, num. 26; Julius Clarus, in § *Testamentum*, q. 66; Baldus in l. *Cum tale*, § *Titius*, ff. *De condit. et demonstrat.;* Jason., in l. *Nemo potest*, num. 65 et seq., ff. *De legatis* 1; Sebastianus Mantic., *De inventar.*, cap. 1, num. 44; Practic. Papiens. in *Forma reddit. ration. tutor.*, gloss. num. 15; Rosignol., *l. cit.*, part. II, contract. 17, prænot. 4, num. 22, et alii per text. in l. *Veteris juris* 12, § 1, cod. *Arbitrium tutelæ*, ibi : « Nisi testatores, qui substantiam transmittunt, specialiter inventarium conscribi vetuerint : » tunc enim præsumenda est regulata testatoris dispositio; vel quia per hoc præsumitur consulere utilitati pupillorum, per text. in l. *Nec in ea* in fin., ff. *De adult*, vel ne forte secreta patrimonii sui pandantur, leg. *Quod plerumque* 2, cod. *De alimentis pupillo præstandis*.

(88. Curatores iis omnibus dari possunt, qui suis rebus superesse non possunt, textu expresso in § *Sed et mente captis* 4, institut. *De curatoribus*, l. *His qui* 12, ff. *De tutoribus et curatoribus datis ab his qui*, l. *Sed et aliis* 2, ff. *De curatoribus furioso, et aliis*.

(89. Generaliter loquendo curatores dantur minoribus, qui excesserunt annum XIII, nec pervenerunt ad XXV, instit. *De cur.* in princip., institut. *Quibus modis tutela finitur*, in princip., l. *Nisi* 4, in princip., ff. *De tutel. et rationib. distrahend.*, l. *Si curatores* 1, cod. *Quando tutores et curatores esse desinant*.

(90. Curatores dari possunt furiosis et mente captis, etiamsi excesserint XXV suæ

Digitized by Google

ætatis annum; § *Furiosi* 3, et § *Sed et mente captis* 4, instit. *De curatorib.*, l. *Lege duodecim* 1, ff. *De curatorib. furioso, et aliis*, l. *De creationibus* 27, cod. *De episcopali audientia.*

(91. Si filiusfamilias inciderit in amentiam et furorem, licet fuerit emancipatus, pater erit legitimus curator, l. *Cum furiosus* 7, cod. *De curatore furiosi*, ibi: « Quis enim talis affectus extraneus inveniatur, ut vincat paternum? Vel cui alii credendum est res liberorum gubernandas, parentibus derelictis? »

(92. Si pater factus fuerit furiosus et amens, constituendus est ejus tutor filius ætate major, l. *Lege duodecim* 1, ff. *De curatoribus furioso, et aliis*, leg. *His qui* 12, ff. *De tutoribus et curatoribus datis*, et concordat lex *Furiosæ* 4, ff. *De curatoribus furioso, et aliis.*

(93. Item si mater facta fuerit furiosa et amens, est ei dandus filius curator, textu expresso in cit. l. *Furiosæ* 4, De curatoribus furioso, et aliis, ibi: « Furiosæ matris curatio ad filium pertinet. Pietas enim parentibus, etsi inæqualis est eorum potestas, æqua (seu æqualis) debebitur. »

(94. Curatores dari possunt prodigis, l. *Lege duodecim* 1, ff. *De curatoribus furioso et aliis*, leg. *Dabimusque*, § *Sed æquissimus*, ff. *De privileg. credit.* (95. Et ad dandos tales curatores sufficit, quod prodigorum conjuncti habentes notitiam de eorum prodigalitate, eos petant; leg. *De tutela* 7, cod. *De in integrum restitut. minor.* (96. Imo etiam nemine petente, potest judex ex officio, si notorie constet de prodigalitate, curatorem dare tali prodigo; quia prodigus æquiparatur furioso, cit. l. *Lege duodecim* 1, ff. *De curatoribus furioso, et aliis*, l. *Fulcinius* 7, § 9, 10, 11 et 12, ff. *Quibus ex causis in possessionem eatur*, cum similibus.

(97. Curator dari potest assiduo lusori; ipse enim æquiparatur prodigo, cum bona sua inordinate exponat fortunæ alearum, aliorumque ludorum periculis. Unde jura adducta de prodigo faciunt etiam pro assiduo lusore. Decius, in cap. ultim. in fine, *De judiciis*; Pinellus, ad l. 4, et ultim. cod. *De bonis matern.*; Montanus, *De tutor. et curator.*, cap. 28, n. 49 cum seq.; Rosignol., *loc. cit.*, part. 1, contract., 17, prænot. 27, n. 67, et alii.

(98. Item curator dari potest feminæ prodigæ et luxuriose viventi; l. *Et mulieri* 15, ff. *De curatoribus furioso, et aliis*, et faciunt jura adducta de prodigis.

(99. Masculo tamen luxuriose viventi non interdicitur administratio. Speculator, in tit. *De auctore*, § 1; Albericus, et Cumanus in l. *Is qui bonis*, ff. *De verbor. significat.*; Felinus et Decius, in cap. *Personalis*, De judiciis; Jason, in l. 4, § *Sed eo quod meretrici*, ff. *De contradict. ob turpem causam*; Rosignol., *loc. cit.*, n. 71, et alii; jura enim plus deferunt feminæ luxurianti, quam masculo, l. *Lucius* 9, ff. *De jure fisci*, ubi fiscus aufert a femina fornicaria id quod ab amasio recepit ob copiam factam sui corporis, nec tamen in aliquo damnat masculum cum ipsa congredientem, et facit textus evangelicus *Joan.* VIII, 4, ubi fit a Scribis et Pharisæis fortis instantia pro condemnatione et punitione feminæ adulteræ, et nulla penitus de viro adultero, ibi: *Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare.* (100. Si autem masculus, nedum luxuriose, sed et prodige viveret, posset ei dari curator uti prodigo per jura adducta *supra* n. 94 et seq.

(101. Maritus non potest dari curator uxori suæ, textu expresso in l. *Virum* 14, ff. *De curatorib. furioso, et aliis*, ibi: « Virum uxori mente captæ curatorem dari non oportet, » l. *Maritus* 2, cod. *Qui dare tutores vel curatores possunt*, ibi: « Maritus, etsi rebus uxoris suæ debeat affectionem, tamen curator ei creari non potest. »

(102. Curatores dari possunt captivis quantumvis majoribus, textu expresso in l. *Muto* 6, ff. *De tutelis*, § 4 in fine, ibi: « Imo curator substantiæ dari debet, ne in medio pereat. »

(103. Item propter eamdem rationem possunt dari curatores absentibus. Arg. cit. l. *Muto*, § 4. Alexander, consil. 4, lib. II, et consil. 221, n. 5, lib. VI; Decius, consil. 275, n. 4; Angelus, consil. 193, *Mortuo debitore*; Rosignol., *loc. cit.*, n. 73, et alii.

(104. Item curatores dari possunt mutis et surdis, textu expresso in § *Sed et mente captis* 4, institut. *De curatoribus*, l. *Nec mandante* 8, § 3, ff. *De tutoribus et curatoribus datis*; l. *Cui eorum*, § *In curatoribus*, ff. *De postulando*, l. *Vel surdo*, ff. *De privileg. credit.*

(105. Curatores et tutores regulariter tenentur satisdare, seu idoneam fide jussionem præstare, res minorum et pupillorum salvas fore, textu expresso in princip. instit. *De satisdatione tutorum et curatorum.* l. *Et de die* 8, ff. *Qui satisdare cogantur*, § 4, et concordat tot. titul., ff. *Rem pupilli vel adolescentis salvam fore*, cum similibus.

(106. Excipiuntur tamen tutores testamentarii, textu expresso in cit. institut. *De satisdatione tutorum et curatorum*, in princip., ibi: « Nam tutores testamento dati satisdare non coguntur, quia fides eorum, et diligentia ab ipso testatore approbata est. »

(107. Item, variis aliis relictis apud juristas videndis, excipiuntur etiam tutores et curatores dati ex inquisitione, textu expresso in cit. instit. *De satisdatione tutor. et curator.*, in princip., ibi: « Item ex inquisitione tutores vel curatores dati satisdatione non onerantur, quia idonei electi sunt. »

(108. Tutores et curatores tenentur administrare bona pupillorum et minorum tali cura et diligentia, qualem providus paterfamilias suis bonis adhibere solet, textu expresso in l. *A tutoribus* 33, ff. *De administratione tutor. et curator.*, ibi: « A tutoribus et curatoribus pupillorum eadem

Digitized by Google

diligentia exigenda est circa administrationem rerum pupillarium, quam paterfamilias rebus suis ex bona fide præbere debet.»

(109. Tutores et curatores tenentur operam dare, ut ex bonis immobilibus ab ipsis administratis fructus consueti proveniant, bona mobilia minus utilia vendere, pecuniam non otiosam relinquere, sed eam in utilem et tutam prædiorum emptionem, et in annuos reditus ad pupillorum et minorum emolumentum convertere; quibus culpabili eorum incuria neglectis, obligantur ad restitutionem totius interesse, textu expresso in l. *Tutor* 7, § 1. ff. *De administratione et periculo tutor. et curator.*, ibi: « Si tutor cessaverit in distractione earum rerum quæ tempore depereunt, suum periculum facit; debuit enim confestim officio suo fungi. » Et, *ibidem*, § 3, expresse habetur: «Si post depositionem pecuniæ comparare prædia tutores neglexerunt, incipient in usuras conveniri: quanquam enim a prætore cogi eos oportet ad comparandum, tamen si cessent, etiam usuris plectendi sunt, tarditatis gratia, nisi (si) per eos factum non est, quominus compararent. » Et concordat l. *Tutor* 13, l. *Si tutor* 15, l. *Si minoris* 25, l. *Ob fœnus* 49, ff. eod., l. *Tutores vel curatores* 24, cod. *De administratione tutor. vel curator.*, cum similibus.

(110. Ad nullum tamen interesse tenentur tutores et curatores, si factis debitis diligentiis pro implicanda in prædiis seu annuis reditibus pupillorum seu minorum pecunia, nulla eis certa et tuta occasio affulgeat, textu expresso in l. *Si pecuniam* 3, cod. *De usuris pupillaribus*, ibi: « Si pecuniam pupillarem neque idoneis hominibus credere, neque in emptionem possessionum convertere potuisti, non ignorabit judex usuras ejus a te exigi non oportere, » leg. *Cum plures* 12, § final., ff. *De administrat. et pericul. tutor.*, ibi: « Si tutor pecuniam pupillarem credere non potuit, quod non erat cui crederet, pupillo vacabit. »

(111. Salarium pro tutela accipere interdictum est tutoribus, præterquam si eis a judice constitutum sit, l. *A tutoribus* 33, § 3, ff. *De administrat. tutor.*, l. *Qui negotiationem* 58, § 4, ff. eod.; et docet Glossa in l. *In eos* 9, ff. *De tutelis;* Layman, lib. III, tract. 5, cap. 9, n. 2, vers. *Tutor sicuti*, et alii passim dicentes quod officium tutoris de jure debeat esse gratuitum.

(112. Nihilominus tamen non interdicitur judici, quin interveniente causa possit tutoribus congruum salarium, juxta qualitatem causæ, laboris et negotiorum gerendorum, et hujusmodi assignare, arg. cit. l. *A tutoribus* 33, § 3, ff. *De administrat. tutor.*, ibi: « Nisi ab eo, qui eum dat, certum salarium ei constitutum est; » et ibi Glossa et doctores, Bartolus in l. *In eis* 9, ff. *De tutelis*, et in l. *Athletæ*, § *Tutela*, ff. *De excusat. tutor.*; Cavalcan., *De tutore et curatore* n. 310; Corduba a Lara, in l. *Si quis a liberis*, § *Si mater*, n. 73, ff. *De liberis agnoscend.*; Surdus *De aliment.*, tit. 6, q. 14, n. 7; Rosignol., *loco cit.* part. II, contract. 17, prænot. 20, n. 2, et alii passim. Imo in variis regionibus ex dispositione jurium municipalium ibidem vigentium assignantur tutoribus certæ portiones. (113. Quinimo curator hæreditatis jacentis habet jus hypothecæ in bonis ejusdem hæreditatis pro suo salario cum prælatione quoad omnes alios creditores hæreditatis, licet anteriores. Matt. Medic., decis. 19, per tot.; Merlinus, *De pignorib.*, lib. III, q. 5, n. 30; Rosignol., *loc. cit.*, part. I, contract. 17, prænot. 27, n. 28, et alii.

(114. Si tutores et curatores ab initio assumptæ tutelæ et curæ salarium non petierint, nec de illo protestati fuerint, et postea illud petant, non est decernendum a judice pro præterito, sed tantum pro futuro. Socinus, consil. 196, col. ultim. lib. II; Joann. Guttierez, *De tutor. et curator.*, part. III, cap. 2, n. 4; Federic. de Senis, consil. 118, n. 2; Alexander, consil. 109, n. 1 et seq., lib. VI; Castrensis, consil. 346, lib. II; Rosignol., *loc. cit.*, part. II, contract. 17, prænot. 20, n. 13, et alii.

(115. Non possunt autem tutores et curatores sibi ipsis salarium constituere, cum solum sit ipsis permissum illud petere auctoritate et arbitrio judicis, arg. cit. l. *A tutoribus* 33, § 3, ff. *De administrat. tutor. et curator.*, ibi: « Nisi ab eo qui eum dat, certum salarium ei constitutum est. » Rosignol., *loc. cit.*, part. II, contract. 17, prænot. 20, n. 10, cum aliis ibi citatis, et alii passim.

(116. An et quando pupilli et minores possint sine auctoritate tutorum et curatorum contractus celebrare? Et an si aliquos sic celebraverint, obligentur ad illos, tum civiliter, tum naturaliter, seu tam in foro externo quam in foro interno, seu conscientiæ? *Vide* verb. CONTRACTUS, a num. 27 ad 35, et verb. MUTUUM, num. 20.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(117. Plura tametsi hic habeat auctor, plura nihilominus essent addenda. Sed præ angustis limitibus additionum vix tria adnotabimus. Primum est quod tempus tutelæ a lege præfinitum, ad ultimum usque momentum durat, ideoque non admittitur anticipata terminatio, quamvis ad breve tempus prætensa. Confer Rot., *in Imolen. Tutelæ super* 1 dub. 13 Junii 1735, et in confirmatoria 3 Junii 1736, *coram eminentissimo Bussio.*

(118. Alterum est quod tutor cogi haud potest a pupillo ad rationes administratæ tutelæ reddendas, si ipse pupillus effectus major, eum ab hac rationum redditione liberaverit. (119. Idque procedit etiam si liberatio hæc facta fuerit absque exhibitione computorum, dispunctione partitarum, et reliquatus, quia liberatio hoc modo faciendo respicit ipsam redditionem rationis, non item locum sibi vindicat in casu, in quo tutor liberatur ab ipsa redditione rationis. (120. Consule pariter Rot., *in Ferentina redditionis rationis* 23 Junii 1728, *cor. clar. mem. Millino*, ubi quod tutor seu quivis

Digitized by Google

alius administrator non potest lucrari hoc modo quoad futuram administrationem, ne detur occasio peccandi, potest vero quoad administrationem præteritam, secluso præsertim dolo.

(121. Tertium demum est quod tutor haud potest reportare cessiones contra pupillum, et ita quidem, ut si quas reportaverit, eæ cedant beneficio ipsius pupilli. (122. Intellige vero, si agatur de cessionibus a tutore reportatis mala fide, eo scilicet animo, ut lucrum faceret contra pupillum, ut sunt cessiones concernentes jura litigiosa vel minori pretio comparata. Confer idem supremum tribunal *in Romana censuum* 27 Junii 1738, § *Nec obstat, cor. clar. mem. Tanar.*, inter impressas decis. 120, num. 6

V

VACANS SEDES.

Vide verb. SEDES VACANS.

VACATIO, VACARE.

(1. Vacatio per mortem et per renuntiationem non sunt eædem, nec eosdem effectus causant, cap. *Susceptum*, De rescriptis in 6.

(2. Vacant ecclesiæ, beneficia etc., per promotionem alicujus ad cardinalatum, nisi a Papa concedatur retentio. Sixtus V constit. 79 incip. *Sanctissimus.*

(3. Vacant præceptoriæ militiæ S. Joannis Hierosolymitani, quando milites seu equites fiunt episcopi. Gregorius XIII, constit. incip. *Controversia.*

(4. Vacare censentur loca montium vacabilia per assumptionem ad cardinalatum; Urbanus VIII, in Appendic. constit. 38, incip. *Decet.*

(5. Vacare non intelliguntur officia Romanæ curiæ per mortem vacabilia ob assumptionem ad episcopatum, commendam, etc., sed per assumptionem solum ad cardinalatum. Urbanus VIII, in cit. constit. incip. *Decet*, revocans quoad hoc constit. Sixti V, incip. *Sanctissimus.*

(6. Quoad beneficiorum vacationem ipso jure. *Vide* verb. BENEFICIA, art. 7, per tot.

(7. Quoad collationem et provisionem beneficiorum vacantium. *Vide* verb. BENEFICIA, art. 4 et 5 per tot.

(8. Vacatio beneficiorum inducitur per solemnem professionis emissionem. Benedict. XIV, tom. II, constitut. 25 incip. *Ex quo*, ubi sic expresse declarat: « Denique de beneficiorum vacatione, in jure statutum habemus, eam non induci per solum ingressum in religionem, sed per professionem regularem duntaxat, quemadmodum videre est in cap. *Beneficium*, De regular., in 6.» (9. Et quidem pro eo tempore, quod inter ingressum in ordinem regularem et professionem solemnem intercedit, debet episcopus quoad beneficia curata id ipsum agere, quod alius præstare consuevit, cum parochus aliquo impedimento detinetur, ne animarum curam exercere valeat; quoad beneficia vero choralia, relictis tironi religioso, qui choro interesse nequit, ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut jura præscribunt, juxta opinionem in praxi receptam, de qua agit Suarez, *De religione*, tom. III, lib. V, cap. 16, num. 12. (10. Quinimo si quis forte religionem ingressurus, beneficium suum dimitteret (quo casu potest episcopus *per constitutionem LVIII S. Pii V* hujusmodi renuntiationem admittere), vel etiam si tempore novitiatus hujusmodi dimissionem expleret, servatis omnibus, quæ ex præscripto sacri *Tridentini* concilii cap. 16, session. XXV *De regularibus*, tam in bonorum temporalium, quam in beneficiorum ecclesiasticorum renuntiationibus servari debent, nihilominus omnia in suspenso remanere deberent, neque posset episcopus ad beneficii sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem professionem, uti late ostendit doctus, et in hoc toto rerum genere expertissimus scriptor, bon. mem. Joannes Baptista Riganti in suo *Commentario ad regulas cancellariæ*, tom. III, regul. 46, a n. 11 ad finem. (11. « Non vero inducitur dicta beneficiorum vacatio per votorum simplicium emissionem in Societate Jesu, transacto probationis biennio. » Id., *ibid.* (12. Decretum est autem in congregatione generali quinta ipsius Societatis, ut quilibet, expleto biennio, beneficia ecclesiastica dimittat. Id., *ibid.* (13. Sic expresse prosequens: « Quia in re olim dubitatum est, an vota simplicia, quæ a clericis regularibus Societatis Jesu, post biennium probationis emittuntur, hujusmodi beneficiorum vacationem inducerent? Sed negativa sententia communiter recepta fuit, ut observat laudatus Riganti, *loc. cit.*, num. 30 et sequent., et monet Pitonius, discept. 126, num. 11 et seq. (14. Quamvis in congregatione quinta generali ipsius societatis can. 19 statutum fuerit, ut qui societati nomen dederit, expleto biennio, antequam vota simplicia emittat, ecclesiastica beneficia dimittere debeat, quo casu hujusmodi beneficia, si minus propter professionem, at propter renuntiationem, vacare intelliguntur, ut notant Sanchez *Ad præcepta Decalogi* lib. VII, cap. 4, num. 7; Pellizarius in *Manuali*, tom. I, tract. 3, cap. 4, num. 52, cum aliis, quos citant præfati Riganti, *loc. cit.*, n. 32, et Piton., n. 12. » Hæc ille.

Digitized by Google

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(15. In addit. ad verb. BENEFICIUM, art. 7, disseruimus de vacationibus beneficiorum ipso jure. Res modo postulat, ut agamus de casibus in quibus beneficia haud vacant ipso jure, sed per judicis sententiam.

(16. Ex simplici homicidio beneficia non vacant ipso jure. Quin nec ex fratricidio vacant ipso jure beneficia. Rousseaud de la Combe, in sua *Jurisprudentia canonica*, verb. *Vacatio*, sect. 2, n. 1.

(17. Nec ex concubinatu vacant ipso jure beneficia, sed privationem præcedere debet trina canonica monitio, ex concilio *Tridentino*, sess. XXVI, cap. 14, *De reform.*, de quo Rota, *in Ratisbonen. Parochialis* 13 Junii 1718. § *Et demum. cor. bon. mem. Foscar*, et *in Placen. Parochiæ* 9 Decembris 1743, § 9, *cor. bon. mem. Lan.* et 15 *Junii* 1744. § 8 *cor. clar. mem. Millin.*

(18. Idemque tradit de adulterio Rousseaud de la Combe, in sua *Jurisprudentia canonic.*, verb. *Vacatio*, sect. 2, num. 2.

(19. Vide et alios casus apud eumdem, *loc. cit.*, n. 5 et plur. sequent. Hic vero non est prætereundum, quod in quibus casibus vacatio beneficiorum inducitur ipso jure, collator, qui ejus notitiam habuit, tenetur illa intra sex menses conferre, alias devolvitur ipsa collatio ad immediatum superiorem. (20. At in casibus, in quibus sententia requiritur pro vacatione beneficiorum, currit collatori sub pœna devolutionis idem tempus sex mensium a die quo sententia illa nacta est auctoritatem rei judicatæ. Interim non prohibetur beneficiarius resignare beneficium. Idem auctor, *ubi supra*, n. 8.

VAGUS, VAGABUNDUS.

SUMMARIUM.

1. Quis proprie dicatur vagus seu vagabundus — 2. Vagi seu vagabundi, qui certum domicilium vel habitationem non habent, sortiuntur forum, ubi reperiuntur. — 3. Parochus proprius vagorum in ordine ad matrimonium est parochus illius loci, ubi vagi actu versantur. — 4. An vagi inire possint matrimonium apud quemcunque parochum, etiamsi alteruter tantum sit vagus. — 5. An vagi obligentur legibus et consuetudinibus locorum per quæ transeunt, vel in quibus hospitantur, *remissive*. — 6. Vagi ubi sint sepeliendi, *remissive*. — 7. Vagi possunt absolvi a commissis alibi, etiamsi in loco patratorum criminum essent reservata, si hic non sint reservata.

(1. Vagus seu vagabundus proprie dicitur ille, qui certam et constantem sedem habitationis nullibi habet. Item, qui post relictum corpore et animo pristinum domicilium, iter facit, quærens ubi domicilium figat. Sic in re doctores communiter, per text. in l. *Ejus qui manumisit*, § *Celsa*, ff. *Ad municipalem*.

(2. Vagi seu vagabundi, qui certum domicilium, vel habitationem non habent, sortiuntur forum, ubi reperiuntur : alias enim nullibi pro delicto aut contractu possent conveniri contra ea quæ notantur in l. *Hæres absens*, ubi Bartolus num. 5, ff. *De judiciis*. Sic Fagnanus, lib. II *Decretal.*, in cap. *Licet* 20, De foro competenti, num. 26, cum pluribus aliis ibi citatis ; Reiffenstuel, lib. II *Decretal.*, tit. 2, n. 46, cum aliis ibi allegatis, per text. in leg. 1, cod. *Ubi quis de curiali*, et l. 1, cod. *Ubi de criminibus*, etc.

(3. Unde parochus proprius vagorum in ordine ad matrimonium est parochus illius loci ubi vagi actu versantur. *Vide* verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, art. 2, n. 86 ad 89, et verb. LEX, art. 3, a num. 46 ad 48.

(4. Posse vagos inire matrimonium apud quemcunque parochum, etiamsi alteruter tantum sit vagus, docent Sanchez, l. III, ad 25, num. 14 ; Pontius, lib. V, cap. 14, § 1 ; Layman, lib. V, tract. 9, part. II, cap. 4 ; Guttierez, Leander, Tambur., Bossius, Dicastil, Gobat, Barbos., Kugler, Krimer citati, et secuti La Croix, lib. VI, p III, num. 750, ubi testatur hanc esse communem sententiam, et sic decrevit sacra congr. Concil. die 28 August. 1607 apud Aldan., in *Compendio canon. resolut.*, lib. I, tit. 78, num. 1, et Barb. in *Summ. Apostolic. decis.*, verb. *Vagus*, num. 1, his verbis : « Vagus ducens uxorem in aliquo loco, ubi est vere domicilium mulieris, potest contrahere in alio loco, ubi voluerit, cum omnes possint esse parochi vagi, quamvis adsit parochus mulieris, quia tunc est vere parochus vagi alius in alio loco, ubi reperitur vagus. »

* De vagorum matrimoniis hæc Bened. XIV, institut. XXVIII, num. 10 : « Primum evenit aliquando, quod vagi matrimonium inirè contendant : ipsorum autem parochus is dicitur, in quorum ditione versantur. » Sanchez, *De matrimon.*, lib. III, disp. 25, num. 11 ; Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, part. II, cap. 21, num. 89 ; Cabassut., in *Theor. et prax. jur. canon.*, lib. III, cap. 26, num. 4 ; Pirrhing, ad lib. IV *Decret.*, tit. *De clandest. desponsat.*, num. 19 ; Sanchez *loc. cit.*, num. 14 et 15 ; quod pariter asserendum est, licet alter solum ex illis qui conjugium petunt, vagantium numero ascribatur. Barbosa, ad concil. sess. XXIV, *De reformatione matrim.*, cap. 7. Attamen peregrinus et vagus sine ullo discrimine non semel confunduntur : vagus ille appellandus est, qui, relicto suo domicilio, sedem in exteris terris inquirit, ut ex jure deprehenditur, l. *Ejus*, § *Celsus*, ff. *Ad municipalem*. Puto autem, et hoc procedere posse, si quis, domicilio relicto, naviget vel iter faciens quærat quo se conferat, atque ubi consistat ; nam hunc puto sine domicilio esse. Peregrinus autem is nuncupatur, qui ea voluntate iter facit, ut ad pristinum domicilium, exacta peregrinatione, revertatur. Rosignol., *De matrim.*, part. I, tom. VII,

Digitized by Google

contract. 15, prænot. 22, num. 4. Ob has potissimum causas, ob gravia quoque dissidia, quæ ex matrimoniis errantium Ægyptiorum ac militum plerumque dimanant, parochis omnibus indicimus, quod a Tridentina synodo his verbis sancitum fuit (sess. XXIV, *De reform. matrim.*, cap. 7) : « Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et, re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. »

(5. An vagi seu vagabundi obligentur legibus et consuetudinibus locorum per quæ transeunt vel in quibus hospitantur. *Vide* verb. LEX, art. 3, a n. 46 ad 48.

(6. Vagi seu vagabundi ubi sint sepeliendi. *Vide* verb. SEPULTURA, n. 22.

(7. Vagi possunt absolvi a commissis alibi, etiamsi in loco patratorum criminum essent reservata, si hic non sint reservata, quia cum isti nullum habeant domicilium, astringuntur solum legibus episcopi ubi confitentur. Barbosa, part. III *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 52, n. 16, et alii communiter.

VANA GLORIA.

Vide verb. SUPERBIA, *num.* 8.

VANA OBSERVANTIA.

Vide verb. SUPERSTITIO, *num.* 45.

VASA SACRA.

SUMMARIUM.

1. Vasa sacra benedicendi facultatem habent abbates pontificalia exercentes, etiam regulares, non tamen pro ecclesiis extraneis. — 2. Prælati regulares, quamvis non possint benedicere sacra vasa in quibus intervenit unctio sacri chrismatis, possunt tamen benedicere alia sacra vasa et ornamenta seu paramenta, pro usu suarum tantummodo ecclesiarum. — 3. Unde caute sunt legendi doctores asserentes posse prælatos regulares dicta sacra vasa, ornamenta seu paramenta benedicere etiam pro alienis ecclesiis. — 4. Episcopi non possunt absque speciali licentia Sedis apostolicæ hanc sacrorum paramentorum benedictionem aliis delegare. — 5. Neque benedictio sacrorum paramentorum et vasorum ecclesiasticorum potest fieri ab inferioribus prælatis jure proprio, licet habeant territorium separatum, nisi habeant ea quæ sunt ordinis. — 6. Benedictio paramentorum et vasorum ecclesiasticorum, in quibus non adhibetur sacra unctio, diversis abbatibus, decanis aliisque personis ecclesiasticis concessa fuit a sacra Rit. congregatione. — 7. Protonotarii sine speciali Sedis apostolicæ, seu Sacræ Congregationis licentia, nulla possunt benedicere vasa, paramenta seu ornamenta ecclesiastica. — 8. Alia ad rem ad n. 19.

(1. Vasa sacra benedicendi facultatem habent abbates pontificalia exercentes, etiam regulares; non tamen pro ecclesiis extraneis. *Vide* verb. ABBAS, num. 31, § 18, et in declaratione sacræ congreg. Rit. data ad § decimum octavum., et verb. BENEDICTIO, art. 1, n. 20 et 21.

(2. Prælati regulares, nempe generales, provinciales, priores, rectores, præpositi, guardiani, aliique omnes superiores locales quocunque nomine nuncupentur, quamvis non possint benedicere sacra vasa in quibus intervenit unctio sacri chrismatis, possunt tamen benedicere alia sacra vasa et ornamenta seu paramenta pro usu suarum tantummodo ecclesiarum. *Vide* dict. verb. BENEDICTIO, a num. 19 ad 21, ubi dantur ad id varia decreta.

(3. Unde caute legendi sunt doctores, qui apud La Croix, lib. VI, part. II, num. 553, et apud alios, dicunt, superiores ordinum mendicantium adhuc id posse etiam pro extraneis, ubi est usus, quamvis asserant bona fide id facere passim, permittentibus, et sæpe ad eos remittentibus episcopis.

(4. Episcopi enim non possunt absque speciali licentia sacrorum paramentorum benedictionem aliis delegare, ut sæpius decrevit sac. Rit. cong. et signanter die 14 Novembris 1615, apud Gavant. in *Manuali episcop.*, verb. *Benedictio*, num. 5, et testantur Aversa, q. 11, sect. 13, § sexto; La Croix, *loco cit.*, num. 253, et alii passim.

(5. Neque benedictio sacrorum paramentorum et vasorum ecclesiasticorum potest fieri ab inferioribus prælatis jure proprio, licet habeant territorium separatum et jurisdictionem, nisi habeant ea quæ sunt ordinis, ut decrevit sacra congr. Rit., *in Nullius* 21 Augusti 1601, apud Barbosam, lib. III *Juris eccles. univers.*, cap. 3, num. 31, et in *Summ. Apostol. decis.*, verb. *Benedicere, Benedictio*, num. 9. (6. Ubi num. 15 refert quod benedictio paramentorum et vasorum ecclesiasticorum, in quibus non adhibetur sacra unctio, diversis abbatibus, decanis, aliisque personis ecclesiasticis concessa fuit per sacram Rit. congreg., et signanter *in Aquileien.* 20 Aprilis 1599, *in Elven.* 17 Maii 1600, *in Lameron.* 29 Januar. 1605, *in Aquileiensi* 24 Aprilis 1610, *in Augustana* 12 Aprilis 1614, *in Lucion. et Gnesuen.* 4 Septembris 1621.

(7. Protonotarii sine speciali Sedis apostolicæ, seu sacræ congregationis licentia, nulla possunt benedicere vasa, paramenta seu ornamenta ecclesiastica. Sacr. congreg. Rit. 17 Jul. 1627, apud Gavant., in *Manual. episc.*, verb. *Benedictio*, num. 7, et Barbos., in *Summ. Apostolic. dec.*, verb. *Protonotarius titularis*, num. 14.

(8. Vasa sacra, scilicet calix, patena, ciborium, corporale, dum in iis actu continc-

Digitized by Google

tur corpus vel sanguis Christi, a nomine præter sacerdotem et diaconum sine gravi culpa tangi possunt. Colligitur ex cap. *Non oportet* 26, et cap. *Non oportet* 38, dist. 23; et docent Paludanus, in 4, dist. 13, quæst. 1, art. 4; Suarez, tom. III, in III part., disp. 81, sec. 6; Layman, lib. v, tract. 5, cap. 6, n. 18; Tambur., lib. I *De sacrific.*, cap. 2, § 1; Quarti, *Comment. in Rubric. missalis* p. II, tit. 1, dub. 6, vers. *Certum est*; La Croix, lib. VI, part. II, n. 360; Sporer, tom. III, part. II, cap. 6, sect. 2, n. 403, ubi testatur de communi contra Ochagaviam, et Gobat negantes id esse mortale.

(9. Vasa sacra vacua extra sacrificium licite possunt tangi ab omnibus clericis, etiam sola prima tonsura initiatis; Suarez, Tamburin., Quarti, Sporer, *loc. cit.*, La Croix, *loc. cit.*, n. 357, et alii apud Gobat, tract. 3, a n. 329, contra Filliucium, et alios id negantes de clericis sola prima tonsura initiatis. (10. Acolythi ministrantes licite etiam in sacrificio tangere possunt vasa sacra vacua per expressam concessionem Martini Papæ in cap. *Non liceat* penult. dist. 23.

(11. Omnes religiosi etiam laici ordinum mendicantium et communicantium eorum privilegiis, ac præsertim deputati ad servitium missarum et sacristiæ, possunt licite tangere vasa sacra, et lavare corporalia ob expressum privilegium concessum minoribus a Calixto III et Sixto IV, ut refert Casarub, in *Compendio privileg. fratrum Minorum, et aliorum mendicantium, et non mendicantium*, verb. *Corporalia*, num. 1 et 2, verb. *Ornamenta ecclesiastica*, num. 3 et 6.

(12. Laici et feminæ, etiam moniales, absque necessitate vel rationabili causa nuda manu tangentes vasa sacra, peccant venialiter, ut cum Suarez, Coninch., Azorio, Sanchez tradit Layman, *loc. cit.*, num. 19, et tenet Quarti, *loc. cit.*, vers. *Secunda sententia*; Pasqual., q. 328, num. 4; La Croix, *loco citat.*, num. 558, et de communissima testatur Sporer, *loc. cit.*, num. 405, per text. in can. *Sacratus* 25, dist. 23, et can. *In sancta* 40, dist. 1, *De consecr.* (13. Imo Tamburinus, *Opusc. de sacrificio* lib. I, cap. 2, § 1, n. 7; Sotus, in 4, dist. 13, q. 3, art. 3 ad 3; Fagundez, Præcepto 1, lib. III, cap. 21; Bartholomæus ab Angelo dialogo 5, § 321, et multi alii recentiores, quos citat Sanchez lib. II *Decalogi*, cap. 43, num. 27, sustinent laicos et feminas tangendo vasa sacra, secluso contemptu, nequidem peccare venialiter, quia canones id prohibentes possunt intelligi de consilio, et ob majorem decentiam, nec videntur continere præceptum, et si ad id accedat aliqua rationabilis causa, nullo modo peccare laicos et feminas tangendo vasa sacra, corporalia, et alia hujusmodi, tenent etiam Quarti, *loco citato*, vers. *Colligitur quinto*, cum aliis ibi citatis: Layman, *loc. cit.*, num. 19; Sanchez, *loco cit.*; Henriq., et plurimi alii.

(14. Hinc moniales sacristanæ possunt licite tangere calices, corporalia, et hujusmodi. In ipsis enim adest rationabilis causa supradicta tangendi, cum ratione sui officii debeant calices, patenas, corporalia, et similia præparare, ministrare, mutare, et hujusmodi, quæ sine tactu præstare non possunt. Pasqualig., *De sacrific. novæ leg.*, q. 839, n. 9, cum Quintanadven. et Suarez ibi citatis; D. Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium*, c. 11, § 5, q. 12, et alii passim, docetque praxis; cum enim moniales gaudeant privilegiis regularium, et laici regulares, præsertim deputati ad servitium missarum, et sacristiæ ex privilegio concesso laicis fratrum Minorum a Calixto III et Sixto IV, ut dictum est *supra*, num. 11, possint tangere vasa sacra, corporalia et purificatoria lavare, poterunt id etiam moniales sacristanæ, cum in iosis adsit etiam parationabilis ratio.

(15. Adhibere sacra vasa, corporalia, purificatoria, et hujusmodi ad usum profanum, verb. gr. in communi mensa ad convivium, ad nares purgandas, et hujusmodi, est peccatum mortale; id enim præsefert gravem contemptum et irreverentiam; unde jure ipso naturali prohibitum est, ac etiam jure ecclesiastico in c. *In sancta* 40, c. *Vestimenta* 41, dist. 1, *De consecrat.*, et c. 26, 27, 29, 31 et seq., dist. 23; et docent Layman, *loco cit.*, num. 19, vers. *Dico quarto*; Quarti *loc. cit.*, vers. *Certum est primum*; Suarez, *loco cit.*, disp. 81, sect. 8, § *Quarto addendum*, et alii communiter.

(16. Imo sacra vasa convertens ad usus profanos, si est laicus, excommunicatur, et si sit ecclesiasticus, etiam ab officio deponitur. Concil. *Bracharen.* III, cap. 2, et facit ad hoc etiam concilium, quod dicitur Apostolor. cap. 12, et cap. *Ad hæc* 4, De religiosis domibus; concil. *Mediolanens.* II, part. II, titul. 2, *De ecclesiis*.

(17. Vasa sacra convertens ad proprios usus vel alienans, officio privatur, infamis fit, excommunicatur et tenetur ad restitutionem, concil. *Toletan.* XVII, cap. 4.

(18. Vasa sacra vel alia ecclesiastica Judæis vendens, est in pœnitentia relegandus, et Judæi ipsa ementes conveniendi sunt a judice, et ad restitutionem eorum statim compellendi: Gregorius I, lib. I, epistol. 66, apud Paravicinum *Polyanthea sacror. canonum*, verb. *Vasa*, n. 8.

(19. Alia ad rem. *Vide* verb. CALIX. verb. PARAMENTA SACRA, verb. VESTIS.

VATICANA BASILICA.

De Vaticana basilica hæc habe.

(1. Vaticanæ Basilicæ (118) prærogativa est, ut in ea benedicantur pallia quæ a Romano Pontifice patriarchis et archiepiscopis mittuntur, Bened. XIV, tom. II, constit. 60

(118) Brevem Vaticanæ basilicæ descriptionem, sed accuratam, debemus præclaro eruditoque viro Francisco Cancellerio, t. I nuperrimi operis, quod de capellis, ut aiunt, pontificiis et cardinalitiis inchoavit.

Digitized by Google

incip. *Rerum ecclesiasticarum*. (2. Et in eadem asservantur prope corpus B. Petri. Idem, *ibid.* (3. Ipsius basilicæ altaristæ injungitur cura arculæ ab eodem pontifice donatæ, et in qua ipsa pallia asservantur. Idem, *ibid.* (4. Vaticanæ basilicæ archipresbyter dimissorias litteras clericis suæ basilicæ addictis dare, et sacramentum confirmationis administrare potest. Idem constit. 36, incip. *Cum a nobis.*

(5. Fontis baptismalis benedictioni in basilica Vaticana peragendæ, debent per se vel per alios interesse rectores ecclesiarum illi subjectarum. Idem. constit. incip. *Ad honorandum*, § 9.

(6. Vaticanæ basilicæ clero concessum est a Clem. XI, ut de singulis sanctis Pontificibus Romanis officia propria recitent. Idem const. 54, incip. *Postquam intellexi-mus*, § 50. (7. In Vaticana basilica celebrari debent beatificationes et canonizationes. Idem tom. I, constit. 36, incip. *Ad sepulcra apostolorum*, § 4. (8. Et ipsius Vaticanæ basilicæ sacrario certæ præstationes asseruntur occasione beatificationum et canonizationum juxta decretum Alexandri VII confirmatum in d. constitutione *Ad sepulcra*, § 5. (9. Quod decretum hic ad litteram subnectitur, prout traditur ab eodem Benedicto XIV, *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione*, lib. I, cap. 46, § 5, n. 31, ibi : Sanctissimus dominus noster Alexander divina Providentia Papa VII, prout summum tum dignitate, tum pietate Pontificem decet, ob singularem suam decoris domus Dei dilectionem præ cæteris sollicitus, ut basilica Vaticana, quo par est tantæ molis, sacræ etiam supellectilis nitore resplendeat, sacristiæ ejusdem basilicæ sacras vestes, et sane ornatissimas, in canonizatione Sancti Thomæ de Villanova adhibitas præcipua sua munificentia, et in basilicam ipsam Vaticanam religiose elargitus fuit: volensque præterea in futuro sacristiæ ejusdem indigentiis identidem religiose consulere, mandavit, ne in posterum secretarius pro tempore congregationis Sacr. Rituum decreta beatificationum et canonizationum, quæ ab ipsa congregatione in fine causarum eduntur, in Acta sacræ congregationis referat, neque evulget, aut sub quovis prætextu procuratoribus et postulatoribus causarum, vel aliis quibuscunque consignet, nisi docto, sacristis majoribus præfatæ Basilicæ consignasse sacram supellectilem veri valoris aureorum mille pro canonizando, quingentorum vero similium pro beatificando; nempe in tot planetis, stolis, manipulis ac bursis corporalium, vel albis, et amictibus ad usum missarum privatarum, quæ dictim in dicta basilica celebrantur, aut in tot palliis et altarium linteaminibus pariter ad similem usum adhibendis. Et prædictis quidem arbitrio sacristarum majorum præstandis; quorum proinde curæ Sanctitas Sua demandavit, quæ magis pro tempore Ecclesiæ servitium exiget, procuratoribus causarum indicare, secretarium vero sacræ congregationis, et sacristas prædictos admonere, et quod eadem festine impleantur, invigilare. Ne autem hujusmodi decreti ignorantia præsumi possit, idem in Acta sacræ congregationis referri jussit; prout chirographum, seu verius supplicem libellum manu Sanctitatis Suæ firmatum ibidem inferri voluit.

Die 27 Septembris 1659.

(10. Quia vero magna erat postulatorum molestia in comparandis supellectilibus ad normam decreti Alexandri VII, eodem annuente Pontifice, prædicto facilior modus est subrogatus; solvendi videlicet aureos quingentos in beatificatione, et aureos mille in canonizatione canonicis basilicæ ædituis, qui eos fideliter erogant in comparandum supellectilem necessariam, nec non capitulo reddunt rationes expensarum. Ideo in ejusdem basilicæ sacrario ad perpetuam rei memoriam erectus est lapis, in quo hæc verba leguntur (119):

ALEXANDRO VII, Pont. Max.

Quod singulari ejus munificentia Vatic. basil. sacra supellectile abundanter sit instructa ad illamque conservandam et augendam apostolico decreto.

Perpetuo duraturum subsidium sit attributum; beneficii magnitudinem referentes, ac posteritati testantes.

Post anniversaria sacra solemni ritu instituta grati animi monimentum canonici posuere.

VECTIGAL.

Vide verb. GABELLA.

VENATIO, VENATOR

SUMMARIUM

1. Venatio qualis et quando sit clericis et religiosis specialiter interdicta, et aliquando sit eis concessa. — 2. Venatio seu piscatio potest ex justa causa a principe vel republica sub pœna prohiberi, etiam in locis publicis. — 3. Imo prudentissime faciunt principes, et respublicæ in variis casibus, qui assignantur. Ad num. 12. — 13. Licitum est quælibet animalia ferina et silvestria nondum ab aliquo comprehensa prosequi et capere, ita ut statim fiant capientis, ubicunque capiantur, idem est de illis, quæ ex Domini potestate elapsa, in pristinam libertatem redierunt. — 14. Capientes animalia in leporariis, vivariis, stagnis, silvis non amplis et circumdatis, tenentur ad restitutionem. — 15. Item

(119) Urbis Basilicæ vicarium habent, de quibus cum P. Andreucci opusculum ederet, Elenchum (t. I *Hierarch. eccl.*, p. 268) exhibuit ab anno 1507, ad an. 1743, omnium, qui reperiuntur descripti, Vaticanæ basilicæ vicariorum.

Digitized by Google

etiam animalia domestica, seu naturaliter mansueta, sicut ac ferina mansuefacta, quandiu redire solent, non sunt primo occupantis, sed sunt domino comparenti restituenda, ad n. 26.

(1. Venatio qualis et quando sit clericis et religiosis specialiter interdicta, et qualis aliquando sit eis concessa? *Vide* verb. CLERICUS, art. 6, a n. 6 ad 38. Et adde quod cum episcopus Sarnen. suo clero venationem prohibuisset sub pœna suspensionis latæ sententiæ, recurrente autem eodem clero ad sacram congregationem Concilii, ipsa 21 Aprilis 1703, rescripsit, pœnam suspensionis latæ sententiæ mutari in pecuniariam; idemque resolvit circa ludum. Sic refert Ursaya, *Institut.*, lib. II, titul. 10, § 4, v. 113.

(2. Venatio seu piscatio potest ex justa causa a principe vel republica sub pœna prohiberi etiam in locis publicis. *Communis*, patetque ex fere omnium regionum praxi, quidquid in contrarium scripserint aliqui dicentes, hujusmodi venationem aut piscationem, utpote jure naturæ, aut jure gentium licitam, non posse a principe, vel republica prohiberi; et ratio nostræ conclusionis est clara, quia cum ex justa causa possit princeps vel respublica aliquid ex bonis particularium exigere, a fortiori poterit loca publica eorum usibus deputata aliis elocare, aut etiam interdicere, ubi id exigat justa causa aut bonum commune.

(3. Imo prudentissime agunt principes vel respublicæ, si, ne majoribus tributis gravetur populus, elocent fluvios communes, aut certa loca venationi idonea. Idem si prohibeant venationem tempore, quo animalia sunt gravida, ne exstirpentur; aut tempore, quo nives sunt copiosæ, ne quasi omnia capiantur cum publico detrimento. Item si prohibeant, ne fiat piscatio cum lumine nocte, aut cum certis quibusdam instrumentis, quibus etiam minutissimi pisces concluduntur, aut ne fiat piscatio per infectionem fluminis, aut escis venenatis cum fere omnium piscium exstinctione in maximum boni communis detrimentum. Sic doctores communiter.

(4. Item potest princeps venationem prohibere in certis locis, et certorum animalium ad solam ipsius, vel alicujus personæ benemeritæ recreationem: cum enim ipse pro publico bono communi vigilet ac laboret, justum est, ut populus ex publico ei honestas recreationes, et convenientem suo fastigio apparatum concedat, et insuper princeps habeat, unde compenset personas quæ pro reipublicæ defensione ac conservatione strenue laborarunt aut fortiter dimicarunt. *Communis.*

(5. Venantes et piscantes contra jus et prohibitionem principis peccant graviter vel leviter, juxta magis vel minus notabilem contraventionem et damnificationem: si enim jus et facultas certa venandi seu piscandi notabiliter lædatur, impediatur, aut diminuatur, et grave nocumentum communitati, seu alicui tertio, qui jus venandi aut piscandi conduxit, inferatur, tunc peccatur mortaliter: at vero si venatio aut piscatio prohibita, non sit graviter injuriosa reipublicæ, nec alicui tertio, qui eam conduxerit, tunc nisi concurrant aliæ circumstantiæ rem aggravantes, erit solum peccatum veniale, ut notant passim doctores.

(6. Tales venantes et piscantes contra jus et prohibitionem principis, ultra peccatum, quod incurrunt, tenentur ad compensandum damnum inde secutum. Communis doctorum uno ore asserentium, quod si quis sobolem ferarum notabiliter exstinxit, si ut pisces caperet, fluvium cum gravi detrimento reipublicæ aut conductoris venenatis escis infecit, is omnino teneatur damnum illatum compensare, et lucrum inde speratum resarcire.

(7. Idem pariter est dicendum, quando aliquis privatus jus privativum quoad alios habet ad venationem aut piscationem in aliquo loco: cum enim de jure civili possit quilibet jus venandi, aucupandi aut piscandi in loco ad se spectante, præsertim speciali sepe aut muro clauso sibi reservare, aliisque interdicere, textu expresso in l. *Item si eundi* 9, § 5, ff. *De usufructu*, ibi: « Aucupiorum quoque et venationum reditum Caius ait lib. VIII juris civilis ad fructuarium pertinere, ergo et piscationum; » et § *Fere* 12, institut. *De rerum divisione*, ibi: « Plane qui alienum fundum ingreditur, venandi aut aucupandi gratia, potest a domino, si is præviderit, prohiberi, ne ingrediatur; » sequitur, quod peccet contra justitiam, et teneatur damnum illatum compensare seu lucrum inde speratum resarcire, qui domino notabiliter invito ibi venatur, aucupatur aut piscatur. (8. Quamvis tamen, spectato solo jure naturali, talis venatio videatur licita, præsertim in prædiis apertis, omnibusque patentibus, ubi fieri potest sine detrimento ipsorum prædiorum domini, cum feræ non sint fructus fundi, nec ad fundum aut fundi dominum pertineant, nam feræ passim vagantes nullius sunt; et l. *Possessio* 1, § 2, ff. *De acquirend. possession.*, et § *Fere* 12, institut. *De rerum divisione*, dicuntur fieri primi occupantis, adeoque de jure naturæ videtur, quod non possit aliquis privatus venationem prohibere in suis prædiis apertis, omnibusque patentibus, nullumque ob id detrimentum patientibus, ut recte La Croix, lib. III, part. II, n. 256, et cum aliis, card. de Lugo, tom. I, disputat. 6, n. 54, dicens, quod jura numero antecedenti adducta intelligenda sunt, quod possit privatus venationem sibi reservare, et aliis interdicere in suo fundo, quando is est sepe vel muro circumdatus, vel talis propter aliquas circumstantias, ut domino liceat ingressum aliis impedire, ut si sit vinea, vel hortus, in quem ob fructuum custodiam possit dominus prohibere aliis ingressum, vel propter damnum, quod ex libero aliorum transitu imminere possit segeti vel arboribus; non autem quando fundus apertus est, omnibusque, quoad transitum, et alia patens sine ullo domini detrimento.

Digitized by Google

(9. Imo si in fundo aliquo etiam sepe clauso, sibi a domino quoad venationem reservato, aliisque interdicto ita multiplicarentur animalia, ut vicinis gravia afferrent nocumenta, posset ibidem neglecta tanquam irrationabili et injusta ejus prohibitione, venatio licite exerceri; quinimo teneretur ipsemet fundi dominus ad damnorum inde aliis obvenientium reparationem, cum esset vere causa illorum. Qui enim occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, cap. *Si culpa* 9, De injuriis et damno, l. *Qui occidit* 30. § 3, ff. *ad legem Aquiliam*.

(10. Sic etiam principes tenentur ad restitutionem, si vel prohibendo, ne subditi feras arceant, seu abigant a frugibus, vel nimis multiplicando animalia, gravia afferant ipsis subditis nocumenta.

(11. Item si principes venando notabiliter proterant sata, grana excutiant, vineas et sepes lædant, aliaque similia gravia nocumenta subditis afferant, tenentur ad hujusmodi damnorum compensationem. *Communis*.

(12. Et a fortiori tenentur ad restitutionem privati venatores cum notabili detrimento proximi, v. g. destruendo semina, conculcando segetes, excutiendo grana, devastando vineas, sepes, et hujusmodi gravia nocumenta proximo afferendo. *Communis*.

(13. Licitum est quælibet animalia ferina et silvestria nondum ab aliquo comprehensa prosequi, et capere, ita ut statim fiant capientis, ubicunque capiantur. Idem est de illis, quæ ex domini potestate elapsa, in pristinam libertatem redierunt. *Communis*, textu expresso in § *Feræ* 12, institut. *De rerum divisione*, et l. *Possessio* 1, ff. *De acquirenda possessione*.

(14. Capientes autem animalia in leporariis, vivariis, stagnis, silvis non amplis, et circumdatis, non acquirunt eorum dominium, sed tenentur ea restituère, cum adhuc habeant dominum. *Communis*.

(15. Ita etiam animalia domestica seu naturaliter mansueta, sicut ferina mansuefacta, quandiu redire solent, non sunt primi occupantis, etiamsi longe aberraverint, sed sunt domino comparenti restituenda. *Communis*, per text. in § *Pavonum* 15, et § *Gallinarum* 16, instit. *De rer. division*.

(16. Feram aut avem lethaliter vulnerans, et eam insequens moraliter certo capturus acquirit ipsius dominium, et consequenter, si ab aliquo capiatur, est restituenda, quia tali vulnere lethali jam censetur ipsam cœpisse. *Communis*.

(17. Si vero fera aut avis sit ita leviter vulnerata, ut adhuc fugere possit, tunc si alius eam fugientem capiat, est ipsius capientis, quia naturalem libertatem non amisit. *Communis*.

(18. Si autem dubium foret, an qui vulneravit, ratione talis vulneris esset capturus, nec desiisset prosequi feram vulneratam, tunc de æquitate esset dividenda inter vulnerantem et capientem tanquam duas concausas acquisitionis feræ secundum proportionem concausalitatis. Layman, lib. III *De justitia*, tract. 1, c. 5, n. 12; Henno, tom. II, *De justitia et jure*, tract. 2, disp. 4, q. 1, concl. 1, resolut. 2; Sporer, et alii passim.

(19. Eadem ratione si quis animal vagum insequatur, et illud in retia alterius incidat, tunc uterque habet jus illud capiendi, unus, quia retibus suis deprehensum est, alius quia opera et industria incidit : unde de æquitate est inter ipsos dividendum secundum proportionem concausalitatis.

(20. Si piscis reperiatur ita inextricabiliter implexus in retibus alicujus piscatoris, ut nullatenus possit evadere, acquiritur statim ejus dominium; unde si alter ex ejus retibus ipsum eripiat, tenetur ad restitutionem. Secus autem est dicendum, si piscis adhuc poterat se eripere ex illis retibus, quia tunc fiet prius apprehendentis, eo quod defectu sufficientis apprehensionis nondum piscator censebatur illius dominus. De æquitate tamen est piscatori aliquid dandum juxta proportionem industriæ et probabilitatis prædæ capiendæ. *Communis*.

(21. Venatio et piscatio, si fiant solum recreationis gratia, non censentur ex se prohibita die festo, nisi addantur opera servilia; ipsa enim non sunt de se servilia, sed potius liberalia et communia servis et dominis. Bonacina, tom. II, disp. 5, q. unica., punct. 2, n. 23; Reiffenstuel, *Theologiæ moral.* tract. 10, dist. 1 q. 2, n. 16, et alii. (22. Dicitur autem notanter *Nisi addantur opera servilia*, quia revera venatio et piscatio non licent, si in ipsis concurrant alia opera servilia, prout accidere solet in venationibus clamorosis cum canibus et apparatu institutis, ac in piscationibus operosis et multi laboris non recreationis, sed lucri gratia exercitis, arg. can. *Quid prodest* 12, et can. *An putatis* 13, dist. 86, ubi ex verbis sancti Ambrosii (120) damnatur venatio diebus pœnitentiæ et jejunii exercita, ibi: « Quid prodest jejunare visceribus, et luxuriari venatibus? » et in citat. can. *An putatis*, sic expresse : « An putatis illum jejunare, fratres, qui primo diluculo non ad ecclesiam vigilat, non beatorum martyrum loca sancta perquirit, sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus silvasque perlustrat, servulos, inquam, secum pertrahit, fortasse magis ad ecclesiam festinantes, et voluptatibus peccata accumulat aliena, nesciens se reum futurum, tam de suo delicto, quam de perditione servorum? » Unde si sanctus Ambrosius tanta dicit de venantibus diebus jejunii, quid diceret de profanantibus dies festos tali exercitio?

(23. Permittitur tamen tanquam licita die festo piscatio certorum piscium raro, et certis solum anni temporibus occurrere et ap-

120) Sermo ille, ex quo testimonia indicatis capitibus relata Gratianus sumpsit, non est S. Ambrosii, sed Cæsario Arelatensi potius est ascribendus. *Vide* Carolum Sebastianum Berardi in Opere, cui titulus *Gratiani canones*; etc., part. III, cap. 12, n. 125.

Digitized by Google

parere solitorum, ut halecia, et hujusmodi, textu expresso in cap. *Licet feriis*, 3, ibi : « Indulgemus ut liceat parochianis vestris diebus Dominicis et aliis festis, præterquam in majoribus solemnitatibus, si halecia terræ se inclinaverint, eorum captioni, ingruente necessitate, intendere, ita quod post factam capturam ecclesiis circumpositis, et Christi pauperibus congruam faciant portionem. »

* Ex hoc ipso capite theologi plurimi inferunt venationem piscationemque opera servilia esse, festis diebus interdicta : « Venatio et piscatio sunt opera servilia. Nam sunt actiones corporales per se, et primario ordinatæ ad utilitatem corporis, et ad aliquod opus corporeum, scilicet ad captionem et occisionem ferarum et piscium. Idem die de opere pingendi, cum sit opus corporale immediate ordinatum ad artefactum sensibile assimilandum rei veræ, soleatque a mercenariis, seu iis, qui lucrum ex arte quærunt, fieri. Et in concil. *Meldensi* anno 845, expresse prohibentur pictura et venatio. De piscatione constat ex cap. *De feriis*, ubi specialiter sub certo onere conceditur facultas halecia piscandi ob necessitatem. » Ita Antoine in tractatu *De virtute religionis* cap. 7, quæst. 2. Cæterum Cuniliati tract. 6 *De* III *Decalogi præcepto* cap. 1, § 3, num. 13, etsi venationem piscationem, aucupationem de se esse servilia et mechanica fateatur, atque adeo ea exercere festis diebus, nisi excuset materiæ parvitas, mortale peccatum esse statuat, tamen deinde Suaresium citat, qui hæc, si quiete, ac sine magno apparatu unius recreationis causa fiant, non videri die festo prohibita scribit. Nam subdit : « At inquies : *Durus sermo* (*Joan.* VI, 61); non licebit igitur recreationis gratia, et solius relaxandi animi motivo, in illis se exercere? Respondet communis, quod profecto, si magnus apparatus, et labor impendendus sit in delatione et præparatione instrumentorum, si intervenire debeat venatorum tumultus, ut contingit in venatione ferarum et piscatione maritima, omnia recensita præceptum graviter violent, idque sentiunt etiam benigniores theologi. Si autem fiant quiete, sine tumultu aut magno apparatu, ut fieri solet in aucupio aut piscatione hamo facta solius recreationis gratia, non videntur prohibita, dicit Suarez c. 28, n. 5. Ut consoleris, afferam, tibi hujus pii et docti theologi verba : Si aliqua venatio recreationis gratia excipienda est, per modum excusationis eximenda est; non quia per se servilis non sit, et prohibita : erit autem excusatio prima, ob levitatem materiæ, et ex quadam morali necessitate ad evitandum vel otium vel pejora opera : et quidem si venatio esset moderata, et quidem solum a prandio per duas aut tres horas, mihi non displiceret excusatio. Tamen quia difficile est damnare illos omnes, qui majorem sumunt licentiam; ideo potest addi alia excusatio ex consuetudine, quæ potest legem remittere, quæ videtur in hac parte prævaluisse, scientibus et tolerantibus pastoribus ecclesiæ, quamvis introducta fuerit ex apprehensione, et vulgi æstimatione, quod venatio nobili modo exercita non putetur opus servile, neque inde scandalum sumant, etiamsi in die festo fiat. » Hæc ille *.

(24. Rigorose loquendo non est venandum tempore Quadragesimæ. Sic expresse respondit Nicolaus I, *Ad consulta Bulgarorum* cap. 34, et concordat citat. can. *Quid prodest* 12, et can. *An putatis* 13, dist. 86. Hic tamen rigor videtur abiisse in desuetudinem. Unde La Croix lib. II, n. 258, insuper dicit quod si absit scandalum, potest venator vel auceps in Quadragesima capere feras vel aves, et vendere in terris hæreticorum.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Caveat vero, ne ita errorem hæreticorum probare videatur et ne contemptui orthodoxæ Ecclesiæ disciplinam exponat.

RESPONSIO AUCTORIS.

Quæ refero *loc. cit.*, verba sunt La Croixii, qui dicit quod si absit scandalum (intelligetam activum quam passivum) potest venator vel auceps in Quadragesima capere feras vel aves, et vendere in terris hæreticorum; quod faciendo, si vere absit scandalum omne tam activum quam passivum, nec errorem hæreticorum probare videretur, nec contemptui orthodoxæ Ecclesiæ disciplinam exponeret.

(25. Venatores solent se induere communiter veste viridi, ad hoc ut propter aspectum viroris, quem bestiæ naturaliter diligunt, minus venatorum insidias expavescant.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(26. Duo novissime de hac materia edidit opuscula Iskstatt : alterum, *De eo quod jure naturali circa venationem juris est;* alterum *De eo quod jure publico universali et particulari imperii Romani circa venationes juris est. Quinque hoc constat capitibus.* Primum *est de majestatico et territoriali circa venationes jure.* Secundum *de regali venationis jure, et quidem in fundis civitatis publicis,* Tertium *de regali venationis jure in fundis privatis.* Quartum *de regali venationis jure in territorio alieno.* Quintum *de regali venationis jure subordinato sive landsassico.* Meo judicio in duobus hisce opusculis pro dignitate auctor hic de hac materia agit. Eum igitur consule, ubi res ita postulat.

VENDITIO.

Vide verb. EMPTIO.

(1. Clerici beneficiati prohibentur unico actu vendere commodum seu utilitatem percipiendi fructus beneficii quoad vixerint, vel per longum tempus, recepta pecunia in

Digitized by Google

ea summa, de qua conventum est inter contrahentes, sive pecunia illa tota simul solvatur, sive per plures solutiones. (2. Id vero vetitum sub excommunicatione et aliis pœnis contra alienantes bona ecclesiastica inflictis; et contractus omnes ita celebrandos in futurum irritat et annulat Benedictus XIV, constit. 29, tom. I *Bullar.*, incip. *Universalis Ecclesiæ.*

(3. In contractu emptionis et venditionis, si fiat pactum, quo venditor, quandocunque voluerit rem venditam redimere, obligetur in vim ejusdem pacti plus dare quam receperit in venditione, contractus est injustus. *De synodo diœc.*, lib. VII, c. 51, § 4.

(4. Si venditio fiat cum pacto redimendi intra certum tempus, quo elapso, non sit amplius locus retrovenditioni, iste contractus sapit usuram, ex eo, quia videtur inducere naturam pignoris. *Ibid.*

Alia *vide* verb. EMPTIO.

VENENUM

Liceat hæc adnotare.

(1. Componens venenum hominis necandi gratia, reus est homicidii, morte secuta, L. *Capitalium* 28, § 2, ff. *De pœnis*; Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. I, cap. 1, n. 20; Ursaya, *Institut. criminal.*, lib. II, tit. 5, n. 77, et alii communiter.

(2. Item reus est homicidii venenum vendens, vel apud se retinens, hominis necandi gratia, morte secuta: Ursaya, *loco cit.*, et alii per textum in cit. l. *Capitalium.*

(3. Et a fortiori homicidii reus est ipsum venenum propinans et mandans propinari ad dictum malum finem: Communissima, per text. in cit. *Capitalium.* (4. Plus est enim homines veneno, quam gladio et sica occidere, textu expresso in l. *Plus est*, C. *De maleficis*; ubi: « Plus est hominem exstinguere veneno quam occidere gladio. »

(5. Homicidium veneno commissum punitur pœna ultimi supplicii, per text., in cit. leg. *Capitalium* 28, § 9, ff. *De pœnis*; imo reus tanquam assassinus trucidari debet malleo in capite. Cavalcant. *De Brach. Reg.*, part. IV, n. 57; Guazzin., ad defens. 43, cap. 4, n. 8; Ursaya, *loc. cit.*, n. 86, et alii.

(6. Venenum porrigens conjugatæ vel conjugato ad facilitandum matrimonium cum conjuge superstite, puniendus est pœna mortis; Censal., *Dec. Januens.* 10, n. 36 et seq., ubi refert quod fuit suspensus juvenis, qui placentam venenatam tradi fecerat Patri Amasiæ, ad hoc, ut post necem patris eamdem Amasiam duceret; et Rainald., tom. III, cap. 31, § 4, n. 10 et seq., ubi quod ita practicatum fuit in Urbe de anno 1768 *in Firmana Uxoricidii*, quodque ita practicari deberet, etiamsi non sequatur mors, refert et tenet etiam Ursaya, *loc. cit.*, n. 93, 94 et 95.

(7. Homicidium committens veneno, non gaudet immunitate ecclesiastica. Sac. cong. Concilii sub die 3 Decemb, 1632, apud Barbosam, in *Summ. apostol. dec.*, verb. *Homicida* n. 7, et sæpius sacra cong. Immunitatis; et colligitur ex novissima constitutione Benedicti XIII, incip. *Ex quo*, § 6, ubi immunitate ecclesiastica privantur interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato; qualitas enim veneni semper præsupponit præmeditationem, ut ex aliis recte docet Ursaya, *l. cit.* n. 6, *vide* ipsum *loc. cit.*, lib. II, tit. 5, a n. 74, ubi multa habet ad rem.

(8. Alia ad rem. *Vide* verb. HOMICIDIUM, verb. IMMUNITAS, verb. MARITUS, verb. MATER, verb. UXOR.

VENERABILE SACRAMENTUM.

Vide verb. EUCHARISTIA *verb.* MISSA, *verb.* PROCESSIO, *verb.* SACRAMENTUM, *verb.* SACRIFICIUM, *verb.* TABERNACULUM.

VENERATIO SANCTORUM.

Vide verb. CULTUS SACRORUM.

VESTIS.

SUMMARIUM

1. Femina non potest uti veste virili, nec vir veste feminea, et hoc si fiat sine prava intentione, etc., erit tantum peccatum veniale; alias mortale. — 2. Quomodo peccent sæculares utentes vestibus religiosis ignominiose in ludis, etc., ad n. 5. — 6. Vestes sacræ non possunt amplius converti in usus profanos. — 7. Quid faciendum de vestibus sacris vetustate consumptis? — 8. De vestibus clericorum ad n. 10. — 11. De vestibus necessariis pro celebratione missæ, ad n. 12. — 13. Alia multa ad rem ad n. 47.

(1. Femina non potest uti veste virili, nec vir veste feminea, et hoc si fiat sine prava intentione, periculo scandali, et libidinis, erit tantum peccatum veniale; alias mortale. *Vid.* verb. HABITUS num. 50. (*Vide* etiam notam ibidem appositam.)

(2. Sæculares utentes vestibus religiosis ignominiose in ludis vel in lasciviis, peccant mortaliter, et incurrunt graves pœnas, et possunt puniri per judices sæculares. *Vid.* d. verb. HABITUS, n. 47. (3. Unde concilium *Mediolanense* I, p. II, tit. *De Clerico-*

Digitized by Google

rum vestitu expresse statuit, quod induentes vestes religiosorum ad Mascheras gravi pœna puniantur, et etiam illi, qui eas commodant. (4. Et Ursaya, *Inst. crim.*, lib. II, tit. 6, n. 112, cum aliis ibi citatis observat, quod verbum *maschera* derivat a dictione *mascha*, quæ apud Longobardos significat *lacodœmones* et *lamias*, exinde inferendo solum nomen mascheræ horridum et perniciosum esse.

(5. Hinc locorum ordinarii, aliique prælati regulares non debent dare licentiam, nec permittere, quod moniales tempore Bacchanalium, recreationis gratia, proprias religiosas vestes dimittant et assumant alienas mascheras. Sac. congreg. Episcop. et Regul., *in Ferrar.* 27, April. 1664.

(6. Vestes sacræ non possunt amplius converti in usus profanos, quia semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum, textu expresso in cap. *Semel* 51, De reg. juris in 6, et concordat can. *Quæ semel* 4, caus. 29, q. 3. (7. Nec ad alios usus, quam quibus dedicatæ sunt, transferri debent, can. *Vestimenta* 42, et can. *Ad nuptiarum* 43, De consecr., dist. 1.

(8. Vestes sacræ, cum fuerint vetustate consumptæ, incendio dandæ sunt, et cineres in baptisterio, vel alio loco abdito et honesto condi debent, can. *Altaris palla* 37, De consecr., dist. 1.

(9. Clerici quibus vestibus uti debeant? *Vide* verb. CLERICUS, art. 1, a n. 13, usque in finem.

(10. Vestis clericorum usque ad annum 500 nullatenus distincta erat a vestibus laicorum. Ursaya in *Miscellaneo* 2, litt. V, num. 24, ex Thomassino *De veteri et nova Ecclesiæ disciplina*.

(11. Quæ sint vestes necessariæ pro celebratione missæ? *Vide* verb. MISSA, art. 10.

(12. Quis possit illas benedicere? *Vide* verb. BENEDICTIO, art. 1, a n. 17 ad 21, et verb. VASA SACRA, num. 2 et 3.

(13. Illicitum est uti vestibus infidelium, quæ alium usum non habent, quam quod sint signa falsæ religionis, seu falsi cultus. At vero licitum est uti infidelium vestibus, quæ alium aliquem usum habent, quam profitendæ falsæ religionis aut falsi cultus, præsertim si subsit justa causa, v. g. ad evitandum aliquod grave periculum, ad eludendos hostes, ad obtinendam victoriam, vel propter defectum alterius vestimenti, et hujusmodi (121). *Communis*, cum S. Thoma, 2-2, q. 169, art. 2, ad 3, ubi sic expresse dicit: « Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud hujusmodi (122). » Et ob id faciunt duo sequentes versiculi relati a Glossa, in cap. *Clericus* 5, De vita et honestate clericor., verb. *Relaxaverint*, ibi :

Tutius ut peterem laici sub imagine Romam,
Fas fuit ut sinerem luxuriare comam.

(14. Afferuntur alii notabiles versiculi quoad vestem, relati ex aliis ab Ursaya in *Miscellaneo* 2, litt. V, n. 26, ibi.

Vir bene vestitus pro vestibus esse peritus
Creditur a mille, quamvis idiota sit ille,
Si careas veste, nec sis vestitus honeste,
Nullius es laudis, quamvis scias omne, quod audis.

(15. Quidam theologus, qui prius humiliter indutus, male fuerat receptus in suo monasterio, rediens deinde cum pretiosa cappa, splendide receptus et honorifice tractatus fuit, qui postea in capitulo multas gratias agit cappæ suæ. Fagnan. in c. *Episcopalia* n. 32, De privileg.; Ursaya, *Miscellan.* 2, litt. C. num. 33.

(16. Alia ad rem. *Vide* verb. BENEDICTIO, verb. CLERICUS, verb. FEMINA, verb. MISSA., et verb. PARAMENTA.

(17. Affertur novissimum edictum, quo sub certis pœnis præcipitur, cadavera ecclesiasticorum in funeralibus officiis exponi induta sacris vestibus eorum ordini congruentibus, et cadavera quorumcunque etiam nobilium et magnatum deferri ad ecclesiam cum feretro præcedente cruce; non autem cum rhedis, aliisve vehiculis :

« Caspero per la misericordia di Dio vescovo di Sabina della S. R. C. card. di Carpegna, della Santità di nostro signore vicario generale, ecc.

« Avendo la Santità di nostro Signore sotto li 9 del prossimo passato mese fatte alcune provvisioni circa le processioni dei funerali, e le esposizioni dei cadaveri nelle chiese, le quali di nuovo conferma, e volendo, che in tutta la funzione dei detti funerali, ed esequie si osservi puntualmente il rito di questa santa Romana Chiesa, ordina a tutti i R. R. parochi, superiori delle chiese secolari, e regolari, ed in qualsivoglia modo privilegiati, sagrestani, ed altri a chi spetta,

Nota Romani theologi.

(121) Vestes infidelium, aut nationales sunt, vel religionis distinctivæ, vel denique falsæ religionis protestativæ. Nulli dubium, quin primi generis vestes adhiberi queant, semota quacunque culpa, quemadmodum inconcussum est apud theologos omnes, si unum vel alterum excipias, nunquam licere uti vestibus tertii generis, cum in se falsæ religionis professionem includant. — Moveri duntaxat posset controversia de vestibus ad secundum genus spectantibus. Disceptarunt olim theologi, uti videre licet apud cardinalem de Lugo in tractatu *De fide* q. 14, sect. 5. Verum hodie extra controversiæ aleam est positum, illicitum prorsus esse talibus vestibus uti, quacunque ex causa, nisi forte in theatris aliisque spectaculis.

(122) Ita concludit Bened. XIV, *De syn. diœc.*, l. LXIII, cap. 20, num. 25: *Si quod adsit*, inquit, *indumenti genus, quod ex forma, usu aliisve adhærentibus, habeatur veluti tessera, sive nota, quæ religionem a religione secernat, nunquam eo uti licebit.* Ratio intrinseca est, quia hæc important simulationem religionis, quæ mendacium includit. Mendacium porro semper est malum, nec unquam cohonestari potest, et a fortiori cum de fide agitur. Hac doctrina corrigenda est Ferraris sententia sub hoc numero explicata, ubi perperam adducitur S. Thomæ patrocinium, qui in loco citato loquitur de vestibus mulierum.

Digitized by Google

di non permettere, che i cadaveri degli ecclesiastici secolari, particolarmente de' sacerdoti, come anche de' diaconi, e suddiaconi si trasportino dalle proprie case alle chiese, ovvero in queste si esponghino vestiti di qualunque altro abito, sia di compagnie, o religioni, ma con le vesti Sacre secondo il loro ordine in conformità della disposizione del Rituale Romano, tit. *De exsequiis* sotto pena ai suddetti della perdita di tutti gli emolumenti funerali, ed altre a nostro arbitrio.

« Di più ordina la Santità sua, che nel trasportare dalle case alle chiese i cadaveri di tutte le persone di qualsivoglia stato, grado e condizione, anche titolate, o sia di giorno, o di notte con la dovuta licenza, si osservi parimente la disposizione del detto Rituale Romano nel tit. *Sudetto*, § *Constituto tempore;* che si portino processionalmente con la croce avanti *parocho præcedente feretrum cum luminibus*, e però proibisce di trasportarli in qualsivoglia altra maniera, particolarmente dentro i cocchj, o carrozze, sotto pena agli Eredi in caso di contravvenzione di scudi 500 da applicarsi in opere pie, ed al parroco, se ciò permetterà, della perdita degli emolumenti, che se li devono, ed altre a nostro arbitrio. Dato questo di 4 Febbraio 1705. »

(18. Catechumeni non ante, sed post baptismum veste candida sunt induendi, c. *Post Baptismum* 91, et c. *Accepisti* 92, dit. 4, *De consecr.* Et sic expresse statuit Bened. XIII, in conc. *Rom.*, tit. 26 *De baptismo*, c. 2.

(19. Vestis talaris usus an, quibus, et sub qua pœna præcipi valeat ab episcopis? Quamvis enim sacrum concil. *Tridentinum*, sess. XIV, cap. 6, *De reformat*, verbis expressis non injunxerit ecclesiasticis personis usum vestis talaris, sed solum jusserit deferri habitum « eorum ordini et dignitati congruentem, et juxta episcopi ordinationem ac mandatum; » nihilominus sac. cong. Concil., rata semper habere consuevit episcoporum decreta de usu vestis talaris; et præsertim *in Hortana* 8 Julii 1690, ubi proposito dubio, *An edictum, seu præceptum episcopi sustineatur?* Rescriptum fuit, *secretario.* « Ad mentem, quæ sic explicata fuit; sustineri edictum, sacerdotes teneri semper incedere in habitu talari, et clericos, maxime in functionibus ecclesiasticis; et quoad pœnas episcopus moderate procedat : » in lib. XL *Decretor.* pag. 435. Rursus *in Ostunen. synodi* 6 Jul. 1697 ad VII dub. Respondit, *servandum esse decretum proxime relatum in Hortana*, ut in lib. XLVII *Decret.* post. pag. 294. Sic quoque *in Milevitana synodi* 4 Junii 1707, ad XXVII dub. prodiit rescriptum, « constitutionem synodalem sustineri cum licentia tamen gratis danda; » ut in lib. LVII *Decretor*, pag. 205. Itidemque *in Ruben. Habitus talaris*, dubium hoc, « an edictum super delatione habitus talaris in ecclesiis illarumque ingressu sustineatur? » Ita resolutum fuit : « sustineri moderatis pœnis arbitrio eminentissimi præfecti, » qui sic declaravit; « nos ad mentem ejusdem sacræ congreg. Nobis expressam, declaramus a supradicto edicto episcopi delendas esse contra inobedientes, videlicet quoad sacerdotes, pœnam suspensionis ipso facto incurrendæ; quoad clericos, pœnam quod non possent promoveri ad ordines sacros, nec admitti ad beneficia quamvis de jurepatronatus; et quoad sacristas, pœnam suspensionis; et respective quoad clericos, pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Et loco prædictarum pœnarum mulctandos esse in quinque libris ceræ albæ laboratæ, et in subsidium suspensionis, et interdicti, ferendæ sententiæ respective; » ut in lib. LVIII *Decret.*, pag. 238. Recentius vero *in Sorana edicti.* 20 Maii 1719, rescriptum fuit, *Servandum esse edictum* ut in lib. LXIX *Decret.*, pag. 231. Et denique *in Marsicen.* cum episcopus simile promulgasset edictum; sed dum clerici ad sacrum subdiaconatus ordinem essent promovendi, exigeret ab eis jusjurandum de edicto observando, sacra *congregat.* die 15 Decembr. 1631, rescripsit : « Servetur edictum episcopi, sed non exigatur præstatio juramenti. » Et *in Salernitana edictorum* 27 Septembris 1732, ad 3 dub. « An dignitates et canonici cathedralis cogi possint ad incedendum in habitu talari usque ad occasum solis, excepta tamen occasione eundi ad loca ruralia; et quatenus *affirmative?* » Respondit : *Affirmative.* Et consimiler respondit sacra cong. Episcopor. et Regular., die 1 Octob. 1728, *in Monopolitana* approbando hujusmodi edictum ab episcopo latum. Sic expresse apud tomum quintum *Thesauri Resolutionum sac. cong. Concilii, in Salernitana edictorum.*

(20. Et apud Ursayam, tom. V, part. II, disceptat. 16, num. 68, habetur hæc celebris resolutio sacræ cong. Episcop. et Regular., *in Callien. synodi* 20 Januar. 1720, in qua multa fuerunt resoluta dubia; et ad rem dicta die 20 Januarii 1720, fuit episcopo Galliensi scripta epistola vulgari idiomate inter alia continens, ut sequitur : « Che precetti a tutti gli ecclesiastici di dover vestire con abiti lunghi fino ai piedi, quando celebrano la S. messa, o intervengono nelle sag. funzioni solamente, tanto d'estate come d'inverno, sotto pena di sei giorni di carcere formale per ciascheduna volta, che si contravvenga, e quando vi fossero recidivi, possa estendere detta pena anche fino a dieci giorni; tollerando però, che quando non intervengano a dette funzioni ecclesiastiche, possano usare abiti più corti, purchè sieno decenti e modesti, e che proibisca ai clerici poter usare abiti secolareschi, con manicone, e saccoccie alla moda, sotto pena di due libre di cera bianca lavorata per ciascheduna volta. »

(21. Affertur lepida observatio de veste talari, ratione cujus multi sine abbatia passim vocantur abbates, teste Lubin. *De abbat.*, Ita in *Monit. ad Lectorem*, § *De abbatum numero*, sequentibus verbis : « His vero novissimis temporibus, tum curialium vanitate, tum adulatione amicorum, et plebis ignorantia infinitus evasit, ut stultorum, sic

Digitized by Google

abbatum numerus, adeo ut homo talari veste indutus, ab omnibus abbas æstimetur et appelletur, qui fatuorum more sibi blandiens, de vano titulo gloriatur, et ex solius familiæ nomine nova, sed chimerica creditur abbatia. » Indeque in Urbe lepide distinguuntur abbates in duas species, quarum una creatur a dataria, alia vero a sartoribus, qui eo ipso, quod alicui habitum ecclesiasticum faciunt, dicuntur ei dare titulum se faciendi vocare abbatem : Quapropter S. M. Innocentius XI, cuidam nobili Romano petenti ecclesiasticum beneficium, eo prætextu, ut posset denominari abbas, serio respondit, non esse opus ad dictum effectum obtinere aliquod beneficium, ex quo satis erit habitum deferre ecclesiasticum ; sic expresse refert et sequitur Ursaya, lib. III *Instit. crim.*, tit. 4, num. 5 et 6, improbans cum aliis, quod jam omnes presbyteri ratione solius vestis vocentur abbates.

(22. Sacræ vestes cujusque dignitatis seu ordinis gestandæ sunt a clericis synodo interessentibus, ut ex antiquis synodorum constitutionibus, et more moderno erudite tradit Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. III, cap. 11, n. 1, 2 et 3. (23. Et in primis episcopus in congregationibus antesynodalibus in ædibus episcopalibus fieri solitis præsidet indutus habitu prælatitio, rocchetto scilicet et mozzetta ; cum ad ecclesiam accedit synodum incœpturus, aut prosecuturus incedit indutus cappa ; priusquam preces recitet, quæ cujusque sessionis initio dicendæ sunt, præter superpelliceum, amictum et stolam, induit pluviale rubeum. In solemni supplicatione seu processione, quæ cum universo clero in synodi initio et fine per Urbem institui solet, pergit indutus alba stola, pluviali rubeo, mitram pretiosam et pastolarem baculum deferens, et has easdem vestes in sessionibus synodalibus retinet. Idem, *loco citato*, num. 3, ex *Cæremoniali episcop.* lib. I, cap. 31, et Gavant., in *Praxi synodi diœcesanæ*, cap. 13. (24. Secunda autem die synodi recitat consuetas preces defunctorum in pluviali nigro ; et tertia die assistit missæ cum stola et pluviali albo. Idem, libr. VI, cap. 1, n. 4.

(25. Pallium vero nec archiepiscopus, nec episcopus jus pallii habens, gestare possunt extra Ecclesiam, et extra missarum solemnia. Idem, lib. III, cap. 11, num. 4. *Vide* tradita in tom. I, verb. ARCHIEPISCOPUS, art. 3, num. 23 ad 25.

(26. Nec in omnibus missis ; sed archiepiscopus eo uti potest, dum solemnem missam celebrat in synodo provinciali : Idem, *ib.*, num. 6, et expresse *Cæremonial. episcop.*, lib. I, c., 31, ibi : « Cantabitur missa de Spiritu sancto solemniter per archiepiscopum, qui in ea utetur pallio. » (27. Et de facto in conciliis provincialibus pallio usos fuisse S. Carolum Borromæum Mediolani, et Benedictum XIII, dum erat archiepiscopus Beneventi, tradit card. Petra, tom. V in *Const.* 3 *Pii II*, sect. unica, num. 32. *Vide* tom. I, verb. ARCHIEPISCOPUS, art. 3, num. 27. (28. In missa autem solemniter celebranda in synodo diœcesana, nec archiepiscopus, nec episcopus pallii usum habens, potest ipso uti, ut indubitanter asserit idem Benedict. XIV, cit. lib. IV, c. 11, n. 6, dicens expresse, quod pallii usus pro die synodi diœcesanæ nusquam reperitur archiepiscopo aut episcopo usum pallii habenti concessus. (29. Unde Gavant., in *Praxi diœcesanæ synodi* c. 13, satis apposite scripsit : « Habitus episcopi in missa synodali erit pontificalis, et coloris rubei. Si celebrat solemniter, assumit omnia paramenta usque ad pallium exclusive. » Quod etiam notavit Pax Jordan., tom. II, lib. VIII, tit. 2, n. 92. Episcopus, etsi missam in synodo non celebret, omnia habere debet pontificiala ornamenta, eique assistunt diaconus et subdiaconus cum dalmaticis : idem, *ibid.*, num. 9. (30. Qui tamen, lib. V, cap. 1, num. 3, vult quod episcopus per seipsum missam celebret, ut illi imponit recens pontificale, quod prodiit auctoritate Clementis VIII, ubi episcopo et non alteri dicitur : « Paratus in sede celebrat missam de Spiritu sancto. » Nec satis est, ut episcopus missam privatam faciat, sed omnino decet, ut solemni et pontificali ritu celebret. (31. Sic quidem S. Carolus Borromæus in concilio provinciali *Mediolanensi* IV, part. II, titul. *Quæ pertinent ad sanctissimum missæ sacrificium*, pag. 152, dies enumerans, quibus episcopus « Patrum monimentis et veteri, eoque comprobato rituum, cæremoniarumque Romanarum codice » sacra mysteria solemni celebritate et pontificio apparatu perficere debet, primam quoque diœcesanæ synodi diem inter illas recenset. (32. Sic ille expressis verbis.

(33. Vicarius generalis in synodo diœcesana, si protonotarius sit apostolicus, utitur vestibus hujus muneris, rochetto scilicet et mantelletta. Et si ea careat prærogativa, utitur vestibus quibus per urbem incedere solet. Si autem sit de gremio capituli, in missa et solemni supplicatione utitur vestibus canonicalibus ; in sessionibus vero synodalibus, illis depositis, proprias assumit. Idem, *ibid.*, numero 7, ex Gavanto cit. c. 13, num. 11 et 12.

(34. Dignitates cathedralis, episcopo solemniter celebranti assistunt indutæ pluviali ; canonici presbyteri casula, diaconi et subdiaconi dalmaticis, ubi juxta *Tridentini* decretum sess. XXIV, c. 12, De reformat. sit facta præbendarum divisio. Ubi autem ea divisio nondum est facta, omnes canonici uti solent pluviali. Idem, *ib.*, n. 8, ex Gavant., *l. c.* n. 2. (35. Coadjutores canonicorum ecclesiæ cathedralis utuntur vestibus, quibus in choro uti consueverunt. (36. Vicarii foranei et archipresbyteri seu præpositi rurales in aliquibus diœcesibus, aut pluviale, aut aliud ornamentum assumunt, quo a cæteris distinguantur ; in aliis autem nullum obtinent speciale insigne. (37. Parochi quoque alicubi præter superpelliceum seu cottam, gestant capuccium, alibi stolam. (38. Cæteri de clero utuntur duntaxat superpelliceo. Idem, *ibid.*, num. 8, ex Gavant.

Digitized by Google

cit. cap. 13. Recte tamen cum ipso concludens, standum esse in his omnibus locorum consuetudini.

(39-42. Si episcopus in synodo missam privatim, vel nullatenus celebret (quod tamen juxta supra tradita, improbatur). Canonici cathedralis utuntur duntaxat vestibus choralibus. Et ei interessenti, ut debet, synodo omnibus ornato pontificiis insignibus, assistunt diaconus et subdiaconus cum dalmaticis, perinde ac si missam celebranti inservirent, ut præscribitur in *Pontificali Romano*; Idem, *ib.*, num. 9. Gavant. et Pax Jordan., *loco citato*, dignitates et canonici cathedralium habentes per apostolicum privilegium usum Pontificalium, in synodo, dum episcopus missam celebrat, processio peragitur et synodales sessiones habentur, possunt uti sola mitra cum vestibus aliorum canonicorum propriis, non vero cum aliis indumentis pontificalibus; cum enim præpositus collegiatæ Sanctæ Agathæ civitatis Cremonæ vellet Cremonensi synodo interesse indutus pontificalibus ornamentis, quorum usum illi cæteroquin competere nullus dubitabat, eique opponeret episcopus, proposito dubio in sacra congregatione concilii : « An præpositus S. Agathæ possit ultra usum mitræ in cathedrali et actionibus synodalibus uti baculo, aliisque pontificalibus ex laminis aureis cum separato genuflexorio, et sede occasione celebrationis missæ in synodo? » Sacra congregatio die 5 Aprilis 1720, respondit, « *Negative*, excepto usu mitræ simplicis in actibus synodalibus tantum. » Iterumque causa proposita die 4 Augusti 1733, sacra congregatio stetit in decisis, excepta qualitate mitræ, quam dixit posse a præposito gestari aurifrisiatam, Idem, *ibid.*, num. 11 et 12, ubi subjungit, quod credere fas est, ideo quoad hoc sacram congregationem sententiam mutasse, quia deprehensum fuit, præpositum exemptum esse ab episcopi jurisdictione. Cæteri quippe mitræ usum sibi a Sede apostolica concessum habentes, si episcopi jurisdictioni subjaceant, in episcopali synodo mitram simplicem duntaxat, et non aurifrisiatam gestare permittuntur, juxta apertam decisionem Clementis IV, in cap. *Ut apostolicæ*, De privileg., in 6, ibi : « De Fratrum nostrorum consilio præsenti decreto statuimus, ut abbates et alii, quibus mitræ usus est ab eadem Sede concessus, exempti quidem in provincialibus conciliis et episcopalibus synodis (quibus nonnulli eorum interesse tenentur) mitris tantummodo aurifrisiatis, non tamen aureas vel argenteas laminas, aut gemmam habentibus, uti possint; non exempti vero simplicibus et albis, ac planis utantur. In aliis vero locis exemptis et non exemptis, mitris liceat illis uti, prout concessa eis ab eadem Sede indulta permittunt. » Unde canonici, et alii, qui nobiliori mitra in aliis actibus et functionibus ecclesiasticis ex privilegio utuntur, si eamdem in synodo deferre gestiant, concludenter probare debent, id etiam honoris sibi specialiter et expresse, et quidem post Clementem IV, fuisse a Sede apostolica concessum.

(43. Vestis clericorum statui conveniens est talaris. Hinc fere omnia celebrata concilia post Tridentinum clericos coegerunt ad gestandam vestem talarem, et quidem nigri coloris; In concilio provinciali *Mediolanensi* I, part. II, sanctus Carolus Borrhomæus de clericorum vestitu loquens ait (part. I *Act. Ecclesiæ Mediolanens.* pag. 18) : « In omni vestitu color tantum niger adhibeatur... externa vestis simplex, et talaris est. » In concilio *Mediolanensi* anni 1570, tit. *De vita et honestat. clericor.*, cap. 3 (tom. X *Collect. Hard.*, col. 1195) jubentur clerici majorum ordinum, cum in publicum prodeunt, gestare *vestem talarem*. Concilium *Remense* anni 1583, tit. *De clericis in genere* n. 8 (*ibid.*, col. 1292) : « veste ecclesiastica, eaque talari, ac decenti utantur omnes clerici. » Concilium *Burdigalense* ejusdem anni tit. 1, sess. XXI (*ibid.*, col. 1359) cap. 2 : « Vestes eorum sint talares : » Quodque notabilius est, concilium provinciale *Narbonense* anni 1602, cap. 41 (tom. XI, *Collect. Hard.* col. 44), clericos etiam noctu incedentes ad deferendam vestem talarem coegit : « Noctu incedentes ex rationabili causa, togas talares deferent. » Conciliis provincialibus concinunt innumeræ synodi diœcesanæ congestæ a Genetto, *Theolog. moral.*, tom. I, tract. 1, cap. 9, et in *Appendic. ad synodum Fulginatensem episcopi Baptistelli* pag. 171 et sequent. Unde sacrorum canonum rigorem non augent, sed emolliunt synodales constitutiones, quæ obligationem deferendi vestem talarem a pluribus conciliis omnibus clericis generatim impositam, ad solos limitant clericos majorum ordinum aut ecclesiasticum beneficium possidentes. Et majori adhuc indulgentia lenitum reputari debet episcopale edictum, solos compellens sacerdotes ad eam saltem induendam, cum ecclesiam ingrediuntur sacris operaturi, cujusmodi est illud, quod promulgavit Benedict. XIV, uti archiepiscopus in diœcesi Bononiensi. Sic idem expressis verbis, *loco. cit.*, lib. VII, cap. 19, n. 3 et 4. Qui, *ibid.*, num. 1, testatur quod ecclesiastici omnes, qui adversus consimiles sanctiones uti nimio rigore conspersas dictitantes provocarunt ad sacram congregationem concilii, semper succubuerunt, uti videre est in notificatione 81, et in *Epistola pastorali* bon. mem. cardinalis Lantredini edit. in civitate Æsina, 1740, pag. 187 et sequent.

(44-47. Et quidem merito succubuerunt reclamantes contra tam justas sanctiones; imo severe puniri deberent, qui vestes proprio non congruentes ordini deferunt, contra expressum decretum concilii *Trident.*, sess. XIV, cap. 6. *De reformat.* ibi : « Quia vero, etsi non habitus faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecum ostendant, etc. » Unde contra ecclesiasticas in hoc delinquentes jam dixerat S. Bernardus. *De consideratione*

Digitized by Google

ad Eugenium III, lib. III, cap. 4. « At forma hæc vestium deformitatis mentium, et morum indicium est. Quid sibi vult, quod clerici aliud esse, aliud videri volunt? Id quidem minus castum, minusque sincerum. Nempe habitu milites, quæstu clericos, actu neutrum exhibent, nam neque pugnant ut milites, neque ut clerici evangelizant, » et contra alios magis adhuc in forma vestium delinquentes S. Hieronymus scripsit ad Eustochium epistola 22. « Tales cum videris, sponsos magis existimato, quam clericos (123). »

VIATICUM.

SUMMARIUM

1. Viatici nomine quid veniat? — 2. Viatici nomen unde veniat. — 3. Eucharistia danda infirmis nuncupatur viaticum. — 4. Tenetur ægrotus in mortis periculo constitutus sumere sacrum Viaticum, quamvis non sit jejunus. — 5. Sumere Eucharistiam per modum Viatici quid sit. — 6. Licet ægrotus sit jejunus, recte adhibetur ad hunc formula : *Accipe viaticum.* — 7. Qui mane communicavit ex devotione, si superveniat periculum mortis, an teneatur eadem die per modum Viatici communicare, *remissive.* — 8. In eadem infirmitate, et si non teneatur, potest tamen ægrotus post 6, 7 vel 8 dies repetere Viaticum non jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurrat. Imo secundum aliquos duobus diebus continuis. — 9. Viaticum dari debet etiam in die Parasceves. — 10. Alia ad rem ad n. 18.

(1. Viatici nomine apud profanos scriptores intelligitur cibus et pecunia, quæ in viam seu iter peragendum præparantur. Unde apud Plautum, teste eruditissimo Patre Gobat, tom. I, tract. 4, n. 180, dicitur viaticus is, qui sibi prospexit de rebus necessariis profectioni. (2. Viatici enim nomen venit a voce *Via*, et sumit annominationem a cibariis, quæ a viatoribus ad iter agendum præparantur. (3. Hinc a sacris scriptoribus divina Eucharistia identidem nuncupatur *Viaticum*. S. Thomas 3, p. q. 73, art. 4 in corpore, ibi : « In quantum scilicet hoc sacramentum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patria, secundum hoc dicitur viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi; » et sic expresse vocat ipsum concilium Carthaginense relat. in can. *Is qui* 8, caus. 26, q. 6, et concilium *Nicænum* relat. in can. *De his*, ead. causa, et quæstione, ubi statuit : « Ut si forte quis recedat ex corpore, necessario vitæ non defraudetur Viatico (124). »

(4. Tenetur ægrotus in mortis periculo constitutus, tum jure ecclesiastico, tum divino, sacrum Viaticum sumere, quamvis non sit jejunus. *Communis.* (5. Sumere Eucharistiam per *modum Viatici* est ipsam sumere eo tempore, quo pro mortis periculo obligat præceptum. Vasqu., tom. III, in 3, p. disp. 214, n. 17. Hurtad. *De Euchar.*, disp. 10, diff. 2; Gob., *l. c.*, n. 181, et alii.

(6. Et licet ægrotus sit jejunus, recte adhibetur adhuc formula *Accipe Viaticum*, etc., cum non minus sumat Eucharistiam per *modum Viatici* ægrotus jejunus, ac non jejunus, ex quo viaticum sit præparatio pro via ad cœlestem patriam brevi aggredienda, tam a jejuno quam a non jejuno; viatici enim nomen ex dictis *supra* n. 2 et 3, venit a voce *Via*, et sumit annominationem a cibariis, quæ a viatoribus ad iter agendum præparantur.

(7. Qui mane communicaverit ex devotione, si superveniat periculum mortis, an teneatur eadem die per modum Viatici communicare? *Vide* verb. Eucharistia n. 36.

(8. In eadem infirmitate, etsi non teneatur, potest tamen ægrotus post 6, 7 vel 8, dies repetere Viaticum non jejunus; dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurrat. Vide, *ibid.*, n. 37. Imo; ut habet Ursaya in *Miscellaneo* 1, litt. V, n. 28. Viaticum potest dari infirmo duobus diebus continuis : card. Brancat. *De sacro Viatico in extremo vitæ periculo exstantibus exhibendo* secutus a Coronello in *Bibliotheca universali*, litt. *B*, n. 2807, fol. 1037, ubi quod ita practicavit Philippus IV, Hispaniarum rex.

(9. Viaticum dari debet etiam in die Parasceves, sed nullatenus ipsa potest sanis præberi Eucharistia. Sacra Rituum congregatio 19 Februarii 1622.

(10. Viaticum corporis Christi non est ad infirmos deferendum, qui cum illud sumere impediantur, adorationis vel deosculationis causa ad se deferri expostulant. Benedict. XIV, constitut incip. *Cum, ut recte*, § 12 et 13. Et id jam nos tradidimus in tomo III, verb. Eucharistia, n. 50.

Morituro impotenti Eucharistiam sub specie panis deglutire, non potest sacramentum administrari sub specie vini, neque

(123) Porro licet Sirmondo, Thomassino, aliisque ultro concedatur, quinque prioribus Ecclesiæ sæculis civiles clericorum vestes modestia tantum, non forma, a communibus laicorum vestibus discrepasse, ne suspicari quidem possumus, unquam licuisse Christianæ religionis ministris divina celebrare mysteria sine specialibus, atque ad eum tantummodo usum destinatis sacris indumentis. Vide præter Bonam, Honoratum a S. Maria in suis animadversionibus in regulas, et usum criticos., t. II, diss. ubi disputat *De usu sanctarum vestium in mysteriorum divinorum administratione*, et Benedictum XIV, *De sacr. missæ*, lib. I, cap. 7 seq.

(124) Non sine tintinnabuli pulsatione a scholastico seu campanario facienda, deferendum esse Viaticum statuunt plura concilia. Apud Albericum in Chronico ad ann. 1200 exstat ea de re peculiare statutum Guidonis cardinalis, et apostolicæ Sedis Germania legati. Sed de varia in deferendo ad ægrotos Viatico disciplina consule præter Baronium *in Martyrol.* ad d. XVIII Kal. Sept., Bonam, *Rerum Liturgic.* lib. II, cap. 17, § 5; Martenium aliosque: Eminentissimum Garampium in *Vita B. Claræ Ariminensis* p. 187 et 509, et t. III *Bibl. Ritual.*; Zaccarian., Maldonatum disp. 3, p. 164 seq.

Digitized by Google

sub specie panis intincti in vino consecrato, sed omnino relinquendus est non refectus sacra communione, cum præceptum Viatici non obliget, nisi cum ministrari potest ritu ab Ecclesia non prohibito; iste vero ritus ab Ecclesia Latina omnino prohibetur. Vicissim autem licite administratur sub specie panis vino vel aqua non consecrata madefacti, ut facilius deglutiatur. Bened. XIV, *De sacrif. miss.* lib. III, cap. 19, § 6.

(11. Constitutio *Unigenitus* tantam sibi vindicat auctoritatem et obsequium, ut eidem publice refragantibus, veluti notoriis ac publicis peccatoribus, denegandum sit sanctissimum Viaticum. Bened. XIV, const. incip. *Ex omnibus*, § 3. Publici autem atque notorii sunt refractarii in casu, de quo agitur, quicunque per sententiam a judice competente prolatam, rei declarati sunt, eo nomine, quod debitam prædictæ constitutioni *Unigenitus* venerationem, obsequium et obedientiam contumaciter denegaverint: quicunque etiam se hujusmodi contumaciæ reos in judicio confessi sunt, ac præterea illi qui, quamvis nec a judice condemnati, neque reatum suum in judicio confessi fuerint, nihilominus, vel eo tempore, quo sacrum ipsum viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam et contumaciam adversus constitutionem *Unigenitus* sponte profitentur, vel in anteactæ vitæ decursu aliquid evidenter commisisse noscuntur, manifeste oppositum venerationi, obsequio et obedientiæ eidem constitutioni debitæ, in eoque facto moraliter perseverare, quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum non adhuc cessaverit. Sunt verba præcisa dictæ constitutionis sub § 4.

(12. In re autem dubia, quam regulam sequi debeant sacramentorum ministri, tradit Pontifex, *ibid.*, § 8 et 9, his verbis: Hoc itaque primum advertere debent, an scilicet ei, qui extremum viaticum postulat, cum antea ad sacram mensam accederet, Paschali præsertim tempore, a loci illius parocho, ubi degebat, Eucharistica communio administrata fuerit; si enim hæc illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut saltem non vere notorium peccatorem reputatum fuisse, indeque sequetur, sacrum Viaticum eidem in exitu vitæ publice postulanti denegari non posse; nisi forte, postquam olim ad eucharisticam mensam admissus fuit, et ante id tempus, quo postrema sacramenta requirit, aliquid commisisse noscatur, quo publici et notorii peccatoris notam, juxta præmissa, contraxerit.

(13-14. Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant, aliunde vero valide adversus ægrotum præsumptiones et indicia gravia et urgentia militant, ob quæ obortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeant; in his rerum circumstantiis, oportet eos, remotis arbitris, ægrotum alloqui, eique cum omni lenitate et mansuetudine, non tanquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere quæ et qualia sint indicia, quæ suspectum reddunt ipsius vitæ tenorem; rogantes eum, et obsecrantes, ut resipiscat, in eo saltem temporis articulo, a quo æterna ipsius salutis sors pendet; eidem præterea demonstrantes, quod quamvis ipsi parati sint sanctissimum corporis Christi Viaticum ei ministrare, non ideo tamen tutus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi et horrendi criminis reum se constituet, ex quo judicium sibi manducavit, et bibit: cæterum se non alia de causa sacramentum corporis Christi eidem ministraturos, nisi, ut Ecclesiæ jubenti obtemperent, quæ præter eam, quam habet, curam, ut scandala publica antevertat, pro sua etiam pietate, ægroti ipsius infamiam præcavere studet, licet peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in proprio tribunali publicum, atque notorium peccatorem agnoscit. Hæc ille § 8 et 9, ejusdem constitutionis merito integraliter perlegendæ et observandæ, quam idcirco ad litteram hic subnectimus:

« BENEDICTUS Papa XIV,

« Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinal., ac archiep., et episcopis regni Galliarum in novissimis comitiis cleri Gallicani congregatis, salutem et apostolicam benedictionem.

« Ex omnibus Christianis orbis regionibus, ad quas imposita imbecillitati nostræ pastoralis cura protenditur, cum multa sæpe ad Nos deferantur, quæ animum nostrum pro omnium, singularumque ecclesiarum statu sollicitum, et anxium habeant, vix tamen aliunde Nobis majores perturbationes, atque doloris causæ acciderunt, quam ex gravissimis controversiarum et dissensionum incommodis, quibus florentissimum istud regnum, et catholicam Gallorum nationem aliquot ab hinc annis jactari cognovimus. Neque sane destitimus hoc toto perturbationum vestrarum tempore Deum optimum maximum enixe rogare, ac interpositis etiam aliorum precibus orare atque obsecrare, ut ipse, qui Deus pacis est, veram solidamque tranquillitatem turbatis ecclesiis vestris reddere dignaretur. Sæpe etiam, datis ad charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Galliarum regem Christianissimum apostolicis litteris illius opem et brachium ad ecclesiasticæ pacis tutelam atque præsidium imploravimus. Iis autem, qui ad Nos et ad Sedem apostolicam de rebus istis recursum habuerunt, ea semper responsa dedimus, quibus Nos promptos paratosque declaravimus, pro pace Ecclesiæ Gallicanæ quam sincera et constanti dilectione prosequimur, quidquid Nobis vitæ superesse posset, libenter impendere, atque omnia quæ Nobis agenda proponerentur, et aggredi, et urgere, dummodo ejusmodi consilia essent, quæ ad repellendum malorum germen apta et idonea dignoscerentur, et quorum exsecutio cum spe prosperi eventus suscipienda, et ad intentum finem utiliter processura videretur.

Digitized by Google

« Gravem atque diuturnam de rebus vestris sollicitudinem, qua hactenus affecti fuimus, non parum sublevarunt litteræ e Gallicani cleri comitiis die 21 Octobris elapsi anni ad Nos scriptæ, quas quidem legentes, vestram, venerabiles fratres, firmitatem, atque constantiam, vestram perspeximus perfectam consensionem in custodiendo veræ sanæque doctrinæ deposito, et in retinenda, quam semper majores vestri professi sunt, erga apostolicam B. Petri Sedem, Catholicæ unitatis centrum, observantia et veneratione. Neque enim ullam inter vos dissensionem vigere comperimus quoad canonicas regulas et principia, sed scissuras tantummodo esse inter vos in deligendis statuendisque mediis quibus utendum necesario est, ut eadem communia principia in usum deducantur. Quod quamvis optandum fuisset longe abesse a conventu vestro, haud tamen mirum videri debet, scientibus, id alias inter sacros antistites et doctrina, et morum sanctitate conspicuos, in gravissimarum rerum tractatione evenisse. In magnam autem præconceptæ consolationis nostræ accessionem sese obtulit eximia Christianissimi regis pietas et religio, cum hæreditario ipsius in hanc Apostolicam Sedem obsequio conjuncta, quæ non in recentioribus tantummodo illius litteris, quas die 19 Decembris ejusdem elapsi anni, prædictam cleri epistolam huc mittens, ad Nos dedit, sed in cæteris quoque omnibus ab eo conscriptis præclare enituit : in quibus testari possumus atque debemus, Nos semper illius regii animi sensus eos plane deprehendisse, qui maxime decebant orthodoxum principem, et verâ in Deum religione, et sincera erga Romanam Sedem pietate præditum, eumdemque pacis atque concordiæ in suis regnis restituendæ et conservandæ amantissimum.

« Tanta est profecto in Ecclesia Dei auctoritas apostolicæ constitutionis, quæ incipit *Unigenitus*, eademque sibi tam sinceram venerationem, obsequium et obedientiam ubique vindicat, ut nemo fidelium possit, absque salutis æternæ discrimine, a debita erga ipsam subjectione sese subducere, aut eidem ullo modo refragari. Hinc porro consequitur, ut in ea, quæ exorta est, controversia, utrum hujusmodi refractariis sanctissimum corporis Christi Viaticum expetentibus denegari debeat, sine ulla hæsitatione respondendum sit, quoties prædictæ constitutioni publice et notorie refractarii sint, denegandum eis esse, ex generali nimirum regula, quæ vetat publicum atque notorium peccatorem ad eucharisticæ communionis participationem admitti, sive eam publice, sive privatim requirat.

« Publici autem atque notorii sunt refractarii, in casu, de quo agitur, quicunque per sententiam a judice competente prolatam rei declarati sunt, eo nomine, quod debitam prædictæ constitutioni *Unigenitus* venerationem, obsequium et obedientiam contumaciter denegaverint : quicunque etiam hujusmodi contumaciæ reos se in judicio confessi sunt, ac præterea illi, qui quamvis nec a judice condemnati, neque reatum suum in judicio confessi fuerint, nihilominus, vel eo tempore, quo sacrum ipsum Viaticum susceperi sunt, propriam inobedientiam et contumaciam adversus constitutionem *Unigenitus* sponte profitentur, vel in anteactæ vitæ decursu aliquid evidenter commisisse noscuntur, manifeste oppositum venerationi, obsequio et obedientiæ eidem constitutioni debitæ, in eoque facto moraliter perseverare, quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum, non adhuc cessaverit : in his enim casibus eadem omnino adest moralis certitudo, quæ habetur de iis factis, super quibus judex sententiam tulit, vel saltem alias suppetit moralis certitudo prædictæ similis, et æquipollens.

« In quo tamen præ oculis habenda est differentia, quæ intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cujus facti reatus in ipsa sola externa actione consistit, ut est notorietas usurarii aut concubinarii, et aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi dispositione plurimum pendet; de quo quidem notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud gravibus sane probationibus evinci debet; sed alterum gravioribus certioribusque argumentis probari oportebit.

« Ea vero, quam supra innuimus, certitudo minime adesse dicenda est in aliis casibus, in quibus crimen innititur conjecturis, præsumptionibus, incertisque vocibus, quæ originem suam plerumque debent hominibus, aut malo animo affectis, aut qui præjudicatis opinionibus, vel partium studiis ducuntur, quibus dum fides habetur, satis compertum est, tum præteritorum temporum, tum ætatis nostræ experientia, quot modis homines errare et falli, ac in transversum agi contingat.

« Quia vero nonnulli animarum pastores, Ecclesiæque ministri, pietate et zelo commendati, hujusmodi conjecturis et præsumptionibus deferentes, dum ad sacrum Viaticum aliquibus ministrandum advocantur, animo anxii hærent, verentes ne id sine propriæ conscientiæ periculo administrare non possint, certam subnectimus agendi regulam, quam sequantur.

« Hoc itaque primum animadvertere debent, an scilicet ei, qui extremum Viaticum postulat, cum antea ad sacram mensam accederet, Paschali præsertim tempore, a loci illius parocho ubi degebat, eucharistica communio administrata fuerit : si enim hæc illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem aut saltem non vere notorium peccatorem reputatum fuisse, indeque sequetur, sacrum Viaticum eidem in exitu vitæ publice postulanti denegari non posse, nisi forte, postquam olim ad eucharisticam mensam admissus fuit, et ante id tempus, quo postrema sacramenta requirit, aliquid

Digitized by Google

commisisse noscatur, quo publici et notorii peccatoris notam, juxta præmissa contraxerit.

« Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant; aliunde vero validæ adversus ægrotum præsumptiones et indicia gravia, et urgentia militent, ob quæ obortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeant, in his rerum circumstantiis, oportet eos, remotis arbitris, ægrotantem alloqui, eique cum omni lenitate et mansuetudine, non tanquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere, quæ et qualia sint indicia, quæ suspectum reddunt ipsius vitæ tenorem, rogantes eum, et obsecrantes, ut resipiscat, in eo saltem temporis articulo, a quo æterna ipsius salutis sors pendet : eidemque præterea demonstrantes quod, quamvis ipsi parati sint sanctissimum corporis Christi Viaticum ei ministrare, ac etiam reipsa illud ei ministrent, non ideo tamen totus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi et horrendi criminis reum se constituet, ex quo judicium sibi manducavit et bibit; cæterum se non alia de causa sacramentum corporis Christi eidem ministraturos, nisi ut Ecclesiæ jubenti obtemperent, quæ præter eam, quam habet, curam, ut scandala publica antevertat, pro sua etiam pietate, ægroti ipsius infamiam præcavere studet, et idcirco eum a sacra mensa non repellit, dum ipsum, licet peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in proprio tribunali publicum atque notorium peccatorem agnoscit.

« Hanc itaque judicandi agendique normam oportet vos, venerabiles fratres, utpote Nostro et Apostolicæ sedis judicio prolatam, inferioribus animarum pastoribus, cæterisque presbyteris per civitates et diœceses vestras sacramenta legitime administrantibus, sequendam et observandam proponere. Quod quidem judicium super vigentibus controversiis a Nobis interpositum et ecclesiasticis regulis nititur, et conciliorum olim in ipsis Galliarum regionibus habitorum decretis, et gravium ipsius nationis vestræ theologorum sententiis fulcitur. Ut igitur vobis laudi fuit, illustrium prædecessorum vestrorum exempla sequendo, promotas isthic controversias, subortaque dubia ad Nos et Apostolicam sedem deferre, certamque hinc regulam ad revocandam, tuendamque Ecclesiarum vestrarum pacem exposcere, ita nunc officii vestri partes, vestraque simul apud Deum, et Ecclesiam merita cumulabitis, si suprascriptam agendi methodum ab iis, ad quos pertinet, in occurrentibus casibus omnino servari curabitis. Quod Nos a fraternitatibus vestris eo fidentius exspectamus, Nobisque pollicemur, quo magis nobis ipsi conscii sumus, nihil diligentiæ aut studii a Nobis prætermissum fuisse, sive in perpendendis, ac discutiendis articulis, quos episcopi in præfati clerici comitiis adunati, licet non unanimi sententia, proposuerunt, desumendisque ex ipsa eorum discrepantia notionibus, ad rem penitus percipiendam, rectoque judicio definiendam opportunis, sive in legendis, ponderandisque sententiis scripto exaratis a venerabilibus fratribus nostris hujus S. R. E. cardinalibus, quorum hac de re consilia exquisivimus; sive in cæteris omnibus exsequendis atque præstandis, per quæ divini luminis adjutorium, quod interim flagrantissimis votis implorare non prætermisimus, Nobis promereri possemus.

« Neque vero dubitamus, quin charissimus quoque in Christo filius noster rex Christianissimus, postquam susceptum a vobis consilium non solum probavit, sed etiam, ut supra innuimus, suis ad Nos datis litteris fovere et adjuvare non recusavit : pro sua perspecta in Deum et Ecclesiam religione ac pietate validam fraternitatibus vestris opem præbere studeat, quo tam vobis quam inferioribus Ecclesiæ ministris, liberum et integrum sit, ad superius descriptam agendi normam sacrorum mysteriorum administrationem moderari. Qua quidem fiducia freti, Nos hic sermonem minime habendum existimavimus de reliquis fratrum vestrorum articulis respicientibus episcopalia jura circa eorumdem sacramentorum participationem concedendam vel denegandam, et varias super hac re obortas controversias, sed potius cum ipso Christianissimo rege per alias litteras nostras agendum duximus, ut is sacra episcopatus jura, sua animi magnitudine, ac præstanti virtute, tueatur. Quod ipsum, et proprio, et majorum suorum more, facturum certo confidimus : ut nobilissimæ Galliarum Ecclesiæ, illius regio favore nostris vestrisque studiis obsecundante, suum pristinum decorem retinuisse, et perturbatam ad tempus tranquillitatem cito recuperasse lætentur. In cujus optatissimi eventus auspicium fraternitatibus vestris, cunctisque populis pastorali curæ vestræ concreditis Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die decima sexta Octobris 1756 Pontificatus nostri anno decimo septimo. »

(15. Alia ad rem. *Vide* verb. EUCHARISTIA, verb. INFIRMUS, verb. MORIBUNDUS.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(16. Juxta *Rituale Romanum* Pauli V, tit. *De commun. infirm.* non potest Viaticum ministrari de novo, nisi infirmus per *aliquot* dies supervivat.

(17. Quæstionis propterea est, quot dies debeant intercedere? Sunt qui tenent sufficere quod intercedant duo dies, ea adducta ratione, quod numerus pluralis contentus est duobus. (18. At dictionem *aliquot* importare majorem numerum dierum, et saltem quatuor, tenet Romaguer., *Ad synod. Gerund.*, lib. III, tit. 27, cap. 28, n. 38.

Digitized by Google

VICARIUS APOSTOLICUS.

De vicario Apostolico hæc speciatim adnotanda.

(1. Pro vicario Apostolico non intelligitur hic eminentissimus cardinalis vicarius Urbis, cui competunt amplissimæ facultates ex concessione variorum Summorum Pontificum, et signanter Pauli II, constit. incip. *Licet Ecclesiarum*, Julii II, constit. incip. *Decet*, Pauli III, constitut. incip. *Licet*, Clementis X constit. incip. *Supremo*, Innocentii XIII constitut. incip. *Quamvis Ecclesiarum;* et novissime Benedicti XIII : « in suo motu proprio expedito sextodecimo Kalendas Septembris anno 1724 Pontificatus anno primo; » ubi, ut observat et refert eminentissimus cardin. Petra, tom. V *Comment. in constitut.* 1 *Pauli II*, n. 61, amplas facultates a Clemente X, eminentissimo Urbis vicario concessas, et ab Innocentio XII restrictas ampliavit ad terminos primævæ concessionis Clementis X. Unde de isto non est hic sermo, sed de illo vicar. Apostolico, qui interdum mittitur a Summo Pontifice cum brevi, vel a sacra congregatione Episcop. et Regularium ex aliqua legitima causa cum litteris ejusdem, cum facultate administrandi totam jurisdictionem episcopalem, aliquibus tamen exceptis casibus in particulari; Et hic vicarius Apostolicus mitti solet aliquando Sede episcopali plena, et aliquando Sede vacante.

(2. Talis vicarius Apostolicus potest ibi ea omnia facere, quæ potest episcopus, exceptis Pontificalibus; sicque jurisdictio vicarii Apostolici est eadem ac episcopi, can. *Quoniam* 19, dist. 61, cap. *Is cui*, De election. in 6.

(3. Vicario Apostolico, ultra potestatem ordinariæ jurisdictionis sibi traditæ, concedi solent multæ aliæ facultates pro temporum ac personarum diversa exigentia; unde diligenter attendendum est Breve Pontificium, et animadvertendæ litteræ sacræ congregationis, si ab ipsa sit missus, ac deputatus; signanter autem solet ei concedi, ut possit exsequi litteras Apostolicas episcopo, vel ejus vicario directas, æque ac si dirigerentur ipsimet vicario Apostolico; sic declaravit etiam in casu dubio sac. cong. Episcop., *in una Assisien.* 10 Maii 1593, et *in una Bisinianen.* 18 Maii 1632.

(4. Vicarius Apostolicus potest visitare diœcesim, et si cum ipso visitet etiam episcopus, non potest episcopus se ingerere in visitatione, sed solum in exercitio Pontificalium, si non sit ei interdictum; nec possunt episcopus et vicarius Apostolicus simul ducere secum plus quam quinque personas, ut, ne clerus eo casu duplicibus expensis gravetur, statuit sac. congreg. Episcop., *in una Cajacen.* 20 Aprilis 1601, *in Consentinen.* 19 Novembr. 1652, et *in Bisinianen.* 23 Augusti 1652.

(5. Ad vicarium Apostolicum solum sine interventu episcopi spectat facere concursum, sicut et synodum et declarare magis idoneum, quia episcopus non habet, nisi administrationem ordinis; nisi sit ipsi interdicta etiam ista administratio. Sacr. congreg. Episc., *in Licien.* 9 Junii 1653.

(6. Potest, imo debet vicarius Apostolicus invigilare super manutentione introituum mensæ episcopalis, cum ad ipsum hoc spectet. Sac. congreg. Episcopor., *in una Tranen.* 7 Junii 1652.

(7. Non tamen potest se intromittere in reditibus mensæ, nisi in quantum sibi debetur pro suis provisionibus, et interesse, et non in aliis. Sac. congreg. Episcop., *in Caputaquen.* 8 Octob. 1585, et *in Lancianen.* 17 Novemb. 1646.

(8. Neque potest dimissorias ad ordines concedere, cum hæc facultas illi in specie auferri soleat in brevi, ut pluries censuit sac. congregat. Episcop., et signanter in *Tranen.* 9 Junii 1745, et *in Ugentin.* 3 Octob. 1655. (9. Neque potest vicarius Apostolicus concedere dimissorias subditis nullius, sed ipsis concedendæ sunt ab episcopo viciniori. Sac. congreg. Episcop., *in una Nullius* 9 Aug. 1694, et antea sæpissime, ut refert Nicolius in *Floscul.*, verb. *Dimissoriæ*, num. 4.

(10. Neque potest beneficia conferre, nisi specialiter sibi in brevi fuerit concessum, sed hoc spectat ad episcopum in suis mensibus de jure ordinario. Sac. congreg., episcop., *in Tarentina* 3 Decemb. 1686. (11. Si autem episcopus reperiretur suspensus a jurisdictione, et haberet præservatum jus conferendi beneficia, non posset ex approbatis in concursu parochialis digniorem præeligere, sed hoc pertineret ad vicarium Apostolicum, ut præter decreta, quæ referuntur a Fagnano, in cap. *Illa*, *ne Sede vacante*, num. 30 et seq. declaravit sacra congreg. Concilii, *in Sorana* 12 Decembr. 1699, apud Monacell., part. 1, tit. 4, formul. 16, n. 3. (12. Neque potest processare et punire vicarium episcopi sine speciali licentia et concessione sacræ congregationis, ut declaravit sacr. congr. Episcop., *in Larinens.* 15 Decembris 1587, et *in Asisien.* 21 Junii 1588. (13. Neque a fortiori potest se intromittere vicarius Apostolicus in causis personam episcopi concernentibus, sive in civilibus, sive in criminalibus, sive in mistis, nisi super his specialiter illi concedatur a Summo Pontifice, vel a sacra congregatione. Sic censuit sacra congr. Episcop., *in una Cajacen.*, 20 Aprilis 1640.

(14. Et a contrario neque episcopus ullam habet jurisdictionem et auctoritatem in vicarium Apostolicum, ita ut, si ipse deliquit, nec informationes capere possit contra ipsum, nequidem officio finito; et multo minus poterit edicto aliquo ipsius honorem deturpare, ut declaravit sac. congreg. Episcop. *in una Theanen.* 20 Martii 1612, et *in Monovolitana* 16 Octob. 1627.

Digitized by Google

(15. Item neque potest episcopus tenere vicarium generalem tempore, quo adest vicarius Apostolicus, nec aliquo modo se intromittere valet in negotiis jurisdictionem tangentibus. Imo neque potest exsequi litteras Apostolicas sibi directas sub nomine dignitatis, ut declaravit ead. sac. congreg. Episcop., *in Nolana* 27 Septembris 1641.

(16. Vicarius Apostolicus non potest compellere canonicos ad deducendum illum a palatio ad ecclesiam et ab ecclesia ad palatium, quia hoc est proprium privilegium episcopi. Eadem sacra congreg. Episcop., sub die 28 Augusti 1589, fol. 268, § 10.

(17. Neque potest prætendere, ut sibi detur incensum inter missarum solemnia, nempe in principio missæ, post evangelium et in offertorio; sed semel tantum dari debet in offertorio, et non amplius. Et tunc si episcopus est præsens, bis ducto thuribulo, si absens, ter ducto. Sac. cong. episc., *in Cojetana*, 14 Januar. 1595.

(18. Neque potest prætendere, ut sibi deferatur osculandus liber Evangelii, nisi sit episcopus, quia hoc est privilegium solis episcopis concessum. Sac. cong. Episc. 28 Augusti 1589.

(19. Neque potest habere duos clericos cum cottis, quando celebrat, ut ipsi inserviant, etiamsi sit protonotarius Apostolicus: et nec quatuor candelas accensas in altari tenere, nisi hoc fieret propter ibi festivitatem occurrentem. Sac. Rit. congreg. 7. Augusti 1627.

(20. Neque potest facere functiones episcopales absente vel impedito episcopo, sed hoc spectare ad primam dignitatem et successive ad alios seniores de capitulo, declaravit sacra Rit. congreg. *in Brundus.* 5 Februar. 1614 *in Alatrina* 11 Jan. 1618. *in Alguren. et in alia Brundus.* 20 Dec. 1625.

(21. Neque potest missas solemnes cantare, SS. Sacramentum aut sacras reliquias paratus deferre, nec aliis functionibus ecclesiasticis se immiscere, sed tantum præesse, ut omnia suo ordine recte fiant. Sac. cong. Episcop., *in Sassaren.* 14 Aprilis 1592, *in Bisinianen.* 16 Maii 1600, *in Spoletana* 22 Dec. 1611, *in Ortonen.* 19 Sept. 1627.

(22. Vicarius Apostolicus deputatus a Papa durare solet absque controversia etiam Sede Apostolica vacante. Sac. cong. Episc., *in Licien.* 17 Nov. 1590, eodem anno *in Castillanetana.*

(23. Imo si vicarius episcopi mortui fuerat missus a Papa, vel a sacra congregatione, non potest per capitulum, Sede vacante, expelli, et novus vicarius capitularis eligi. Sac. cong. Episc., *in Aquilana* 4 Augusti 1578.

(24. Solet tamen ex abundantia sacra congregatio, occurrente casu vacationis, prohibere capitulis, ut non procedant ad electionem vicarii capitularis: Sac. cong. Episc., *in Spoletana* 2 Aprilis 1591, *in Licien.* 22 Decemb. 1638, *in Basinianen.* 2 Augusti 1647.

ADDITIONES CASINENSES.

Quoties, vivo episcopo, vicarius Apostolicus datus sit, is, adhuc mortuo episcopo, in eodem munere continuat. Quippe ob reverentiam supremæ Sedis non dari in hoc casu locum electioni vicarii capitularis doctores consentiunt, fuitque non semel resolutum per sacram congregationem Conc. Hinc ait cardinalis Petra: « Si eligatur vicarius Apostolicus, et deinde moriatur episcopus, tunc capitulum non potest eligere novum vicarium capitularem, et proinde solet sacra congregatio Concilii prohibere. » *Comment ad Constitut. Apostolic.* tom. I, *Constit.* 2 *Leonis IX*, sect. 5, n. 42.

Item, ut habet Pellegrinus: « Capitulum non potest devenire ad electionem vicarii Capitularis post habitam notitiam mortis vel translationis episcopi, quando vicarius episcopi defuncti vel translati missus fuerit a S. Sede Apostolica, vel a sac. congregatione Episcoporum, sic declaravit ead. congregat. *in Aquilana* 4 Augusti 1578, quia durat etiam Sede vacante: eadem congreg. *in una Licien.* 17 Novem, 1590. » *Præx. Vicar.*, part. I, sect. 4, subsect. 1, n. 21.

« Et revera (prosequitur is idem scriptor, cit. part. I, sect. 2, subsect. V, n. 9) talis vicarius missus ab Urbe, est vere vicarius apostolicus, et jurisdictionem habet privative quoad episcopum, nec episcopus illum removere potest. Sac. congregat. Episcop., *in una Savonen.* 17 Sept. 1605; et *in una Motulen.* 5 Augusti 1650. et *in una Civitatis Castellanæ* 5 Aprilis 1591 et *Mediolanen.* 8 Febr. 1594 et *Bisinianen.* 18 Martii 1632 et *in una Castren.* 16 Martii eod. anno. Cui sententiæ (sic idem Pellegrin.) adhæreo, quia hodie in praxi servatur, et de facto accidit mihi (prosequitur Pellegr.) anno 1646, dum essem vicarius Apostolicus in Calabria cum litteris sacræ congregationis. »

Eademque in terminis habentur apud Nicolium, in *Floscul.*, verb. *Vicarius generalis*, num. 39, ubi ait: « Revera talis Vicarius missus ab Urbe, est vicarius Apostolicus, et jurisdictionem habet privative quoad episcopum, nec episcopus illum removere potest. » Atque ad rem allegat resolutiones adductas hic supra a Pellegrino.

(25. Vicarius Apostolicus missus, Sede vacante, potest expedire litteras, quæ vicariis episcopalibus dirigi solent, ac dare dimissorias post annum et infra annum arctatis, si esset vicarius capitularis, nisi hoc ei specialiter sit prohibitum. Sacr. cong. Episc. *in Aquil.* 22 Sept. 1628.

(26. Vicarius Apostolicus tenetur residere in diœcesi, ad quam regendam missus fuit, nec potest ab ea ad longum tempus discedere, et alium substituere absque prævia licentia sacræ congregationis Episc. ut ead. sac. cong. declaravit *in Spoletana* 19 Jun. 1607.

(27. Quod habet locum, etiamsi sit vocatus ab aliquo principe, nam neque tunc potest. Sac. cong. Episcop., *in Messanen.* 27 Maii 1603. (28. Neque potest absque dicta licentia discedere, etiamsi sit accessurus ad Urbem. Sac. cong. Episc., *in Reatina* 22 Decembris 1600.

Digitized by Google

(29. Vicarius Apostolicus debet habere in choro, si non sit canonicus, præcedentiam supra omnes, et ideo sedere debet in digniori sede, non tamen in solio episcopali. Sac. cong. Episc., *in Cajetana* 22 Januar. 1596. (30. Quod si dignior sedes chori esset occupata, tunc dignitates et canonici descendere debent inferius uno gradu, relinquendo majorem ipsi vicario. Sac. cong. Episcop., *in Licien.* 14 Aug. 1590.

(31. Vicarius Apostolicus debet habere salarium scutorum ducentorum monetæ Romanæ pro singulis annis ab episcopo vel a mensa episcopali sede vacante, nisi in Brevi Pontificio aliter exprimeretur, et insuper scuta quinquaginta ejusdem monetæ pro accessu, et totidem pro recessu; aliquando tamen taxatur minus, vel plus secundum locorum distantiam. Sac. cong. Episcop., *in Caputaquen.* 20 Septembr. 1580, *in Cajacen.* 27 Februar. 1603, et pluries alibi. (32. Quod salarium non incipit currere a data brevis, sed a die possessionis, et ingressus in civitatem, quando cœpit jurisdictionem exercere; et ratio est, quia pro viatico dantur sibi expensæ accessus, ut dixit ead. sac. cong. Episc., *in Brundusina* 10 Jun. 1611, *in Cajacen.* 13 Novembr. 1640.

(33. Si autem deputaretur vicarius Apostolicus aliquis in eadem civitate residens, non posset iste prætendere expensas accessus, neque recessus, si ab ea revera non recederet. Sac. congregat. Episcop., *in Bisinianen.* 14 Junii 1645, *in Tridentina* 2 Martii 1646. (34. Neque potest, usquequo discedat, Summam taxatam pro recessu prætendere. Sac. congreg. episcop., *in Cajacen.* 23 Novemb. 1640.

(35. Si vero episcopatus habet tenues reditus et, detracta provisione prædicta, non posset episcopus cum residuo decenter sustentari, deberet fieri nova taxatio, et diminui prædicta provisio, habita ratione paupertatis episcopi. Sacr. congreg. Episcop., *in una nullius, Altamuræ*, 7 Decembr. 1604, *et in alia* 2 Augusti 1647. (36. Quæ moderatio potest, imo debet fieri ad scuta centum quinquaginta, et aliquando ad centum pro prædicta ratione paupertatis et tenuitatis redituum episcopalium. Sac. cong. Episc., *in Ferentina* 1653, *in Cotronen.* 3 Octobris ejusdem anni.

(37. Si assignata provisio ipsi retardetur, potest ipse vicarius auctoritate apostolica fructus mensæ episcopalis sequestrare, quousque satisfactionem recipiat. Sacr. congreg. Episcop., *in Cajacen.* 29 Novembr. 1600, *in Theanen.* 17 Septembr. 1602.

(38. Vicarius Apostolicus, ultra provisionem prædictam una cum accessu et recessu debet habere solita emolumenta vicariatus, et honoraria pro decretis; non tamen habere debet, nec recipere potest emolumenta, quæ proveniunt ex sigillo : illa enim spectant ad episcopum, sive ad mensam. Sac. cong. Episc., *in Aquilana* 24 Octobr. 1585, *in Theanen* 21 Augusti 1615.

(39. A sententiis vicarii Apostolici appellatur ad metropolitanum, non ad Papam, ut declaravit sacra congreg. Episcop., facto verbo cum sanctissimo Papa Gregorio XIII, *in una Salernitana* 7 Julii 1580, et *in Caputaquen.* 22 April. 1686.

(40. Vicarius Apostolicus non potest absolvere a censuris Sedi Apostolicæ reservatis sub quocunque prætextu et causa. Sacr. congregat. Immunitat., *in Consentina* 10 Maii 1633, lib. II *Decretor.* Paul., pag. 156.

(41. Non habet auctoritatem extrahendi confugitos, nec res a loco immuni; et homicidam a se extractum tenetur restituere Ecclesiæ. Sac. congregat. Immun., *in Nolana* 2 Apr. 1695, lib. II *Decret.* Vall. p. 180.

(42. Vicario Apostolico prohibetur concedere terminum et recursum in causis violatæ Immunitatis sacr. congreg. Immun., *in Licien.* 26 Junii 1629, l. I *Decret.* Paul. p. 43.

(43. Acriter monetur vicarius Apostolicus Reatinus ob commissionem causæ violatæ immunitatis, et libertatem datam archipresbytero N. commoranti in regno sub motivo, quod in regno nequeant exsequi decreta emanata a judicibus in statu ecclesiastico exsistentibus absque *exsequatur* regio. Sac. congr. Immunit., *in Reatina* 8 Augusti 1702, lib. III *Decret.* Vallem., pag. 435.

(44. Reprehenditur, quia permisit curiæ laicali extrahere cadaver ab ecclesia pro recognitione corporis delicti. Sac congreg. Immun., *in Sorana* 13 Januarii 1699, lib. I *Dec.* Vallem., p. 197.

(45. Item, quia requisitus renuit procedere contra violatores Immunitatis ecclesiasticæ. Sac. congreg. Immun., *in S. Agathæ Gothorum* 10 Februarii dicti anni, et lib., pag. 203.

(46. Eidem præcipitur, ut incumbat carcerationi complicis homicidii facti in ecclesia. Sac. cong. Immunitat., *in eadem* 5 Maii dicti anni, et lib., pag. 219.

(47. Eidem datur facultas extrahendi et assecurandi res ad mensam episcopalem pertinentes exsistentes in locis immunibus. Sac. cong. Immun., *in Hyeracen.* 19 Febr. 1694. lib. I *Decret.* Vallem. pag. 172.

(48. Item datur facultas perquirendi et extrahendi ex palatio episcopi res spectantes ad episcopum, exceptis sacris supellectilibus. Sac. cong. Immun., *in Nolana* eadem die, *ibid.*

(49. Cum facultate Apostolica potest consignare curiæ laicali res, et acta corporis delicti cum solita præservatione. Sac. cong. Immunit., *in Immolen.* 30 Novembris 1695, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 23.

(50. Vicarius Apostolicus, sicuti solet mitti propter plures et diversas justas causas, ita propter plures et diversas justas causas solet removeri. (51. Causæ autem præcipuæ, propter quas solet mitti seu deputari, sunt sequentes. Primo, si episcopus male gubernet. Secundo, si sit sordidus. Tertio, si sit senex. Quarto, si sit suspensus a jurisdictione. Quinto, si non expedivit Bullas per multos annos. Sexto, si sit morosus in pensione solvenda. Septimo, si sit processandus. Octavo, si sit

Digitized by Google

vocatus ad Urbem. Nono, si non resideat. Decimo, si non vult recipere vicarium missum ab Urbe. Undecimo, si moriatur morte violenta. Duodecimo, si capitulum in electione vicarii capitularis non concordavit. Tertiodecimo, si capitulum eligit indoctum. Quartodecimo, si vicarius capitularis vocetur ad Urbem. Quintodecimo, si Ecclesia diu vacavit. Sextodecimo, si interesse cameræ Apostolicæ ita requirit. Decimo septimo, si negligit episcopus exsequi decreta visitationis Apostolicæ. Decimo octavo, propter utilitatem Ecclesiæ. Decimo nono, propter aliquos gravissimos respectus. Vicesimo, propter inhabilitatem vel impedimentum episcopi.

(52. Causæ vero, propter quas vicarius Apostolicus solet removeri, sunt præsertim sequentes. Primo, si episcopus non sit solvendo. Secundo, si Ecclesia fuit provisa de pastore. Tertio, si episcopo restituatur jurisdictio. Quarto, si ipse vicarius pecuniam indebite extorqueat. Quinto, quando non defendit Immunitatem. Sexto, quando in ipso detegitur aliqua infamia prius ignorata. Septimo, si damnatus sit, ex quo conversetur cum bannitis. Octavo, si filios bastardos habeat prius ignoratos. Nono, si illicite negotietur. Decimo, si sit exosus populo et clero. Undecimo, si contra prohibitionem expressam sacræ congregationis practicam cum monialibus habeat. Sic doctissimus Pellegrinus, in *Praxi vicariorum*, p. I, sect. 6, ubi omnes supradictas causas tum deputationis, cum remotionis assignat, afferens pro omnibus decreta sacræ congregationis, et insuper formulam deputationis per extensum.

(53. Vicario Apostolico in omnibus Ecclesiis et ecclesiasticis functionibus debentur tantum illæ prærogativæ, quibus gaudent vicarii generales episcopi, et titulus illustrissimi vicario Apostolico non debetur. Sac. Rit. cong. *in Spoletana* 12 August. 1684, et *in Imolen.*, eod. die et anno.

(54. Vicarius Apostolicus a Pontifice per se immediate vel per sacram congregationem Episcop. et Regular. Ecclesiæ vacanti vel plenæ præficitur triplici de causa, nempe, vel quia timetur de nimium diuturna sedis vacatione; vel quia episcopus ob senectutem, aut adversam valetudinem inhabilis effectus est ad Ecclesiam regendam; vel quia ab ejusdem Ecclesiæ administratione suspensus vel remotus fuit; Bened. XIV, *De synodo diœcesana*, lib. II, cap. 9, num. 7. (55. Ejus facultas modo amplior, modo strictior est; cum pro sacræ congregationis libito aliquando amplietur, et aliquando limitetur, prout exigunt rerum circumstantiæ, in quibus constituitur; (56. unde ne erret in ministerio, debet facultates sibi concessas accurate perpendere. Idem, *ibid.*, num. 7 (57. Potest et debet sine episcopo Ecclesiæ, cui præfectus est, celebrare synodum diœcesanam. Idem, *ibid.* Vide *supra*, n. 5, ubi quod ad vicarium Apostolicum solum sine interventu episcopi spectat facere concursum, sicut et synodum, et declarare magis idoneum; ut declaravit S. C. Episc. et Regular., *in Licien.* 9 Junii 1608 et *in Bisinianen.* 16 Maii 1635. (58. Et n. 51 et 52, ubi viginti assignantur diversæ justæ causæ, propter quas solet mitti vicarius Apostolicus, et duodecim propter quas solet removeri.

(59. Vicarii Apostolici Indiarum Orientalium non habentes episcopum cum futura successione, tenentur assumere vicarium generalem. Benedict. XIV, constitut. incip. *Ex sublimi*, § 1. (60. Et eidem assumpto vicario generali conceduntur omnes et singulæ facultates competentes vicariis capitularibus cathedralium sede vacante. (61. Eidemque post Apostolici vicarii obitum conceditur usus et exercitium earum facultatum, quibus gaudebat, dum viveret, defunctus Apostolicus vicarius episcopi, iis duntaxat exceptis, quæ requirunt ordinem et characterem episcopalem, vel non sine unctione sacrorum oleorum exercentur; et quandocunque necessitas urgeat, eidem conceditur facultas consecrandi calices, patenas et altaria portatilia, cum sacris oleis omnino ab episcopo benedictis. Idem, *ibid.*, § 3.

(62. Vicarii Apostolici per quascunque regiones constituti, qui episcopi non sunt, tenentur sibi provicarium eligere; idem constit. *Quam ex sublimi*, § 2.

(63. Alia de vicariis Apostolicis in Anglia constitutis. *Vide* verb. MISSIONARII.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(64. Mitti solet vicarius Apostolicus, tum sede episcopali vacante, tum sede episcopali plena. (65. Priori casu exsequi potest litteras quæ dirigi solent vicariis episcoporum, concedere dimissorias post annum, et intra annum arctatis, ac si esset vicarius capitularis, nisi ei specialiter prohibeatur: Vulp., in *Prax. for. eccles.*, cap. 7, n. 15; Marchet., in *Prax. vicar. cap.*, part. II, tit. 15, n. 64; Bass. *De vicar. Apost.*, tit. 2, n. 1; Panimoll., dec. 1, adnot. 5, n. 9; (66. tum conferre beneficia liberæ collationis; Marchett., in *Prax. vicar. capitul.*, part. II, tit. 32, n. 15; Bass. *De vicar. Apostol.*, tit. 2, n. 1. (67. Solet vero, ut plurimum in Brevi, vel litteris facultas hæc concedendi litteras dimissorias, et conferendi beneficia limitari. Monacell., part. II, tit. 16, formul. 8, in princip., et rursus in adnot. sub n. 8 in fin., et præterea formul. 9.

(68. Item potest concedere monitoria pro revelatione, et contra non revelantes devenire ad excommunicationem. Marchett., in *Prax. vicar. capitul.*, part. II, tit. 22, n. 7; Bass. *De vicar. Apostol.*, tit. 2, n. 5.

(69. Potest præterea eligere concionatores. Bassi, *De vicar. Apostol.*, tit. 7, n. 6.

(70. De eo vero est dissensio, an possit erigere beneficia cum reservatione jurispatronatus. *Vide* DD. apud Bass. *De vicar. Apostol.*, tit. 2, n. 10.

(71. Convenit vero inter omnes quod possit alieno episcopo ad formam concilii *Trident.*, sess. VII, cap. 5, impertiri licentiam exercendi pontificalia, tum conferendi or-

Digitized by Google

dines non solum subditis diœcesis necessariis requisitis suffultis, sed etiam subjectis eidem episcopo ordinanti, imo etiam aliis alinnde cum dimissoriis suorum ordinariorum confluentibus. Priviter., in *Manual. antist.*, p. 86 per tot.; Bass. *De vicar. Apost.*, tit. 2, n. 11.

(72. Ad differentiam vicarii episcopi, tum capituli, vicarius Apostolicus utitur proprio sigillo ac titulo vicarii Apostolici, et aliis decoratur honoribus hujusmodi vicariis concedi solitis ad instar præsulum. Pignatell., *Consult. canon.*, tom. IX, consult. 139, n. 10 et seq.; Leuren., *De vicar.*, cap. 5, q. 599, n. 2.

(73. De vicario Apostolico sede plena disserit auctor, sed *vide* etiam de eo Bass., dict. tract., tit. 3 et per tot.

Viaculum esset, si hic haud moneremus, quod ubi res postulat, consulendus præ cæteris *de vicario Apostolico* est, sanctæ et immortalis memoriæ Benedictus XIV, *De synodo diœcesan.*, lib. II, cap. 10 per tot (125).

VICARIUS CAPITULARIS.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt ejus electionem, qualitatem, initium et finem suæ jurisdictionis.

SUMMARIUM.

1. Vicarius capitularis est eligendus a capitulo infra octo dies post mortem episcopi, alias electio devolvitur ad metropolitanum, ad n. 40. — 41. Quis possit eligi in vicarium capitularem, ad n. 48. — 49. Alia ad rem ad n. 68.

(1. Vicarius capitularis est eligendus a capitulo infra octo dies post mortem episcopi, alias electio devolvitur ad metropolitanum. *Communis*, textu expresso in concilio *Tridentino*, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 16, ibi : « Item officialem, seu vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituere vel exsistentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit, idoneus; si secus factum fuerit, ad metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. »

(2. Et si Ecclesia ipsa fuerit metropolitana aut exempta, et capitulum intra octo dies vicarium capitularem non elegerit, tunc electio vicarii capitularis pro metropolitana devolvitur ad antiquiorem ex episcopis suffraganeis, et pro Ecclesia exempta devolvitur ad episcopum propinquiorem. *Communis*, textu expresso in ipso concilio *Tridentino*, *loco citato*, ibi : « Et si Ecclesia ipsa metropolitana fuerit, aut exempta, capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior episcopus in exempta œconomum et vicarium idoneos possit constituere. »

(3. Ante concil. *Tridentinum* tamen de jure communi non tenebatur capitulum vicarium constituere, sede vacante, sed poterat per se ipsum jurisdictionem exercere. Abbas, in cap. *Irrefragabili*, n. 2, De officio ordinarii; Felin., in cap. *Cum olim*, n. 9, De majorit. et obedient.; Fagnan., in cap. *His quæ*, eod. tit., n. 16; Pellegrin., in *Praxi vicariorum*, part. I, sect. 4, subsect. 2, n. 5, et alii passim.

(4. Capitulum non potest cogi ad creandum vicarium intra pauciores dies quam octo, sed potest gaudere termino a sacro concilio sibi dato. *Vide* verb. CAPITULUM, art. 3, n. 29.

(5. Et infra illos dies, antequam vicarium constituat, exercitium jurisdictionis spectat ad totum capitulum in solidum, non autem ad primam dignitatem. Vide, *ibid.*, n. 30.

(6. Capitulum nedum potest eligere vicarium capitularem post mortem episcopi, sed etiam quando Ecclesia vacat per translationem episcopi ad aliam Ecclesiam. Vide, *ibid.*, n. 31.

(7. Et Ecclesia vacat per translationem episcopi statim ac habita fuit notitia, etiam ex testimonio seu documento secretarii Sacri Collegii, quod episcopus a suæ Ecclesiæ vinculo absolutus fuit in consistorio Sanctitatis Suæ, etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ; tunc enim capitulum potest, et debet sedem vacantem publicare, et vicarium juxta concilii *Tridentini* præscriptum eligere. Vide, *ibid.*, n. 31.

(8. Sic etiam capitulum potest constituere vicarium in casu quo episcopus efficiatur captivus ab hostibus catholicæ fidei. Vide, *ibid.*, n. 32.

(9. Item sedes vacat, si episcopus ingrediatur aliquam religionem, et tunc capitulum potest eligere vicarium capitularem. Vide, *ibid.*, n. 33.

(10. Item vacat sedes per renuntiationem. Vide, *ibid.*, n. 34. (11. Similiter vacat sedes per depositionem vel relegationem. Vide, *ibid.*, n. 35.

(12. Non potest tamen capitulum constituere vicarium in casu quo episcopus sit excommunicatus vel suspensus, vel in casu quo, episcopo in remotis degente, vicarius generalis ab ipso relictus moriatur, vel a principe sæculari ejiciatur a diœcesi, quia tunc recurrendum esset ad Sedem Apostolicam pro provisione. Vide, *ibid.*, n. 36.

(13. Capitulum non potest devenire ad electionem vicarii capitularis ante certam notitiam vacationis. Vide, *ibid.*, n. 37.

(14. Capitulum neque potest devenire ad electionem vicarii capitularis post habitam notitiam mortis, vel translationis episcopi, quando vicarius episcopi defuncti vel translati missus fuerat a Papa, vel a sacra congregatione Episcoporum. Vide, *ibid.*, n. 38.

(125) Et P. Andreas Hieronymus Andreuccius in egregio de vicariis commentario, p. 1, quæ tota est de vicario Apostolico, et exstat lib. 1 *Hierarchiæ ecclesiasticæ*, a pag. 235.

Digitized by Google

(15. Electio vicarii capitularis debet fieri, capitulo more solito capitulariter congregato, et per secreta suffragia, alioquin nulla est. Vide, *ibid.*, n. 39.

(16. Capitulum non potest eligere in vicarium capitularem, nisi unum tantum; et si eligat plures, electio devolvitur ad metropolitanum; si tamen plures successive eligit, primo electus debet continuare; dummodo habeat requisita. *Vide* num. 40.

(17. Potest tamen capitulum duos vicarios constituere, ut alternis mensibus vicarii munere fungantur, si legitimam habeat ad id consuetudinem ab immemorali servatam sine interruptione, et electi sint præditi omnibus qualitatibus, quas Tridentinum requirit. Vide, *ibid.*, n. 41.

(18. Facta semel per capitulum electione vicarii capitularis, non potest illum ad libitum revocare et novum constituere. Vide, *ibid.*, n. 42.

(19. Si tamen adesset justa causa illum revocandi, debet prius habere licentiam a sacra congreg. Episcopor. Vide, *ibid.*, n. 43.

(20. Imo non potest per capitulum revocari vicarius capitularis, etiamsi sit electus cum clausula quod possit revocari ex causis sibi benevisis. Vide, *ibid.*, n. 44.

(21. Plures sunt causæ, propter quas solet sacra congregatio Episcoporum facultatem concedere removendi vicarium capitularem, ut indignum, et tales causæ assignantur, *ibid.*, num. 42.

(22. A capitulo pro electione vicarii capitularis non debent vocari canonici absentes, nisi commode fieri possit. Nec ita absentes possunt mittere aut constituere procuratorem ad ferendum in electionem suffragium. Vide, *ibid.*, n. 46.

(23. Si tamen adsit consuetudo legitime præscripta admittendi in electione canonicos absentes per procuratorem, talis consuetudo esset intellingenda et restrigenda ad absentes solummodo intra provinciam, et ibidem detentos aliquo legitimo impedimento de tempore actualis electionis vicarii. Vide, *ibid.*, n. 47.

(24. Et si econtra adesset consuetudo non vocandi quoquomodo absentes a civitate, servanda esset. Et tanta est vis consuetudinis, quod a capitulo pro electione vicarii, præter canonicos, vocandi sunt etiam illi qui de jure non sunt de capitulo, ut portionarii, aliique beneficiati Ecclesiæ, si adsit consuetudo legitime præscripta illos vocandi. Vide, *ibid.*, n. 48.

(25. Si autem consuetudo non sit pacifica et legitime præscripta, sed solum pauci actus efferantur, in quibus ii qui non sunt de corpore capituli fuerint admissi ad suffragium ferendum, tunc capitulum potest illos excludere. Vide, *ibid.*, n. 49.

(26. Capitulum debet pro vicario capitulari eligere unum qui sit de gremio capituli, si adsit idoneus. Vide, *ibid.*, num. 52.

(27. Et qui sit doctor, alias electio esset nulla. Vide, *ibid.*, num. 51.

(28. Nec sufficit quod sit magister in sacra theologia, sed debet esse saltem doctor in jure canonico. Vide, *ibid.*, num. 52.

(29. Nec etiam sufficit quod sit doctoratus a persona privata, sed in aliqua universitate. Vide, *ibid.*, num. 53.

(30. Habilis tamen non doctor tolerari potest, si doctor haberi non possit. Vide, *ibid.*, num. 54.

(31. Debet tamen vicarius non doctor eligere sibi consultorem benevisum, qui sit doctor, et in rebus legalibus et arduis peritus, a quo possit dirigi. Vide, *ibid.*, num. 55.

(32. Si capitulum eligat aliquem non doctorem, quando adest doctor, ex quo talis electio sit nulla, tunc electio devolvitur ad metropolitanum. Vide, *ibid.*, num. 56.

(33. In casu tamen quo vicarius deputatus per metropolitanum ob malam electionem capituli, vel ob ejus negligentiam, decederet, tunc posset capitulum novum eligere vicarium infra octo dies, ut prius. Vide, *ibid.*, num. 57.

(34. Capitulum non potest in electione, seu deputatione vicarii apponere restrictivam, ut vicarius capitularis non possit procedere contra aliquem capitularem absque consensu capituli. Vide, *ibid.*, num 58.

(35. Vel sine adjunctis. *Ibid.*, num. 59.

(36. Nec potest apponere in electione conditionem, ut participet capitulum de emolumentis ex officio vicariatus provenientibus. Vide, *ibid.*, num. 60.

(37. Nec potest capitulum reservare sibi facultatem signandi supplicationes, distribuendi conciones, vel habendi superintendentiam seminarii. Vide, *ibid.*, num. 61.

(38. Vel faciendi gratiam condemnatis ab ipso vicario, vel cognoscendi de causis suspicionis ipsius vicarii, ac judicem non suspectum partibus deputandi, vel cum alia quacunque restrictione insolita. Quod si vicarius capitularis electus fuerit cum hujusmodi restrictionibus, poterit nihilominus libere uti sua jurisdictione absque ullo respectu supradictarum conditionum, Vide, *ibid.*, num. 43.

(39. Capitulum enim post electionem vicarii nullam exercere potest jurisdictionem, quia post electionem tota jurisdictio episcopalis transit ad vicarium capitularem privative quoad capitulum, non cumulative. Vide, *ibid.*, num. 63, verb. Oado, art. 3, num. 42.

(40. Unde substitutio facienda propter absentiam vicarii spectat ad ipsum vicarium, et non ad capitulum. Vide, *ibid.*, num. 64.

(41. Vicarius capitularis potest esse canonicus ejusdem Ecclesiæ, qui in eadem civitate et Ecclesia curam quoque gerit animarum. Sacr. congregat. Episcop., *in Ortonen.* 19 Martii 1619, et 19 Julii ejusdem anni. (42. Ubi etiam fuit declaratum quod contrariæ decisiones, nempe quod parochus nequeat eligi in vicarium capitularem, intelliguntur de parocho rurali. Sic refert decisionem ad litteram Barbosa, *De canonicis et dignitatibus*, c. 42, num. 38.

(43. Vicarius capitularis eligi debet æta-

Digitized by Google

tis saltem XXV annorum, si haberi possit, alias permittitur posse eligi in ætate XXIII annorum, si sit idoneus, sed non semper expedit. Sacra congreg. Concil., die 11 Augusti 1618, apud Barbos.; in conc. *Trident.*, sess. XXIII, *De reform.*, cap. 16, num. 19, et in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Vicarius capitularis Sede vacante*, num. 8, et Sellium, in *Select. canonic.*, cap. 19, num. 44.

(44. In electione vicarii capitularis sunt præferendæ dignitates, et canonici, quatenus sint idonei, canonico coadjutori, ut respondit sacra congregat. Concil. 14 Aprilis 1685, lib. XXXV, fol. 37, apud Monacell., tom. II, tit. 16, formul. 10, sub num. 13.

(45. Si electio non concludatur in tempore a concilio Tridentino præscripto cap. 16, sess. XXIV *De reform.*, fit devolutio ad formam conciliaris decreti, tam in casu negligentiæ, quam in casu dissensionis. Sacra congregat. Concil., *in Aquilana* 10 Octob. 1605, lib. XXVIII, fol. 195, apud Monacell., *loc. cit.*

(46. Si in electione duo canonici doctores habuerint vota paria, neuter est vicarius legitimus, et electio propterea, transacto octiduo, devolvitur ad metropalitanum, juxta dispositionem concilii, ut respondit sacra congregat. Concil., *in Vercell.* 12 Martii 1611, lib. XVII, fol. 769, apud Monacell., *loc. cit.*

(47. Si Ecclesia suffraganea vacans careat capitulo, electio, seu deputatio vicarii pro illius administratione spectat ad capitulum metropolitanæ pastore carentis, non autem ad antiquiorem episcopum suffraganeum, non obstante synodo provinciali, ut declaravit sacra congreg. Concil. 28 Augusti 1683, confirmata 14 April. 1685, lib. XXXV, fol. 195, apud Monacell., *loc. cit.*

(48. Si autem Ecclesia cathedralis carens capitulo, non sit suffraganea, sed exempta, et Sanctæ Sedi immediate subjecta, uti est Ecclesia, seu episcopatus Portuensis prope Almam urbem, tunc videtur quod deputatio vicarii capitularis in casu vacationis Sedis non pertineat ad propinquiorem episcopum, juxta dispositionem concilii Tridentini, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 16, sed consulenda sit Sancta Sedes, quia episcopo viciniori devolvitur electio secundum dispositionem concilii in casu negligentiæ capituli; at quando Ecclesia capitulo caret, casus est omissus a concilio. Sic præcisis verbis Monacell., *loc. cit.*, n. 13 in fine, testans insuper, quod quoties occurrit vacatio in dicta cathedrali seu episcopatu Portuensi, episcopus vicinior non se ingerit in deputatione vicarii, sed Ecclesia remanet sub regimine eminentissimi urbis vicarii, quia est in districtu urbis, usque dum novus episcopus Ecclesiæ possessionem capiat.

(49. Vicarius capitularis debet provideri de competenti salario. Sacra congr. Concilii, *in una Ventimilien.* 15 Octobris 1601; apud Barbos., in *Summa*, *loc. cit.*, num. 13, et *De canonic. et dignitatibus* cap. 42, num. 35, et apud Pellegrinum, *loc. cit.*, subsect. 1, num. 30. Quod potest esse ad rationem scutorum quatuor pro singulis mensibus, ut declaravit ead. sacra congreg., *in una Casalen.* 21 Aug. 1654. Non tamen debet esse majus eo quod habebat vicarius episcopi defuncti. Ead. sacra congreg., *in Ventimilien.* 15 Januarii 1602, apud Pellegrin., *loc. cit.* Attendenda tamen est circa supradicta omnia legitima locorum consuetudo, arg. cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine.

(50. An vicarius capitularis lucretur distributiones quotidianas, si choro propter suum munus non intersit? Variant doctores. Affirmativam enim sententiam defendunt Pellegrinus, *loc. cit.*, num. 21; Garcias, Gonzalez, Pavin., Covarruv., et alii ab ipso citati, dicentes non currere paritatem de vicario episcopi, quia ideo ipse non interessendo choro, non lucratur distributiones, quia servit episcopo, et non Ecclesiæ, ut servit vicarius capitularis, sicut notat Rota, dec. 222, num. 5, p. II *Diversor.* Negativam autem sustinent Monacell., tom. III, tit. 1, formul. 41, num. 5; Moneta, *De distributionibus*, part. II, q. 11, n. 83 et seq.; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, alleg. 54, num. 165, vers. *Qui dum a choro absens est*, et *De canonicis, et dignitatibus* cap. 42, n. 39, et alii plures. Ut autem concilientur doctores, dicendum est standum esse legitimis locorum consuetudinibus, ut ibi vicarius capitularis absens a choro lucretur distributiones, ubi adest legitima consuetudo eas lucrandi; et ibi non lucretur, ubi adest legitima consuetudo eas non lucrandi, arg. cit. cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine; et sic tenent Rota, cit. decis. 222, num. 6, part. II *Divers.*; Barbosa, *loc. cit.*; Quaranta, in *Summa bullar.*, verb *Capitulum Sede vacante*, vers. *Octavo dubitatur*; Prosper August., in *Addit. ad d. Quarant.*, *loc. cit.*, num. 8 in fine; Rebuff., titul. *De vicario episcop.*, num. 5, et ipse Pellegrinus, *loc. citat.*, num. 31 in fine, cum aliis ibi allegatis.

(51. Si vicarius capitularis, ubi adest consuetudo interessendi choro pro lucrandis distributionibus, voluerit ipsas lucrari, debet interesse cum solita veste canonicali, et sedere in loco proprio sui canonicatus, neminem antiquiorem præcedendo. Rota, *in Lucerna Beneficii* 18 Decembris 1579, *coram Serapkino*, et eadem Rota, decis. 268, num. 2 part. II, recent., apud Barbos., cit. allegat. 54, num. 166, et Pellegrin., *loc. cit.*, n. 34, et sic tenent cum ipsis plures alii doctores.

(52. Si vero noluerit distributiones lucrari, debet præcedere omnes, excepta prima dignitate post pontificalem. Sic rescriptum fuisse a sacra congregatione, in *una Assisiensi de mense Augusti* 1630, dum ipse esset Assisii, testantur Nicolius, in *Floscul.*, verb. *Vicarius capitularis*, num. 67, et refert etiam Pellegrin., *loc. cit.*, num. 34, et alii.

(53. Vicarius capitularis non potest occupare sedem archidiaconi in ecclesia, sed sedere debet in alia sede portatili. Sacr. congr. Rit., *in Nucerina* 10 Aprilis 1601,

Digitized by Google

apud Pellegrin., *loc. cit.*, num. 34, et Barbosa, *De canonicis et dignitatibus*, cap. 42, num. 42.

(54. Archidiaconus seu alia dignitas major post pontificalem præfertur vicario capitulari, etiamsi dictus vicarius non sit canonicus. Barbos., cit. cap. 42, num. 41, et cit. alleg. 54, num. 167, cum aliis ibi citatis.

(55. Vicarius semel ac canonice est electus, durat toto tempore vacationis Ecclesiæ. Quamvis enim Barbosa, in *Summa Apostol. decis.*, *loc. cit.*, num. 7, et tract. *De canonicis*, *loc. cit.*, num. 44, et in Trid. cit. sess. XXIV, cap. 16, num. 14, referat sacram Congreg. sub die 17 Junii 1617, decrevisse posse capitulum eligere vicarium cum clausula, quod non duret nisi per annum : tamen Nicolius, in *Flosculis*, verb. *Vicarius capitularis*, sub num. 59, refert sæpius a sacra congreg. Episcop. decisum fuisse, non posse capitulum eligere vicarium capitularem ad certum tempus, sed pro toto tempore vacationis Ecclesiæ. Sic dicta sacra congregat., *in Potentina* 7 Maii 1604, 30 Augusti 1641, 3 Martii 1607, 14 Februarii 1648, et *in Sutrina* 21 Novembris 1653. Quod et melius esse testatur etiam ipse Barbosa, in cit. cap. 44, num. 44, et cit. sess. XXIV, cap. 16, num. 14, referens ita rescripsisse sacram congregat. Episcopor., episcopo Cajetano sub die 28 Octobris 1587. Et sic expresse tenet Monacell., tom. I, tit. 1, formul. 2, num. 14, cum Fagnano, et aliis ibi citatis, adductis insuper aliis decretis.

(56. Unde vicarii capitularis jurisdictio cessat solum post possessionem realem captam a novo episcopo. Sedes enim episcopalis intelligitur semper vacare usquequo litteræ Apostolicæ prælati provisi de illa Ecclesia, cujus Sedes vacabat, non fuerint præsentatæ capitulo, nec interim potest episcopus noviter provisus episcopatum ministrare. Extravagant. *Injunctæ* 2, De electione; unde vicarius capitularis potest continuare exercitium suæ jurisdictionis donec novus episcopus adeptus fuerit realem episcopatus possessionem. Quarenta, in *Summa Bullar.*, verb. *Capitulum Sede vacante*, num. 13, vers. 13 *Dubitatur* ; Flaminius Parisius, *De resignat.*, lib. VIII, quæst. 5, num. 33; Rebuffus in *Praxi benefic.*, tit. *De Simonia in resignat.* num. 11.; Henriq., cons. 29, n. 4; Aloysius Riccius, in *Praxi fori eccles.*, decis. 376 in prima edition., resolution. 500 in secunda edition; Stephanus Gratian., *Disceptat. forens.*, c. 27; Pellegrin., *loc. cit.*, subsect. 6, num. 1 et 2, cum pluribus ibi citatis; Barbosa, cit. alleg. 54, n. 161; Gonzalez, *Ad regul. Cancellar.*, glossa 15, § 2, num. 88, ubi refert fuisse conclusum, validam esse quamdam collationem canonicatus in mense ordinario vacantis factam a capitulo Burgensi, spreto episcopo jam promoto et habente expeditas litteras suæ provisionis, qui tamen nondum illas ostenderat, nec præsentaverat.

(57. Terminatur autem vicarii capitularis jurisdictio cum mittitur vicarius Apostolicus a Papa, vel a sacra congregatione Episcoporum, quod fit si Ecclesia diu vacaverit, ut censuit sac. cong. Ep., *in una Adatriana* 28 Junii 1649, præsertim si subditi in administratione justitiæ aliquod inconveniens experiantur. Rad. sacra congreg., *in Ungentinen.* 17 Septemb. 1665.

(58. Item cessat jurisdictio vicarii capitularis, quando removetur a sacra congregatione, vel vocatur ad Urbem pro justificandis rebus de quibus fuit inculpatus. Sacra congreg. Episcop., *in Spoletana* 12 Novembris 1600, *in Asten.* 30 Septembris 1650, et *in Monopolitana* 2 Maii 1653.

(59. Quod hactenus dictum est de vicario capitulari cathedralis, locum habet, servata proportione, in vicario capitulari collegiatæ exemptæ, et nullius diœcesis; capitulum enim collegiatæ, quæ nullius diœcesis est, et subditur proprio prælato, ordinariam, et quasi episcopalem jurisdictionem habenti, vacante sede dicti sui prælati, debet eligere vicarium capitularem eodem modo, et eisdem legibus, capitulis cathedralium præscriptis a sacro concilio *Trident.*, sess. XXIV *Dereform.*, cap. 16. *Communis.* (60. Cum hac tamen differentia, quod vicarius capitularis dictæ collegiatæ exemptæ, et nullius, non debet necessario esse doctor aut licentiatus in jure canonico, sicuti tenetur esse vicarius capitularis cathedralis. Sic expresse declaravit sacra congregatio Concilii ad dict. cap. 16, die 12 Septemb. 1585, apud Garciam, *De beneficiis*, tom. I, part. V, cap. 7, n. 20, et apud Pellegrinum, *loc. cit.*, sect. 5, n. 5. (61. Non posse autem eligi vicarium capitularem per clerum Ecclesiæ exemptæ abbatia vacante, decrevit sacr. congreg. Concil. *in Anglonen.* 30 Januarii 1717, ut refert card. Petra tom. V *Comment. ad constit.* 4 *Calixti III*, sect. 3, n. 10.

(62. Affertur novissima resolutio sacræ congregationis Concilii quoad varia dubia de vicario capitulari in ipsa proposita, ut sequitur :

« I. An possit capitulum Sede vacante, post electum vicarium in spiritualibus et temporalibus deputare alium toties quoties sibi placuerit ad aliquid faciendum in exercitio jurisdictionis translatæ, ipsam jurisdictionem reassumendo?

« II. An possit capitulum per seipsum dare subditis chartas testimoniales, vel reverendas ad ordines suscipiendos, vel debeant dari per vicarium generalem capitularem?

« III. An possit capitulum in deputatione vicarii capitularis dare jurisdictionem limitatam; et possit in hoc casu, attendi consuetudo regni Lusitaniæ? et quatenus affirmative.

« IV. An possit reservatam jurisdictionem alicui alteri committere, vel illam debeat per seipsum exercere?

« V. An possit capitulum dare subditis attestationes de vita et moribus per seipsum, vel debeant dari a vicario capitulari?

« VI. An possit capitulum jubere vicario

Digitized by Google

capitulari, ut det tales attestationes,, vel debeat pendere ab arbitrio vicarii capitularis?

« VII. An in concursu parochialium debeat intervenire arbitrium vicarii capitularis, vel debeat pendere ab arbitrio capituli, facto concursu in præsentia capituli, vel in absentia, et an debeat attendi consuetudo regni in casu, » etc.

Sacra congreg. Concil., *in Elven. Jurisdictionis* 1 Decembr. 1736, respondit : «Ad I. *Negative;* ad II. *Negative* quoad primam partem, et *affirmative* quoad secundam. Ad III. *Negative;* ad IV. provisum in tertio; ad V. *Negative* quoad primam partem, et affirmative quoad secundam; ad VI. *Negative;* ad VII. *Affirmative* quoad primam partem ad formam juris; in reliquis negative.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. Pacifica haud est opinio auctoris, n. 60, nempe quod et capitulum collegiatæ Ecclesiæ, defuncto prælato *Nullius*, debeat constituere vicarium capitularem; jurisdictionem enim remanere penes capitulum, nec teneri ipsum constituere vicarium capitularem, sentiunt Fagnan. in cap. *His quæ*, n. 77, De major. et obed., ubi quod ita resolvit S. congreg. Concilii interpres, Lauren., *De vicar.*, tract. 3, c. 4, quæst. 541 per tot.

(64. Capitulum vero cathedralis vel metropolitanæ Ecclesiæ non teneri in electione vicarii capitularis servare formam c. *Quia propter*, De elect., communis sententia est; ut rejecto Fresc. *De visitat.* l. I, c. 24, n. 32, firmant Pirrhing ad t. *Decret. de offic. vicar.*, n. 77; Pignatell., *Consult. canonic.*, tom. VIII, consult. 34, n. 9 et 11; Garc., *De benefic.*, part. V, c. 7, n. 21; Lauren., *De vicar.*, tract. 3, c. 4, q. 550, n. 1.

(65. Hinc fit, quod necesse haud sit, ut hæc vicarii capitularis electio fiat per suffragia secreta. Leuren., *De vicar.*, tract. 3, cap. 4, q. 55, n. 2.

(66. Debet vero concurrere major pars suffragiorum, et quidem collegialiter præstitorum, ut valida sit electio vicarii capitularis facta a minori parte capituli : minime valida evadit per subscriptionem litterarum patentium factam a majori parte ejusdem capituli, cum non sufficiat consensus postea datus a singulis. Pignatell., *Consult. canon.*, tom. I, consult. 23, n. 7; Leuren., *De vicar.*, tract. 3, c. 4, q. 552 per tot.

(67. Coram quo et quomodo proponenda sit nullitas electionis vicarii capitularis, *vide* apud Leuren., *De vicar.*, tract 3, cap. 6, q. 554 per tot.

RESPONSIO AUCTORIS.

(68. Pacificam non esse opinionem meam *l. c.* expositam, quod et capitulum collegiatæ Ecclesiæ, defuncto prælato *Nullius*, debeat constituere vicarium capitularem, in his *additionibus* astruitur : at mihi auctori sufficit pro mea opinione habere expressam declarationem sacr. congreg. Concil. et doctores *ibi* allegatos. Imo ex resolutione sac. congreg. Concil. adducta hic sub n. 1, ex Fagnano secuto a Leurenio locis *ibid.* cit. eruitur quidem, quod capitulum collegiatæ exemptæ, et *nullius* non teneatur eligere vicarium qui sit doctor, vel licentiatus in jure canonico; at non quod non teneatur eligere vicarium capitularem. Dubium enim propositum in sacr. congreg. Concil. relatum a Fagnano ut *supra*, erat sic præcise : An decretum concilii in cap. 16, sess. 24 : « Quod capitulum Sede vacante, constituere debeat vicarium, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, locum habeat etiam in collegiata defuncto ejus prælato. Et S. congregatio censuit, non habere locum. » Ex quo decreto deducitur, sacram congregationem censuisse, Tridentinum non habere locum quoad necessitatem eligendi doctorem, at non quoad necessitatem eligendi vicarium, ut tradunt Barbosa in dict. sess. XXIV, cap. 16, num. 30; Pellegrin., *De vicario capitulari Eccles. nullius diœces.*, sect. 5, n. 5, ex Garcia, *De benefic.*, tom. I, part. V, cap. 7, n. 20, ubi refert sic fuisse decisum a dicta sac. congregat. Et ratio est, quia ut dicunt, si non est necesse, ut hic prælatus mortuus sit doctor, ergo nec etiam vicarius, ut censuit ead. sac. congr., *ibid.*, et notant Sbroz., in *Addition. ad q.* 36, § 1; Aloysius Ricc. in *Collectan.* 1607; Ragucc., *De voce canonic. in Eccles.*, q. 36, num. 6, apud Pellegrin., *locis citatis.*

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ vicarius capitularis facere potest, vel non.

Sequentia expende.

(1. Vicarius capitularis, sicuti capitulum Sede vacante, succedit episcopo in his quæ illi competunt de jure communi, non vero in his quæ sunt de jure speciali, sive delegato. *Communis*, per text. in cap. *Eam te* 7, De rescriptis, cap. *Cum olim* 14, De majoritat. et obedient. cum similibus; in vicarium enim capitularem canonice electum transfertur tota jurisdictio capituli, et jurisdictio vicarii capitularis in supradictis eadem est, quæ fuit episcopi. Sacra congreg. Episcopor., *in Realina* 21 Novemb. 1303, apud Nicolium in *Ftosculis*, verb. *Vicarius capitularis*, n. 68.

(2. Vicarius capitularis potest concedere dimissorias ad ordines infra annum a die vacationis sedis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, ut colligitur clare ex conc. *Trid.*, sess. VII, c. 10, De reform., et pluries declaravit expresse sacr. cong., et signanter *in Neapolitana* 11 Jan. 1604, et *in Aleriana* 24 Januar. 1653.

(3. Et aliquando conceditur facultas vicario capitulari, ut etiam infra annum a die vacationis sedis episcopalis possit concedere dimissioras ad ordines, cum voto tamen pleni capituli, ubi pro servitio Ecclesiæ id necessarium esse fuerit judicatum, prout a sac. cong. Episcop. concessa fuit vicario

Digitized by Google

capitulari Antuerpiensis Ecclesiæ 15 Mart. 1598.

(4. Arctati ratione *beneficii recepti* dicuntur illi, qui obtinent aliquod beneficium requirens servitium personale, ratione cujus de jure, consuetudine, privilegio, statuto Ecclesiæ vel fundatione infra annum teneatur se promoveri facere ad illum ordinem, quem requirit tale beneficium. Barbosa, *ad Trid.* citat; sess. VII, cap. 10, cum pluribus ibi citatis; Monacell., tom. III, tit. 2, formul. 3, n. 2, et alii passim.

(5. Arctati autem ratione *beneficii recipiendi* dicuntur illi, qui habent jus, seu sunt vocati, aut præsentati ad aliquod beneficium vacans, seu capellaniam, quæ requirit actu certum ordinem, quo illi carent. Barbosa, *loc. cit.*, n. 17; cum aliis ibi allegatis; Monacell., *loc. cit.*, n. 2, et quod præsentati ad beneficia dicantur arctati, expresse declaravit sacr. congreg. Episcopor., *in Squillacen.* 3 Januar. 1594, apud Nicolium, *loc. cit.*, n. 70, vers *Præsentati*, et Monacell., tom. I, titul. 1, formul. 2, n. 21.

(6. Post annum vero a die vacationis sedis episcopalis potest vicarius dimissorias ad ordines quibuscunque suis subditis etiam non arctatis concedere. Colligitur clare ex conc. *Trid.*, cit. sess. VII, cap. 10, et expresse declaravit sac. congreg. ejusd. conc., apud Garciam, *De beneficiis*, part. V, cap. 7, n. 93, et Pellegrinum, *l. c.*, subsection. 2, n. 5, et sacr. cong. Episcop. *in Neapolitana* 12 Jan. 1604, et *in Aleriana* 24 Jan. 1653, apud Nicolium, *loc. cit.*, II, 70, ubi declaravit concedere dimissorias post annum spectare ad vicarium capitularem, et non ad capitulum.

(7. Potest vicarius capitularis etiam ante lapsum anni concedere licentiam extero episcopo exercendi pontificalia in ecclesiis diœcesis, et ordines conferendi clericis exteris habentibus litteras suorum episcoporum, non tamen clericis subditis vacantis Sedis. Sac. congr. Conc., *in Brixien.* 16 Maii 1705; Barbosa, *De canonicis et dignitat.*, c. 42, n. 124; Quaranta, in *Summa Bullar.*, verb. *Capitulum Sede vacante*, q. 11; Navarr., consil. 27, *De tempor. ordinat.*; Molfesius, in *Summa*, tract. 2, c. n. 28; Piasec., part. I, c. n. 13, pag. 39; Marcus Anton. Genuens., in *Praxi archiep. Neapolitan.*, c. 87, n. 33; Marcian., part. VI, c. 3, n. 16; Fornar., *De ordine*, c. 5, n. 8, vers. *Quarto nota*, et alii.

(8. Potest vicarius ante lapsum anni obtinenti facultatem a Sede Apostolica de suscipiendo ordines cum licentia sui ordinarii, hanc licentiam subordinatam concedere Navarr., consil. 20, *De temporibus ordinat.*; Piasec., *loc. cit.*; Barbosa, *loc. cit.*, num. 123, et alii.

(9. Potest vicarius capitularis dare licentiam episcopo externo confirmandi, ecclesias consecrandi, reconciliandi, et alia ad usum pontificalium spectantia exercendi in sua jurisdictione. Sacr. congregat. Episcop., *in Nepesina* 15 Decembris 1603; apud Nicol., *loc. cit.*, num. 3, et Pellegrinum, *loc. citat.*, subsection. 1, n. 6

(10. Et ipsemet vicarius potest ecclesiam non consecratam reconciliare. Sac. cong Rit., *in Hidruntina* 15 Dec. 1632, apud Bonfadin., in *Thesaur. eccles. dec.*, resol. 51, num. 23, et Barbos., in *Summa collectan.* 712, n. 4.

(11. Potest vicarius capitularis diœcesim visitare per se vel per alium, et in visitatione decreta facere, dummodo sit lapsus annus a postrema visitatione, nec faciat novitates. Sac. cong. Episc., *in Lancianen.* 10 Jun. 1629, et *Pampilonen.* 3 Februar., eodem anno *in Materan.* 10 Dec. 1604, cum famulatu et comitatu solito a conc. *Trid.* sess. 24, c. 3, *De reform.* præscripto. Sac. congr. Conc., *in Limana* 10 Maii 1629.

(12. Item potest diœcesanam synodum congregare elapso anno ab altera synodo ultimo celebrata. Sic decisum fuisse a sacr. congr. Conc. referunt Garcias *De benefic.*, part. IX, cap 2, n. 8; card. Petra, tom. V, *Comment. ad constitut. 4 Calixti III*, sect. 2, n. 113, et alii plures. *Vide* verb. SYNODUS, n. 11.

(13. Et eo tempore, quo synodum celebrat, potest eligere examinatores synodales, extra vero illam non potest, sed uti debet electis antea. Sac. congreg. Episcop., *in Neapolitana* 12 Jan. 1604.

(14. Item concursum ad parochiales vacantes, tempore sedis vacantis facere potest, ut poterat episcopus, servata forma concil. *Trident.*, sess. XXIV, c. 18, De reform., magis idoneum eligere, et approbationem ad Sanctiss. Dominum, ejusque eminentiss. datarium mittere pro confirmatione electionis. Sacra congregat. Episc. *in Ravennaten.* 3 Februarii 1604.

(15. Potest exsecutioni demandare litteras episcopo per sacram congregationem directas, et ab illo non exsecutas. Sacr. congreg. Episc. et Regul. die 10 Apr. 1615.

(16. Vicarius capitularis potest absolvere a censuris, et dispensare in irregularitatibus ex delictis occultis Sedi apostolicæ reservatis provenientibus, in quibus est id concessum episcopis a concilio *Tridentino*, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 6. Sic sacra congregat. Concil. 3 Dec. 1632 apud Barbosam, *De canonicis et dignitatibus*, cap. 24, n. 62 in fine, et in *Summa Apostolic. dec.*, collectan. 717, n. 5, et Pellegrinum, *loc. cit.*, subsection. 2. n. 22.

(17. Item potest vicarios idoneos parochialibus vacantibus deputare, donec de rectore provisum sit, et proponere edicta ad concursum. Sac. congreg. Concil., apud Aldan., in *Compendio canonic. resolut.*, lib. I, tit. 43, n. 46, et Barbos., in *Summa, loc. cit.*, n. 25. Vide *supra*, n. 14.

(18. Item potest sibi substituere vicarium ad modicum tempus propter ejus absentiam vel infirmitatem; hoc enim spectat ad ipsum, et non ad capitulum. Sacr. congr. Concil., apud Pellegrin., *loc. cit.*, n. 26, et apud Barbosam, in *Summa, loc. cit.*, n. 9. Vide verb. CAPITULUM, art. 3, n. 64.

(19. Item potest sine adjunctis procedere, si episcopus, dum vivebat, auctoritatem ha-

Digitized by Google

bebat procedendi sine illis; si vero episcopus hoc privilegio non gaudebat, ita nec vicarius capitularis. Sacr. congr. Conc., apud Barbos., in *Sum.*, *l. c.*, n. 7; Garciam, *De benefic.*, part. v, cap. 7, n. 82, et Pellegrin., *loc. cit.*, n. 27.

(20. Item potest cognoscere causas matrimoniales. Sacr. congr. Conc. 30 Maii 1602.

(21. Item potest visitare moniales non exemptas, exemptas vero non potest. Barbos., l. I *Juris eccl. univers.*, c. 32, n. 71; Garcias, *loc. cit.*, c. 7, n. 45; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 23, et alii passim.

(22. Moniales tamen exemptas potest visitare in iis, in quibus datur episcopis facultas perpetua visitandi tanquam Sedis apostolicæ delegatis. Talis enim delegatio cum sit facta episcopis in perpetuum, est pars jurisdictionis ordinariæ, et sic transit ad vicarios capitulares. Barbosa, *De canonic. et dignitatibus*, cap. 42, n. 107, et lib. I *Jur. eccles. univers.*, cap. 32, n. 31 in fine; Molina, *De justitia*, tract. 5, disp. 11, n. 8, *loc. cit.*, n. 24, et alii passim.

(23. Vicarius capitularis potest conferre illa beneficia, quorum collatio spectabat ad episcopum per devolutionem ob negligentiam inferioris. Abbas in c. 2, n. 1, *Ne Sede vacante*; Quaranta, in *Summa Bullar.*, q. 1; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 30, et alii.

(24. Item potest in beneficiorum permutationibus auctoritatem interponere et consensum præstare quando collatio partim spectat ad capitulum, et partim ad episcopum: non autem in aliis casibus. Garcias, *De beneficiis*, part. XI, cap. 4, a n. 75; Barbosa, lib. I *Jur. ecclesiastic.*, cap. 32, n. 17; Quaranta, *loc. cit.*, q. 10; Diana, part. VIII, tract. 5, resol. 19; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 31, et alii.

(25. Item potest unire beneficia in omnibus casibus quibus potest episcopus: dummodo nihil præjudicetur juri episcopali. Garcias, *De benefic.*, part. XII, cap. 2, n. 67 et 68; Zerola, *Prax. episcop.*, part. I, verb. *Unio*, § 11, et part. II, verb. *Capitulum*, § 4; Quaranta, *loc. cit.*, q. 9, vers. *Quæ conclusio*; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 32, et alii.

(26. Item potest commendare Ecclesias ad tempus donec provideantur. Barbosa, cit. lib. I, cap. 32, n. 94; Molina, *De justitia*, tract. 3, disp. 11, n. 11, vers. *Licet*; Zerola, *loc. cit.*, part. I, verb. *Capitulum*, § *Ad quintum*; Rebuff., in *Praxi benefic.* cit, De devolut. n. 77 et 80; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 34, et alii.

(27. Item potest dare licentiam ædificandi ecclesiam, et ut acquiratur juspatronatus. Pellegrin., *loc. cit.*, num. 35; Lambertin., *De jure patronat.*, lib. I, p. I, q. 5, art. 9; Pavinus, *De potestat. capit. Sede vacante*, part. V, q. 1, num. 5; Barbosa, *De offic. et potest. episcopi*, part. III, allegat. 70, num. 32; Garcias, *De benefic.*, part. V, cap. 9, num. 79, et alii.

(28. Item potest dispensare cum illegitimis, etiam ex damnato coitu, ad minores ordines, et ad beneficium simplex cum causa. Barbos., lib. I *Juris eccl.*, cap. 32, num. 81, et part. II *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 45, num. 25; Quaranta, in *Summa Bullar.*, verb. *Capitulum Sede vacante*, q. 9, vers. *Secundo quæro*; Navarr., consil. 31, quod incipit: *An capitulum, de temporibus ordinat. in antiq.*, et consil. 7, *De filiis presbyter.*, et alii.

(29. Item potest suspendere, excommunicare, interdicere, privare et absolvere, cap. *His quæ* in fine, De majorit. et obedient, cap. unic. eod., in 6; Pellegrin., *loc. cit.*, num. 40; Rebuff., *loc. cit.*, tit. *De devolut.*, num. 63, et alii apud Dianam., part. VIII, tract. 4, resol. 11. *Vide supra*, num. 16, ubi fuit conclusum, posse vicarium capitularem absolvere ab omnibus censuris, et dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, a quibus potest episcopus vigore facultatis concil. *Tridentini*, sess. XXIV, cap. 6, *De reformat.*

(30. Unde potest monitoria ad finem revelationis concedere, quia est actus jurisdictionis necessariæ, ut est excommunicationis promulgandæ facultas. Sic declaravit sac. congr. Concil. 26 Octobris 1590, apud Pellegrin., *loc. cit.*, num 36, et tenent doctores communiter.

(31. Item potest gratiam facere subditis, ipsisque remittere pœnas per episcopum mortuum impositas; cum hoc sit de jurisdictione ordinaria. Riccius, tom. I *Prax. fori ecclesiastic.*, resolut. 302; Novarius, in *Summa bullar.*, tit. *De capitul. Sede vacante*, n. 12; Marcell. Vulp., in *Prax. eccles.*, cap. 44, num. 17; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 64. Alii tamen apud ipsum, *loc. cit*, n. 64, sentiunt contrarium. Unde *vide* verb. Pœna, art. 1, n. 64, ubi affertur decretum S. cong. Concil. et tene sicut ibi.

(32. Item dispensare potest in interstitiis, sicuti potest episcopus, virtute concilii *Trid.*, sess. XXIII, *De reform.*, cap. 11, 13, 14, ex causis ibi expressis. Sic declarasse sacram congregationem Concilii testantur Marcell. Vulp., *loc. cit.*, cap. 44, n. 27; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 47, et alii. *Vide* verb. Interstitia, num. 12.

(33. Item potest statuta facere, quæ totam diœcesim obligent etiam tempore episcoporum successorum, donec revocentur. Pavinus, *De potestate capitul. Sede vacante*, part. I, q. 6; Marcell. Vulp., cit. cap. 44, num. 16; Zerola, *loc. cit.*, verb. *Capitulum*, § 15; Quaranta, *loc. cit.*, vers. *Quæro secundo*; Pellegrin., *loc. cit.*, num. 42, et alii.

(34. Potest compellere religiosos, qui fuerunt executores testamentarii, ad reddendas rationes administrationis. Pavinus, *loc. cit.*, q. 7, num. 6; Azorius, *Institut. moral.*, part. II, lib. III, cap. 39, sub q. 6; Barbosa, part. III *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 82, num. 25; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 44, et alii.

(35. Item potest exigere rationes ab administratoribus piorum locorum. Quaranta, *loc. cit.*, vers. *Septimo*; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 45; Zerola, *loc. cit.*, part. II, verb. *Capitulum*, § 9, et alii passim.

Digitized by Google

(36. Item potest approbare confessarios pro sacramentalibus confessionibus excipiendis. *Communis.*

(37. Item potest matrimonio celebrando assistere, et alteri sacerdoti assistendi licentiam concedere. *Communis.*

(38. Item potest licentiam concedere, ut novitii per duos menses ante professionem possint disponere de suis bonis, et donationem, vel cessionem facere cuicunque voluerint secundum formam concilii *Tridentini*, sess. XXV *De regularibus*, cap. 16. *Communis.*

(39. Tandem vicarius capitularis potest exercere omnem jurisdictionem competentem episcopo de jure communi ordinario, non autem de jure speciali sive delegato; succedit enim vice capituli in totam jurisdictionem episcopi, et potest omnia facere, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ nisi expresse prohibita reperiantur, cap. *His quæ* 11, cap. *Cum olim* 14, De majorit. et obedient., cap. unic. eod. in 6, cap. *Ad abolendam*, De hæreticis, cap. penultim., et cap. ultim., *De supplenda negligentia prælator.*, cum similibus. Et sic tenent doctores passim.

(40. An autem vicarius capitularis possit totam dictam jurisdictionem exercere etiam in illis casibus, in quibus vicarius episcopi non posset sine speciali mandato, seu an totam prædictam jurisdictionem episcopi transeuntem Sede vacante in capitulum possit vicarius capitularis exercere sine speciali mandato ipsius capituli, etiam in iis quæ speciale mandatum requirunt? Variant doctores. Affirmativam enim sententiam tenent Gutierez, *Canonic. q.*, lib. I, cap. 11, num. 10, vers. *Id quod hodie*; Genuens., in *Praxi archiepiscop. Neapolitan.*, cap. 86, num. 5; Molina, *De justitia*, tract. 5, disp. 11, num. 4; Nicolaus Garcias, *De benefic.*, part. V, cap. 7, num. 28; Diana, part. VI, tract. 7, resol. 41 in princip., vers. *Secundo videtur*. Et ratio est quia cum concil. *Trid.*, sess. XXIV *De reformat.*, cap. 16, arctet capitulum ad eligendum infra octo dies vicarium, qui totam jurisdictionem exerceat, non videtur necessaria alia specialis commissio et impartitio specialis mandati; maxime quia per declarationes sacræ congregationis capitulum post electionem vicarii nullam exercere potest jurisdictionem, cum post electionem tota jurisdictio episcopatis transeat in vicarium capitularem privative quoad capitulum, non cumulative. Sacr. congreg. Episcop. *in Hydruntina* 1 Octobris 1655, et *in alia Neritonen.* 17 Septemb. ejusdem anni. Et jurisdictio vicarii capitularis eadem sit in his quæ sunt juris communis, quæ fuit episcopi, sec. congreg. Episcop., *in Reatina* 21 Novemb. 1603. Negativam autem sententiam, nempe non posse vicarium capitularem facere omnia ea quæ speciale mandatum requirunt, si illud non habeat, nec veniunt vigore mandati generalis; seu in vicarium capitularem non transire ea quæ requirunt speciale mandatum, docent Pellegrinus, *loc. cit.*, subsection. 2, num. 67, et alii apud ipsum. Barbosa, in *Summa collectan.* 707, num. 13, ubi ex decreto sacr congr. Concilii dicit, quod vicarius capitularis deputatus cum generali commissione, non habet facultatem faciendi illa quæ indigent speciali delegatione. Fagnanus, in cap. *A nobis* 21, num. 49, De sententia excommunicat., dicens, sic sæpius respondisse sacram congregationem Concilii; Piasec., in *Praxi episcop.*, part. II, cap. 1, num. 18, referens sic declarasse sacram congregat. Concilii die 5 Decembr. 1632, *in una Camenecen.*, in qua dubitatum fuerat pro parte dicti episcopi Camenecen. « An facultas competens episcopis vigore concilii *Tridentini*, cap. 5, sess. XXIV *De reform.*, transferatur in vicarium capitularem Sede vacante? Et sacr. congr. Cardinal. concilii Tridentini interpretum inhærendo declarationibus alias factis, respondit, eam facultatem transferri in vicarium capitularem Sede episcopali vacante, dummodo talis facultas specialiter per capitulum eidem vicario tributa fuerit. » Et ita etiam tenuit Rota *in Maurianensi Pensionis* 25 Junii 1626, *coram D. Pirovano* in fine, et *in Burgen. canonicatus coram D. Gyptio*. Addit. ad Garciam *De benef.*, part. V, cap. 7, n. 10, vers. *Sed postea*. Et ratio est, quia concilium Tridentinum nihil disposuit de hoc, sed solum arctavit capitulum ad constituendum vicarium infra octo dies, et nihil aliud sancivit; unde casus omissus remanet in dispositione juris communis, quando lex nova nihil disponit; ante autem concilium Tridentinum in vicarium capitularem non transibat major potestas, quam in vicarium episcopi, ut tradunt Pavinus, *De potestate capituli Sede vacante*, q. 10, II part., n. 17; Mandos. in regul. 24 *Cancellar.*, q. 6, n. 10; Sbroz, *De vicar. episcop.*, lib. II, q. 4, n. 5; Quaranta, in *Summa bullar.*, verb. *Capitulum Sede vacante*, q. 2, n. 15, vers. *Circa quam commissionem*: ergo, ut concludit Pellegrin., *loc. cit.*, n. 47, cessat omnis dubietas, cum etiam accedant prædictæ declarationes sacræ congregationis Concilii, et Rotæ Romanæ decisiones; unde nisi praxis sit in contrarium, non est ab hac opinione recedendum, in praxi autem servari, quod quotiescunque eligitur vicarius capitularis, a capitulo detur illi omnis facultas quam capitulum habere et dare potest, etiam in his quæ speciale mandatum requirunt, fatentur non pauci; adeoque in hoc servanda est praxis et legitima consuetudo cujusque diœcesis ac provinciæ, arg. c. *Cum tanto* 13, De consuetudine. *Vide* verb. JURISDICTIO, n. 18, ubi conclusum fuit, jurisdictionem vicarii capitularis esse ordinariam.

(41. Non potest vicarius capitularis infra annum a die vacationis Sedis episcopalis concedere dimissorias ad ordines non arctatis, textu expresso in concilio *Trident.*, sess. VII, cap. 10, *De reform.*

(42. Imo neque potest infra dictum annum dimissorias concedere non arctatis ad primam tonsuram. Barbosa, ad concil. *Trid.*, cit. sess. VII, cap. 10, n. 2; Quaranta, *loc.*

Digitized by Google

cit., verb. *Capitulum Sede vacante*, vers. *Decimo quæro*; Garcias, *De beneficiis*, p. v, c. 7, n. 95; Moneta, *De commutat. ult. volunt.*, c. 10, n. 173; Riccius, decis. 175, n. 2, part. IV; card. de Luca, *Supra concil. discurs.* 31, n. 32; Ventriglia, in *Praxi*, part. II, adnot. 13, § 1, n. 32; Pellegrin., *loc. cit.*, subsection. 3, n. 4; Majol., *De irregular.*, lib. IV, c. 2, n. 3; Monac., tom. III, tit. 2, formul. 3, n. 3 seq., ubi recedendo a contraria sententia quam tenuerat tom. I, tit. 1, formul. 2, n. 23, solide probat hanc nostram sententiam, et sic tenent plures alii. (43. Potest tamen dimissorias ad primam tonsuram concedere iis, qui sunt præsentati a patronis laicis ad beneficia jurispatronatus ipsorum, ut sic illa obtinere valeant, qui tales præsentati ad dicta beneficia dicuntur arctati, ut declaravit sac. congr. Concilii, *in Squillacen.* 3 Januarii 1694, et tenent supracitati doctores, et alii passim.

(44. Neque potest vicarius capitularis infra dictum annum concedere dimissorias ad ordines, etiamsi capitulum habeat territorium distinctum et exemptum, et pacifice possideat ab immemorabili, et in eo jurisdictionem ordinariam habeat. Riccius, in *Decis. curiæ episcopal.*, decis. 184, part. IV; Quaranta, *loc. cit.*, vers. *Decimo quæro*; Barbos., *Supra concil.* cit. sess. VII, cap. 10, n. 14; Pelleg., *loc. cit.*, n. 6, et alii.

(45. Vicarius capitularis concedens infra dictum annum dimissorias non arctatis incidit in pœnam interdicti, juxta dispositionem concilii *Trid.*, cit. sess. VII, cap. 10, et non in pœnam suspensionis per annum juxta cap. 10, sess. XXIII; Barbosa, *Supra concil.* cit. sess. VII, cap. 10, n. 18; Molina, *De justitia*, tract. 5, disp. 11, n. 4; Francisc. Leo, in *Thesauro fori eccles.*, part. III, cap. 8, n. 48, et alii. Ita quod non prohibeatur concedere alias dimissorias. Rota, *in Burgensi canonicatus* 17 Octobris, et 28 Novembris 1586, *coram Gypnio*.

(46. Et dicta pœna incurritur a vicario capitulari, quamvis is cui concessit dimissorias usus non fuerit; quia actus jam fuit consummatus quoad vicarium concedentem, cum per ipsum non steterit: sic decisum fuisse a sacr. congr. Concilii referunt Garcias, *De benefic.*, part. V, cap. 7, n. 92, in addition.; Barbosa, *supra Concil.* cit. sess. VII, cap. 10, n. 19; Marchin., *De sacrament. ordinis*, tract. 1, part. VI, cap. 3, n. 15, *loc. cit.*, n. 4.

(47. Sic ordinati cum dimissoriis vicarii capitularis infra annum a die vacationis sedis episcopalis, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudent; et si in majoribus, remanent suspensi ab executione ordinum ad beneplacitum futuri episcopi, textu expresso in cit. sess. VII, cap. 10, n. 20; Barb., I I *Juris ecclesiast. univers.*, cap. 32, n. 121, ubi ex Marchin., cit. part. VI, cap. 3, n. 13, subdit, dictam pœnam privationis privilegii clericalis hodie non incurri, nisi post judicis declarationem, juxta constitutionem SS. D. N. Urbani VIII, contra male promotos.

(48. Non posse vicarium capitularem infra annum dictæ vocationis concedere licentiam episcopo externo commoranti in diœcesi, ut ordinet regulares etiam prævio examine per ipsum vicarium facto, tenent Barbosa, *Supra concil.*, cit. sess. VII, cap. 10, n. 3, et tractat., *De canonicis et dignitatib.*, c. 42, n. 121, et lib. I *Juris eccles.*, cap. 32, n. 121; Raguc., *De voce canon.*, part. XXXIX, n. 4. At rectius contrarium docent Navarr., consil. 27, *De temporibus ordinat.*; Quaranta, *loc. cit.*, verb. *Capitulum Sede vacante*, q. 11; Genuens., in *Prax. archiepiscop. Neapolitan.*, c. 87, num. 33; Piasec., in *Prax. episcopor.*, part. I, cap. 1, n. 13.

(49. Licet non possit nunc vicarius capitularis dimissorias ad ordines concedere infra annum non arctatis, ex nova dispositione concilii *Trid.*, sess. VII, cap. 10, et sess. XXIII, cap. 10, *De reform.*; poterat tamen ante concilium de jure communi illas concedere indistincte arctatis et non arctatis, cap. *Cum nullus* 3, De temporibus ordinat., in 6.

(50. Dimissoriæ a vicario capitulari, sive post annum, sive intra annum a die vacationis in casu permisso rite et recte concessæ non exspirant per ingressum novi episcopi, quia gratia semel obtenta, non exspirat morte concedentis, cap. *Si super gratia* 9, De officio delegati in 6, cap. *Si cui* 35, De præbend., in 6. Et sic tenent passim doctores recte notantes quod licet de jure tales dimissoriæ non exspirent, potest tamen novus episcopus illas per edictum revocare, sicuti et omnes alias ab episcopo prædecessore concessas similiter annullare.

(51. Quamvis vicarius capitularis nequeat infra dictum annum dimissorias ad ordines concedere non arctatis, potest tamen expedire intra dictum annum illas dimissorias, quas episcopus defunctus nominatim concesserat ante obitum, et morte præveniente non expedierat. Sac. congr. Conc., *in Mexicana Litterarum dimissorialium* 24 Aprilis 1700, apud Monacell., tom. I, titul. 4, formul. 5, n. 2. (52. Talis enim concessio dimissorialium est gratia, quæ non exspirat morte concedentis per jura adducta num. antecedenti.

(53. Vicarius capitularis non potest concedere indulgentias. Card. Petra, tom. III *Commentar. ad constitut.* 16 *Alexandri IV*, n. 28, ubi dicit quod in hanc sententiam videtur fuisse sacr. congr. Conc. sub die 13 Novembris 1688, ibi: « Dubium indulgentiarum. Quæritur an vicarius capitularis, Sede episcopali vacante, facultatem habeat concedendi indulgentias, quas cæteroquin concedere potest episcopus vivens? » Sacra cong. respondit: « Vicarius se abstineat. » Et sic tenent archidiaconus in cap. 1 *De pœnit. et remissionibus* in 6; Cardinal., in cap. *Accedentibus* 12, De excessibus prælator.; Fagnan., *ibid.*, n. 17; Sotus, in 4, dist. 21, q. 1, art. 4; Lavorius, *De indulgentiis*, part. II, cap. 11, n. 52; Pax Jordan., tom. I, lib. V, tit. 16, n. 27; Bonacina, tom. I, disp.

Digitized by Google

6, *De indulgent.*, q. 1, punct. 3, n. 23; Monacell., t. IV, supplement. ad III tom., n. 64, ubi dicit, quod posset vicarius capituli accusari tempore Sedis vacantis ipsum concessisse indulgentias, quas episcopus vivens concedere consuevit; nam talem potestatem vicarium Sedis vacantis non habere constat ex declaratione sacr. cong. Conc. 13 Novembris 1688, quæ, dubio proposito, respondit: « Abstineat; » Barbosa, part. III *De offic. et potestat. episcopi*, allegat. 88, n. 21, cum Navarr., Selu., Cordub., Ledesma, Torreblanca, Henriq Suarez, Reginald., Sanctarell., Rhedo, et aliis, contra Silvestrum, Lazarium, Zerolam, Aloysium Riccium, Azorium, et alios, et etiam contra ipsum Barbosam, lib. I *Juris ecclesiastic.*, cap. 32, n. 91, et tractat. *De canonicis et dignitatibus*, cap. 42, n. 91. Et ratio nostra est, quia licet concedere indulgentias sit actus jurisdictionis, est tamen actus reservatus dignitati episcopali, cum sit de majoribus; cap. *Accedentibus* 12, De excessibus prælatorum; ubi Fagnan. n. 17, cum pluribus ibi citatis, adeo ut etiam auctores contrarii fateantur tutius esse, quod capitulum seu vicarius committat alicui episcopo, ut indulgentias concedat nomine ipsius capituli.

(54. Vicarius capitularis Sede vacante nequit quidpiam innovare in præjudicium Ecclesiæ, aut episcopi. *Communis*, textu expresso in c. *Novit ille* 1, Ne Sede vacante.

(55. Neque potest consumere, aut aliquo modo in proprios vel alienos usus convertere bona, Sede vacante, Ecclesiæ relicta, aut eo tempore collecta; et si secus fecerit, tam ipse quam quilibet alius id faciens, remanet suspensus ab officio et beneficio, non obstantibus quibuscunque privilegiis, statutis, consuetudinibus, textu expresso in cap. *Quia sæpe* 45, De election., in 6.

(56. Neque potest conferre beneficia spectantia ad solam collationem episcopi, textu expresso in cap. *Illa* 2, Ne Sede vacante.

(57. Et hoc etiamsi collatio spectaret ad episcopum cum consensu vel consilio capituli, quia adhuc capitulum Sede vacante, conferre non potest, c. unico, § *Cum vero*, Ne Sede vacante, in 6.

(58. Potest tamen conferre beneficia illa, quorum collatio spectat ad episcopum et capitulum simul, textu expresso in c. unico, Ne Sede vac., in 6.

(59. Neque potest supprimere beneficium et unire capitulo. Sic declarasse sac. congr. Concilii super cap. 15, *De reformat.*, sess. XXIV, refert Pellegrinus, *loc. cit.*, subsect. 3, n. 21.

(60. Neque potest donationem jurispatronatus confirmare, nam in illa debet necessario intervenire episcopi consensus. Rota apud Farinac., dec. 257, num. 1, part. II, recent., decis. 586, p. I, recent.; Gratian., *Discept. forens.*, cap. 303, n. 10, cum seq.; Lambertin, *De jurepatronat.*, lib. I, part. II, q. 1, art. 2, n. 3 et art. 4, per tot.; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 22, et alii. * Verius contrarium, cum nullibi id sit prohibitum vicar. cap., ut rectius docent Garcias, Quaranta, et Ventriglia apud Gagliard., *De jur. patron.*, cap. 6, n. 56 *.

(61. Neque potest substituere novos examinatores in locum examinatorum absentium, aut defunctorum; sed curare debet, ut elapso anno, alii in locum demortuorum eligantur in synodo, alioquin pro legitimis non habebuntur qui supererunt. Sac. cong. Conc., apud Garciam, *De benefic. in addit.*, part. V, c. 2, n. 78, et Barbos., in *Sum. Apostol. dec.*, collectan. 717, n. 14, et Pellegrin., *l. cit.*, n. 24.

(62. Neque potest exsequi commissiones Apostolicas in *forma dignum*, et alias directas episcopo, vel ejus vicario generali intuitu officii, vel sub nomine dignitatis. Sac. cong. Concil. 2 Aug. 1031, apud Barbos., *loc. cit.*, n. 11.

(63. Neque potest expedire dispensationes matrimoniales directas episcopo et ejus vicario generali. Sac. cong. Concilii 24 Maii 1721, apud Barbos., *loc. cit.*, n. 12.

(64. Neque potest cognoscere causas confugientium ad ecclesiam, vel ab illa extractorum. Sac. cong. Immunit. 15 Feb. 1633, apud Barbosam, *l. c.*, n. 15.

(65. Neque prohibere potest, ne quis, Sede vacante, promoveatur ad ordines. Sac. cong. Episcop., *in Syracusana* 13 Martii 1604.

(66. Neque potest licentiam concedere erigendi nova monasteria et conventus. Sac. cong. Episc. 19 Feb. 1633.

(67. Neque potest suspendere, et iterum examinare confessarios regulares ab episcopo defuncto examinatos, et simpliciter approbatos absque præfixione temporis, vel ad tempus nondum elapsum, propter privilegium quod habent a Clemente IV, ut sæpius declaravit sac. cong. Conc. Pellegrin., *l. c.*, n. 31, et alii passim. *Vide* verb. APPROBATIO, art. 1, a n. 54 ad 58, ubi affertur dictum privilegium, et dantur citata decreta.

(68. Neque potest, neque debet expedire causas, quæ patiuntur dilationem, imminente provisione Ecclesiæ, nisi fuerint sibi specialiter delegatæ, sed relinquere expeditionem novo episcopo. Sic declaravit sac. cong. Episcopor., *in Neapolitana* 17 Maii 1594, et *in Narnien.* 15 Maii 1601, et 21 Maii ejusdem anni. Sic pariter debet tali tempore imminentiæ novi episcopi abstinere a dandis dimissoriis seu testimonialibus ad ordines. S. cong. Episcopor., *in Brixien.* 20 Novemb. 1654.

(69. Adducitur novissima resolutio sacræ congregationis Concilii quoad aliqua dubia de vicario capitulari in ipsa proposita, ut sequitur:

I. « An vicario capitulari Turritano liceat procedere in causis canonicorum Ecclesiæ metropolitanæ, tam in communi quam in particulari, non obstante illius suspicione seu recusatione per eosdem canonicos, seu capitulum allegata in casu, etc.

II. « An competat capitulo metropolitano Turritano facultas recipiendi recusationes vicarii capitularis per diœcesanos Turritanos propositas seu proponendas, et respe-

Digitized by Google

tive deputandi arbitros pro admittendis seu rejiciendis causis earumdem recusationum in casu.

III. « An præfato capitulo Ecclesiæ metropolitanæ licitum fuerit recipere suspiciones seu recusationes ejusdem vicarii coram ipso propositas per rev. D. Antonium Murgiam rectorem Ecclesiæ parochialis de Ossi ; et rev. P. Antonium Franciscum Serram plebanum Ecclesiæ parochialis de Osilo in casu, etc.

IV. « An censuræ relatatæ per eumdem d. vicarium capitularem adversus archipresbyterum, decanum et canonicum antiquiorem prædictæ Ecclesiæ, sustineantur in casu, etc.

« Sacr. cong. Conc. *in Turritana* 16 Decembr. 1724, respondit : « ad I. *Affirmative;* ad II et III. *Affirmative;* ad IV. *Negative.* »

Et reproposita causa sub dubio, « an et in qua parte sit standum, vel recedendum a decisis 15 Decembris 1724, » ead sac. cong. die 13 Januarii 1725, respondit, « ad I et II, in decisis; ad III, recedendum a decisis; ad IV, in decisis. »

(70. Vicarius capitularis, Sede vacante, tueri debet jura Ecclesiæ pro exemptione fructuum spectantium ad mensam episcopalem. Sacra congregat. Immunitat., *in Liparitana* 8 Junii 1626, lib. I *Decr.* Paul., pag. 2.

(71. Potest et debet procedere pro defensione immunitatis et jurisdictionis ecclesiasticæ. Sacr. congreg. Immunit., *in Regien.* 8 Aprii. 1624, lib. III *Decret.* Paul., pag. 173; *in Mediolanen.* 27 Aprilis 1632, lib. II *Decret.* Paul., 124.

(72. Non habet tamen facultatem, quam habet episcopus in casibus bullæ Gregorii XIV super immunitate, ideoque cognitio spectat ad episcopum viciniorem. Sacra congregat. Immunit., *in Vercellen.* 9 Novembr. 1650, lib. IV *Decret.* Paulucc., pag. 125.

(73. Vicarius capitularis non habet facultatem, quæ competit episcopo quoad casus bullæ Greg. Unde jubetur restituere Ecclesiæ reum homicidii prætensi exceptuati a se extractum, et datur ei facultas denuo extrahendi ad formam bullæ, et subjungitur, ut denuo conficiat processum, ac transmittat. Sac. congreg. Immun., *in Calaritana* 30 Sept. 1698, lib. II *Decret.* Vallem., pag. 178.

(74. Nec potest cognoscere super extractione et violatione immunitatis ecclesiasticæ, sed hoc spectat ad episcopum viciniorem. Sacr. congr. Immunit. *in Regien.* 19 Novembr. 1641, lib. III *Decr.* Paul., p. 161.

(75. Et in prædictis delinquens jubetur accedere ad Urbem. Sacra congregat. Immunitat., *in una S. Severini* 29 Aprilis 1704, lib. III *Decretor.* Vallemani, pag. 577.

(76. Etiam jubetur restituere reum prætensi homicidii exceptuati quem extraxerat vigore litterarum ejectionis. Sacra congreg. Immunit., *in Firmana* 10 Maii 1693, lib. I *Decret.* Valleman., pag. 45.

(77. Vicario capitulari non licet dare licentiam visitandi loca immunia. Sacr. congreg. Immunitat., *in Bobien.* 2 Martii 1700, lib. II *Decretor.* Valleman., pag. 255.

(78. Quare vicarius capitularis monetur, quia dederit curiæ laicæ licentiam exhumandi cadaver e loco immuni pro facienda recognitione. Sacra congregat. Immun., *in Spoletana* 11 Maii 1683, lib. III *Decretor.* Alt., pag. 176.

(79. Cum vicarius capitularis et provicarius ordinaverint extractionem prætensi rei assassinii, qui postea per d. vicarium capitularem, prævia declaratione, quod deberet frui immunitate ecclesiastica, traditus fuerat curiæ sæculari, a qua damnatur in pœnam ultimi supplicii, sac. congreg. censuit, tam vicarium quam provicarium, et alios cooperatores esse incursos in censuras, et concedi facultatem episcopo absolvendi omnes coram capitulo in forma consueta, facta Ecclesiæ læsæ competenti eleemosyna arbitrio episcopi et inhabilitatis ab officio vicariatus et provicariatus arbitrio sacr. congreg., nec non monitis de irregularitate incursa. Sacr. congr. Immunit., *in Mantuana* 18 Martii 1689, lib. *Decret.* Mart., pag. 62.

(80. Vicarius capitularis, qui cum curia laica perquisivit et extraxit confugitos ab ecclesia, non solum non est exsecutus suas partes hujusmodi violationes impediendo, sed etiam animum dedit violatoribus, vocatur ad Urbem, et agitur cum secretario sacr. congreg., Episc., pro provisione alterius vicarii. Sacra cong. Immun., *in Acerren.* 31 Julii 1674, lib. I *Decret.* Altov., pag. 974.

(81. Vicarius capitularis extrahere faciens ab ecclesia cursorem curiæ archiepiscopalis, mandet restitui, et acriter moneatur, reficiat carcerato damna passa, et consulat conscientiæ suæ. Sac. congreg. Immunit. *in Salernitana* 22 Januarii 1692, lib. *Decret.* Grim., pag. 80.

(82. Idem vicarius absolvens censuratum talem a se declaratum ob violatam immunitatem, reintegret censuras, et consulat conscientiæ suæ. Sac. congreg. Immun., *in Squillacen.* 9 Maii 1676, lib. I *Decret.* Altov., pag. 1243.

(83. Injungitur vicario capitulari, ut declaret absolutionem a se datam esse nullam, et agitur cum secretario sac. congreg. Episc. ut deputet alium vicarium. Sacr. congreg. Immun., *in Aquilana* 14 Novembr. 1644, lib. *Decret.* Rocci, pag. 434.

(84. Cum facultate tamen sacræ congreg. potest absolvere a censuris ob violatam immunitatem. Sacr. congreg. Immun., *in Vercellen.* 30 Julii 1695, lib. I *Decr.* Vallem., pag. 206.

(85. Non debet impedire confugium. Sac. congreg. Immun., *in Terracinen.* 18 Novemb. 1664, lib. *Decret.* Rocci, pag. 599.

(86. Aliquando jubetur restituere pecuniam sibi erogatam pro excarceratione sacerdotis. Sacr. congreg. Immun , *in Oritana* 22 Aprilis 1698, lib II *Decretor.* Vallem., pag. 149.

Digitized by Google

(87. Aliquando ei injungitur, ut mandet nulliter extractum restitui, et deinde extrahat ad formam bullæ, conficiat processum, et transmittat. Sacra congreg. Immun., *in Tropien.* Januar. 1665, lib. *Decr.* Rocci, p. 117.

(88. Vicarius capitularis Acherontiæ contra ordines Sanctissimi et sacræ congreg. obediens litteris regiis de accedendo Neapolim, declaratur suspensus a divinis, privatur vicariatu, et inhabilitatur ad hujusmodi officia, et ei præcipitur ut discedat ab Urbe, et decretum præfatum notificatur tam nuntio quam capitulo per litteras, quæ ad futuram rei memoriam retineantur in actis nuntiaturæ, et curiæ ecclesiasticæ Acherontinæ, et si non justificaverit allatam legitimam excusationem, inhabilitandus est etiam ad beneficia. Sac. congreg. Immun., *in Acherontina* 5 et 13 Julii 1633, lib. II *Dec.* Paul., pag. 160.

(89. Vicarius capitularis, seu capitulum Sede vacante non potest conferre beneficia de jurepatronatus, quando ex lege fundationis conferri debent uni ex consanguineis, affinibus, concivibus seu personis ex certa familia, loco seu collegio, quia tunc sicut non potest Sede vacante se ingerere in collatione beneficiorum liberæ collationis etiam devoluta, cum collatio beneficiorum in tali casu, etsi jure devoluto, sit semper liberalitas, et gratia, seu gratificatio erga personam arbitrio conferentis eligendam; sicque non necessaria, sed libera, dum potius uni quam alteri beneficium conferre potest, quæ est una ex rationibus, ob quas vicarius capitularis, seu capitulum Sede vacante non potest conferre beneficia ad ordinariam episcopi collationem spectantia ex cap. *Illas* 2, Ne sede vacante; ita sequitur, quod data hujusmodi beneficiorum devolutione, collatio ex tali jure non spectat ad vicarium capitularem, sed ad Sedem Apostolicam vigore regulæ secundæ cancellariæ. Sic Rota, *in Cremon. Præposituræ* 5 Apr. 1683, § *Hoc posito, coram Ursino*, ac ita *in una Calaritana beneficii* fuit in curia indicatum per binas sententias conformes *de anno* 1687 *a R. P. De Aste, et* 1688 *a R. P. D. de Effectibus*, apud Rigant., tom I, in regul. 2 cancellariæ, § 3, n. 154 et 155, ubi ad id secum adducit Wames, consil. 260, num 3; Fermosin, *De capitul. Sede vacante* quæst. 33, n. 5 et seq.; Lotter., *De re beneficiar.*, lib. II, quæst. 1, n. 21; Gonzal., *ad regul.* 8, gloss. 8, § 1, num. 75 et 77; Marchett. *De vicar. capitul.*, tit. 32, n. 45 et sequent., ac alios. (90. Sic etiam quando testator in fundatione beneficii jus illud conferenti relinquit episcopo pro tempore exsistenti, cum in tali casu agatur de jure speciali et accidentali, et non de jure proveniente, vel ab ordinaria episcopi potestate, vel a juris dispositione, non potest tale jus transire in vicarium capitularem, ut distinguunt Felin. et cæteri interpretes, in cap. *Cum olim*, De majoritat. et obedient.; Roman., consil. 506, num. 14; Sbroz, *De offic. vicar.*, lib. II, q. 30, num. 3, et q. 188, num. 6; Garcias, *De benefic.*, part. V, cap. 7, num. 39, et alii. Et ad id facit resolutio sacræ congreg. Concil. *in Clusin.* die 20 Martii 1756. (91. Hinc beneficii collatio a vicario capitulari expleta titulum coloratum non tribuit. Rigant., tom. III, in regul. 36 cancellar., num. 122, ubi ad id varios adducit doctores; et Rot., *in Segobien. Canonicat.* 11 April. 1704, § *Altera, coram Scot.*, confirmat. 9 Mali 1605, *coram Ansald.*

(92. Vicarius capitularis jurisdictionem episcopalem ad capitulum devolutam, independenter ab ipso capitulo exercet. Benedic. XIV, *De synodo dioeces.*, lib. II, num. 1. *Vide* tom. II, verb. CAPITULUM, art. 3, num. 63 et sequent., et supra art. 1, num. 39. (93. Vicarius capitularis potest sua auctoritate ordinaria conficere processus super fama virtutum et miraculorum servorum Dei, quos conficere potuisset episcopus. Idem, *ibid.*, num. 2, et *De canonizat. sanctor.*, lib. II, cap 2, num. 2. (94. Imo ab ipsamet Sede Apostolica ad vicarium capitularem quandoque diriguntur litteræ remissoriales pro conficiendis processibus Apostolicis super virtutibus et miraculis tum eorumdem servorum Dei, tum etiam eorum qui jam in beatorum Album sunt relati. Idem, *ibid.*, num. 2 et cit. lib. II, cap. 45, num. 17. (95. Quamobrem cit. num. 2, ingenue fatetur nondum hactenus percipere potuisse, cur dataria Apostolica dispensationes, quæ ex mente *Tridentin.*, sess. XXII *De reformat.*, cap. 5, extra curiam committendæ sunt ordinariis locorum, *in* quibus degunt illas impetrantes, nunquam consueverit committere vicariis capitularibus, quamvis eosdem committere soleat vicariis generalibus. Plura alia de vicario capitulari, *vide* tom. II, verb. CAPITULUM, art. 2 et supra, ubi abunde de omnibus, et insuper in d. tom. II, verb. CONCILIUM, art. 2, a num. 7 ad. 9. (96. Ubi quod synodus provincialis non a vicario capitulari metropolitanæ vacantis, sed ab antiquiori episcopo suffraganeo est indicenda ex decreto sacræ congregationis Concilii *in Tarraconensi* 13 Maii 1604. (97. Et quod absente, vel impedito, seu mortuo archiepiscopo, convocanda est synodus provincialis ab antiquiore episcopo ex suffraganeis, non autem ab episcopo exempto quamvis antiquiore, ex decreto ejusdem congregat. *in Burgen.* die 17 Aprilis 1649.

(98. Alia de vicario capitulari, *vide* verb. CAPITULUM, et verb. ORDO.

(99. Vicarius capitularis, loco defuncti episcopi, in missa nominari non debet; Benedict. XIV, constitut. incip. *Ex quo primum*, § 20. (100. Vicarius capitularis in locis missionum, ubi resident episcopi, a capitulo vel parochis, juxta veterem consuetudinem, eligi debet statim ab obitu episcopi; idem, constitut. incip. *Quam ex sublimi*, § 2. Si vero nullum adsit capitulum, nec parochorum numerus, a quibus electio perficiatur, vicarius generalis defuncti episcopi, Pontificis auctoritate constituitur vicarius capitularis; idem, *ibid.*, § 4. Docto-

Digitized by Google

ratus necessitas tollitur, dummodo alia requisita in eligendo concurrant.

(101. Vicariis capitularibus per regnum Neapolitanum, et vicariis generalibus ægrotantium prælatorum ejusdem regni quæ cura circa spolia sit commissa et demandata? *Vide* supra verb. SPOLIA.

(102. Vicariis capitularibus in regno Neapolitano prohibetur concessio litterarum dimissorialium pro prima clericali tonsura, aliisque ordinibus, etiamsi annus a die vacationis Ecclesiarum elapsus sit, absque speciali facultate sac. congregationis. Clemens XI, part. III *Bull.*, epist. 2 et 3. Sac. cong. Episcop. et Regul.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(103. Num capitulum eligendo vicarium capitularem possit aliqua reservare a se ipso exercenda? Affirmant Pirrhing ad tit. *De offic. vicar.*, n. 78; Pignatell., *Consult. canon.*, tom. IX, consult. 59, n. 4; Ventrigl., in *Prax. for. eccles.*, tom. II, adnot. 15, § 2, n. 18; Ragucc., *De voc. canon.*, q. 40, n. 14.

(104. Tradunt vero auctores hujus affirmativæ sententiæ, quod si reservatio concernat ea quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, minime repugnat ut ipsa exerceantur ab ipso capitulo; contra vero si reservata sint illa, quæ spectant ad jurisdictionem contentiosam, debeant hæc a capitulo alteri delegari.

(105. Negativam vero sententiam tenent Fagnan., in cap. *His quæ*, num. 72, De majorit. et obed.; Leuren., *De vicar.*, tract. 3; cap. 5, q. 565, num. 2.

(106. Quod si capitulum haud potest aliqua sibi reservare, vicarium capitularem eligendo, multo minus potest quidquam ad se avocare postquam jam vicarium capitularem elegit. Leuren., *ubi supra*, q. 567, n. 2.

(107. Ex his etiam patet vera resolutio ad quæstionem, de qua agit auctor n. 40, an scilicet possit vicarius capitularis vigore suæ electionis exercere ea quæ speciale mandatum episcopi requirerent respectu vicarii generalis. (108. Si enim capitulum nil sibi potest reservare eligendo vicarium capitularem, non est quod vicarius capitularis opus habeat ullo speciali mandato, sed ut primum electus est, potest ea etiam exercere, quæ vicarius generalis nonnisi speciali mandato exercere valet; Leuren., *loco citato*, q. 568, n. 2, ubi rationem differentiæ tradit.

RESPONSIO AUCTORIS.

(109. Circa ea quæ hic astruuntur, præsertim sub n. 108, videantur quæso, quæ ego adduxi in hoc art. sub c. n. 40, ubi post adductas duas opiniones contrarias cum suis respective rationibus; an possit vicarius capitularis vigore suæ electionis exercere ea quæ speciale mandatum episcopi requirerent respectu vicarii generalis, concludi *ibi* in hoc servandum esse praxim et legitimam consuetudinem cujusque diœcesis ac provinciæ; cum consuetudo sit optima legum interpres; l. *Si de interpretatione* 38, ff. *De legibus*; et cap. *Cum dilectus* 8, De consuetudine, addendo, videndum esse verb. JURISDICTIO, n. 18, ubi conclusi, juris jurisdictionem vicarii capitularis esse ordinariam; sicque etiam conclusi in verb. VICARIUS GENERALIS, art. 4, n. 6.

VICARIUS FORANEUS.

Lubet sequentia adnotare.

(1. Vicarius foraneus dicitur ille, qui in certa parte diœcesis extra civitatem Sedis episcopalis, vel in oppidis per episcopum constituitur, ut ibi jurisdictionem quamdam exerceat; cap. *Romana* 1, De officio ordinarii in 6, et ibi Glossa verb. *Foraneus*; et alia Glossa in Clement. *Et si principalis* 2, De rescriptis, verb. *Foraneo*. (2. Et dicitur *Foraneus*, quia foris, seu extra locum in quo Sedes episcopalis reperitur, episcopi vices agit juxta traditam sibi potestatem. Glossa, in cit. cap. *Romana* 1, De officio ordinarii in 6, verb. *Foraneus*; et alia Glossa, in cit. Clement. *Et si principalis* 2, De rescriptis in casu, verb. *Nota*.

(3. Episcopus tenetur vicarios foraneos in diœcesi constituere, concil. *Mediolan.* I, part. II, tit. *De vicariis foraneis*, sac. cong. Episcop., *in Trojana* 27 Martii 1590, et 10 Martii 1567. (4. Et ad hoc munus vicarii foranei eligi et constitui debent archipresbyteri et præpositi locorum, vel alii in dignitate ecclesiastica constituti; sin minus eligi debent rectores ecclesiarum parochialium diœcesis, quantum possibile erit. Concil. *Mediolan.* I, *loco citato*.

(5. Vicarii foranei amoveri possunt arbitrio episcopi, quotiescunque voluerit, et puniri possunt, si male se gesserint in officio sibi demandato. Conc. *Mediolan.* I, *loc. cit.*

(6. Jurisdictio vicariorum foraneorum est omnino limitata, cum concedatur solum pro certa parte diœcesis, et limitatis locis, ac solum pro certis et limitatis causis civilibus ibidem occurrentibus usque ad certam et limitatam summam, v. g. quinque scutorum plus minusve, prout libuerit, ne partes pro qualibet levi re cogantur semper se conferre ad civitatem, et comparere coram vicario generali. Sac. cong. Episc., *in Trojanen.* 27 Martii 1590.

(7. In criminalibus autem non possunt ordinarie se intromittere, nisi informationes capiendo et formando processum informativum ad effectum illum transmittendi ad vicarium generalem cum relatione totius

Digitized by Google

facti. Sac. cong. Episcop., *in Motulensi* 9 Junii 1592.

(8. Potest tamen ab episcopo eis concedi, ut se intromittant in omnes causas cleri alicujus oppidi, seu sui limitati vicariatus, tam civiles quam criminales et mistas, exceptis iis pro quibus pœna corporis afflictiva est imponenda. Sac. cong. Episcop., *in Tarentina pro oppido Martinæ* 7 Julii 1567.

(9. Ad vicarium foraneum et non ad archipresbyterum, sive curatum, nisi ipso vicario absente, spectat dare licentiam laborandi die festo, et contravenientes multare. Sac. cong. Episcop. *in Cerentina* 2 Augusti 1594, et *in Materanen.* 18 Nov. 1597. (10 Et talis licentia in scriptis concedi debet, et non oretenus. Ead. sac. cong. 21 Augusti 1615.

(11. Pœna pro transgressione festorum debet esse moderata; et si fuerit exhorbitans, reduci debet ad arbitrium ordinarii, et reliquum, si fuerit exactum, restitui. Sac. cong. Episcop., *in Ravennatensi* 16 Januarii 1601, *in Bellicastrensi* 1 Septembr. 1603, et *in Cornetana* 11 Decemb. 1624. (12. Neque debet excedere 5 vel 6 Julios in loca pia distribuendos, deducta tertia parte exsecutoribus, licet quis deprehensus fuerit in fragranti post publicatum edictum. Sac. cong. Episc. *in Terracinensi* 14 Dec. 1595.

(13. Et tertiam partem pœnæ seu multæ, quæ a violatoribus festorum exigitur, deberi vicariis foraneis, tenet Pellegrinus part. 1, sect. 7, *De vicario foraneo*, subsection. unica, n. 6, dicens quod ubique servatur, quod pœnæ prædictæ applicentur vicariis foraneis, et eorum exsecutoribus, et quod sic censuit sac. cong. Episcop., *in Theanen.* 5 Februar. 1591. At hodie attendenda est taxa Innocentiana, § *Le pene, e multe*, ubi statuitur quod applicentur usui locorum piorum.

(14. Vicarius foraneus ratione sui vicariatus nullam habet præcedentiam in choro, sessionibus et processionibus, et aliis actibus, et functionibus ecclesiasticis supra alios parochos, canonicos et presbyteros ipso antiquiores et digniores, sed debet ipse vicarius stare, sedere et incedere in loco suæ receptionis et dignitatis, ac si non esset vicarius foraneus, tam cum cotta quam sine illa, non obstante quacunque ordinatione episcopi in contrarium, præterquam in congregationibus, quæ de mandato episcopi singulis mensibus fiunt, in quibus tanquam episcopi delegatus præcedere debet omnibus, non tamen in processionibus, missa, et aliis quæ fiunt ante congregationem. Sac. cong. Rit., *in Brundusina* 17 Novembris 1600, *in Oritana et Catan.* ead. die et anno; *in Marsicen., Spoletana, et Bononien.* 11 Aprilis 1601, *in Regien.* 2 Martii 1602, *in Tropien.* 25 Januarii 1603, *in Neocastren.* 12 Aprilis 1607, *in Comen. Valvatiæ* 19 Martii 1611, *in Nucerina* 24 Junii 1611, *in Syracusana* 7 Julii 1612, *in Hydruntina Soleti* 2 Martii 1613, in *Mediolanen. Cerbettæ* 3 Dec. 1616, *in Campana terræ Auletta* 12 Martii 1618, *in Messanen. Terræ Castri* 7 Sept. 1618, *in Spoletana Terræ Casciæ* 23 Martii 1619, *in Salernitana* 27 Martii 1638, *in Neritonen.* 22 Dec. 1629, et *in Tranen.* 9 Apr. 1633, et sæpissime alibi. (15. Etiam quacunque consuetudine contraria non obstante. Ead. sac. Rit. cong. *in Syracusana* 3 Junii 1630.

(16. Vicarius foraneus debet in processionibus et choro uti cotta, sicut alii presbyteri, nec ratione sui officii debet ante alios habere thuris et pacis honorem. Eadem sacra cong. Rit., *in Tranen.* 24 Sept. 1605.

(17. Vicarii foranei residere debent in locis, ubi constituti fuerint, vel in alio non multum distanti. Sac. cong., *in Trojanen.* 12 Dec. 1646. Locus autem debet esse equidem numerosus.

(18. Vicariis foraneis non licet multare clericos vel presbyteros, qui non veniunt ad Horas canonicas ultra solitum punctum amissionis distributionum quotidianarum. Sacra cong. Rit., *in Brundusina* 4 Martii 1606.

(19. Neque possunt vicarii foranei contra usum et consuetudinem Ecclesiæ prohibere canonicis, ne capitulum faciant sine sua licentia. Sacra cong. Rit., *in Orien. Cœliæ* 16 Dec. 1605, et ead. sacra cong. 16 Dec. 1616.

(20. Vicarius foraneus, si sit canonicus, non debet habere majorem portionem ex funeralibus, quam si esset simplex canonicus. Sac. cong. Rit., *in Bononien. Castri Joannis* 7 Octob. 1617.

(21. Vicarii foranei, vel alii rectores non tenentur quidquam solvere, aut dare cursoribus, aut aliis episcopi ministris per diœcesim discurrentibus, sed tantum ministrare debent cubile, et lumen, et si victum eis præbeant, ab episcopo repetere possunt. Sac. cong. episcoporum *in Licien.* 5 Feb. 1501, et *in Balneoregien.* 6 Augusti 1602.

(22. Episcopus in sua diœcesi concedere debet facultatem etiam vicariis foraneis et archipresbyteris, ut de consilio medicorum impertiri possint indigentibus licentiam vescendi cibis vetitis, quæ detur omnino gratis, ita ut nec pro scriptura quidquam accipere liceat. Sac. cong. episcoporum 20 Augusti 1691.

(23. Non debet episcopus prohibere parocho, ne celebret officium mortuorum sine interventu vicarii foranei. Sac. cong. episcoporum, *in Cremen.* 10 Junii 1603.

(24. Attenta dispositione Tridentini, cap. 3, sess. XXV *De reform.*, non potest episcopus delegare facultatem vicariis foraneis, sed tantum vicariis generalibus, concedendi litteras monitoriales pro rebus deperditis seu subtractis. Sac. cong. Conc. 24 Junii 1653. Et antea eadem sac. cong. 8 Februarii 1590, declaravit, non licere episcope hanc facultatem alteri quam vicario generali delegare, neque specialiter, apud Pascue., tit. *De vicario*, et Pittonum *Constitut. ad episcopos*, n. 1206.

(25. Episcopus præter vicarium foraneum

Digitized by Google

non debet retinere in locis diœcesis alios intentatos. Sacra cong. episcoporum *in Ferentina* 4 Aug. 1690, apud Monacell. part. I, tit. 1, formul. 6, n. 2.

(26. Vicariis foraneis obedire debent omnes curati et alii clerici, cujuscunque dignitatis sunt, alias per episcopum puniri possunt. Conc. *Mediolanens.* I, part. II, tit. *De vicariis foraneis.*

(27. Vicarii foranei habent facultatem in unum congregandi semel in mense presbyteros suæ regionis, seu loci, ut conferant inter se super difficultatibus parochiarum et curis animarum. Concil. *Mediolanens.*, *loc. cit.*

(28. Eorum officium est inquirere de vita et moribus clericorum, an parochi et presbyteri sui vicariatus habeant libros quos habere debent, an observent decreta synodalia, an eorum incuria divinus cultus aliquid detrimenti patiatur? et de his omnibus ad episcopum relationem facere. Conc. *Mediolanen.*, *loc. cit.*

(29. Tenentur significare episcopo curatos non residentes in sua regione. Conc. *Mediolan.* I, part. II, tit. *De residentia.*

(30. Vicarius foraneus dependet a vicario generali, nisi specialiter ab episcopo justa de causa aliquando ab ejus jurisdictione eximatur. *Communis.*

(31. Non permittat episcopus vicarium foraneum retinere nonnisi unum notarium. Sacra congreg. Immunitatis *in Spoletana* 16 Aprilis 1652, lib. IV *Decr.* Paul., pag. 181.

(32. Vicarii foranei non habent facultatem extrahendi confugitos. Sac. cong. Immun., *in Spoletana* 29 Maii 1629, lib. I *Decr.* Paul., p. 139.

(33. Quare quoad extractionem sacerdotis et clerici factam a vicario foraneo, sacra congregatio injungit episcopo reintegrari Ecclesiam, et dictus vicarius consulat conscientiæ suæ. Sac. cong. Immunitatis, *in Theanen.* 19 Februarii 1704, lib. II *Decret.* Vallem., pag. 558.

(34. Vicarius foraneus ob datam licentiam extrahendi cadaver ab ecclesia pro faciendo recognitione corporis delicti, contrahit excommunicationem. Sac. cong. Immunitatis, *in Urbevetana* 21 Augusti 1695, lib. I *Decr.* Vallem., pag. 213.

(35. Idem contrahit irregularitatem, et pro dispensatione remittitur ad sacram congregationem concilii. Sac. cong. Immunitatis, *ibidem.*

(36. Aliquando tamen conceditur eidem facultas extrahendi a locis immunibus ad sex menses, et pro arbitrio episcopi, ita *tamen ut extracti ducantur ad carceres* curiæ ecclesiasticæ. Sac cong. Immunitatis *in Camerinen.* 19 Nov. 1630, lib. II *Decr.* Paul., pag. 64.

(37. Vicarii foranei dicuntur illi, qui in certa parte diœcesis extra civitatem Sedis episcopalis, vel in oppidis per episcopum constituuntur, ut ibi jurisdictionem quamdam exerceant; *cap. Romana* 1, De offic. ordinarii in 6. (38. Et ab ipsis appellari potest ad episcopum : Bened. XIV, *De syn. d.*, lib. III, cap. 3, n. 5. (39. Antiquissimi sunt, et origo eorum ad chorepiscopos est referenda. Idem, *ibidem*, n. 6. (40. Chorepiscopis enim suffecti sunt archipresbyteri, archidiaconi et decani rurales. Idem, *ibid.*, n. 7. Vide *De chorepiscopis* tom. III, verb. *Episcopus*, art. 1, n. 36, ad 41, (41. ubi qui ipsi fuerint, quod eorum officium, et quare ab Ecclesia sublati. (42. Vicarii foranei in Italia etiam ante S. Carolum Borrhomæum esse cœperunt, ut in aliis locis. Idem, *ibidem*, n. 8, contra aliquos aliter sentientes : sed minorem in Italia obtinent jurisdictionem. Idem, *ibidem*, n. 9. (43. Si parochi sint, synodo diœcesanæ intervenire debent. (44. Si non sint, tenentur, si episcopus eos vocet, idque expediat, quoniam ab istis tanquam oculatis testibus melius quam a vicario generali certior fieri poterit de iis, quæ in remotis diœcesis partibus occurrunt, et aliquam fortasse sanctionem exposcunt. Idem, *ibidem*, n. 10.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(45. A vicario foraneo distingui debet is, qui extra urbem cum aliqua delegatione universitatis causarum ab episcopo constituitur. (46. Ille enim nec in personatu, nec in dignitate constitutus censetur, nec præcedentiam ratione officii supra alios presbyteros obtinet; *Monacell.* in *Formul. legal practic.*, part. I, tit. 1, n. 2 et sequent.; Schmier., *Jurispr. canon. civil.*, lib. I, tract. 3, cap. 5, sect. 4, in *Supplement.*, q. 1, n. 3, ubi quod solet deputari pro levibus duntaxat, et modicis causis.

(47. Hic vero majorem dicitur habere prærogativam et jurisdictionem. Quinimo si deputatus sit ad universitatem causarum, perinde ac ille qui residet in urbe, dici poterit vicarius generalis, et sic in dignitate constitutus, capaxque delegationis Apostolicæ; et id, quia vicarium generalem non facit qualitas loci, sed generalitas causarum; Sbroz *De vicar. episcop.*, lib. I, q. 20, n. 11; Schmier., *loco mox citato*, ubi quod : « Si rescriptum aliquod pontificium ad vicarium generalem dirigatur in materia gratiosa, erit in arbitrio impetrantis cuinam illud præsentare velit, poteritque electus ab impetrante vicarius ad exsecutionem privative procedere. »

VICARIUS GENERALIS EPISCOPI.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt ejus esse, constitutionem et jurisdictionem

Hæc porro ad rem notanda.

(1. Vicarii generalis nomine intelligitur ille, qui constitutus est ab episcopo cum generali potestate, ut ejus vices gerat in eodem loco in quo ipse sedem habet, ac jus dicere solet, ita ut censeatur idem esse auditorium utriusque, cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6; Barbosa, *De offic. et potest. epi-*

Digitized by Google

scop., part. III, allegat. 54, n. 127, cum plurimis ibi citatis; Reiffenstuel, lib. I *Decret.*, tit. 28, n. 16, et alii plures. *Vide* infra n. 9.

(2. Vicarius generalis episcopi in jure appellatur etiam officialis, cap. *Cum in generali* 3, De officio vicarii in 6, ibi : « Officialis, aut vicarius generalis episcopi, » et concordat cap. *Cum nullus* 3, De temporibus ordinat. in 6, ubi ille ipse, qui antea dicebatur *officialis episcopi*, paucis interjectis lineis vocatur ipse in spiritualibus *vicarius generalis*.

(3. Episcopus potest constituere vicarium generalem absque consensu vel consilio capituli. *Communis*. Sic approbante praxi et consuetudine universali, quæ in talibus est servanda. Cap. *Ea noscitur* 6, De his, quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli.

(4. Imo episcopus non tantum potest, sed etiam ordinarie tenetur vicarium generalem constituere. Abbas, in cap. *Quoniam* 14, n. 3, De officio ordinarii; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 28, n. 65; Bald., in l. *Aliquando* n. 1, in quarta oppositione, ff. *De offic. procons.*; Lancellot., *Instit. canon.* lib. I, tit. *De offic. vicar.* in Glossa, verb. *Non potest*; Covarruv., lib. III *Variar. resolut.*, cap. 20, n. 4, et plures alii, quos allegat Barbosa, *De offic. et potest. episcopor.*, part. III, allegat. 54, n. 125, et Pellegrin., part. I, sect. 2, *De vicario generali episcop.*, subsect. 5, n. 1, per text. in cap. *Volumus* 2, et cap. *Quia in quibusdam* 4, dist. 89, cap. *In nova* 16, qu. 1, cap. *Quoniam* 14, cap. *Inter cætera* 15, De officio judicis ordinarii.

(5. Dicitur autem notanter *ordinarie*, quia si episcopus velit causas per se tractare, sitque peritus jurista, et per se sufficiens ad eas se solo expediendas, præsertim si episcopatus non sit amplus, cogi non potest ad constituendum vicarium generalem, ut pluries tenuit Rota; et signanter *in Calaguritana Fructuum* 18 Martii, *coram Cavalerio, in Valven. et Sulmonen. Præeminentiarum* 18 Julii 1649, *coram Emerix decano, et in eadem Valven. coram Emerix* 11 Martii 1695, et quod episcopus non possit coarctari ad retinendum vicarium, expresse declaravit sac. cong. Concilii 11 Feb. 1696, approbando dictum votum Rotæ editum 18 Junii 1694, et 11 Martii 1695, *coram dicto Emerix in Valven. Præeminentiarum* apud Monacell. part. I, tit. 1, formul. 1, n. 6, et apud Pitton., *Constitut. ad episcopos* n. 1954, et tenent doctores plurimi allegati a Barbosa, *l. c.*, n. 125, a Pellegrino, *l. c.*, n. 5; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 66, aliique passim.

(6. Secus vero foret, si episcopus non esset peritus jurista, vel ob vastitatem episcopatus, et ingentem causarum molem, aut ob aliam causam non esset sufficiens per se ipsum solum ad omnia commode expedienda, quia tunc, ut dictat ipsamet ratio naturalis, tenetur episcopus vicarium generalem constituere, ut sæpe sacra congregatio diversis temporibus præcipere consuevit, alioquin mittitur illi ab Urbe, vel aliunde, vicarius pro tali officio exercendo, vel cum Brevi Apostolico, vel cum litteris sacræ congregationis, vel cum Patente episcopi, quia fuit ad hoc compulsus, ut referunt Nicolius, in *Flosculis*, verb. *Vicarius generalis* sub n. 39; Pellegrin. *l. c.*, n. 8 et alii.

(7. Qui insuper notant, quod talis vicarius missus ab Urbe supradictis modis, est vere vicarius apostolicus, et jurisdictionem habet privative quoad episcopum, nec episcopus illum removere potest. Sac. cong. Episcoporum, *in una Civitatis Castellanæ* 2 Aprilis 1392, *in Mediolanen.* 8 Februarii 1594, *in Savonen.* 17 Sept. 1605, *in Bisinianen.* 18 Martii 1632, *in Motulen.* 5 Augusti 1656.

(8. Episcopus potest etiam binos vicarios generales æque principales, seu in solidum constituere, maxime si diœcesis sit multum ampla, ut sic expeditioni causarum facilius consulatur, cum facilius expediantur causæ per plures, quam per unum, cap. *Quoniam*, De officio ordinarii, cap. *Ad hæc*, De officio archidiaconi, cap. 1, *De celebratione missarum*, Clementin. *Et si principalis*, et ibi Glossa, verb. *Principalis*, ac cardinalis, et Imola *De rescriptis*, cap. *Prudentiam;* ubi Abbas n. 10, *De officio delegati;* Ugolin., *De offic. et potest. episcop.* cap. 4, § 6, n. 4. Barbosa, cit. allegat. 54, n. 126; Rebuffus, in *Prax. benefic.*, titul. *Forma vicariatus*, n. 203; Zerola in *Prax. episcop.*, part. I, verb. *Vicarius*, n. 1; Sbroz., lib. I, q. 50, n. 4; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 67; Pellegrin., *l. c.*, n. 10 et alii, notantes tamen, quod eos constituere debet in eodem loco, ubi sedem habet;. (9. nam generalis vicarius dicitur ille, qui constitutus est ab episcopo cum generali potestate, ut ejus vices gerat in eodem loco, in quo ipse sedem habet, ac jus dicere solet, ita ut censeatur idem esse auditorium utriusque, cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6; Bartolus, in l. I, in fine, ff. *Qui et a quo appelletur;* Maranta, *De ordine jud.*, part. I, disput. 5, n. 8; Sbroz, lib. I, q. 28, n. 7 et q. 69, n. 2; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 11; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 16; Barbosa, cit. alleg. 54, n. 127, cum pluribus ibi allegatis.

(10. Ampliatur prædicta conclusio, ut possit episcopus plures habere vicarios generales, si ita servetur de consuetudine. Sac. cong., *in Lancianen.* 24 Martii 1599, et 21 Februarii 1614, apud Quaranta, verb. *Capitulum sede vacante;* Nicol., in *Flosculis*, verb. *Vicarius generalis*, n. 40, et Pellegrinum, *l. c.*, n. 12.

(11. Et a fortiori si habeat plures civitates seu diœceses unitas; nam tunc debet in unaquaque tenere suum vicarium generalem. Sac. cong. Episcopor., *in Sutrina* 7 Junii 1594, apud Nicolium, *loc. cit.*, sub n. 40; Pellegrinum, *l. c.*, n. 13; Pitton., *Constitut. ad episcopos* n. 1619, quamvis ipse fortasse inadvertenter ex Pascuc. referat dictum decretum de anno 1694, 7 Jun.

(12. Et præsertim si dictæ Ecclesiæ seu diœceses unitæ inter se multum distent, quia si una ab altera notabiliter distet, debet episcopus vicarium generalem in diœcesi, in

Digitized by Google

qua non residet, deputare, ut respondit sac. cong. Concilii, *in Gerunden. et Cariaten.* 2 Octobris 1706, in qua distantia triginta milliarium notabilis ad hunc effectum reputata fuit, ut habetur apud Monacell., in *Appendic. ad part.* II, decis. 4 in fine, et apud Pittonum, *l. c.*, n. 2155.

(13. Quamvis tamen Rota die 5 Maii 1660, *in Valven. Præeminentiarum coram Taja dec.* 1, n. 2, inter impressas apud Monacell., in *Append. ad part.* II, et refert etiam Pittonum., *l. c.*, n. 1325, expresse tenuerit, quod possit episcopus duarum Ecclesiarum unitarum in uno tantum episcopatu vicarium generalem constituere, ad quem accedere tenentur subditi utriusque diœcesis, quod et confirmat eadem Rota *in eadem Valven.* 18 Junii 1694, *coram Emerix* dec. 3, n. 1, apud Monacell. *loco citato*, ubi dicit quod id tradit Cardinal., *in Clementin.* II, q. 2, De rescriptis; Sbroz, *De offic. vicar.*, lib. I, part. I, § 2, sect. 2, subsect. 5, n. 5; Melphiten., ad *Gratian. discept.* 655, n. 4; card. de Luca, *De jurisd.*, disc. 22, n. 10, et *De præeminent.*, disc. 7, n. 21; Posth., *De manutent. observat.* 58, n. 9; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, allegat. 54, num. 129 et seq.; Frances, *De Ecclesiis cathedralibus*, cap. 8, n. 378 et 384; Rota, dec. 418, n. 3, *coram Cavalerio*, et decis. 2138, n. 12 et seq., et signanter num. 16, *coram Coccino*. Et ratio est quia licet duæ sint materiales ecclesiæ, formaliter tamen ratione unionis habentur pro unica, cap. *Primo*, Ne sede vacante, cap. *Sicut unire*, De excessibus prælator., Innocent., in cap. *Novit* in fine, De offic. legat.; Gonzalez, *ad Regul.* 8 *Cancellar.* gloss. 5, § 7, n. 29; Rota, decis. 447, n. 2, *coram Remboldo*. Hæc Rota, *l. c.*, n. 1, ubi n. 2, sic subjungit : « Imo quod plus est, potest etiam nullum habere vicarium, et negotia explere per semetipsum; » ut in dicta decis. 418, n. 19, *coram Cavalerio*. Et, *ibidem*, n. 3, sic addit : « Potest enim episcopus in quacunque parte suæ diœcesis tribunal erigere, et subditorum causas cognoscere; » cap. *Cum episcopus*, ibique doctores de officio ordinarii in 6. Mandos., consil. 27; Bertachin., *De episcop.*, part. V, lib. IV, q. 38, n. 6. « Nec sic per indirectum cogi debet alibi, quam in loco suæ residentiæ, vel consueto vicarium retinere, vel mittere contra mentem sacri concilii *Tridentini*, sess. XXV, *De reformat.*, cap. 6, ibi : « In ejus domo, aut consueto « tribunali procedere teneatur; » nec applicantur auctoritates et decreta sacræ congregationis Concilii in contrarium allata, quia intelligenda ac recipienda sunt, prout etiam pleraque loquuntur, in casu, quo subsit consuetudo retinendi distinctum tribunal, ac vicarium in utraque diœcesi, aut maxima sit inter unam et alteram distantia locorum. »

(14. Et idem iterum confirmavit eadem Rota *in eadem Valven.* 11 Martii 1695; *coram eodem Emerix decano*, dec. 4, n. 1, 3, apud Monacell., *l. cit.*, ibi : « Quo enim ad secundum certum est, quod duæ Ecclesiæ vigore unionis etiam æquæ principalis existentes sub uno episcopo (quidquid sit respectu ipsarum Ecclesiarum, quæ conservant singula suam essentiam, præeminentias, ac privilegia secundum auctoritates in contrarium allegatas) respectu episcopi habentur pro unica, » cap. 1, *Ne sede vacante*, cap. *Sicut unire de excessib. prælator.* Rota, *in Ampurien. seu Civitaten. Unionis* 10 Junii 1686, § *Quoniam*, vers. *Quoad episcopum*, *coram reverendissimo domino archiepiscopo Mediolanen.*, et ideo sufficit quod episcopus unum tantum vicarium generalem deputet pro ambabus diœcesibus, ut præter vetustiores auctoritates in decis. relatas ex modernioribus tradunt Pellegrin., in *Prax. vicar.*, part. I, sect. 2, subsect. 5. Merol., in *Theolog. moral.*, part. III, disput. 6, cap. 6, dub. 9, n. 73. Ventrigil., part. II, in *Prax eccles.*, adnot. 14, § 1, n. 4. Idque procedit, nedum quando episcopus resident in diœcesi, verum etiam, quando abesse cogitur ab illa; nam in utroque casu militat eadem ratio unicitatis Ecclesiarum seu diœcesum quoad semetipsum; imo sicuti, ubi resident, nec arctatur ullum retinere vicarium generalem, sed potest per se solum causas cognoscere, cæteraque explere negotia suæ diœcesis, ut dixit Rota, dec. 418, sub n. 10, *coram Cavaler.*, ita etiam absens unum duntaxat vicarium generalem relinquere valet, qui vices suppleat sui ipsius. Nec subsistit peculiaris consuetudo episcoporum Valven. seu Sulmonen. retinendi duos vicarios generales in utraque diœcesi, ex Ughell., in *Ital. sacr.*, tom. I, fol. 250, tit. *Valven. et Sulmonen. episcopi*, quia hic non loquitur nominatim de vicario generali, sed de vicario vicesgerente, et sic etiam intelligi valet de vicario foraneo. Ultra quod quatenus etiam constaret, quod quandoque episcopus pro unaquaque diœcesi deputasset vicarium generalem, ex deputationibus hisce, tanquam mere facultativis, nulla adversus ipsos allegabilis est consuetudo, sive præscriptio, ut per Rotam dec. 306, n. 3, *coram Caputaquen.*, et dec. 418, n. 9, *coram Cavalerio*.

(15. Episcopus non debet habere plura tribunalia, vel plures vicarios juxta numerum dominiorum, ad quæ diœcesis se extendit. Sacra cong. Episcoporum, *in Aquensi* 16 Feb. 1604, apud Nicolium, in *Flosculis*, verb. *Vicarius generalis*, n. 40 in fin., apud Pellegrin., *l. c.*, n. 14. Nisi tamen alicubi ob justas et graves causas haberetur ad id specialis concessio, seu provisio Apostolica, aut consuetudo legitime præscripta.

(16. Vicarius constitutus in aliquo loco vel parte diœcesis cum facultate generali pro omnibus causis ejusdem loci vel partis, est solum delegatus, non autem vicarius episcopi generalis; ideoque litteras apostolicas exsequi non potest. Sic sac. cong., in *una Nullius* 22 Dec. 1628, apud Nicol., *l. c.*, n. 48.

(17. Episcopus nequit creare vicarium generalem, antequam possessionem episcopatus apprehendat, quamvis fuerit per

Digitized by Google

papam pronuntiatus episcopus. Barbosa, cit. allegat. 54, n. 3. Azorius, part. II, lib. III, cap. 43, q. 2; Nicolius, *l. c.*, n. 39, et alii passim.

(18. Episcopus debet in vicarium eligere clericum saltem primæ tonsuræ, non vero laicum; nam laicis non licet ecclesiastica tractare negotia, cap. *Decernimus* 2, De judiciis, cum similibus Barbosa, cit. allegat. 54, n. 4, cum communi aliorum.

(19. Clericus conjugatus licet cum unica, et virgine, non potest esse vicarius generalis episcopi. Sac. cong. Episcoporum, *in Traguriensi* 11 Septembris 1612.

(20. Et multo minus bigamus, cap. unic. *De cleric. conjugato* in 6.

(21. Nec regularis potest esse vicarius generalis episcopi. Sac. cong. Episcoporum, et Regularium, *in Asculana* 15 Januarii 1597, *in Motulana* 8 Maii 1615, *in Spalatensi* 12 Aprilis 1619, et sæpe alibi. (22. Nisi cum aliis requisitis habeat etiam licentiam apostolicam degendi extra claustra, Sac. cong. Episcoporum *in Caputaquen.* 18 Novembris 1593.

(23. Vel nisi sit abbas, qui habeat jurisdictionem quasi episcopalem in personas sæculares; nam hic potest deputare vicarium monachum jurisperitum. Quod si talem non habeat, debet tenere vicarium clericum sæcularem doctorem; et si id minus fieri possit, poterit facere vicarium monachum non doctorem assignando ei doctorem pro assessore, sine cujus consilio nihil facere possit, quod requirat altiorem indaginem. Sac. cong. Episcoporum *in Calaguritana* 23 Decemb. 1603, et 21 Novembris 1605, apud Nicolium, *loc. cit.*, sub. n. 34. Vide *infra* n. 40.

(24. Et sacra congregatio Episcoporum aliquando concessit licentiam assumendi regulares in vicarios episcopales Cœlestinos, et etiam Dominicanos, ut *in Puteolana* 3 Februarii 1593, *in Traguriensi* 15 Julii 1606, et *in Vestana* 16 Novembris ejusdem anni apud Nicol., *loco cit.*

(25. Vicarius quoque patriarchæ Latini Constantinopolitani solet esse de Minoribus de Observantia. Sac. cong. Episcoporum et Regularium, 22 Dec. 1619, apud Nicol., *loco cit.*

(26. Vicarius generalis in regnis Hispaniarum non potest esse, nisi qui in ordine sacerd. est constitutus. Urb. VIII, const. incip. *Decet Romanum.*

(27. Vicarius episcopi, vel sede vacante, non potest esse parochus habens curam animarum. Sac. cong. Concilii sub die 12 Maii 1629, apud Barbosam, in *Summa apostol. decis.*, verb. *Vicarius generalis episcopi*, n. 3. (28. Et maxime si curam animarum habeat extra civitatem, et multo magis, si extra diœcesim, non potest esse vicarius, ut decrevit sæpe sæpius sac. cong. Episcoporum, apud Nicol. *loco citato*, n. 37, et in *Compendio episcop.*, verb. *Vicario*, n. 7, ubi dicta decreta congerit; generaliter enim esse parochum, et vicarium sunt officia male compatibilia in eadem persona. Sacra congregatio Episcoporum *in Messana* 19 Januarii 1603. Ex eo quod ut quis bene exerceat alterum ex dictis officiis, alteri necessario deesse cogitur. Sacra congregatio Episcoporum *in Sutrina* 16 Novembris 1640. Neque potest vicariatum retinere ex eo quod habeat coadjutorem in parochia. Sac. congr. Episcop., *in Albingan.* 8 Jun. 1521, apud Nicol., in *Flosculis*, *loc. cit.*, sub n. 37. * An parochus possit esse vicarius episc. *Vid.* verb. PAROCHUS, art. 2, n. 46*.

(29. Vicarius generalis esse non potest nepos, vel filius fratris episcopi. Sacra congregatio Episcoporum, *in Ostunen.* 19 Septembris 1577, *in Murana* 4 Februarii 1611, *in Tranen.* 17 Junii 1662, *in Meliten.* 18 Junii 1624, et sæpe alibi.

(30. Nec frater, præsertim si non est doctor. Sacra congregatio Episcoporum *in Comensi* 2 Decembris 1578, *in Messana* 11 Januarii 1600. (31. Imo laudatur, qui nec patruelem vult habere vicarium. Sacra congreg. Episc., *in Tarentina* 6 Aprilis 1611.

(32. Nec alium consanguineum. Sac. congr. Episcoporum, *in Arianen.* de anno 1636, apud Nicol. in *Flosculis*, *loc. cit.*, sub n. 35.

(33. Nisi hoc sacra congregatio ad aliquod tempus concedat propter bonas qualitates subjecti, ac aliorum idoneorum penuriam. Sac. cong. Episcop., *in Nullius Piscia* 1 Octobris 1655.

(34. Originarius civitatis vel diœcesis non potest esse vicarius, nam propter consanguinitates, affinitates, familiaritates et alias attinentias potest deviare a recta justitia, et se reddere partibus suspectum. Sacra congreg. Episcop., *in Ostunen.* 29 Julii 1587, *in Spalaten.* 9 Martii 1593, *in Senogallien.* 10 Februarii 1598, *in Sutrina* 16 Novembris 1640, *in Melphiten.* 11 Augusti 1645, *in Fundana* 25 Maii 1646, et pluribus aliis omissis, *in Monopolitana* 21 Augusti 1711. Ponente cardin. Grimaldo, et sæpissime alibi, ut adducit Ursaya, tom. III, decis. 8, n. 11 et sequentibus. Et novissime statutum fuit in concilio Romano celebrato sub Benedicto XIII, anno 1725, ubi tit. 8, cap. 2, sic expresse habetur : « Episcopi præterea in vicarios generales suos fratres, aut nepotes, aut propriæ episcopalis urbis cives non eligant. »

(35. Solet tamen sacra congregatio sæpe dispensare, ut episcop. præsertim residens tenere possit vicarium diœcesanum : dummodo non det occasionem querelarum, et hoc multis de causis, et signanter si episcopus adhuc extraneum idoneum invenire nequiverit. Sac. congreg. Episc., in *Melphiten.* 11 Augusti 1645, *in Fundana* 25 Maii 1644, *in Tropien.* 25 Januarii 1650. Item si vicarius exterus non tam cito possit accedere, sacr. congreg. Episcop., *in Melphiten.* 9 Octobris 1645. Item propter tenuitatem fructuum Ecclesiæ. Sacr. congreg. Episcop., *in Sutrina* 7 Decembris 1640. Item propter aeris intemperiem. Sacra congregat. Episcop., *in Fundana* 29 Septembris 1645. Item propter notitiam bonarum qualitatum talis vicarii diœcesani, qui sit eximius in regi-

Digitized by Google

mine. Sac. congreg. Episcop., *in una Montis Falisci* 4 Septembris 1684, et *in una Civitatis Plebis* 4 Martii 1649.

(36. Pœnitentiarius non potest esse vicarius generalis, ne suspicionem ingerat, quod in administratione justitiæ utatur scientia confessionis, nisi tantæ sit apud omnes bonæ famæ et opinionis, ut excludatur hujusmodi suspicio. Sacra cong. Episcop., *in Ariminen.* 28 Jan. 1611.

(37. Ut quis possit constitui vicarius generalis, debet esse ætatis saltem XXV annorum. Azorius, *Instit. moral.*, part. II, lib. III, cap. 43, quæst. 10; Alzed., *De præcellent. episc. dignit.*, part. II, quæst. 2, n. 3; Nicol., in *Flosculis, loc. cit.*, n. 29; Barbosa, cit. alleg. 54, sub n. 3; Homobon., *De humanæ vitæ statibus* cap. 7, vers. *Ætas;* ubi etiam addit nec posse episcopum dispensare super minori ætate sui vicarii generalis.

(38. Item debet esse doctor vel licentiatus in jure canonico. Sacr. congreg. Episc., *in Polignanen.* 28. Aug. 1582, *in Triventina* 6 Octob. 1645, et sæpissime alibi; unde si ad sacram cong. Episc. habeatur recursus contra episcopum non retinentem vicarium jurisperitum, solet ipsa demandare, ut retineat vicarium generalem doctorem, ut testatur Monacell., part. II, tit. 16, formul. 2, n. 3. Et hoc præcipue locum habet, quando episcopus ipse theologus est et non jurista. Sacr. cong. Episcop., *in Arben.* 23 April. 1691. Ne semper indigeat assessore. Sacr. cong. Episcop. *in Cajacen.* 11 Maii 1594, et *in una Montis Falisci* 12 Aug. 1650. Nec sufficit esse theologum : sac. congr. Episc., *in Surrentina* 15 Nov. 1605. Et interim donec provideatur, datur doctor pro consultore, *ibidem.*

(39. Aliquando tamen sacra congreg. Episcop. concessit posse episcopum tenere vicarium non doctorem, alias tamen idoneum, præsertim dum episcopus jurista residet. Ead. sacr. cong., *in Tragurien.* 15 Jun. 1590, et *in Orien. seu Oritana* 29 Mart. 1593.

(40. Item vicarii abbatum debent esse idonei doctores si jurisdictionem exerceant extra monasterium. Sac. cong. Episcop. et Reg., *in Calaritana* 23 Dec. 1603. Vide *supra* n. 23.

(41. Vicarius generalis episcopi habet jurisdictionem ordinariam, et non delegatam. Sic colligitur ex cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, et cap. *Romana* 3, § 1, *De appellat.* in 6, ac tenet expresse Glossa in cap. *Romana*, verb. *Generaliter*, et alia Glossa in cap. *Licet*, verb. *Officialem*, De officio vicarii in 6. Nicolius, in *Flosculis*, verb. *Vicarius generalis*, n. 45. Pellegrin., in *Praxi vicar.* part. I, sect. 2, subsect. 3, a n. 1 ad 6, ubi, pluribus adductis, id solide probat et solvit contraria. Statim enim ac ab episcopo constituitur, eo ipso a lege, seu canone jurisdictionem accipit, arg. cap. 2, De officio vicarii in 6. Et notat Barbosa, part. III, *De officio et potest. episcopi*, allegat. 54, n. 34. Sanchez, lib. III *De matrimonio*, disp. 29, n. 13. Fagnan., in cap. *Quod nobis*, n. 41, *De clandestina desponsat*, et alii plures. *Vide* verb. JURISDICTIO a n. 15 ad 17, ubi late de hac vicar. general. jurisdictione.

(42. Idem est tribunal, seu auditorium, eademque jurisdictio episcopi et vicarii sui generalis, textu expresso in cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, ibi : « Cum sit idem auditorium utriusque, » et in cap. *Romana* 3, De appellationibus in 6, ibi: « Cum unum et idem consistorium, sive auditorium sit censendum. »

(43. Hinc a vicario generali regulariter non datur appellatio ad episcopum, textu expresso in cit. cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, addita ratione : « Ne ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videatur; » et in c. cap. *Romana* 3, § 1, De appellationibus in 6, ibi : « Ne ab eisdem ad seipsos interponi videatur. » Unde a vicario generali episcopi appellatur, omisso episcopo, immediate ad archiepiscopum, Rota p. 13 rec. dec. 192, n. 5 et part. XIV, decis. 115, n. 210, et communis doctorum.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(44. Nonnunquam duo constitui solent vicarii generales æque principales. Dubitari propterea contingit, utri delegationes apostolicæ censeantur commissæ.

(45. Porro si agatur de rescripto gratioso, ille ex duobus vicariis erit delegatus apostolicus, cui ab impetrante fuerit illud præsentatum. (46. Rescriptum vero licet gratiosum uni vicario jam præsentatum haud potest alteri vicario præsentari; Layman in c. 1, n. 7, *De offic. vicar.*; Leuren., *De vicar.*, cap. 1, § 2, q. 34, n. 2.

(47. Quod si res sit de rescripto contentioso consentientibus partibus, aut nil opponente eo, contra quem ipsum impetratum est, potest etiam quilibet eorum eligi; partibus vero dissentientibus adeundus est Papa, qui debet declarare, utrum eorum delegaverit; Barbos., in c. *Quoniam*, num. 10. De offic. delegat.; Wiestner, in *Decret.* lib. I, tit. 28, n. 27.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ possit, vel non, vicarius generalis.

Sequentibus num. evolvitur.

(1. Vicarius generalis, ad hoc ut suum munus plene et libere exercere possit, debet ab episcopo constitui in spiritualibus et temporalibus, nec sufficit, si constituatur in spiritualibus tantum, vel temporalibus, quia sub tali forma verborum non esset rigorose vicarius generalis. Arg. cap. *Si episcopus* 3, et cap. *Ecclesiæ cathedrali* 4, De supplenda negligent. prælatorum in 6, ibi : « In spiritualibus et temporalibus ; » Barbosa, part. III *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 54, num. 57; Rebuffus, *Prax. Benefic.*, part. I, tit. De vicar. episc., num. 16, et in *Forma vicarior.*; Sbroz, *De officio vicarii*, lib. I, q. 25, n. 1, cum seq.; Pavinus, *De offic. et potest. capituli sede vacante*, c. 2, q. 12, n. 6; Pellegr. in *Praxi vicarior.*, part. I, sect. 1, subsect. 1, n. 1, et

Digitized by Google

alii contra alios. Et ratio est, quia Ecclesia habet et spiritualia, et temporalia, can. *Si quis* 1, q. 3, adeoque debent in forma vicariatus ambo exprimi, cap. *Licet* 2, De officio vicarii in 6, cap. *Romanus* 1, De officio ordinarii in 6, cap. *Romana* 3, De appellationibus in 6, c. *Statutum* 6, et c. *Statuta* 20, De hæreticis in 6. Sic per hæc jura docet Pellegr. *Prax. vicar.* part. I, sect. 2, subsect. 1, num. 1, cum aliis ibi citatis.

(2. In generali vicarii constitutione conceduntur tantum, quæ in generali mandato continentur, etiamsi adesset clausula: « Dantes, et concedentes ei plenam et liberam potestatem), arg. text. in leg. *Procurator cui*, ff. *De procuratoribus*, cum similibus; Barbos., *loc. cit.* n. 59; Rebuff. *loc. cit.*, num. 36; Pellegrin., *loc. cit.* num 3, et alii.

(3. Vicarius generalis vi officii sibi generaliter commissi ordinarie potest ea omnia, quæ episcopus; Rebuffus *in Praxi benefic.* tit. *Forma vicariatus*, n. 30 et seq.; Garcias *De benefic.* part. V, cap. 8, n. 65 et seq.; Pirrhing, lib. I *Decretal.*, tit. 25, n. 41: Reiffenstuel, *ibid.*, n. 76, et alii plures: et ratio est, quia vicarius generalis constituit unum tribunal cum episcopo; cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, ejusque personam repræsentat; cap. *Romana* 3, De appellationibus in 6, adeoque quod potest episcopus, censetur et ejus vicarius posse.

(4. Nisi tamen aliquid fuerit specialiter in jure exceptum, ut de se clare patet, et omnes fatentur; aut res sit ita gravis et ardua, ut eam episcopus non esset illi in specie verisimiliter concessurus, arg. cap. *Cum in generali* 3, De officio vicarii in 6, ibi: « Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quæ non esset quis verisimiliter concessurus, » et concordat cap. *In generali* 81, De regul. juris in 6, ibi: « In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus; » seu res sit talis, ut exigat speciale mandatum, arg. cap. *Qui generaliter* 5, De procuratoribus in 6, ibi: « Qui generaliter constituitur ob negotia procurator, agere ac experiri potest, exceptis iis casibus, qui mandatum exigunt speciale. »

(5. Vicarius generalis etiam sine speciali mandato potest confirmare electos, et instituere præsentatos ad juspatronatus, cap. *Ex frequentibus* 3, De institutionibus, Glossa, verb. *Non possunt* in cap. final. De officio vicar. in 6; Roch. *De jure patronat.*, verb. *Competens* q. 31, num. 66 et 67; Lambertin., eod. tract., part. III, lib. II, art. 5, q. 1 in princip.; Covarruv., lib. III *Variar.*, c. 20, num. 7; Gonzalez *ad Regul. Cancellar. glossa* 9, § 2 num. 78; Pellegrin., *loco cit.* num 4; Barbos., cit.; allegat. 54, num. 70, cum Rota et sacra congr., *ibi* cit., testans de communi doctorum contra Rolandum et Rebuffum.

(6. Vicarius generalis sine speciali mandato potest monitoria sub pœna excommunicationis ad finem revelationis pro rebus deperditis, seu subtractis concedere: sic pluries declarasse sacr. congreg. Conc. refert Garcias, *De beneficiis*, part. V, cap. 8, num. 98; Pellegrin., *loco cit.*, num. 9.

(7. Vicarius generalis, absente episcopo, processiones indicere et dirigere potest cum consensu capituli. Sacra cong. Conc. apud Barbos., in *Sum. Apostol. dec.*, verb. *Vicarius generalis episcopi quam habeat auctoritatem*, n. 2.

(8. Potest vicarius generalis cognoscere de causis mensæ episcopalis, et judicare, prout justum fuerit. Sacr. congregat. Episcopor., *in Lesinen.* 3 Octobr. 1586.

(9. Item potest exsequi commissiones et Litteras Apostolicas, quæ prius directæ fuerant vicario capitulari, non adhuc exsecutæ. Sacr. cong. Episc. *in Parmen.* 6 Aug. 1614.

(10. Item potest esse delegatus Papæ et exsecutor Gratiarum Apostolicarum, qui est in dignitate constitutus. Clementin. *Etsi principalis* 2, De rescriptis.

(11. Item potest ex vi mandati generalis confessiones sacramentales audire, aliisque eas audiendi facultatem concedere. Barbosa, supra conc. *Trid.*, sess. XXIII *De reform.*, cap. 15, num. 25, cum Sanchez, Campanil., Narbona, Novar., Moneta, et aliis ibi citatis, Pellegrin., *loco cit.*, num. 17; Ventrigl., *Prax. rerum notabilium*, t. II, adnotat. 25, § 1, num. 28; Merol., *Theol. moral.*, part. III, disput. 7, cap. 6, dub. 21, num. 176, qui testatur de magis communi et verissima sententia contra Barbosam, *De offic. et potest. episc.*, part. III, allegat. 54, num. 91, et alios apud ipsum tenentes vicarium episcopi non posse sine speciali mandato facultatem concedere aliis sacerdotibus audiendi confessiones sacramentales.

(12. Item potest ex proprio officio aosque speciali commissione interesse matrimoniis, et aliis sacerdotibus assistendi licentiam concedere; vicarius enim generalis venit appellatione ordinarii: *Communis* cum Barbosa *De offic. et potest. episcop.*, part. II, alleg. 32, num. 127; Ventriglia, *loc. cit.*, num. 27.

(13. Et id potest vicarius generalis, etiamsi sit tantum clericus, et non sacerdos. Basilius Pontius, tract. *De sacram. matrimon.*, lib. V, cap. 11, num. 11; Barbosa, cit. alleg. 32, num. 120, et alii contra multos alios ibi citatos, et Pellegrinum, *loc. cit.*, num 27, et alios ab ipso allegatos. Et ratio nostra est, quia adversarii, ut notat Barbosa, *loc. cit.*, defendunt contrarium ex eo tantum fundadamento, quod non sufficit in contrahendo matrimonio præsentia parochi, qui non sit sacerdos: hoc autem est falsum, cum sacr. cong. Conc., *in Abulensi* 12 Mart. 1593, l. VII *Decretor.*, fol. 193, apud Monacell., tom. II, tit. 16, formul. 2, num. 34, et apud Pitton., *Constitut. ad parochos*, num. 160, expresse declaraverit, quod parochus valide et licite assistit matrimonio, etiamsi nondum sit sacerdos, adeoque, etc. Tum quia eadem sac. congreg. Conc. 4 Jul. 1602, lib. X *Decr.*, fol. 47, apud Monacell., *loc. cit*, declaravit, quod matrimonium contrahi potest valide, non solum coram sacerdote habente facultatem a vicario generali, sed coram vicario

Digitized by Google

generali et perinde ac coram parocho. Unde cum ex alio adducto decreto parochus valide et licite assistat matrimonio, etiamsi nondum sit sacerdos, id etiam dicendum venit de vicario generali nondum sacerdote.

(14. Licentia tamen assistendi matrimonio non potest ab ipso vicario generali, sicuti nec a parocho concedi alicui, qui non sit sacerdos. Arg. concil. *Trid.*, sess. XXIV, *De reform. matrimon.*, c. ubi expresse requirit, ut delegandus sit sacerdos, ibi : « Vel alio sacerdote. » *Vide* verb. MATRIMON. QUOAD IMPEDIMENTA, art. 1, num. 68.

(15. Vicarius generalis potest petere salarium ab episcopo, quod salarium non potest esse minus quinquaginta aureis pro quolibet anno. Sic declaravit sac. congr. Episc., *in Ventimilien.* 8 Martii 1606. Vel centenis monetæ. Ead. sacr. congreg. Episc., *in Cajetana* 5 Februarii 1616, apud Nicolium, *loc. cit.*, num. 52, et Pellegrin., *loc. cit.*, num. 21.

(16. Non potest tamen loco salarii seu provisionis episcopus assignare vicario emolumenta cancellariæ, ut evitentur fraudes. Eadem. sacr. congr. Episc., *in Senegallien.* 16 Octobris 1604, apud Nicol., *loc. cit.*, n. 52, et Pellegrin., *loc. cit.*, n. 21.

(17. Vicarius generalis potest petere a judice laico auxilium brachii sæcularis in causis, in quibus potest episcopus, cap. 1, ubi canonistæ, *De offic. ordinarii*, cap. *Dilecto*, De sentent. excomm. in 6, conc. *Trid.*, sess. XXIV, cap. 8, sess. XV, *De regularibus* c. 5, et sess. XXV, *De reform.*, cap. 3; Pellegrin, *loc. cit.*, n. 23, cum Gratian., Covarruv. et aliis passim.

(18. Vicarius generalis archiepiscopi, ipso archiepiscopo absente et a sua provincia distante, potest interveniente justa aliqua et gravi causa, episcopos suffraganeos suspendere, interdicere et excommunicare, textu claro in cap. *Romana Ecclesia* 1, § *Officiales autem*, De officio ordinar. in 6. *Vide* verb. ARCHIEPISCOPUS, art. 1, n. 20.

(19. Non potest vicarius generalis, etiamsi fuerit episcopus, ex generali commissione sine speciali mandato episcopi exercere ea, quæ sunt ordinis episcopalis, ut consecrare ecclesias et altaria, chrisma et oleum sanctum conficere, sacramentum confirmationis et ordinis conferre, calices consecrare, et alia hujusmodi. Rebuff., in *Praxi benefic.*, tit. *De vicario*, n. 33, et n. 168 cum seq., Sbroz, *De vicario episc.*, lib II, quæst. 5, n. 10 et q. 6 cum seq.; Azorius, part. II, lib. III, cap. 45, q. 9 et cap. 46, vers. *Confirmationes;* Ugolinus, *De offic. et potest. episc.*, cap. 4, § 7, n. 2, vers. 8; Franciscus Leo, in *Thesaur. fori eccles.*, part. I, cap. 12; Barbosa, part. VIII, *De offic. et potest. Episc.*, allegat. 54, n. 83, cum aliis ibi citatis; Pellegrin., *loc. cit.*, subsect. 2, a n. 1 ad 5, et alii passim.

(20. Item non potest sine speciali mandato synodum congregare. Glossa, in cap. *Tua nos*, verb. *Vicarii*, De officio vicarii, et in cap. *Quod ad translationem*, verb. *Item congregatio*, De officio legati; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 47; Rebuff., in *Praxi benefic.*, De forma vicarii, n. 151; Sbroz, lib. II, quæst. 46, n. 1; Barbosa, cit. allegat. 54, n. 103, cum aliis ibi citatis, et super *Trid.* sess. XXIV, *De reform.*, cap. 2, n. 21, cum aliis ibi allegatis, insuper refert ex Sellio sic fuisse resolutum a sac. congregat. Concilii 11 August. 1618. Quamvis enim ipse in *Summ. Apostolic.*, verb. *Vicarius generalis*, collectan. 715, n. 3, dictam sacræ congreg. decisionem referat in contrarium, nihilominus ut recte notat ex aliis Ventriglia, tom. II, adnotat. 14, § 1, n. 37, ipsa sacræ congreg. decisio cantat pro nostra opinione, quod nempe vicarius generalis absque speciali mandato non possit synodum congregare, et fortasse Barbosa in dicta summa inadvertenter omisit dictionem *non*.

(21. Item non potest suo arbitrio constitutiones synodales mutare. Sac. congr. Trid. 25 Febr. 1606.

(22. Item non potest sine speciali mandato diœcesim visitare, quia visitatio videtur episcopis tantum reservata, qui per se ipsos visitare tenentur singulis annis, et ipsis legitime impeditis, per suos vicarios, can. *Decernimus* 10, caus. 10, q. 1, can. episc. 11, ead. caus. et quæst., c. *Inter cætera*, De offic. ordinarii, cap. *Si episcop.* 6, eod. in 6; concil. *Trident.*, sess. VII, *De reform.*, cap. 8, et sess. XXIV, *De reformat.*, c. 3; Rebuff., *loc. cit.*, n. 100; Sbroz, lib. II, q. 120, n. 2; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 46; Barbosa, cit. allegat. 54, n. 102, et alii passim.

(23. Item non potest sine speciali mandato exigere cathedraticum seu synodaticum, quod episcopis debetur ratione subjectionis. Sbroz, lib. II, q. 33, n. 6; Barbosa, cit. alleg. 54, n. 123; Pelleg., *loc. cit.*, n. 40, et alii.

(24. Item nequit sine speciali mandato imponere et exigere charitativum subsidium. Barbosa, cit. alleg. 64, n. 122; Bellencin., in tract. *De charitativo subsidio*, q. 11 per tot.; Azorius, *Instit. moral.*, part. II, lib. IX, t. XIV, q. 5, vers. *Vicarius;* Sbroz, lib. II, q. 45, num. 6; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 48, et alii.

(25. Item sine speciali mandato nequit se intromittere in causis criminalibus, quæ enumerantur inter negotia ardua, cum in eis tractetur de vita hominis et de pœna graviter infligenda, arg. c. *Veniens* 15, et c. *Qualiter* 24, De accusationibus. Unde pro ipsis causis debet habere specialem commissionem, textu expresso in c. *Licet*, De offic. vicarii in 6, ibi : « Potestatem tamen inquirendi, corrigendi aut puniendi aliquorum excessus seu aliquos a suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eumdem, nisi sibi specialiter hæc committantur. »

(26. Item sine speciali commissione nequit beneficia conferre; cap. ult. *De offic. vicarii* in 6, et Communis doctorum cum Barbosa, cit. alleg. 54, n. 6; Pellegrin., *l. c.*, n. 8, et alii. Neque potest sine speciali mandato resignationes et permutationes

Digitized by Google

beneficiorum admittere et approbare, cap. *Quæsitum*, De rer. permut.; Barbosa, *l. c.*, n. 66, cum pluribus ibi allegatis; Pellegrin., *l. c.*, n. 14; Ventriglia, *l. c.*, n. 9, et alii passim.

(27. Imo etiamsi vicarius habeat speciale mandatum ad recipiendas resignationes beneficiorum, adhuc non potest conferre beneficia coram ipso resignata sine speciali mandato ad conferendum. Rota, dec. 5, alias 487, n. 2 et 3, in novis, quam affert Sbroz, lib. II, q. 71, n. 9; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 14; Rebuff., *loc. cit.*, n. 104 et 106; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 10, cum aliis ibi allegatis; Barbosa, cit. alleg. 54, n. 67 et alii.

(28. Neque potest sine speciali mandato beneficia unire, neque uniones revocare, aut Ecclesias dividere. Lotter., in tract. *De rebeneficiaria*, lib. I, q. 28, a n. 118; Garcias, *De benefic.*, part. XIV, c. 2, n. 69; Sbroz, lib. I, q. 115; Barbos., cit. alleg. 54, n. 72; Ventrigl., *loc. cit.*, n. 12; Pellegr., *loc. cit.*, n. 15.

(29. Neque potest absque speciali mandato beneficia erigere, aut jurispatronatus fundationi consensum præstare. Barbos., *loc. cit.*, n. 71; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 17 et 22; Riccius, in *Dec. cur. archiepisc. Neapolit.*, part. I, dec. 140, et alii.

(30. Item neque potest absque speciali mandato beneficia supprimere. Barbosa, *loc. cit.*, n. 71; Sbroz, lib. II, q. 17, n. 5; Moneta, *De commutat. ult. volunt.* cap. 12, n. 129 cum seq.; Pellegr., *loc. cit.*, n. 16, et alii.

(31. Neque potest absque speciali commissione juspatronatus reservare alicui ex causa donationis, fundationis vel constructionis. Garcias, *De benefic.*, part. V, c. 9, n. 43; Vivian., in *Praxi jurispatronat.*, part. I, lib. I, n. 24, in prima edition., alias lib. II, c. 1, n. 19; Sbroz, lib. II, q. 31, n. 4, Gratian., *Discept. forens.*, c. 303, n. 12; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 19; Barbosa, *l. c.*, n. 74, adducens ultra alios doctores etiam ad id plures Rotæ decisiones.

(32. Neque sine speciali mandato donationi jurispatronatus decretum interponere, vel auctoritatem seu assensum præstare valet, quia hoc est de jurisdictione gratiosa et non necessaria, ut in cap. unic., *De jure patronat.* in 6; Riccius, in *Praxi aurea*, resol. 469; Zerola, in *Praxi episcop.*, verb. *Vicarius*, § 11 et 13; Pellegr., *l. c.*, n. 20; Barbos., *l. c.*, n. 75, cum pluribus ibi allegatis, adducens insuper ad id varias Rotæ decisiones.

(33. Neque sine speciali commissione præsentare potest ad beneficium jurispatronatus ad episcopi præsentationem pertinens. Lambertin., *De jurepatron.*, part. III, lib. II, q. 110, n. 2; Sbroz, lib. II, q. 110, n. 2; Garcias, *De benefic.*, part. V, cap. 8, n. 82; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 21; Barbosa, *loc. cit.*, n. 82, et alii apud ipsos.

(34. Neque novas parochias erigere, nec alia beneficia creare, in creatione novæ dignitatis auctoritatem præstare; can. *Nemo*, ubi Glossa, verb. *Veniat per se vel per alium*, dist. 1, De consecrat.; Rota, *in Segobien. Capellaniæ* 28 April. 1625, *coram Ubaldo*; Garcias, *De benefic.*, part. V, cap. 9, n. 65; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 22; Barbosa, *loc. cit.*, n. 76, cum aliis ibi allegatis.

(35. Neque potest sine speciali mandato imponere pensionem super beneficiis, ubi episcopus ob aliquam justam causam, ver. gr. pro bono pacis et concordiæ posset. Sbroz, lib. II, q. 71, n. 14; Moneta, *De commut. ult. voluntat.*, cap. 5, n. 496; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 24; Barbosa, *loc. cit.*, n. 77; Ventrigl., *loc. cit.*, n. 13 et alii.

(36. Neque potest absque speciali commissione coadjutorem vicarium rectori imperito deputare secundum formam. Sac. cong. *Trident.*, sess. XXII, *De reformat.*, cap. 6; Sbroz, *De offic. vicarii*, lib. II, q. 112, a n. 2; Puteus, decis. 239, n. 2; Ventriglia, *l. c.*, n. 13; Barbosa, *l. c.*, n. 73, et alii.

(37. Neque absque speciali concessione potest œconomum Ecclesiæ constituere. Sbroz, lib. III, q. 53, n. 2; Felin., in cap. *Quoniam* in fine, *De offic. ordinarii*; Barbosa, *l. c.*, n. 78; Pellegr. *l. c.*, n. 25; Ventriglia, *l. c.*, n. 13, et alii.

(38. Neque potest absque commissione aliquem ab ordine deponere aut amovere a suo beneficio, officio vel administratione, textu expresso in cap. *Licet*, De offic. vicar. in 6. *Vide* verba adducta *supra* n. 15; Barbosa, *l. c.*, n. 13; Pelleg., *l. c.*, n. 25, et ipso teste alii communiter.

(39. Neque sine speciali mandato potest clericum exsilio condemnare aut ab exsilio revocare. Abbas, in c. 1, n. 3, De calumn., et in c. *Cum non ab homine* n. 4, De judiciis; Sbroz, lib. II, q. 155, n. 2 et q. 156, n. 4; Barbosa, *l. c.*, 79; Pellegrin., *l. c.*, n. 26, et alii apud ipsos.

(40. Neque potest sine speciali concessione ecclesias dirutas et vetustate collapsas, quæ ob illarum et parochianorum inopiam nequeunt restaurari, in matrices erigere, vel in alias viciniores ecclesias transferre. Francisc. Leo, in *Thesaur. fori ecclesiast.*, part. II, cap. 16; Barbosa, *l. c.*, n. 81; Sbroz, lib. II, q. 117, n. 5; Pellegrin., *l. c.*, n. 27, et alii.

(41. Neque sine speciali mandato potest mutare statum alicujus Ecclesiæ etiam in casibus, in quibus potest episcopus. Moneta, *De commut. ult. volunt.*, c. 11, n. 358 et 360; Barb., *l. c.*, num. 81; Pellegr., *l. c.*, n. 28, et alii.

(42. Neque sine speciali mandato alienare potest res Ecclesiæ, aut in alienationibus seu transactionibus earumdem rerum decretum interponere. Sbroz, lib. II, q. 118, n. 2; Pellegr., *l. c.*, n. 29 et 55; Barbosa, *l. c.*, n. 106, et alii plures apud ipsos.

(43. Neque sine speciali commissione potest concedere licentiam ædificandi nova monasteria et conventus in loco suæ diœcesis, ex eo quia est de majoribus. Sac. cong. Conc. 11 Jul. 1620, apud Barbosam,

Digitized by Google

in *Summa Apostol. decis.*, collectan. 715, n. 10.

(44. Neque potest, quando celebrat, habere duos capellanos sive clericos, qui illi cum cottis inserviant. Sac. cong. Rit. 7 Aug. 1627.

(45. Neque in altari quatuor candelas accensas tenere, nisi hoc fieret in illo altari propter solemnitatem diei festi. Ead. sac. Rit. cong. 7 Augusti 1627.

(46. Neque potest facere circulum in missa solemni ante episcopum cum canonicis ad *Gloria*, *Credo*, et *Sanctus*, etc., Sac. cong. Rit., *in Macerat.*, 28 Sept. 1530 apud Pellegrin. *l. c.*, n. 10.

(47. Neque potest baldachinum erigere, absente episcopo, in ecclesiis exemptis invitis monachis. Sac. Rit. cong. *in causa congregationis Casinensis* 10 Jul. 1621, apud Pellegrin., *l. c.*, sub n. 11.

(48. Neque potest, absente vel impedito episcopo, facere functiones episcopales, sed spectat facere ad primam dignitatem capituli, et successive ad alios. Sac. Rit. cong., *in Algaren. et Brundusina* 20 Dec. 1661 et *in alia Brundusina* 5 Feb. 1614, et *in Alatrina* 22 Januar. 1618.

(49. Neque potest sumere paramenta de altari, quia hoc facere solis episcopis permittitur. Eadem sacra Rituum cong. 7 Jul. 1612, apud Pellegrin., *loc. cit.*, n. 11. Nisi propter necessitatem ob loci angustiam id faciat; uti alii sacerdotes in simili casu faciunt, et tunc ipsa paramenta, non in medio altari, sed in cornu evangelii sumere debet, ut declaravit eadem sac. Rituum cong. d. die 7 Jul. 1612.

(50. Neque potest uti vicarius generalis missas conventuales aut pontificales celebrare, nec SS. sacramentum, aut sacras reliquias paratus deferre, nec aliis se immiscere functionibus ecclesiasticis, sed tantum præesse, ut omnia suo ordine fiant. Sac. cong. Episcop. 19 Sept. 1627, apud Barbosam in *Summa*, *loc. cit.*, n. 12.

(51. Neque potest vicarius uti annulo, tempore quo celebrat, licet sit protonotarius Apostolicus non participans. Sac. Rit. cong. 11 Feb. 1623, apud Gavant. *in Manual. episcop.* verb. *Missæ ritus*, n. 12; et Pellegrin., *loc. cit.*, n. 12. et multo minus, si sit canonicus cathedralis. Ead. sac. Rit. cong. 29 Nov. 1629, apud Gavant., *loc. cit.*, n. 13, et Pellegrin. *loc. cit.*, n. 12, sed *vide* verb. *Annulus* n. 8, ubi ex posteriori decreto Sac. Rit. cong. 4 Aug. 1663, dicitur, quod possunt canonici cathedralis missam celebrare cum annulo aureo et de rigore uti, sed sine gemma et sine aliqua effigie.

(52. Nec potest prohibere canonicis, ne officium inchoetur, donec ipse veniat, quia statim dato signo est inchoandum. Sac. Rit. cong. 25 Febr. 1606.

(53. Neque prætendere, ut ipsi missam solemnem cantanti assistant canonici, et faciant circulum ante ipsum. Sac. Rit. cong. 8 Mart. 1595.

(54. Neque potest dare benedictionem diacono, antequam cantet Evangelium, neque benedicere prædicatori, antequam pulpitum ascendat. Sac. congreg. Rit., *in Pacen.* 17 Martii 1607, apud Pellegrin., *l. cit.*, sub. n. 13, et Barbosam, in *Summa*, *loc. cit.*, n. 9

(55. Neque potest impedire, quod parochi denuntiationes faciant absque sua licentia. Sac. congreg. Concil. 27 Martii 1617, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 11.

(56. Neque potest intervenire capitulo, si sit exemptum. Sac. cong. Concilii, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 13. Vel si nolint canonici. Eadem sac. cong. Concil., *in Amerien.* 24 Aprilis 1632.

(57. Imo neque absente episcopo, potest in capitulo intervenire. Eadem sac. cong. Concilii apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 15.

(58. Et si sit de capitulo, debet inde exire, ubi tractandum fuerit de rebus ad suum, vel episcopi commodum pertinentibus. Sac. cong. episcop. et regul. 17 Jun. 1584, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 15.

(59. Neque potest concedere licentiam alteri episcopo exercendi pontificalia in sua diœcesi, nisi habeat ad id speciale mandatum. Sac. cong. Concilii apud Barbosam, *loco cit.*, n. 16.

(60. Neque potest sine speciali commissione remittere denuntiationes matrimoniales. Sac. cong. Concilii, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 19. Contrarium tamen cum pluribus defendit Ventriglia, *l. c.*, n. 26, asserens quod verior, et magis communis opinio sit, quod id possit sine speciali mandato, et sic cum aliis etiam Pellegrin., *loc. cit.*, n. 38, et alii plures

(61. Neque pro matrimonialium dispensatione potest quidquam quamvis minimum, et sponte datum recipere. Sac. cong. Episcop. et Regul., in *Surrentina* 22 April. 1616, apud Barbosam, *loco cit.*, n. 17, et Taxa Innocentiana, § *Nelle cause e materie*

(62. Neque de jure potest sine speciali mandato indulgentias concedere; arg. cap. *Antecedentibus* 12, De excessibus prælat. et *ibi*, Fagnan., n. 17, cum pluribus aliis, card. Petra, tom. III *Comment. ad Const.* 16 *Alexandri IV*, n. 26. Barbosa, *loc. c.*, n. 90, cum pluribus ibi allegatis. Vide verb. INDULGENTIA, art. 2, n. 29.

(63. Neque potest sine speciali commissione interdicta relaxare, sive ab homine, sive a jure sint, Barbosa, cit. alleg. 54, num. 96; Sbroz, lib. II, q. 185, n. 2, cum seq.; Pellegrin., *loco cit.*, n. 39, et alii.

(64. Neque potest sine speciali mandato dimissorias, seu commendatitias litteras pro recipiendis ordinibus subditis concedere, nisi episcopo ita absente et in remotis agente, ut nonnisi post longum tempus adventus ejus speretur; c. *Cum nullus*, vers. *Officialis*, et § *Episcopo*, ubi Glossa verb. *In remotis*, De tempor. ordinat. in 6, Pellegrin., *loco citato*, n. 44. Ventriglia, *loco cit.*, n. 32; Barbosa, part. II *De offic. et potest. episc.* alleg. 7, n. 9, et cit. alleg. 54, n.

Digitized by Google

97. et *De jur. eccles. univers.*, lib. I, c. 15, n. 21, et plures alii apud ipsos.

(65. Neque potest sine speciali concessione alium vicarium substituere. Imo et cum speciali facultate substituendi, nec potest substituere, nisi concurrente legitima causa, et ad modicum tempus, cap. *Clericos*, De officio vicarii, Glossa, in c. *Romana* 1, verb. *Ipsius*, De officio vicarii in 6, Pellegrin., *loc. cit.*, n. 45; Ventriglia, *loc. c.*, n. 39; Barbosa, cit. alleg. 54; n. 9 et 10, cum Rota, et aliis plurimis ibi citatis.

(66. Neque potest sine speciali concessione absolvere a casibus episcopo reservatis, cum id non veniat in generali commissione : cap. penultim. *De pœnitent. et remissionibus* in 6; Pellegrin., *loco cit.*, n. 43, Ventrigl., *loco cit.*, n. 30; Sbroz, lib. II, q. 19, n. 5; Barbosa, cit. alleg. 54, n. 116, et alii apud ipsos notantes, quod quando datur hæc potestas, concedi solet, ut et alteri delegari possit.

(67. Neque potest sine particulari concessione dispensare in irregularitatibus, et absolvere a suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, ac ab aliis casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, sicut potest episcopus in vim concilii Trid. sess. XXIV, *De reform.*, cap. 6, quia concilium hanc facultatem non tribuit vicario generali, nisi specialem commissionem ad hoc habenti, ibi : « Per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum; » Pellegrin., *loc. cit.*, n. 41; Ventriglia, *loco cit.*, n. 29; Rebuff., in *Praxi benefic. De forma vicarii*, n. 179, cum seq.; Ugolin., *De potestate episcop.* cap. 3, § 7, n. 2, vers. *Postremo*; Suarez, *De censuris*, disp. 51, sect. 2, n. 8; Barbosa, *Juris ecclesiastic. univers.* lib. I, cap. 15, n. 24, et *De offic. et potestat. episcop.* part. II, allegat. 39, n. 10; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 82, n. 85, et alii apud ipsos.

(68. Neque sine speciali mandato potest absolvere ab excommunicatione canonis : *Si quis suadente diabolo* 17, q. 4, in casibus episcopo permissis, de quibus in cap. *De cætero* 11, et c. *Ea noscitur* 18, De sent. excomm., et cap. *His quibus* 20, De Officio ordinarii, ubi doctores communiter teste Pellegrin., *loco cit.*, n. 42.

(69. Neque sine speciali mandato cognoscere potest de crimine hæresis. Decian., *Tract. criminal.*, tom. I, lib. V, cap. 21, n. 7; Sbroz, lib. II, pag. 161, n. 4 et 5, Covarruv., lib. III *Variar. resol.*, cap. 20, n. 3, Barbosa, cit. alleg. 54, n. 85; Pellegrin., *loco cit.*, n. 30.

(70. Imo neque de licentia episcopi potest absolvere subditos in foro conscientiæ a crimine hæresis, quia hoc competit solis episcopis vigore concessionis concilii *Trid.*, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 6, ibi : « Eis tantum, non eorum vicariis sit permissum. » Cuccus, *Instit. jur. canon. de episcop.*, n. 191. Sbroz, lib. II, q. 20; Barbos., *loco cit.*, n. 86; Pellegrin. *loc. cit.*, n. 30, et alii.

(71. Neque voluntatem puellæ habitum regularem suscipere aut professionis votum emittere volentis explorare potest, ut experiatur an coacta, an seducta sit, et an sciat quid agat, et cætera juxta dispositionem concilii *Trid.*, sess. XXV *De regularibus*, cap. 17, nisi ad hæc specialiter sit deputatus, vel episcopus sit absens, aut legitime impeditus. Sbroz, lib. II, q. 200; Barbosa, *loco cit.*, n. 8; Pellegrin., *loco cit.*, n. 32, et alii.

(72. Neque potest causas restitutionis in integrum cognoscere, seu de eis disceptare, nisi ei specialiter committatur. Ita per text. in l. *Illud* 25, § 1, ff. *De minoribus* tenent Sbroz, l. II, q. 35, n. 5; Sanchez, *De matr.*, l. II, disp. 40, n. 12 in fine; Barbosa, *loco cit.*, n. 103; Ventrigl., *loco cit.*, n. 40; Pellegr., *loco cit.*, n. 56, et alii.

(73. Neque sine speciali mandato deferre potest juramentum purgationis canonicæ. Speculator, *De jurisdict. omnium judicum*, vers. *Secundum canones*; Bertachin. *De episcop.*, tit. *De vicar. episc.*, n. 12 in fine; Barbos., *loco cit.*, n. 109; Sbroz, lib. II, q. 167, n. 2; Pelleg., *loco cit.*, n. 57; Ventrig., *loco cit.*, n. 40, et alii.

(74. Neque consentire potest, ut metropolitanus, sive alius cognoscat causas clericorum in prima instantia, omisso medio appellationis. Barbosa, *loco cit.*, n. 110; Ventrig. *loco cit.*, n. 40; Pelleg., *loco cit.*, n. 59; Ferrett., cons. 307, n. 1; Sbroz., lib. II, q. 204.

(75. Neque cognoscere potest de causa delegata episcopo, nisi in rescripto addita sint verba : *Sive ejus generali vicario.* Barbosa, *loco cit.*, n. 111; Zerola in *Praxi episcop.*, part. I, verb. *Vicarius*, § 21, dub. 5; Campanil. in *Divers. jur. canonic.*, rubric. 1, cap. 23, n. 148; Pellegr., *loco cit.*, n. 60; Ventrig., *loco cit.*, n. 41, et alii.

(76. Neque sine speciali mandato causas feudales cognoscere, et tractare potest. Card., in *Clement.* I, n. 19, De officio vicarii; Sbroz, lib. II, q. 125, n. 4; Barbosa, *loco cit.*, n. 112; Ventriglia, *loco cit.*, n. 40; Pellegr., *loco cit.*, n. 62, et alii.

(77. Neque sine speciali mandato potest auctorare exemplum ex originali sumptum, ut eamdem vim et auctoritatem cum originali habeat, cap. final. *De fide instrumentor.*, ibi : « Coram ordinario judice vel delegato ab eo specialiter præsententur; » per quem text. ita ibi tenent Goffred. et Hostiens. Decian. resp. 24, num. 44, volum. 1; Barbosa, *loco cit.*, num. 113; Ventrig., *loco cit.*, n. 40; Pellegr., *loco cit.*, n. 63, et alii.

(78. Neque sine speciali commissione represalias concedere potest. Barbosa, *loco cit.*, n. 114; Ventriglia, *loco cit.*, num. 40; Pellegrin., *loco cit.*, n. 16; Sbroz, lib. II, q. n. 1, et alii.

(79. Neque sine speciali mandato bona clericorum confiscare potest. Baldus, in l. *Imperatores* in fine, ff. *De officio præfecti vigilum*; Sbroz, lib. II, q. 158, n. 3; Ventrigl., *loco cit.*, n. 40; Pellegr., *loco cit.*, num. 66, et alii.

(80. Neque sine speciali commissione pœnas corporales in pecuniarias convertere potest. Cap. *Licet*; ubi Glossa, et DD. *D*

Digitized by Google

pœnis, et capit. *In archiepiscopatu*, De raptor.; Pellegrin. *loco cit.*, n. 67; Ventrigl., *loco cit.*, n. 46; Barbosa. *loco cit.*, n. 120; Rebuff. *loco cit.*, tit. *De forma vicar.*, n. 44 cum sequentibus, et alii.

(81. Neque sine speciali mandato potest condemnatum reum absolvere. Ripa, in leg. *Qui condemnare* n. 9. vers. *Sed certe*, ff. *De re judic.*; Menoch., *De arbitrar. judic.*, lib. I, q. 49, num. 28; Sbroz, lib. II, q. 38, n. 1, et qu. 156, n. 4; Barbosa, *l. c.* n. 118; Pellegrin., *l. c.*, n. 63. Sive, ut dicitur, non potest gratiam facere et indulgere delinquentibus, nam id sapit liberalitatem, et non venit in generali mandato : card., in Clement. 1, n. 19, *De officio vicarii;* Rebuff., in *Praxi benef.*, tit. *De forma vicariat. archiepisc.*, n. 167; Sbroz, lib. II, q. 38, n. 4; Ventriglia, *l. c.*, n. 46; Pellegr., *l. c.*, n. 65, et alii

(82. Neque sine speciali concessione potest exercere potestatem doctorandi, quam habet episcopus ex privilegio; secus si illi competeret jure communi : Sbroz, *De vicar. episcop.* lib. II, qu. 29, n. 8; Merol., *Opusc. moral.*, III p., c. 6, dub. 16, n. 164 et seq.; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 46, et alii.

(83. Neque sine speciali commissione potest exsequi pias defunctorum voluntates. Bald., in l. *Nulli*, n. 8, cod. *De probat.* et in c. *Cum causis*, De election.; Tiraquell., *De privileg. piæ causæ*, privileg. 31, in fine; Sbroz, lib. II, q. 49, n. 12 et q. 50, n. 1 et q. 51, n. 1; Barbosa, *loc. cit.*, n. 104; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 54 et alii.

(84. Ad dignoscendum autem pro quibusnam causis habeat, vel non, speciale mandatum, debet diligenter inspici, et attendi forma vicariatus, seu instrumentum commissionis, quo quis institutus fuit vicarius generalis, ubi si habeatur solita apponi clausula generalis : « ad omnia et singula faciendi et omittendi, etiamsi majora fuerint, et quæ mandatum exigant speciale, prout ad ipsius vicariatus et officiatus officium noscitur quomodolibet pertinere, » etc., tunc si episcopus antea concessit vel expressit aliquos casus speciale mandatum requirentes, adjecta postmodum dicta clausula, poterit vicarius etiam alia facere, quæ requirunt speciale mandatum. Dummodo non sint graviora vel majora expressis, prout in simili habetur decisum quoad procuratores in cap. *Qui ad agendum* 4, De procuratoribus in 6, et Clementin. 2, *De procuratoribus*, ac notat Glossa pluribus adductis in capit. *Licet.* 2, verb. *Committantur*, De officio vicarii in 6, et tenent Hostiensis in capit. *Significasti*, De officio archidiaconi, Covarruvias, l. I *Variar. resolut.*, capit. 1, n. 2, et lib. II, cap. 5, n. 8; Sbroz lib. I, q. 65, n. 5, et q. 67, n. 3. Garcias, *De benefic.*, art. 5, cap. 8, n. 63; Sanchez, *De matrim.*, lib. III, disput. 29, n. 8; Moneta, *De commutat. ultim. volunt.*, cap. 5, n. 679; Engel, lib. I *Decretal.*, titul. 28, n. 10; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 89; Barbosa, *loc. cit.*, n. 124; Pellegrin., *l. c.*, n. 71, et alii notantes non esse necesse, quod omnes supradicti casus exprimantur in forma vicariatus, seu instrumento commissionis, sed sufficere quod aliqui tantum exprimantur cum prædicta clausula generali : *Ad omnia, et singula*, etc., seu cum alia simili, verb. grat. : « Et omnia alia, licet mandatum exigant speciale, » seu; « Et omnia alia, quæ ego possum, quamvis mandatum exigant speciale : » dummodo tamen, ut supra dictum est, ipsa alia non sint graviora, vel majora expressis.

(85. Vicarius generalis non potest lucrari distributiones, nisi choro intersit, quia servit episcopo, et non Ecclesiæ, ut vicarius capitularis : Rota, decis. 222, n. 5, part. II *diversarum*, etiamsi ab immemorabili tempore servatum fuerit, ut debeantur, ut decisum refert Garcias, addit. ad cap. 2, n. 359 cum seq., part. III, *De benefic.*, et Pellegrin., *loco citato*, sect. 4, subsect. 4, n. 9. *Vide* verb. DISTRIBUTIONES, art. 2, n. 2.

(86. Vicarius generalis non potest absolvere etiam cum reincidentia occasione infirmitatis seu similis causæ, a censuris incursis ob violatam immunitatem et libertatem, ac jurisdictionem ecclesiasticam, et acriter reprehenditur ob absolutionem datam ministris Audientiæ Regiæ censuratis simili de causa. Sac. cong. Immun. *in una S. Marc.* 13 Decembris 1633, lib. II *Decret.* Paul., pag. 180, et *in Squillac.* 20 Novemb. 1640, lib. *Decret.* Pauluc., pag. 135.

(87. Attamen eidem datur aliquando facultas absolvendi violatores præfatos. Sac., cong. Immun., *in Aprutina.* 25 Maii 1694, lib. I *Decretor.* Valleman., pag. 125.

(88. Et etiam aliquando datur facultas eidem subdelegandi pro conferenda absolutione. Sac. congr. Immun., *in Viterbien.* 9 Junii, dicto anno et lib., pag. 128.

(89. Emolumenta vicariatus debentur vicario pro tempore suæ absentiæ ex causa defensionis immunitatis ecclesiasticæ, dempta parte debita substituto pro rata laboris taxanda ab episcopo. Sac. cong. Immun., in *Majoricen.* 27 Septembris 1616, lib. *Decret.* Rocci, pag. 361.

(90. Vicarius generalis, si non adest justa causa, et demeritum, non est removendus per archiepiscopum ab officio. Sac. cong. Immunitatis *in Brundusina* 7 Junii 1633, lib. II *Decretor.* Paul., pag. 158.

(91. Quando vero vicarius generalis est scandalosus, injungitur episcopo ut ipsum removeat. Sac. cong. Immun., *in Acernen.* 1 Octobris 1659, lib. II *Dec.* Altov., p. 406.

(92. In loco vicarii suspecti in causa detentorum pro prætenso homicidio, episcopus deputet personam idoneam non suspectam. Sac. cong. Immunitatis, *in Aversana* 8 Octobris 1637, lib. *Decret.* Rocci, pag. 37.

(93. Procedere debet auctoritate sua ordinaria ser. ser. contra violatores Immunitatis. Sac. congr. Immunitatis, *in Aversana* 4 Septembris 1658, d. lib., pag. 53.

(94. Vicarius collegii Græci potest procedere pro defensione immunitatis et jurisdictionis ecclesiasticæ, licet non possit se ingerere in concernentibus extractionem vel absolutionem. Sacra cong. Immun. in

Digitized by Google

Meliten. 23 Martii 1638, lib. III *Decret.* Paul., p. 57.

(95. Vicarius data prævention curiæ ecclesiasticæ procedere potest ser. ser. contra judicem laicum, si in dicta causa procedat ad descriptionem bonorum. Sac. cong. Immun., *in Dertonen.* 10 Sept. 1652, lib. V *Decr.* Paul., pag. 197.

(96. Eidem injungitur, ut procedat contra executores curiæ laicalis, qui tentarunt violenter extrahere ab ecclesia confugitos, eosque percusserunt. Sac. cong. Immun., *in Sutrina* 29 Augusti 1695, lib. *Dec.* Valleman., p. 210.

(97. Injungitur vicario, ut se abstineat a permissione examinandi testes in loco immuni in causis criminalibus. Sac. cong. Imm., *in Lauden.* 16 Maii 1632, lib. II *Decr.* Paul., pag. 127

(98. Vicarius tamen generalis cum facultate Sanctissimi examinat mulierem exsistentem in conservatorio. Sac. cong. Imm., *in Faventina*, 6 Dec. 1692 lib. II *Decr.* Vallem., pag. 9.

(99. Vicario generali injungitur, ut attenta absentia episcopi, redeat quamprimum ad suam residentiam. Sac. cong. Imm., *in Bitecten.* 27 Febr. 1693, lib. *Decret.* Vallem., pag. 475.

(100. Vicarius bene agit non parendo litteris ad audiendum verbum regium. Sac. cong. Imm., *in Catacen.* 21 Septembris 1633, lib. II *Decret.* Paul., pag. 171.

(101. Idem respondeat litteris regiis se procedere auctoritate sua ordinaria ad defensionem immunitatis ecclesiasticæ sibi a sacra congregatione demandatam. Sac. cong. Imm., *in Bovinen.* 26 Febr. 1658, lib. *Decr.*, Rocci, pag. 63

(102. Idem ob inobedientiam et transgressionem mandatorum Sanctissimi de non discedendo ab urbe Neapolis et de non relinquendo exercitio sui vicariatus ex quacunque causa, etiam positis quibuscunque minis, et præceptis ministrorum laicorum in contrarium, de ordine Sanctissimi a nuntio auctoritate sua ordinaria condemnatur in pœnam suspensionis ab exercitio ordinum, et inhabilitatis ad dignitates, beneficia et officia ecclesiastica cujusvis generis, quocunque loco, a quibuscunque, et quomodocunque in posterum obtinenda, sub pœna excommunicationis Summo Pontifici reservatæ, et quousque Sanctitati Suæ placuerit. Sac. cong. Immunitatis *in Neapolitana* 26 Maii et 19 ac 30 Junii 1660, lib. *Decret.* Rocci, pag. 257 et 259.

(103. Injungitur vicario generali ordinanti et scandalose assistenti extractioni canonicorum a loco immuni, ut accedat ad Urbem, et se justificet, quatenus vero non se justificet, inhabilitatur ad officia. Sac. cong. Imm., *in Motulen.* 2 Sept. 1681, lib. II *Decret.* Altov., pag. 2250.

(104. Vicarius Nullius Orbetelli, nequit extrahere confugitum ab ecclesia, cum non possint hoc præstare ordinarii episcopis inferiores. Sacra congr. Immunitatis, *in Nullius Orbetelli*, 1669, l. II *Decret.* Altov., p. 315.

(105. Vicarius generalis ob extractionem a se ordinatam furum a loco immuni incidit in censuras, et prævia abolitione actorum suæ curiæ conceditur, ut absolvatur privatim. Sac. cong. Immun., *in Recinaten. seu Lauretana* 20 Maii 1596, lib. II *Decret.* Vallem., pag. 25.

(106. Vicarius generalis ordinans carcerationem parochi in loco immuni suspenditur ab officio arbitrio sacræ congregationis. Eadem sacra congregatio Immun., *in Albanen.* 12 Septembris 1684, lib. III *Decr.* Altov., pag. 363.

(107. Verum si habeat facultatem a Sanctissimo extrahendi ab ecclesia, potest ad simplicem correctionem extrahere militem delinquentem, et in carceribus retinere pro aliquo modico tempore. Sac. cong. Imm., *in una Nullius Orbetelli* 21 Jun. 1644, lib. III *Decr.* Paul., pag. 230.

(108. Aliquando etiam de mandato Sanctissimi datur vicario generali facultas extrahendi ad annum. Sac. cong. Imm., *in Neapolitana* 19 Maii 1703, lib. III *Decret.* Vallem., p. 409.

(109. Vicarius generalis canonicus ob datam gubernatori regni Corsicæ facultatem extrahendi confugitos a quacunque ecclesia, et etiam ecclesiasticos, eosque nomine Ecclesiæ custodiendi et cogendi ad solutionem condemnationum ipsius factarum ab ipso vicario acriter punitur de mandato sacræ congregat., ut sequitur :

« I. Prævia suspensione a divinis, et perceptione fructuum canonicatus. Sac. cong. Martelli, pag. 567.

« II. Deinde in honorem festivitatis D. N. sacra congregatio permittit episcopo illum reintegrare ad exercitium ordinum per duos menses, et informet, an fructus ejus canonicatus fuerint sequestrati ? Item si, et quæ damna passi fuerint extracti vigore dictæ facultatis ab eo concessæ. Sac. cong. Immunitatis in eadem 19 Decembris dicti anni, et lib. pag. 701.

« III. Et cum postea idem supplicasset reintegrari, sacra congregatio respondit : Satisfacta parte de damnis coram episcopo liquidandis, eumdem reintegret ad ordines cum inhabilitate exercendi munus vicarii in quacunque diœcesi. Sac. cong. Immunitatis, in eadem. 11 Decembris 1691, lib. *Decret.* Grimaldi, pag. 58.

« IV. Tandem habito novo recursu pro gratia, allegata præsertim ejus decrepita ætate, sacra congregatio pronuntiavit : facto deposito arbitrio, et præstita cautione in urbe de reficiendis damnis liquidandis coram Domino ponente, reintegretur ad ordines, et fructus præbendæ, firma remanente inhabilitate ad officium vicariatus. Sac. congregatio Imm., in eadem 24 Decembris 1682, lib. I *Decr.* Vallem., pag. 14.

(110. Contra vicarium generalem, qui habuit recursum ad proregem pro delegatione judicis laici contra clericos, a quo carcerati fuere, episcopus Neocastren., tanquam delegatus, et uti vicinior procedat ad ulteriora,

Digitized by Google

et transmittat. Sac. cong. Immunitatis, *in una Nullius S. Euphemiæ* 2 Junii 1693, ibid. pag. 40.

(111. Vicarius generalis episcopi uxoratus mandans carcerationem ecclesiastici consulat conscientiæ suæ et carceratio non sustinetur. Sac. cong. Imm., *in una Civitatis Castelli* 29 *Novembris* 1680, lib. II *Decret.* Altov., p. 289

(112. Vicarius generalis, satisfacta parte, absolvat, juxta suas ordinarias facultates committentes homicidium in loco immuni auctoritate privata. Sac. cong. Imm., *in Cariaten.* 1 Octobris 1669, lib. I *Decr.* Altov., pag. 406.

(113. Eidem datur facultas perquirendi et extrahendi ab ecclesia, et a domo plebani, et a quocunque alio loco immuni (exceptis monasteriis sanctimonialium) libros, ac mobilia ibi transfugata in aliorum præjudicium, ac res furto sublatas. Sac. cong. Imm. *in Faventina* 6 Decembris 1692, lib. I *Decret.* Vall., p. 9, et *in Camerinen.* 17 Decembris, dicto ann. et lib. pag. 11.

(114. Injungitur eidem, ut abstineat a cognitione causæ contra filium cancellarii episcopalis. Sac. cong. Immun. *in Ariminen.* 6 Junii 1662, lib. *Decret.* Rocci, pag. 403.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(115. Amplissima est materia hujus articuli, de ea pro dignitate agere haud patiuntur angusti limites Additionum. Satis sit indicare, qui de ipsa accurate præ cæteris disserit. *Vide* clarissimum Ducasse, in *Prax. jurisdiction. ecclesiast. voluntar. et contentios.* In priori tomo agit doctissimus hic auctor de voluntaria jurisdictione vicarii generalis, et in posteriori tomo de contentiosa ejusdem jurisdictione, et quidem meo judicio doctissime.

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt locum, præcedentiam et modum quo exspirat vicarii generalis jurisdictio,

Hæc speciatim habeto.

(1. Locus vicarii generalis debet esse secundum consuetudinem Ecclesiæ, quæ non est mutanda. Sacra cong. Rituum, *in Alexandrina* 15 Martii 1668, in respons. ad 3 dub., apud Barbosam, in *Summa Apostolicar. decision.* collectan. 714, n. 1.

(2. Vicarius generalis non potest sedem arbitrio suo sibi parare, sed debet sedere in sede solita pro vicario assignata. Sac. cong. Rit., *in Neritonen.* 4 Maii 1606, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 2, et Ventrigliam, tom. II, adnot. 14, § 2, n. 7.

(3. Vicarius generalis, licet sedeat in primo stallo chori, in quo sedere debet prima dignitas, et habeat thuris et pacis honorem ante omnes dignitates, et canonicos, non propterea dicitur occupare stallum, sive locum dignitatum et canonicorum. Sac. cong. Rituum *in Placentina* 19 Maii 1607, in responsione ad dub., apud Barbosam, *loc. cit.*, num. 3.

(4. Vicario generali occupante primum locum chori et stallum archidiaconi, quomodo sedere debeant dignitates in choro, ne archidiacono præjudicium inferatur? Vide *supra* verb. VICARIUS APOSTOLICUS, n. 30.

(5. Vicario generali non licet occupare locum episcopi absentis, nec parare sibi sedem cum tapetis, et pulvino, sed idem debet esse ejus locus, absente episcopo, quem illo præsente habere consuevit. Sacra congr. Rituum, *in Brundusina* 16 Julii 1605, apud Barbosam, *loc. cit.*, num. 5, et Ventriglia, *loc. cit.*, n. 7.

(6. Vicarius generalis præcedit capitulo, et clero. Sacra cong. Rit. *in Melitен.* 15 Julii 1619, apud Bar., *loc. cit.*, n. 6.

(7. Vicarius generalis, absente episcopo, debet habere primum locum super omnes dignitates et canonicos, non obstantibus consuetudinibus, aliisque in contrarium. Sac. cong. Rituum *in Adrien.* 7 Augusti 1610, *in Ferrarien.* 20 Decembris 1614, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 7.

(8. Vicario generali habitu vicarii in processionibus incedenti danda est præcedentia super omnes dignitates et canonicos, et etiam super illas dignitates, et canonicos, qui habitu protonotarii incedunt. S. cong. Rit. *in Brundusina* 16 Julii 1605, apud Barbos., *loc. cit.* n. 8.

(9. Vicarius generalis debet præcedere omnibus canonicis, tam in processionibus quam in sessionibus; dummodo canonici non incedant parati. Sac. cong. Rituum, *in Egitanien.* 3 Augusti 1602, in responsione ad 3 dub. et Civitatis Pennæ 12 Aprilis 1603, et in *Tiburtina* 6 Martii 1515, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 9.

(10. Vicarius generalis canonicus, cum sedet uti canonicus, debet sedere in loco suæ receptionis, et in habitu canonicali. Si vero velit præcedere uti vicarius, debet habitum canonicalem dimittere. Sac. cong. Rit. *in Compostellana* 4 Febr. 1600, et in *Vulturarien.* 11 Aprilis 1601, apud Barbosam, *loco cit.*, n. 10.

(11. Vicarius generalis in habitu suo ordinario non debet incedere inter canonicos paratos, nec eis præcedere. Sac. Rit. cong. *in Camerinen.* 14 Junii 1608, et *in Casalen.* 5 Julii 1614, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 11.

(12. Vicarius generalis debet habere primum locum ante capitulum, canonicos et dignitates, tam præsente, quam absente episcopo; si autem sit canonicus, debet sedere in proprio stallo, et cum habitu canonicali, alias non lucratur distributiones quotidianas. Sac. cong. Rit. *in Egitanien.* 10 Dec. 1601, et in *Sutrina* 1 Octobr. 1616, et *in Oritana* 5 Aprilis 1620, et in *Gallipolen.* 21 Decembris 1613, apud Barbosam.

(13. Vicarius generalis præfertur archidiacono, et omnibus canonicis, nisi ipse simul sit canonicus, qui tunc sedere debet in suo stallo canonicali, si distributiones quotidianas lucrari velit. Sac. cong. Rit. *in Nolana* 8 Julii 1602, et *in Civitatis Pinna* 12 Aprilis 1603, et in *Compostellana* 14 Fe-

Digitized by Google

bruarii 1604, et *in causa Candiæ* 7 Augusti 1610, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 13.

(14. Vicarius generalis canonicus, præsente præposito suo principali, et in omnibus actibus Capitularibus, et quandocunque distributiones quotidianas lucratur, debet stare vel sedere, et incedere in suo loco canonicali; absente vero præposito, tanquam vicarius generalis in primo et digniori loco. Sac. cong. Rit., *in Altinen. Nullius*, 4 Martii 1606, apud Barbos., *loc. cit.*, n. 14.

(15. Vicarius generalis canonicus, sive beneficiatus, debet sedere in loco suæ receptionis, et cum habitu canonicali sive beneficiali, ut lucretur distributiones, et quando vult præcedere canonicis seu beneficiatis, debet habitum canonicalem, seu beneficiali dimittere, et non potest percipere distributiones. Sac. cong. Rit. in *Calaguritana* 2 Aug. 1603. Nec lucratur distributiones quæ dantur interessentibus processionibus, nisi incedat in habitu canonicali. Sac. congreg. Rit., *in Compostellana* 21 Februarii 1604, et *in Brundusina* 15 Julii 1607, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 15.

(16. Vicarius generalis, licet etiam ipso episcopo præsente, in ecclesia, choro, processionibus, synodo, et aliis publicis et privatis actibus, canonicis et dignitatibus præcedere debeat, tamen hoc intelligitur, quoties canonici et dignitates hujusmodi in habitu canonicali, etiamsi cappa et rochetto utantur, stare, aut incedere consueverunt, non autem si pluviali, planetis, aut aliis sacris paramentis juxta cujusquam ordinis gradum sint induti, prout in distributione candelarum in die Purificationis, et in receptione cinerum feria quarta Cinerum, et similibus diebus, quibus episcopus solemniter celebrare ex ritu ecclesiastico teneatur: tunc enim non decet ut vicarius, præsertim si in suo quotidiano habitu exsistat eisdem sacris vestibus paratus, sive stando, sive incedendo præcedat. Sacra congregatio Rituum *in Lauretana et Nolana* 23 Martii 1602, et 6 Septembris *in* 1603 et *in Tiburtina* 6 Martii 1610, et in *Metropolitana* 7 Augusti 1628, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 6.

(17. Vicarius generalis licet præcedat omnibus dignitatibus et canonicis, tamen ratione paramentorum in distributione candelarum et palmarum non debet habere locum digniorem, quam canonici parati; in adoratione vero crucis, et quandocunque canonici non sunt parati, digniorem locum habet immediate post celebrantem, et similiter thurificandus est ante canonicos, nisi sint parati, quia tunc post canonicos est thurificandus. Sacra congregatio Rituum, *in Placentina*, 19 Martii 1607, in resp. ad 6 dub. et *in Alexandrina* 25 Martii 1608, in resp. ad 1 dub. Et quod in adoratione crucis præferendus sit vicarius generalis ante dignitates et canonicos, censuit ead. sac. cong. Rit. *in causa S. Marci* 4 Martii 1633, apud Barbos., *loc. cit.*, n. 17.

(18. Vicarius generalis non præcedit dignitatibus et canonicis paratis, consuetudine in contrarium non obstante. Sacra congregatio Rituum *in Lauretana* 6 Septembris 1603, et *in Casalen.* 2 Julii 1614, et *in Castellaneten.* 25 Septembris 1621, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 18.

(19. Vicario generali præcedunt canonici sacris vestibus induti, qui assistunt episcopo celebranti. Sac. cong. Rit., *in Nepesina* 27 Febr. 1610, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 19.

(20. Vicarius generalis canonicus in funeralibus debet cum canonicis in suo loco incedere, alias non lucratur ceram, nec distributiones. Sac. cong. Rit., *in Nicien.* 20 Maii 1604, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 20.

(21. Vicarius generalis præsente episcopo, in die Purificationis non debet accipere candelam ante canonicum, vel dignitatem, qui episcopo ministravit. Sacra congreg. Rituum *in Lucerina* 14 Maii 1600, in resp. ad 3 dub. apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 21.

(22. Vicarius generalis non est prælatus, licet absente episcopo, cum in suo habitu ordinario cum subtana, et mantelletto nigro sedeat in choro in primo loco supra canonicos, thurificandus est duplici, non autem triplici ductu thuribuli. Sacra congr. Rit., *in Nepesina* 15 Januar. 1627, apud Barbosam, *loc. cit.*, num. 22.

(23. Vicarius generalis thurificandus est, et debet accipere candelam, palmam et cineres, et adorare crucem ante, vel post capitulum juxta Ecclesiæ consuetudinem. Sac. cong. Rit., *in Neocastren.* 16 Januarii 1607, et *in Alexandrina* 15 Martii 1608, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 23.

(24. Vicarius generalis in spiritualibus juxta Ecclesiæ laudabilem consuetudinem debet semper in omni loco præcedere gubernatori civitatis in temporalibus, tam præsente, quam absente episcopo. Sac. Rit. congreg. *in Ravennaten.* 28 April. 1607, apud Barbosam, *loc. cit.*, num. 24.

(25. Vicarius generalis debet præcedere omnibus potestatibus, commissariis sive judicibus temporalibus in sua diœcesi exsistentibus. Sacra congreg. Rit., *in Nucerina Saxoferrati*, 15 Maii 1610, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 25.

(26. Vicarius generalis episcopi debet præcedere commissario ubique, et in omni loco, tam præsente quam absente episcopo, non obstante consuetudine; dummodo non sit de gremio capituli, et incedat in habitu canonicali. Sacra congreg. Rit., *in Reatina*, 18 Maii 1616, et die 19 Januarii 1619, et *in Terracin.* 10 Aug. 1617, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 16.

(27. Vicarii generalis jurisdictio exspirat: primo, per propriam ipsius renuntiationem expressam, vel saltem tacitam, ut si vicarius diœcesim sui vicariatus egrediatur et in longinqua abeat animo non amplius revertendi, tunc enim tacite renuntiasse censetur. *Communis.*

(28. Secundo, exspirat ejus jurisdictio per remotionem seu revocationem ipsius ab episcopo factam; episcopus enim potest ad sui libitum, quotiescunque voluerit, vicarium generalem amovere. Arg. cap. *Omnis*

Digitized by Google

res, De regul. juris, ibi : « Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » Et sic Glossa communiter recepta in Clementiu. *Et si principalis* 2, verb. *Per electionem*, De rescriptis, ibi : « De officiali, quem episcopus ad nutum amovere potest. »

(29. In tali tamen remotione est semper habenda ratio honoris ipsius : unde facienda est cum magna circumspectione, et cum gravi et justa causa, alias reintegrari potest per sacram congregationem Episcoporum. Sic declaravit eadem sacra congregatio Episcopor., *in Spalaten.* 3 Julii 1610, et *in Tragurien.* 7 Septembris, et 8 Octobris 1649.

(30. Causæ autem justæ, pro quibus removeri potest vicarius generalis, sunt præsertim sequentes : prima est, si de vicario audiantur multæ querelæ. Sacra congreg. Episc. *in Spalaten.* 5 Febr. 1601.

(31. Secunda est, quando non bene regit et gubernat, nec certiorem facit sacram congregationem de causis magni momenti in defectu, vel absentia episcopi. Sacr. congr. Episc., *in Agrigentinen.* et *in Tranen.* 3 Decembris ejusdem anni.

(32. Tertia, si scribat irreverenter ad sacram congregationem, ejusque DD. officiales. Sacra congreg. Episcoporum, *in Reatina* 3 Septembr. 1601.

(33. Quarta, si aliquem ex S. R. E. cardinalibus ea, qua decet, reverentia non tractet. Sacr. congreg. Episcop., *in Savon.* 19 Nov. 1655.

(34. Quinta, si careat circumspectione et prudentia, licet in reliquis idoneus esset. Sac. congreg. Episc., *in Placentina* 11 Sept. 1601.

(35. Sexta, si excommunicatus exsistat. Sacra congreg. Episcop., *in Placentina* 18 Jun. 1649.

(36. Septima, si mandatis sacræ congreg. obedire renuat. Sacr. congreg. Episcop., *in Parmen.* 17 Aug. 1649.

(37. Octava, si oriundus fuerit ex eadem civitate, vel diœcesi. Sac. congreg. Episcop., *in Ostunen.* 28 Julii 1587, *in Spalaten.* 9 Martii 1593, *in Senogallien.* 10 Feb. 1598, *in Pistorien.* 19 Octobris 1625, et *in Sutrina* 16 Novembris 1640.

(38. Nona, si sit regularis. Sacr. congreg. Episcop., *in Justinopolitana* 16 Octobris 1616, et *in Spalaten.* 12 Aprilis 1619.

(39. Tertio, exspirat vicarii generalis jurisdictio per mortem naturalem episcopi : vicarius enim eamdem habet jurisdictionem cum episcopo, idemque tribunal, cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, cap. *Romanæ* 3, De appellationibus in 6, cum similibus, adeoque, cessante per mortem naturalem jurisdictione episcopi, cessat etiam illa vicarii generalis, quia, ut habetur in cap. *Accessorium* 42, De regul. juris in 6, « Accessorium naturam sequi congruit principalis. »

(40. Valent tamen gesta a vicario ignorante mortem episcopi longe distantis ; si etiam talis mors ignoretur communiter ab aliis, quia error communis dat jurisdictionem, l. *Barbarius*, ff. *De officio prætoris* ; et sic tenet Sperell., decis. 30, *Fori ecclesiastic.*, num. 3, citans Rotam, decis. 1, alias 46, *De officio vicarii* in nov. ; Sanchez, lib. III, *De Matrimon.*, disp. 22, n. 29 ; Gratian., Disceptat. forens., cap. 18, n. 50 ; Barbosa cit. alleg. 54. n. 152 ; Reiffenstuel, lib. I, *Decretal.*, tit. 28, n. 104 ; Pelleg., *De vicario gener. episcopor.*, part. I, sect. II, subsect. 6, num. 10, et alii passim.

(41. Quarto, exspirat jurisdictio vicarii generalis per translationem episcopi ad alium episcopatum : cum enim per translationem ad alium episcopatum cesset episcopi jurisdictio in primo episcopatu, ita etiam cessat jurisdictio ipsius vicarii generalis. Glossa, in cap. *Si propter* 10, verb. *Vocabunt*, De rescriptis in 6, et communis doctorum, per text. in cap. *Inter corporalia* 2, et cap. *Licet* 4, De translatione episcopi. *Vide* verb. CAPITULUM, art. 3, n. 31.

(42. Quinto, exspirat per depositionem vel relegationem episcopi. Tunc enim vacat Ecclesia, et eligi debet vicarius capitularis, adeoque cessat jurisdictio vicarii generalis. *Vide* d. verb. CAPITULUM, art. 3, n. 35.

(43. Sexto, exspirat jurisdictio vicarii generalis per renuntiationem episcopatus factam ab episcopo et a Papa admissam, quia etiam in tali casu eligi debet vicarius capitularis. Vide *ibid.*, n. 54.

(44. Septimo, exspirat per legitimum ingressum episcopi in aliquam religionem. Vide *ibid.*, n. 33.

(45. Octavo, exspirat per captivitatem episcopi. Vide *ibid.*, n. 32.

(46. Nono, exspirat jurisdictio vicarii generalis, suspensa episcopi jurisdictione per excommunicationem, suspensionem aut interdictum ; cum enim eadem sit jurisdictio, idemque tribunal vicarii et episcopi ; cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, et cap. *Romana* 3, De appellationibus in 6, cum similibus, cessante seu suspensa jurisdictione episcopi, cessat et remanet suspensa etiam jurisdictio ipsius vicarii generalis : siquidem, ut habetur in cap. *Accessorium* 42, De regulis juris in 6, *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Sic Glossa communiter recepta in cap. *Romana* 1, verb. *Ipsius*, De officio vicarii in 6, recte subjungens quod tunc adeundus sit Papa, ut provideat.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(47. De præcedentia vicarii generalis non conveniunt doctores. *Vide* Manrique Ferr., *De præcedent. et prælat. ecclesiast.*, quæst. 52, n. 2 et 3. (48. Et quod notandum est, quisque pro sua opinione resolutiones allegat sacrarum congregationum. (49. Id ex eo evenit quod in obscuro est, an quæ allegatur resolutio, ea innixa sit nudæ juris dispositioni, an peculiari illius Ecclesiæ consuetudini.

(50. Mihi autem ea semper arrisit sententia, quod vicarius generalis in iis actibus præcedentiam obtinere debeat super ipsas

Digitized by Google

ecclesiasticas dignitates, in quibus uti vicarius generalis intervenit. (51. Cæterum si res sit in actibus, in quibus ita non intervenit, nulla ipsi præcedentia debetur. (52. Atque hinc quod si vicarius generalis sit canonicus, et divinis officiis uti canonicus interveniat, nullam obtinet præcedentiam ratione muneris vicarii generalis. *Confer* Du Casse, in *Prax. jurisdict. voluntar. et contentios.*, tom. I, sect. 2, n. 1.

(53. Dubitari vero contingit, an vicarius generalis in illis actibus, in quibus intervenit uti vicarius generalis, præcedentiam debeat obtinere, præsente etiam episcopo? (54. Magis vero in hac quæstione variant doctores. Affirmant Pignatell., *Consult. canon.*, tom. III, consult. 64, n. 3; Robusterius Rotæ olim auditor in quodam suo voto apud Gratianum, *Discept. forens.*, cap. 3, num. 23; Anton. de Pret., *De jurisdict. episcop.*, cap. 6, fer. per tot.; Lotter., *De re benefic.*, lib. I, q. 16, n. 65; Sbroz, *De offic. vicar.*, lib. II, quæst. 24, fere per tot.; Carol. Anton. de Luca, *ad Ventrigl.*, t. II, adnot. 14, § 2, n. 1.

(55. Negant vero Menoch., consil. 51 et 217, utrobique fere per tot.; Marescot., *Variar. resolut.* lit. III, cap. 69, pariter fere per tot. Adde etiam Ventriglia, tom. II, adnotat. 14, § 2, num. 19 et plur. sequent.; Manrique Ferr., *De præcedent. et prælat. ecclesiast.*, quæst. 52, n. 6.

RESPONSIO AUCTORIS.

(56. His, quæ hic adducuntur circa præcedentiam vicarii generalis, consonant omnino, quæ ego ipse jam tradidi in hoc articulo n. 10 et seq. et n. 12, ubi ex variis decretis asserui, quod vicarius generalis debet habere primum locum ante capitulum, canonicos et dignitates, tam præsente quam absente episcopo, si interveniat uti vicarius generalis, non autem si uti canonicus, et in habitu canonicali; et quia etiam circa hoc variant doctores diversas afferentes hinc inde sacrarum congregationum resolutiones, ad ipsas conciliandas servanda est cujusque Ecclesiæ inveterata legitima consuetudo, argument. leg., *De quibus* 32, ff. *De legibus*, ibi: « Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur. » Et l. *Sed et ea* 35, ff. eodem, ibi: « Sed et ea, quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos observata, velut tacita civium conventio, non minus quam ea, quæ scripta sunt, jura servantur; » cum similibus. Sicque etiam censuit sac. cong. Rit., *in Alexandrina* 15 Martii 1607, in respons. ad 3 dubium; ut jam tradidi ego in hoc art., n. 1, ibi: « Locus vicarii generalis debet esse secundum consuetudinem Ecclesiæ, quæ non est mutanda. »

ARTICULUS IV.

Quoad differentias vertentes inter vicarium generalem, capitularem et foraneum,

Præstat hæc adnotare.

(1. Prima differentia inter vicarium generalem et capitularem est quod vicarius capitularis debet esse doctor, si adsit, alias electio est nulla, ut dictum est sub verb. CAPITULUM, art. 5, n. 51. Vicarius vero generalis potest aliquando esse non doctor, maxime quando episc. est jurista, ut dictum est *supra*, art. 1, n. 39.

(2. Secunda differentia est, quod vicarius capitularis post electionem legitime factam non potest a capitulo ad libitum removeri, ut patet ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 1, n. 55. Vicarius autem generalis potest ad nutum et arbitrium amoveri, quandocunque illi placuerit, ut conclusum est *articulo antecedenti*, n. 28.

(3. Tertia differentia est, quod vicarius capitularis non potest esse nisi unus tantum, ex dictis sub verbo CAPITULUM, art. 3, n. 40. Vicarius autem generalis potest esse non solum unus, sed et plures deputari possunt ex dictis *sup.* art. 1, a n. 8.

(4. Quarta differentia est, quod vicarius generalis potest constitui ab episcopo cum limitatione et sine limitatione, dando illi majorem vel minorem facultatem, prout sibi placuerit, ut tenet Communis doctorum, et docet praxis, patetque ex dictis *supra* tot. art. 2. Vicarius vero capitularis non, ut patet ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 1, n. 34 cum seq.

(5. Quinta differentia est, quod vicarius generalis possit esse quilibet exterus ad libitum episcopi: imo tenetur episcopus exterum eligere, ex dictis *supra* art. 1, n. 34 et 35. Vicarius autem capitularis debet esse de gremio capituli, si adsit idoneus, ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 1, n. 6, et verb. CAPITULUM, art. 3, n. 50.

(6. Sexta differentia est, quod vicarius generalis nequit exercere totam jurisdictionem episcopi absque speciali ejus mandato, ut patet ex *supradictis* art. 2, a n. 16 ad 84, et habetur expresse in cap. *Licet* 2, et cap. *Cum in generali* 3, De officio vicarii in 6. Vicarius autem capitularis statim ac est legitime electus, totam jurisdictionem capituli exercere potest absque speciali ejus mandato, præsertim ubi talis viget praxis, et consuetudo, ut patet ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 2, n. 40.

(7. Septima differentia est, quod vicarii capitularis jurisdictio incipit post mortem naturalem aut civilem episcopi, ut patet ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 1, a n. 1 ad 11. Econtra autem vicarii generalis jurisdictio per mortem naturalem aut civilem episcopi finitur, ut patet ex dictis art. anteced. a n. 39 usque in fin.

(8. Octava differentia est, quod vicarius capitularis continuat suam jurisdictionem usquedum novus episcopus capiat realem possessionem episcopatus, ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art 1, n. 56. Vicarius vero generalis non continuat eam usque dum novus episcopus capiat dictam realem possessionem episcopatus, sed solum usquedum translatio episcopi ad aliam Ecclesiam admissa est in consistorio etiam ante captam a novo episcopo realem episcopatus possessionem, ut patet ex dictis

Digitized by Google

sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 1, n. 7, et sub verb. CAPITULUM, n. 31.

(9. Nona differentia est, quod vicarius capitularis, si sit canonicus, lucratur fructus et distributiones, etiamsi choro non intersit, si ad id adsit consuetudo; ut patet ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 1, n. 50. Vicarius autem generalis, si sit canonicus, non lucratur distributiones, nisi choro intersit, etiamsi adsit ad id consuetudo, ut patet ex dictis *supra* art. 2, n. 85.

(10. Decima differentia est, quod vicarius capitularis nequit concedere licentiam erigendi nova monasteria et conventus, ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 2, n. 66. Vicarius autem generalis cum speciali mandato episcopi id potest ex supradictis art. 2, n. 43. Quoad hoc tamen sunt hodie observandæ ultimæ dispositiones Apostolicæ, allatæ sub verb. CONVENTUS, art. 1 per tot.

(11. Undecima differentia est, quod vicarius generalis, finito officio vicariatus, non tenetur stare syndicatui, ut expresse declaratum fuit a Gregorio XIII, in quadam constitutione directa clero et communitati Tarentin. cujus præcisa verba refert Barbosa allegat. 54, n. 183, ibi: « Statuimus et mandamus quod vicarii, et officiales, sive generales, sive particulares etiam foranei nuncupati, per eumdem archiepiscopum, sive ejus pro tempore successores in dicta Ecclesia Tarentina, sive ejus diœcesi deputati vel deputandi, ad aliquem syndicatum nullo modo teneantur, aut eidem sub quovis prætextu sint obnoxii. » Et ratio est, quia, si ipsi erraverint, episcopi statim providebunt, prout justum fuerit, ut declaravit sac. cong. Episc., *in Tarentina* 20 Aug. 1601, et prius *in Brundusina* 13 Octobris 1592, apud Pellegr., *loc. cit.*, part. I, sect. 2, subsect. 6, n. 21, et sect. 4, subsect. 4, n. 14. Vicarius autem capitularis, finito officio vicariatus, tenetur stare syndicatui, et reddere rationem episcopo successori, etiamsi reddidisset illam capitulo, et ab eo, seu a deputatis, vel syndicatoribus ipsius obtinuisset liberationem, juxta dispositionem concilii *Tridentini* session. XXIV, *De reformat.*, cap. 16, ibi: « Rationem exigat. » Et sic declaravit sacra cong. Concil. 8 Aprilis 1595, ad d. caput 16, sect. 24, *De reformat.* Et sic etiam censuit sacra cong. Episcop., *in Catanensi* 13 Januar. 1600, et *in Hydruntina* 19 Maii 1623. *Vide* verb. EPISCOPUS artic. 6, n. 13 et 14.

(12. * Duodecima differentia est, quod vicar. gener. non potest absque speciali mandato cognoscere causas criminal., privare beneficio, etc.; bene vero vicarius capitularis, quippe capitulum succedit in ordinar. jurisdict. episcopi. DD. Com.*

(13. Alias differentias affert Pellegrin., cit. sect. 4, subsect. 4, n. 10, 11 et 13, nempe quod vicarius capitularis salarium non conventum petere possit, non vero vicarius generalis. Quod vicarius generalis possit exsequi litteras Apostolicas directas suo prædecessori, sive episcopo prædecessori episcopi, qui illum constituit; vicarius vero capitularis non possit illas exsequi. Quod vicarius capitularis non possit ex levi causa recusari ut suspectus; vicarius autem generalis possit; sed vide apud ipsum.

(14. Vicarius generalis differt a vicario foraneo; primo, quia a vicario generali non datur appellatio ad episcopum, ex dictis *supra* art. 1, num. 43. Bene tamen a vicario foraneo. Rota decis. 297, n. 3, part. II, divers.; Garcias, part. V *De benefic.*, cap. 8, n. 29; Barbos., cit. allegat. 54, n. 22, cum plurimis ibi citatis, et alii passim, teste Reiffenst., lib. I *Decretal.*, tit. 28, n. 18

(14 *bis*. Secundo, quia vicarius generalis potest esse delegatus Papæ, et exsecutor litterarum Apostolicarum, ut patet ex dictis *supra* art. 2, n. 10, non sic autem vicarius foraneus, textu expresso in Clement. *Et si principalis* 2, De rescriptis, ibi: « In officiali autem foraneo... nequaquam hoc volumus observari; » juncto ejus summario, et Glossa communiter recepta ibidem, verb. *Foraneo*.

(15. Tertio, quia vicarius generalis est in dignitate constitutus. Glossa, in cit. Clementin. *Et si principalis*, verb. *Episcopi*, et verb. *Foraneo*, et Communis doctorum; secus vero vicarius foraneus, nisi dignitas aliunde ipsi competat. Glossa, *loco cit.*, verb. *Foraneo*, et doctores commun.

(16. Quarto, quia vicarius generalis habet jurisdictionem ordinariam, ut patet ex dictis *supra* art. 1, n. 41. Vicarius autem foraneus solum delegatam. Glossa in citat. Clement. *Et si principalis*, verb. *Foraneo*; Rota decis. 3, *De officio vicarii*; Garcias, *De beneficiis*, part. V, cap. 8, n. 29 et 34; Barbosa, cit. alleg. 54, n. 22, cum pluribus ibi citatis; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 21; Sanchez, lib. III, *De matrimon.*, disp. 29, n. 10, testans de communi.

(17. Quinto, quia, ut alia taceantur, vicarius foraneus, nisi specialiter eximatur, dependet a vicario generali, et non econtra, ut docet *communis doctorum*, et patet in praxi.

(18. Vicarius capitularis differt a vicario foraneo: primo, quia vicarius capitularis habet jurisdictionem ordinariam, et quidem ampliorem, quam vicarius generalis, cum succedat in omnem jurisdictionem competentem episcopo de jure communi, ut patet ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 1. n. 1. Vicarius autem foraneus solum delegatam, ut ex dictis *supra* n. 6.

(19. Secundo, quia a vicario foraneo appellatur ad vicarium capitularem, et non econtra. *Communis* et certa.

(20. Tertio, quia vicarius foraneus potest constitui et removeri a vicario capitulari, et non econtra. *Communis*, ac certa.

(21. Quarto, quia vicarius capitularis tenetur stare syndicatui, et reddere rationem episcopo successori, non sic autem vicarius foraneus, cum ipse vicarius foraneus, si erraverit, possit statim puniri ac

Digitized by Google

removeri a vicario capitulari, ut patet ex suprascriptis n. 11.

(22. Quinto, quia, ut alia taceantur, plurima potest vicarius capitularis, quæ non potest vicarius foraneus, ut patet ex dictis sub verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 2 per tot., et verb. VICARIUS FORANEUS.

(23. Vicarius generalis in jurisdictione idem habet cum episcopo tribunal, ita ut ab uno ad alterum non detur appellatio. Benedictus XIV, *De synodo diœcesana* lib. II, cap. 8, n. 2, ex sacris canonibus jam adductis supra art. 1, n. 41 ad 44. (24. Multa tamen nequit sine speciali mandato episcopi, adeoque sine tali speciali mandato, nec potest synodum diœcesanam convocare. Idem, *ibid.*, n. 2, 3 et 4. *Vide* art. 2, supra per tot., ubi fuse enumerantur ea, quæ potest vel non potest vicarius generalis. (25. Debet, jubente episcopo, interesse synodo diœcesanæ; (26. et expedit, ut episcopus id velit; idem, *ibidem*, lib. III, cap. 3, n. 2, 3 et 4. (27. Non potest synodalis examinatoris munus exercere sub nomine appellativo vicariatus; idem, *ibid.*, lib. IV, cap. 7, n. 5, et decreto sacræ congreg. Concil., *in Polycastren. Parochialis* die 19 Septembris 1745, quamvis in *Thesauro resolut.* referatur sub die 18 ejusdem anni: *Vide* tom. III, verb. EXAMEN, EXAMINATORES, n. 25, ubi afferuntur alia ad rem. (28. Vicarius generalis in synodo sedet immediate post episcopum; idem, *ibidem*, lib. III, n. 2. (29. Nisi legitima consuetudo alteri faveat; idem, *ibid.*, n. 3. (30. Aut dignitates et canonici sacris vestibus induti assistant. (31. Secus si vicario consuetudo faveat, aut ipse etiam habitu prælatitio sit indutus. Idem, *ibid.*, n. 4, ubi ad id plura scite et erudite suo more adducit.

(32. Vicarius metropolitani in synodis provincialibus antefertur episcopis suffraganeis, ob auctoritatem, quam obtinet, et ratione personæ, quam repræsentat. Benedict. XIV, tom. II, constitut. 36 incip. *Cum a nobis.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. Si in capitulo non sit, nisi unus doctor, posse eligi vicarium capitularem non doctorem, ne coarctetur libertas electionis, tradit cardinal. de Luca ad conc. *Trid.*, discurs. 31, n. 10 et 12.

(34. At doctrina hæc cardinalis de Luca improbata fuit, et quidem pluries a sacra congregatione Concilii interprete, rescribendo pro nullitate electionis in vicarium capitularem expletæ de persona, quæ gradum doctoris in publica universitate haud fuerat assecuta, quando in capitulo aderat unicus doctor, ut *in Venusina Vicarii capitularis* 6 Augusti 1702, *in Acernen. Vicarii capitularis* 23 Februarii 1709, et *in Alexanen. Vicarii capitularis* 17 Decemb. 1712.

(35. « Et merito (inquit episcopus Riganti *De protonot. Apostol.*, dissertat. 20, n. 31 et seq.), siquidem in jure prohibita solum est coarctatio illa, quæ fit ab inferiori a Papa arctante electores ad eligendas certas personas in individuo. At quando lex præscribit, ut eligantur personæ habentes certas qualitates ad bonum publicum et majorem Ecclesiæ utilitatem tendentes, hinc non est proprie coarctatio, nec infringitur libertas electionis, si unus tantummodo adsit inter eligendos, qui sit iis qualitatibus præditus, ut bene perpendit Passerinus, etc. Imo etiam superiores, qui sint a Papa inferiores, posse in his terminis limitare electiones ad personas hujusmodi qualitatibus munitas, cum per eas haud lædatur jus sive eligentium, sive electorum, ut tradit idem Passerinus, etc., exemplumque habemus in provinciis regularium, in quibus viget alternativa quoad prælaturas et officia: si enim in provincia, quæ est in turno, unus tantum habilis exsistat ad consequendam prælaturam aut aliud officium, is necessario eligi debet, ut in ordine prædicatorum servatum fuisse sub magistro generali Rodulpho homine doctissimo, referunt Passerinus, » etc.

DE VICARIO GENERALI ARCHIEPISCOPI, SEU METROPOLITANI, ET DE VICARIO CAPITULI SEDE METROPOLITANA VACANTE.

APPENDIX EDITORUM CASINENSIUM.

(1. Hac in re notandum, quod eamdem jurisdictionem et auctoritatem retinent vicarii archiepiscoporum, ac habent ipsi archiepiscopi, si mandatum generale et speciale habeant, ut omnia et singula facere possint in his, quæ jurisdictionis sunt, ut ipsismet facere permittitur, ubi de consuetudine non prohiberentur, ut docent DD. in cap. *Pastoralis*, De offic. ordinar., et in cap. *Romana*, De foro comp. in 6. — Pellegrin., *Prax. vicar.*, part. I, sect. 3, subsect. 2, n. 49.

(2. Hinc porro causæ appellationum a sententiis vicariorum episcopalium ad tribunal archiepiscopi per ipsius vicarium cognoscuntur, cap. *Pastoralis*, De offic. ordin., cap. *Dilectus*, cap. *Cum causam*, cap. *Sollicitudinem*, De appellat. Ac in genere « omnia, quæ referuntur ad archiepiscopi jurisdictionem, ea similiter quibusdam tantum ordinis episcopalis exceptis, adipsius vicarium generalem mandatum speciale habentem spectant. » Pellegrin. cit. part. I, sect. 3, subsect. 1, n. 5.

(3. Limita vero, quod non possit vicarius archiepiscopi suspendere, interdicere, et excommunicare suffraganeos præsente archiepiscopo, id est exsistente in provincia, idque propter reverentiam episcopalis dignitatis, cap. 8, *De offic. delegat.* in 6; Sbroz, *De vicar. episc.*, lib. II, q. 58, n. 3; Pellegrin., *ibid.*, sect. 3, subsect. 2, n. 32; Ventriglia, part. II, adnotat. 14, § 1, n. 39, ubi hæc habet: « Vicarius generalis archiepiscopi non habet jurisdictionem in episcopos suffraganeos sine speciali commissione, cap. *Romana*, § *Officiales*, De offic. ordinar. in 6, nisi quando archiepiscopus est absens, tunc enim vicarius habebit in dictos suffraganeos jurisdictionem, cum facultate proferendi sententias excommunicationis, interdicti et suspensionis. » Eadem habentur apud Pellegrinum, *loc. et n. cit.*, qui ibidem addit: « Quod si episcopus non fuerit consecratus,

Digitized by Google

etiam præsente archiepiscopo, illum excommunicare poterit. » Cucch., *Inst. can.*, lib. IV, tit. *De consecrat. episc.*, n. 6, et tit. *De vicar. episc.*, n. 123; Sbroz uti *supra*, n. 3.

(4. Quæritur hic, an liceat vicario generali archiepiscopi inhibere suffraganeis sub pœna excommunicationis ?

« Respondetur *negative*, cap. 2 *De offic. delegat.*, ubi Glossa ... Quod est valde notandum ab omnibus ordinariis et delegatis apostolicis, quando inhibent episcopis, ne in errorem incidant. Ratio est quia vicarius archiepiscopi non potest ferre sententiam, vel exercere jurisdictionem, vel promulgare censuras ecclesiasticas in suffraganeos existente in provincia archiepiscopo .... quod procedit propter reverentiam dignitatis episcopalis. Sed intelligitur de sententia definitiva censurarum, et non quando vicarius generalis metropolitanus inhiberet sub pœna suspensionis seu interdicti. » Sic Pellegr., cit. part. I, sect. 3, subsect. 1, n. 21. Atque ad rem citat Bertach. et Zerol.

(5. Quoad vero vicarium capituli sede metropolitana vacante, illud utique præmittendum, quod « capitulum Ecclesiæ metropolitanæ una cum archiepiscopo, non solum efformat corpus cathedraticum propriæ Ecclesiæ propriæque diœcesis, in qua prælatus gerit personam episcopi et ordinarii loci, sed etiam efformat corpus metropoliticum cum jurisdictione in suffraganeos, totaque provincia, in qua pariter capitulum sede vacante succedit. » De Luca, *Relat. Rom. Curiæ*, disc. 3, n. 30.

(6. Hinc porro est, quod si episcopo suffraganeo decedente vel deposito, etc., Ecclesia illa capitulo careat, vel alias illius capitulum infra octo dies ad normam *Tridentini*, sess. XXIV, cap. 16, *De reformat.*, ad vicarium constituendum non deveniat, tunc vicarii hujusm. deputatio non ad antiquiorem suffraganeum, sed ad capitulum metropolitanum, metropolitana sede vacante, omnimode spectat, ut declaravit quoad primum casum sacr. cong. Concil. die 28 Augusti 1673. Secundo, « an vacante suffraganea Ecclesia, quæ capitulo careat, illius administratio, et vicarii deputatio pertineat ad metropolitanum ? Et quatenus metropolitana Ecclesia pastore careat. Tertio, an pertineat ad capitulum Ecclesiæ metropolitanæ, vel potius ad antiquiorem suffraganeum episcopum ? . . . » Sacra cong. die prædicta respondit : « Ad primum *affirmative :* » ad secundum, « ad capitulum metropolitanum. » Apud cardinal. Petra, *Comment. ad constitut. Apost.* tom. I, const. 2 Leon. IX, sect. 5, n. 36. — Quod idem est tenendum, ubi capitulum Ecclesiæ suffraganeæ ad electionem vicarii ad formam concil. *Trident.* non procederet.

(7. Quippe « capitulum metropolitanæ (ut docet idem clariss. Petra, *ibid.*, n. 37) habet superioritatem in Ecclesias suffraganeas, ut bene in extravag. *Salvator*, De præbend. et dignitat., ubi in vers. *Et quia*, eximit Ecclesiam Tholosanam ab omni jurisdictione et subjectione archiepiscopi et capituli Ecclesiæ Narbonensis, et sic supponit subjectionem Ecclesiæ suffraganeæ capitulo metropolitano .... Unde (prosequitur Petra), etsi concilium non exprimat casum capituli metropolitani, ut supplere possit negligentiam Ecclesiæ suffraganeæ in constitutione vicarii capitularis, non est dubitandum, quin intelligi debeat venire sub nomine archiepiscopi, quia devolvitur totum jus istius ad capitulum. »

(8. Limita quantum ad convocationem conc. provincialis, quæ per capitul. Eccles. metropolitanæ. Sede vacante, fieri non potest, quo casu ad antiquiorem episc. suffraganeum illam cogere spectat. Quippe concil. *Trid.*, sess. XXIV, cap. 2, edixit, quod metropolitani per se ipsos, seu illis impeditis, coepiscopus antiquior non prætermittat synodum cogere, » etc. Et profecto ante concilium id juris competebat capitulo metropolitano, ut Quaranta, in *Sum. Bull.*, v. *Concil. provinciale* ante n. 3, habet in hæc verba : « Ex verbis *Trident.* colligitur, hodie cessare potestatem capituli metropolitani sede vacante illud celebrandi ac suffraganeos convocandi, licet ante ipsum concil. *Trid.*, id poterat. » Quod idem tenet Petra cit. tom. I ad const. 2 Leon. IX, § 5, n. 38, ibi : « Ante concilium competebat hoc jus capitulo. »

(9. Hinc sac. congregatio Concil., *in Tarracon.* 10 Febr. 1624 ad dubium : « An capitulum Tarracon. possit, sede archiepiscopali vacante, indicere ac celebrare concilium provinciale ; an vero hæc facultas spectet ad antiquiorem episcopum ejus provinciæ ; » respondit, « jus provinciale concilium indicendi ac celebrandi sede vacante, non ad capitulum metropolitanum, sed ad antiquiorem provinciæ episcopum spectare. » Apud Bened. XIV, *De synod. diœces.*, lib. II, cap. 9, n. 8. *Vid.* v. CONCIL., art. 2.

VICARIUS PAROCHIALIS.

De vicario parochiali hæc speciatim adnotanda.

(1. Vicarius parochialis alius est perpetuus, et alius temporalis seu amovibilis. Abbas, in cap. *Exstirpandæ*, § *Qui vero*, num. 5, *De præbend.* ; Azorius, *Institut. moral.*, part. III, lib. III, cap. 6 ; Barbosa, *Juris ecclesiast. univers.*, lib. III, cap. 9, n. 2 ; Layman, *Theol. moral.*, lib. IV, tract. 2, cap. 5, num. 8 ; Pellegr., *Prax. vicariorum*, part. I, sect. 8, n. 1, et alii passim.

(2. Vicarius perpetuus est, et dicitur ille, qui auctoritate episcopi canonice est institutus ad deserviendum cuipiam Ecclesiæ, loco principalis rectoris cum assignatione congruæ portionis fructuum, quos inde percipere debet. Sic in re communis doctorum, cum Glossa in cap. *Ex part.* 6, verb. *Perpetuos*, De officio vicarii. (3. Vicarius temporalis seu amovibilis est et dicitur ille,

Digitized by Google

qui auctoritate legitimi superioris pro peragendo ecclesiastico servitio in locum alterius ad tempus, seu voluntatem constituentis sufficitur. Est in re Communis.

(4. Institutio vicarii perpetui pertinet ad ordinarium loci, quamvis regulariter ea fieri debeat ad præsentationem seu nominationem rectoris principalis, sive illorum, quorum dignitati, vel capitulo seu monasterio ecclesia parochialis est perpetuo unita et annexa. Barbosa *loc. cit.*, num. 35; Navarrus, consil. 11, *De statu monachorum*, n. 3 et 7; Garcias, *De benefic.*, part. IX, cap. 2, n 289; Gallet, in *Margarita casuum conscientiæ*, verb. *Vicarius* 3; Riccius, in *Praxi fori ecclesiastic.*, resol. 358, n. 1, vers. 2; Ugolinus, *De offic. episcopor.*, cap. 50, § 3, vers. *Octavo*, Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 28, num. 26; Pirrhing, *ibid.*, num. 3, referentes sic decisum fuisse a sacra congregat. Concilii, ad sess. VII; cap. 7, *De reformat.* Et clare desumitur ex cap. *De monachis* 12, De præbend., et cap. unic. *De capellis monachor.*, et Clementin. 1 *De jurepatronat.*, ubi tales vicarii dicuntur institui per episcopum ad præsentationem rectoris principalis, vel hujusmodi.

(5. Et quod vicarius perpetuus non possit ab ordinario poni in monasteriis, quibus cura imminet animarum, vel a principio, vel ratione unionis et annexionis, sed tantum a superioribus eorum, prævio tamen examine ipsius ordinarii, statuit expresse S. Pius V. constitut. incip. *Ad exsequendum* ibi: « Volumus insuper, et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui, non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum seu eorum vicariorum prævio examine et approbatione deputentur. » Et sic pluries declarasse etiam sac. cong. Concil. referunt Garcias, *De benefic.*, part. IX, cap. 2, num. 294 et seq.; Barbosa, lib. III *Juris ecclesiastic. univers.*, cap. 6, n. 45, et supra concil. *Tridentin.*, sess. VII, cap. 7, num. 28, et *in Summa Apostolic. dec.*, verb. *Vicarius perpetuus parochialis*, n. 9.

(6. Et talis Piana constitutio habet locum etiam, quando vicariæ vacant in mense reservato, seu cadunt sub alia reservatione. Sac. congr. Concilii, *in Tirasonensi Vicariæ* 13 Octobris 1595, apud Garciam, *loc. cit.*, n. 309, et Barbos. cit. lib. III *Jur. eccles.*, cap. 6, num. 45, subdentes quod in hujusmodi vicariis perpetuis vacantibus in mensibus Apostolicis, seu alias reservatis, possit fieri præsentatio, seu nominatio et deputatio, non obstante reservatione.

(7. Vicarius perpetuus potest, et solet potissimum institui in parochialibus seu beneficiis curatis, quæ cathedrali, collegiatæ vel alteri ecclesiæ, seu monasterio aut collegio, vel aliis piis locis perpetuo unita et annexa reperiuntur. Colligitur ex cap. *Exstirpandæ* 30, § *Qui vero*, De præbend., et habetur expresse statutum in concilio *Tridentino*, sess. VII, *De reform.*, cap. 7.

(8. Sunt tamen plures casus, in quibus episc. nequit vicarium perpetuum deputare; primo, quando beneficium est unitum et annexum monasterio regularium: tunc enim episc. non potest deputare pro ejus servitio vicar. perpetuum, sed solum temporalem, et ad nutum amovibilem, ut declaravit S. Pius V, cit. constit. incip. *Ad exsequendum.*

(9. Secundo, quando a tempore immemorabili unio facta fuit, ac extunc constat vicarios fuisse ad nutum amovibiles, scientibus et consentientibus ordinariis, et nunquam vicarium perpetuum fuisse constitutum. Barbos., cit. lib. III *Jur. eccles. univ.*, cap. 6, n. 7; Sanchez, in *Præcepta Decalogi*, tom. II, lib. VII, c. 29, n. 191, vers. *Tertio fallit;* Flores de Mena, *Variar. qq.*, q. 10, n. 44; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 28; Pellegrin., *loc. cit.*, sub n. 19, et alii.

(10. Tertio, quando unio facta est per viam pacti et concordiæ a Sede Apostolica approbatæ cum clausula: « Ut deserviri possit in hujusmodi beneficio per vicarium ad nutum amovibilem: » Barbosa, *loc. cit.*, n. 8; Flores de Mena, *loc. cit.*, n. 41; Sanchez, *loc. cit.*, n. 191, vers. *Secundo fallit;* Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 28; Pellegrin., *loc. cit.*, sub n. 19, et alii.

(11. Quarto, quando pro bono pacis et pro tollendis litibus, ac pro meliori beneficii servitio expedit per vicarium ad nutum amovibilem Ecclesiam gubernari. Barbosa, *loc. cit.*, n. 11; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 28; Sanchez, *loc. cit.*, n. 191, vers. *Quinto fallit;* Flores de Mena, *loc. cit.*, q. 10, n. 47, et alii, arg. cit. cap. 7, conc. *Trid.*, ubi id non reliquit liberæ episcopi voluntati, sed usum est verbis arbitrium boni viri denotantibus, ibi: « Nisi ipsis ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur. »

(12. Quinto, quando ex privilegio remunerationis causa concesso beneficium est unitum cum clausula *ponendi vicarium ad nutum amovibilem*, quia in generali privilegiorum derogatione facta a *Tridentino* cit. cap. 7, non comprehenduntur privilegia remunerationis gratia concessa. Barbosa, *l. cit.*, n. 10; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 28; Flores de Mena, *loc. cit.*, q. 10, n. 46; Pellegrin., *loc. cit.*, sub num. 19; Sanch., *l. c.*, n. 191, vers. *Quarto fallit*, et alii.

(13. Sexto, quando ex privilegio Pontificio post Tridentini decretum concesso unitum est beneficium parochiale cum clausula *instituendi vicarium ad nutum amovibilem*, quia tale Pontificium privilegium post Tridentinum concessum derogaret dicto Tridentini decreto, cum posteriora derogent prioribus. L. *Sed et posteriores*, ff. *De legibus*, l. *Cum in plures*, § *Locator horrei*, ff. *Locati*, l. 1 in fine, ff. *De stipulat. servor.*, l. *Si unus*, § *Pactus ne peteret*, ff. *De pactis*, cum similibus. Barbosa, *loc. cit.*, n. 12; Flores de Mena, *loc. cit.*, q. 10, n. 49 et 50; Pellegrin., *loc. cit.*, sub n. 19, et alii.

(14. Vicario perpetuo debet assignari congrua portio de redditibus, fructibus et emolumentis provenientibus ecclesiæ incorporatæ monasterio, collegio, capitulo, univer-

Digitized by Google

sitati, et hujusmodi. *Vid.* verb. CONGRUA, n. 34.

(15. Talis congrua est taxanda arbitrio episcopi, habito respectu ad qualitatem personæ, loci et temporis, et ad abundantiam seu paupertatem fructuum et reddituum ecclesiæ; dummodo non sit minor quinquaginta, nec major centum aureis pro quolibet anno. *Vide* d. verb. CONGRUA, num. 35.

(16. Pro tali congrua assignari possunt solum illa emolumenta incerta, quæ habent quamdam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti, vini, olei, etc. Non autem emolumenta omnino incerta, ut sunt eleemosynæ altaris, funeralium, et similium. *Vide* verb. CONGRUA, a n. 11 ad 17, 36 et 37.

(17. Congrua semel sufficienter assignata non potest minui, quamvis vicarius electus et deputatus diminutioni consentiat, et pro minori quantitate spondeat deservire. *Vide* d. verb. CONGRUA, n. 40, 41.

(18. Unde vicarius perpetuus canonice institutus est vere beneficiatus, cap. *Postulasti* 27, De rescriptis, ibi: « Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuæ vicariæ proventibus est provisum. »

(19. Sicque vicarius perpetuus habet verum titulum, et potest ad dictum titulum ordinari, atque idcirco semel canonice institutus nequit removeri, vel portione sua fraudari, nisi forsan aliquod committat delictum dignum depositione aut privatione beneficii, cap. *Ad hæc* 5, De offic. vicarii. Pyrrh. Corrad., *Prax. benefic.*, lib. III, cap. 9, n. 3.

(20. Imo nec potest removeri vel portione sua fraudari, etiamsi rector principalis moriatur, textu expresso in cit. cap. *Ad hæc* 3, De offic. vicarii.

(21. Hinc vicaria perpetua æquiparatur beneficio curato seu parochiali, et jura loquentia de beneficiis circa omissionem prioris per assecutionem alterius, et per non promotionem, et de eorum ætate, locum habent in hujusmodi vicariis perpetuis, textu expresso in Clementin. unic. *De officio vicarii*, ibi: « Quæ de ecclesiis curam animarum habentibus per receptionem aliarum similium amittendis: ac de ipsarum rectoribus promovendis ad sacerdotium; et de eorum ætate a jure statuta noscuntur, in perpetuis ecclesiarum parochialium vicariis, et assumptis ad eas volumus observari. »

(22. Unde sicuti non potest quis esse parochus simul, et semel duarum parochiarum, cap. *De multa* 28, De præbend., extravagant. Joann. XXII, *Exsecrabilis*, ita nec perpetuus vicarius, cap. *Provideas* 2, De officio vicarii.

(23. Item sicuti beneficium curatum seu parochiale vacat, ipso jure per alterius similis assecutionem, cit. cap. *De multa* 28, De præbend., cit. extravagant. Joan. XXII, *Exsecrabilis*, juncto concilio Tridentino, sess. VII, cap. 2 et 4, *De reformat.* Ita etiam dicendum est de vicaria perpetua, arg. cit. Clementin. unic. *De officio vicarii*, et cap. *Ad audientiam* 1, cap. *Provideas* 2, et cap. *Ex part.* 3, De offic. vicarii, et ibi Fagnan., n. 22, testans de communi.

(24. Item sicuti nemo potest consequi beneficium curatum seu parochiale, ante XXV annum saltem inchoatum, cap. *Cum in cunctis* 7, § *Inferiora*, De electione, cap. *Licet canon* 14, eod. in 6, ita nec ante dictum annum XXV inchoatum vicariam perpetuam; cit. Clementin. unic. *De officio vicarii*, juncta Glossa communiter recepta, *ibid.*, verb. *Volumus.*

(25. Item sicuti de facto, si promotus ad beneficium curatum, seu parochiale infra annum non ascendat ad sacerdotium seu presbyteratum, vacat ecclesia ipso jure, textu expresso in cit. cap. *Licet canon* 14, De election. in 6. Ita etiam vacat ipso jure vicaria perpetua, si intra annum non ordinetur promotus ad ipsam, cit. Clementina unic. *De officio vicarii*, juncta Glossa communiter recepta, *ibid.*, verb. *Volumus.*

(26. Item sicuti cæteri parochi, tenetur vicarius perpetuus residere in sua vicaria, textu expresso in cap. *Ex parte* 6, De officio vicarii.

(27. Nec potest alium vicarium perpetuum substituere, textu expresso in cap. *Clericus* 4, De officio vicarii. (28. Quamvis ob justam aliquam causam de licentia tacita vel expressa ordinarii possit ad modicum tempus substituere vicarium temporalem, committendo ipsi totum officium seu curam suam. Abbas, in cit. cap. *Clericus* n. 2; Layman, *ibid.*, n. 1; Summa Angelica, verb. *Vicarius*, n. 4, et Communis aliorum.

(29. Vicarius perpetuus in parochiali Ecclesia constitutus habet eamdem potestatem, quam verus parochus, seu prælatus ac rector, ita tamen ut tota cura actualis, seu quoad exercitium, competat vicario; prælatus vero, seu rector principalis non nisi habitu curam retineat. Glossa Marginal., in cap. *Super eo* 6, verb. *Annexæ*, De præbend. in 6; Rota, decis. 2, *De officio vicarii in antiq.*; Seraphin., decis. 109, n. 5; Buratt., decis. 36, num. 1; Rota, *in Romana Vicariæ* 8 Novembr. 1621, *coram Coccino decano*, ubi fuit dictum, quod cum ecclesia S. Mariæ in Via Lata esset parochialis, et deinde S. Pius V in ea erexisset vicarium perpetuum, penes ipsum vicarium esse omnimodam curam actualem, habitualem vero penes capitulum. Barbos., l. III *Jur. ecclesiastic. univers.*, cap. 6, n. 28 et sequentibus, cum pluribus ibi citatis; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 40, et alii plures. Unde quia in hoc sensu vicarius perpetuus dicitur habere curam animarum, non autem rector principalis, seu prælatus, ut recte advertit Barbosa, l. c., n. 39, cum cardinal. Ancharan. ibi allegatis; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 42, et aliis; (30. Hinc prælatus, seu rector principalis nequit ibi exercere curam fori pœnitentialis, nec invito vicario, illi Ecclesiæ deservire, seu sacramenta administrare. Abbas in cap. *Exstirpandæ*, § *Quin vero*, n. 15, De præbend.; Rebuff., in *Praxi benefic. de vicariis perpetuis*, n. 1; Seraphin., decis. 106, n. 5; Ancharan., in cap. *Exposuisti* in

Digitized by Google

6, De præbend.; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 42; Barbos., *loc. cit.*, n.31, post Rotam, *in Barchinonen. Vicariæ* 17 Maii 1624, *coram Merlino*, et sic plurimi alii.

(31. Vicarii perpetui in parochialibus capitulo, collegio, monasterio, seu beneficio vel ecclesiæ unitis, non sunt prævio concursu instituendi, sacra cong. Concil., die 28 Aprilis 1594, apud Garciam, in *Addit. ad suum tract. de benefic.*, part. IX, cap. 2, n. 294; Barbos., in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Vicarius perpetuus parochialis*, n. 12; (32. sed deputandi et instituendi sunt ad nominationem seu præsentationem illorum, quorum beneficio seu ecclesiæ, capitulo, collegio, monasterio parochiales sunt unitæ et annexæ, et non ad liberam ordinariorum electionem. Sic expresse statuit S. Pius V, const. incip. *Ad exsequendum*, et pluries declaravit sacra cong. Concilii teste Garcia, *loc. cit.*, n. 294 et seq., et Barbosa, cit. lib. III *Jur. eccles.*, cap. 6, n. 35 et 45, et Rota *in Gerunden. coram Ansaldo* 10 Decemb. 1696, ubi quod vicaria unita conferri debet ad nominationem ejus, ad cujus favorem facta est unio; non autem per concursum ab episcopo indicendum, nisi in bulla unionis expresse præciperetur, quod conferatur per concursum.

(33. Tales vicarii seu parochi etiam in Ecclesiis exemptis sunt prius examinandi et approbandi ab episcopo juxta dispositionem cap. *Per exemptionem*, De privileg. in 6. Sic declaravit sacra congr. Concilii *in Caputaquen.* 23 Junii 1629.

(34. Item episcopus potest examinare et approbare vicarios ecclesiarum parochialium unitarum et dependentium a religione Hierosolymitana, et debet eosdem vicarios, si idonei reperti fuerint, simpliciter approbare, non autem ad tempus, etiamsi sint temporales, nec potest pro libito eosdem subjicere novo examini. Sacra cong. Concilii *in Augustana jurisdictionis* 14 Decembris 1630. (35. Nisi superveniente nova causa et suspicione ignorantiæ, quia tunc poterit episcopus eosdem iterum examinare ad effectum cap. 6, sess. XXI, *De reform.*, ut censuit ead. sac. congregat. Concilii, *in Placentina* 28 Augusti 1628, apud Barbosam, cit. cap. 6, n. 48 et 49, et *supra Tridentin.*, sess. VII *De reform.*, cap. 7, n. 27.

(36. Vicarii perpetui ecclesiarum parochialium debent præcedere vicariis amovibilibus ecclesiæ cathedralis. Sacr. cong. Rit., *in Verulen.* 16 Sept. 1616, apud Barbos., in *Summa, l. c.*, n. 2.

(37. Vicarii perpetui ecclesiarum parochialium in Ecclesia noviter erecta in cathedralem debent præcedere secundum ordinem receptionis, et non secundum ordinem dignitatis ecclesiarum, ut præcedebant ante erectionem in cathedralem. Sac. cong. Rit., *in Ripana* 28 Aprilis 1607, apud *loc. cit.*, n. 3.

(38. Vicarii perpetuo ascripti servitio Ecclesiæ cathedralis, licet prius incederent sub cruce Ecclesiæ collegiatæ, tamen post ascriptionem debent incedere sub cruce cathedralis, cui inserviunt. Sacra congreg. Rit., *in Maceraten.* 27 Septem. 1698, et 11 Martii, apud Barbos., *loco citato*, num. 4.

(39. Vicario perpetuo Sancti Joannis Lateranensis debetur præcedentia super cæteros etiam rectores perpetuos parochialium Urbis. Sacra cong. Rit., *in Romana* 13 Junii 1603, apud card. Petram tom. I *Commentar. ad constitut.* 2 *Paschalis II*, n. 45.

(40. Vicarius perpetuus abbatiæ debet subire omnia onera respicientia curam animarum et administrationem sacramentorum; cætera vero omnia ad abbatem seu commendatarium ejusdem ecclesiæ spectant. Sacra congreg. Concil., *in Eugubina* 11 Maii 1594, apud Barbos., *loc. cit.*, num. 8.

(41. Vicarius temporalis seu amovibilis, vere et proprie non est beneficiatus. *Communis* per text. in cap. *Pervenit* 27, De appellat., cap. *Cum ex eo* 34, De election. in 6 et Clementin. unic. *De officio vicarii*, juncta Glossa, *ib.*, verb. *Perpetuis*. Vicarius enim temporalis, et ad nutum amovibilis nullum habet titulum in beneficio, neque in eo perpetuo investitur, nec potest ob id ordinari in sacris, sed potest ad libitum constituentis removeri, quia, ut dictum est *supra* n. 3, vicarius temporalis seu amovibilis est ille, qui auctoritate legitimi superioris pro peragendo ecclesiastico servitio in locum alterius ad tempus, seu voluntatem constituentis sufficitur. Cum vicaria temporalis sit illa, quæ ad tempus, non in perpetuum duratura est, puta cessante causa vel lapso tempore, ob quam, vel usque ad quod talis vicaria concessa est; unde non est beneficium, sed simplex salarium seu stipendium. Barbosa, c. lib. III, cap. 6, n. 58; Garcias, *De benefic.*, tom. I, part. I, cap. 2, n. 93; Gonzalez, ad Regul. 8 Cancellar., glossa 5, § 3, n. 55; Pellegrin., *Prax. vicariorum*, part. I, sect. 8, n. 22, et Communis aliorum.

(42. Causæ, ob quas potest fieri deputatio vicarii temporalis seu œconomi ad nutum amovibilis, sunt præsertim sequentes. Prima est, quando rector legitime habet duas parochias, nec potest per se solum in utraque commode deservire, cap. *Et temporis*, caus. 16, q. 1. Secunda, quando rector est nimis occupatus, cap. *Ad hæc*, De officio archidiaconi, cap. 1, *De celebratione missar.* Tertia, quando rector justa de causa abest, vel est legitime impeditus, cap. *Relatum*, De cleric. non resident., cap. *Pervenit*, De appellat., cap. *Cum ex eo*, vers. *Porro*, De election. in 6, can. *Non oportet*, De consecrat., dist. 5, concil. *Trid.*, sess. VI, *De reformat.*, capit. 2, sess. VII, capit. 5, et sess. XXI, cap. 6. Quarta, quando rector ægrotat, c. 3 et tot. tit. *De cleric. ægrotante*. Quinta, quando rector devotionis, seu voti causa peregrinatur cap. final. *De voto*. Sexta, quando rector est minus idoneus, seu non intelligit linguam populi parochiæ seu nationis, cap. *Cum vos* 4, De officio ordinarii. Septima

Digitized by Google

quando rector ex dispensatione Apostolica obtinet parochiam ante debitam ætatem, c. 2, *De ætat. et qualitat.*, etc. Octava, quando rector religionem ingreditur et in probatione versatur, cap. *De monachis*, De præbend. Nona, quando rector e ministerio et officio dejicitur vel removetur a loco, cap. *Ad audientiam*, De eccles. ædificand. Decima, quando sic requirit utilitas, aut necessitas Ecclesiæ, vel augmentum divini cultus, cap. *Expasuisti*, De præbend., cap. *Illud*, et cap. *Nihil* 7, quæst. 1. Undecima, quando adest causa habendi conciones, cap. *Inter cætera*, De præbend., cap. *Quod Dei timorem*, De statu monachorum. Duodecima, quando aliud beneficium adnectitur, quia tunc non solet constitui vicarius perpetuus, sed temporalis. Glossa, in cit. Clementin. unic. *De officib vicarii*, verb. *Parochialium;* Rota, decis. 758, n. 2, part. 1, divers. Tertiadecima, quando vicariæ perpetuæ uniuntur, quia tunc efficitur temporalis ecclesia, et instituitur vicariatus amovibilis ad nutum instituentis. Gambar., *De officio legati in uniendo* n. 102; Barbosa, *loc. cit.*, n. 55; Gonzal., cit. § 3, n. 16; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 21. Quartadecima, quando beneficium est unitum mensæ episcopali vel capitulari; tunc enim potest constitui vicarius temporalis. Glossa, in Clementin. 1, verb. *Ad mensam*, De excessibus prælator., Clementin. 1, *De supplend. negligent. prælator.;* Gonzal., dict. § 3, n. 14; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 11; Barbos., *loc. cit.*, n. 54, ubi recte subjungit, quod in hodie limitatur per cit. constitutionem S. Pii V, incip. *Ad exsequendum*. Quintadecima, quando parochialis, vel per obitum, vel per resignationem vacat; tunc enim deputatur ei vicarius temporalis, donec eidem de rectore provideatur, cap. *Cum vos* 4, De officio ordinarii; concil. *Trid.*, sess. XXIV *De reform.*, cap. 18.

(43. Deputatio vicarii temporalis seu œconomi clerici sæcularis in hoc ultimo casu vacationis parochiæ spectat ad episcopum, in cujus diœcesi parochia vacans sita est, seu ad eum, qui potest instituere concursum. Sic decisum fuisse a sacr. cong. Concil. refert Barbos., cit. lib. III, cap. 6, num. 56, et in *Summa Apostolicar. decis.*, verb. *Vicarius amovibilis*, num. 4.

(44. Unde prælati inferiores, qui non habent jurisdictionem quasi episcopalem cum facultate congregandi synodum, et instituendi concursum, non possunt in tali casu vicarium temporalem deputare. Garcias, *De benefic.*, part. IX, cap. 2, n. 8; Franciscus Leo, in *Thesauro for. eccles.*, part. II, c. 18, n. 52; Massobr., in *Praxi habendi concursum*, requisit. 1, dub. 8 et 11; Barbosa, cit. lib. III, cap. 6, *Jur. eccles. univers.*, n. 56, et *De offic. et potest. episc.*, part. III, alleg. 60, n. 3 et 4; Monacell., part. 1, tit. 10, formul. 14, n. 3; sacra cong. Concilii, *in Pisana* 17 Martii 1696, apud ipsum cum aliis ibi citatis.

(45. Vicarium constituere tempore vacationis ad custodiam parochialis vacantis, licet spectet ad ipsum episcopum, tamen in casibus repentinis, si vicaria est ad præsentationem alicujus collegii, illum potest constituere quam primum, donec episcopus certior sit factus, et providerit, sacra congreg. Concil., apud Barbos., in *Sum.*, *loc. cit.*, n. 5, et Garc., *De benef.*, p. IX, c. 2, n. 11.

(46. Nominatio aliorum vicariorum temporalium ad nutum amovibilium spectat ad rectorem principalem seu prælatum monasterii, cui beneficium est unitum; et episcopus solum debet ipsum approbare, ac licentiam administrandi sacramenta ei concedere, si per examen, vel aliunde sibi constet esse idoneum, nec ulla alia requiritur collatio aut institutio. Flores de Mena, *Variar.*, lib. 1, q. 10, n. 23; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 26; Barbos. *cit. lib.* III, cap. 6, n. 63, ubi sic addit : Et quod in Ecclesia regulari facultas nominandi vicarium ad regulares spectet, fuit dictum *in Januensi Parochialis Sanct. Andreæ* 29 Aprilis 1627, *coram Durano inter ejus impressas decis.* 47. Et quod nominatio curati seu vicarii amovibilis parochialis in Ecclesiis subjectis regularibus spectet ad eorum superiores, et ad episcopum sola approbatio, decrevit sacra congr. Episcop., *in Mutinensi* 4 Februarii 1586, et sæpe alibi tum ipsa, tum sac. congreg. Concilii.

(47. Etenim universitates laicorum sunt capaces nominandi curatos seu vicarios amovibiles, juxta firmata a Rota, *coram Priolo*, decis. 104, et *coram Peutinger.*, decis. 173, et tenuit quoque sacra congreg. Episcopor. et Regular., *in Aquilana favore Universitatis Terræ Arischiæ* 29 Julii 1695, apud Monacell., part 1, tit. 10, formular. 18, num. 1.

(48. Si agatur de œconomo seu vicario deputando propter absentiam parochi, tunc illius nominatio regulariter ad ipsum parochum spectat, quamvis inquisitum, cum approbatione tamen episcopi, per quem fit congrua assignatio. Sacra congreg. Episc. *in Mileten.* 7 Decemb. 1691, et sacra congreg. Concilii pariter *in Mileten.* 7 Junii 1692, apud Monacell., part. 1, tit. 10, formul. 14, n. 4.

(49. Vicarius temporalis nominatus a superioribus regularibus et a rectoribus principalibus, potest ab ipsis ad libitum removeri, non autem ab episcopo, nisi ex causa legitima et approbata, propter quam (etiamsi perpetuus esset) privari posset. Sacra cong. Concilii apud Barbosam in *Summ.*, *loc. cit.*, n. 2. Et sic etiam Rota 21 Junii 1642, apud Pitton., *Constitut. decis. ad parochos* n. 516, loquens in specie de vicario amovibili deputato a capitulo.

(50. Vicario seu œconomo temporali et amovibili assignanda est congrua et taxanda arbitrio episcopi ex fructibus parochiæ. Concil. *Tridentin.*, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 18, ibi : « Debeat episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere. »

Digitized by Google

(51. Quam congruam arbitrari debere episcopum, pensata qualitate personæ, beneficii et loci, ac temporis, referunt decisum Garcias, *De benefic.*, part. IX, cap. 2, n. 15; Massobr., *loco cit.*, requisit. 1, dub. 25; Barb., *De offic. et potest. episc.*, part. III, alleg. 60, n. 2, in fine, et supra concil. *Trident.*, cit. cap. 18. n. 32; Panimol., decis. 12, adnot. 4, n. 39, et alii. (52. Et posse esse duorum aureorum singulis mensibus asserunt Gallet, in *Margarita casuum conscientiæ*, verb. *Vicarius* 8; Campanil., in *Divers. juris canonici*, rubr. 7, cap. 7, n. 116, in fine; Barbosa, citat. allegat. n. 2, in fine, et super *Trident.*, *loco cit.*, n. 43; Panimol., *loc. cit.*, n. 40; Monacell., part. I, tit. 10, formul. 14, n. 7, et alii. (53. Nec in congruam computari debent emolumenta omnino incerta, ut sunt fructus consistentes in funeralibus, oblationibus, eleemosynis altaris, et similibus. *Vide* verb. CONGRUA, a n. 11 usque ad 17, et n. 36 et 37.

(54. Et si dicto vicario congrua assignata non reperiatur, potest petere salarium usque ad summam dari solitam a camera Apostolica, ubi percipit spolia Ecclesiarum vacantium. Sac. cong. Episc., *in Mileten.* 7 Decemb. 1691, apud Monacell., part. I, tit. 10, formul. 13, n. 6.

(55. Alia ad rem. *Vide* verb. CONGRUA, per tot. et discept. 1, tom. VII, part. I D. Ursayæ, ubi multa habentur ad rem cum sacræ congregationis decisionibus.

(56. Vicarius ad regimen Ecclesiæ curatæ vacantis statim ab episcopo deputari debet. Bened. XIV, tom. I, constit. 68, incip. *Cum illud*, § 16. (57. Vicarii curati tam perpetui, quam ad tempus amovibiliter deputati, missam parochialem applicare debent pro populo diebus festis. Idem constitut. 103 incip. *Cum semper*, § 4. (58. Eaque de causa congruis redditibus sunt providendi. Id., *ibid.*, § 9 et 10.

(59. Vicarii temporarii a capitulis et monasteriis destinati curæ animarum in parochiis illis unitis, etiam sine causa removeri possunt; nec remotio in synodo prohiberi potest. Idem, *ibid.*, lib. VI, c. 65, n. 2, ex *Rota in Pampilonensi*, decis. 88, n. 29, *coram Cerro*; ubi cum contigisset similem remotionem sine causa fieri, illam sustinuit, nulla habita ratione contrariæ synodalis constitutionis.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(60. Num sanctio concilii *Tridentini* sess. VII, cap. 7, *De reformat.*, qua episcopis facta est potestas deputandi vicarium perpetuum in parochiis subjective unitis, pertineat etiam ad parochias unitas monasteriis et conventibus regularium, non una est doctorum sententia. (61. Negavit Rota, *in Ratisbonen. Vicariæ* 13 Martii 1739, § 15, *coram clar. mem. Calcagnin.*, et 1 Aprilis 1743, § 6, *coram bon. mem. de Vaise*)et 4 Maii 1746, § 9, *coram clar. mem. Millino*, (62. ea adducta ratione, quod S. Pius V, in constitutione 47, § 5, derogavit mox dictæ conciliari sanctioni quoad parochias subjective unitas monasteriis et conventibus regularium, (63. nec hanc S. Pii V constitutionem abrogavit Gregorius XIII, quippe qui illam duntaxat moderatus est, quoad spectabat ad exemptionem decimarum monachis et mendicantibus datam, atque ad immunitatem eorum quoque colonis concessam.

(64. At affirmavit idem sacrum tribunal Rotæ *in Sedunen. Unionis super Regularitate* 5 Aprilis 1756, § 5, *coram illustrissimo Caprara Almæ Urb. gubernatore*, et 16 Februarii 1758, § 3, *coram eminentissimo Bussio*.

(65. At non recedendum a priori opinione Rotæ. In dicta enim *Sedunen. Unionis super regularitate* supremum auditorium sibi haud objecit constitutionem Pianam, quæ, ut dictum est, conciliari sanctioni derogavit. Standum igitur dictæ priori opinioni, amplexæ *in Ratisbonen. vicariæ*, in qua habita fuit ratio constitutionis Pianæ, tum alterius Gregorianæ.

ADDITIONES CASINENSES.

(1. Ad uberiorem rei, de qua in hocarticulo, explanationem, facturum operæ pretium ducimus, bullam S. Pii V, ab auctore supra citat. per extensum afferre, cum opportunis animadversionibus : est porro hujusmodi.

« PIUS, episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

« Ad exsequendum pastoralis officii debitum vigilantibus studiis intendentes, ad ea per quæ cathedralium aliarumque ecclesiarum, necnon monasteriorum, beneficiorum seu collegiorum, ac aliorum piorum locorum prospero profectui, divinique cultus augmento, et opportunæ, congruæque sustentationi parochialium ecclesiarum eisdem unitarum statui feliciter dirigendo, et personarum in illis curam exercentium utilitati recta ratione et provida moderatione consuli, et salubriter provideri valeat, libenter interponimus nostræ sollicitudinis partes. Hinc est quod Nos, ad quorum aures (quod non sine animi nostri molestia referimus) pervenit, nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris, patriarchis, archiepiscopis, ac episcopis, in deputandis vicariis, ac in assignatione portionum vicariis perpetuis parochiarum dictis ecclesiis, monasteriis, beneficiis vel locis piis perpetuo unitarum ex concilio Tridentino facienda, ita modum excessisse, ut parum, aut nihil ex fructibus, redditibus, et proventibus parochialium ecclesiarum sic unitarum ecclesiis, monasteriis, beneficiis, collegiis aliisque locis piis remanserit; ob idque multæ ortæ sint super hoc controversiæ circa interpretationes decreti dicti concilii. Nos ad eas tollendas animum intendentes considerantesque, uniones ipsas ideo a prædecessoribus nostris factas esse, ut ex redditibus et emolumentis beneficiorum unitorum ecclesiis, monasteriis, collegiis, beneficiis et locis piis, quibus illa uniuntur, facilius onera eisdem incumbentia supportentur, et promptius a ministris ecclesiasticis in eisdem di-

Digitized by Google

vina officia celebrentur, hospitalitas servetur, aliaque charitatis opera exerceantur; ac etiam ut nihilominus cura animarum dictarum parochialium laudabiliter exerceretur, motu proprio et ex certa scientia, auctoritate Apostolica hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, et ordinamus, ac declaramus, quemadmodum etiam de ipsius concilii mente fuisse colligimus, patriarchas, archiepiscopos et episcopos præfatos assignatione portionis ipsis vicariis perpetuis, ex prædicto concilio ipsorum prælatorum arbitrio facienda, ita se continere et arbitrari debere, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omnino assignetur; nisi vicariis temporariis solitum fuisset plus assignari, sive in quantitate, aut quota fructuum, pecuniaque numerata, fundo seu alia re stabili portio hujusmodi constituatur, cujuscunque valoris parochialis ecclesia unita fuerit, et habita etiam ratione reddituum et onerum loci, cui parochialis ipsa unita fuerit, ita quod portiones ultra, vel infra dictas summas scutorum centum, et scutorum quinquaginta hactenus assignatæ, vel in posterum forsan assignandæ, quoad excessum et defectum hujusmodi nullius roboris et momenti exsistant, et ad summas prædictas reductæ et auctæ respective censeantur, nisi tamen valor annuus ipsius parochialis unitæ, habita ratione (ut præfertur) minor sit quinquaginta scutis, quo casu portio assignata vel assignanda vicario perpetuo, non debeat excedere summam annuam valoris dictæ parochialis, sed sufficiat, quod omnes fructus ejus duntaxat attribuantur ipsi vicario perpetuo. Et quoniam iniquum esset, eos, qui commodis privantur, eadem onera, quæ prius sustinebant, debere sufferre; volumus et statuimus, quod ecclesiæ, monasteria, collegia, beneficia, et pia loca hujusmodi, in quorum parochialibus ecclesiis unitis continget vicarias prædictas erigi pro quantitatibus fructuum ipsis vicariis perpetuis assignatorum, ad solutionem quindenniorum, quam Nobis et cameræ Apostolicæ solvunt, ulterius non teneantur, sed eis detractio fiat ad ratam certorum, quæ de fructibus dictarum parochialium percipiuntur. Ita tamen quod vicarii perpetui, qui pro tempore deputabuntur, teneantur accipere a Sede Apostolica novam provisionem suæ deputationis, et solvere annatam pro portione fructuum, reddituum et proventuum certorum sibi assignata, et expedire litteras Apostolicas, nec alias ad possessionem dictarum vicariarum perpetuarum, et servitium earumdem parochialium admitti possint, nisi soluta annata, et expeditis litteris Apostolicis novæ provisionis, ut præfertur, alioquin integrum quindennium solvi debere, nec vicarii prædicti antea tuta conscientia fructus percipere possint. Volumus insuper, et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum, seu eorum vicariorum prævio examine et approbatione deputentur. Et si dictæ parochiales unitæ erunt monasteriis regularium mendicantium, possint a superioribus dictorum monasteriorum nominari ex ipsis mendicantibus; quos si ordinarii prævio examine per se, aut eorum vicarios faciendo, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, et ita pro idoneis approbaverint, teneantur in vicarios, ad nutum tamen superiorum suorum amovibiles, deputare. Idemque etiam servetur in regularibus monachis tantum, dummodo in ea parochiali, in qua unus ex eis monachis fuerit, servata forma prædicta, vicarius deputatus; habitent cum eo saltem quatuor alii ex dictis monachis. Sicque per quoscunque, etc. Non obstantibus, » etc.

(2. Est tamen hic advertendum, (ut etiam notat hic supra Lucius noster n. 16) quod dum prædicta constitutio ait, hujusmodi congruam intelligi, computatis etiam certis emolumentis et incertis, ejus sensus est de illis incertis, quæ habent quamdam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti et vini, deque aliis fructibus, emolumentis et obventionibus, quæ penes vicarium sunt incerta, quantum ex illis percipere possit; non autem hoc est intelligendum de omnino incertis, ut sunt eleemosynæ altaris, funeralium, et similium, quia ista non computantur in congruam, cum sint exigua, ac incerta, ac pendeant ex libera offerentium voluntate, ut fuit dictum *in una Burgen. Congrua apud Mantic.*, decis. 268, n. 6; *Rot.* decis. 5, n. 3, part. II, divers., ex hac ratione, quia venter non debet pendere ab incerto, cum non patiatur dilationem, ut dicitur in una *Januen. Paroch. coram Coccino* 1 Jul. 1633, ubi subditur, quod licet quando congrua fuit semel a principio assignata, debeat vicarius illa esse contentus, tamen hoc non procedit, quando vicarius non potest se sustentare et sustinere onera ecclesiæ; nam non agitur tunc de illius præjudicio tantum, sed de præjudicio ecclesiæ et ordinis clericalis. Unde videmus, quod talis congrua, quandoque in erectione vicariæ perpetuæ factæ a Papa, conceditur plus quam est assignata a Pio V, in dicta sua constitutione, nam in hujusmodi assignatione considerari debet locus, quantitas fructuum, qualitas personæ, et similia. Ita in terminis Pyrrhus Corradus, *Prax. benefic.*, lib. IV, cap. 9, n. 23, 24.

(3. Est etiam advertendum, prædictam constitutionem Pii V, circa dictam portionem, esse in suo robore, quidquid nonnulli in contrarium opinati fuerint, cum verum sit, illam non fuisse revocatam per constitutionem Gregorii XIII, sub titulo *Relationis litterarum Pii V pro mendicantibus.* Et quod dicta constitutio Pii V non fuerit revocata, sed vigeat, jam fuit per dictam S congregat. declaratum, et testatur Rota pe-

Digitized by Google

nes Cavaler. ubi quod revocatio intelligitur quoad parochiales unitas prædictis mendicantibus. Pyrrh. Corrad., *ibid.*, num. 33, 34.

VICARIUS URBIS

Hæc porro ad rem notanda.

(1. Cardinalis vicarius est ordinarius Urbis. Benedict. XIV, tom. IV *Bull.* constit. 11 incip. *Ad audientiam*, § 16. Ejus jurisdictio reducitur ad terminos reformationis Pauli V, et revocantur litteræ Bened. XIII et Clem. XII. Idem tom. I, constitut. 44 incip. *Quantum*, § 4 et 22, ibi : « Ac demum indulta et facultates, necnon privilegia quæcunque, et præsertim super cumulativa in causis laicalibus. tribunali venerabilis Fratris nostri prædictæ S. Romanæ Ecclesiæ Nostri, et Romani Pontificis pro tempore exsistentis in Urbe nostra, et ejusdem districtu cardinalis vicarii competentia, et præsertim per litteras fel. record. Clementis X, quæ *Supremæ Majestatis* sub pridie Idus Augusti 1671 ac per alias Benedicti XIII, quæ *in Supremo* sub XVI Kal. Septembris 1724, necnon per alias litteras Clementis XII, prædecessorum nostrorum, quæ *Romanus Pontifex*, respective incipiunt novissime de anno 1735 promulgatas ad statum, in quo erant ante reformationem rec. mem. Pii Papæ V, similiter prædecessoris nostri, et ad ejusdem reformationis tramites Apostolica auctoritate redigimus, necnon utriusque Clementis et Benedicti prædecessorum prædictorum litteras tenore præsentium abrogamus, et de medio in hac parte tollimus et abolemus. »

(2. Cardinali vicario Urbis competit jurisdictio privativa in causis matrimonialibus Urbis, et in causis super institutione in beneficiis in Urbe et districtu. Idem constit. 115 incip. *Romanæ curiæ*, § 20. (3. In causis civilibus contra clericos Romanos non exemptos, aut loca pia Urbis competit ei cumulativa cum solo A. C. cum loco præventionis inter eos. Idem, *ib.*

(4. Item competit ei privativum jus interponendi decreta in contractibus et renuntiationibus regularium Urbis; idem, *ib.*, § 2. (5. In causis mercedis et scutorum XXV competit ei jurisdictio contra quoscunque, non obstante obligatione camerali, uti competit etiam gubernatori Urbis. Idem, *ibidem*, § 24.

(6. Ejus jurisdictio in causis laicalibus prorogari potest de consensu partium in actis expresse præstito. Idem, *ib.*, § 18. (7. Exceptis causis super exsecutione obligationis cameralis. Idem, *ibidem*, n. 19. (8. Nulla jurisdictio competit ei in prima instantia in territoriis et diœcesibus aliorum ordinariorum in districtu Urbis, nempe intra quadragesimum lapidem exsistentibus. Idem, *ib.*, § 20. (9. Salvo jure exsequendi in illis citationes et mandata contra clericos sibi subjectos. Idem, *ib.*, § 21.

(10. Vicario Urbis S. R. E. cardinali injungitur, ut in deputatione confessariorum extraordinariorum pro monasteriis et conservatoriis ipsius Urbis Pontificis menti se conformet, et statutas leges a regularibus, aliisque observari curet. Idem, tom. II, constit. 30, incip. *Pastoralis curæ*. (11. In ejusdem tribunali servari jubentur leges a Pontifice conditæ de ordine tractandi causas super nullitate professionum regularium, quæ intra quinquennium apud ordinarios judices promoveatur. Idem constit. 47, incip. *Si datam*.

(12. Vicarius Urbis tanquam præfectus congregationis super residentia episcoporum, facultatem ab Urbano VIII habet concedendi episcopis ex justis causis, licentiam abessendi per quadraginta dies. Idem, constit. 18, incip. *Ad universæ*. (13. Vicarii Urbis promotor fiscalis, idem constituitur fiscalis promotor congregationis super residentia episcoporum cum jure suffragii consultivi. Idem, *ibid.*

(14. Vicarius Urbis commissiones pro causis criminalibus expedire potest expensis accusatoris, sive adhærentis fisco ; facto nimirum ab hoc congruo deposito pro viaticis et cibariis, et data fidejussione pro reliquo. Idem constit. 44, incip. *Rerum humanarum*. (15. Deficiente autem accusatore seu adhærente, commissiones expedire nequit, sed demandare debet inquisitoribus ordinariis ecclesiasticis locorum, seu aliis ibi exsistentibus in dignitate ecclesiastica constitutis. Idem, *ibidem*. (16. Quod si expedire judicetur eas ex officio ab Urbe mittere, vel easdem injungere judicibus extra locum delicti exsistentibus, reportare debebit commissionem specialem manu Papæ signatam, et ab auditore Sanctissimi subscriptam, alias expensas solvat de proprio. Idem, *ibid.*

(17. Vicarius Papæ tanquam Romani episcopi jurisdictionem habet ad quadragesimum ab Urbe lapidem, non tamen in loca aliarum diœcesum infra hos fines comprehensa, puta in diœcesi Tusculana vel Nepesina, et hujusmodi. Idem, *De synodo diœcesana* lib. III, cap. 3, n. 2, et in cit. constit. incip. *Romanæ curiæ*, § 21. (18. Quamvis sex cardinales episcopi suburbicarii, Ostiensis nempe, Portuensis, Sabinensis, Tusculanus, Albanensis et Prænestinus, nisi proprium episcopum suffraganeum in sua quique diœcesi habeant, aut in ea commorantes per semetipsos conferant, ad solum cardinalem Urbis vicarium dimittere possint suos subditos pro ordinibus suscipiendis ; non propterea tamen cardinalis vicarius ullam sibi vindicare potest jurisdictionem in dictis suburbicariis diœcesibus. Idem, *ibid.*

(19. Potest tamen cardinalis vicarius Urbis concedere capellanis triremium Pontificiarum facultatem excipiendi in triremibus

Digitized by Google

in portu Centumcellarum, in Darsena, hujusque hospitio confessiones remigum, aliorumque in triremibus continue degentium. Idem, *ibid.*, ex decreto sacræ congregation. Concilii 18 Aprilis 1722, jam allatum in tom. II, verb. *Capellanus militum* n. 14. Vide *ibi*. (20. Potest etiam pro libito cogere synodum diœcesanam. Aliis vero vicariis non licet sine episcoporum licentia. Idem, *ibid.*, n. 2, 3, 4 et 5.

(21. Quoad cardinalis Urbis vicarii auctoritatem in exteros Romæ degentes, et ad ordines promovendos, Clemens VIII decretum edidit, quo statuit, omnes exteros in Urbe degentes, qui ad sacros ordines, sive minores, sive majores, promoveri cupiunt, etiamsi dimissorias litteras a suis ordinariis obtinuerint, quarum vigore a quocunque episcopo ordinari possent, nihilominus neque his uti, neque sacros ordines extra Urbem suscipere posse, nisi antea examinati et approbati fuerint ab examinatoribus cardinalis Urbis vicarii, hujusque licentiam obtinuerint; idque sub pœna suspensionis, quam porro sequitur irregularitas, si ordinatus contra formam decreti, in susceptis ordinibus ministrare præsumpserit. Clementis decretum editum fuit die 24 Novembr. anni 1603, deinque instauratum ab Alexandro VII, sub die 25 Maii 1654. Cum vero postmodum nonnullæ obortæ fuerint quæstiones super decreti interpretatione, ac præcipue quinam censeri deberent clerici externi in Urbe commorantes sub ipsius decreti censura comprehensi; et utrum eidem decreto obnoxii dicendi essent ii, qui postquam in Urbe per aliquod temporis spatium morati fuerint, non examinati a cardinalis vicarii examinatoribus, abscedunt, ut sacros ordines suscipiant a proprio ordinario, quem scilicet proprium agnoscunt, sive ratione originis, sive domicilii, aut beneficii, aut denique triennalis servitii: hæc omnia opportunis decretis definita fuerunt in congregatione particulari habita anno 1668, cujus resolutiones videri possunt relatæ per accuratissimum Rigantium tom. II, *De regulis cancellariæ*, regula 24, § 3, a n. 176 ad 185. Idem, *ibid.*, ad litter., § 16. Allegatæ autem resolutiones apud Rigantium, *loco cit.*, sunt sequentes:

I. « Qui dicantur clerici in Urbe commorantes ad hoc, ut præfato edicto comprehendantur? »

Resp. « Qui habitant in Urbe, et in ea saltem per quatuor menses moram traxerint. »

II. « An clerici in Urbe commorantes accedentes ad proprium ordinarium, et ab eo suscipientes ordines absque eo quod examinati fuerint in Urbe, afficiantur edicto supradicto? »

Resp. « Non afficiuntur edicto, si ab ipsomet ordinario suscipiant ordines, sed si ab alio ordinentur, etiam vigore dimissorialium proprii ordinarii. »

III. « Clerici in Urbe commorantes, et ab examinatoribus eminentissimi cardinalis vicarii rejecti, recipientes ordines a proprio ordinario, an incidant in pœnas edicti? »

Resp. « Clerici ab examinatoribus eminentissimi cardinalis vicarii reprobati incidunt in pœnas edicti, etiamsi a propriomet ordinario approbati ab eodem susceperint ordines. »

IV. « An clerici in Urbe commorantes ordinari possint etiam ab episcopis domicilii, beneficii, et ab eo cui triennale servitium personaliter præstiterunt ad formam S. C. *Tridentini* sess. XXIII, cap. 9, *De reform*, absque eo quod prius examinati fuerint ab examinatoribus juxta supradictum edictum. »

Resp. « Clerici in Urbe commorantes bene recipiunt ordines ab episcopo domicilii, beneficii, triennalis servitii præstiti, dummodo ab ipsismet episcopis ordinentur ad formam S. C. *Trid.* » Et huic resolutioni addi modo posset — *necnon ad formam constitutionis S. M. Innocentii XII* incip. *Speculatores*. *Vide* ad id jam tradita in tomo VI, verb. ORDO, artic. 3, numero 76.

(22. Vicarii basilicarum Urbis in actibus capitularibus præcedunt omnibus de capitulo etiam personali dignitate præstantibus. Idem, tom. I, constitut. 98 incipient. *Inter plures*, § 16.

(23. Vicarius metropolitani in synodis provincialibus antefertur episcopis suffraganeis, ob auctoritatem, quam obtinet, et ratione personæ, quam repræsentat. Idem, tom. II, const. 36, incip. *Cum a nobis*.

(24. Vicarius ad regimen ecclesiæ curatæ vacantis statim ab episcopo deputari debet. Idem, tom. I, const. 68 incip. *Cum illud*, § 16. (25. Vicarii curati tam perpetui, quam ad tempus amovibiliter deputati, missam parochialem applicare debent pro populo diebus festis. Idem, const. 103, incip. *Cum semper*, § 4. (26. Eaque de causa congruis redditibus sunt providendi. Idem, *ib.*, § 9 et 10.

(27. Vicarius generalis in jurisdictione idem habet cum episcopo tribunal, ita ut ab uno ad alterum non detur appellatio; idem *De synodo dizcesana* lib. II, cap. 8, num. 2, ut ex sacris canonibus jam adductis verb. *Vicarius*, art. 1, a num. 40 ad 44.

(28. Multa tamen nequit sine speciali mandato episcopi; adeoque sine tali speciali mandato nec potest synodum diœcesanam convocare. Idem, *ib.*, n. 2, 3 et 4. *Vide* dict. verb. VICARIUS GENERALIS, art. 2 per tot., ubi fuse enumerantur ea, quæ potest, vel non potest vicarius generalis. (29. Debet, jubente episcopo, interesse synodo diœcesanæ; (30. et expedit, ut episcopus id velit; idem, *ib.*, lib. III, cap. 3, n. 2, 3 et 4. (31. Non potest synodalis examinatoris munus exercere sub nomine appellativo vicariatus; idem, *ib.*, lib. 4, c. 7, n. 5, ex decreto sacræ congregationis Concil., in *Polycastren. Parochialis* die 19 Septemb. 1735, quamvis in *Thesauro resolutionum* referatur sub die 18 ejusdem anni; *vide*, tom. III, verb. EXAMEN, EXAMINATORES n. 25, ubi afferuntur alia ad rem. (32. Vicarius generalis in synodo sedet immediate post episcopum. Idem, *ib.*, lib. III, n. 2. (33. Nisi

Digitized by Google

legitima consuetudo alteri faveat. Idem, *ib.*, n. 3. (34. Aut dignitates et canonici sacris vestibus induti assistant. (35. Secus si vicario consuetudo faveat; aut ipse etiam habitu prælatitio sit indutus; idem, *ibid.*, n. 4, ubi ad id plura scite et erudite suo more adducit.

(36. Vicarius capitularis jurisdictionem episcopalem ad capitulum devolutam, independenter ab ipso capitulo exercet. Idem, *ib.*, lib. II, n. 1; *vide* tom. II, verb. CAPITULUM, art. 3, n. 63 et seq., et supra verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 1, n. 39.

(37. Vicarius capitularis potest sua auctoritate ordinaria conficere processus super fama virtutum et miraculorum servorum Dei, quos conficere potuisset episcopus. Idem, *ib.*, n. 2, et *De canonizatione sanctorum*, lib. II, cap. 2, n. 2. (38. Imo ab ipsamet Sede Apostolica ad vicarium capitularem quandoque diriguntur litteræ remissoriales pro conficiendis processibus Apostolicis super virtutibus et miraculis tum eorumdem servorum Dei, tum etiam eorum, qui jam in beatorum album sunt relati. Idem, *ib.*, n. 2, et cit. lib. II, cap. 45, n. 17. (39. Quamobrem cit. num. 2, ingenue fatetur, nondum hactenus percipere potuisse, cur dataria Apostolica dispensationes, quæ ex mente *Tridentini* sess. XXII, *De reformat.*, cap. 5, extra curiam committendæ sunt ordinariis locorum, in quibus degunt illas impetrantes, nunquam consueverit committere vicariis capitularibus, quamvis easdem committere soleat vicariis generalibus. (40. Plura alia de vicario capitulari, *vide* tom. II, verb. CAPITULUM, art. 3, et supra verb. VICARIUS CAPITULARIS, ubi abunde de omnibus et insuper in dict. tom. II, verb. CONCILIUM, artic. 8, a n. 7 ad 9. (41. Ubi quod synodus provincialis non a vicario capitulari metropolitanæ vacantis, sed ab antiquiori episcopo suffraganeo est indicenda, ex decreto sacræ congregationis Concilii, *in Tarraconensi* 13 Maii 1604. (42. Et quod absente, vel impedito, seu mortuo archiepiscopo, convocanda est synodus provincialis ab antiquiore episcopo ex suffraganeis, non autem ab episcopo exempto, quamvis antiquiore, ex decreto ejusdem congregationis, *in Burgen.* die 7 Aprilis 1649. (43. Alia de vicario capitulari *vide* supra verb. CAPITULUM, et verb. ORDO.

(44. Vicarius Apostolicus a Pontifice per se immediate, vel per sacram congregationem Episcop., et Regular. Ecclesiæ vacanti, vel plenæ præficitur triplici de causa, nempe, vel quia timetur de nimium diuturna sedis vacatione, vel quia episcopus ob senectutem aut adversam valetudinem inhabilis effectus est ad ecclesiam regendam, vel quia ab ejusdem Ecclesiæ administratione suspensus vel remotus fuit; idem, *ib.*, lib. II, cap. 9, n. 7, ejus facultas modo amplior, modo strictior est; (45. cum pro sacræ congregationis libito, aliquando amplietur, et aliquando limitetur, prout exigunt rerum circumstantiæ, in quibus constituitur; (46. unde ne erret in ministerio, debet facultates sibi concessas accurate perpendere. Idem, *ibid.*, n. 7. (47. Potest, et debet sine episcopo Ecclesiæ, cui præfectus est, celebrare synodum diœcesanam. Idem, *ib.* Vide *supra* verb. VICARIUS APOSTOLICUS per tot., ubi late de multis ad rem, et signanter n. 5, ubi quod ad vicarium Apostolicum solum sine interventu episcopi spectat facere concursum, sicut et synodum, et declarare magis idoneum, ut declaravit sacra congreg. Episcop. et Regular., *in Licien.* 9 Junii 1608, et *in Bisinianen.* 16 Maii 1653, et n. 51 et 52, (48. ubi viginti assignantur diversæ justæ causæ, propter quas solet mitti vicarius Apostolicus, et duodecim propter quas solet removeri.

(49. Vicarii foranei dicuntur illi, qui in certa parte diœcesis extra civitatem sedis episcopalis, vel in oppidis per episcopum constituuntur, ut ibi jurisdictionem quamdam exerceant; cap. *Romana* 1, De offic. ordinarii in 6, et ab ipsis appellari potest ad episcopum. Idem, *ibid.*, lib. III, cap. 3, n. 5. (50. Antiquissimi sunt, et origo eorum ad chorepiscopos est referenda; (51. idem, *ibid.*, n. 7. *Vide* de chorepiscopis, tom. III, verb. EPISCOPUS art. 1, a n. 36 ad 41, (52. ubi qui ipsi fuerint, quod eorum officium, et quare ab Ecclesia sublati? (53. Vicarii foranei in Italia etiam ante S. Carolum Borrhomæum esse cœperunt, ut in aliis locis; Idem, *ibidem*, n. 8, contra aliquos aliter sentientes; sed minorem in Italia obtinent jurisdictionem; idem, *ibidem*, n. 9.

(54. Si parochi sint, synodo diœcesanæ intervenire debent. (55. Si non sint, tenentur, si episcopus eos vocet, idque expedit, quoniam ab istis tanquam oculatis testibus melius, quam a vicario generali certior fieri poterit de iis, quæ in remotis diœcesis partibus occurrunt, et aliquam fortasse sanctionem exposcunt; idem, *ibidem*, n. 10.

(56. Vicarii temporarii a capitulis et monasteriis destinati curæ animarum in parochiis illis unitis, etiam sine causa removeri possunt; nec remotio in synodo prohiberi potest; idem, *ibid.*, lib. VII, cap. 65, n. 2, ex Rota *in Pampilonensi decis.*, 886, n. 29, *coram Cerro*; ubi cum contigisset, similem remotionem sine causa fieri, illam sustinuit, nulla habita ratione contrariæ synodalis constitutionis; *vide* verb. VICARIUS PAROCHIALIS, n. 49 et per tot.

VICINUS.

(1. Vicinus pluribus partibus, præfertur aliis vicinis in emptione domus; Benedictus XIV, tom. II, constitut. 39, incip. *Ad Centumcellas.*

Digitized by Google

VIDUA, VIDUUS.

Lubet sequentia expendere.

(1. Viduis, aut conjugatis, vel puellis viginti quinque annorum ætatem excedentibus, ut in habitu sæculari in monasteriis degant, absque sacræ congregationis, aut Romani Pontificis facultate non permittatur. Sacr. congregatio Episcop. et Regul. apud Barbosam, *in Summa Apost. decis.*, verb. *Vidua*, n. 1, et eadem sacra congregatio Episcop. 19 Julii 1647, et 14 Maii 1649, apud Nicol. *in Floscul.*, verb. *Vidua*, n. 1, (2. et talis licentia non datur, nisi pro monasteriis numerosis. Eadem sacr. congregat. Episcop., *in Brixien*, 15 Julii 1603, (3. et in casu obtentæ licentiæ debet vidua ingredi sola, nisi aliud concedat sacra congregatio. Eadem sacra congregatio Episc. *in Januensi* 25 Octobr. 1602, *in Novariensi* 12 Maii 1604, *in Cæsaraugustana* 17 Januarii 1614.

(4. Moniales fieri non prohibentur viduæ. Sac. congregatio Episcop. et Regul., *in Faventina* 8 Februarii 1593, apud Nicol., *loc. cit.*, n. 4.

(5. Et in locis vacantibus monasteriorum, quæ hujusmodi mulieres recipere consueverunt, non est necessaria licentia sacræ congregationis. Eadem sacr. congregat. Episcop. et Regul., *in Fulginaten.* Martii 1621, apud Nicol., *loco cit.*, n. 4.

(6. In professione recipere potest vidua velum professarum, sed non virginum, neque in hoc sacra congregatio dispensat. Eadem sac. cong. Episc. et Regul., *in Fesulana* 20 Decemb. 1604, apud Nicol., *loc. cit.*, n. 5.

(7. In abbatissam eligi non potest sine licentia sacræ congregationis. Eadem sacr. congr. Episcop. et Regul., *in Cassanen.* 29 Januar. 1585, *in Forolivien.* 4 Novembr. 1611, *in Sarzanen.* 15 Julii 1616. (8. Licet matrimonium fuisset solum ratum et non consummatum. Eadem sacr. cong. Episc. et Regul., *in Spoletana* 12 Aprilis 1619.

(9. Vidua post mariti mortem, non potest licite missam omittere ultra mensem; alias ab episcopo compellatur per censuras, non obstante quavis consuetudine, concil. *Mediolanem.*, part. 2, tit. *Quæ pertinent ad celebrationem missæ*, ibi: « Viduæ ob maritorum mortem ad summum ne mense amplius sint sine missæ auditione: qua in re nulla valeat excusatio cujusvis consuetudinis, quam irritam decernimus. Eas item episcopi etiam censuris ecclesiasticis id facere cogant. »

(10. Vidua et viduus quando peccent, vel non, circa delectationem morosam de copula præterita. *Vide* verb. DELECTATIO MOROSA, a n. 30 ad 32.

(11. Vidua nubens intra annum luctus obnoxia erat infamiæ, aliisque pœnis ex jure civili, ut patet ex l. *Liberorum* 81, ff. *De his qui notantur infamia* leg. 1, cod. *De secundis nuptiis*, et Authentic. *De secundis nuptiis*, § *Primo si quidem*, collat. 14, cum similibus. At vero ejusmodi leges abrogatæ sunt a jure canonico in cap. *Super illa* 4, De secund. nuptiis, ibi: « Super illa quæstione, qua quæsitum est, an mulier possit sine infamia nubere infra tempus luctus secundum leges definitum, » Respondemus; « quod cum Apostolus dicat, mulier, viro suo mortuo, soluta est a lege viri sui: in Domino nubat, cui voluerit, per licentiam, et auctoritatem Apostoli ejus infamia aboletur, » et in cap. *Cum secundum* 5, eod., ibi: « Cum secundum Apostolum mulier, mortuo viro suo, ab ejus sit lege soluta, et nubendi, cui vult, tantum in Domino, liberam habeat facultatem, non debet legalis infamiæ sustinere jacturam, quæ licet post viri obitum intra tempus luctus, scilicet unius anni spatium nubat, concessa sibi tamen ab Apostolo utitur potestate; cum in his præsertim sæculares leges non dedignentur sacros canones imitari. » Idem, *De synodo diœcesana* lib. VII, cap. 38, n. 6. *Vide* verb. UXOR, a n. 40 ad 43.

VIGILIA.

Hæc ad rem animadvertenda.

(1. Vigilia est solemnioris festi præventio instituta ab Ecclesia in præparationem ejusdem festi, præsertim observatione jejunii ac nocturnæ, ut antiquitus, vigilantiæ in Dei laudibus. Antiquitus enim præter jejunium solebant fideles tota nocte vigilare in Dei laudibus apud ecclesias sanctorum, quorum festa præveniebant. Quarti part. I, tit. 3, n. 2; Merati tom. I, sec. 4, cap. 7, n. 1, et alii passim. (2. Unde a sic vigilando ortum est nomen vigiliæ, quod etiam nunc retinetur, quamvis non in omnibus vigiliis jejunetur, et mos vigilandi de nocte, propter abusus, qui irrepserant, fuerit sublatus. Concil. *Sabinen.*, can. 22, ibi: « Quia igitur in nocturnis vigiliis, quas in Ecclesiis fieri aliquorum simplicium devotio introduxit, nefanda sæpe, ac enormia sub hac boni specie committuntur, ipsas fieri de cætero firmiter prohibemus. » Sic apud Paravicinum in *Poliant. sacror. canonum.* verb. *Vigiliæ*, n. 3. Et sic tenent Honorius, in *Gemma* lib. III, cap. 6; Gavant., part. IV, tit. 13, n. 1; Durandus, in *Rationali* lib. VI, cap. 7, n. 8; Quarti, *loco cit.*, n. 2, et alii.

(3. Dictæ nocturnæ vigiliæ viguerunt non solum in primævis Christianorum temporibus, sed in variis Ecclesiis cathedralibus et aliquibus parochialibus continuarunt usque ad XV sæculum, ut ex multis

Digitized by Google

ostendit Martene, in *Tract. de antiqua Ecclesiæ disciplina* cap. 7, n. 3, secutus a Merato, *loco cit.* Unde Vigilantius hæresiarcha sui nominis hostis, qui sæculo quarto temerario ausu vigilias improbabat, confutatus fuit a S. Hieronymo a quo per jocum dicitur *Dormitantius*, et in concilio *Aquisgranens.* sub Ludovico Pio cap. 130, sic habetur : « Est autem quoddam genus hæreticorum superfluas existimantium vigilias, et spirituali opere infructuosas, dicentium, jura temerari divina, qui noctem fecit ad requiem, sicut diem ad laborem, qui hæretici Græco sermone Nyctazontes, hoc est somniculosi vocantur. » Ita apud Paravicinum, *loco cit.*, n. 1 in fine.

(4. Vigiliæ nocturnæ viguerunt etiam ante legem evangelicam, tum apud ethnicos, tum apud Judæos, qui duodecim horas noctis artificialis dividere solebant in quatuor partes æquales inter se, id est longiores vel breviores, juxta noctium longitudinem vel brevitatem ; nam in æstate erant breviores, in hieme vero longiores, quarum partes, stationes et vigiliæ militares dicebantur ; et harum quælibet tribus horis constabat. Prima incipiebat ab occasu solis, et terminabatur in horam tertiam, et dicebatur *Canticinium ;* secunda incipiebat ab hora tertia, et terminabatur in horam sextam, et dicebatur *Intempestum ;* tertia incipiebat ab hora sexta, et terminabatur in nonam, et dicebatur *Gallicinium ;* quarta, quæ proprie dicebatur vigilia matutina, incipiebat ab hora nona, et terminabatur in duodecimam, id est usque ad ortum solis, et dicebatur *Antelucanum.*

(5. Prædictarum vigiliarum mentio fit in Veteri Testamento. De prima vigilia *Threnor.* II, 18 : *Lauda in nocte in principio vigiliarum.* De tertia *Judicum* VII, 59 : *Incipientibus vigiliis noctis mediæ ;* de quarta *Exodi* XIV, 24 : *Jamque advenerat vigilia matutina.* In Testamento etiam Novo habetur multis in locis expressa mentio earumdem vigiliarum, *Lucæ* II, 8 : *Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis.* S. Matthæus, c. XIV, 25, de Christo loquens ait : *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare ;* et idem Christus Dominus *Marci* XIII, 35, dixit : *Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* Quod hic dixit *sero*, intelligit *primam vigiliam noctis ;* quod hic dixit, *media nocte, an galli cantu*, *Lucæ* XII, 38, dixit : *Si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit ;* et quod hic dixit *mane*, S. Matthæus cit. c. XIV, v. 25, dixit : *Quarta autem vigilia noctis.* Ethnicos quoque nocturnas vigilias celebrasse in honorem suorum deorum ostendit card. Bona, *De divina psalmodia* cap. 4. Hæc ad litteram eruditissimus P. Merati tom. II, sect. 3, cap. 7, sub num. 1, § *Hujusmodi vigiliæ.*

(6. Hinc tres matutini nocturni instituti fuerunt, ut responderent tribus vigiliis, sive noctis stationibus, quibus ad orandum surgendum erat, et Laudes, ut responderent quatuor vigiliæ sub lucis ortum ; Amalarius, *l. c.* ; Merati, t. II, sect. 4, cap. 1, vers. *Cæterum*, et alii.

(7. Vigiliæ nocturnæ fuerunt abolitæ propter abusus, qui irrepserant, ut ex concilio *Sabinensi*, et doctoribus allatis *supra* num. 2, dictum est.

(8. Abolitis supradicta ratione fere universaliter prædictis Christianorum vigiliis, solumque adhuc in aliquibus insignioribus Ecclesiis pie ac laudabiliter observatis, ut in Ecclesia Parisiensi, ad tradita per Grancolas, lib. I, cap. 23, in Ecclesia Toletana, ac in Ecclesia Aurelianensi in nocte Inventionis S. Crucis, in Ecclesia Cenomanensi in nocte S. Juliani, et in Ecclesia S. Martini Turonensis in nocte festi Transitus ejusdem sancti, ut ex aliis d. P. Merati, cit. tom. II, sect. 3, cap. 7, vers. *Abolitis*, et alibi, ut referunt alii, et per universam Ecclesiam in nocte Nativitatis Domini ; et in pluribus regularium utriusque sexus ordinibus, qui diversis horis nocturnis surgunt ad Matutinum decantandum, ita ut in qualibet noctis vigilia aliquis regularis ordo surgat ad nocturnas laudes Deo persolvendas ; remansit apud universalem Ecclesiam vigiliarum nomen, sive ad indicandum jejunium in ipsis observandum, sive officium divinum in ipsis recitandum.

(9. Jejunandum est igitur ex præcepto scripto in vigiliis Nativitatis Domini, Assumptionis B. M. V. et omnium Apostolorum, exceptis vigiliis sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, ac sancti Joannis evangelistæ, textu expresso in cap. *Ex parte vestra* 1, et cap. *Consilium* 2, De observatione jejuniorum. (10. Ideo autem excipiuntur ab obligatione jejunii dictæ vigiliæ sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, ac S. Joannis evangelistæ, « quoniam ipsorum solemnitas infra solemnitatem Paschalem, istius autem infra Natalem Domini celebratur ; » sunt verba præcisa citat. cap. *Consilium.*

(11. Generali autem consuetudine vim præcepti habente, sive ex præcepto tradito, et non scripto, ut vult Cardenas, et alii theologi, jejunandum est in vigiliis Pentecostes, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii et festivitatis Omnium Sanctorum. Sic expresse sapientissimus P. Merati, tom. II, sect. 3, cap. 7, sub num. 1, verb. *Abolitis* in fine, ubi recte subdit, quod præter dictas vigilias, aliæ duæ in Breviario et Missali recensentur, id est Epiphaniæ et Ascensionis Domini, sed sine obligatione jejunii, solum ideo retentæ, quia in his solemnitatibus perinde ac in aliis, vigiliæ olim solemnes in ecclesiis haberentur ; tum ut de iis officium rite persolvatur. (12. Ideo autem in ipsis non jejunatur, quia nulla adest lex, seu consuetudo ad id obligans, ob lætitiam Nativitatis Domini, et ejusdem Resurrectionis ; quam ob causam neque jejunatur in vigiliis S. Joannis apostoli et evangelistæ, et sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, ut dictum est *supra* num. 10, per expressum allatum textum, cap. *Consilium* 2, De

Digitized by Google

observatione jejunior.; Gavant., tom. I, pag. 1, tit. 3, num. 6, et tom. II, sect. 3, cap. 7, num. primo, et alii passim.

(13. Vigilia S. Bartholomæi celebranda est juxta morem regionum, textu expresso in cit. cap. *Consilium*, ibi : « De festivitate vero S. Bartholomæi apostoli, » de cujus celebratione dubietas oritur apud quosdam, respondemus quod in hoc consuetudinem tuæ regionis observes. »

(14. Vigilia occurrente in Dominica, jejunari debet in Sabbato antecedenti, textu expresso in cap. *Ex part.* I, De observatione jejuniorum.

(15. Si vigilia S. Joannis Baptistæ cadat in festo Corporis Christi, anticipandum est jejunium feria IV. Sac. Rit. congreg. 23 Sept. 1638, in *Decreto Urbis et Orbis*, et Urbanus VIII 14 Octobr. ejusdem anni 1638, in appendic. 2, constitut. 45 incip. *Cum evenire*.

(16. Et eo anno nihil prorsus in officio et missa, nec commemoratio fit de vigilia, quamvis anticipetur jejunium feria IV, prout respondit sacr. Rit. congreg. 28 Sept. 1706, inquiens : « Nihil de vigilia in officio et missa, » apud Monacell., part. IV, *Supplement. ad* II tom., num. 459, quod approbavit Clemens XI, 2 Octobris ejusdem anni, ut in ejus Bullario particulari part. III, decret. 9.

(17. Idem declaratum est quoad jejunium pro vigilia S. Antonii de Padua, si occurrat in festo Corporis Christi. *Vide* verb. JEJUNIUM, art. 1, n. 23.

(18. Si vigilia cum jejunio occurrat in festo solemni alicujus patroni principalis, potest licite ab episcopo fieri commutatio jejunii in die præcedenti. Vide *ibidem*, n. 24, et rubricas particulares Breviarii Franciscani, tit. *De vigiliis*, n. 73.

(19. Non potest tamen auctoritate episcopi anticipari vigilia S. Matthiæ apostoli, etiamsi occurrat ultima die bacchanalium. Vide *ibid.*, n. 25.

(20. Officium de vigilia fit in omnibus vigiliis per annum, quæ jejunantur, nisi in die vigiliæ occurrat festum novem lectionum, quia tunc fit officium de tali festo, et legitur nona lectio de Homilia vigiliæ, et fit commemoratio de ea ad laudes tantum, cum antiphona ad Benedictus, et ℣. feriæ occurrentis de Psalterio et oratione vigiliæ, text. expr. in Rubrica *De vigiliis*, n. 1.

(21. Si autem tale festum occurrens in die vigiliæ fuerit primæ classis, tunc nihil prorsus, nec commemoratio fit de vigilia, excepta vigilia Epiphaniæ; sic expresse in cit. Rubr. n. 2. (22. Et idem servandum est, quando aliqua vigilia cadit in Adventu, Quadragesima, et Quatuor Temporibus, quia nulla in his fit commemoratio de vigilia. Ita expresse cit. Rubric., n. 2.

(23. Si vigilia occurrat in Dominica, anticipatur ejus officium in Sabbato præcedenti, non impedito officio novem lectionum; quia tunc de vigilia fit tantum commemoratio. Excipiuntur tamen ab hac regula vigiliæ Nativitatis et Epiphaniæ Domini, quæ si venerint in Dominica, nihilominus fit officium de ipsis, textu expresso in cit. Rubrica, n. 2. (24. Si autem alicubi anticipetur, seu transferatur jejunium alicujus vigiliæ in pridianum diem ob principale et solemne festum patroni loci in ipsa vigilia occurrens, non est transferendum, nec anticipandum officium vigiliæ, sed de ipsa nihil tunc fit in officio, et missa arg. cit. decret. sac. congreg. Rit., n. 16, et tenent Gavant. ac Merati, tom. II, sect. 3, cap. 7, n. 3; Quarti, part. I, tit. 3, sect. 2, dub. 2, ubi concludit, quod non impetrata licentia a Sede Apostolica, omittendum sit tunc officium cum missa vigiliæ.

(25. Officio vigiliæ, quod tunc erat de feria, addidit sanct. Pius V Homiliam in Evangelium, quod in missa legebatur; Azorius lib. X, cap. 16, q. 5; Gavant., et Merati, *loc. cit.*, n. 5.

(26. Licet ex dictis *supra* num. 22, si vigilia venerit in Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus, non sit facienda de ipsa commemoratio in officio; est tamen facienda in missa, ut præscribit *Rubrica missalis*, tit. *De feria et vigilia*. Et ratio diversitatis est, quia cum vigilia habeat orationem propriam, et non confundatur cum oratione feriæ, hinc nulla est ratio, cur debeat omitti ejusdem commemoratio in missa, quæ in sola oratione consistit. At vero in laudibus commemoratio involvit etiam antiphonam, et vers. feriæ, quæ deberent repeti, si deberet in officio fieri commemoratio vigiliæ, cum semper in tali commemoratione desumatur antiphona, et versus ex feria tunc occurrente, ut recte advertit doctissimus P. Merati tom. II, section. 3, cap. 7, n. 4.

(27. Non fit autem commemoratio de vigilia, nec in missa in festis primæ classis, sicut nec fit de ipsa in officio, textu expresso in *Rubrica Missalis*, titul. *De feria et vigilia*, n. 2, ibi : « Quod si vigilia occurrat in die alicujus festi ex majoribus primæ classis, in missa non fit commemoratio de ea, sicut nec in officio. »

(28. Sic etiam nec fit commemoratio festi simplicis in missa in festis primæ classis, excepta sancta Anastasia in 2 missa Nativitatis Domini, propter peculiarem rationem, quia nempe secunda illa missa in Ecclesia d. Sanctæ Anastasiæ celebratur a Summo Pontifice et in ejus absentia a cardinali habente titulum Sanctæ Anastasiæ, et in ejus defectu a primo cardinalium presbyterorum, ut ex aliis, tradit eruditissimus P. Merati, tom. I, part. II, tit. 7, n. 2, et quia ad eamdem missam adsunt Romæ stationes in Ecclesia dictæ sanctæ, ut tradit Micrologus, cap. 4, *De numero orationum in missa*, relatus et secutus a d. P. Merati, *loc. cit.*, part. V, tit. 3, num. 9, ibi : « In Nativitate Domini ad missam in mane Romani orationem do S. Anastasia adjiciunt, quia stationem in Ecclesia ejusdem martyris ad eamdem missam agunt, et nos quoque in illa adjectione incitamur, licet non eamdem adjectionis occasionem habere videamur. » Imo, ut refert Grancolas ibi a Merati citatus, exstant missalia M. SS. in quibus se-

Digitized by Google

cunda hæc missa tota est de S. Anastasia, cum commemoratione Nativitatis; et in antiquo codice Turonensis Ecclesiæ annorum 800, relato a Martene *De antiqua Ecclesiæ disciplina* cap. 12, collecta de sancta Anastasia præmittitur orationi de Nativitate Domini. Quinimo antiquissimus codex parthenonis B. Mariæ Calensis, qui ab eodem scriptore laudatur, duas habet præfationes, unam de Nativitate, alteram de S. Anastasia: ex quo fortasse conjici posset antiquitus secundam missam in die Natalis Domini fuisse de S. Anastasia, ut refert Grancolas supra laudatus.

(29. In vigilia Nativitatis Domini, sicut in tota ejus octava, prohibentur missæ votivæ et *de requiem*, excepta una solemni pro re gravi, et *de requiem* cantata præsente cadavere. Sacr. Rit. cong. 28 Aug. 1637, 25 Septembris 1708 et 15 Septembris 1714.

(30. In vigilia Epiphaniæ prohibentur missæ votivæ et *de requiem*; potest tamen cani una votiva solemnis pro re gravi et una *de requiem* solemnis præsente cadavere. Sacr. Rit. congr. 27 April. 1697, 16 Junii 1708, 10 Decembris 1718, et 16 Septembr. 1730. Dictæ autem missæ solemnes cantari possunt etiamsi ipsa vigilia sit dies 3, 7, aut tricesima, et anniversarium depositionis defuncti in ecclesia tumulante, et non aliter. Sac. Rit. congreg. 10 Decembr. 1718. Sic ex Calendario Minorum de observantia Mediolani impresso anno 1743, et variis aliis annis.

(31. In vigilia Ascensionis feria IV Rogationum, si occurrat festum primæ classis, tunc nec in officio, nec in missa fit aliquid de ipsa. Unde in tali casu cantari debet in cathedralibus et collegiatis solum missa de dicto festo post tertiam, et alia de Rogationibus post nonam, omissa illa de vigilia. Si autem in dicta vigilia occurrat aliquod festum novem lectionum duplex, seu semiduplex, tunc officium fit de eo cum lectione de homilia vigiliæ, et ejus commemoratione ad laudes, et cantari debent tres missæ; prima de festo post tertiam cum colore tali festo convenienti; secunda de vigilia post sextam in paramentis coloris albi; tertia de Rogationibus post nonam in paramentis violacei coloris, ac in fine cujuslibet dici debet Evangelium S. Joannis. Merati, tom. I, part. IV, tit. 11, num. 14, cum Gavanto, et aliis ibi cit. Advertendum est autem, quod licet occurrente festo primæ classis in vigilia Ascensionis feria IV Rogationum, nihil sit agendum de ipsa tam in officio quam in missa; si tamen tale festum, primæ classis occurrat in feria II Rogationum, quia ipsa est *feria major*, debet de ea fieri commemoratio tum in missa, cum ejus Evangelio in fine, tum in officio, cum ejusdem nona lectione. Et in hac feria cani debent in cathedralibus et collegiatis duæ missæ, prima de festo, in qua nulla fit commemoratio feriæ, et secunda de feria, in qua nulla fit commemoratio festi. Non sic vero de feria III Rogationum, quia ipsa est tantum *feria minor*; unde occurrente in ipso festo duplici primæ classis, nihil de ipsa agendum est in missa, tum in officio. Imo in officio de ea nihil fit, quocunque in ipsa occurrente festo etiam simplici, de quo occurrente simplici fit officium sine commemoratione feriæ, sed tantum de cruce, ut tempore Paschali. Et tunc missa dici potest, vel de festo simplici cum commemoratione Rogationum, vel de Rogationibus cum commemoratione festi simplicis, ut dicitur in Rubrica propria, et tertia oratio erit *Concede*, ac ultimum Evangelium sancti Joannis in utralibet. Nec tunc in cathedralibus et collegiatis canendæ sunt duæ missæ, ut resolvit sacr. Rit. congreg. 5 Julii 1698, *in Collen.* in qua ad sequens inter alia propositum tertium dubium: « An occurrente in feria tertia Rogationum festo simplici, in cathedrali et collegiatis sint cantandæ duæ missæ? » Respondit, ad 3, *Negative*. Sic cum Gavanto et aliis, eruditissimus P. Merati, tom. I, part. IV, titul. 11, n 11, 13, 14, et tom. II, sect. 6, cap. 16, n. 21, recte advertendo ex Rubricis Missalis et Breviarii magis esse privilegiatam feriam secundam Rogationum et vigiliam Ascensionis in feria quarta, quam sit feria tertia, utpote *feria minor*, cedens festo simplici de quo tamen festo simplici nequit fieri officium in feria II Rogationum et vigilia Ascensionis communiter nuncupata feria quarta Rogationum. Insuper habentes indultum, ut semel vel pluries in singulis hebdomadis, aut mensibus dicant officium et missam, verb. grat. de sanctissimo Sacramento, aut certo aliquo sancto diebus nullo festo duplici vel semiduplici impeditis, non possunt uti hoc suo privilegio in feria II et IV Rogationum, seu vigilia Ascensionis ex decreto generali Urbis et Orbis edito a sacra Rituum congr. 20 Martii 1706, bene vero in feria tertia Rogationum in dicto decreto non excepta.

(32. In vigilia Pentecostes prohibetur quodcunque officium, etiam primæ classis; item prohibentur missæ votivæ et *de requiem* excepta una votiva solemni pro re gravi, et *de requiem* cantata præsente cadavere, quæ tamen prohibetur in Dominica Pentecostes et duobus sequentibus diebus ex decreto sacræ congregat. Rituum 10 Decembris 1718, relato a supradicto Calendario Mediolani impresso anno 1743 et variis aliis annis. *Vide* tamen tom. V in *Supplement.*, verb. Missa, art. 14, ubi ex novissimo decreto edito 2 Sept. 1741, permittitur missa solemnis *de requiem* præsente cadavere feria II Paschæ, aut Pentecostes.

(33. Vigilias novas non appositas in Calendario Romano non potest ordinare episcopus quoad officium et missam, sed requiritur licentia Sedis Apostolicæ, ut patet ex bullis sancti Pii V appositis in initio Missalis et Breviarii, et ex decreto sac. Rit. congregat. addito Rubricis Breviarii. *Vide* etiam verb. Officium, n. 67. Neque quoad jejunium, ut pluries decrevit sacr. Rit. congregat., uti videri potest sub verb. Fest., n. 3, et novissime die 3 Martii 1731, ut refert Scarfantonus ad Ceccoperium, part. III, addit. 24, sub num. 18, pag. 69, juxta no-

Digitized by Google

vissimam edition. Viterbiens. de anno 1738, ubi : A magistratu provinciæ Guipuscoæ cum mandatis procuræ omnium locorum fuit emissum votum jejunandi in vigilia S. Ignatii Loyolæ, tanquam patroni principalis illius; quod cum servare renuerit clerus, propterea episcopus tanquam legislator ecclesiasticus illum obligavit ad ejus observantiam. At reportavit clerus chirographum a Benedict. XIII, quo improbatum fuit illud factum episcopi sub die 21 Martii 1729, a quo cum petita fuisset oris aperitio, in sac. Rit. congreg. die 3 Mart. 1731, ponente eminentissimo Origo, fuit denegata, et iterum postulato recessu a decisis die 15 Septemb. sac. eadem congreg. stetit *in decisis*. Sic apud Joan. Baptistam Pittonum, *Constitut. ac decision. pro sac. Ritibus*, tom. II, num. 1012.

VINUM.

Præstat quæ sequuntur adnotare.

(1. Solum vinum ex vite est materia apta consecrationis. Concil. *Carthaginens.* III, capit. 4; concil. *Lateranens.*, cap. *Firmiter*, De summa Trinitate; concil. *Florentin.*, sess. ult. in decreto *Unionis*, § *Tertium*, et Communis Catholicorum.

(2. Unde cervisia et sicera non est apta materia, cum illa fiat ex frugibus, et præcipue ex hordeo, ista ex pomis. (3. Item apta materia non est, lac, mel, oleum, balsamum, et similia. (4. Item apta materia non est succus extractus ex pomis, malogranatis et moris, et hujusmodi. (5. Item apta materia non est agrestum ex uvis penitus immaturis expressum, et acetum, quia illud nondum est vinum, et istud intelligitur jam substantialiter corruptum. (6. Item materia apta non est aqua ex vite ad modum lacrymæ decidens, quia licet de vite proveniat, nihil tamen vini, nec ejus accidentia continet. (7. Item materia apta non est vinum adhuc in uvis exsistens, et non expressum, cum potius vim habeat cibi, quam potus. (8. Item materia apta non est vini vapor, id est subtilior, et magis ignea ipsius pars, vulgo, *acquavita*, aut *spirito di vino*, quia nulla fere habet accidentia vino communia. (9. Item materia apta non est vinum ita decoctum et adustum, ut per decoctionem duæ ipsius partes fuerint consumptæ, remanente tertia parte densiori et dulciori; quia talis tertia pars est substantialiter diversa a vino, nec ad potum deservit, sed ad cibos condiendos. (10. Item materia apta non est vinum in pane imbibitum, quia tale vinum habet potius rationem cibi, quam potus; unde consecrari nequit; sicuti simili de causa consecrari nequit uva, seu vinum adhuc in uva exsistens, et non expressum; sic Communis doctorum quoad omnes supra positas conclusiones.

(11. Apta tamen materia pro consecratione est vinum miraculosum, quale fuit illud in Cana Galilææ a Christo ex aqua productum, quia ipsum in substantia est ejusdem rationis, et speciei cum vino de vite expresso, sicuti in substantia est ejusdem rationis cum pane triticeo panis miraculose ex lapide seu alia materia productus.

(12. Mustum immediate ab uvis expressum, et non depuratum in casu alicujus necessitatis est materia apta et licita pro consecratione; colligitur ex can. *Cum omne crimen*, De consecrat., dist. 2, ubi dicitur, quod in necessitate possit exprimi botrus in calice, aqua misceri et consecrari; quod clare demonstrat, tale mustum esse materiam aptam, et validam, et ex necessitate etiam licitam, quia necessitas facit licitum quod alias est illicitum; can. *Quod non est licitum* 4, De regul. juris, cap. *Omnes* 1, De feriis, cap. *Consuluisti* 3, de celebrat. missar., cap. *Concilium* 2, De observatione jejun., cum similibus.

(13. Uno verbo omnia vina de vite modo consueto extracta, quæ non sint substantialiter corrupta, vel notabiliter mutata, sunt materia apta consecrationis, quamvis aliqualiter alterentur, ut si calefiant, et modice coquantur, modico aquæ immisceantur, aut aliquo aromate ad ea conservanda condiantur. (14. Nec refert, an dicta vina sint alba vel rubra, cum utraque sint vera genimina vitis. (15. Quamvis tamen ubi commode haberi possint vina alba, convenientius sint adhibenda, ut statuit concilium *Mediolanense* p. 1, tit. *Quæ pertinent ad celebrationem missæ*, ibi : « Quamobrem etiam vino albo, ubi possit, tantummodo ad missæ sacrificium sacerdotes utantur. »

(16. Probabile fortasse est, quod si vinum imbibitum in pane erumpat supra panem, aut si uva matura pungatur, ita ut erumpat succus quasi in bullas, sit materia apta ad consecrationem. Sic La Croix lib. VI, part 1, num. 436, cum Suarez, et Haunold. ibi citatis, et alii. Et ratio est, quia eo ipso quod vinum erumpat, desinit esse pars talis panis intincti, vel uvæ, et est vere demonstrabile, sicuti si quis videat sanguinem erumpere e vulnere Pauli, vere dicit, hic est sanguis Pauli (126).

(126) Quæri hic potest, utrum ad Eucharisticum sacrificium perficiendum, uti quis possit liquore ex uvis passis, vulgo *zebibo*, expresso. Pro cujus rei intelligentia sciendum, vinum in Æthiopia, cujus ibi magna exstat penuria, ita confici : Sumuntur V. G. lib. IV zebibi, franguntur, et tunduntur; atque in totidem aquarum frigidarum libras infunduntur : sex, octo, vel ad summum decem horas ea in infusione relinquuntur; extracto dein zebibo, ac panno ab aqua exteriori expurgato, panno stringitur, vel torculari subjicitur. Dubium est, an liquor inde expressus, materia ad consecrationem apta sit censenda. Hujusmodi dubium propositum fuit congregationi S. Officii a P. Josepho de Hierusalem ord. Min. Strict. Observ. missionibus Æthiopiæ præfecto, die 4 Februar. 1703, coram Sanctissimo.

Digitized by Google

(17. Item probabilius est, quod vinum congelatum sit materia ad consecrationem; Silvester, verb. *Eucharistia* 2, q. 10; Angelus, verb. *Missa*, n. 23; Suarez, disp. 45, sect. 1, vers. *Unde tertio concludo*; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 14, n. 14, q. 3, n. 25, testans de communiori theologorum; La Croix cum Busemb. et aliis lib. VI, part. I, n. 434, et alii plures contra Armillam, Ledesmam, Henriquez, Felicem Potest. et alios; et ratio nostra est, quia vinum congelatum est proprium vinum ex vite substantialiter, et ex natura sua potabile; et quamvis hic, et nunc propter congelationem non sit proxime potabile, hoc est per accidens; potest enim facile per liquefactionem redigi ad formam potabilem. Unde attendendum est ad id quod est per se, et ex natura sua, et non ad id quod est per accidens. (18. Si quis autem sine necessitate in vino congelato consecraret, peccaret graviter, quia sine necessitate consecraret in materia aliqualiter dubia, cum supra citati doctores putent esse materiam insufficientem et invalidam; unde priusquam consecretur, debet liquefieri, vel complectendo calicem manibus, vel ignem, aut calidos pannos applicando; sicuti Rubricæ Missalis tit. *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, præscribunt esse faciendum, si post consecrationem sanguis congeletur in calice, ibi: « Si in hieme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis; si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope altare; dummodo in calicem non intret, donec liquefiat. »

(19. Sine vino nunquam licet consecrare solum panem: consecratio enim utriusque speciei panis et vini est de necessitate præcepti divini. *Vide* verb. SACRIFICIUM, a n. 50 ad 52. (20. Falsum enim et fabulosum est, quod Innocentius VIII dispensaverit cum Norvegis, ut in una tantum specie consecrarent. Vide *ibid.*, n. 53 et 54.

(21. Guttæ vini exsistentes intra calicem discontinuæ, et a reliquo vino sejunctæ probabiliter non remanent consecratæ; Suarez disp. 43, sect. 6, § *Sed objicies*; Reginald., lib. XXIX, cap. 2; Gavantus, in *Rubric. Missalis*, part. III, tit. 7, n. 4; Madernus, tract. 2, *De sacramento Eucharistiæ*, quæst. 2, art. 4, n. 15; Cacheranus, tract. 9, *De Eucharistia sacramento*, cap. 2, § 6, n. 126; Felix Potestas tom. III, part. I, cap. 2, n. 227, et alii contra Bonacinam, disp. 4, q. 2, punct. 5, proposit. 2, n. 7; Coninch., Tolet., Rodriguez ab ipso citatos, et alios; et ratio nostra est, quia intentio legitima sacerdotis fertur solum in materiam exsistentem in calice demonstrabilem per pronomen *Hic*, et licite consecrabilem; licite autem est solum consecrabile vinum aqua commistum, cum hoc sub gravi præcipiatur ab Ecclesia, ut mox dicetur, qua aqua non censentur commistæ guttæ vini intra calicem exsistentes discontinuæ, et a reliquo vino sejunctæ, adeoque, etc. (22. Advertendum tamen est, quod guttæ illæ vini, si ante consecrationem inadvertenter non fuerint abstersæ, non debent post consecrationem abstergi propter probabilitatem, quod sint consecratæ juxta opinionem supradictorum doctorum.

(23. Vino consecrando admiscenda est aqua, can. *In sacramentorum* 1, can. *Sicut in sacrificando* 2, can. *Non oportet* 4, can. *In sacramento* 5, can. *Cum omne* 7, can. *In calicem* 83; dist. 2, *De consecr.*, cum similibus, conc. *Floren.*, in decreto *Unionis*, § *Tertium*, conc. *Trident.*, sess. XXII, cap. 7.

(24. Vino consecrando admiscenda est aqua ob tres potissimum rationes, quas adducit conc. *Trident.* cit. sess. XXII, cap. 7, præcisis his verbis: « Monet deinde sancta synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mistione recolitur, et cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur. » Et concordat conc. Florent., *loc. cit.*, et cit. c. *In calicem* 83, dist. 2, De consecr., c. *Cum Marthæ* 6, De celebrat. missarum, cum similibus.

(25. Præceptum de aqua miscenda vino consecrando est tantum ecclesiasticum et non divinum. *Communis*, et clare patet ex illis mox adductis verbis conc. *Trid.*, « præceptum esse ab Ecclesia. »

(26. Vinum plus quam aqua in calice pro sacrificio est ponendum: cap. *Perniciosus* 13, De celebratione missar. Vinum quippe cum aqua miscendum debet esse plus saltem quoad duas partes: concil. *Tribur.* I, cap. 19, et concordant Rubricæ Missalis, tit. 7, *De offertorio*, ubi præcipitur quod sacerdos infundat *parum aquæ in calice*, et concil. *Florentin.* in cit. decreto *Unionis*, § *Tertium*, dicit, quod vino « ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. »

(27. Aqua mista vino non convertitur immediate in sanguinem Christi, sed solum mediate, id est convertitur prius in vinum, et eo mediate per consecrationem in sanguinem. Sic expresse S. Thomas, part. III, q. 74, art. 8; S. Bonaventura, in 4, dist 11, part. II, art. 1, q. 3; Scotus, in 4, dist. 11, p. 7, cum omnibus Thomistis et Scotistis, ac pluribus recentioribus contra plures alios; et ratio nostra est, quia solum vinum ex vite est materia apta consecrationis: ex concil. *Carthaginens.* III, cap. 24; conc. *Lateranens.* in cap. *Firmiter*, De summa Trinitate; concil. *Florentin.* sess. ultim., in de-

qui auditis votis, etc., mandavit exquiri, quo præcise modo conficiatur præfatum vinum. Postea die 6 Jul. 1706, eadem in congregatione, præmissa explicatione, propositum iterum fuit dubium, ac « lectis quoque relationibus et rationibus patris Joannis Damasceni consultoris, necnon variis experimentis factis pro eruendo dicto vino, Sanctissimus, auditis votis eminentissimorum, dixit: Licere, dummodo liquor extrahendus a zebibo, vel uvis passis ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum. »

Digitized by Google

creto *Unienis*; atqui aqua nondum conversa in vinum non est vinum ex vite, imo nullatenus vinum, ergo, etc. Hinc Innocentius III, in cap. *Cum Marthæ* 6, De celebrat. missar., § *Quæsivisti*, rejectis duabus aliis sententiis, videtur aperte asserere, nostram opinionem asserentem aquam prius in vinum converti esse probabiliorem. Et idem Innocentius III, lib. IV *De altaris mysterio*, cap. 31, expressius suam mentem in hoc explicat præcisis his verbis : « Quibusdam vero non absurdum videtur, quod aqua cum vino transit in sanguinem, ea videlicet ratione, quod aqua per admistionem transit in vinum et vinum per consecrationem transit in sanguinem ; quis enim ambigat, aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aquæ? » Et Catechismus Romanus *De Eucharistia* cap. 4, tradit, hanc opinionem de conversione aquæ in vinum esse scriptorum ecclesiasticorum testimonio roboratam.

(28. Si venditor vini nequit consequi justum ejus pretium, vel ex quo sit injuste taxatum, vel ex quo emptores ob suam iniquitatem nolint justo pretio emere, potest ipsi infundere modicam aquam ad se reddendum indemnem ; dummodo nullum damnum sequatur emptoribus. *Vide* verb. Emptio, art. 3, n. 26.

(29. Item si emptores abhorreant a vino nimis meraceo vel rigido emendo, ut nisi aqua aliquantum temperetur, non appareat emptoribus ejus præstantia, et justus valor, et ideo venditor cogatur minoris justo pretio vendere, vel omnino repellatur, tunc potest venditor aliquantulum aquæ ipsi infundere ad reddendum ipsum tenuius et suavius, et se reddendum indemnem ; dummodo emptoribus nullum omnino sequatur damnum, et venditor tantum minuat de pretio vini, quantum auget de aqua. Vide *ibid.*, n. 27. (*Vide* etiam notam ibidem appositam.)

(30. Vinum dicitur spurcari per mistionem aquæ. Glossa Marginal., in l. *Si servus*, ff. *Ad legem Aquil.* ; Ursaya, in 2 *Miscellan. sacr. et profan.*, litt. V, n. 39.

(31. Vinum terræ sanguis appellatur ab Androcyde penes Plinium, lib. XIV, c. 5, quem secutus fuit Raynald, tom. II, cap. 15, § 2, n. 120 ; Ursaya, *Inst. crim.*, lib. III, tit. 1, n 71, et 1 *Miscellan. sacr. et profan.*, litt. V, n. 117.

(32. Alia de vino et aqua pro sacrificio missæ. *Vide* verb. Missa, art. 8.

(33. Valde attendendi sunt ad rem sequentes sacræ Scripturæ textus, videlicet : *Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam* (*Proverb.* XII, 11). *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas ; quicunque his delectatur, non erit sapiens* (*Proverb.* XX, 1). *Qui amat vinum, et pinguia, non ditabitur* (*Proverb.* XXI, 17). *Cui væ? Cujus patri væ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?* (*Prov.* XXIII, 29 et 30.) *Ne intuearis vinum, quando flavescit ; cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet* (*Proverb.* XXIII, 31 et 32). *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, et ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.* (*Proverb.* XXXI, 4). *Vinum novum amicus novus ; veterascet, et cum suavitate bibes illud* (*Eccle.* IX, 15). *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos* (*Eccle.* XIX, 2). *Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, et in dormiendo non laborabis ab illo, et non senties dolorem* (*Eccle.* XXXI, 22). *Diligentes in vino noli provocare ; multos enim exterminavit vinum* (*Ibid.*, 30). *Exsultatio animæ et cordis vinum moderate potatum* (*Ibid.*, 36). *Sanitas est animæ, et corpori sobrius potus* (*Ibid.*, 37). *Vinum multum potatum irritationem, et iram, et ruinas multas facit* (*Ibid.*, 38). *Amaritudo animæ vinum multum potatum* (*Eccle.* XXXII, 39). *Vinum et musica lætificat cor* (*Eccle.* LX, 20). *Et vinum lætificat cor hominis.* (*Psal.* CIII, 15). *Hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt ; sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.* (*Isa.* XXVIII, 7). *Bonum est non bibere vinum* (*Rom.* XIV, 21). *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, non vinolentum* : *1 Timoth.* cap. III, 3, et *ad Titum* cap. I, 7 ; *Et diaconos similiter... non multo vino deditos* : *1 ad Timoth.* cap. III, 8 ; *Anus similiter... non multo vino servientes* : *ad Titum* cap. II, 2 ; *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates* : *1 ad Timoth.* cap. V, 23.

VIOLENTIA.

Vide verb. Conservatores, *art.* 2, *n.* 5 *et* 6.

VIR.

(1. Vir extra paradisum fuit formatus, mulier vero intra paradisum. *Genes.* cap. II, et can. *Illud.* 9, dist. 40, ibi : « Illud autem animadverte, quod extra paradisum vir factus est : intra paradisum mulier, ut advertas quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam comparat sibi. Denique extra paradisum (hoc est in inferiore loco) vir factus, melior invenitur, et illa quæ in meliori loco (hoc est in paradiso) facta est, inferior invenitur. »

(2. Viri in principio mundi acceperunt

Digitized by Google

sorores in uxores. Can. *Cum igitur* 1, caus. 35, q. 1.

(3. Vir circa uxorem peccat graviter, præsertim in octo casibus. Primo, quando sine justa causa illam retrahit ab impletione et observantia præceptorum, quæ obligant sub mortali. Secundo, quando illi permittit peccare mortaliter, et non corrigit, cum debeat et possit. Tertio, quando ante elapsum bimestre, vi ab invita uxore obtinet copulam. Quarto, quando sine justa causa denegat uxori petenti debitum conjugale. Quinto, quando ex levi causa illam graviter percutit, et animo injuriandi afficit verbis valde ignominiosis. Sexto, quando dissipat ejus dotem et etiam suum patrimonium in ejus grave præjudicium, vel non laborat, cum laborare juxta suam conditionem possit; et alias ejus labor ad uxoris sustentationem sit necessarius. Septimo, si datam ei fidem matrimonialem violet. Octavo, si eam aliquo morbo contagioso per copulam ab ipsa invita extortam inficiat. Sic doctores communiter.

(4. Vir ab uxore et econtrario uxor a viro ad maritale consortium severioribus canonum remediis cogi potest. C. *Litteras* 13, De restitut. spoliat., cap. *Ex publico* 7, De convers. conjug., cap. *Non est* 11, De sponsalib. et matrimon., et c. *Pervenit* 5, De conjugio leprosor., et sacr. congr. Concil., 10 Septemb. 1695, et Benedict. XIV, constitut. incip. *Pastor bonus*, § 50.

(5. Alia ad rem *Vide* verb. ADULTERIUM, verb. BONA, verb. DELECTATIO MOROSA, verb. DIVORTIUM, verb. DOMINIUM, verb. DOS, verb. AFFINITAS, verb. LUXURIA, verb. MARITUS, verb. MATRIMONIUM, verb. TACTUS, verb. UXOR.

VIRGA PŒNITENTIARIORUM.

(1. Quoad virgam pœnitentiariorum datur hic ad litteram consultatio vigesima secunda tomi primi D. Jacobi Pignatelli, ut sequitur.

CONSULTATIO XXII.

An canonicus pœnitentiarius in cathedrali ecclesia uti possit virga, sive, ut aiunt, bacchetta?

(1. Non potest. Quia est præjudiciale pœnitentiariis ecclesiarum patriarchalium Urbis, et novitatis introductivum. Quippe quælibet cathedralis poterit sibi tanquam licitum arrogare quod in simili Romæ gestum fuerit. Non enim talis canonicus pœnitentiarius est pœnitentiarius D. Papæ, sed institutus ob observationem decreti conc. *Trid.*, sess. XXIV, c. 8, *De reform.* Cum autem tenere virgam in manibus sit signum supremæ auctoritatis, unde solus summus pœnitentiarius illam tenet, eoque præsente, minores pœnitentiarii virgam dimittunt: ideo concedi non debet cuicunque pœnitentiario cujuslibet ecclesiæ, sed solum illis qui immediate sunt pœnitentiarii Summi Pontificis.

(2. Accedit resolutio sacræ congr. super causa *Abulensium*, anno 1597, die 24 Aprilis. Quæsitum enim fuerat an canonicus pœnitentiarius teneretur auscultare confessiones etiam non reservatorum? An sedere et assistere in sede determinata statis temporibus, et horis ante et post meridiem? An deberet tenere virgam in manu, sicuti servatur in patriarchalibus Urbis? Et responsum fuit affirmative ad duo priora quæsita; ad tertium autem, novas consuetudines non esse inducendas. Idem quoque declaravit sacra cong. Episcop. et Regular., die 16 Maii 1596, *in una Neapolitana* per hæc verba: « Che senza privilegio Apostolico non possono i confessori tener in mano le bachette, come fanno i penitenzieri di Roma. »

(3. Quare cum sit contra usum totius Ecclesiæ, nusquam enim tales pœnitentiarii virgam tenent, contra consuetudinem, et rationem permitti non debet, prout non permitti decrevit sacra congr. Concilii, *in una Romana Pœnitentiarii Lateranensis* die 13 Novembris 1639, de qua testatur Dominicus Andolphinus parochus S. Luciæ ad Apothecas, vir pius et ecclesiastica eruditione apprime imbutus.

Major pœnitentiarius potest concedere indulgentiam centum dierum omnibus Christifidelibus, qui ipsi pœnitentiali virga tangendos se submiserint. Innocent. XII, constit. incip. *Romanus Pontifex*.

VIRTUS.

De virtute speciatim hic agitur.

(1. Virtus generatim capta, est cujusque rei vigor bonaque dispositio, quæ subjectum, cui inest, in suo genere bonum, perfectumque, ejusque operationem aliquam excellentem reddit; v. g. oculi virtus est bona ac perfecta videndi acies: equi virtus est facilitas et promptitudo currendi, ac portandi: hominis virtus est bonus habitus, ex quo et bonus homo ipse efficitur, et bonum ejus opus redditur; unde Aristotel., II *Ethic.*, c. 9, definit: « Virtus est, quæ bonum facit habentem, et opus ejus bonum reddit. »

(2. Virtus specifice et proprie capta, prout reperitur in sola substantia intellectuali, et non in brutis aut inanimatis, est habitus perficiens substantiam intellectualem, et ad bonam rectamque operationem inclinans. Sic in re doctores communiter.

(3. Et hæc virtus tripliciter dividitur videlicet ex parte subjecti, in virtutes intel-

Digitized by Google

lectuales et morales; ex parte causæ efficientis, in infusas et acquisitas, et ex parte objecti, in theologicas, et morales. Ita doctores communiter.

(4. Virtutes intellectuales sunt illæ, quæ intellectum, in quo subjectantur, perficiunt in cognitione veri, et tales juxta Aristotelem VI *Ethic.*, c. 3, sunt quinque, nempe intellectus, scientia, sapientia, prudentia et ars, quibus addi potest fides infusa, et theologica, quam philosophus ignoravit. (5. Virtutes morales sunt illæ, quæ hominis voluntatem, in qua subjectantur, perficiunt in affectione ad bonum honestum, et tales sunt prudentia, justitia, fortitudo et temperantia, sub quibus aliæ continentur, vel ad illas reducuntur; prudentia enim, quamvis essentialiter sit virtus intellectualis, est tamen dux et regina omnium virtutum moralium. Vide *infra* num. 96.

(6. Virtutes infusæ, seu supernaturales sunt illæ quæ nequeunt per potentiam naturalem comparari, sed ex natura sua intrinseca postulant infundi, sicque nobis a Deo immediate infunduntur, ut sunt habitus fidei, spei et charitatis, qui etiam parvulis in sacramento baptismi divinitus infunduntur, ex concil. *Trident.* sess. VI, cap. 7, ibi: « In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem. » (7. Virtutes acquisitæ seu naturales sunt illæ, quæ ex natura sua possunt physice acquiri ab ipsa potentia per frequentationem actuum, et de facto nostris frequentatis actibus comparantur et acquiruntur, ut sunt habitus humilitatis, temperantiæ, mansuetudinis, et hujusmodi; unde philosophi dicunt quod *ex frequentatis actibus fit habitus.*

(8. Virtutes theologicæ ac supernaturales sunt illæ, quæ immediate et principaliter versantur circa Deum tanquam objectum *quod*, et formale, et tales sunt fides, spes et charitas; istæ enim solæ habent Deum pro objecto primario, quod creditur, quod speratur, quod diligitur, et etiam habent ipsum, ejusque attributum pro objecto motivo seu formali *quo*. (9. Virtutes morales ac naturales sunt illæ, quæ principaliter versantur circa aliquod objectum creatum tanquam objectum formale et terminativum quoad dirigendos mores et moderandos affectus animi nostri juxta dictamen rectæ rationis, et tales sunt prudentia, justitia, fortitudo et temperantia, sub quibus reliquæ omnes virtutes morales, vel tanquam *partes subjectivæ*, vel *potentiales* et *integrales* comprehenduntur.

(10. Unde virtus theologica ut sic, recte describitur, quod « sit habitus supernaturalis a Deo infusus, elevans animam, ut immediate feratur in Deum tanquam objectum. » Ita in re communis doctorum.

(11. Et virtus moralis, ut sic recte definitur, quod « sit habitus electivus in mediocritate consistens quoad nos determinata ratione, prout sapiens definit; » ita Aristoteles, II *Ethic.*, cap. 6; Scotus, in 3, dist. 36, qu. unic., § *Dicitur*, et alii communiter. Ubi per ly *Habitus electivus* intelligitur habitus voluntatis, cum ipsa voluntas soleat appellari potentia electiva; et per ly *In mediocritate consistens*, etc., intelligitur, quod ad rationem virtutis requiritur mediocritas a recta ratione prudentis præfinita.

(12. Hinc currit illud vulgatum, quod *virtus in medio consistit, vitia autem ad extrema tendunt.* Vitium enim, prout opponitur virtuti, est habitus electivus a mediocritate declinans, sive est habitus inclinans in actus contra præscriptum rectæ rationis: (13. sicut enim virtus reddit habentem bonum, et ejus opus bonum, ita econtra vitium reddit habentem malum, et ejus opus malum. Vide *infra*, n. 93 et seq.

(14. Tunc autem formaliter, et secundum se *virtus in medio consistit, et vitia ad extrema tendunt*, quando ipsemet habitus inter duos extremos habitus vitiosos sibi oppositos versatur. Sic liberalitas mediat inter avaritiam et prodigalitatem, nam quodlibet horum vitiorum extreme opponitur liberalitati; avaritia quidem per defectum, sumptus etiam necessarios non faciendo; prodigalitas vero per excessum, expendendo bona sua in sumptus non necessarios. Unde, ut vides, vitia ad extrema tendunt, nempe ad excessum et defectum; virtus vero amat et consectatur id quod inter utrumque dictum extremum medium est, sive mediocre. Sit aliud exemplum. Qui facile omnia metuit ubi et quando non oportet, nihilque aggredi audet, is per defectum est vitiosus *timidus*; qui vero omnia aggredi audet etiam ubi et quando non oportet, nihilque timet, is per excessum est vitiosus *audax*; inter ipsos autem extreme oppositos vitiosos mediat virtuosus *fortis*, declinans ab utroque extremo, et medium tenens, metuendo scilicet, et non metuendo, aggrediendo aliquid, et non aggrediendo, ubi et quando oportet secundum rectam rationem; et sic de aliis.

(15. Virtutes quoque theologicæ ex parte actus seu exercitii earum consistunt in medio; in exercitio enim ipsarum potest dari tum excessus, tum defectus. Excessus quidem in fide, credendo aliquid Deo convenire quod non convenit, in spe, sperando, seu potius præsumendo beatitudinem consequi sine meritis aut ex propriis viribus; in charitate, diligendo Deum actione indebita, prout fieret, se ipsum ob amorem Dei putativum interficiendo, aut eidem immolando filium suum. Defectus autem in ipsis fieri potest, et de facto datur, non credendo sperando vel diligendo; prout debet tempore urgentis præcepti, sed discredendo pertinaciter, desperando, Deum odio habendo; unde ille vere virtutibus theologicis est institutus, atque ornatus, qui prout debet, credit, sperat et diligit declinando ab utroque dicto extremo excessus et defectus, juxta illud *Isaiæ* XXX, 21: *Hæc est via, ambulate in ea, et non declinetis neque*

Digitized by Google

ad dextram, scilicet per excessum, *neque ad sinistram*, videlicet per defectum.

(16. Virtutes theologicæ sunt tantum tres, nempe fides, spes et charitas. *Communis*, et habetur clare ex Apostolo *I ad Corinth.*, cap. XIII, ubi has tres solum enumerat : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc ;* et ex *Trident.*, sess. VI, cap. 7, ubi solum has tres enumerat : *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem.*

(17. Virtutes theologicæ sunt perfectiores omnibus virtutibus moralibus; virtutes enim theologicæ perfectius habent objectum, nempe ipsummet Deum, cum ordinentur ad Deum immediate, ad differentiam virtutum moralium, quæ ad Deum ordinantur tantum mediate. *Communis.*

(18. Major et perfectior inter ipsas virtutes theologicas est charitas; ipsa enim perfectius nos conjungit cum Deo, quam fides et spes. Unde Apostolus *I ad Corinth.*, cap. XIII, expresse dicit : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc ; major autem horum est charitas.*

(19. Omnes tres virtutes theologicæ sunt adultis necessariæ ad salutem; non possunt enim salvari adulti, nisi credant, sperent et diligant; actus enim credendi, sperandi et diligendi ex Dei ordinatione ab eorum habitibus procedunt, adeoque, etc. Unde Scotus, in 3, dist. 34, num. 6, expresse dicit : « Fide tenemus, tres virtutes theologicas esse necessarias, perficientes immediate animum respectu objecti increati. » Et S. August. serm. 53, *De tempore*, sic habet : « Tria quædam proposuit animæ nostræ necessaria beatus et egregius gentium Doctor dicens : *Nunc autem manent fides, spes charitas;* » unde Alexander VII, die 24 Septembris 1665, merito damnavit sequentem propositionem primam in ordine : « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. »

(20. Quoad ea quæ concernunt fidem *Vide* verb. FIDES per tot.

(21. Spes est virtus theologica divinitus infusa, qua ex liberali Dei promissione fiducialiter desideramus nobis bonum infinitum per Dei auxilia et merita nostra obtinendum. Ita desumitur ex Scoto, in 3, dist. 56, qu. unic., n. 10.

(22. Spes est actus voluntatis idem cum desiderio. Scotus, *loco cit.*, num. 19, Scotistæ, et alii. Sperare enim, quantum ad præsens, idem est ac desiderare; quia spes fertur in bonum absens ut possidendum; actus autem ille, quo bonum absens ut possidendum appetitur, est desiderium, adeoque spes est actus voluntatis idem cum desiderio.

(23. Spes distinguitur realiter fide et charitate. Sanct. Thomas, 2-2, qu. 7, art. 6; Scotus, *loc. c.*, n. 17 et alii passim; et ratio est, quia ubi sunt distincti actus et distincta objecta formalia, ibi sunt distincti realiter habitus. Fidei autem, spei et charitatis diversi sunt actus, cum actus fidei sit credere, actus spei desiderare, et actus charitatis diligere; item distincta sunt objecta formalia cum objectum formale fidei sit Deus, ut verax : spei sit Deus, ut nobis bonus et promissus; et charitatis sit Deus, ut bonus in se, adeoque, etc. Tum quia sperare idem est ac desiderare : desiderare autem est actus voluntatis, et credere est actus intellectus, adeoque spes distinguitur realiter a fide; item distinguitur realiter a charitate, quia charitas est amor amicitiæ, quo Deus diligitur propter seipsum. Spes vero est amor concupiscentiæ, quo Deus diligitur propter nos, seu ut bonus nobis, adeoque, etc.

(24. Objectum materiale primarium spei est Deus possidendus. Est in re communis. Et ratio est clara, quia objectum materiale primarium spei nostræ est illud, quod exspectamus in cœlis : non exspectamus autem Deum tantum, sed Deum in cœlis possidere, adeoque objectum materiale primarium spei est Deus possidendus.

(25. Objectum autem materiale secundarium spei sunt omnia bona et auxilia ad beatitudinem, seu Dei possessionem consequendam necessaria. Est in re communis; et ratio est evidens, quia qui vult finem, vult et media necessaria ad ipsum finem consequendum, adeoque, qui sperat Deum in æterna gloria beatifice possidendum, sperat etiam media necessaria ad ipsum attingendum seu consequendum; uti sunt omnia bona, et Dei auxilia ad obtinendum remissionem peccatorum, ad meritorie operandum, et ad finaliter in gratia sanctificante perseverandum.

(26. Objectum formale spei est Deus, quatenus est nobis bonus; sic desumitur ex Scoto in 3, dist. 26, quæst. unica, et tenent Herincx, disput. 19, *De spe*, q. 1, n, 11; Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, dist. 5, q. 1, conclus. 4, n. 6; Tannerus, tom. III, disp. 2, q. 1, n. 14, citans S. Thomam, Suarez, et alios; Sanig., tom. IV, dist. 4, q. 1, et alii plures contra alios. Et ratio nostra est, quia illud est objectum formale spei, quod proprie movet ad appetitum seu desiderium objecti materialis : talis autem ratio motiva est bonitas Dei respectiva nobis, seu Deus ut est bonus nobis, seu nobis commodum affert; voluntas enim nostra nihil appetit, nisi sub ratione boni, adeoque, etc.

(27. Spes reperitur in viatoribus, non tamen in omnibus. *Communis*; et quidem prima pars patet ex conc. *Trid.*, sess. VI, cap. 7, ubi expresse docet, in justificatione infundi fidem, spem et charitatem. Vide *supra* num. 6 et 16, ubi afferuntur verba præcisa concilii : et secunda pars patet de Judæis, Turcis, aliisque infidelibus et hæreticis, qui non habent spem theologicam et supernaturalem, quia, cum careant fide supernaturali, quæ est basis et fundamentum spei, carere debent etiam spe supernaturali; unde si vitam æternam sperent, id faciunt spe naturali et acquisita, sicut fide

Digitized by Google

naturali et humana credunt aliquos fidei articulos; item patet de peccatoribus illis, qui desesperant de sua salute, isti enim spem amiserunt. Nam sicut habitus fidei deperditur per quemlibet actum infidelitatis, ita habitus spei etiam deperditur per quemlibet actum desperationis de salute vel mediis ad salutem.

(28. Spes remanet in animabus purgatorii. Communis inter Catholicos; et ratio est, quia ipsæ animæ vere exspectant beatitudinem, quam cognoscunt obscuram, futuram, absentem et arduam, utpote acquirendam per pœnas quas patiuntur, non quidem merendo per illas, sed satisfaciendo.

(29. Spes nullatenus est in damnatis. *Communissima*, textu expresso in illo *Proverb.* XI: *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes.* Tum quia in damnatis viget perpetua desperatio, quæ est totaliter opposita spei.

(30. Spes non remanet in beatis. *Communis*; et clare habetur *ad Romanos* VIII, ibi: *Spes, quæ videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat?* Atqui beati Deum vident, eoque perfecte fruuntur, ergo amplius illum non sperant.

(31. Virtuti spei opponuntur duo præcipua vitia, desperatio scilicet et præsumptio. Desperatio ei opponitur per defectum, ut cum quis desperat, sese remissionem peccatorum suorum, et beatitudinem æternam consecuturum, atque ideo ab ejus procuratione ob impossibilitatem, vel nimiam difficultatem mediorum apprehensam omnino desistit. Præsumptio autem ei opponitur per excessum, ut cum quis præsumit se divinam gratiam, et æternam gloriam ex se ipso, et propriis viribus consequi posse, seu econtra præsumit se sola Dei misericordia ac liberalitate, et Christi meritis absque propria cooperatione per bona opera æternam beatitudinem consecuturum. Sic doctores communiter.

(32. Unde desperatio definitur, quod sit voluntaria et deliberata objectio omnis spei consequendi beatitudinem, vel media ad illam conducentia ex opinione impossibilitatis, aut nimiæ arduitatis. Est in re communis.

(33. Et præsumptio definitur, quod sit temeraria spes hominis sibi, aut Deo innixi consequendi gratiam et gloriam æternam absque mediis a Deo ordinatis. Est etiam in re communis.

(34. Charitas est virtus theologica divinitus infusa, qua diligitur Deus propter se super omnia, et proximus propter Deum. *Communis.* (35. Unde ex eodem motivo diligitur proximus charitate theologica, ac diligitur ipse Deus, et consequenter est unus et idem habitus charitatis inclinans ad diligendum Deum et proximum propter Deum; ubi enim unicum est operandi motivum, ibi sufficit unus habitus. Hinc S. Augustinus, *De Trinitate*, lib. VIII, cap. 8, in fine, sic expresse dicit: « Ex una eademque charitate Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, et proximum propter Deum; » et ideo Scotus, dist. 8, num. 8, concludit quod « ratio bonitatis proximi non est ratio terminans actum, » nempe charitatis.

(36. Unde objectum materiale primarium charitatis est Deus, objectum vero secundarium est proximus noster. *Communis.* (37 Objectum autem formale seu motivum charitatis Dei est ipsamet Dei bonitas absoluta, qua in se infinite bonus est in omni genere entis et perfectionis. Sic in re Communis doctorum. Et ratio est, quia illud est objectum formale charitatis, quod est objectum beatitudinis; atqui Deus, ut absolute bonus, in omni genere entis et perfectionis est objectum beatitudinis, cum ut sic sit maxime satiativus, ergo, etc.

(38. Charitas theologica distinguitur realiter a fide et spe. *Communis*, cum Scoto, in 3, dist. 27, num. 2, ubi sic expresse habet: « Hæc virtus distincta est a fide, quia actus ejus non est credere; similiter a spe, quia actus ejus non est concupiscere bonum amanti, in quantum est commodum amantis, sed tendere in objectum secundum se, etiamsi per impossibile circumscriberetur ab eo commoditas in amantem: » et ratio patet ex dictis *supra*, num. 23.

(39. Charitas in patria, seu in statu gloriæ cœlestis remanet in beatis. *Communis*, ac certa per illud *I Corinth.* XIII: *Charitas nunquam excidit;* excideret autem charitas, si non remaneret in beatis; imo sancti in cœlis longe perfectius diligunt Deum, quam justi in hoc mundo.

(40. Datur præceptum verum et speciale diligendi Deum etiam actu interno. *Communis*, text. expresso *Deuteronomii* VI, ibi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota fortitudine tua;* quod idem repetit Christus *Matth.* XXII, addens: *Hoc est primum et maximum mandatum.* Et ne quis dubitet de hac obligatione sub mortali, clamat Joann. apostol. *Epist. I*, cap. III: *Qui non diligit, manet in morte.* Unde Alexander VII, die 24 Sept. 1665, merito damnavit sequentem propositionem primam in ordine: « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. »

(41. Deus ex præcepto diligendus est super omnia, saltem appretiative, non vero intensive. Est communis, quoad primam partem, et communior quoad secundam. Ut facilius tamen hæc percipiatur conclusio, advertendum est cum Scoto, in 3, dist. 27, qu. unica, § *Quantum ad illum*, et aliis pluribus, quod Deus potest super omnia diligi dupliciter, scilicet appretiative et intensive: tunc Deus diligitur super omnia *appretiative*, seu æstimative, aut prælative, quando pluris eum facimus quam omnes creaturas, ita ut parati simus potius omnia perdere, imo et vitam propriam, quam Deum offendere, sicque Deus omnibus creaturis præferre, et nullius timore, aut amore, ab ejus amicitia seu charitate separari, juxta

Digitized by Google

illud Apostoli *ad Rom.* VIII, 38, ibi : *Neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei;* (42. tunc autem diligitur Deus super omnia *intensive*, quando actu majori, seu conatu intensiori et vehementiori, aut teneriori ac ferventiori affectu Deum præ alio diligimus. Hac igitur terminorum explicatione præmissa,

(43. Probatur conclusio quoad primam partem ex sacra Scriptura. *Matthæi* enim X Christus ait : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus;* et *Lucæ* XIV: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus :* ergo si patri, et matri, uxori, filiis, et etiam nobis ipsis debemus Deum præferre, a fortiori debemus ipsum præferre cæteris creaturis : accedit ratio, quia cum Deus sit absolute et simpliciter super omnia bonus, etiam absolute et simpliciter est super omnia *appretiative*, seu æstimative vel prælative diligendus.

(44. Probatur quoad secundam partem, nempe quod Deus non sit ex præcepto diligendus super omnia *intensive;* et ratio est, quia pro adimplendo præcepto diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, etc., sufficit quod eum diligamus super omnia *appretiative*, æstimative seu prælative, ita ut eum præferamus in appretiatione et æstimatione omnibus creaturis, et nobis ipsis, et nullius creaturæ amore vel timore velimus ejus præcepta transgredi; nam, ut habetur ex *Epist. I* S. Joannis, cap. II : *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est;* si ergo, qui observat Dei mandata, habet vere charitatem Dei perfectam, *vere in hoc charitas Dei perfecta est*, stat clarum quod pro adimplendo præcepto diligendi Deum ex toto corde, etc., sufficit quod eum diligamus super omnia *appretiative*, ejus præcepta plene observando præferenter ad amorem vel timorem cujuscunque creaturæ, ita ut nullius amore vel timore ea unquam transgrediamur : unde etiam ipsemet Christus Dominus solum proposuit hanc præceptorum observantiam, tanquam verum signum dilectionis ex affectu charitatis, *Joan.* XIV, 23, ibi : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus;* adeoque, etc.

(45. Tum quia si pro adimplendo præcepto diligendi Deum ex toto corde, etc., deberet diligi Deus super omnia *intensive*, sequeretur quod unus justus non posset intensius amare Deum, quam alius; et quod nec etiam amor requisitus pro adimplendo præcepto diligendi Deum posset ullatenus augeri, quod nullimode est dicendum, adeoque non requiritur necessario amor *intensivus*, sed sufficit *appretiativus*.

(46. Tum etiam, quia homines naturali inclinatione ferventiori affectu feruntur in sensibilia et præsentia, quam insensibilia et absentia; unde fit, ut licite quis revera amet Deum super omnia *appretiative*, et tamen naturali virtute feratur intensiori affectu in aliquam creaturam absque offensa Dei, interim paratus et resolutus, ut si necesse esset, aut Deum offendere, aut illam creaturam amittere, omnino illam creaturam potius amitteret quam Deum offenderet. Et de facto, sicuti experientia constat, quod non semel aliquis catulum v. gr. aut aliam creaturam ferventius ac tenerius amet quam proprium filium, non tamen firmius aut magis æstimative, quod inde cognoscitur, quia si vel catulum vel filium amittere deberet, utique potius catulum quam filium perdere vellet; ita etiam fieri potest, ut aliquis sine culpa intensius ac tenerius amet uxorem, filium aut amicum, quam ipsum Deum, non tamen firmius et magis æstimative, si interim animo paratus sit et resolutus potius uxorem, filium aut amicum deserere, quam Deum offendere; unde quod *Matth.* X Christus Dominus dicit : *Qui amat patrem, vel matrem plus quam me, non est me dignus;* intelligi debet secundum majorem appretiationem seu æstimationem, et non secundum majorem intentionem, juxta communem doctorum interpretationem teste Sporer, tom. I, tract. 2, in 1 *præcept. Decalog.*, cap. 5, sect. 2, num. 29; Layman, lib. II, tract. 3, cap. 2, n. 8, ubi refert hanc nostram sententiam ex communi doceri a Navarro, Suarez, Gabriele, Toleto, Valentia, et Sanchez; et tenet S. Bonaventura dist. 27, art. 2, quæst. 6; Sporer *loco cit.;* Boyvin., t. IV, disput. 3, *De charitate*, quæst. 1, vers. *Dicitur* 3; Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 286, ubi dicit, quod amor appretiativus est perfectior intensivo; Reiffenstuel, *Theol. mor.*, tract. 46, dist. 6, qu. 1, n. 7, aliique plures Scotistæ, et Frassen, *De virtutibus theologicis*, tract. 2, disp. 3, quæst. 3, conclus. 2, citans Scotum, in 3, dist. 27, n. 17, quamvis ab aliis citetur, et revera teneatur pro sententia contraria per hæc sua verba, *loco cit.*, n. 17, ibi : « Sicut enim teneor diligere Deum super omnia alia extensive, ita etiam majori affectu quam aliquod aliud, » quæ verba non parum urgent.

(47. Præceptum diligendi Deum, prout est negativum, ne videlicet Deum odio habeamus, aut aliquid agamus quod ejus dilectioni et amicitiæ sit contrarium, obligat semper. *Communissima.*

(48. Præceptum autem affirmativum de Deo super omnia diligendo obligat solum certis temporibus. *Communis.* (49. Et hæc tempora quatuor potissimum a doctoribus solent assignari. Primo, circa initium usus rationis. Secundo, cum urgente gravi tentatione, periculum impendet homini, ne in odium Dei labatur, nisi ad Deum per actum dilectionis convertatur. Tertio, sæpius in vitæ decursu, ita ut non multo tempore differatur actus dilectionis Dei. Quarto, circa articulum mortis, et quoties tenetur quis elicere actum contritionis, v. gr. moriturus et sacrificaturus, si conscius peccati mortis

Digitized by Google

bis non habet copiam confessarii : contritio enim includit necessario dilectionem Dei super omnia.

(50. Unde quoad hoc semper præ oculis habendæ sunt et evitandæ tres sequentes propositiones merito damnatæ ab Innocentio XI, die 2 Mart. 1679. Prima, quinta in ordine, est ut sequitur : « An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret? condemnare non audemus. » Secunda, sexta in ordine : « Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. » Tertia, septima in ordine : « Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus. »

(51. Ultra Deum super omnia, tenemur ex præcepto charitatis diligere proximum sicut nosmetipsos. *Communis*, præcepto expresso *Matth.* XXII, 39, ibi : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, et Joan. XII, ibi : *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem;* et *I Epist.* Joan., c. IV, ibi : *Mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* (52. Unde Innocent. XI, die 2 Mart. 1679. merito damnavit duas sequentes propositiones : Prima, in ordine decima, est ut sequitur : « Non tenemur proximum diligere actu interno et formali ; » secunda, in ordine undecima : « Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. »

(53. Item ex speciali præcepto charitatis tenemur diligere inimicos. *Communis.* Sic enim expresse præcipit Christus *Matth.* V, ibi : *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros ;* quod præcepit sub peccato gravi ; nam *Matth.* XVIII, 35, habetur, quod nec Pater cœlestis dimittet nobis peccata, nisi prius dimiserimus fratri nostro de cordibus nostris, ibi : *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris ;* et *Marci* XI, 26, ibi : *Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra ;* et idem habetur *Matthæi* VI, 15.

(54. Inimicis tenemur ex præcepto charitatis exhibere communia et generalia signa dilectionis communiter omnibus aliis ejusdem status, conditionis ac qualitatis præstari solita. *Communis.* Unde tenemur inimicum salutantem resalutare, interroganti respondere, emere volenti vendere, in communibus orationibus et eleemosynis eum includere, communia officia vel obsequia, quæ omnibus passim in communitate, civitate, collegio, monasterio, vel domo aliqua exhiberi solent, etiam ipsi præstare, idque sub gravi, vel levi peccato, prout attenta personarum, locorum aut aliarum circumstantiarum conditione gravis aut levis reputabitur contemptus. Et ratio est, quia talis exclusio a dictis, aliisque communibus dilectionis signis vindictam indicat, quæ privatis personis interdicta est, juxta illud *Levitici* XIX : *Non quæres ultionem, neque eris memor injuriæ civium tuorum.* Et *ad Romanos*, cap. XII, vers. 19 : *Mihi vindicta, Ego retribuam, dicit Dominus.* Et idem *ad Hebræos*, cap. X, vers. 30.

(55. Excipiendi sunt tamen casus, in quibus charitas vel justitia. (*Vid.* in fin. not. R. T.) aliud prudenter suadent, aut rationabilis causa excusat ; charitas enim erga ipsummet inimicum non semel prudenter suadet negare inimico signa communia dilectionis seu charitatis, videlicet salutationes, responsiones, allocutiones, et hujusmodi, vel quia sic speratur emendandus, errorem suum agniturus et correcturus, vel quia timetur ex his signis deterior futurus, injuriam illatam parvipensurus, et facilius denuo illaturus, aut talia signa charitatis sibi in despectum fieri, aut aliter in malum sensum interpretaturus ; item etiam charitas erga seipsum interdum prudenter suadet negare inimico dicta signa, et evitare ejus consortium, colloquium, familiaritatem, et hujusmodi, ne inde nova jurgia insurgant, vetera odia reaccendantur, et graviora mala oriantur, eo quod sit naturæ rixosæ, et hujusmodi.

(56. Justitia aliquando prudenter suadet inimico reo subtrahere communia signa dilectionis seu charitatis, ut sæpe sæpius experientia demonstrat in parentibus, prælatis ac superioribus, qui filios et subditos in se peccantes a communibus beneficiis, vel amoris indiciis licite, imo et meritorie excludunt correctionis gratia, ut sic errorem suum agnoscant et emendentur, et de cætero caveant. Sic in dies videmus parentes et consanguineos e suis domibus ejicere, necad aspectum, colloquium, convivium aut consortium admittere velle filium vel consanguineum, qui matrimonium indignum contra eorum voluntatem contraxerit, aut alias crimine alicujus infamiæ commisso familiam gravi dedecore affecerit ; et tales parentes et consanguinei, si non ex animi odio, sed solum ob dicti filii, vel similis filiæ delinquentis correctionem, familiæ honorem, ac aliorum majorem cautelam procurandam ad id procedant, et non in perpetuum reconciliationem denegent, sed solum ad tempus differant, quousque videbitur expedire ad eorum punitionem, et emendationem, et alios bonos intentos fines consequendos, non peccant, nec sunt a confessariis vel parochis absolutione sacramentali et sacra communione privandi ; sic Layman, *Theolog. moral.*, lib. II, tract. 3, cap. 4, num. 4 ; Sporer, tom. I, tract. 2 in 1 *Præcept. Decalog.*, cap. 1, sect. 2, num. 23, et alii.

(57. Rationabilis causa excusat pluriesab obligatione præstandi inimico communia signa charitatis (*Vide* not. c. in fin. art.) ; et signanter si pater, vel mater vitet aspectum et consortium occisoris proprii filii, non ratione odii, sed ne dolorem renovet cum memoria occisi filii ; item si quis sine gravi incommodo sui honoris non possit inimicum salutare ; item si quis prævideat inimicum exinde evasurum audaciorem, et sibi nota-

Digitized by Google

bile damnum esse obventurum; item si quis ob gravem receptam injuriosam infamiam, præstando sic graviter injurianti et offerenti communia signa charitatis et dilectionis esset multis argumento ipsum parvi æstimasse tam acerbam injuriam; item si quis sit moraliter certus suum inimicum non esse resalutaturum, et corresponsurum, et sic de aliis similibus.

(58. Specialia signa dilectionis per se loquendo non tenemur præstare inimicis ex præcepto charitatis, sed solum ex consilio. *Communis.* Unde non tenetur inimicos ægrotos invisere, mœstos consolari, egentibus succurrere, pecunias mutuare, hospitio vel convivio excipere, ad familiare colloquium admittere, obviam factos salutare, et hujusmodi; ut tradunt communiter doctores.

(59. Dicitur autem notanter *per se loquendo*, quia ob varias accidentarias circumstantias sæpius obligamur inimicis exhibere signa aliqua, vel beneficia specialia charitatis. Et signanter ob evitandum scandalum, utpote si negando inimico signa dilectionis specialia, quæ antea quis ei exhibere solitus erat, majus in se hominis odium, vel inimicitiam concitet, vel alios id advertentes scandalizet : item quando exhibitione hujusmodi signi vel beneficii specialis charitatis animum inimici sibi, ac principaliter Deo facilius reconciliandum quis sperat, vel alias salutem spiritualem inimici proventuram; item quando inimicus est in extrema vel gravi necessitate constitutus, tunc specialia beneficia charitatis sunt ei exhibenda juxta exigentiam necessitatis, ut habetur *Prov.* c. xxv, et *ad Romanos*, c. xii, ℣ 20 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitiverit, potum da illi.* Item præstanda et exhibenda sunt inimico specialia signa dilectionis, quando circumstantiæ sunt tales ut eorum omissio sit clarum signum odii interni, et sic de aliis similibus.

(60. Quæ ex charitate diligenda sunt, non sunt omnia æqualiter diligenda, sed inter ipsa servandus est debitus ordo charitatis, juxta illud *Cantic.* ii : *Ordinavit in me charitatem;* unde debet quisque primo diligere Deum super omnia; secundo, se ipsum secundum bona spiritualia; tertio, proximum secundum eadem bona spiritualia; quarto, seipsum quoad bona corporalia; quinto, proximum quoad eadem bona corporalia; sexto, se ipsum quoad bona temporalia externa; et septimo, proximum quoad eadem bona temporalia externa. *Communis.*

(61. Hinc post Deum tenetur quisque, cæteris paribus, magis diligere animam suam quam animam proximi. Et ratio est clara, quia, ut dicit Scotus in 8, dist. 29, n. 1, Mensura est perfectior mensurato, sed dilectio sui est mensura dilectionis proximi, ut patet ex *Matthæi* xxii, ibi : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, ergo, etc.

(62. Tenetur autem quisque magis diligere animam proximi quam proprium corpus. Unde proximo versanti in extrema, et moraliter insuperabili necessitate spirituali, succurrendum est cum certo periculo propriæ vitæ; dummodo adsit spes æque certa eum juvandi, et nullum gravius damnum inde secuturum timeatur. *Communissima*, cum sancto Augustino lib. II *De doctrina Christ.*, cap. 27; sanct. Thoma, 2-2, quæst. 26, art. 5, teste Sporer, tom I, tract. 3, in IV *præcept. Decalog.*, cap. 6, n. 125. Et hoc habetur ex verbis Christi *Joan.* xv, ibi : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Christus autem ita nos dilexit, ut tradiderit suum corpus pro animabus nostris. *Tradidit semetipsum pro nobis*, ut scribit Apostolus *ad Ephes.* v; ut docet Joannes apostolus *Epist. I*, cap. III : *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit;* unde subjungit : *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Hinc S. August., lib. *De mendacio*, cap. 6, expresse dicit : « Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere. Unde tenetur quis baptizare infantem et absolvere peccatorem, etiam cum periculo propriæ vitæ, si certo sciat non posse alia via salvari, et aliunde non immineat ipsi periculum damni proprii spiritualis. »

63. Dicitur autem notanter : « Dummodo adsit spes æque certa eum juvandi, et nullum gravius damnum inde secuturum timeatur; » quia non tenetur quis succurrere in tali necessitate proximo si spes nulla vel incerta sit eum juvandi, aut si aliud gravius damnum inde secuturum timeatur, ut si tempore pestis et persecutionis infidelium non adsit nisi unus sacerdos, non tenetur ipse pro unius tantum salute vitam suam exponere, cum sic periclitaretur salus totius communitatis; item si quis reperiatur in peccato mortali, nec possit commode sibi procurare statum gratiæ, non tenetur pro tunc vitam suam exponere pro salute spirituali proximi, cum sic exponeret morti nedum suum corpus, sed etiam propriam animam, cum ex dictis *supra*, n. 61, teneatur quisque magis diligere propriam quam proximi animam (127).

(64. Propriam vitam pro aliena vita exponere ordinarie non est licitum. Sanctus Augustinus, lib. *De mendacio, ad Consentium* cap. 6, ubi sic ait : « Si quis pro alterius temporali vita suam ipsam temporalem perdit, non est jam diligere illum sicuti seipsum, sed plus quam seipsum, quod sanæ doctrinæ regulam excedit. » Layman, *loc. cit.*, cap. 3, n. 6; Spor. *loc. cit.*, n. 132, dicens esse communem recentiorum contra Aragonium, Victoriam, Valentiam, Moli-

(127) Meminisse hic debebat auctor noster illius Christi sententiæ *Joan.* xv, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; quam recitat numero sequenti, comperisset enim tunc statum peccati mortalis non obstare, quin quis teneatur eo in statu exponere vitam propriam pro proximi spirituali necessitate, cum hujusmodi charitatis actus aptus sit ut gratia recuperari queat, quem tamen comitari deberet actus contritionis.

Digitized by Google

nam, et alios citatos et secutos a Lessio, lib. II *De justitia*, cap. 9 et sequent., volentes licitum esse, atque laudabile vitam suam corporalem exponere pro servanda vita corporali amici, quia honestas virtutis amicitiæ majus bonum est quam vita propria corporalis. Et ratio nostræ conclusionis est, quia, si virtus charitatis, et ordo rectæ dilectionis præcipit ut propriam quisque vitam præferat alienæ, sequitur nullam virtutis et honestatis laudem esse propriam vitam exponere pro aliena servanda. Fateor tamen contrariam opinionem esse vere probabilem, cui favet illud Christi, *Joan.* XV : *Majorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Layman, *loc cit.*, cum pluribus aliis ibi allegatis.

Apposite Antoine in tract. *De virtutibus theologicis*, art. 2, cap. 3, quæst. 2, corollar. 2 : In quacunque corporali necessitate æquali licet sibi potius subvenire, quam alteri privato : nam nemo tenetur diligere proximum magis quam seipsum, sed solum sicut seipsum. « Non est de necessitate charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu quo tenetur ejus saluti providere. Sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem charitatis, » ait S. Thomas, 2-2, q. 28, art. 5 ad 3. Imo juxta multos, tenetur seipsum magis diligere quoad vitam temporalem, et bona ejus conservationi necessaria, quam proximum parem vel inferiorem, quia, ut ait S. Augustinus lib. *De mendac.*, cap. 6 : « Si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdat, non est jam diligere sicut seipsum sed plus quam seipsum : quod sane doctrinæ regulam excedit. » Præterea per se loquendo charitas magis inclinat subjectum suum ad sui conservationem, quam ad conservationem alterius privati. Ergo qui privati vitam suæ præfert, agit contra inclinationem charitatis ; et consequenter peccat contra charitatem. Alii tamen multi cum S. Thoma censent, licere vitam propriam exponere pro servanda vita alterius privati, non quidem præcise ob bonum vitæ proximi, qui ut talis non debet præferri vitæ propriæ ; sed ob speciale quoddam virtutis exercitium, quod in certis circumstantiis exsurgit ex alio titulo, v. g. si vitam exponat pro altero, cujus vita sit utilior ad promotionem gloriæ Dei ; si pro parente, insigni benefactore, etc. Nam, inquiunt, actus virtutis Christianæ, qui tunc exercetur, majus bonum est vita temporali. Textum vero S. Augustini allatum explicant si vita amittatur ob vitam proximi præcise sumptam ut talem, non autem ob exercitium virtutis *.

(65. Dicitur autem notanter *ordinarie id licitum non esse*, quia pro salute personæ publicæ, ex qua multum dependet bonum commune, sicuti pro communi totius reipublicæ, et multo magis pro fide et religione catholica vitam propriam exponere, non solum licitum et laudabile est, sed est etiam necessarium. Sic communis doctorum. Et ratio est, quia bonum commune prævalet, et præferendum est bono particulari. Unde sicuti in naturalibus pars una corporis periculo se exponit pro servando toto corpore, ita et in politicis particulare reipublicæ membrum pro servanda tota republica. Item licitum est ac meritorium vitam propriam exponere pro vita corporali proximi, si ejus morti annexa esset mors spiritualis animæ, ut ad impediendam æternam damnationem injusti aggressoris, cum illud occidere jure possit injuste aggressus, si aliter se defendere nequeat, potius permittere, ac tolerare mortem propriam corporalem est opus maximæ charitatis, et summe meritorium.

(66. Inter proximos magis diligendi, et prius subveniendi sunt, qui nobis magis conjuncti sunt juxta triplicem conjunctionem, spiritualem, carnalem et moralem, seu civilem. *Communis*, et clare habetur ex Apostolo *ad Galatas* VI, ibi : *Operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei* ; et *I ad Timoth.* V, ibi : *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* : unde qui magis nobis conjuncti sunt conjunctione spirituali, præferendi sunt in bonis spiritualibus ; qui nobis magis conjuncti sunt conjunctione carnali, præferendi sunt in bonis pertinentibus ad naturam et vitam corporis ; qui nobis magis conjuncti sunt conjunctione morali seu civili, præferendi sunt in rebus pertinentibus ad civilem communicationem, et sic concives præferendi sunt in his rebus aliis extraneis et in rebus bellicis præferendi sunt commilitones, et sic de similibus.

(67. Quinam ordo servandus sit in necessitate extrema, gravi et communi, *Vide* verb. NECESSITAS.

(68. Qui ex inimicitia alium offendit vel læsit exteriori signo, verbo vel facto, tenetur ex charitate ad reconciliationem externam, petendo ab offenso vel læso quantum commode potest per se vel per alium signo, verbo vel facto veniam et remissionem offensæ. *Communis.* Et ratio est clara, quia qua ratione et forma charitas est destructa, eadem reparari debet. Et sicuti offensor non tenebatur ponere offensam, ita tenetur eam tollere ; insuper tenetur ex justitia etiam ad satisfactionem injuriæ, et ad restitutionem damni illati, nisi offensus et læsus gratis remittat.

(69. Dicitur autem notanter, *quantum commode potest*, quia nemo tenetur ad hanc reconciliationem cum inimico offenso cum gravi vel graviori suo incommodo, quam fuerit offensio, vel læsio illata proximo, uti esset gravis infamia, si offensio et læsio hostilis fuerit occulta, vel si offensus et læsus sit absens, nec facile convenire possit, et hujusmodi.

(70. Veniam petere ab inimico læso vel offenso tunc solum necesse est, quando gravis fuit offensio vel læsio, et aliud remedium, seu modus non occurrit ad reconciliationem. *Communis.*

Digitized by Google

(71. Unde non est obligatio petendi veniam, 1° si injuria, vel læsio non fuerit gravis; 2° si aliter satisfieri potest offenso vel læso, verb. grat. per pecuniam, per specialia signa et officia amicitiæ, per aliqua particularia beneficia, aut per aliorum intercessionem; 3° si offensus vel læsus petitionem veniæ non curet, vel censetur remittere; 4° si injuriæ et offensæ inter inimicos factæ invicem se compensant; 5° si offensus vel læsus per petitionem veniæ sibi ab offensore factam sit magis irritandus; 6° si lædens vel offendens sit longe superior offenso; ut non conveniat a subdito, et longe inferiori veniam petere propter diminutionem auctoritatis et superioritatis; tenetur tamen aliis beneficiis, signis et argumentis subditi læsi animum reconciliare; 7° si apud aliquos, verbi grat. nobiles viros, veniæ petitio in usu non sit, sed aliter fieri soleat reconciliatio. Sic doctores passim.

(72. Et duobus mutuo se offendentibus vel inimicis factis, si injuriæ seu offensæ fuerint æquales, reconciliationem petere et procurare salutando, alloquendo, aut, si opus fuerit, veniam petendo, tenetur prius qui prior offendit, vel prior causa rixæ exstitit; si autem injuriæ vel offensæ fuerint inæquales, tunc tenetur qui gravius offendit, quamvis posterior offenderit; et si contingat injurias censeri moraliter ita pares et simultaneas, ut, omnibus consideratis, non appareat cur unus non potius quam alter debeat esse prior in venia petenda, tunc uterque tenebitur, data occasione, inchoare reconciliationem, salutationem, alloquium, etc., nisi consuetudo, vel mos patriæ esset, ut unus potius quam alter deberet prævenire; unde generaliter loquendo, inter æquales, is debet prius salutare, et alloqui, qui coram alio stante vel sedente transit, vel de novo accedit. Sic doctores communiter.

(73. Omnis offensus vel læsus tenetur offensori veniam petenti vere et sincere injuriam et offensam remittere, salva tamen justitia et jure suo. *Communis*, et habetur clare ex pluribus evangelicis textibus. *Lucæ* enim cap. XVII, 3 et 4, præcipit Christus: *Si peccaverit in te frater tuus, et pœnitentiam egerit, dimitte illi, et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens pœnitet me, dimitte illi.* Et *Marci* cap. XI, 26, expresse dicit: *Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra*; et idipsum dicit *Matth.* cap. VI, 14, ibi: *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*; et *Matth.* cap. XVIII, 35, narrata parabola de servo nequam et crudeli damnato ad carceres, ex quo noluerit dimittere debitum conservo suo, concludit: *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

(74. Dicitur autem notanter, *salva tamen justitia, et jure suo*, quia non obstante quod offensus vel læsus teneatur vere et sincere injuriam vel offensam offensori veniam petenti remittere, potest tamen adhuc per viam juris petere ab ipso debitam satisfactionem et recompensationem pro injuria et damno sibi illato, ut tradunt communiter doct. *Vide* verb. PAX.

(75. Nulla opera hominis sunt Deo grata et meritoria, nisi prius, antequam ea faciat, se proximo suo reconciliaverit. *Communis*, per expressum textum *Matthæi* cap. V, 23, ubi Christus Dominus sic expresse dicit: *Si offers munus tuum ad altare* (intellige etiam de omni alio opere bono Deo grato, et meritorio), *et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo et tunc veniens offeres munus tuum.* Quod sic egregie exponit sanctus Augustinus serm. *De verbis Domini in monte, Matthæi* V, ibi: « Si absens est frater tuus, vade non pedibus corporis, sed animo humili te prosterne in conspectu ejus, cui oblaturus es, si præsens, revocandus est ad amorem ab eo veniam petendo, si eum læsisti, vel si te læsit, dimittendo cordis rancorem. »

(76. Virtuti charitatis opponitur directe vitium odii Dei aut proximi, et de hoc *vide* ODIUM per tot., ubi insuper afferuntur tres propositiones damnatæ ad rem facientes.

(77. Item charitati opponuntur plura alia vitia, ut acedia, invidia, ira, scandalum, schisma, bellum, discordia, contentio, rixa, seditio.

(78. Quoad acediam. *Vide* verb. ACEDIA per tot.

(79. Quoad invidiam. *Vide* verb. INVIDIA per tot. ubi etiam de tribus invidiæ affectionibus charitati oppositis, nempe de indignatione seu nemesi, de zelo seu æmulatione, et de timore, ac de aliis ad rem

(80. Quoad iram *Vide* verb. IRA per tot., ubi etiam de indignatione, rixa, contumelia, ac de aliis ad rem.

(81. Quoad scandalum *Vide* verb. SCANDALUM, per totum.

(82. Quoad schisma *Vide* verb. SCHISMA, per tot.

(83. Quoad bellum *Vide* verb. BELLUM, per tot.

(84. Discordia est dissensio voluntatum circa bonum, quod ex charitate amare debemus. Unde opponitur charitati, quæ necessario causat concordiam, consensionem et pacem voluntatum in bonum.

(85. Contentio est altercatio quædam verborum cum proximo ad impugnandam veritatem, quam ipse sustinet; et hæc opponitur paci et charitati, qua tenemur cum proximo consentire in bonis ipsi necessariis, non impugnando contentiose veritatem in rebus ad salutem ejus animæ, vel corporis, ad ejus famam, vel fortunam pertinentibus.

(86. Rixa est privatum quoddam bellum inter personas ex odio resultans. Unde opponitur charitati, quia, ut dicitur *Prov.* X, 12, *Odium suscitat rixas, et universa delicta*

Digitized by Google

operit charitas. Per rixam, inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 158, art. 2 in corpore, intelliguntur omnia nocumenta quæ facto proximis inferuntur ex ira, adeoque pugnæ, bellum, seditio, vulnus, cædes et hujusmodi.

(87. Seditio est quædam dissensio inter cives ab his duobus vocabulis *seorsim*, et *itio*, derivata, quia aliqui cives seditiosi in dissensione dicuntur seorsim ire; hoc vitium opponitur paci politicæ, et est ex suo genere peccatum grave ex parte commoventis seditionem, sicut rixa ex parte rixantis non vero ex parte illius qui invaditur.

(88. Virtutes cardinales quatuor communiter assignantur, scilicet prudentia, justitia, temperantia et fortitudo, de quibus legitur *Sapient.* VIII, n. 7 : « *Sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus;* ubi per sobrietatem *temperantia*, et per virtutem *fortitudo* intelligitur communiter a doctoribus : unde sanctus Ambrosius in cap. VI *Evangelii S. Lucæ* sic expresse habet : « Scimus virtutes esse quatuor cardinales, temperantiam, justitiam, prudentiam, fortitudinem : » et sanctus Augustinus *in psalm.* LXXXIII, 8 : « Virtutes, inquit, agendæ vitæ nostræ quatuor describuntur a multis, et in Scriptura inveniuntur. Prudentia dicitur, qua dignoscimus inter bonum et malum ; justitia dicitur, qua sua cuique tribuimus, nemini quidquam debentes, sed omnes diligentes; temperantia dicitur, qua libidines refrenamus ; fortitudo dicitur, qua omnia molesta toleramus. »

(89. Dictæ quatuor virtutes *cardinales* nuncupantur, quia sunt tanquam aliarum moralium virtutum fontes, et *cardines*, quibus subnixa tota humana vita regitur : sicuti enim ostium in *cardine*, ita omnis honestæ vitæ ratio in illis versatur, atque universa boni operis structura eisdem innititur. Unde S. Greg., lib. II *Moral.*, cap. 36 : « In quatuor virtutibus totam bonam operis structuram consurgere testatur. »

(90. Cæteræ morales virtutes respectu virtutum cardinalium in triplici differentia sunt positæ. Aliæ enim virtuti cardinali tanquam species, in quas dividitur, subjiciuntur, et ideo partes *subjectivæ* virtutis cardinalis appellantur. Aliæ, sine quibus virtus cardinalis integra et perfecta esse non potest, eo quod ad perfectionem ejus actus concurrant, et partes illius *integrantes* seu *integrales* vocantur. Aliæ denique instar potentiarum, seu facultatum ipsis virtutibus cardinalibus subserviunt, et earum partes *potentiales* nuncupantur.

(91. Omnes virtutes morales, sive cardinales, sive eis adjunctæ sunt ita inter se connexæ, ut nulla prorsus absque cæterarum comitatu obtineri possit in statu perfecto et heroico. Et ratio est, quia virtus perfecta est constans et firmus ordinis amor, quo quis id quod rectum est, et rationi consentaneum in quavis materia prosequitur : talis autem amor constans, firmus et habitualis omnes plane virtutes includit, cum nequeat quis, verbi grat., esse perfecte justus, si careat fortitudine, vel temperantia, vel liberalitate, id est si careat amore ordinis vel in materia fortitudinis, vel in materia temperantiæ, vel in materia liberalitatis. Quippe judex timidus minis terreri, intemperans voluptatibus teneri, avarus pecunia corrumpi potest, ne jus perfecte ac recte reddat. Sic fortitudinem, temperantiam, etc., sine cæteris aliis virtutibus nemo in statu perfecto et heroico obtinere potest. Unde S. Augustin., epist. 167, alias 29, num. 5, alias cap. 2, sic habet : « Certe hinc persuadent, qui unam virtutem habuerint habere omnes, et omnes deesse cui una defuerit, quod prudentia nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse; nam si aliquid horum defuerit, prudentia non erit. Porro si prudentia tunc erit, si et fortis, et justa, et temperans sit, profecto ubi fuerit, secum habet cæteras. Sic et fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel injusta; sic temperantia necesse est ut prudens, fortis et justa sit. Sic justitia non est, nisi sit prudens, fortis et temperans. Ita ubi vera est aliqua earum, et aliæ similiter sunt. Ubi autem aliæ desunt, vera illa non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur. »

(92. Quamvis autem nulla virtus moralis possit sine cæteris obtineri in statu perfecto seu heroico, qui scilicet virtutis culmen attigit, et quo ita sedati sunt affectuum motus, ac ita fracti, ut virtutem commovere amplius non possint, potest tamen una sine cæteris aliis esse in statu imperfecto, in quo quis affectuum motibus agitur, et iis ægre solum resistit, ut tradunt communiter doctores.

(93. Virtus moralis proprie sumpta est *habitualis amor ordinis*, sive « est amor firmus et constans honestæ mediocritatis per rectam rationem in qualibet materia definitæ; » id est habitus inclinans ad id agendum, quod justa in mediocritate sic positum est ut neque rationis, aut ordinis modum excedat, neque ab eo deficiat in qualibet materia. Unde communiter dicitur quod *virtus in medio consistit*, id est, *in medio rationis*, non autem *in medio rei*.

(94. Mediocritas enim, seu medium est duplex, scilicet medium rei, ac medium rationis. *Medium rei* ex Aristotele lib. II *Ethic.*, cap. 5, est *illud, quod ab extremis æqualiter distat*, estque ubique, et semper idem. Ut 6 medium est inter 10 et 2, nam senarius numerus a binario et denario æqualiter distat, nempe quatuor unitatibus, et hoc medium vocatur ab Aristotele *arithmeticum*, et hoc habet justitia commutativa, nempe reddere præcise cuique quod suum est, sive statuere vel conservare æqualitatem rei ad rem. Medium rationis, seu *geometricum* est *illud, quod a ratione præscribitur*, et quo statuitur quid, quo tempore, et quibus circumstantiis agendum sit. Unde, ut vides, *medium rei* est ex natura rei taxatum, ut in omnibus sit omnino idem : *medium vero rationis* non est ita determinatum, sed variatur ex diversis conditionibus et circumstantiis personarum operantium. Ita

Digitized by Google

tamen ut semper in mediocritate consistat; nam si quis ab ea mediocritate, vel excedendo, vel deficiendo recesserit, in vitium morale incidet. (95. Cum vitium morale sit *habitus malus inclinans ad actus malos*, id est ad actus a recta ratione, seu *ordine* per excessum aut per defectum aberrantes, qui actus peccatum vocantur. Vide *supra* a num. 12 ad 15.

(96. Unde deveniendo ad virtutes cardinales seorsim captas, prudentia definitur ab Aristotele, lib. VI *Ethic.*, cap. 5 : « Habitus vera cum ratione activus in iis, quæ sunt homini bona vel mala moraliter : » id est habitus, quo non tantum quid agendum sit, et a quo abstinendum cognoscimus, sed etiam quo constanter amamus id agere, et agimus quod agendum est, et ab eo a quo est abstinendum abstinemus, quia id *ordo* postulat. Et secundum sanctum Basilium homil. 12, *Ad popul.*, « Prudentia est recta eorum, quæ agenda, vel non agenda sunt, cognitio. » Et ut definitur communiter, « prudentia est recta agendorum ratio, » seu est virtus, qua in quovis occurrente negotio noscimus quid honestum sit, quid turpe, seu quid agendum ut honestum, et quid fugiendum ut inhonestum.

(97. Prudentia, quamvis essentialiter non sit virtus moralis, sed intellectualis, est tamen directiva, dux et regina omnium moralium virtutum, sine qua nulla earum consistere potest. Unde sanctus Bernardus serm. 40, *super Cantic.* dicit : « Tolle discretionem (prudentiam), et virtus vitium erit; » et can. *Præsentium* 3, caus 1, quæst. 5, expresse dicitur, quod prudentia, sive « discretio, mater est omnium virtutum. » Et idipsum habetur in cap. *Custos* 1, De officio custodis, ibi : « Omnia cum discretione agantur, quæ noscitur omnium virtutum esse mater, » juncta Glossa *ibid.*, verb. *Cum discretione*, expresse dicente : « Discretio enim mater est omnium virtutum. »

(98. Partes integrantes sive integrales prudentiæ octo enumerantur a sancto Thoma, 2-2, quæst. 48, artic. unic., easque desumpsit partim ex Aristotele, lib. VI *Ethic.*, cap. 12 et sequent., partim ex Macrobio, lib. I in *Somn. Scip.*, cap. 8, et ex sancto Augustino lib. LXXXIII *QQ.*, quæst. 3, et sunt sequentes: memoria, intelligentia, providentia, ratio, docilitas, solertia, circumspectio, cautio.

(99. Ad perfectam igitur prudentiam est necessaria *memoria*, id est præteritarum rerum recordatio, ex qua nascitur experientia optima rerum magistra ; item *intelligentia*, seu intellectio, id est præsentium notitia, et primorum principiorum practicorum cognitio; item *providentia*, id est futurorum præscientia respiciens futura hic et nunc, maxime a prudentibus consideranda ; item *ratio*, id est promptitudo et facilitas ratiocinandi, et unum ex alio colligendi ; item *docilitas*, seu prompta facilitas ad discendum ab aliis prudentibus et expertis ; item *solertia*, seu sagacitas, id est facilis excogitatio et applicatio mediorum ad finem conducentium ; item *circumspectio*, id est attenta ad recte exponendas omnes circumstantias actionis moralis consideratio ; item *cautio*, id est cura et sollicitudo omnia evitandi incommoda, et cavendi ne sub specie boni voluntas applicetur malis.

(100. Partes subjectivæ, seu species prudentiæ sunt quinque, scilicet, monastica, œconomica, politica, legislativa, et militaris. S. Thom., 2-2, qu. 48, art. unic., et alii passim.

(101. Prudentia *monastica et personalis* seu *solitaria*, et sui moderatrix, est illa, quæ dictat quo pacto quis prudenter se gerere debeat circa seipsum. Prudentia *œconomica* est, quæ dictat modum recte gubernandi familiam. Prudentia *politica*, seu *civilis* est, quæ dictat modum recte administrandi rempublicam, legumque observantiam procurandi : hæc enim respicit bonum commune totius reipublicæ seu civitatis, sicuti œconomica bonum solius familiæ, et monastica bonum solius sui ipsius. Prudentia *legislativa*, seu legalis est, quæ instruit suprema capita regnorum et provinciarum ad idoneas condendas leges, earumque procurandam observantiam circa bonum totius regni seu principatus publicum regimen. Prudentia *militaris* est, quæ præscribit normam recte militandi.

(102. Partes potentiales prudentiæ tres communiter assignantur cum sanct. Thom., 2-2, quæst. 51, et Aristotel., lib. VI *Ethic.*, cap. 10 et sequent., nempe *Eubulia*, *Synesis et Gnome*. Tria enim sunt munia ipsius prudentiæ, ut post Aristotelem et sanctum Thomam, *locis citatis*, notant passim doctores, nempe *bene consultare*, *recte judicare*, et quod judicatum seu decretum est *ad praxim reducere*. Unde:

(103. *Eubulia* (Latine *bona consultatio*) est habitus facilitans ad recte consultanda et excogitanda media apta pro consecutione finis. *Synesis* (quod Latine est *sensate discernere*) est habitus disponens ad ferendum rectum judicium de particularibus operabilibus consultatis lege communi definitis. *Gnome* (Latine *sententia*, *pronuntiatum*, aut *imperium*) est habitus disponens ad determinandum, seu jubendum rectæ executioni esse tradendum id quod bene consultatum et judicatum est.

(104. Vitia prudentiæ opposita per defectum, id est per prudentiæ carentiam, quatuor potissimum recenseri solent ex S. Thoma, in 2-2, q. 54, et sunt præcipitatio, inconsideratio, inconstantia et negligentia.

(105. *Præcipitatio* est vitium, quo quis opus aliquod statim præcipitanter, non præmissa sufficienti consultatione et deliberatione, aggreditur, sicque opponitur *eubuliæ*, seu bonæ consultationi. *Inconsideratio* est vitium, quo temere judicatur et concluditur de ipso opere exsequendo, non præmissa debita attentione et diligenti rerum ac circumstantiarum inspectione; sicque opponitur *Synesi*, seu bono, ac sensato judicio. *Inconstantia* est vitium, quo quis de rebus jam semel deliberatis, ac recte judicatis sine ulla, vel certe sine sufficienti

Digitized by Google

causa judicium et sententiam mutat; sicque opponitur *gnomini*, seu sententiæ, aut pronuntiato seu judicato. *Negligentia* est vitium, quo quis omittit requisitam diligentiam, et sollicitudinem ad opportune exsequendum illud opus, quod consultatum et judicatum est, esse faciendum : sicque etiam opponitur *gnomini*, seu pronuntiato, aut judicato. « Nam et priusquam incipias consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est, » inquit Sallustius, in *Bello Catilinario*, cap. 1.

(106. Vitia prudentiæ opposita per excessum quinque præsertim assignantur, nempe prudentia carnis, astutia et dolus, fraus et nimia sollicitudo temporalium. Sic doctores communiter.

(107. *Prudentia carnis* ea dicitur, qua quis studiosius excogitat media et sua facta dirigit ad naturæ corruptæ, seu carnis desideria complenda, de qua Apostolus *ad Romanos* VIII, dicit : *Prudentia carnis mors est;* et infra : *Sapientia carnis inimica est Deo.* Astutia seu *calliditas*, aut *versutia* est excogitatio mediorum seu rationum perversarum, ad fallendum seu decipiendum proximum maxime conducentium, de qua Apostolus *II ad Corinth.* IV : *Non ambulantes in astutia. Dolus* est ipsius astutiæ exsecutio, tum per verba, tum per facta, et definitur quod sit machinatio ad circumveniendum, decipiendum aut fallendum proximum adhibita. *Fraus* est exsecutio astutiæ per facta, ut cum mensura est minor justo, vel cum moneta est adulterina, et hujusmodi, adeoque fraus est quid minus commune quam dolus. *Nimia sollicitudo temporalium* est nimia mentis occupatio in conquirendis et conservandis rebus temporalibus, proveniens ex immoderato habendi amore, et amittendi timore, quæ reprobatur *Matthæi* VII, *Lucæ* XII *et I ad Timoth.* VI.

(108. Justitia est constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi. *Communis* cum Ulpiano in l. *Justitia*, ff. *De justitia et jure.* (109. Jus autem est id quod justum et æquum est, sive quod inter extrema vitiosa est medium.

(110. Partes subjectivæ, seu species justitiæ sunt duæ, scilicet justitia distributiva, et justitia commutativa. *Communis* ex Aristotele, V *Ethic.*, cap. 3. (111. Quænam autem sit justitia distributiva et commutativa, *Vide* verb. JUSTITIA, n. 51 et 52, ubi etiam de differentia inter utramque.

(112. Utraque justitia æqualitatem seu proportionem quamdam servat, cum hac tamen advertentia, quod in justitia distributiva servatur *proportio geometrica*, et proportio geometrica servat *medium rationis*, seu *geometricum;* in justitia autem commutativa servatur *proportio arithmetica*, et hæc proportio arithmetica servat *medium rei*, seu *arithmeticum.* (113. Quodnam autem sit medium rei, seu arithmeticum, et quid sit medium rationis seu geometricum, vide *supra*, n. 94, et verb. JUSTITIA, n. 52, ubi de æquitate *arithmetica* et *geometrica.*

(114. Si quis *medium rationis* in justitia *distributiva*, vel *medium rei* in justitia *commutativa* non servet, tunc jus ipsum lædit, et legem, qua jus illud constituitur, violat. Sic doctores communiter.

(115. Partes integrantes seu integrales justitiæ ex S. Thoma, 2-2, q. 79, art. 1, duæ sunt, nempe declinare a malo, et facere bonum, quoniam istæ ad perfectum justitiæ actum requiruntur : cum enim cæteræ virtutes homines in se, et propter se perficiant, justitia autem sit ad alterum, ut ait idem S. Thom., 2-2, q. 58, art. 2, peculiari modo ad justitiam pertinet, ut illa, dum cujusque jus constituit, a malo declinet et faciat bonum.

(116. Partes potentiales justitiæ, quibus veluti facultatibus aut organis actus suos justitia exercet, octo enumerantur a S. Thom., 2-2, q. 80, art. 1, nempe religio, pietas, observantia, veritas, gratia, vindicatio, liberalitas et amicitia, quibus additur affabilitas, et istæ fere omnes assignantur etiam a Cicerone, lib. II *De inventione.*

(117. *Religio* est virtus moralis inclinans ad debitum cultum Deo tanquam primo rerum principio in agnitionem supremæ ipsius potestatis et excellentiæ exhibendum. Et hic cultus exhibetur Deo, tum interius, *devotione* scilicet et *oratione*, tum exterius, *adoratione scilicet, sacrificio, voto*, etc. *Pietas* est virtus, qua debitus honor, officium ac obsequium deferimus iis, qui post Deum sunt præcipui nostræ vitæ et educationis auctores, uti sunt parentes, et alii consanguinei, ac patria, quorum meritis paria referre non possumus. Sumitur etiam pietas apud Christianos pro *devotione*, id est pro fervore actus circa ea quæ sunt cultus divini. *Observantia* est virtus, qua debitum honorem, officium ac obsequium deferimus superioribus nostris ac majoribus ætate, sapientia ac dignitate; ad hanc reducitur *obedientia*, quæ quatenus est specialis virtus, ideo aliquid facit, quia præceptum est. *Veritas*, seu *veracitas*, est virtus moralis, qua nos proximis tales dictis et factis exhibemus, quales reipsa sumus, nihil enuntiando, aut aliter fingendo, quam sit, vel fuerit, vel futurum sit. *Gratia* et *gratitudo* est virtus quæ respicit debitum ex beneficio natum. Unde inclinat ad beneficium beneficio compensandum, extenditque se ad omnes, a quibus aliquod beneficium accepimus, ut ad Deum, parentes superiores et homines privatos. *Vindicatio* est virtus, per quam vim et contumeliam defendendo, aut ulciscendo propulsamus a nobis, et aliis, et per quam peccata punimus; quæ tamen non est licita, nisi iis qui aliis præsunt ad justitiæ conservationem. *Liberalitas* est virtus, quæ circa pecunias dandas et accipiendas mediocritatem tuetur, et consequenter inclinat ad eas elargiendas et condonandas secundum rectam rationem. *Amicitia* est virtus, qua aliqui mutuam apertamque inter se benevolentiam gerunt, seque invicem bonis afficiunt honestatis gratia, et non solum jucundidatis aut utilitatis causa. *Affabilitas* est virtus, qua quis in convictu, et vitæ con-

Digitized by Google

suetudine facilem, et gratum se, ut decet, exhibere studet.

(118. Vitia opposita virtuti justitiæ generatim sunt omnes *injustitiæ*, quibus violatur tum justitia distributiva, tum justitia commutativa, tam per excessum quam per defectum. Et quidem violatur justitia distributiva *per excessum*, cum princeps, v. g. seu superior tenui cuidam et modicæ virtutis viro plus gloriæ, vel honoris, aut mercedis tribuit, quam deceat; *per defectum* autem, si minus tribuat quam deceat virum eximiæ virtutis et meriti. Item violatur justitia commutativa *per excessum*, cum v. g. charius aliquid emitur et venditur, vel cum in mutuo præter sortem principalem aliquid datur aut accipitur; *per defectum* vero, si minus solvatur vel reddatur, quam emptum aut mutuo acceptum fuerit.

(119. Et ita pariformiter descendendo ad partes potentiales virtutis justitiæ, in specie opponuntur ipsis sua specifica vitia, nempe *religioni* irreligiositas et superstitio; *pietati* improbitas ac impietas; *observantiæ ac obedientiæ* in observantia ac inobedientia; *veritati* mendacium; *gratiæ*, seu *gratitudini* ingratitudo; *vindicationi* nimia clementia, seu indiscreta lenitas; *liberalitati* avaritia et prodigalitas; *amicitiæ* inimicitia; *affabilitati* adulatio per excessum, et morositas seu asperitas per defectum.

(120. Fortitudo ex Aristotele, l. III *Ethic.*, cap. 9, est *mediocritas inter audaciam et timorem constituta.* Unde recte definitur, quod sit virtus moderatrix audaciæ et timoris in periculis, ubi et quando ratio præcipit adeundis, aut adversis rebus sustinendis. Ita in re communis.

(121. Ex qua definitione, ut vides, duo sunt actus præcipui *fortitudinis*, nempe *aggredi*, seu pericula adire et *sustinere*, seu res quaslibet adversas constanter tolerare, cum id honestum ac conveniens ex recta ratione videtur. Unde fortitudo velut in duas secatur partes subjectivas, nempe in *magnanimitatem et patientiam. Magnanimitas* est virtus ad omne arduum aggrediendum ex motivo propriæ honestatis inclinans. *Patientia* est virtus, quæ in adversis rebus ex præscripto rectæ rationis animi mœrorem temperat, ac mala præsentia æquanimiter tolerat.

(122. Partes fortitudinis integrantes, quæ et potentiales quoque appellari possunt, sunt præsertim fiducia, magnificentia et perseverantia. *Fiducia*, seu *confidentia* est virtus, qua quis rationabiliter confidit posse se arduissima ac difficillima, ubi et quando decet, aggredi seu tolerare. *Magnificentia* est virtus reddens hominem promptum ad faciendos magnos sumptus, ubi et quando recta ratio id expedire judicat, contiuetque in se pecuniæ contemptum, seu vilipensionem. *Perseverantia* seu *constantia*, est virtus, per quam non obstante temporis diuturnitate, rerum ac circumstantiarum difficultate, ac molestia, homo persistit in bono opere, quandiu recta ratio dictat.

(123. Vitia opposita fortitudini sunt temeritas seu audacia et timiditas, seu ignavia, *Temeritas* quidem, seu *audacia* per excessum, *timiditas* autem seu *ignavia* per defectum.

(124. *Temeritas* seu *audacia* est vitium, quo per excessum fiduciæ quis aggreditur pericula quando, ubi et quomodo secundum rectam rationem non oportet; *timiditas*, seu *ignavia*, econtra est vitium, quo per defectum fiduciæ quis nihil audet ubi, quando et quomodo aggredi vel sustinere secundum rectam rationem oportet.

(125. Magnanimitati opponitur per excessum præsumptio, qua homo ex nimia virium confidentia aggreditur quod est supra vires, et *ambitio*, quæ consistit in nimia honoris appetentia : per defectum autem opponitur ei *pusillanimitas*, quæ consistit in fuga magnorum operum ex eo, quod quis nimis facile existimet se imparem esse talibus operibus. (126. Patientiæ opponitur per excessum *impatientia*, qua quis justum dolendi modum, quem patientia præscribit, excedit; per defectum autem ei opponitur *insensibilitas*, qua quis nec suis, nec proximorum malis tangitur.

(127. Fiduciæ, seu confidentiæ opponitur per excessum *audacia* seu *temeritas* ac *præsumptio*, et per defectum *timiditas* seu *ignavia*, ac *pusillanimitas*, uti dictum est *supra* n. 123 et 124 de vitiis oppositis ipsi fortitudini, et num. 125 de vitiis oppositis magnanimitati. (128. Magnificentiæ opponitur per excessum *profusio pecuniæ*, qua quis nimium auget sumptus, et longe majores facit expensas quam ratio dictet. Et per defectum opponitur ei *parvificentia*, qua quis ex animi angustia magno cœpto operi, v. g. magno palatio, magnificæ ecclesiæ non pares, seu decentes exhibet sumptus. (129. Perseverantiæ, seu constantiæ, opponitur per excessum *pertinacia*, qua aliquis in opere incœpto continuare vult, quando et ubi non oportet, vel plus quam oportet. Per defectum autem ei opponitur *mollities animi*, seu *inconstantia*, qua quis faciliter, et sine rationabili causa a bono incœpto absistit.

(130. Temperantia est virtus refrenans, ac moderans inordinatos appetitus, et concupiscentias, ac voluptates corporis, quibus præsertim gustus et tactus afficitur circa esculenta, poculenta et venerea. Sic in re communis.

(131. Partes subjectivæ, seu species temperantiæ proprie acceptæ, sunt abstinentia, sobrietas, castitas et pudicitia. *Abstinentia* est virtus moderans cupiditates et delectationes esculentorum. *Sobrietas* est virtus moderans cupiditates poculentorum, seu potus inebriare valentis. *Castitas* est virtus moderans inordinatum appetitum, usumque venereorum. Et hæc triplex est, nempe virginalis, vidualis et conjugalis. *Pudicitia* est virtus moderans appetitum circa aspectus, oscula, tactus, et similes actus immundicos ac venereos prævios ad actum principalem, et dicitur *pudicitia*, quatenus pudori, qui in usu illorum interveniro solet conformis exsistit; pudor enim est perturba-

Digitized by Google

tio animi de iis quæ dedecus inferre videntur.

(132. Partes potentiales temperantiæ sunt continentia, humilitas, mansuetudo, clementia, studiositas, modestia, eutrapelia seu urbanitas. *Continentia* est virtus, quæ continet hominem a rebus venereis, seu concupiscentiæ motibus ad intemperantiam provocantibus resistit. *Humilitas* est virtus, quæ hominem ad sui vilitatem ingenue profitendam inclinat ac temperat ejus inordinatum appetitum tendendi ad excelsa. *Mansuetudo* est virtus, quæ moderatur iram juxta rationis præscriptum. *Clementia* est virtus, quæ moderatur externam vindictam et punitionem, quantum ratio justitiæ patitur. *Studiositas* est virtus, quæ inordinatam sciendi cupiditatem temperat, ac intra legitimos fines cohibet. *Modestia* est virtus, quæ intra limites sui status ac conditionis debito modo se continet, tum in verbis, tum in factis, tum in vestibus, supellectilibus ac conviviis. *Eutrapelia*, seu *urbanitas* est virtus, quæ in recreationibus, ludis ac jocis honestis, atque ad animi et corporis refocillationem susceptis rectum rationis moderamen servat.

(133. Partes integrales, seu integrantes temperantiæ sunt *verecundia* et *honestas*. *Verecundia* sumpta prout ad præsens spectat, pro habitu seu actu virtuoso, est virtus a turpibus et inhonestis cupiditatibus retrahens. *Honestas* est virtus avertens operantem ab inhonestis voluptatibus, in escis, potibus et veneri inservientibus, et inclinans ad decorem in abstinentia eorum relucentem : *honestum* enim et *decorum*, hoc loco idem significant. Quo sensu eleganter ait Tullius lib. I *De offic.* : « Et quod decet, honestum est, et quod honestum est, decet. »

(134. Vitia opposita temperantiæ sunt stupor et intemperantia. Stupor quidem per defectum; intemperantia autem per excessum. *Stupor*, seu *insensibilitas*, est vitium, quo delectationes corporeæ etiam ad naturæ conservationem divinitus ordinatæ contra rectam rationem prætermittuntur, seu est vitium, quo quis fugit honores et voluptates, ut nolit eis uti quando, vel ubi, vel quantum secundum rectam rationem oportet. *Intemperantia* est vitium, quo quis in appetendis honoribus et voluptatibus excedit omnino dictamen rectæ rationis.

(135. Sic pariformiter aliis temperantiæ partibus opponuntur sua specialia vitia per excessum, nempe abstinentiæ *gula* seu *crapula* et *comessatio* ; sobrietati *gula* item et *ebrietas* ; castitati *luxuria* ; pudicitiæ *impudicitia* ; continentiæ *incontinentia* ; humilitati *superbia* ; mansuetudini *iracundia* ; clementiæ *crudelitas* ; studiositati *curiositas* ; modestiæ *immodestia* ; eutrapiliæ, seu urbanitati *scurrilitas* seu *inurbanitas* ; verecundiæ *inverecundia* ; honestati *impudentia*. Vitia autem eis opposita per defectum proprie nomina non sunt sortita, ut patet de *mansuetudine*, contra quam peccatur secundum defectum per iræ vacuitatem non increpando, non castigando et vindicando malum, ubi et sicut oportet ; et de *humilitate*, contra quam secundum defectum peccatur per nimiam abjectionem sui, et sic de aliis.

NOTA ROMANI THEOLOGI

ad num. 55 et seqq.

Explorata res est, ita hominem oportere proximum diligere, ut ei velit bonum spirituale in ordine ad vitam æternam. Tum quia proximum sicut nosmetipsos diligere tenemur (*Matth.* XXII, 37), nos vero in ordine ad æternam beatitudinem diligere debemus ; tum etiam, quia charitas virtus est ; virtus autem propter operationem ; ergo charitas erga proximum in actum exeat necesse est ; actus vero charitatis est velle bonum proximo conforme ipsius naturæ, quæ diligitur ; hujusmodi autem bonum vel beatitudo est, vel ad beatitudinem conducens : tum demum, quia charitate imitari Deum et Christum tenemur, ut habetur *Joannis* XIV, 22 : *Si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere.* Deus vero nos dilexit actu interiori et positivo ordinando nos ad beatitudinem, et media conferendo ad beatitudinem conducentia ; nos ergo interno actu proximum diligere debemus, optando illi æternam beatitudinem, et media procurando, quæ ad hanc proximum dirigant atque perducant. Age vero : nomine proximi veniunt etiam inimici ; ii enim creaturæ rationales sunt, et æternæ beatitudinis capaces ; et ne viderentur ab hoc præcepto exclusi, Christus Dominus ait : *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth.* V, 44) : ergo in inimicos quoque charitatem exercere tenemur, et signa illa benevolentiæ præbere, quæ ab inimicitia et peccato illos retrahant, et ad æternam felicitatem dirigere et conducere valeant. Hæc vero palam faciunt : 1° Negari inimicis non posse communia benevolentiæ signa, si hæc negatio odium et inimicitiam foveat : nam tunc ruinæ spiritualis occasionem præ se fert ; et non solum non exhibet media ad æternam beatitudinem conferentia, sed retrahit hominem ab hoc bono, et ad perditionem ducit. Itaque abstinere non possumus ab hac benevolentiæ demonstratione, vel metu alicujus injuriæ vel timore alicujus boni temporarii jacturæ, ut est manifestum, sed prudentia utendum est, qua ita benevolentiæ signa in inimicos exercere possumus, ut non solum hos ad injuriam et ad damna inferenda non moveant ; sed potius ad exstinguendum odium, obtinendum benevolentiam, et sinceram reconciliationem conferant. 2° In prælatis, in superioribus, in parentibus ac in viris gravi auctoritate pollentibus omissionem communium benevolentiæ signorum, quæ correctionis et emendationis causa fiat, esse potius exercitium charitatis. Nam charitatem ostendimus in iis, quæ homines a vitiis retrahant et peccatis, et ad veram ad Deum conver-

Digitized by Google

sionem eosdem moveant et provocent. Hæc enim veluti *media habentur* ad æternam salutem conferentia; at in prælatis, etc., omissio significationis peculiaris benevolentiæ in iis, qui errarunt ac peccaverunt, confert ad retrahendos homines a peccato commisso, et ad istius detestationem per veram conversionem eosdem provocat; si ergo prudenter id fiat, tantum abest, ut dici queat negatio signorum charitatis, quin potius eam charitatis demonstrationem secum fert, quam exercere homines per correctionem debent. 3° Omittentes communia benevolentiæ signa correctionis causa, vel reprehendentes et objurgantes homines, qui vel in eos, vel in alios, peccaverint, curare omni studio debent, ut ostendant abstinere ab illis signis, vel objurgationem adhibere, quia bonum ac verum bonum peccantibus exoptant; hac enim unice via charitatem exercent. Atque hinc liquet nonnisi improprie dici abstinere tunc homines a communibus charitatis signis : signa enim charitatis ea tantum sunt, quæ nos velle proximo significent bonum spirituale in ordine ad beatitudinem; et vel ipsa omissio communium signorum id aliquando demonstrat, etc. 4° Etsi abstinere licite possumus ab aspectu et consortio inimici, ne odii in nobis augmento, aut nova in inimicos ira peccandi occasionem præbeamus; tamen ne dolor ex ejus præsentia in nobis augeatur, aut ne honor in nobis minuatur, abstinere a significatione charitatis non debemus; tum quia urget præceptum benefaciendi et diligendi inimicos; tum etiam quia charitativus aspectus, vel charitate conjunctum consortium apta sunt media ad inimicitiam tollendam, et procurandum bonum spirituale inimicis. Inimici enim vitæ nostræ, vel famæ aut fortunæ, non sunt exasperandi injuriis, sed emolliendi benefactis, inquit R. P. Jacobus Besombes, *De charitate*, cap. 8, qui rem ita ostendit : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*, ait Apostolus *ad Rom.* XII, 21. Amor Dei et Christi erga nos debet esse regula amoris nostri erga inimicos, eisque ista debemus. 1ª Qui est lacessitus, debet inimici conversionem et optare, et eam a Deo precibus postulare : optat enim Deus conversionem peccatoris : *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.* (*Ezech.* XXXIII, 11.) 2° Debet inimicum veniam petentem sponte, et benigne excipere, ut facit Christus : *Joan.* enim VI, 9, ait : *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras*, et *Matth.* XVIII, 22, alloquens Petrum, et nos omnes, inquit : *Non dico tibi, ut parcas usque septies, sed usque septuagies septies.* 3° Debet per se vel per alium offerre inimico reconciliationem, si speretur futurum, ut id ad ejus conversionem inserviat. Id enim præstat Deus erga peccatores, quos semper ad pœnitentiam hortatur, et quibus etiam pertinacissimis gratiam offert : *Ecce* inquit, *sto ad ostium, et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum; Apoc.* III, 20, et *Prov.* XVIII, 26, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* 4° Non potest negare reconciliationem inimico veniam petenti, nec communia amoris indicia, imo nec specialia, cum hinc nasceretur scandalum, vel obex poneretur, quo retardaretur conversio inimici. Atque hinc vide, num rite Ferraris asserat num. 58, non teneri Christianum hominem ne ad succurrendum quidem inimico in egestate posito, nec eumdem obvium factum salutare? Vide etiam, num ob temporarium incommodum, vel damnum, aut ob metum jacturæ honoris mundani, omittendum sit exercitium charitatis in proximum inimicum, vel neganda eidem reconciliatio? Hæc sane cum regula charitatis erga ipsos quoque inimicos usurpanda, conciliari nullo modo possunt : vide demum, num grave aut gravius incommodum, quod offensionem superet, causa sufficiens sit ad negandam inimico offenso reconciliationem externam? Hæc enim necessaria est ad removendum scandalum, ad placandam offensi iram et ad odium ex injuria in læso homine excitatum exstinguendum, atque ad necessariam animi reconciliationem. Neque verum est, non teneri hominem ad veniam petendam a læso si levis læsio fuerit. Nam si ob gravem læsionem, sub gravi culpa; sic ob levem, sub culpa veniali ad veniam petendam astringi is, qui læserit, debet.

RESPONSIO AUCTORIS.

Debuerat Romanus theologus videre et adnotare, quod ego n. 58 dico, per se loquendo, scilicet, specialia signa dilectionis *per se loquendo* non tenemur præstare inimicis ex præcepto charitatis, sed solum ex consilio. Item tenebatur adnotare, quæ ego n. 59, immediate sequenti subjungo, nempe; dicitur autem notanter *per se loquendo*, quia ob varias accidentarias circumstantias sæpius obligamur inimicis exhibere signa aliqua vel beneficia specialia charitatis, quæ ibi enumero, et signanter, « quando inimicus est in extrema vel gravi necessitate constitutus, tunc specialia beneficia charitatis sunt ei exhibenda, juxta exigentiam necessitatis : « videat igitur prudens et impartialis lector sub dictis n. 55, 57, 58 et 59, n. 68 ad 71, inclusive ibi tradita a me, et, qua par est, æquitate et justitia pronuntiet. Videatur, ad rem S. Thomas, 2-2, q. 25, art. 8, ubi sic expresse tradit : « Dilectio inimicorum tripliciter considerari potest; uno quidem modo, ut diligantur inimici, in quantum sunt inimici, et hoc est perversum, et charitati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, scilicet in universali, et sic dilectio inimicorum est de necessitate salutis, ut scilicet aliquis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos non excludat. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum, et istud non est

Digitized by Google

de necessitate dilectionis, seu charitatis absolute, quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter, est de necessitate charitatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundum præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret; sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc impleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis. » Et ibidem articulo 9 inter alia subdit : « Alia vere sunt beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere non est de necessitate præcepti, nisi secundum præparationem animi, ut scilicet subveniatur eis in articulo necessitatis, secundum illud *Prov.* xxv : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da illi potum.* » * *Vide* si libet alia S. doctoris testimonia de inimicorum dilectione apud Bancel in *Morali D. Thomæ alphabetico ordine congesta*, verb. *Inimici.*

VIS.

Hæc quidem ad rem notanda veniunt.

(1. Vis, seu violentia est impetus majoris rei, cui resisti non potest, ut definitur, in leg. *Vis autem*, 2, ff. *Quod metus causa.* Glossa, verb. *Causa in cap. An audientiam h, De his quæ vi;* Glossa, verb. *Vim* in cap. 1, eodem in 6. Et explicatur, ut sit necessitas rei faciendæ, præter voluntatem nostram extorta, per text. in l. *Ait. Prætor* 11, ff. *Quod metus causa;* Raynaldus, lib. II, cap. 23, § 2, n. 1 et 2, cum pluribus ibi allegatis.

(2. Vis in genere alia est publica, alia privata; l. *Hocjure utimur*, ff. *De regul. jur.;* Ursaya, *Institut. crimin.* lib. II, titul. 7, n. 2; Raynald, *loc. cit.*, n. 6 et sequent. et alii passim. (3. Vis publica est, quæ fit cum armis. Privata vero, quæ fit sine armis; § *Item Lex Julia* 8, Institut. *De public. judic.;* Glossa 1, in cap. *Cum dilectus* 2, De ordin. cognition.; Antonius Matthæus, *De crimin.*, tit. *De vi publica et privat.*, cap. 1, n. 2; Raynald., *l c.*, n. 10; Ursaya, *l. c.*, n. 3.

(4. Vis publica variis modis committi solet. Primo, si quis domi suæ, sive in civitate, sive in villa, sive in agris, et vineis arma coegerit ad aliquod facinus perpetrandum; l. *Lege Julia* 1, ff. *ad Leg. Jul.*, De vi publica. (5. Secundo, si quis turbæ seditionisque faciendæ consilium inierit, et servos aut liberos homines in armis habuerit, armatosque congregaverit, textu expresso in leg. *In eadem causa* 3, ff. *Eadem*, et in leg. *Omnibus* 10, cod. *ad Leg. Jul.*, De vi public. (6. Tertio, si quis publice ad nocendum cum armis ambulaverit; leg. *In eadem causa* 3, § 1, ff. eod. (7. Quarto, si quis armatis hominibus, possessorem de domo, vel de agro, vel de navi dejecerit, concusserit, vel expugnaverit; cit. l. *In eadem causa*, § 6. (8. Quinto, si quis cœtu, concursu, turba, seditione incendium fecerit; seu in incendio causa rapiendi interfuerit, vel dominum prohibuerit res suas ab incendio servare; citat. leg. *In eadem causa*, § 5, et leg. *Qui cœtu* 5, ff. eod. (9. Sexto, si quis ædes vel villas alienas convocatione aut seditione expugnaverit, effregerit, et bona ibidem exsistentia rapuerit, citat. leg. *In eadem causa*, § 2, et leg. *His qui ædes* 11, ff. cod. (10. Septimo, si quis dolo malo fecerit, quominus judicia tuto exerceantur, aut judices, ut oportet, judicent, textu expresso in leg. *Qui dolo malo* 10, ff. eod. (11. Octavo, si quis convocatis hominibus vim fecerit, ut quis verberetur et pulsetur, quamvis non occidatur, textu expresso in citat. l. *Qui dolo malo*, § 1. (12. Nono, si quis violenter honestam mulierem, sive virginem, sive nuptam, sive viduam invitam rapuerit, asportaverit et adduxerit de loco ad locum causa libidinis, et animo eam carnaliter cognoscendi, l. *Qui cœtu* 5, § 2, ff. eodem, et leg. *Raptores* 5, cod. *De raptu virginum, seu viduarum.* (13. Decimo, si quis puerum, vel feminam, vel quemquam per vim stupraverit, textu expresso in cit. l. *In ead. causa*, § 4. (14 Undecimo, si quis per vim aliquem prohibuerit, vel econtra ad testandum aliquem invitum compulerit; si enim id cum armis fecerit, præter crimen falsi, tenebitur etiam ex leg. *Julia*, De vi publica; si vero sine armis, tenebitur ex leg. *Julia*, De vi privata, ut tradunt Farinac., quæst. 151, n. 5; Ursaya, *loco cit.*, n. 130, et alii passim. (15. Duodecimo, Si quis vineas et agros depopulaverit, sive de die, sive de nocte; is enim propter criminis atrocitatem, nec etiam gaudet immunitate ecclesiastica, cap. *Inter alia* 6, De immun. Eccles., et sanxerunt Gregor. XIV, constitut. incipient. *Cum alias*, et Benedictus XIII, constitut. incipient. *Ex quo.* Sic Antonius Matthæus, *De crimin.*, tit *De vi public. et privat.*; Brugiot., *Institut. crimin.*, lib. III, tit. 6 per tot.; Ursaya, *l. c.*, l. II, tit. 7, per tot., et alii passim.

(16. Vis privata etiam ipsa variis modis committi potest, et fere in omnibus illis casibus, in quibus publica committi solet, si sine armis committatur, ut tradunt in suis *Institut. crimin.* Brugiot., l. III, tit. 6; Zuff., lib. II, tit. 19; Ursaya, lib. II, tit. 7, a n. 134. (17. Si quis igitur convocatis hominibus, absque tamen armis, vim fecerit, ut quis verberetur aut pulsetur, quamvis non occidatur, adhuc erit reus criminis vis privatæ, textu expresso in leg. *Hac lege* 2, ff. *ad leg. Jul.* De vi privata. (18. Item si quis cœtum vel concursum fecerit quominus aliquis in jus producatur, textu expresso in l. *Legis Juliæ* 4, ff. eod. (19. Item si quis aliquem de agro, vinea aut villa sua, congregatis hominibus sine armis, dejecerit, textu expresso in leg. *Si quis aliquem* 5, ff.

Digitized by Google

eod. (20. Item si creditor sine auctoritate judicis absque armis, bona debitoris usurpaverit, textu expresso in leg. *Creditores* 7, et in leg. *Si creditor* 8, ff. eod. (21. Item si quis ex naufragio, dolo malo sine armis, aliquid rapuerit, textu expresso in l. *De vi privata* 1, § 1, ff. eod. (22. Item si qui improbe coeant in alienam litem, ut quidquid ex condemnatione in rem ipsius redactum fuerit, inter eos communicaretur, textu expresso in l. *Ex senatusconsulto* 6, ff. eod. (23. Vis in specie est quintuplex. Prima *expulsiva* cum quis a re immobili expellitur; secunda *ablativa* cum res mobilis cuipiam auferitur. Tertia *compulsiva*, cum quis rem suam alienare cogitur. Quarta *turbativa*, cum quis in possessione turbatur. Quinta *inquietativa*, cum duo vicissim prætendunt possidere, et alterum alter inquietat. Primæ duæ præscriptionem seu usucapionem secum non ferunt; trium autem posteriorum nulla obstat præscriptioni; § *Furtivæ*, in Addit. margin. Institut. *De usucapion.* Raynald., *l. c.* n. 11, testans de communi; Hieronymus Thomas in tract. *De vi impulsiva*, c. 1, § 1, et alii passim.

(24. Vis expulsiva parit interdictum *Unde vi* contra expellentem; leg. *Sequitur* 4, § *Si tu vi*, et ibi Glossa, verb. *Locum*, ff. *De usucapion.*, et Glossa 2, in cap. *Ad audientiam* 4, De his quæ vi. Hinc vi expulsus de possessione cum habeat interdictum *Unde vi*, perinde habetur ac si possideret quoad rem, et damna, et fructus, leg. *Si qui vi* 17, ff. *De usucapion.*, et ibi Glossa 1.

(25. Vis ablativa inducit actionem *vi bonorum raptorum*, l. *Prætor ait* 2, ff. *Ei bonorum raptorum*, Glossa in cap. *Ad audientiam* 4, verb. *Causa*, De his, quæ vi metusve causa fiunt.

(26. Vis compulsiva inducit actionem *Quod metus causa.* Glossa 2, in d. c. *Audientiam.* Vis enim compulsiva, et metus idem sunt, Glossa 1, in l. *Nihil consensus* 116, ff. *De regul. juris*

(27. Vis turbativa inducit interdictum *Uti possidetis* pro immobilibus; et *Unde vi*, ac *Utrubi* pro mobilibus, cum duo se possidere contendunt: Glossa 2, in cit. cap. *Ad audientiam*, et Glossa final. in leg. *Continet* 3, ff. *Quod metus causa.*

(28. Vis inquietativa inducit interdictum *Quod vi, aut clam.* cit Glossa 2, in d. c. *Ad audientiam*, et cit. Glossa fin. in dict. l. *Continet.*

(29. Vis publica regulariter pœna deportationis punitur textu expresso in § *Item lex Julia*, Institut. *De public. judiciis.* Et vis privata punitur pœna publicationis tertiæ partis bonorum, textu expresso etiam in dict. § *Item lex Julia.* Pro varietate autem casuum, in quibus committitur vis publica, variæ etiam sunt in utroque jure statutæ pœnæ, de quibus in verb. Pœna, a n. 213 ad 216. Vide *ibi.*

(30. Vim vi repellere licet statim, et sine intervallo. leg. *Ut vim* 3, et ibi Glossa 2, ff. *De just. et jur.*, leg. *Sed et partus* 12, § 1, ff. *Quod metus causa*, leg. *Prætor ait* 1, § *Vim* 1, ff. *De vi et vi armata*, cap. ultim. 12, De restitut. spoliator. cap. *Dilecto* 5, De sentent. excommunic. in 6, cum similibus; vim enim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt, leg. *Scientiam* 45, § *Qui cum aliter*, ff. Ad leg. *Aquil.*, cap. *Perpendimus* 23, et ibi Glossa 1. *De sentent. excommunic.*, can. *Jus naturale* 7, et ibi Glossa 1, dist. 1, can. *Summa* 7, et ibi Glossa 1, caus. 23, q. 1, cap. *Dilecto* 5, De sentent. excommunicat, in 6.

(31. Debet tamen vis, seu propulsatio fieri incontinenti, statim, ac sine intervallo, et cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad vindictam, sed ad defensionem; leg. *Scientiam* 45, § *Qui cum aliter*, ff. *Ad leg. Aquil.* l. 1, c. *Unde vi*, cap. *Interfecisti* 2, et cap. *Perfodiens* 3, De homicidio cum similibus. Unde si quis percussit aliquem, et recedat, non potest percussus licite insequi percussorem, quia tunc vellet injuriam ulcisci et non repellere eam, esseque potius vindicta, quam defensio, Glossa, verb. *Sæcularibus*, et Glossa final. in cit. cap. *Si perfodiens* 3, De homicid. et commun. doctor.

(32. Vim vi repellere licet etiam contra clericum cum moderamine inculpatæ tutelæ; cap. *Olim* 12, De restitut. spoliator., et ibi, Glossa final., cap. *Perpendimus* 23, De sentent. excomm., cum similibus.

(33. Vis et metus differunt inter se, quia metus refertur ad animum, et vis refertur ad corpus. Glossa in leg. *Si vi vel metu* 3, verb. *Si vi*, c. *De his, quæ vi metusve causa fiunt;* Rota recent. p. 1, decis. 643, n. 25. Vis tamen includit in se metum; unde quod vi fit, metu quoque fieri videtur. Gl. verb. *Causa* in c. *Ad audientiam* 4, De his quæ vi metusve causa fiunt.; Burat., dec. 86, n. 26 et seq.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(34. De vi tres potissimum leges latæ fuere, una Plautia et duæ Juliæ, Cæsaris altera, altera Augusti. Confer Sigon. *De judic.*, lib. II, cap. ultim.

(35. Duo legis Juliæ fuerunt summa capita, alterum de vi publica, alterum de vi privata. Definivit Justinianus vim publicam, quæ fit cum armis; privatam, quæ fit sine armis; § *Recuperandæ*, Instit. *De interdict.*

(36. At licet hæ definitiones ut plurimum procedant, non tamen semper, inspecta præsertim vi publica. Omnis utique vis armata publica est, quippe quia et sine armis respublica, publicave utilitas ita lædi queat, ut inde legis Juliæ de vi publica accusatio nascatur; consule Ant. Matthæum, *De crimin.*, lib. XLVIII, tit. 4, cap. 1, n. 2 et seq.

(37. Appellatione vero armorum hic veniunt non solum scuta, et gladii, et galeæ, sed et fustes, et lapides, et in genere quæcunque, quibus singuli homines nocere queunt. L. 9, l. 11, § 1, ff. *Ad leg. Jul.* De vi public., § *Recuperandæ*, Institut. *De interdict.*

(38. Armata dicitur vis, si armati quidem venerint ad dejiciendum de possessione, sed armis ad dejiciendum usi non sint, eo quod

Digitized by Google

sufficit terror armorum, ut videantur armis dejecisse; l. 3, § 5, ff. *De vi et vi armata.*

(39. De iis qui tenentur ex lege Julia, *De vi publica*, adi Sigon. *De judic. dict.*, cap. ultim., tum Antonium Matthæum *De crimin.*, lib. XLVIII, tit. 4, c. 1, n. 3.

(40. Pœna vis publicæ ex lege Julia est aquæ et ignis interdictio, in cujus locum successit deportatio; l. 1, § ultim., ff. *ad l. Juliam*, De vi public.; (41. atque adeo etiam bonorum publicatio, si non exstent conjunctæ personæ, quibus bona reservari jussit Justinianus, in Novella 134, cap. ultim.; (42. quin et aliquando ultimum supplicium, præsertim in humilioribus, si atrocior violentiæ species sit, vel ex vi allata cædes alicujus illata fuerit; l. 11, ff. *Ad leg. Jul.* De vi public., l. 6, c. eodem titul.

(43. Moribus vero hodiernis pœna vis publicæ arbitraria est pro modo et gravitate admissi criminis. *Vide* Grænevegen. ad § 8, Institut. *De public. judic.*

ADDITIO EX AUCTORE.

(44. Vis et metus distinguitur in gravem et levem, habito etiam respectu ad personam, cui infertur; Benedict. XIV, tom. II, constitut. 47 incipient. *Si datam.* Vim et metum inferentes, ut quis religionem ingrediatur, aut professionem emittat, ab ordinario puniendi sunt pœnis a concil. *Tridentin.* statutis; idem, *ibidem.* Vis et metus auctores, qui a reclamante, vel a testibus ab ipso inductis, indicati fuerint, citari debent in judicio super nullitate professionis; idem, *ib.* Vis et metus incussus ad cogendum aliquem, ut professionem regularem emittat, etiamsi perseveraverit per quinquennium, et ultra, non ideo tamen prorogatur quinquennium a concil. *Tridentin.* concessum ad reclamandum; idem, *ibid.* Attamen ex Apostolicæ Sedis æquitate inductum est remedium restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii, a sola tunc ipsa Sede Apostolica concedendum; idem, *ib*

(45. Vis et metus adhiberi non debet, ut Judæi in Christianorum regionibus asyli jure gaudentes, baptismum suscipiant; idem constitut. 28 incipient. *Postremo mense*, § 13 et 37. Si quis per vim et metum dicat se baptizatum fuisse, videndum an violenter cedendo consenserit, an vero dissentiens aqua baptismi ablutus fuerit. In primo enim casu valide baptizatus censebitur, secus in secundo. Idem, *ibidem*, § 49 et sequent. *Vide* tom. I, verb. BAPTISMUS, et tom. IV, verb. HEBRÆUS, ubi multa alia ad rem.

VISITARE, VISITATIO, VISITATOR.

Hanc gravem materiam præstat fusius evolvere.

(1. Visitare nihil aliud est quam excessus ac defectus inquirere, inventosque castigare, et convenientibus remediis emendare, atque observantiam obligationum juxta cujusvis personæ, ac rei exigentiam, ubi adhuc viget, conservare, et ubi deficit, in pristinum restituere. Barbosa, *De Offic. et potest. Episcop.*, part. III, allegat. 73, n. 1, et alii communiter per text. concil. *Tridentin.*, sess. XXIV *De reformat.*, cap. 5, ibi: « Visitationum autem istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cætera prout locus, tempus occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. »

(2. Visitandi jus et potestas competit omnibus prælatis ecclesiasticis, qui jurisdictionem ordinariam in aliquos habent; cap. *Romana* 1, § *Hanc*, De censibus in 6. (3. Unde post Romanum Pontificem, jus et potestatem visitandi habent legati a latere ex officio legationis sibi a Sede Apostolica demandatæ, cap. *Cum Apostolus*, De censibus. (4. Item legati Pontificii, qui non sunt a latere, sed dicuntur nati, quibus legatio Apostolica competit ratione dignitatis, in qua sunt constituti, cap. *Cum instantia*, cap. *Procurationes*, De censibus; Barbosa, *loco cit.*, n. 21, et alii. (5. Item legati Apostolici, qui missi, sive nuntii apostolici nuncupantur, si visitandi onus eis sit specialiter impositum; vel si urgens aliqua necessitas visitationem postulet; cit. cap. *Cum instantia*, et cit. cap. *Procurationes*, De censibus; Tuschus, *De visitation.* lib. I, cap. 2, n. 9; Barbosa, *loco cit.*, n. 21. (6. Item vicarius Summi Pontificis in territorio sibi injuncto; cap. penultim. *De offic. vicar.*; Tuschus, cit. lib. I, cap. 2, n. 4; Barbosa, *loco cit.*, n. 21, et alii. (7. Item cardinales in Ecclesiis suorum titulorum. Leo X, in constitut. incipient. *Supernæ*, edita in concil. *Lateranens.* V, sess. IX, cap. 2. *Vide* verb. CARDINALES, art. 4, n. 14.

(8. Patriarchæ, primates, archiepiscopi et episcopi jus ordinarium habent visitandi suas respective diœceses; cap. *Romana* 1, De censibus in 6, concil. *Tridentin.*, sess. XXIII, *De reformat.*, cap. 3, ita ut habeant intentionem fundatam quoad jus visitandi omnes Ecclesias cujusque suæ respectivæ diœcesis; cap. *Omnes basilicæ* 14, q. 7, cap. *Conquerente*, De offic. ordinarii, cit. cap. *Romana* 1, De censibus in 6, et Communis doctorum.

(9. Item vicarius capitularis, Sede vacante, id potest, sive per se, sive per alium. *Vide* verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 2, n. 11. (10. Item vicarius Apostolicus. *Vide* verb. VICARIUS APOSTOLICUS, n. 4. (11. Item vicarius collegiatæ exemptæ et nullius diœcesis. Rota recent., apud Farinac. part. I, dec. 346; Nicolius, in *Flosculis*, verb. *Visitatio ordinaria*, n. 3. *Vide* verb. VICARIUS CAPITULARIS, art. 1, n. 39.

(12. Item abbates, aliique prælati habentes proprium territorium, et qualitatem *Nullius*,

Digitized by Google

cap. *Romana* 1, § *Hanc*, De censibus in 6, cum similibus, et Communis doctorum. Item decani, archidiaconi, archipresbyteri plebani, et alii inferiores visitandi jus habent, si id longa consuetudine præscripserint; cap. *Super eo*, et cap. *Cum Apostolus*, De censibus: concil. *Tridentin.* sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 3, ibi: « Archidiaconi autem, decani, et alii inferiores in iis Ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem, assumpto notario, de consensu episcopi, deinceps per se ipsos tantum visitare. »

(13. Item capitulum, superstite adhuc episcopo, potest interdum ex præscriptione vel privilegio habere jus visitandi; et tunc visitatores a capitulo deputati debent esse approbati ab ordinario; concil. *Trident.*, cit. sess. XXIV, *De reformat.* cap. 3, ibi: « Visitatores etiam, a capitulo deputanei, ubi capitulum jus visitandi habet, prius ab episcopo approbentur. » Barbosa, *supra concilium*, *loco cit.*, n. 14, et cit. allegat. 73, n. 26, cum aliis ibi citatis, referens sic etiam decisum fuisse a sacra ejusdem Concilii congr.

(14. Dicti archidiaconi tamen, et alii inferiores visitationis a se factæ rationem reddere, et acta omnia exhibere episcopo infra mensem tenentur. Concil. *Trident.*, *loco cit.*, ibi: « Cui ipsi archidiaconi, vel alii inferiores visitationis factæ infra mensem rationem reddere, et depositiones testium, ac integra acta exhibere teneantur, non obstantibus quacunque consuetudine etiam immemorabili, atque exemptionibus, et privilegiis quibuscunque. » (15. Imo episcopus etiam per alium potest easdem Ecclesias seorsim ab his iterum visitare. Concil. *Tridentin.*, *loco cit.*, ibi: « Sed non ideo episcopus, vel eo impedito ejus visitator, easdem Ecclesias seorsim ab his visitare prohibeatur. » (16. At vero licet episcopus possit iterum visitare Ecclesias visitatas ab inferioribus, non potest tamen punire iterum punitos ab eis, neque ab illis absolutos cogere ad innocentiam suam demonstrandam; sic decisum fuisse refert Barbosa, *supra concil.*, *loco cit.*, n. 15. et Armendar. apud ipsum, *ibid.*

(17. Superiores generales ordinum regularium, provinciales et alii prælati, quibus est in alia inferiora monasteria prioratusve, legitima jurisdictio, habent jus visitandi monasteria, aliaque loca sibi subjecta; cap. *In singulis*, et cap. *Ea quæ de statu monachor.*; concil. *Tridentin.*, sess. XXI *De reformat.*, cap 8, et sess. XXV *De regularib.* cap. 20, et Commun. doctor. praxi quotidiana id demonstrante.

(18. Episcopi aliique superiores non solum possunt, sed etiam tenentur per se ipsos, aut si legitime fuerint impediti, per vicarios suos vel visitatores, qui presbyteri sint vel diaconi, singulis annis, aut si ob latitudinem fieri nequeat, saltem quolibet biennio, totam diœcesim et Ecclesias ejusdem visitare. *Communis*, claris juribus in can. *Decrevimus* 10, caus. 10, q. 1, ibi: « Decrevimus, ut annuis vicibus ab episcopo diœceses visitentur; » can. *Episcopum* 11, eadem caus. et q., ibi: « Episcopum singulis annis ire oportet, ut acquirat, etc. Quod si ipse, aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, presbyteros probabiles aut diaconos mittat, qui reditus basilicarum et ministrantium vitam inquirant. » Et concil. *Tridentin.*, sess. XXIV *De reformat.*, cap. 3, ibi: « Patriarchæ, primates, metropolitani et episcopi propriam diœcesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum vicarium generalem, aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se vel per visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. »

(19. Vicarius tamen generalis hoc jus visitandi non habet, nisi specialiter ei committat episcopus. Barbosa, supra concil. cit., sess. XXIV, cap. 3, n. 3, et cit. alleg. 73, n. 28, cum pluribus ibi citatis, et alii passim. *Vide* verb. VICARIUS GENERALIS, art. 3, n. 22.

(20. Metropolitani olim post plene visitatam propriam diœcesim, poterant etiam visitare diœceses suorum suffraganeorum, sed hodie hoc amplius non possunt, nisi ex causa cognita et probata in concilio provinciali, vel a sacra congregatione Concil. *Tridentin.*, cit. sess. XXIV, cap. 3, sacra congreg. Episcop., *in Cajacen. et Theanen.* 22 April. 1603; apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Visitatio ordinaria*, n. 2.

(21. Episcopus visitare potest toties, quoties opus fuerit, non solum ecclesias communes diœcesis, sed etiam capitula, et Ecclesias cathedrales, aliasque majores, et personas illarum. *Communis* per textum expressum concil. *Trident.*, sess. VI *De reform.*, cap. 4.

(22. Item tanquam Sedis Apostolicæ delegatus visitare potest omnes ecclesias sæculares exemptas, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præscriptis. *Communis*, textu expresso in conc. *Trid.*, sess. VII *De refor.*, cap. 8.

(23. Item potest visitare quascunque ecclesias sæculares intra fines suæ diœcesis exsistentes etiamsi ad regulares pertineant, et ab eis dependeant, dum tamen per sæculares eis deserviatur, et hoc vigore concilii *Trident.*, sess. VII *De reformat.*, cap. 8. Sic decisum fuisse referunt Armendar., *in add. ad recompil. leg. Navar.*, lib. I, tit. 6, *De visitat.*, lib. V, § 2, n. 3; Ventriglia, *Præx.*, part. II, annotat. 24, § 1, n. 7. Secus autem ecclesias regulares nullius diœcesis, ut ex Tridentino et decret. sacræ Congregationis ad longum probat Fagnan. et Matthæucc., *locis num. sequent. citandis.*

(24. Item potest episcopus vicinior tanquam Sedis Apostolicæ delegatus visitare ecclesias omnes sæculares nullius diœcesis quantumcunque exemptas, et Sedi Apostolicæ immediate subjectas, etiamsi in illis prælatus inferior habeat quasi episcopalem juris-

Digitized by Google

dictionem. Concil. *Tridentin.*, sess. XXIV *De refor.*, cap. 9; Barbosa, ad dict. cap. 9, n. 1 et 2, allegans Rotam decis. 896, part. 1 recent., et plurimos doctores, Ventrigl., *loc. cit.*, n. 9, et alii passim; non potest tamen visitare ecclesias regulares nullius diœcesis, ut ex *Trident.* et decret. sacr. Congregat. ad longum probat Fagnan., lib. III *Decretal.* in cap. *Nullus*. De parochiis, n. 33 et 37, et Matthæucci, *Official. cur.*, cap ult., n. 12 ad 14, et alii.

(25. Vicinior episcopus potest visitare beneficia sæcularia et clericos sæculares abbatiæ nullius diœcesis, ipsosque culpabiles repertos corrigere; et dicitur vicinior episcopus solum ille, cujus cathedralis Ecclesia sit abbatiæ proximior, non autem locus dictæ abbatiæ subjectus. Barbosa supra *Trid.* cit. sess. XXIV, cap. 9, num. 4, attestans sic decisum fuisse die 2 Augusti 1596.

(26. Episcopus vicinior, si sit legitime impeditus, potest ecclesias sæculares nullius diœcesis visitare per suum vicarium generalem. Sic decisum fuisse die 17 Januarii 1585, testatur Barbosa *loc. cit.*, n. 6.

(27. Si Ecclesia seu abbatia sæcularis nullius diœcesis sita sit in aliqua diœcesi, visitatio spectat ad ordinarium, in cujus diœcesi est Ecclesia nullius. Sic decisum fuisse refert Rota part. II recent., dec. 501, num. 5, apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 2.

(28. Episcopus, sive per seipsum, sive per alium delegatum visitare potest ecclesias, etiam non curatas, quæ reperiuntur erectæ in solo Lateranensi, ut clare patet ex responsione sacræ congregationis Concilii ad sequentia dubia proposita ab episcopo Mileti.

I. « An episcopus Miletensis tanquam delegatus Apostolicus possit subdelegare suum vicarium generalem, vel aliam dignitatem ecclesiasticam sibi benevisam in visitatione diœcesis, et præcipue ecclesiarum, quæ prætenduntur sitæ in solo Lateranensi? »

II. « An vicarius destinatus in dicta diœcesi Miletен. a reverendissimo capitulo basilicæ Lateranen. possit revidere visitationes factas ab episcopo, sive ejus delegato visitatore in dictis Ecclesiis? »

III. « An prædictus vicarius Lateranen. in dicta diœcesi Miletен. possit revidere computa, et visitare libros administrationis redituum societatum laicarum erectarum in iisdem ecclesiis, et an pro dict. computorum revisione possit recipere a dd. societatibus aliquod emolumentum seu mercedem? »

IV. « An vicarius destinatus in dict. diœcesi Miletен. a dict. reverendis. capitulo possit indicere concursum in occasione vacantiæ ecclesiarum parochialium, quæ prætenduntur sitæ in solo Lateranensi? »

V. « An episcopus Miletен. in præfatis ecclesiis intra fines suæ diœcesis, possit exercere suam jurisdictionem ordinariam quoad provisionem parochialium, aliorumque concernentium curam animarum et administrationem sacramentorum? »

VI. « An in alienationibus rerum earumdem ecclesiarum solemnitates requisitæ etiam in vim can. *Terrulas*, quæst. 2, adhiberi debeant per episcopum, vel per dictum vicarium destinatum a capitulo dictæ sacrosanctæ basilicæ Lateranen.? »

VII. « An in casu, quo prædictus vicarius destinatus a capitulo se ingereret in jurisdictionalibus et causis spectantibus ad episcopum Miletен. possit ab eodem coerceri, et puniri canonicis censuris, et pœnis? »

Quibus propositis, auditis partibus in plena congregatione 23 Aprilis 1701, responsum dedit: « Ad primum, posse visitare per se vel per alium etiam ecclesias sitas in solo Lateranensi ad formam sacri concilii; ad secundum *negative;* ad tertium *negative* ad utrumque; ad quartum negative; ad quintum, dilata; ad sextum spectare ad episcopum privative; ad septimum *affirmative.* »

(29. Super quibus reproposita causa 3 Maii 1702, eadem Congregatio respondit: « Ad 1, in decisis; ad 2, in decisis; ad 3, in decisis, quoad primam partem, præterquam quoad archiconfraternitates erectas auctoritate capituli, et quoad secundam in decisis; ad 4, in decisis; ad 5, quoad primam partem *affirmative*; ad 6, dilata; ad 7, in decisis. »

(30. Et iterum in eadem causa, et inter easdem partes propositis novis dubiis.

I. « An sine subdelegatione speciali subdelegatus ab episcopo ad visitandam diœcesim possit visitare Ecclesias, confraternitates et loca pia fundata in solo Lateranensi? »

II. « An dicta subdelegatio specialis debeat a subdelegato ostendi et inseri Actis visitationis? »

III. « An episcopus, vel ab eo delegatus teneatur declarare expresse se visitare jure delegato? »

IV. « An vicarius Lateranensis in visitatione, quam facit jure ordinario, possit petere, ut sibi ostendantur Acta visitationis factæ ab episcopo vel ejus delegato? »

V. « An Ecclesias parochiales fundatas in solo Lateranensi valeat episcopus visitare jure ordinario? »

Die 17 Novembr. 1703 sacr. Congr., etc., respondit:

« Ad 1, *negative*, et quoad confraternitates juxta resolutiones jam factas; ad 2, *affirmative;* ad 3, *affirmative;* ad 4, *affirmative*, non tamen auctoritative ad effectum corrigendi; ad 5, *negative.* »

(31. Visitatio abbatiæ sanctæ Mariæ de Perno sitæ in confinio diœces. Muranæ et Rapellen. æque principaliter unitæ Ecclesiæ Melphiensi spectat ad episcopum Melphiensem, ut patet ex responsione sacræ Congregationis concilii ad sequentia dubia relat. ab Ursaya, tom. III, part. I, disceptat. 33, a n. 45.

I. « An visitatio ecclesiæ sanctæ Mariæ de Perno spectet ad episcopum Melphien. vel potius ad episcopum Muranum? »

II. « An censuræ latæ per curiam episco-

Digitized by Google

palem Melphien. contra vicarium generalem Muranum sustineantur? »

III. « An declaratoria censurarum facta per vicarium generalem Muranum contra vicarium generalem Melphien. sustineatur? »

Die 16 Junii 1712, sacra congregatio Concilii respondit : « Ad primum, *affirmative* quoad primam partem, *negative* quoad secundam ; ad secundum, *affirmative*, et pro absolutione arbitrio metropolitani ; ad tertium, *negative*. »

(32. Visitare jure delegato potest episcopus Ecclesias unitas collegiis exemptis. Sac. congr. Concil., *in Bononien. Juris visitandi* 2 Octob. 1721. Sic refert Ursaya, in *Miscellan.* I, 1, *sac. et profan.* litt. V, n. 127.

(33. Visitare tamen non posse episcopum beneficia unita universitati Complutensi ob privilegia, quæ habet, decrevit sac. cong. Concil. die 22 Junii 1606, apud Aldan. in *Compend canonic. resolut.* lib. I, tit. 7, n. 10, et Barbosa, *Sum. apostolic. decis.*, verb. *Visitare, quando et quæ episcopus valeat*, n. 14.

(34. Visitare potest episcopus dignitatem exemptam in concernentibus curam animarum illi annexam. Sacr. congr. Concil., *in Burgen.* 18 Augusti 1628, apud Barbosam, *loco cit.*, n. 12.

(35. Item visitare potest omnes Ecclesias curatas monasteriis regularium unitas. Concil. *Trident.*, sess. VII *De reform.*, cap. 7, et sess XXV *De regularibus*, cap. 11. In iis enim, quæ spectant ad curam animarum sæcularium, tam ecclesiæ quam personæ regulares dictam exercentes subjacent jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, ut decisum fuisse sub die 4 et 6 Junii 1627, refert Barbosa, supra concil. sess. XXV *De regularibus*, cap. 11, n. 4 et 5, et novissime sacra congr. Concilii, *in Mediolanen.* 12 Novembris 1689, et congregatio particularis deputata ab Alexandro VIII, *in causa Hispalen.* 30 Januarii 1694, in respons. ad 6, et relata in congregatione generali 18 Augusti 1696, apud Monacell., part. I, tit. 5, formul. 2, n. 2.

(36. Dummodo tamen ecclesia parochialis non sit illius conventus, in quo generalis Ordinis habet residentiam ordinariam, quia ipsa gaudet exemptione a jurisdictione ordinarii. Concil. *Trident.* sess. XXV *De regularibus*, cap. 11, et sacra cong. Conc., *in Lauden. jurisdictionis* 1 Decembris 1691, in qua plene articulo discusso, et partibus informantibus fuit resolutum, constitutionem Gregorii XV, incipientem *Inscrutabili*, non derogasse privilegio cap. 11, sess. XXV *De regularibus*, favore generalium Ordinum concesso. Sic refert Monacell., part. I, tit. 6, formul. 20, n. 14, et sic alias censuit eadem sacra congreg., teste Ventriglia, part. I, adnotat. 48, § unico num., 91. Quamvis Barbosa, in *Summa apostolic. decision.*, verb. *Visitare ecclesias et loca regularium quando possit episcopus*, referat, ex Armendar. et Lezana, sacram congregat. Concilii censuisse, quod visitare possit episcopus, ex

decreto concilii sess. VII, cap. 6, *De reform.*, ecclesias parochiales unitas monasterio canonicorum regularium, tametsi generalis in eo sedem ordinariam principalem habeat.

(37. Episcopus visitando ecclesias curatas exemptas vel regularibus subjectas potest facere decreta in iis, quæ concernunt rectam administrationem et custodiam sacramentorum, et quatenus decreta discrepant ab illis, quæ fecerunt superiores exempti seu regulares, debent ordinationes episcopi prævalere et observari. Sac. congr. Concil., *in Veronen.* 10 Julii 1628, *in Mediolanen.* 12 Novembris 1689, et congregatio particularis deputata ab Alexandro VIII, in *causa Hispalen.* 30 Januarii 1694, in respons. ad 6, et relata in Congreg. generali 18 Augusti 1696.

(38. Quamvis episcopus possit visitare ecclesias parochiales monasteriis regularium unitas vel annexas, nequit tamen visitare domos ipsarum parochialium, in quibus non viget regularis observantia, sed in eis habitant soli parochi regulares ab eodem approbati, ut alias respondit sacr. Congreg. apud Fagnan., lib. I *Decretal.* in cap. *Grave gerimus*, 19, n. 16, *De officio ordinarii.*

(39. Nec episcopus potest visitare monasteria regularium eo prætextu, quod eorum superiores sint negligentes, ut respondit sacra congr. Concilii die 20 Februarii 1616, apud Piasec. *Prax.* part. II, cap. 3, art. 6, n. 32, ibi: « Sacr. congr. Cardinal. concil. Trid. interpretum censuit, non licere ordinariis locorum, monasteria regularium eo prætextu visitare et corrigere, quod illorum superiores admoniti intra sex menses illa non visitaverint vel correxerint, nisi eadem monasteria vel sub commenda exsistant, ex decreto cap. 8, sess. XXI, vel suorum ordinum capitibus non subsint, ac se in congregationes redigere neglexerint, juxta cap. 8, sess. XXV *De regularibus.* »

(40. Neque potest episcopus visitare capellas et altaria laicorum seu confraternitatum laicalium in Ecclesiis regularium erecta, ut resolvit sacr. congr. Concil., apud Fagnan., in cit. cap. *Grave gerimus*, n. 43, et expresse Pignatell, t. X, consult. 39, n. 9.

(41. Quamvis enim possit episcopus visitare confraternitates laicales erectas in ecclesiis regularium in iis, quæ respiciunt administrationem, et adimplementum onerum, ut pluries respondit, tum sacr. congr. Episc., tum sacr. congr. Conc., ut videri potest sub verb. CONFRATERNITATES, art. 3, n. 1 ; (42. tamen nullatenus visitare potest capellas et altaria in regularium ecclesiis per ipsas confraternitates laicales constructa, ut pluries declaravit dicta sacr. congreg., ut videri potest sub dict. verb. CONFRATERNITATES, a n. 2 ad 4.

(43. An autem et quando possit, vel non, episcopus visitare conventus regularium, sive antiquos suppressos, et iterum restitutos, sive nunquam suppressos, aut de novo erectos. *Vide* verb. CONVENTUS per tot., ubi abunde de omnibus.

Digitized by Google

(44. Episcopus visitare potest oratoria publica, quæ habent requisita Ecclesiæ, etiamsi sint de pertinentiis regularium; dummodo separata sint a claustris, et campestria. Sac. congr. Conc., *in Cæsenaten.* 23 Septembr. 1690, et *in Cortonen.* 20 Apr. 1697. *Vide* d. verb. CONVENTUS, sub n. 22, in respons. ad quintum dubium, et sub n. 1, in responsione ad primum.

(45. Episcopus visitare potest ecclesias parochiales Equitum Hierosolymitanorum, sed quoad ea tantum, quæ ad curam animarum et sacramentorum administrationem spectant. S. Pius V, constit. 136 incip. *Exposcit.* (46. At non posse episcopum visitare oratoria publica dictæ religionis Hierosolymitanæ, declaravit sacr. congr. Conc., *in Mantuana* 17 Junii 1690, ut refert et tenet Monacell., p. 1, t. V, formul. 2, n. 5 in fine. (47. An autem et quando possit episcopus visitare oratoria privata erecta ex privilegio Apostolico in domibus privatis nobilium personarum? *Vide* verb. ORATORIUM, a n. 25 ad 26.

(48. Episcopus visitare potest ecclesias parochiales subjectas capitulo Lateranensi. Sac. congr. Episcop., *in Aquilan. Terræ Arischiæ* 23 Junii 1690. Imo et quæ concernunt ornatum Ecclesiæ, sac. cong. Concil., *in Cæsenaten.* 23 Septemb. 1690, apud Monacell., *loco cit.*, n. 2 in fine.

(49. Episcopus potest visitare monasteria monialium regularibus subjectarum in iis, quæ pertinent ad clausuram, etiam inconsultis et irrequisitis earum superioribus regularibus. *Vide* verb. MONIALES, art. 3, n. 95.

(50. Quoad talem autem visitationem debet episcopus observare decreta sacræ congregationis Concilii hac de re edita et adducta sub dict. verb. MONIALES, n. 96, et insuper decreta sacræ cong. Episc. et Regul., quæ hic dantur, prout referuntur ab eminentis. Petra, tom. V *Comment. ad constit. Callisti III*, sect. 2, n. 143, vers. *Resolutio*, ibi: « Resolutio itidem novissima congregationis episcoporum et regularium fuit in Nucerina paganorum inter episcopum et moniales ordinis Prædicatorum monasterii exempti in dicta civitate exsistentis, et proposita fuerunt infrascripta dubia:

I. « An episcopus in concernentibus observantiam clausuræ, toties, quoties expedire judicaverit, possit visitare monasterium monialium Sanctæ Annæ subjectarum PP. ordinis Prædicatorum? »

II. « An possit visitare earum Ecclesiam, communicatorium, et crates confessarii quoad concernentia clausuram? »

III. « An possit visitare nedum crates et mœnia exteriora monasterii, sed etiam chorum, interiorem, dormitoria, cellas, aliaque loca pro clausuræ custodia? »

IV. « An possit indutus stola supra rocchettum et mozzettam solum cum suis convisitatoribus ingredi et visitare clausuram monialium absque interventu prioris, et alterius cujusvis religiosi? »

V. « An episcopus volens possit in actu visitationis habere sermonem spiritualem monialibus tam intra quam extra septa monasterii? »

VI. « An episcopo sit per priorissam tradenda notula nominum monialium, educandarum et ancillarum tempore visitationis? »

VII. « An possit episcopus occasione visitationis singulas moniales, et unamquamque separatim interrogare et examinare circa observantiam clausuræ? »

VIII. « An tam regulares, quibus subjectæ sunt moniales, quam etiam sæculares, teneantur ab episcopo obtinere licentiam alloquendi moniales? »

IX. « An possit episcopus insimul cum superiore regulari revidere computa, atque recognoscere statum œconomicum monasterii? »

X. « An censuræ sustineantur in casu, etc.? »

XI. « An constet de attentatis, et quomodo sint purganda? »

XII. « An et quomodo sit providendum quoad ingressum conversarum in locum ultimo loco defunctarum in casu, etc. »

Die 7 Julii 1724 sacr. congr. Episcop. et Regul. his dubiis respondit:

« Ad I usque ad X inclusive, *affirmative;* ad XI, *negative;* ad XII providebitur post revisionem status œconomici. »

(51. Prælati omnes sæculares episcopali, ac etiam cardinalatus dignitate prædíti nequeunt ingredi clausuram monialium etiam sibi subjectarum, nisi in casibus necessariis, uti est casus visitationis; et tunc comitati a paucis, iisque senioribus ac religiosis viris. *Vide* dict. verb. MONIALES, art. 3, n. 66.

(52. Si autem contrafecerint, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ pro prima vice; pro secunda vero contrahunt suspensionem a pontificali munere et a divinis; pro tertia autem vice, et deinceps, excommunicatione majori afficiuntur. Vide *ibidem*, n. 67.

(53. Unde non possunt episcopi secum ducere in clausuram ullos laicos, tanquam comites et socios. Vide, *ibid.*, n. 68 et 69.

(54. Nec possunt episcopi secum ducere in clausuram plus quam octo personas; alias incurrunt prædictas censuras. Vide, *ibid.*, n. 71.

(55. Absolutio tamen ab istis censuris non est Papæ reservata. Vide, *ibid.*, n. 72.

(56. Prælati regulares non possunt ingredi monasteria monialium pro visitatione locali, nisi semel tantum in anno, ita ut eo anno, quo unus ex dictis superioribus visitaverit, alius superior a visitatione hujusmodi se omnino abstineat. Vide, *ibidem*, n. 74.

(57. Prælatus regularis, si fuerit generalis, potest secum introducere duos socios sui ordinis; si fuerit alius a generali, potest introducere secum tantum unum socium sui ordinis. Vide, *ibidem*, n. 75.

(58. Nec ipse visitator, nec ejus socii pos-

Digitized by Google

sunt sumere intra clausuram ullam refectionem. Vide, *ibid.*, n. 76.

(59. Si superior regularis supradictis contrafecerit, ipso facto pœnam excommunicationis, et privationem omnium officiorum, quæ obtinet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ et passivæ absque alia declaratione incurrit. Et nihilominus nullis privilegiis et exemptionibus tueri se potest, quominus ab episcopo loci tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato quoties et quando opus fuerit, corrigi et puniri valeat. Vide, *ibid.*, n. 78.

(60. Episcopus visitare potest hospitalia. *Vide* verb. Hospitale, n. 33, et verb. Administratio, n. 2.

(61. Et potest exigere ab administratoribus rationes et computa, tam in visitatione quam extra, etiam per suum delegatum, non obstantibus qu buscunque privilegiis. Vide, *ibid.*, n. 34.

(62. Imo potest ordinarius visitare hospitalia, et ab eorum administratoribus rationes et computa exigere, non obstante, quod a testatore, et lege fundationis expresse excludatur. Vide, *ibid.*, n. 35, et verb. Administratio, n. 3-5.

(63. Item potest exigere rationem administrationis ab hospitalibus, quæ sunt sub immediata regum protectione. *Vide* dict. verb. Administratio, n. 12-14.

(64. Non potest tamen visitare dicta hospitalia, quæ sunt sub immediata regum protectione. Concil. *Trid.*, sess. xxii *De reform.*, cap. 8.

(65. Hospitale aliquod visitare volenti, si opponatur exceptio, quod sub immediata regum protectione exsistat, non ad sæcularem judicem, sed ad ipsum episcopum talis exceptionis cognitio et definitio pertinet. *Vide* dict. verb. Hospitale, n. 38.

(66. Ad hoc tamen ut dicta hospitalia sint immunia a visitatione episcopi, debent esse talia a primæva sua fundatione : nec sufficit, si hospitalia accipiantur ex post a rege sub sui immediata protectione. *Vide* d. verb. Administratio, n. 15-18, et dict. verb. Hospitale, n. 39.

(67. Episcopus visitare, corrigere et reformare potest hospitalia omnia, etiamsi privata sint laicorum, in casibus a jure concessis ; scilicet ob negligentiam vel ob dilapidationem bonorum, et ut testatoris voluntas servetur. *Vide* dict. verb. Hospitale, n. 40.

(68. Hospitalia privata potest episcopus visitare, corrigere et reformare in iis tantum, quæ ad observandam voluntatem testatorum pertinent, et exigere rationem ab administratoribus una cum illis deputatis, quibus ex consuetudine ratio reddenda est. Vide, *ibid.*, n. 41.

(69. Hospitalia etiam unita, in quibus ecclesiæ sunt, vel assidue divina officia celebrantur, et bona eorum non sunt distincta, visitari debent ab episcopo. Vide, *ibidem*, n. 42.

(70. Hospitalia, quamvis debeant visitari

ab episcopo ; non inde tamen prohibetur, quin et judices sæculares eadem visitare possint, si hoc eis alias legitime competit. Vide, *ibid.*, n. 43.

(71. Hospitalia administrata a fratribus S. Joannis Dei non sunt exempta a jurisdictione ordinarii, nisi solum quoad regularem observantiam. Vide, *ibid.*, n. 44.

(72. Episcopus visitare potest confraternitates laicorum, etiamsi essent erectæ in ecclesiis seu oratoriis fundatis et exstructis in solo et territorio religionis Hierosolymitanæ. *Vide* verb. Confraternitates, art. 3, n. 5.

(73. Episcopus visitare potest etiam confraternitates, quæ non a primæva sua fundatione sunt sub immediata regum protectione, sed solum ex post sub sui immediata protectione sunt a rege accepta. Vide, *ibid.*, a n. 6 ad 8.

(74. Administratores confraternitatum, sicut et aliorum piorum locorum, possunt compelli ab episcopo ad reddendam rationem administrationis, et ad portandum libros administrationis etiam ad palatium episcopale, si sint in loco residentiæ, seu alterius stationis et permanentiæ episcopi. Vide, *ibid.*, n. 9, et verb. Administrator, n. 20.

(75. Etiamsi tales administratores rationem administrationis aliis reddere solerent; adhuc vigore dispositionis concilii principaliter erit adhibendus episcopus. Sacr. congregat. Concilii, *in Conversanen.* 2 Martii 1697, et *in Melevitana* 20 Martii 1700

(76. Imo redditio rationis administrationis danda est episcopo etiam a confraternitatibus, aliisque locis piis, quæ sunt sub immediata regum protectione. *Vide* dict. verb. Confraternitates, a n. 1 ad 13.

(77. Episcopus in visitatione debet celeriter, quantum res postulat, se expedire et ad actus extraneos non se divertere, ne visitati graventur expensis ; sic pluries censuit sacr. congr. Concil. et signanter *in una Bojanen.* die 14 Decemb. 1654, in qua ad instantiam capituli collegiatæ Campi Bassi propositis sequentibus dubiis.

I. « An episcopus teneatur singulis annis visitare totam diœcesim? »

II. « Qualis debeat esse comitatus ejusdem episcopi visitantis, ad effectum præstationis victualium? »

III. « Per quod tempus in locis visitandis sint eis præstanda victualia? »

IV. « An obtinentes beneficia simplicia, seu capellanias in titulum, teneantur contribuere dictis victualibus? »

V. « An eisdem victualibus teneantur contribuere confraternitates laicorum? »

VI. « An episcopo accedente ad conferendum sacramentum confirmationis, teneantur universitates præstare victualia seu procurationem? »

Die 14 Decembris 1654 respondit.

« Ad 1, *affirmative*, et si legitime impeditus fuerit, per suum vicarium generalem, vel alium visitatorem idoneum debet visitare, ita ut saltem tota biennio visitatio absolvatur.

Digitized by Google

« Ad 2, episcopum debere esse contentum de moderato ac modesto equitatu, ac famulatu.

« Ad 3, per episcopum celeriter visitationem esse absolvendam, et ad actus extraneos non esse divertendum.

« Ad 4, obtinentes beneficia seu capellanias in titulum teneri pro rata contribuere.

« Ad 5, confraternitates visitatas teneri ad eamdem contributionem pro rata.

« Ad 6, non esse administranda victualia, nisi concurrat consuetudo legitime præscripta. » Lib. XIX, *Dec.* pag. 438.

(78. Qualis autem et quanta procuratio debeatur, et a quibus episcopo visitanti, seu aliis visitatoribus, *vide* verb. PROCURATIO per tot., ubi multa ad rem.

(79. Quibus adde quod a procuratione respectu visitationis Apostolicæ nemo est exemptus, licet in specie contribuere teneatur is, qui est in culpa. Sac. congr. Episcop., *in Ariminen.* 26 Julii 1576, *in Spalatren.* 3 Julii 1601. Unde tenetur etiam episcopus pro sua rata : Sacra cong. Episcop., *in Ferentina* 8 Novemb. 1581. Item commendatarii etiam cardinales. Ead. sac. congr. Episcop., *in Januen.* 21 August. 1582. Quamvis non esset expressum in brevi, eadem sacra congreg. Episcop., *in Licien.* 13 Augusti 1627. Item etiam Regulares possidentes bona stabilia in communi, *ibidem.* Maxime ratione parochiarum unitarum ; eadem sacra congr. Episcop., *in Ariminen.* 11 Martii 1579, et *in Placentina* 16 Maii ejusdem anni, et *in Cremonen.* 1 Martii 1580. Nisi haberent privilegium in specie pro hac causa, *ibid.* Sic apud Nicol. in *Floscul.*, verb. *Visitatio Apostolica*, n. 23.

(80. Si visitator Apostolicus sit episcopus, debet habere decem scuta monetæ pro qualibet die. Sac. cong. Episcop., *in Licien.* 13 Augusti 1627, apud eumdem, *loc. cit.*, n. 25.

(81. Antequam inchoetur visitatio, proponuntur edicta, in quibus episcopus debet denuntiare diem suum iis, quos visitare intendit. Non enim visitandos imparatos invadere debet, nisi justa aliqua causa aliud prudenter suadeat; tum quia id maxime expedit, ut sic parochus, seu rector ecclesiæ visitandæ possit populo denuntiare diem adventus episcopi visitatoris, ad hoc ut se præparent ad illum recipiendum. Joannes Andræas, in cap. *Cum sit Romana*, De Simon.; Fuscus, *De visitat.*, lib. I, cap. 4, n. 4; Barbosa, lib. I *Jur. eccles. univers.*, cap. 14, n. 36; Ventrigl., *Prax.* tom. II, adnotat. 24, § 1, n. 28, et alii passim.

(82. Non licet tamen episcopo visitationem aggredienti proponere edicta, quibus subditi jubeantur in virtute sanctæ obedientiæ crimina detegere, multoque minus proposita pœna excommunicationis, sed solum ad id enixe hortari. Sic resolutum fuisse a sacra congregatione refert ex aliis Barbosa, *De offic. et potest episcop.*, part. III, allegat. 75, n. 9, et supra concil. *Tridentin.*, sess. VI, *De reform.*, cap. 4, tom. X, ubi ex Aldano testatur id decisum fuisse sub die 31 Apr. 1593 et in *Summa*, verb. *Visitatio*, n. 4.

(83. Tempus incipiendæ visitationis non est a jure determinatum ; unde relinquitur arbitrio episcopi, qui potest eligere tempus loco magis proportionatum. Fusc., *De visitat.*, lib. I, cap. 2, n. 13; Ventriglia, *loc. cit.*, cap. 25, et alii.

(84. An autem visitatio generalis diœcesis præcedere debeat convocationem synodi, vel econtra ? *Vide* verb. SYNODUS, n. 15 et 16.

(85. A qua ecclesia sit inchoanda visitatio, remittitur arbitrio episcopi ; licet enim visitatio, ut plurimum, soleat inchoari ab ecclesia cathedrali, id tamen non est de præcepto, cum possit episcopus inchoare ab ecclesia, quæ sibi magis placuerit, reservatis juribus, et sine præjudicio aliarum ecclesiarum. Sic sacr. congr. Rit., *in Egitanien.* 10 Junii 1602, in respons. ad 2 dub. ut ex aliis refert Ventriglia, *loc. cit.*, n. 26 ; Barbosa, in *Summa*, verb. VISITATIO, n. 1; Monacell., tom. I, tit. 5, formul. 2, n. 26.

(86. Pro visitatione facienda eligi solent ab episcopo duo convisitatores satis experti, et in rebus ecclesiasticis versati, cap. *In singulis*, de statu monachor., et Extravagant. *Debent*, De offic. Ordinarii inter commun.

(87. Non est tamen necessaria talis electio, seu assumptio convisitatorum seu adjunctorum, sed tantum voluntaria, cum possit episcopus sine illis visitare etiam capitula cathedralium, et aliarum majorum ecclesiarum, ut deciditur in conc. *Trident.* sess. VI, *De reformat.*, cap. 4, ibi : « Per se ipsos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis; » et sic tenet Communis doctorum.

(88. Unde visitare potest episcopus sine adjunctis corpus ecclesiæ cathedralis, sacramenta, reliquias, vestes, ornamenta, cæteraque ad cultum divinum destinata. Item capellas, capellanias, dotationes, anniversariorum institutiones, memorias defunctorum, pia opera, et res, seu bona fabricæ, vel Ecclesiæ. Sic sac. congr. Conc., apud Barbosam, cit alleg. 73, n. 15, et in *Summa Apostolic. dec.*, verb. *Visitare quando, et quæ episcopus valeat*, n. 17 ; Armendar., lib. I, tit. 6, *De visitat.*, n. 123. Nec potest capitulum cathedralis se eximere ab hac visitatione prætextu exemptionis et præscriptionis immemorabilis. Sac. congr. Conc., *in Hispalen. Jurisdictionis* 4 Junii 1699, et 4 Maii 1690, apud Monacell., tom. I, tit 6, formul. 2, n. 27.

(89. Si episcopus visitare velit ex decreto sess. VI, cap. 4, *De reformat.*, debet id personaliter agere; secus si ex aliis concilii decretis, cum id per suum vicarium generalem aut visitatorem facere possit, si modo legitime impeditus fuerit, ut permissum est sess. XXIV, cap. 3, *De reformat.*, etiamsi de visitandis exemptis ageretur, cum dict. cap. 3, exemptiones tollat. Sic decisum fuisse a sacra congr. Concil. testantur Aldan., in *Compend. canonic. resolut.*, lib. I, tit. 7, n. 2; Barbosa, in *Summa, loc. cit.*, n. 18, et supra concil. sess. VI *De reformat.*, cap. 4, n. 4 et n. 17, ubi cum aliis videtur tenere, quod possit episcopus etiam per delegatum visitare capitulum cathedralis, et adducit decre-

Digitized by Google

tum sacra congr. Concilii *in Toletana*, ubi resolutum fuit, serenissimum cardinalem Infantem archiepiscopum Toletanum non teneri per propriam personam capitulum Ecclesiæ cathedralis visitare, sed id agere posse per coadministratorem.

(90. Si episcopus visitare velit totum capitulum, debet accedere ad locum ordinarium capituli, in quo solent capitulares congregari, et eorum actus expediri consueverunt, si id tamen commode fieri potest. Sin minus ad locum congruum et communem. Sed non tenetur accedere ad locum capituli, quoties prosequi velit visitationem alicujus personæ de capitulo; et si capitulum occasione visitationis convocare ipse voluerit, non potest extra locum solitum congregare. Sac. cong. Concilii, apud Barbosam, in *Summa Apostolic. decis.*, collectan. 717, n. 9.

(91. Visitatio personarum capitularium, quæ juxta canonicas sanctiones, utin *Decreto* cap. 4, sess. VI *De reformat.*, dicitur facienda, intelligitur juxta dispositionem juris communis citra punitionem et privationem. Sac. cong. Concilii, de qua Rota decis. 328, part. II, diversor. apud Barbosam, in *Summa*, verb. *Visitatio*, n. 9. (92. Unde in visitatione generali episcopus solus sine conjudicibus procedere potest contra canonicos, eisque pœnam imponere extraordinariam, quæ magis morum emendationem, quam correctionem respiciat. Sac. congr. *in Oriolen.* 27 Martii 1632, in resp. ad 4 dub., apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 11.

(93. Episcopus in visitatione tenetur prædicare verbum Dei, per se aut saltem per alios; alias, nisi legitima causa excusetur, ipsum peccare mortaliter, ex Cajetano, Genuensi, Gavanto abbate, et Piasecio firmat Monacell., tom. I, tit. 5, formul. 1, num. 51, adducens ad id text. in cap. *Placuit* 10, q. 1, et cap. 1, § *Sane*, De censibus in 6, et concludens, « quod quomodo se excusent coram Deo tot episcopi, qui nihil prorsus curant de hoc in visitando, ipse Deus scit. »

(94. Visitator, si in visitatione adinveniat altaria de jurepatronatus laicorum, non provisa de necessariis paramentis et supellectilibus, aut vetustate consumpta, fere collabentia, monere debet patronos, ut illa restaurent et ornent, ac onera eis adjuncta adimpleant infra brevem et competentem terminum, alias potest illa concedere alteri patrono, qui velit ea ornare, reparare, ac onera eis adjuncta adimplere. Sac. congr. Episcopor. et Regular., *in Mutinen.* 16 Januar. 1604. Sic referunt Barbosa, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Altaria*, n. 6, et lib. II *Juris eccles. univers.*, cap. 8, n. 18; Ventriglia, *Prax.*, tom. II, adnotat 24, § 1, n. 44; Matthæuc., *Official. curiæ*, cap. 55, § 1, n. 7, et alii.

(95. Si in visitatione adinveniantur reliquiæ antiquæ, quæ ob injuriam temporum, seu ob incuriam custodum careant suis authenticis, debet visitator permittere, ut habeantur in ea veneratione, qua hactenus fuerunt: sic voluisse sacram congregat. Conc. referunt Barbosa, in *Summa*, *verb. Reliquiæ sanctor.*, n. 3, et *De offic. et potest. episcop.*, part. III, alleg. 96, n. 11, et Ventriglia, *loc. cit.*, n. 38.

(96. Reliquiæ autem, quæ ex donatione proveniunt laicorum, quarum claves, vel unam ipsi retinent, et expensas pro earumdem ornatu subministrant, visitantur ab ordinario, quamvis retineantur, et custodiantur in ecclesiis Regularium. Sac. congr. Conc., *in Firmana* 5 Jun. 1700, apud Monacell., t. I, tit. 5, form. 2, n. 49.

(97. Visitator non potest recusari: orta enim dubitatione, « An episcopus visitans possit tanquam suspectus recusari? » sacra congreg. Concilii censuit non posse, nec cum generalem visitationem aggreditur, nec cum ad specialem descendit; si modo sine strepitu, et figura judicii procedens pœnas non imponat delictorum ordinarias, sed eas tantum, quæ morum correctionum respiciunt et modum corrigendi non excedat. Sic refert Fagnan., lib. I *Decretal.*, in cap. *Conquerente*, De officio ordinarii, num. 37. Et in terminis de visitatore regulari concil. *Trident.*, sess. XXV, *De regularibus*, cap. 20, sic expresse statuit: « Teneantur quicunque prædictorum ordinum monasteriis præsunt prædictos visitatores recipere, et illorum ordinationes exsequi. »

(98. Quod visitator, si sibi impediatur aditus ad visitandum, non possit frangere portas ecclesiæ, sed uti gladio spirituali censurarum, tenet expresse Monac., t. III, tit. 1, form. 39, n. 2, post Graffium, *Decis. aur.*, part. II, lib. V, cap. 27, num. 59, ubi sic præcise habet: « Visitator non debet frangere portas ecclesiarum, si sibi denegetur aditus ad faciendam visitationem. » Ita Innocent., in d. cap. 1 *De immunitat. Eccles.*: « Quia bona ecclesiarum sunt sancta sanctorum, et Domino consecrata, etc., et sic qui violentiam facit, sacrilegium committit: » dist. 12, q. 2, can. *Nulli liceat*, et canon. *Quicunque*, « sed potest uti gladio spirituali, id est excommunicatione vec interdicto; facit text. » in cap. *Dilecto*, De sentent. excommunicat. in 6, et ita defendere suam possessionem, hoc est visitationem. Ita not. per Innoc. et Hostiens., in cap. *Venerabili* 24, De censibus; Barbosa tamen, supra concil., sess. XXIV, *De regularibus*, cap. 11, num. 16; et *De officio et potest. episcop.*, part. III, allegat. 74, n. 22, et lib. I *Juris eccles. univers.*, cap. 43, n. 139; Tamburin. *De jur. abbatissar.*, disp. 17, q. 3, n. 4; Fuscus, *De visitat.*, lib. II, cap. 16, post. n. 1; Ciarlinus, *Controvers.* lib. cap. 65, n. 12. Ventriglia, *Praxi*, part. I, adnotat. 48, § *Unico*, n. 88, et alii volunt, quod renuentibus regularibus, vel aliis exemptis visitationem, et claudentibus ostium ecclesiæ vel monasterii, liceat episcopo vim inferre, et ostium frangere. *Vide* verb. MONIALES, art. 3, n. 90, in responsione ad 3 dubium.

(99. Impedientes visitatorem a munere visitationis excommunicationem ipso jure incurrunt, si moniti non resipiscant, textu expresso in Clementina *Attendentes* 2, De

Digitized by Google

statu monachor. in fine, ibi : « Si qui vero visitatores ipsos in præmissis impedire præsumpserint, seu aliquo præmissorum, nisi moniti resipiscant, ipso facto excommunicationis sententiam se noverint incursuros, privilegiis, statutis et consuetudinibus quibuslibet in contrarium minime valituris. »

(100. Quamvis hæc excommunicatio sit latæ sententiæ non tamen incurritur statim ac fuerit visitationi illatum impedimentum, sed requiritur, quod visitator prius moneat impedientes, ut desistant ab illato impedimento; quod si moniti non desistant, statim incurrunt, ut clare habetur ex verbis dictæ Clementinæ : « Nisi moniti resipiscant, etc. » Glossa in d. Clementina *Attendentes*, verb. *Impedire*; Navarr., in *Manual.* cap. 27, n. 140. Bonacina, *De censuris in particulari* disp. 3, q. 2, punct. 4, n. 4. Tambur., *De jure abbatissar.*, disp. 14, quæst. 8, num. 3; Pellizzarius, *De monialibus*, cap. 10, quæst. 11, n. 81; Monacell., t. III, tit. 4, adnot. ad excommunicat. 2, n. 3, qui dict. tom. III, tit. 1, formul. 39, n. 4, recte advertit, quod si impedientes canonice moniti nolint ab allato impedimento desistere, potest episcopus visitator ipsos excommunicatos publice denuntiare absque alia sententia, ut tradunt Glossa in cit. Clementin., verb. *Impedire*, et verb. *Ipso facto*; Barbos., *ibid.*, num. 6, et alii

(101. Commendatarii quamvis possint visitare monasteria sibi commendata in iis, quæ pertinent ad curam animarum et administrationem sacramentorum, ut censuit sacra congregat. Episcop., *in Senogallien. seu Nullius* 6 Augusti 1601, *et in una Cisterciensium* 17 Septembris ejusdem anni. (102. Non possunt tamen ea visitare quoad disciplinam regularem, ut respondit eadem sac. congr. Episcop. 2 Augusti 1647, apud Nicolium in *Flosculis*, verb. *Visitatio ordinaria*, sub. n. 4, et aperte habetur ex concilio *Trid.*, sess. XXI, *De regularibus*, cap. 20, ac expresse statutum est ab Innoc. X, constit. 62, luc. *Pastoralis*, et ab Alexandro VII, constitut. 6 incip. *Exponi*, ubi declaratum est quod obtinentes monasteria in commendam, etiamsi fuerint S. R. E. cardinales, nullam in monasteriis sibi commendatis quod ad eorum monachos jurisdictionem exercere possint; ibi, § 2 : « Tenore præsentium declaramus, decernimus ac statuimus non licere commendatariis priores, subpriores aut officiales claustrales instituere ac destituere, visitare monachos, eosdemque corrigere, nec facultates eisdem in litteris Apostolicis concessas et expressas, prout supra, ad ea, quæ institutum regulare concernunt, ac tenore prædictorum privilegiorum, et sacri concilii dispositione, monastico regimini relinquuntur, trahi posse ac debere. » Et similia etiam habentur in const. 32 ejusdem Alexandri VII incip. *Sacrosancti* edita favore monasteriorum Camaldulensium.

(103. Superiores regulares ordinarie non solent visitare ecclesias sui ordinis commendatas sæcularibus; nisi ibi habeant conventum formatum. Sacra congreg. Episcop. et Regular., *in Vintimilien.* 1 Septemb. 1620.

(104. Provincialis in actu non potest esse visitator extra suam provinciam. Sacra congregat. Episcop. et Regular. 28 Julii 1645.

(105. Visitator provinciæ a generali deputatus non potest substituere sine licentia sacræ congregationis. Ead. sacra congregatio Episcop. 1 Septembr. 1646, et 21 Octobris 1649, apud Nicol. in *Flosculis*, *loc. cit.*, n. 6, ubi, n. 7, (106. subjungit, quod superiores cujusque monasterii visitationem biduo debeant explere. Ead sac. Episcop., *in Januensi* 22 Novemb. 1604.

(107. Visitator in ordine Fratrum Minorum de Observantia, deputandus est a Patre generali totius Ordinis S. P. Francisci circa finem triennii provincialatus ministri provincialis cujusque respective provinciæ, ut eam diligenter possit visitare, et visitata diligenter provincia, capitulum possit celebrare, et hoc intra tempus trium, vel quatuor, et in latissimis provinciis, sex mensium. *Constit. Ordinis* c. 8, statut. 65; *Compend.* Sanctor., verb. *Visitator*, n. 5.

(108. Dicto visitatori legitime deputato resistentes, illumque impedientes, contradicendo, opponendo, recusando aut quovis modo rebellando, sunt ipso facto excommunicati excommunicatione Papæ reservata, officio privati, et voce activa et passiva in perpetuum destituti. Gregor. XIII, const. incip. *Quoniam nostro*, constit. ordinis cap. 8, statut. 67, conclus. 6, *Compend.* Sanctor., *loc. cit.*, n. 10.

(109. Dictus visitator non habet votum in electionibus, nisi specialiter a generali sit ipsi concessum; constit. ordin. cap. 8, statut. 67, conclus. 8, Sanctor., *loc. cit.* n. 11.

(110. Neque in electione capitulari habet in paritate votorum votum decisivum. *Vide* verb. *Electio*, artic. 4, n. 45. (111. Habet autem ipsum votum decisivum in electionibus, quæ fiunt a solo definitorio, si a generali sit deputatus præses. *Vide* d. verb. ELECTIO, art. 4, n. 46.

(112. Præfatus visitator non potest usurpare sibi sigilla majora provinciæ, nec mittere clericos ad ordines suscipiendos, neque recipere novitios, neque destinare prædicatores ad Quadragesimas seu Adventus, neque deputare confessores monasteriis monialium, neque distribuere spolia defunctorum Fratrum, quæ omnia ad ministrum provincialem pertinent. *Statut. general. capitul. septuagesimi primi pro familia Cismontana* cap. 2, n. 10.

(113. Nec visitare potest monasteria monialium, nisi ex aliqua rationabili causa fuerit ei specialiter et expresse concessum in patentibus litteris delegationis. *Statut. general. capituli* 75 *pro Cismontana familia* circa finem vers. *Commissarii visitatores.*

(114. Nec potest statuta provinciæ condere vel mutare sine capitulo, nec Fratres extra provinciam mittere, nisi ad generalem pro ejus negotiis. Nec in provincialem ministrum, aut qui alias simili officio functi

Digitized by Google

sunt, neque in Patres ordinis notabiliter animadvertere potest, nisi ex probata causa, et de consilio, et consensu majoris partis Patrum provinciæ, aut provincialis capituli, neque eos deponere aut privare, nisi generalis prius admoneatur, excepto casu gravis delicti, quod populo scandalum generet, et quod generalis distet per decem dies itineris, et tunc id solum poterit de consensu majoris partis Patrum provinciæ. *Constit. ordinis*, cap. 8, statut. 67, conclus. 7, *Compilat. statut.* Sambuc. cap. 8, § *De commissariis visitatoribus* circa finem; Sanctor., *loc., cit.*, n. 9.

(115. Dictus visitator non potest eligi in ministrum provincialem provinciæ, quam visitat, sive ipsemet præsideat, sive non: alias electio est nulla, et electores privationem vocis activæ, et passivæ incurrunt. *Statut. general. capituli* 79; *Statuta pro utraque familia*, n. 11.

(116. Visitatione incepta durat ejus auctoritas, et officium mortuo licet, vel amoto generali delegante. *Statut. general. capituli* 72 *pro tota familia* n. 11. Sanctor., *loc. cit.*, n. 14, arg. cap. *Si cui* 36, De præbend. *in* 6, cap. *Si super gratia* 9, De officio delegati in 6.

(117. Celebrato provinciali capitulo, debet visitator de provincia sibi credita egredi intra terminum 10 dierum, alioquin ejus spirat auctoritas, nisi aliter sit per specialem et expressam facultatem concessum. *Constit. ordinis*, cap. 8, statut. 66, conclus. 7, *Compilat. Statut.* Sambuc., *loc. cit.*, circa fin; Sanctor., *loc. cit.*, n. 9.

(118. Si contigerit mors visitatoris, capta officii possessione, provinciali competit regimen provinciæ usque ad novi visitatoris deputationem in iis tantum, quæ dilationem non patiuntur; unde visitare, processus formare de præteritis delictis, causas terminare, et similia facere non potest; *Statut. general. capituli* 75, *pro Ultramontana familia*, n. 33.

(119. Quæ autem dictus visitator in obeundo visitationis munere præstare et inquirere debeat? *Vide Compilat. Statut.* Sambuc. cap. 8, § ultim. per tot., ubi abunde de omnibus.

(120. Quoad ea quæ concernunt visitatores aliorum Regularium ordinum, quæque præstare, et inquirere debeant: attendendæ sunt propriæ cujusque religionis peculiares constitutiones.

(121. Quæ vero advertenda sint ab episcopis, ac visitatoribus in generali visitatione, adducuntur hic prout traduntur a Monacel., tom. I *in Appendice* in fine, et tom. IV *supplement. ad* I tom. post n. 267.

ADVERTENDA IN VISITATIONE.

Cancellarius

An scripturæ tam actorum civilium, quam criminalium integre, et distincte in locis, ac armariis aptis fideliter retineantur?

An retineatur liber bene compactus, in quo registrentur nomina, et cognomina illorum, qui professionem fidei ad formam constitutionis Pii IV, 89, emiserunt, et an in dicto actu adhibeantur testes cum expressione diei, et anni, prout adhibendi sunt?

An retineatur liber pariter bene compactus, in quo adnotentur, et registrentur supplices libelli, decreta et rescripta gratiosa, provisiones, et permissiones episcopales, in quibus non conficiuntur processus?

An retineatur liber bene compactus, et cartulatus in quo adnotentur ea omnia, quæ pertinent ad moniales?

An retineatur liber, in quo adnotentur ordinationes, generales et particulares, aliæve episcopi pontificales functiones?

An acta ordinandorum distincte, ac ordinate serventur, et custodiantur?

An adsit inventarium omnium scripturarum, et processuum?

An supradicti libri retinendi habeant in frontispicio seu titulo subscriptionem, et approbationem episcopi, vel vicarii generalis, et cancellarii illius temporis, quo fuerunt compacti, et a principio inscripti; prout illam continere deberent, ut illis major fides præstari possit?

Capitulum et canonici.

An Officium divinum, Missæ, et Horæ canonicæ in ecclesia et choro, statutis horis recitentur, et cæteræ functiones expleantur?

An cum veste talari, et habitu canonicali, devote, modeste, et attente, et cum silentio?

An punctatores fideliter officium exerceant, et juramentum præstiterint?

An capitulum determinata die convocetur, et a quo?

An resolutiones capitulares fiant per vota secreta, et in libro fideliter registrentur per capituli secretarium?

An officiales capituli singulis annis per vota secreta, eligantur, et in fine anni suæ administrationis rationem reddant, et de ratione reddita in libris capituli legitime appareat?

An adsit archivium scripturarum in quo inventarium bonorum omnium capituli custodiatur una cum cæteris scripturis ad usum pertinentibus?

An adsint statuta Ecclesiæ, seu constitutiones capituli, et an sint ab ordinariis vel a Sede Apostolica approbatæ?

An adsint distributiones quotidianæ?

An adsint præbendæ theologalis, et pœnitentialis?

An dignitates, et canonici sint ordine distincti?

An adsint mansionarii, et beneficiati, vel capellani servitio chori addicti?

An in choro adsint psalteria, antiphonaria, et cæteri libri necessarii?

An adsit tabella horaria?

An celebretur quotidie Missa conventualis pro benefactoribus?

An canonici inserviant per se ipsos, vel per substitutum?

An canonici sint promoti ad ordines sacros eorum præbendis annexos?

Digitized by Google

Parochus.

An retineat quinque libros parochiales bene compactos, videlicet status animarum, baptizatorum, matrimoniorum, confirmatorum, defunctorum?

An habeat archivium, in quo scripturas ad ecclesiam spectantes custodiat sub clavi?

An continuo resideat in parochia, vel potius frequenter ab ea discedat absque licentia?

An diebus Dominicis pueros, et puellas doceat doctrinam Christianam, et habeat sermonem ad populum, festa et jejunia denuntiet?

An diebus Dominicis, et festis de præcepto sacrificium pro populo applicet?

An testamenta parochianorum confecerit, et ubi, et quomodo illa retineat, et an ad cancellariam episcopalem, ut in publicam scripturam roleventur, transmiserit?

An retineat coadjutorem?

An admittat exteros, et vagos sacerdotes ad sacrum faciendum absque licentia curiæ episcopalis?

An publicet indulgentias absque approbatione episcopi, vel vicarii generalis?

An incidat arbores frugiferas, et infrugiferas in bonis Ecclesiæ, aut alia bona ejusdem distrahat absque beneplacito apostolico, vel episcopi?

An sacramenta ministret superpelliceo, stola, et veste talari indutus, et feriis diebus etiam non vocatus, confessionali de mane insideat?

An domi cohabitet cum mulieribus, et quæ sint?

An habeat sacram Bibliam, aliosque libros pertinentes ad suum officium?

An sacramenta, et sacramentalia sub seris et clavibus custodiat?

An visitet infirmos etiam non vocatus, eisque debito tempore sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et extremæ Unctionis ministret?

An in sua ecclesia, de mane, in meridie, et de sero detur cum campana signum *Salutationis angelicæ*, et prima hora noctis detur signum precum *De profundis?*

Vicarius foraneus.

An in morte parochorum inventarium rerum ecclesiæ conficiat, et scripturas omnes et libros parochiales ab hæredibus defuncti recuperare invigilet, testibus adhibitis?

An dispositiones, et legata relicta locorum piorum vicario generali communicet, ut exsecutioni mandentur?

An clericos, et sacerdotes scandalosos, vel indevote Missam celebrantes episcopo denuntiet?

An parochos, et alios curam exercentes desides, et eorum munia negligentes ad episcopum deferat, ut corrigantur?

An peccata publica, et scandala, quæ emergunt, pariter episcopo denuntiet?

An exigat pœnas contra facientes opera servilia sine licentia diebus festis?

An concedat licentias alloquendi moniales sine scriptis, et tempore divinorum Officiorum?

An concedat licentias parochis et curatis se absentandi a residentia?

An interponat decreta in contractibus minorum et mulierum?

Clericus.

An habeat penes se Testamentum Vetus, et Novum Latinum vulgatæ editionis, Concilium Tridentinum, Catechismum, Rituale, et Summam aliquam theologiæ moralis, et librum aliquem spiritualem?

An semper incedat cum veste clericali, rasura, et tonsura decenti, Missam audiat quotidie, ecclesiæ cui est ascriptus, saltem diebus festis inserviat, doctrinam Christianam doceat, et communionem frequentet, et sholam? Concil. *Trident.*, sess. XXIII, cap. 11, 13 et 14 *de Reformat.*

An aleis, aliisque ludis incumbat, aut venationi, spectaculis, et choreis intersit, et in profanis comœdiis fiat actor, et an cum mulieribus cohabitet, et quæ sint?

An implicet se negotiis sæcularibus, mercaturam exercendo, prædia, aut vectigalia laicorum conducendo, aut laicis pro factore, seu magistro domus inserviendo?

An habeat superpelliceum, et biretum mundum?

Presbyter.

An, et quos libros retineat, et studeat?

An, et quibus ludis det operam, aut venationibus?

An quotidie sacrum faciat?

An celebret, recitato Matutino cum Laudibus, cum paramentis integris et mundis?

An ante celebrationem Missæ tabacum sumat, et quoties in hebdomada confiteatur peccata, et ante Missam præparationem faciat?

An in civitate, et locis populosis celebret cum veste talari?

An quotidie recitet divinum Officium statutis horis, et in quo loco?

An habeat superpelliceum, et biretum decens proprium?

An interveniat processionibus, et aliis functionibus ecclesiasticis publicis locis, in quibus permanet?

An semper incedat cum veste talari in civitate, et locis parvis decenti cum corona, et tonsura capillorum?

An intersit, aut ducat choreas, in comœdiis fiat actor, et in comessationibus, et conviviis tempus insumat?

An cohabitet cum mulieribus, et quæ sint?

An implicet se negotiis sæcularibus, mercaturam exercendo, aut vectigata laicorum conducendo, aut negotia tanquam factor, et minister eorumdem laicorum agendo, vel procuram exercendo?

Si visitator in hac speciali clericorum visitatione adverteret illos veritatem non dicere, posset ab eis exigere juramentum

Digitized by Google

posteaquam eos audivit, ut dicit Graff., *Decis. aur.*, part. II, lib III, cap. 27, n. 6 et 63.

Regulares.

An adsint in numero sufficienti, et habeant qualitates præscriptas a Constitutionibus apostolicis?

An servent, et servari faciant ab eorum famulis dies festos, nec non censuras, et interdicta ab episcopali curia emanata?

An admittant in eorum ecclesiis presbyteros sæculares exteros ad celebrandas Missas absque episcopi, aut ejus vicarii licentia? S. congreg. Concilii, *in Neapolitana* 17 Augusti 1617.

An publice exponant sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sine licentia ordinarii?

An habeant conservatorem legitime electum ad formam Const. Gregorii XV?

An eleemosynas quærant, licet non indigeant?

An incedant per loca sine socio, et vadant de nocte?

An se ingerant in administratione bonorum spectantium ad societates laicorum in eorumdem ecclesiis erectas?

An sacramenta infirmis ministrent, inscio, aut parocho invito?

An celebrent Missas horis inconsuetis, vel sermones habeant in ecclesiis sine licentia episcopi, vel miracula prædicent non authentica?

An accedant ad monasteria monialium absque licentia præter formam præscriptam a decretis apostolicis?

Moniales.

An muri clausuræ habeant prospectum activum, vel passivum in domos, vel e domo sæcularium?

An mansiones confessarii monialium exemptarum sint penitus disjunctæ a monasterio?

An moniales scribant epistolas extra clausuram absque licentia abbatissæ?

An moniales utantur fenestrella, ubi audiuntur confessiones, ad colloquendum cum exteris?

An adsit in monasterio capsa communis, in qua deponantur omnes pecuniæ provenientes a monialibus particularibus?

An admittantur exteri ad colloquendum cum monialibus absque licentia in scriptis episcopi, vel vicarii generalis?

An introducantur in clausuram catuli, pueri, vel puellæ cujuscunque ætatis?

An recipiantur electæ, et deputatæ auscultatrices, rotariæ, et ostiariæ?

An retineantur ab abbatissa libri bene compacti, et cartulati, in quorum primo describantur dietim data, et accepta, introitus, exitus, quo possit legaliter in fine officii rationem reddere episcopo suæ administrationis; in altero per modum inventarii descripta sint bona stabilia, census, et credita monasterii cum indicatione rogituum instrumentorum; in tertio registrentur resolutiones capituli monialium, acceptationes puellarum ad habitum, et professiones cum expressione diei, mensis, et anni: quos libros, si inveniat visitator non retineri, omnino provideat?

An in monasterio adsit locus separatus pro educandis, et novitiis?

An omnes moniales sumant cibum in refectorio tempore mensæ, ex culina et ærario communi paratum?

An moniales parent cibos exteris, vel dona eisdem mittant, aut recipiant absque licentia et scientia abbatissæ et monasterii?

An admittantur Regulares ad celebrandum sacrificium in ecclesia absque licentia episcopi, seu vicarii generalis?

An omnes moniales saltem semel in mense confiteantur, et sumant Eucharistiam?

An omnes intersint choro ad recitandum hora debita divinum Officium, et orationibus, et aliis pietatis exercitiis communibus?

An omnes quotidie audiant sanctum sacrificium Missæ?

Quos libros retineant, et legant, et an tempore Missæ fiat lectio alicujus libri spiritualis, et servetur silentium?

Visitet dormitorium, seu cellas, et observet, an unaquæque monialis habeat lectum separatum?

An habitus monialium sit uniformis, et ad præscriptum Regulæ? Sac. cong. Episcopor. *in Cæsenaten.* 26 Septembris 1692.

Eremita.

An in ecclesiis civitatis, suburbiorum, vel diœcesis permaneat aliquis eremita absque approbatione episcopi?

An incedat in habitu a Constitutionibus apostolicis præscripto?

Hospitalia, et montes

An adsint erectiones, statuta, et an legitimæ, an honesta, et licita?

An infirmis subministrentur corporalia, et spiritualia?

Revideantur computa, et administrationes?

Confraternitates laicorum.

An sint legitime erectæ auctoritate apostolica, vel ordinaria, et habeant statuta approbata?

An bona, et eleemosynæ fideliter administrentur, et officiales a plena confratrum congregatione singulo anno eligantur per vota secreta, computa revideantur, et solidentur?

An habeant inventarium omnium, et singulorum bonorum, capellanum, et depositarium ab episcopo approbatos?

An retineant libros distinctos, in quorum primo resolutiones societatis legitime congregatæ registrentur; in secundo nomina, et cognomina confratrum; in tertio revisiones computorum, et sententiæ absolutoriæ, seu condemnatoriæ administratorum, et aliorum officialium societatis, necnon decreta visitationum?

Digitized by Google

An habeant archivium scripturarum?

An sint aggregatæ archiconfraternitatibus urbis, vel habeant alia indulta, et privilegia?

An confratres debitores societatis, bona, et introitus ejusdem administrent?

An bona stabilia societatis locentur absque prævio edicto, et ultra triennium?

An intersint processionibus publicis?

Seminarium.

An adsint deputati electi ad formam concilii?

An adsint magistri, et quot, et rector?

An alumni sint omnes civitatis, vel diœcesis, et omnes sint clerici, et pauperes?

An omnes alumni habeant requisita concilii?

An admissi præstiterint fidejussionem in actis curiæ, impensas victus reddituri quatenus ad statum laicalem redierint?

An reditus fideliter administrentur?

An adsint regulæ ab alumnis servandæ?

An alumni interveniant ecclesiæ cathedrali diebus festis ad formam concilii?

An incedant per urbem soli sine veste?

Ecclesia.

An ædificentur ecclesiæ, capellæ, oratoria publica absque licentia episcopi, et dote, et quæ jam ædificatæ fuere, sint collapsæ, et indigeant reparatione? Can. *Nemo Ecclesiam*, can. *Nullus presbyter*, dist. 1, De consecrat.

An altaria habeant in medio saltem lapidem sacrum debitæ latitudinis coopertum tela cerata, gradum ligneum, vel lapideum cum duobus candelabris, et cruce cum imagine Crucifixi? Can. *Si motum*, dist. 1, De consecrat.

An dicta altaria habeant icones integras decenter depictas cum imaginibus sacris ab episcopo benedictis?

An sint mensæ eorumdem altarium tectæ cum tribus mappis albis, et mundis, quarum superior ab utroque latere usque ad suppedaneum descendat?

An habeant suppedanea lignea cum repagulo, pulvinaribus, vel legili, et tabellas sacri convivii, lavabo, et *In principio*?

An altaria sint proportionatæ altitudinis, latitudinis, et longitudinis, muro undique pleno, et incrustato, ac signo crucis in facie munita cum pallio?

An muri, tectum, pavimentum, valvæ, campanæ, et campanile indigeant reparatione?

An in sacrario adsint supellectilia omnium colorum integra, et munda; an armaria, in quibus custodiantur; an calices, et patenæ deauratæ, an corporalia, pallæ, purificatoria, mantergia, bursæ, bireta, vela, missalia, omniaque decentia, et expolita? Can. *In sancta*, et can. *Vestimenta*, De consecrat., dist. 1.

An adsint sedilia, vel scamna, quæ sacerdotes celebrantes, aut functiones ecclesiasticas perturbent, et impediant?

An aqua lustralis sit in vase expolito, et renovetur singulo octavo die?

An adsit inventarium bonorum, et sacrarum supellectilium?

An pro sacrificio Missæ pelviculæ munoæ, ampullæ, campanulæ, manutergia, hostiæ albæ, et instrumenta pro illis, necnon particulis retundendis?

An sit libera, vel patronata?

An habeat portam habentem aditum immediatum in domum laicorum, quæ debet claudi, si inveniatur habere?

An campana, seu campanæ sint ab episcopo benedictæ?

Funus

An in funeribus adsint abusus, puta quod cadavera associentur sine cruce, sine lumine, et sine parocho, vel cum ululatu consanguineorum. Mulieres evellant sibi crines, aut aliquid agant gentilium more?

An cadavera defunctorum processionaliter ad ecclesiam ferantur ante ortum, vel post occasum solis absque licentia?

An tradantur sepulturæ ante lapsum temporis viginti ad minus horarum, postquam quem animam a corpore exhalasse pro certo habeatur; eos vero, qui repentina morte, ante lapsum 24 horarum?

An parochus aliive sepulturam denegent, aut differant prætextu non solutæ eleemosynæ, et an pauperes gratis sepeliantur? *Eccli.*, VII c. 7, *Rituat. Rom.* De exseq.

An in ecclesia parochiali adsit sepulcrum separatum pro parvulis decedentibus cum baptismo ante septennium, prout construi debet?

An in ecclesia cathedrali adsit sepulcrum separatum pro canonicis, et aliud pro clericis?

An cadavera infantium decedentium sine baptismo sepeliantur prope ecclesiam in loco non sacro ad id constituto?

An cœmeteria, quæ religiosa loca sunt, undique muro sint circumdata, et in medio signum crucis elevetur?

An sepulturæ constructæ et effossæ reperiantur subtus altaria, vel prope, et illarum ora suppedanea pertingant: hæ etenim obstruendæ omnino sunt, alias altaria interdicantur?

An in ecclesiis monialium sine licentia sacræ congregationis tumulentur cadavera laicorum, sive marium, sive mulierum? Si hoc enim fieret, interdicatur, dummodo non sint patroni ecclesiæ, qui in fundatione hoc jus sibi, et hæredibus reservassent, vel cum licentia sacræ congregationis, et monialium sepulcrum ab antiquo tempore haberent constructum?

An parochus præter quartam pro cadaveribus extra parochiam tumulandis aliquid aliud exigat ab hæredibus defuncti? Id enim vetitum est, non obstante contraria consuetudine? Sac. congreg. Episc., in *Civitatis Vetulæ* 2 Junii 1690, et sac. cong. Conc., in *Mantuana Januarii*, et 3 Aprilis 1694.

Hortentur sacerdotes, ut sibi ipsis decedentibus suffragiorum vicem retribuant.

Reliquiæ.

An decenter custodiantur in thecis saltem

Digitized by Google

ex ligno deaurato et cristallo, seu vitro integro contectis, cum suis inscriptionibus.

An retineantur in armario ornato loco fixo sub sera et clavi cum epigraphe : *Reliquiæ sanctorum.*

An adsit catalogus omnium reliquiarum, et an sint authenticæ, vel ignotæ, aut dubiæ fidei.

An asportentur ad infirmos. Si enim hoc fieret, prohibeatur.

An in illarum publica expositione accendantur lumina, et si subtus altaria sint deposita corpora integra sanctorum, an retineatur lampas accensa.

Indulgentiæ.

An publicentur absque licentia et approbatione episcopi.

An adsint brevia et concessiones authenticæ.

An fiant mercimonia et quæstus prætextu et occasione indulgentiarum.

Imagines sacræ.

An imagines sanctorum exponantur in ecclesiis adorandæ priusquam ab episcopo fuerint benedictæ et approbatæ.

An imagines sacræ sint depictæ in locis sordidis, aut locis irreverentiæ obnoxiis, an deformatæ et deturpatæ. Inde enim tollendæ sunt, vel restaurandæ, et, si fieri nequit, dealbandæ, leg. *Unica*, cod. *Nemin. lic. sign. Salvator.*, etc. Sac. cong. Episc., *in Veneta* 22 Maii 1696.

Signum crucis si in pavimento sculptum inveniatur, inde tollatur, ne pedibus conculcetur, l. 1, c. *Nemin. lic. sign. Salvator.*, etc.

An imagines Jesu Christi, beatæ Mariæ virginis, apostolorum, ac evangelistarum reperiantur depictæ, cum habitu, vel forma ab Ecclesia non usitata, vel cum habitu regularium. Si enim taliter depictæ inveniantur etiam in ecclesiis exemptis, debent deleri et reformari. *Urban. VIII*, in *Appendic.* 2, constitut. 51.

Baptismus.

An fons sit lapideus, vel ex alia materia solida cum cooperculo ex metallo sine rimulis, propeque adsit sacrarium.

An fonti affixum sit tabernaculum, seu ut appellant, ciborium saltem ligneum decore fabrefactum, in quo sit contignatio, ubi vascula argentea, seu stannea oleorum chrismatis, et catechumenorum reponantur cum suis inscriptionibus.

An ibi retineatur cochlear argenteum, seu saltem stanneum ad fundendam aquam in caput baptizandi, vas cum sale benedicto, et linteamina munda.

An ciborium decenti conopeo vestiatur, ne sordes superne decidant, et illud commaculent, et firmissima sera claudatur.

An obstetrices sint examinatæ et approbatæ.

An admittantur patrini minores 14 annis, et matrinæ minores 12, et an regulares, vel clerici in sacris constituti sine licentia,

Act. Eccl. Mediol., part. 1; *Synod. diœces.*, III, decr. 17.

An baptismus infantium protrahatur, et differatur ultra tres dies, et nomina ethnicorum imponantur. Clement. unic. *De baptism.*

An baptizati eodem die a parocho, vel alio, qui de ejus licentia, aut episcopi sacramentum ministravit, describantur in libro baptizatorum.

An hoc sacramentum extra casum necessitatis conferatur domi.

Confirmatio.

An in officio patrini admittantur non confirmati, vel ignorantes rudimenta fidei, an regulares, an in ordinibus sacris constituti.

An admittantur ad recipiendum hoc sacramentum minores septennio, qui non fuerunt instructi, ac adulti non confessi.

An qui fuerunt patrini in baptismo, admittantur, et fiant patrini ejusdem pueri in sacramento confirmationis.

An pueri vel puellæ ducantur ad recipiendum hoc sacramentum extra diœcesim.

Eucharistia.

An retineatur in tabernaculo affabre facto, et extra majori ex parte deaurato, et interius undequaque serico panno decentis coloris vestito; in pyxide argentea orbiculata et auro intus illita, cum suo cooperculo, et conopeo super corporali mundo.

An ostiolum tabernaculi sit firmissima sera et clavi argentea, aut deaurata clausum, quam parochus apud se diligenti custodia retineat.

An tabernaculum sit tectum decenti conopeo, et de illis provisum omnium colorum.

An particulæ consecratæ hieme saltem singulis quindecim, æstate octo diebus renoventur.

An ante altare tabernaculi diu, noctuque colluceat saltem una expolita lampas.

An in tabernaculo præter pyxidem, aliquid aliud quantumvis sacrum asservetur. Quod si fiat, removeatur. Cap. *Reliqui*, De custod. Euch.

An delatio Eucharistiæ ad infirmos fiat cum debita associatione luminum cum baldachino, seu umbella in locis parvis, pluviali, in civitate et oppidis nota dignis.

An mulieres accedant modeste ad sumendam sacram Eucharistiam, vel potius irreverenter, mammis et brachiis denudatis.

An non communicantes in Paschate moniti fuerint, et illorum nomina transmissa ad curiam episcopalem.

An, et quoties in anno fiant processiones cum delatione Eucharistiæ et expositione publica.

Pœnitentia.

An hoc sacramentum ministretur in ecclesia in sede confessionali cum superpelliceo et stola.

An sedes confessionales habeant crates saltem ligneas, seu potius laminas ferreas, spissis foraminibus terebratas, ac bene un-

Digitized by Google

dequaque hærentes, cum asserculo versatili, cujus objectu facies sacerdotis populo occultetur, nec non piam aliquam imaginem ex parte pœnitentis, et an sint in loco visibili.

An confessarii audiant confessiones extra sedem confessionalem, præsertim mulierum et puerorum e conspectu nulla interposita crate. Nam si talis abusus inveniretur, pœna suspensionis ab audiendis confessionibus esset puniendus.

An in sede confessionali sit affixa tabella casuum reservatorum, et summariorum bullæ in Cœna Domini.

An admittantur confessarii tam sæculares quam regulares exteri, et de aliena diœcesi ad audiendas confessiones sine episcopi licentia.

Oleum infirmorum.

An retineatur in ecclesia in fenestrella a cornu evangelii altaris majoris, intus panno serico obducta in vasculo argenteo, seu saltem stanneo, atque id in ampliori capsula lignea undequaque gossipio circumposito cum sera et clavi, inscripto supra ostiolum : *Oleum infirmorum.*

An parochus illud deferens ad infirmos sit indutus superpelliceo et stola ; an in serica bursa violacei coloris inclusum et cordulis item sericis collo appensa reverenter ferat.

An conferatur pueris usum rationis et malitiam peccandi non habentibus, furiosis lucido intervallo carentibus, et impœnitenter decedentibus. Cap. *Erga eum* 26, q. 7.

Matrimonium.

An parochi matrimonia denuntient, antequam semotis arbitris consensum mutuum contrahere volentium receperint.

An parochi antequam matrimonia denuntient, recognoscant, an contrahere volentes sint legitimæ ætatis, confirmati, in mysteriis fidei edocti, an consanguinei.

An sponsi, antequam matrimonium contrahant, invicem conversentur absque interventu parentum et consanguineorum.

An parochus saltem bis in anno in Missis parochialibus populo impedimenta matrimonii denuntiet.

An parochi exteros, vel eos qui a diœcesi diu fuerunt absentes, absque licentia episcopi in matrimonio conjungant.

An parochi dispensent unam vel alteram ex denuntiationibus faciendis, auctoritate propria absque permissione episcopi vel vicarii generalis.

An denuntiationes fiant semper diebus festis de præcepto interpolatis.

An parochus vel alter, qui, de ejus licentia vel episcopi, contrahentes matrimonio conjunxit, matrimonium describat in libro eadem die vel differat descriptionem.

An matrimonia contrahantur semper in ecclesia, vel aliquando domi sine licentia episcopi vel vicarii generalis.

An temporibus ab Ecclesia prohibitis absque episcopi licentia.

Missæ sacrificium.

An ad sacrum faciendum admittantur exteri absque litteris dimissoriis, seu commendatitiis recognitis, et approbatis ab episcopo vel ejus delegato.

An adsint in loco sacerdotes, qui indevote, propere et irreverenter sacrificium celebrent.

An sacrista, seu rector ecclesiæ permittat et admittat ad celebrandum presbyteros, qui coronam et vestem clericalem decentem, et ab edictis seu constitutionibus synodalibus præscriptam non deferunt.

An in Missis votivis fiant quæstus, et an sacerdos novellus admittat laicos ad altare ad osculum manus. Nam si iste abusus inveniatur, tolli debet, cum pacis instrumentum, seu crucem ad osculum exhibere debeat, et non manus, et oblationes, si quæ offerri contingat, hoc fiat in medio altaris, sacerdote populo obverso. Sac. cong. Concil., apud Zerol. in *Praxi*, verb. *Missa.*

An in celebratione Missarum sacerdotes utantur calicibus et patenis desauratis, planetis attritis et corrosis, albis et amictis immundis, cingulis fractis, corporalibus commaculatis, ac missalibus laceratis, vino acido vel mucido, et an parati sint urceoli mundi cum pelvicula saltem testacea.

An tabella onerum Missarum in qualibet ecclesia in sacristia appensa in loco patenti retineatur.

An in eadem sacristia retineantur libri, non folia, quæ vento rapiuntur, in quibus eadem die, qua celebratæ fuerunt, per eosmet sacerdotes adnotentur Missæ celebratæ ; et an servetur silentium, vel potius indecentia committatur.

Mandet quod sacerdotes exteri, ut vagi, qui cogniti non sunt, quoties cum licentia episcopi vel vicarii admissi fuerint ad sacrum faciendum, in libro scribant se tali die celebrasse, ad hoc, ut si forte falsos et fictos sacerdotes esse compertum fuerit, constare possit de corpore delicti per propriam confessionem.

Qui sint ministri et quæ personæ admittantur ad inserviendum Missis.

An celebrentur Missæ de mane ante auroram vel post meridiem.

Legata pia.

An in loco visitato præter onera, et legata Missarum adsint alia legata pia adimplenda.

An de illis habeatur et retineatur nota in cancellaria episcopali ac in libris ecclesiæ, seu alterius loci pii visitati.

An adimpleantur.

Doctrina Christiana.

An in cathedrali aliisve ecclesiis parochialibus reperiantur erectæ sodalitates doctrinæ Christianæ.

An adsint peccatores publici, puta concubinarii, sortilegi, usurarii, blasphemi, lamiæ, conjuges separati absque judicio Ecclesiæ, retinentes et legentes libros prohibitos absque licentia, evulgantes erro-

Digitized by Google

neas et falsas propositiones ac damnatas ab Ecclesia doctrinas.

Confessarii tam sæculares, quam regulares absolventes a reservatis absque episcopi expressa facultate, hæretici, aut de hæresi suspecti.

An in ecclesiis parochialibus, et aliis, in quibus sodalitates sunt erectæ, edoceantur pueri, et puellæ in his, quæ pertinent ad mysteria fidei et bonos mores.

Hæc, inquam, regulariter et substantialiter advertenda erunt in visitatione, quæ omitti non debent. Cæterum juxta locorum et Ecclesiarum qualitatem, et exigentiam arbitrio prudentis visitatoris, etiam alia plura erunt consideranda et providenda; quæ videri ad saturitatem possunt apud Fusch., Restam, Pac. Jord., Crispinum et alios, qui de visitatione absolutos tractatus ediderunt.

Omnia vero, quæ visitator ordinaverit, decreverit et adnotanda esse censuerit, per secretarium, sive notarium visitationis fideliter et integre in libro referenda erunt; quia libri hujusmodi plene probant, ut dixit Rota coram Dunoz. Jun., decis. 61, n. 8; Panimol., decis. 10, n. 12, et alii adducti per Romaguer, ad *Synod. Gerund.*, lib. I, tom. I, cap. 1, n. 6.

(122. Adduntur variæ novissimæ resolutiones sacræ congregationis Concilii ad visitationem pertinentes. Et signanter *in Bononien. Juris visitandi* 2 octobris 1721, in qua decisum fuit, quod potest archiepiscopus Bononiensis jure delegato visitare ecclesias unitas et annexas collegio Montalto.

In S. Marci Plurium 16 Januar. 1723, in cit. dub., ubi resolutum fuit, quod episcopus potest per seipsum visitare diœcesim Gaetannis, et etiam pluries infra annum, sed absque procuratione.

In Licien. Visitationis et Censurarum 29 Januar. 1724 et 23 Junii 1725, ubi quod episcopus jure delegato visitare potest ecclesiam ruralem seu campestrem S. Mariæ Galliani pertinentem ad monachos Olivetanos.

In Placentina 17 Augusti 1726, ubi quod episcopus jure delegato visitare potest ecclesiam campestrem S. Mariæ de Albiano Pontis Nurii spectantem ad Carmelitas calceatos. Et jam Alexander VII, constit. 4, incip. *Posito decreto*, approbaverat declarationes sacræ congregationis episcop. et regular. quod nempe visitationi et jurisdictioni ordinarii subsint Ecclesiæ conventuum et capellæ Granciarum, sive in eis degant conversi pro agrorum cultura, sive non.

In Montis Regalis 25 Martii 1727, ubi quod episcopus visitare potest capellam ruralem sub titulo B. M. V. ad Nives in sua diœcesi in finibus loci Morosii, spectantem ad monachos Carthusianos.

In Marcerat. 10 Maii 1727, ubi quod episcopus potest jure ordinario visitare confraternitatem sub invocatione S. Mariæ Misericordiæ in castro Urbisagliæ, quamvis ecclesia sita sit in solo basilicæ Lateranensis.

In Spoletana juris visitandi 30 Septem. 1730, ubi quod episcopus visitare potest capellam confraternitatis sanctissimæ Conceptionis in ecclesia PP. Minorum conventualium Terræ Montis Leonis, ad formam decreti in Nucerina Paganorum 23 Julii 1629.

In Ravennaten. Visitationis 7 April. 1731, ubi propositis tribus sequentibus dubiis:

I. « An capella et altare S. Antonii sita in ecclesia PP. Minorum de Observantia Ravennæ subsit visitationi reverendissimi archiepiscopi.

II. « An ornamenta, et supellectilia ejusdem altaris, et capellæ spectantia, ad eosdem Patres possint ab eo visitari.

III. « An ea spectantia ad Societatem S. Antonii, quæ in actu visitationis servantur in arca, aut in alio loco, visitare debeant in locis, in quibus asservantur; seu potius asportanda sint intra capellam præfatam, ibique visitari. »

Sacra congreg. Conc. die et anno quo supra respondit, « ad I *affirmative* ad formam Nucerinæ; ad II *negative*; ad III Posse visitari ubicunque serventur. »

In Murana Visitationis 21 Junii 1732, ubi ad 2 dub.: « An episcopus visitare possit altaria Sanctissimi Rosarii, et Sancti Francisci exsistentis in ecclesia PP. Minorum Conventualium oppidi S. Felicis, in casu, etc. Sacra congr. Concil. respondit ad II *affirmative*, ad formam resolutionis in *Nucerina paganorum*, et amplius. »

Quam *Decreti in Nucerina Paganor.* formam, quia fere semper secuta est sacra congregatio, et signanter *in Urbanien. Visitationis Capellæ* 23 Septembris 1690, ut in lib. XL *Decretor.*, p. 657, *in Firmana jurisdictionis* 4 Augusti 1714, ad 1 dub., ut in lib. XIV *Decretor.*, pag. 276 et pag. 303, *in Spoletana juris visitandi* 30 Sept. 1730, ut in libr. LXXX *Decret.*, pag. 290, et *in Ravennaten. Visitationis* 7 April. 1731, ut in lib. LXXXI *Decret.*, pag. 244, et in d. *Murana Visitationis* 21 Junii 1732, ideo pro regula affertur hic ad litteram.

In Nucerina Paganorum 23 Junii 1629. Sacra congregat. Concil. « inhærendo declarationibus alias factis, censuit, confraternitates laicorum, in ecclesiis regularium exemptorum institutas, subesse jurisdictioni, et visitationi episcopi, illasque ab eo visitari posse, nec non illarum capellas in eisdem ecclesiis regularium exsistentes; in his tamen, quæ confraternitatum administrationem respiciunt; et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare, et illius cultum, episcopum posse visitare circa ea quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris, seu capellæ, onera Missarum, atque divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia quæ ad obligationem eorumdem confratrum relationem habent, » ut in lib. XIV *Decretorum*, pag. 115.

Episcopi officio et auctoritate, sive in

Digitized by Google

visitatione, sive extra, provideri debet, quod Ecclesia, sive sæcularis, sive regularis consueta prius aliis aliquod speciale festum solemnizare, debeat in quasi possessione manuteneri privative quoad alias, quæ nequeunt tale festum eadem ipsa die celebrare, sed debent in aliam diem protrahere, maxime in parvis oppidis, ubi ratione contemporaneæ celebrationis in duplici ecclesia, exoriri solent æmulationes, contentiones ac mutuæ cum scandalo perturbationes, magis destructivæ, quam inductivæ populi devotionis, sicque cum in parvis locis unica ecclesia populi devotioni, ac pietati satisfacere possit, illa quæ posterius solemnitatem ac festum peragere cœpit, cedere debet alteri, quæ prius idipsum facere consuevit, ut per text. in leg. *Opus* 3, ff. *De oper. public.* firmat Spada consil. 233, sub num. 5, tom. III; Pignatell., t. III, consult. 69, sub n. 3; Nicol. in *Flosculis.*, verb. *Festum*, sub n. 3 et 5; Card. Petra, *ad constit.* 1 *Cœlestini III*, sub num. 23 et sequent., tom. II, Bichius, decis. 486, sub num. 3, Emerix junior, decis. 1158, sub num. 1, et ex eis statuit Rota *in nullius Putiniani Præminentiarum coram Crescentio* 7 Decemb. 1731, apud Scarfantonum ad Ceccoper. part. III in fine, decis. 14. Et sic decrevit etiam Sac. Rit. Congreg. *in Romana* 13 Junii 1697, et *in S. Severinæ festivitatis S. Crucis* die 2 Junii 1712, in qua proposito dubio : « An et in qua ecclesia Terræ Cutri sit celebranda festivitas S. Crucis sub die 3 Maii resolutum fuit : festivitatem die 3 Maii celebrandam esse solemniter a PP. Reformatis; die vero Dominica infra octavam posse celebrari a confratribus SS. Annuntiatæ; » apud Ursayam, tom. II, part. II, disceptat. 5, n. 44, et per tot., ubi ad rem plures adducit resolutiones sacræ Congregation. tum Concilii, tum Episcopor. et Regular., tum Sacr. Rit. tum Visitationis Apostolicæ, tum Rot. Romanæ, et sic etiam in d. tom. II, part. I, discept. 22 per tot. Notanter tamen dictum fuit : « Maxime in parvis oppidis, seu parvis locis; » quia in magnis civitatibus, in quibus cessante mutui impedimenti, ac perturbationis periculo ob distantiam ecclesiarum, et populi multitudinem, ac frequentiam, permitti solet contemporanea celebratio ejusdem Festivitatis in pluribus Ecclesiis juxta distinctionem, de qua eminentissimus Petra, tom. II *Commentar. ad Constit.* 1 *Cœlestini III*, sect. unic., sub num. 24, qui undequaque doctrina et virtute conspicuus, diebus ac meritis plenus, æternæ memoriæ dignus, perenniter regnaturus evolavit ad superos die 22 Martii anni 1747.

(123. Denique superest hic apponere quædam alia pro Minoribus de Observantia ad rem emanata a S. Congreg. Episc. et Regularium decreta.

Ordinis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci.

Ut in Seraphico Ordine Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia regularis disciplinæ vigor, et præsertim Religiosa Paupertas, uti par est, exacte custodiantur, abususque, si qui in nonnullis præfati Ordinis provinciis occasione visitationum earumdem provinciarum irrepserint, penitus in posterum eliminentur.

« Sacra congregatio eminentissimor. et reverendissimor. S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum et regularium præposita, referente Eminentissimo S. Clementis, provide consulere volens, statuit, atque decrevit; quoad provinciarum visitatores, et commissarios omnino observari Constitutionem Urbani VIII pro restituendo, et conservando in Ordine Fratrum, Minorum Sancti Francisci de Observantia disciplinæ regularis candore editam, aliasque apostolicas constitutiones, et statuta generalia ordinis a S. Sede apostolica approbata, et signanter, expresse mandavit, ne iidem visitatores, et commissarii, eorumque secretarii et socii sub quovis titulo, aut quæsito colore, vel prætextu, etiam accessus et recessus, neque pro se neque pro eorum conventibus, et provinciis, munera, sive contributiones, nec in pecunia, nec in re aliqua a provinciis, et conventibus visitatis, aut visitandis, seu communi nomine, sive proprio, et particulari religiosorum, accipiant, sed expensis tantummodo necessariis pro itinere, quæ modestiam, et paupertatem propriam ipsius Seraphici ordinis decent, contenti sint. Quod si judicio definitorii vestiario indigere videbuntur, illud etiam, non tamen in pecunia, sed in specie tantum, tam ipsis visitatoribus et commissariis, quam eorum sociis subministrari valeat, fiatque dictarum expensarum subministratio modis licitis, et juxta proprii ordinis institutum. Quæ omnia præcepit, et respective prohibuit sub pœna privationis vocis activæ, et passivæ aliisque in constitutionibus Clementis VIII et Urbani VIII, de largitione munerum, et in statutis ordinis constitutis, quacunque consuetudine in contrarium, quam corruptelam esse declaravit, et aliis quibuscunque non obstantibus. Voluit autem, quod præsens decretum tradatur Patri vicecommissario generali Cismontanæ familiæ, et procuratori generali familiæ Ultramontanæ, per ipsos ad suas respective provincias transmittendum, et in earumdem regestis describendum; et quod in quolibet capitulo provinciali ab ipsius capituli præsidente legatur sub pœnis supra expressis ipso facto incurrendis; quodque definitorium tam vetus, quam novum cujuscunque provinciæ transmittere debeat ad ministrum generalem, seu ad commissarium, aut vicecommissarium generalem juratam attestationem, omnia supradicta, quantum ad eorum notitiam pervenire potuit, fuisse adimpleta. Romæ 14 Novembris 1710.

G. Cardinalis Carpineus.

(124. Visitatio pastoralis et executio decretorum in ea editorum episcopis omnibus inculcatur. Benedictus XIV, tom. I, constitut. 2 incip. *Ubi primum* § 6, et constit. 140, incip. *Gravissimum* § 18

Digitized by Google

(125. In visitatione pastorali quænam visitare possit episcopus in ecclesiis parochialibus regularium declaravit idem in constitut. 109 incip. *Firmandis*, § 7. (126. Et quid cognoscere debeat circa vitam et mores parochi regularis. Idem, *ibid.*, § 8. *Vide* verb. EPISCOPUS et verb. REGULARES, ubi multa ad rem. Vid. *Addit. Casinens.*, v. REGULARES.

(127. Visitatio ecclesiarum cathedralium et diœcesum episcoporum suffraganeorum a metropolitano fieri non permittitur, nisi de mandato concilii provincialis. Idem constitut. 98 incip. *Inter plures*, § 18.

(128. Visitatio liminum apostolorum, a quibus, quando et quomodo fieri debeat. *Vide* verb. LIMINA APOSTOLORUM, ubi fusius actum est ad rem.

(129. Visitatio officiorum tabellionatuum, et actorum in Urbe indicitur, (130. et omnibus judicibus commendatur; Benedict. XIV, const. 48, *Ad militantis*, § 49. (131. Visitatorum facultates ad tramites juris, et litterarum Innoc. XII, editarum sub die 16 Jan. 1693 reducuntur. Idem, const. 44 incip. *Quantum*, § 20. Visitatores per civitates et diœceses sunt deputandi ad fovendum opus doctrinæ Christianæ. Idem, constit. 42 incip. *Etsi minime*, § 16.

(132. Visitatio diœcesis quotannis est peragenda, vel saltem quolibet biennio, si sit valde ampla: (133. Idem *De synodo diœcesana*, lib. II, cap. 9, n. 4. (134. Imo episcopus potest ipsam diœcesim visitare toties, quoties opus fuerit. Idem, *ib.* Vide *supra* n. 18 et 21. Unica tamen duntaxat debetur ei procuratio pro eodem anno quo pluries diœcesim visitat, ut declaravit sacra congregatio Conc., die 19 Septemb. 1682, quæ ad dubium: « An episcopus, qui, si commode fieri possit, diœcesim suam quotannis visitare tenetur, possit hujusmodi visitationem facere per mensem, vel circiter antequam labatur integer annus a die peractæ ultimæ visitationis, vel potius debeat exspectare, quod anni circulus integre compleatur, ita ut intra singuli cujuslibet anni cursum, una tantum visitatio fiat; » respondit, « *Affirmative*, sed non posse recipere procurationem, nec victualia, nisi semel in anno. » Et sic etiam *in Polycastr. Procurationis* die 1 Junii 1737, ubi ad quæsitum: « An episcopus non completo anno ab ultima visitatione, possit iterum eamdem ecclesiam visitare, et aliam procurationem, a visitandis exigere; » resp. « *affirmative* quoad primam partem, et *negative* quoad secundam. » V. *Addit. Casinens.*, infra.

(135. Procuratio autem exigenda in visitatione debet esse moderata et honesta.

(136. Idem, *ib.*, n. 5. Et vicarius capitularis, seu vicarius generalis, vel alius substitutus, qui non sit episcopus non potest exigere, nisi medietatem procurationis dari solitæ episcopo. Idem, *ib.*, et pluries decrevit sacr. congregatio. Vide verb. PROCURATIO n. 17 et 18, ubi afferuntur decreta et dicta superius n. 80 et per tot. Vid. *Addit. Casinenses* ibi.

(137. Advertendum est, quod in Guardien. exortis pluribus controversiis circa jurisdictionem, quam episcopus Guardiensis asserebat sibi competere in oppido Aquævivæ ad commendam sancti Primiani religionis Hierosolymitanæ, proposita et resoluta fuerunt plura dubia, ut sequitur:

I. An episcopus Guardien. in visitatione ecclesiæ S. Joannis oppidi Aquævivæ possit etiam visitare libros parochiales ad curam animarum et sacramentorum administrationem spectantes, scilicet baptizatorum, confirmatorum et defunctorum.

II. An dictus episcopus, uti Sedis apostolicæ delegatus corrigere possit parochum aliosque dictæ Ecclesiæ ministros tam in actu visitationis quam extra.

III. An possit, ut supra, inquirere contra dictos parochum et presbyterum non tantum in concernentibus curam animarum, et sacramentorum administrationem, sed etiam in aliis causis civilibus et criminalibus, et in omnibus circa morum correctionem civilibus, et mistis, et quatenus affirmative.

IV. An in casu impedimenti procedere possit cum censuris contra impedientes, tam commendatarium, quam ministros.

V. An possit mandare in actu visitationis, ut calices, et decentia paramenta ad decorem administrationis provideantur.

VI. An cognitio status liberi eorum, qui matrimonia contrahunt in dicto oppido, et litteras eis dare spectet ad episcopum.

VII. An facere testamentum vulgo dictum dell'anime juxta solitum diœcesis spectet ad episcopum.

VIII. An episcopus tam in actu visitationis, quam extra procedere possit contra laicos, commendatarium, et ministros dicti oppidi pro delictis ad curiam ecclesiasticam spectantibus, v. g. usuris, concubinatibus, percussionibus clericorum, inobservantia dierum festorum, usurpatione jurisdictionis episcopalis, etc., et tali casu censuris ecclesiasticis uti.

IX. An fueri immunitatem in dicto oppido spectet ad dictum episcopum, etiam adversus commendatarium, et ministros, ita ut eos valeat declarare excommunicatos.

X. An sit manutenendus episcopus in quasi possessione decernendi monitoria in dicto oppido pro deperditis.

XI. An spectet ad episcopum præstare consensum alienationi bonorum dictæ ecclesiæ, vel alterius loci pii juxta terminos c. *Terrulas* 12, q. 2.

XII. An possit destinare concionatorem in dicto oppido et cogere communitatem ad solvendam mercedem juxta solitum diœcesis.

XIII. An spectet ad episcopum præstare licentiam concionandi in dicto oppido.

XIV. An parochus dicti oppidi sese absentare possit a parochia ultra terminum

Digitized by Google

a sacro concilio præfixum sine licentia episcopi.

XV. An d. parochus et cæteri presbyteri servientes ecclesiæ teneantur accedere ad synodum diœcesanam episcopi. Iisque die 5 Sept. 1693 responsum fuit manutenendum esse episcopum in omnibus.

(138. Postmodum vero cum ad instantiam commendatarii, qui novæ audientiæ beneficium impetraverat in iis quæ respiciebant jurisdictionem independentem a delegata circa curam animarum, die 15 Jan. 1695, discussa fuerunt quæ sequuntur dubia, videlicet,

I. An episcopus Guardien. possit inquirere contra parochum Ecclesiæ oppidi Aquævivæ non tantum in concernentibus curam animarum et sacramentorum administrationem, sed etiam aliis causis civilibus, et mistis, et quatenus affirmative.

II. An in casu impedimenti procedere possit cum censuris contra impedientes tam commendatarium quam ministros.

III. An dictus episcopus tam in actu visitationis, quam extra procedere possit contra laicos, commendatarium, et ministros dicti oppidi pro delictis ad curam ecclesiasticam spectantibus, v. g. usuris, concubinatibus, percussione clericorum, inobservantia dierum festorum, usurpatione jurisdictionis episcopalis, etc., et tali casu censuris ecclesiasticis uti.

IV. An tueri immunitatem ecclesiasticam in dicto oppido spectet ad dictum episcopum etiam adversus commendatarium et ministros, ita ut valeat eos declarare excommunicatos.

V. An sit manutenendus in possessione decernendi monitoria pro deperditis in dicto oppido.

VI. An ad ipsum spectet præstare consensum alienationi bonorum dictæ ecclesiæ, vel alterius loci pii juxta terminos cap. *Terrulas* 12, q. 2.

VII. An possit destinare concionatorem in d. oppido et cogere communitatem ad solvendam mercedem juxta solitum diœcesis.

VIII. An præstare licentiam concionandi in eodem oppido.

IX. An dare licentiam parocho abessendi.

X. An dictus parochus, et cæteri presbyteri inservientes Ecclesiæ teneantur accedere ad synodum diœcesanam episcopi.

XI. An litteræ remissoriales et compulsoriales favore commendatarii sint concedendæ.

(139. Rescriptum autem fuit: « Ad I, in decisis; ad II *affirmative*; ad III *affirmative*, exceptis commendatario et aliis ministris habentibus tria requisita; ad IV et V *affirmative*; ad VI *affirmative*, præterquam quoad bona religionis; ad VII *affirmative*, et quoad coactionem ad solvendum servetur solitum; ad X in *decisis* quoad parochos et beneficiatos; quo vero ad alios, dilata et ad mentem: ad XI *negative* quoad remissoriales, et *affirmative* quoad compulsoriales. »

(140. Præterea cum disceptatum fuerit: « An œconomo ecclesiæ parochialis S. Mariæ Esther commendæ S. Joan Hierosol. oppidi Aquavivæ collis de cruce liceat conjungere in matrimonium parochianos dict. ecclesiæ absque probatione status liberi faciendo coram episcopo Guardiensi, et sine illius licentia. » Die 12 April. 1710, prodiit resolutio: *Negative*.

(141. Postremo, discussis quatuor hisce dubiis « I. An episcopus Guardien. possit exigere subsidium charitativum ab Ecclesia Sancti Joannis Aquævivæ. II. An dictus episcopus possit exigere cathedraticum, seu synodaticum a dicta Ecclesia, ejusque parocho. III. An idem episcopus in actu visitationis faciendæ in dicta Ecclesia possit exigere procurationem. IV. An dictus episcopus in eadem visitatione possit recognoscere libros administrationis bonorum ejusdem Ecclesiæ ejusque rationem petere. » Sub die 14 Novemb. 1733 rescriptum fuit, « ad I, II et III *negative*; ad IV *affirmative* jure delegato. »

(142. Verum quia tam adversus postremam hanc resolutionem hodiernus episcopus, quam contra præcedentes sibi contrarias eques Antonius Cedronius dictæ commendæ possessor novæ audientiæ beneficium impetrarunt; idcirco ad exstinguendas contentiones, quæ inter eumdem episcopum, et commendatarium dicti oppidi Aquævivæ in dies oriebantur, proposito sequenti dubio, « An quæ et super quibus episcopo Guardiensi competat jurisdictio in commenda, seu oppido vallis vivæ, collis Crucis, et parochialis ecclesiæ S. Mariæ Esther, ita ut sit standum vel recedendum a decisis: » Sub die 5 Septem. 1693, 15 Jan. 1695, 12 April. 1710 et 14 Novem. 1733. Sacra congr. Conc., die 3 Maii 1736, *in Guard.* respondit: « Prævio recessu a decisis die 14 Nov. 1733; in reliquis in decisis. » Unde, ut vides, ex noviter deductis, recessit eadem S. C. C. a decisis *in Guardien.* die 4 Nov. 1735.

(143. Episcopo non prohibetur quidem bis quotannis diœcesim suam visitare, sed nonnisi unicam tantummodo per annos singulos procurationem exigere potest, ut ex pluribus sacr. congregationis decretis. *De synodo diœces.*, lib. VII, cap. 53, § 5.

(144. Vicarius capitularis potest diœcesim visitare post peractum annum a visitatione ab episcopo facta, ut pluribus sacr. congregationis decretis decisum est; *ibid.*, lib. II, cap. 9, § 5. Illi tamen nonnisi dimidium procurationis, quæ solvitur episcopo, retribuendum est, cum debeat minori comitatu incedere, et constat ex resolutione sac. congregationis *in una Ostunen.* die 7 Julii 1708. *Ibid.*, lib VII, cap. 53, § 5.

(145. Episcopi omnes ex vi constitutionis *Romanus Pontifex* a Sixto V editæ, antequam consecrentur, si Romæ exsistant, in manibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ primi diaconi cardinalis, extra curiam vero in manu antistitis ad hoc delegati ex formula præscripta jurant se statis temporibus limina sanctorum apostolorum visitaturos per

Digitized by Google

se, sive legitime impeditos per aliquem e suo capitulo; vel alium in dignitate ecclesiastica constitutum, vel beneficio præditum; et si hi defuerint, per sacerdotem aliquem diœcesanum sæcularem vel regularem.

(146. Tunc autem Romano Pontifici rationem reddere tenentur de pastorali officio impleto, et iis omnibus, quæ ad suam diœcesim pertinent. Sacræ autem congregationi Concilii injunctum est munus, ut postulata episcoporum illorum discutiat, et det illis responsa, sicuti et videndi num legitime sint impediti. *Ibid.*, lib. XVI, cap. 6, § 11, novæ edit.

(147. Tempus, intra quod obeunda est ista visitatio aliis quidem longius definitum est, aliis brevius, sed non minus quam triennium, nec supra quadriennium. *Ibid.*, § 3. Porro si episcopus habeat coadjutorem ab apostolica sede datum, sufficit si coadjutor nomine episcopi adeat, sicut etiam sufficit si mittatur administrator episcopatus, qui debet visitare limina suo, et principalis sui nomine, ut ex decisis a S. C., *ibid.*, § 5.

(148. Id etiam præstandum est ab episcopo titulari, ut ex Fagnano aliisque probatur, *ibid.*, § 5.

(149. Denique nec eximuntur episcopi ecclesiarum suburbicariarum, quamvis exempti sint a residentia. Ita ex decreto *Consistoriali* Alexandri VII, *ibid.*, § 6.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(1. Gravissima hic se offert quæstio, an ex concilio *Tridentino* sess. XXIV, cap. 9, *De reform.*, loca nullius diœcesis visitari queant ab episcopo qua apostolico delegato, cujus cathedralis ecclesia est proximior.

(2. Una omnium sententia est, ecclesias nullius regulares visitari haud posse. Et quoad ecclesias nullius sæculares, sunt qui distinguunt inter ecclesias *nullius* proprie, ut sunt jam a diœcesi separatæ, in quibus prælatus inferior habet omnimodam quasi episcopalem jurisdictionem, et ecclesias *nullius* improprie, ut sunt positæ intra fines diœcesis, in quibus prælatus inferior habet quasi episcopalem jurisdictionem, sed non omnimodam. Visitari autem posse illas negant, hasce vero affirmant Ciarlin. controv. 67, num. 25, lib. I, et controvers. 22, num. 112, et sequent., lib. II; Ros. *De resid. episc.* c. 4, section. 6, num. 483 et seq., Crispin. *De visitat.*, part. 1, § 13, n. 40; Manent. *De potestat. episcop.* part. III, cap. 6 n. 2.

(3. Alii absolute affirmant, jus esse episcopo ex mox citata conciliari sanctione visitandi ecclesias *nullius* etiam proprie; Fagnan., in cap. *Grave*, num. 21. *De offic. ordinar.* Barbosa, *ad concil. Trid.*, d. sess. XXIV, dict. cap. 9, num. 2 et seq., *De reform., clar. mem.*; card. Petra, *in Comment. ad Constitut. apost., constit. 4 Calixti III*, num. 141 et sequent., aliique. Et huic opinioni videtur adhæsisse Rota *in Nolana Benefic.* 25 Junii 1759, *cor. Rev. P. D. Paracciano decano.*

(4. Mihi autem magis arridet prior opinio distinguens ecclesias *nullius* improprie. (5. Hujusque opinionis plures, eæque solidæ, et ineluctabiles afferri possent rationes, sed ea hic sufficiat, quæ ex ipsis verbis concilii *Trid.* dict. sess. XXIV, dict. cap. 9, *De reform.*, desumitur. Verba sunt: « Quæ alias, etc., de adhibenda ab ordinariis diligentia in beneficiorum etiam exemptorum visitatione constituta sunt, eadem etiam in illis ecclesiis sæcularibus observentur, quæ in nullius diœcesi esse dicuntur, ut ab episcopo cujus cathedralis est proximior, visitentur. » (6. Satis enim hinc patet, quod concilium Tridentinum de ecclesiis loquitur, non quæ vere, et proprie sunt *nullius*, sed abusive, et improprie *nullius* sunt. Si enim loqueretur de ecclesiis, quæ vere et proprie sunt *nullius*, inquiisset non in *nullius diœcesi esse dicuntur*, sed *in nullius diœcesi exsistunt*: nam aliud in *nullius diœcesi dici*, etc., denotatque primum *proprietatem*, ac *veritatem*, secundum vero *improprietatem, et abusum*, ut monet Rebuff. in leg. 3, § *Ejus qui*, ff. *De verbor. sign.*

(7. Quid plura? Satis esse debet ea, quæ in S. congreg. episcoporum et regularium negotiis præposita, tum in altera concilii interprete obtinet praxis committendi quandoque episcopo viciniori, ut visitet loca hæc vere, et proprie *nullius*, in quibus inferior prælatus habet omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem ad tramites facultatum ipsi communicatarum, ut testatur cardinalis de Luca in *Adnot. ad concil. Trident.*, discurs. 15, num. 10, Crispin., *De visitat.* p. I, § 13, num. 40. (8. Quomodo enim asseri potest, concilium Tridentinum episcopo viciniori qua delegato apostolico potestatem fecisse visitandi mox dicta loca, si vicinior episcopus visitare ea nequit jure suo, sed opus habet commissione alterius sac. congregationis, nec transire valet limites facultatum ipsi communicatarum?

(9. Quod vero attinet ad decisionem Rotæ *in Nolana Beneficiorum*, 26 Junii 1759, *coram reverendiss. P. D. Paracciano decano*, satis esset dicere, quod ea est contumacialis; sed accedit hoc amplius, quod denuo proposita causa die 3 Martii 1760, *coram eodem*, sacrum tribunal nil definire voluit de hoc articulo; confer hanc decisionem.

ADDITIONES CASINENSES.

(1. Episcopus per seipsum visitationis munus peragere tenetur, non autem per substitutum, nisi legitimo impedimento infirmitatis, vel hujusmodi præpediatur; sic enim præcipit *Tridentinum* sess. XXIV, *De reformat.* cap. 3, ibi: « Per seipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem vicarium, aut visitatorem. » Idque jure optimo cautum fuit, quoniam uberes visitationis fructus majori ex parte evanescunt, quando prælatus ipse oculari inspectione singula non perlustrat, nec ore proprio exhortationis, correctionis et ordina-

Digitized by Google

tionis verba pronuntiat. » Ita Pax Jordanus, vol. II, lib. VII, tit. 1, n. 30, *De generali visitat.*

(2. « Limita (sic idem cl. scriptor) quando non esset tanta necessitas visitandi per se ipsum omnes parochias; posset enim per alium discretum virum, etiam si non esset alias legitime impeditus, eas visitare. Unde Inn. in c. *Romana*, n. 2, ad medium *De cons.*, in 6. *Plene*, inquit, *visitatum intelligimus, licet aliquæ parochiæ remaneant invisitatæ personaliter, quia forte in illis non est necessaria visitatio, vel sufficit, si fiat per aliam discretam personam.*» *Ibid.*, n. 36.

(3. Visitator autem, qui delegatur, debet ad minus esse in ordine diaconatus, c. *Episcopum* 10, q. 1.—Idem Pax Jord., *loc. cit.* n. 37.

(4. Porro ex *Trident.* cit. cap. 3, sess. XXIV, tota visitatio singulis annis, vel ad summum, si diœcesis sit ampla, nec præstari integre queat, major illius pars, et intra biennium compleatur; et ibi. DD. *Communiter.*

(5. « Nullum tamen certum aliud tempus præscribitur episcopis ad complendam ipsam visitationem, sed illorum arbitrio relinquitur; quod quidem arbitrium discretum, ac moderatum esse oportet, et quanto citius possunt, debita tamen adhibita diligentia, se expedire, ne gravent subjectos expensis. Unde sancta congr. *ad Trid.* sess. XXIV, c. 3, ita respondit *in Gadicen. Licet celerrime ab episcopo, et aliis adimplenda sit visitatio, tamen concilium noluit certum terminum præfigere, hoc arbitrio episcopi relinquendo, illud tamen moderatum, et discretum esse debet.* « Proptereaque circa alia negotia ad visitationem non pertinentia, occupare se minime debet, sed totis viribus in hanc curam incumbere. Ita declaratum per sac. congr. testantur Armendar., Ricc. pluribus locis, et Piasecius apud Barbos., allegat. 73, n. 9. » Pax Jordanus, *ibid.*, n. 40. Vide *Addit. Casinenses*, V. PROCURATIO.

(6. « Quod (sic idem Pax Jord. *loc. cit.*, n. 41) si visitator procurationem non accipiat, quia non soleat exhiberi, aut quia ipse usus liberalitate, illam renuat, propriisque se et suos alat sumptibus, tunc quia cessat ratio prædicta gravaminis subjectorum, cessabit consequenter et dispositio congregationis, neque accelerare cogitur, sed sua libertate poterit uti ad beneplacitum. »

(7. Præterea, quamvis jura loquantur de unica visitatione per singulos annos modo prædicto, non prohibent tamen pluries in anno illam fieri, si necessitas ita requirat; sed tantum præcipiunt semel fieri, si aliter non appareat de necessitate, non excludendo multiplicationem constito de necessitate, seu legitima causa, consuetam procurationem debet recipere, ut affirmant Soccin., Archid., Cucch, Barbosa apud Pacem Jordanum, *loc. cit.*, n. 43 (128).

(8. Quod si absque procuratione velit visitare, nunquam potest prohiberi, etiamsi nulla videatur subesse causa urgens, et legitima. In tantum enim stricte præcipitur visitatio, semel et permittitur sæpius ex causa, inquantum parcitur laboribus prælatorum, et sumptibus subditorum : at si quis zelo animarum frequentius laborem hujusmodi subire, et a subjectorum impensis temperare malit, non est ei negotium facessendum. Ita in terminis idem Pax Jordan., *ibid.*, n. 44.

(9. « Porro ad integritatem visitationis minime sufficit omnes sacerdotes simul, etiam ad synodum diœcesanam convocare, et ibi de singulis, quæ in visitatione perquirenda sunt, eos interrogare, sed opus est per parochias discurrere et ecclesias ipsas, loca, res, et personas oculari subjicere inspectioni, et cognoscere, quomodo populi audiant divina, et cætera ad Christianitatem attinentia peragant. Et ob id præcipitur singulas parochias regulariter esse lustrandas, c. *Romana* in 6, in princ. et ibi Gloss.. (*accedere*) quæ ait : *Patet ergo quod teneatur ire, nec sufficit ad suam ecclesiam convocare.*» Dict. Pax Jord., *ibid.*, n. 45.

(10. « Bene verum est, quod si commode, et absque difficultate accedere ad unamquamque ecclesiam non possit, forte propter nives, glacies, aquarum inundationes, et similia; de pluribus locis ad unum congruum clericos, et laicos convocare debet, ne ab impeditis visitatio totaliter auferatur.» Idem, *ibid.*, n. 46.

(11. Heic adverte, quod nullus prælatus Romano Pontifice inferior, cui jus visitandi competat, potest subditis suis debitam visitationem remittere, sicut neque correptionem debitam condonare, cap. *Cum venerabilis*, De censibus et DD., *ibid.*— Sic anted. Pax Jord., n. 47.

(12. Sed nec visitationis iteratio, quotiescunque necessaria judicabitur, pacto remitti potest, nedum primaria visitatio; Pavin., Azor., Cucch. apud præd. Pacem Jordan. *loc. cit.*, n. 48.

(13. « Papa (vero) ex privilegio, imo etiam ex generali exemptione ab ordinariis, potest eximere a visitatione ordinariorum; exempti tamen non censebuntur liberi a visitatione legatorum, aut delegatorum apostolorum, c. *Cum personæ*, De privileg. in 6, arg. c. *Cum instantia*, De censibus. » Pax Jord., *ibid.*, n. 49.

(14. Illud etiam cognoscas licet « ut neque vigore præscriptionis possint se tueri sub-

(128) Benedictus XIV, in *Synod. diœces.*, lib. X, cap. 10, n. 6, contrarium videtur sentire, referens ad id S. C. Episc. et S. cong. Conc. decreta: « Sed ne quisquam (ita ille) pastorem visitationem iterantem insimulet, quasi crebrius ad suas oves accurrat, ut eas sæpius tondeat, non autem ut earumdem morbis novum afferat medicamen, propterea, cum S. cong. Episc. et Reg. an. 1586, tum S. cong. Conc. die 19 Sept. 1682, censuerunt, episcopo bis eodem anno diœcesim visitando, unicam tantum deberi procurationem. » *V.* verb. PROCURATIO.

Digitized by Google

jecti, quominus visitentur a suis pastoribus, seu prælatis c. *Cum ex officio*. Juvat nihilominus consuetudo, et præscriptio circa procurationem moderandam, vel in totum auferendam. » Idem scriptor, *ibid.*, n. 50.

(15. Amplia, ut neque suspectus recusare possit Ordinarius visitans juxta *Trid.* c. 8, sess. VII, *De reform.*, et rescriptum Pauli V ad archiepiscopum Portugalliæ : cujus tenor ex Barbos., alleg. 73, n. 38, est ut infra, videl. : « Venerabilis Frater, etc. Fraternitatis tuæ nomine Nobis nuper expositum fuit, quod visitationes, quæ in tua diœcesi in vim decretorum conc. Trid. et alias legitime fiunt, sæpius impediuntur; eo quia, visitati prælatum, seu alium legitime visitantem, suspectum allegant, in magnum divini cultus præsertim, et fabricæ ecclesiarum præjudicium. Quamobrem Nos hujusmodi abusum tollere volentes, supplicationibus tuo nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. R. cardinalium S. Trid. conc. interpretum, apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus, episcopum, vel alium, cui id legitime competit, visitantem non posse uti suspectum recusari, non obstantibus constitutionibus apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 29 Octobris 1610, Pontificatus nostri anno sexto. Scipio Cobellutius. Venerabili Fratri Gondisalvo episcopo Portugallen. » Concordat Gavant., in *prax. visit.*, § fin. in *Adnot.*, n. 2, et alii multi attestantes fuisse alias ab ead. S. Cong. responsum. Idem senserat prius sac. cong. Concil. 7 Martii 1596, sic rescribens : « Non posse episcopum in visit. recusari tanquam suspectum, dum tamen in ea processum non compilet, et se intra terminos visitationis contineat. » Anted. Pax Jord., *ibid.*, n. 76.

(16. « Subamplia, idem procedere in præparatoriis visitationis, et inquisitionis, de quibus, quoniam neque quo ad ipsa licet sub hoc prætextu impedire, quominus procedatur, atque pœna extraordinaria, quæ morum correctionem et emendationem respiciat, visitati afficiantur, decisum ab ead. S. congr. referunt Armendar., Barbosa, Garcias. » Idem, *ibid.*, n. 77.

(17. « Sublimita 1. Quando excederetur modus in visitando, hoc est quando egrederetur terminos visitationis; quod qualiter contingat, boni viri arbitrio definietur, cum non possit certa regula præscribi. » Idem, *loc. cit.*, n. 78.

(18. « Sublimita 2, quando procederetur, processum fabricando, tunc enim sicuti permittitur appellatio, ita etiam recusatio, Barbosa post Armendar. » Idem, *ibid.*, n. 79.

(19. Sed ut rem hanc rite evolvamus, lubet referre cap. 10, sess. XXIV, concil. *Trid.* in hæc verba : « Episcopi, ut aptius, quem regunt populum possint in officio, atque obedientiâ continere in omnibus iis, quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus, et potestatem habeant, etiam tanquam apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, et exsequendi juxta canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac diœcesis suæ utilitate, necessaria videbuntur; nec in his, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela etiam ad Sedem apostolicam interposita, exsecutionem eorum quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat.

Ita Tridentinum; cum quo quatenus prohibet appellationem, dum agitur de visitatione, aut morum correctione, concordant decreta sacræ congregat. apud collectores earum. Ita idem Pax Jord., *loc. cit.*, n. 67.

(20. Subamplia (ita cit. Pax Jord., *ibid.*, n. 68) quamvis appellatio ad Sedem apostolicam interponeretur, prout expresse cavetur in littera (conc. *Trid.*); et respondit eadem sac. congreg. apud Zerol.

(21. Quapropter in prædictis dabitur appellatio ad solum effectum devolutivum, hoc est ad devolvendam facti cognitionem ad superiorem, non vero ad suspensivum, quia interim exsecutio non suspenditur, aut retardatur; ead. sacra congregat. apud eumdem Pacem Jordan., *loc. cit.* n. 71 (129).

(22. « Sic etiam a mandato de residendo in visitatione emanato dabitur appellatio ad solum effectum devolutivum, prout decisum refert Armendar. et sequuntur plures cit. a Barbosa, allegat. 73, n. 33. » Idem, *ibid.*, n. 72.

(23. Sublimita limitationem procedere tantum, quando episcopus procedit sine processu, ac sine scriptis, et de facto, etiam carcerando, et in carceribus detinendo, et

(129) Notandum quod ubi jura, ac Tridentinum in correctionibus morum, et visitationibus episcopalibus appellationem vetant, intelligenda sunt quoad effectum suspensivum, secus vero quoad devolutivum; adeo ut integram causæ cognitionem, exsecutis interea decretis episcopi corrigentis, aut visitantis, probe riteque avocare possit superior ad sese, judicaturus, an pœnalem, ac molestam correctionem subditus appellans promeruerit, an per injuriam, fraudesque accusantium subiverit. Id quod pluries censuit sacra congregat. Concilii apud Fagnanum, in cap. *Ad nostram*, de appellat., n. 6, ubi hæc habet : « Ad effectum devolutivum bene admittitur appellatio etiam a correctione... Nam S. congregat. Concilii... consulta; an decretum cap. 10, sess. XXIV, *Trid.* sustulerit appellationem devolutivam, censuit non sustulisse devolutivam, sed suspensivam tantum; et quamvis episcopus id faciat tanquam Sedis apostolicæ delegatus, tamen non impedire appellationem devolutivam ad metropolitanum. »

Audiamus insuper clar. Maschat in hæc verba : « Ipsa tamen appellatio sustinetur quoad effectum devolutivum... quia adhuc judex superior cognoscere potest de justitia sententiæ, *et eum, si injusta est, rescindere*. Et hoc sufficit gravato ad naturalem defensionem, uti et supplicatio et alia remedia extraordinaria; et si sententia est invalida, querela nullitatis. » *Inst. canon.*, lib. II Decret. *De appellat.*, n. 10, quæst. 6.

Digitized by Google

similibus, quo casu carceratis appellantibus, judex appellationis cognoscit de prætenso gravamine, et excessu, non impedita interim, aut suspensa exsecutione eorum, quæ ab ordinario sancita fuerunt, reisque in carceribus manentibus. » Idem, *loc. cit.*, num. 69.

(24. Idem habetur apud Fagnan., ad cap. *Ad nostram*, De appellat., n. 10 per hæc verba : « Soborta dubitatione, an in materia correctionis, ubi episcopus etiam sine processu, et sine scriptis carcerat subditos, et tenet diu, possit metropolitanus cognoscere de excessu in corrigendo, si carcerati appellaverint ad eum : Sac. congregat. censuit, posse, dummodo interim non impediat, aut suspendat exsecutionem eorum, quæ ab ordinario decreta fuerint. »

(25. « At si processum sit, compilato processu, servatoque juris ordine, non intrat præfata dispositio concil., sed appellari poterit ad utrumque effectum, devolutivum scilicet, et suspensivum, sac. ipsa congregat. frequentissime super hoc consulta, de qua collectores ad ipsum cap. 10 *Trid.*, Barbosa alleg. 73, n. 52; Gavant. . . qui tamen intelligit post sententiam definitivam tantum, et minus bene, quia generaliter accipi debet de quibuscunque decretis. » Pax Jord., *loc. cit.*, n. 70.

(26. « Obiter vero adjungam quod quotiescunque appellare contigit in visitatione ad præfatum effectum suspensivum, ab episcopo suffraganeo semper interponenda est ad metropolitanum, etiamsi visitator processisse tanquam delegatus Sedis apostolicæ, eo quod in ipso concil. apponitur dictio *etiam*, decernendo, quod procedere possit etiam tanquam apostolicæ Sedis delegatus. Quæ quidem dictio *etiam* de sui natura est implicativa, et unum casum magis dubitabilem explicat, alium vero minus dubitabilem implicat, hoc est eadem dispositione connectit, et sic de utroque statuit plene. . . Unde episcopus visitando censetur utramque potestatem, ordinariam, videlicet suam, et delegatam a Papa exercere. . . et consequenter non est præcludendus aditus ad metropolitanum, a jure communi subditis concessus, cum nullibi appareat de tali prohibitione, et præclusione. » Anted. Pax Jord. *ibid.* num. 74.

(27. Et revera, docente Cobassutio : « Communi, et ordinario episcoporum juri superadditus est titulus delegatorum apostolicorum, non tam ad extendendam eorum potestatem, quam ad intendendam, seu roborandam. Pleraque enim jure ordinario poterant, quibus superadditus est titulus apostolicæ delegationis, qui titulus non officit eorum juri ordinario, sed operatur, ut facilius et cum debita veneratione illis obtemperetur, præsertim ex eorum parte, qui prætenderent ipsorum ordinariam potestatem minuere, aut in controversiam revocare, aut ab ea se subtrahere. Unde licet a judicis delegati sententia, vel processu appelletur non ad metropolitanum, sed ad Papam delegantem, eiusque legatum cap. *Super quæstionum*, § *Porro*, De offic. jud. deleg., et cap. *Si delegatus*, et cap. *Is cui*, cap. *Si a delegat.*, eod. tit. in 6. . . . tamen quia ea quæ episcopi faciunt quasi legati apostolici ex jure communi, quod eis attribuit hanc qualitatem et titulum, non vero ex speciali aliqua per Papam delegatione, id faciunt jure communi ordinario, ideo interjecta ab eis appellatio devolvitur non ad Papam immediate, sed ad Metropolitanum. . . Idque Zerola confirmat declaratione, quam refert, sacræ congregationis, ut ab ejusmodi, quæ episcopi ordinant tanquam apostolici delegati, devolvatur appellatio ad archiepiscopum. » *Jur. canon. theor. et prax.*, lib. I, cap. 9, n. 5. Id ipsum docuit Bened. XIV, *Institut. eccles.* 68, n. 12.

(28. Denuo illud nota : « Visitatorem non posse procedere judicialiter per viam fori contentiosi, sed extrajudicialiter per modum fori pœnitentialis . . . . (et) in hanc sententiam videtur sæpius respondisse sacra congregatio Concilii. Nam a capitulo Segobiensi consulta, an et ad quæ genera pœnarum posset episcopus se extendere in visitatione, et ad pœnam ordinariam delicti procedere : respondit posse imponere pœnas non quidem ordinarias, sed eas tantum, quæ morum correctionem et emendationem respiciunt. Et archidiacono Juvenacensi : an episcopus in visitatione posset causas ordinarias cognoscere, respondit causas ordinarias extra visitationem esse cognoscendas. » Apud Fagnanum cap. *Dilectus*, De rescript., num. 43 et seqq.

(29. At hinc est, quod « in visitatione non debeat inquiri in specie super delictis rectoris, sive parochi, sed tantum de statu generali Ecclesiæ, nulla servata forma judicii, et prout mandat decretum sac. congregationis Concil. per extensum relatum a Piasec. quia puniendi finis in visitatione non intenditur, sed corrigendi et salutares pœnitentias injungendi. » Sic Monacellus, *Form. leg. pract.*, tom. I, tit. 5, formul. 2, n. 58, p. 137.

VITA COMMUNIS

De vita communi hæc habe.

(1. Vita communis in primitiva Ecclesia servabatur ab omnibus fidelibus ; quorum erat cor unum, et anima una, et illis erant omnia communia, ut expresse habetur *Actor.* cap. IV, v. 32, ibi : *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Primi enim fideles possessiones, et substantias suas vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat, et ut ab apostolis disponebatur,

Digitized by Google

nihil proprii sibi retinentes, et omnia communia habentes. *Actor.* c. XI, v. 44 et 45, ibi : *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant. et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Et id totum refertur in can. *Dilectissimus* 2, et can. *Scimus* 9, caus. 12, qu. 1, ibi : « Scimus vos non ignorare, quod hactenus vita communis inter omnes Christianos viguit. »

(2. Hoc vitæ communis genus frigescente laicorum fervore in clericis continuavit, ex quo nomen canonicorum effluxit promiscue a clericis usurpatum. Canonici etenim dicuntur clerici in fraternitate, prout certe erant omnes clerici in primitiva illa Ecclesia, ut erudite more suo observat eminentissimus Petra tom. I *Comment. ad constit.* 2 *Paschalis II*, n. 3, cum ipsis esset præceptum, ut districte ac canonice viverent, prout habetur in can. *Quoniam* 14, caus. 12, q. 1, in cujus summario sic præcise dicitur : « Diaconi, vel quælibet religiosæ personæ regularem vitam ducere cogantur. Canon enim Græce, Latine regula nuncupatur ; » textu expresso in cap. *Canon.* 1, dist. 3. Unde S. Dionysius Carthusianus tract. *De vita canonicali*, sic expresse dicit : « Clerici vocantur canonici ; quoniam regularem, et rectam tenentur ducere vitam, vitiorumque obliquitates vitando sinceriter gradari juxta præfixa eis a sanctis Patribus instituta. »

(3. Reservatus tamen exinde fuit talis vivendi usus ad clerum ecclesiarum cathedralium una cum episcopo vitam ducentem communem in claustris prope ecclesiam constructis. Sic expresse d. Card. Petra, *loc. cit.*, n. 4, et clare habetur ex can. *Necessaria* 3, cit. caus. 12, q. 1, ibi : « Necessaria etenim res exsistit, ut juxta ecclesiam claustra constituantur, in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis vacent, utque omnibus unum sit refectorium, ac dormitorium, seu cæteræ officinæ ad usus clericorum necessariæ ; ministri vero post episcopum super eos eligantur, » et c. *Certe* 18, ead. caus. et qu., ubi refertur S. Augustinus sic loquens : « Certe ego sum, qui statueram, nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere. »

(4. Collabescente tamen fere apud omnes hoc pio et sancto communiter vivendi instituto, plurimi sancti Patres, patriarchæ et fundatores afflati sancto Spiritu varias instituere religiones, assignatis ac traditis suis alumnis peculiaribus regulis, sub quarum observantia in perfecta et exacta vita communi magis ac magis, in studio virtutum in dies proficerent, sicque collapsa apostolica vitæ communis forma ac regula in pristinum restitueretur, uti restituta ac per universum orbem diffusa specimina virtutum, ac maxima sanctitatis incrementa regularibus claustris quotidie progignens Deo dante conspicitur.

(5. Hinc omnes regulares utriusque sexus tenentur ad perfectam, et exactam vitam communem in omnibus, et per omnia, et ad observantiam regulæ secundum suam primævam institutionem, textu expresso in concil. *Trid.*, sess. XXV, *De regul.*, c. 1, cap. *Cum causam* 27, De election.; cap. *Ad nostram* 3, De appellat.; cap. *Super eo* 9, et cap. *Ex parte* 29, De regular.; cap. *Recolentes* 3, et cap. *Ea quæ* 8, De statu monach.; concil. *Mediolanen.* p. III, tit. *De com. vit. usu*, ubi loquens de monialibus sic statuit : « In omnibus monasteriis quoad cibum, potum, somnum, vestitum, cæterasque res attinet, omnes communiter vivant, ut a sancto concilio Trid. decretum est. » Et concil. *Cameracen.*, tit. *De monach.*, cap. 9 et 10, sic habet : « Cum sacrosancta synodus Tridentina præceperit ea, quæ ad communem vitam, victum et vestitum pertinent, fideliter observari, mandat hæc synodus omnibus religiosis, ut diligentissime paupertatis votum, tanquam ineffabilis cujusdam et dulcissimæ quietis causam custodiant, neque proprietatis vitio violent : caveant igitur ne quid sibi ita retineant vel retinere desiderent, ut communitati nolent esse commune, neve ad peculiares usus eo utantur sine superioris consensu. » Sicque expresse statuit Clemens VII in Decretis pro reformatione regularium, allatis sub verb. *Regulares*, art. 1, n. 85 et confirmatis a S. congr. Conc. jussu Urbani VIII, in decretis *De apostatis et ejectis*, allatis sub verb. *Ejecti*, n. 2, et sic expresse sæpe sæpius decreverunt variæ sacræ congregationes.

(6. Unde si alicubi non ita exacte, et perfecte observaretur dicta vita communis esset a superioribus omnino præcipienda, et introducenda, et a subditis prompte et integre observanda, prout expresse mandant summi Pontifices, concilia ac sacræ congregationes. Et subditi recusantes vitam communem, cum superiores illam erigere, et introducere, prout debent, volunt, peccant mortaliter : Mastrius *Theol. moral.*, disp. 4, num. 46; S. Antonin. part. III, *Summæ* t. XVI, § 11, *De paupertat.*; Donatus, *Prax. rer. Regul.*, tom. IV, tract. 15, quæst. 5, cum aliis ibi citatis ; Felix Potest., tom. I, pag. 2, num. 1087, testans de communi. Et ratio manifesta et insolubilis est, quia regularis utriusque sexus recipiens, et retinens aliquid notabile independenter a voluntate superioris, peccat mortaliter contra votum paupertatis : sed regularis utriusque sexus recusans vitam communem juxta formam Tridentini, decretorum Clementis VIII pro reformatione regularium, ac constitutionum aliorum summorum Pontificum, signanter Innocentii X, Alexandri VII, et Innocentii XII, in decretis a sacra congregat. super disciplina regulari de ejus mandato et auctoritate editis (ubi confirmantur, et innovantur decreta concil. Trid. Clem. VIII, ac aliorum summorum Pontificum ad id edita, ut patet infra sub num. 12, ubi adducuntur). Superiore volente illam erigere, recipit, et retinet independenter a voluntate superioris, imo contra ejus voluntatem ; ergo peccat mortaliter contra votum paupertatis. Major est certissima ex abunde adductis sub verb.

Digitized by Google

Votum, art. 2, a num. 43. Minor autem est omnino evidens, quia vita communis præscripta a *Trid.*, sess. XXV *De regul.*, c. 2, et a Clem. VIII, in cit. decret. *Pro reform. Regul.*, incip. *Nullus omnino*, § 3; et confirmata a supradictis summ. Pont. est, ut quidquid regularis utriusque sexus, quovis modo acquirit, nullimode retineat apud se, et pro se, neque nomine monasterii, sed statim superiori fideliter, et omnino tradat, et cum aliis monasterii bonis, pecuniis et proventibus incorporetur, ut inde ex communi massa singulis in vita communi necessaria subministrare possit. Id autem totum vult superior intendens vitam communem juxta supradictam præscriptam formam erigere, adeoque regulares utriusque sexus recusantes vitam communem, quam, ut debet, vult superior introducere, recipiunt, et retinent a se acquisita independenter a voluntate superioris imo contra ejus voluntatem, cum superior velit, ut subditus non retineat, sed statim acquisita incorporanda consignet, et subditus nolit, et recuset ea superiori tradere incorporanda, quod est expresse contravenire voto paupertatis; unde nec superiores sunt in securo conscientiæ statu si in quantum possunt, absque gravi scandalo non curant vitam communem erigere, nec subditi recusantes illam recipere.

(7. Nec juvat ad excusandas excusationes in peccatis allegare consuetudinem in contrarium repertam a primo ingressu in religionem, quia Summi Pontifices et sacræ congregationes semper statuerunt teneri regulares utriusque sexus ad exactam vitæ communis et regulæ observantiam, non obstante contraria consuetudine et introducta relaxatione, ut patet ex abunde adductis verb. REGULARES, art. 1, a n. 73; et verb. MONIALES, art. 2, a n. 62, et signanter n. 81, ubi inter alias refertur ex Ursaya tom. III, part. I, disceptat. 1, § 13, una sacræ congregationis ad id emanata declaratio 11 Februar. 1678, approbata ab Innocentio XI, cum addito : « Che si levi ogni altro abuso introdotto contro le buone regole monastiche, e massime quello di aver trovato tal forma di vivere, e tali abusi nel tempo del loro ingresso nel monastero; » qui Ursaya, *loc. citat.*, merito proinde concludit cum doctissimo episcopo Crispin. *nella Visita pastorale*, part. II, § 42, n. 39, in medio, quod in his terminis a monialibus, et regularibus inallegabilis est usus in contrarium attento dicto oraculo Pontificio, et resolutione dictæ sacræ congregationis; et Donat., *Prax. rer. Regul.*, tom. IV, tract. 15, *De voto paupertat.*, q. 5, n. 3 et 4; ac Fontan. ad *Constitut. Ordin. Prædicator.*, verb. *Professio* n. 11, fol. 530, dicunt expresse : « Ex clara dispositione capituli generalis Parisiis celebrati anno 1611, admonit. 3, utriusque sexus regulares viventes sub habitu S. P. Dominici tenentur ad observantiam Regulæ, et constitutionum nostrarum, non prout hic, vel ibi servatur, sed simpliciter, prout littera sonat. » Et ratio est clara, quia ut recte dicunt Fagnanus in cap. *Recolentes* 3, De statu monachor., n. 6; Summa Asten., tit. 47, *De regularibus*, art. 3, in 7 quæst., et alii plures : Professi profitentur Regulam, non consuetudinem, nec relaxationem, immo ad id expressam faciunt protestationem, adeoque ad regulæ, et vitæ communis observantiam tenentur, et compelli possunt, non obstante contraria consuetudine, et introducta relaxatione. (8. Tum quia neque possunt excusari per hoc, quod sub tali contraria consuetudine professionem emiserint, quia regulares utriusque sexus per votum paupertatis in sua professione emissum virtualiter voverunt vitam communem a Tridentino, et Summis Pontificibus præscriptam, superiore illam conservare, aut erigere volente; voverunt enim nihil retinere, invito superiore, sed omnino dependenter ab ejus voluntate, cum hoc sit de essentia voti paupertatis, adeoque virtualiter voverunt ei statim tradere omnia ab ipsis quovis modo acquisita, superiore id præcipiente; alias retinerent contra expressam voluntatem superioris, et sic peccarent contra votum paupertatis; tum etiam quia contra regulam approbatam a Sancta Sede, prout includit tria vota substantialia religionis, quæ sunt de jure divino, non est locus consuetudini, quamvis foret contraria, et immemorabilis, ex quo consuetudo jus divinum auferre non possit, textu expresso in cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine; cum potius, et verius, ut ibi dicitur, ipsa in hac parte dicenda sit corruptela, quam consuetudo. Sic Graffius II part., *Decis. aur.*, lib. III, cap. 9, num. 4; Tapia, in authent. *Ingressi*, cap. 3, num. 55; Calder., tot. consil. *De consuetudine*; Donat., *l. c.*, q. 5, numer. 2, ubi cum aliis dicit, quod resistentes sunt valde punibiles, ex quo resistant expressæ voluntati superioris jubentis secundum regulam, ut docent scribentes in can. *Non dicatis*, caus. 12, quæst. 1, et in cap. *Cum ad monasterium*, 7, De statu monachor.; Navar., consil. 75, *De regal.*, n. 49, et est communis.

(9. Nec etiam eos omnino excusat ab obligatione servandi vitam communem monasteriorum inopia, ut solide, ac fuse probat Ramirez episcopus in sua *quæstione morali*, § 6, citatus, et secutus a Felice Potest., *loc. cit.*, n. 1902; et tenent plurimi alii : et ratio est, quia singuli hujusmodi monasteriorum regulares non servantes vitam communem de facto habent sibi necessaria juxta decentiam status; sed talia sibi necessaria juxta decentiam status haberent, etiamsi servarent vitam communem, ergo, etc. Major patet. Minor probatur, quia singuli hujusmodi monasteriorum religiosi non aliunde habent sibi necessaria juxta decentiam status, quam ex iis, quæ partim habent a monasterio, et partim suo labore, et industria, et a propinquis, vel amicis acquirunt : sed hæc omnia haberent, si servarent vitam communem, et omnia fideliter superiori traderent cum aliis monasterii proventibus incorporanda, uti ex concilio Tridentin. et

Digitized by Google

citatis constitutionibus, et decretis pontificiis stricte tenentur; ergo si talia sufficiunt non servando vitam communem, ut singuli vivant, et sibi necessaria habeant juxta decentiam status, etiam sufficerent, et a fortiori, servando vitam communem, quia tunc non fierent tot superfluæ expensæ in tot multiplicatis utensilibus, aliisque similibus quæ extra vitam communem multiplicantur ad numerum religiosorum, ac præsertim monialium, et in communi vita fere pro tota communitate sufficerent, quæque, si in unum coalescerent, certe haberent, unde commodius, et abundantius viverent. Hinc nulla remanet quantum ad hoc excusatio pro regularibus utriusque sexus vitam communem recusantibus, cum potius videantur id agere, ut superfluis abundent, et liberius pro sua voluntate contra paupertatis, et obedientiæ votum disponant, quam quia eis inde necessaria juxta decentiam status desint. Dehinc caveant, ut sint ex illis quos merito arguit sanctus Bernardus, serm. 4, *De adventu*, ibi : « Sunt qui pauperes esse volunt eo tamen pacto, ut nihil eis desit, et sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur : » Ad quid paupertatem vovere ?

(10. Propterea regularibus renuentibus reformationem indictam quoad vitæ communis, et regulæ observantiam recipere, et integre observare, solet Sedes Apostolica interdicere et denegare licentiam recipiendi et admittendi aliquos ad habitum, et professionem, ut patet ex decretis Clementis VIII allegatis in verb. REGULARES, art. 1, sub n. 72, § *Item his quotannis*, et n. 78, et constit. Innoc. X incip. *Inter cætera*, et pluribus aliis decretis sacrorum cong.

(11. Et talis licentia admittendi alios ad habitum, et professionem non solet concedi, nisi in conventibus designatis, et a Sede Apostolica approbatis, in quibus vita communis, et regula exacte, et integre observetur, pro ut patet in citatis decretis Clementis VIII, et decretis sacræ congregationis super disciplina regulari jussu Innocentii XII editis, quæ hic ad litteram dantur.

Decreta sacræ congregationis a sanctissimo domino nostro Innocentio PP. XII. super disciplina regulari specialiter deputata, ejusdem SS. D. N. auctoritate edita.

« Sanctissimus in Christo Pater, et D. N. Innocentius divina Providentia Papa XII, pro paterna charitate, qua religiosos ordines multis, magnisque in Ecclesiam Dei meritis refulgentes, et peculiaris erga Sedem Apostolicam devotionis nomine commendatos complectitur, volens eorum conservationi et propagationi consulere, simulque ex injuncto sibi cœlitus pastoralis officii debito providere, ut regularis in iis disciplina ad religiosorum salutem, et totius Christiani populi ædificationem, utilitatemque sarta tecta custodiatur, ac vigeat, et sicubi collapsa est, adjuvante Domino reparetur, constituit, et declaravit, se licentiam recipiendi novitios in singulis approbatis ordinibus benigne concessurum, ut volentibus e periculosis sæculi fluctibus ad religionis portum confugere, facilis, tutusque aditus aperiatur; dummodo tamen ea, quæ pro regulari vita recte instituenda, tam a sacrosancta Tridentina synodo, quam a prædecessoribus suis Rom. Pontificibus, præcipue vero fel. rec. Clemente VIII. in decretis generalibus pro regularium reformatione, necnon Innocentio X, et Alexandro VII, pro novitiorum receptione, et professorum educatione salubriter constituta sunt, quibus omnibus firmiter inhæret Sanctitas Sua, eaque, qualenus opus sit, confirmat, et renovat (salvis tamen in hac parte singulorum ordinum statutis, seu aliis ordinationibus ab Apostolica Sede in forma specifica post eadem decreta forsitan approbatis, aut editis) exacte, et inviolate servetur.

§ 2. « Quo circa sacr. congregat. ab eodem sanctissimo domino nostro super disciplina regulari specialiter deputata, quæ plura hactenus pro recta nonnullorum monasteriorum gubernatione decreta edidit, aliaque in dies editura est, ut omnibus præfata ejusdem sanctissimi domini nostri mens pateat, ac plenius, et celerius innotescat, de mandato Sanctitatis Suæ præsentis decreti tenore denuntiat omnium, et singulorum ordinum regularium (iis duntaxat exceptis, qui in præfatis Clement. VIII decretis excepti reperiuntur) superioribus tam generalibus, quam provincialibus quocunque nomine nuncupentur, cæterisque, ad quos spectat, ut in unaquaque provincia per Italiam et insulas adjacentes quam primum deputent aliquos conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum saltem, ibique auctoritate apostolica statuant omnimodam observantiam regulæ, constitutionum uniuscujusque ordinis, et decretorum apostolicorum, præcipue vero exactæ vitæ communis ad formam eorum decretor., ab omnibus religiosis, qui in conventibus, ubi recipiendi novitii, et professi educandi sunt, morabuntur, omnino servandæ. Postquam vero regularem observantiam, et signanter quo ad exactam vitam communem, cum effectu stabilitam fuisse, tam ex eorumdem superiorum generalium, seu provincialium relatione, quam præpositi, et fratrum in præfatis conventibus degentium jurejurando firmato testimonio, necnon per secretas informationes, atque etiam, ubi opus fuerit, per apostolicos visitatores ad hoc specialiter deputandos, eidem sacræ congregat. sufficientes constiterit, tunc Sanctitas Sua antedictam licentiam, quam hactenus distulit, novitios ibi recipiendi, benigne concedet, et locum ad professos pietate, et litteris instituendos usque ad sacerdotium, vel alias juxta constitutiones, et laudabiles cujusque ordinis consuetudines in iisdem conventibus, non autem in aliis, nisi fuerint ejusdem observantiæ, destinabit.

§ 3. « Quæ quidem omnia : quo facilius, efficacius, et durabilius ad praxim deduci valeant, eadem sacra congregatio Sanctitatis

Digitized by Google

Suæ auctoritate committit, et in virtute S. Obedientiæ præcipit præfatis superioribus, ad quos pertinet, ut in supradictis conventibus non collocent, nisi religiosos graves, devotos, exemplares, regularis observantiæ, et puritatis regulæ studiosos, orationi præsertim, ac mortificationi, sine quibus non potest religiosa vita consistere, addictos, quique consentiant exacte servare vitam communem, atque inde amoveant eos omnes, qui tam sanctæ obligationi contradicere, seu verbis, aut factis quoquomodo sese opponere audeant.

§ 4. « Ut autem tam laudabilis vitæ institutum, et regulari professioni maxime proprium religiosi alacrius arripiant, omnisque excusatio infirmioribus præcludatur, eadem sacr. congreg. similiter præcipit superioribus antedictis, ut memoratis conventibus (implorata etiam, ubi opus fuerit, apostolica auctoritate) præfici omnino curent viros, non solum disciplinæ zelo, sed etiam charitate, et morum suavitate præditos, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, quorum regimini libenter alii se submittant.

§ 5. « Studeant vero præcipue, ut ea omnia, quæ tam ad victum et vestitum, quam ad reliquas vitæ necessitates pertinent, singulis religiosis prompte subministrentur, ac præsertim ægritudinis tempore nihil alicui desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

§ 6. « Ac propterea religiosos in iisdem conventibus morari non patientur ultra eum numerum, qui ex illorum reditibus et consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscunque obventionibus pariter in commune conferendis, valeat commode sustentari. Eos vero, qui semel præfatæ observantiæ, et exactæ vitæ communi libenter, ut vere religiosos viros decet, sese subjecerint, et in ea laudabiliter perseverent, nullatenus a memoratis conventibus nolentes transferant, nisi forte ad alia monasteria, ubi similis observantia vigeat, iisque pariter de omnibus ad vitam necessariis possit commode provideri.

§ 7. « Quod si redituum, et eleemosynarum tenuitas hujusmodi exactæ vitæ communis observantiæ alicubi videatur obsistere, liceat eisdem superioribus, vel per annuam contributionem aliorum conventuum huic necessitati prospicere, vel ab Apostolica Sede per suppressionem alicujus conventus minus utilis perpetuam, vel ad tempus, vel alia demum ratione, quæ opportunior visa fuerit, remedium postulare.

§ 8. « Sciant vero superiores prædicti eos, qui præfata omnia sedulo, ut par est, adimplere curaverint, specialem a Sanctitate Sua, et Sede apostolica inituros gratiam, et protectionem, atque in iis, præcipue, quæ ad antedictam observantiam stabiliendam pertinent, favorem omnem, et auxilium experturos; qui vero e contra negligentes, aut, quod absit! contumaces reperti fuerint, gravibus pœnis pro culpæ modo, et etiam privationis officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea, aut alia in posterum obtinenda puniendos fore; præfatæ autem observantiæ nihilominus stabiliendæ per alios superiores, vel per commissarios apostolicos, ubi opus fuerit etiam extra religionem assumendos a Sancta Sede efficaciter providendum, omnemque interim, ubi eadem observantia non vigebit, recipiendi novitios licentiam denegandam.

§ 9. « Porro ne regularis disciplina, dum in conventibus jam erectis statuitur, relaxetur in erigendis, et quod una ex parte construitur, simul ex altera destruatur, sacr. congreg. Sanctitate Sua similiter approbante, statuit atque decernit, nulla in posterum monasteria, collegia, domos, conventus, aut alia religiosorum virorum loca fundari, erigi, quovis modo institui debere, nisi sub expressa obligatione exactæ vitæ communis ab omnibus religiosis ibi commorantibus perpetuo, et inviolate servandæ, ac propterea nullas deinceps admittendas hujusmodi fundationes, nisi, præter ad id requisita, prius legitime constiterit adesse annuos redditus, vel certam eleemosynarum spem, quibus duodecim saltem religiosi in exacta vita communi commode valeant sustentari.

§ 10. « Non obstantibus circa præmissa omnia, et singula ordinationibus apostolicis, necnon quorumcunque ordinum statutis consuetudinibus, privilegiis, cæterisque contrariis quibuscunque.

§ 11. « Ad extremum eadem sacr. congregat. regulares omnes cujuscunque ordinis, et instituti sint, Sanctitatis Suæ verbis serio admonet, et in Domino obtestatur, ut omni mora postposita, sicuti filios obedientiæ decet, ad regulæ, quam amplexi sunt, præscriptum vitam instituant, et componant, decretisque apostolicis pro æterna illorum salute editis, sincere ac fideliter pareant, nec ab eorum observantia inanibus interpretationibus, et fallaciis, aut relaxationum prætextibus, ad excusandas excusationes in peccatis abduci se sinant, sed professionis suæ memores, qua se totos Dei obsequio manciparunt, susceptum Christianæ perfectionis iter, arduum quidem, sed divinæ charitatis dulcedine aspersum, abjectis terrenarum rerum curis, alacriter prosequantur: Nimis enim turpe esset, eos ad sæcularia desideria, quibus semel, aspirante Domino, renuntiarunt, animum revocare, et obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint se ad peculiarem Salvatoris nostri sequelam vocatos, qui, cum dives esset, propter nos egenus factus est, veterumque illorum fidelium gloriosos imitatores, ac veluti heredes esse, quorum erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, dividebantur autem singulis, prout cuique opus erat; ideoque in regularis vitæ, præcipue sanctæ paupertatis, quæ est parens quædam, generatioque virtutum, proposito perseverent, omnem sollicitudinem suam projicientes in eum, cujus oculi in pauperes respiciunt, qui non derelinquit sperantes in

Digitized by Google

se, sed dives in misericordia centuplum, et vitam æternam propter nomen suum relinquentibus omnia repromisit. »

« *Dat. Romæ die* 18 *Julii* 1695.

« Loco ✠ sigilli.

« G. Card. Carpineus.

« Carolus Augustinus Fabronus sac. cong. secret. »

(12. Unde ad valorem professionis requiritur, quod tam novitiatus, quam professio fiat in solis dictis conventibus designatis. *Vide* verb. Regularis professio, n. 19.

(13. Hinc regulares nequeunt amplius novos conventus erigere, seu fundare, nisi prius cor. sacr. congregatione Disciplinæ regularis justificaverint reddituum, aut eleemosynarum sufficientiam pro observanda exacta vita communi, ut expresse statuit, ac renovavit ead. sac. cong. Disciplinæ regularis, prout sequitur.

Procuratoribus generalibus ordinum regularium renovatur prohibitio alias injuncta non procedendi ad fundationem novorum conventuum, et monasteriorum intra Italiam, et insulas adjacentes, nisi prius conventus, et monasterii fundandi reddituum sufficientia, et subsistentia cor. sacr. congr. justificata fuerit.

« La sacra congregazione sopra la disciplina regolare destinata dalla santa mem. d'Innoc. XII a stabilire specialmente l'osservanza della vita comune, ed a riconoscere la sufficienza, e sussistenza delle entrate per essa necessarie nelle fondazioni, che avessero avuto a farsi di nuovo di monasterj, e conventi dentro l'Italia, ed isole adjacenti, vedendo che non viene in questa parte tanto essenziale in verun conto adempita la mente di sì zelante Pontefice, non ostanti le pene di privazione di voce attiva, e passiva, sospensione dalle cariche, e dignità, perpetua inabilità ad esse *a superiori pro tempore*, a'quali appartiene simile incombenza, è venuta in determinazione di ridurre a memoria di tutti i superiori regolari l'obbligo preciso, che loro ne corre, avvertendo di non tentare in avvenire fondazione alcuna, senza giustificare, come sopra, la sufficienza, e sussistenza dell'entrate avanti la stessa sacra congregazione, sotto le pene enunciate, ed altre ad arbitrio della medesima.

« Monsignor de Vico segretario, che ne avanza la notizia al P. procuratore generale ec. per la dovuta esecuzione in ciò, che concerne l'interesse della sua religione, starà attendendo il riscontro in *scriptis* della ricevuta del presente viglietto, unitamente colla nota dell'ultima fondazione, specificando il giorno, mese, ed anno, in che seguì, e di cuore lo riverisce.

« *Di Casa questo dì* 23 *Febbrajo* 1717. »

(14. Etiam in monasteriis monialium, in quibus non observatur vita communis, non debent recipi puellæ neque ad habitum, neque ad educationem, licet haberent licentiam sacræ congregat. quæ non deroget in specie decreto generali sacra congregat. Episcop. *in Placentina* 4 Septembr. 1303; *in Pisana* 6 Octobris ejusdem anni; *in Vercellen.* 18 Maii 1616; *in Messana* 15 Novemb. ejusdem anni; *in Caputaquen.* 2 Junii 1627; apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Vita communis*, n. 5.

(15. Hinc sacra congregat. Episcop. et Regul. *in Neapolitana* 26 Maii 1602, statuit quod monasteriis renuentibus reformationem acceptare non concedatur licentia recipiendi puellas ad habitum. (16. Item nec admittendi ad professionem eas, quæ se ad illam nolunt obligare. Ead. sac. congreg. Episc. et Regul. *in Neapolitana* 8 Aprilis 1605.

(17. In iis monasteriis, quæ partim illam reformationem recipiunt, et partim non, recipi non debent nisi illæ quæ se volunt reformationi subjicere. Ead. sac. congregat. Episcop. 17 Aprilis 1602. (18. Nec reformatio est credenda statim, sed probanda diu antequam detur licentia vestiendi. Eadem sac. congreg. Episcop. *in Capuana* 17 Novembris 1602, et 4 Maii 1604, et consimiliter sæpe sæpius alibi. (19. Quæ tamen professionem emiserunt, antequam introduceretur reformatio, hortari debent ad illam acceptandam, sed non cogi. Ead. sac. cong. Episcop. et Regul. *in Neapolitana* 5 Martii 1602; apud Nicol., in *Floscul.* verb. *Reformatio*, n. 10. *Vide* ad rem verb. Monialis art. 2, a n. 67 ad 70 inclusive, et verb. Professio, n. 84.

(20. Vita communis introduci debet in omnibus, et non in victu solum. Sacra congreg. Episcop. et Regul., *in Panormitana* 5 Novembr. 1603. (21. Unde non solum dotes, et canones, et eleemosynæ cujuscunque particularis monialis, sed etiam opera, et omnia acquisita poni debent in communi. Eadem. sacr. congr. Episcop. et Regul. *in Parmen.* 11 Augusti 1628.

(22. Non debet permitti repartimentum tritici, olei, et pecuniæ inter moniales, uti vitæ communi de directo repugnans. Eadem sacra cong. Episc. et Regular. *in Brundusina* 21 Octobr. 1616. (23. Et multo minus consignari monialibus particularibus fructus prædiorum. Ead. sacr. congreg. Episcoporum et Regular. *in Licien.* 1 Septembr. 1651.

(24. Imo neque debet permitti moniali, aut regulari vitalitium, seu livellum, vel legatum ipsi relictum, seu constitutum sub conditione, ut nihil acquiratur monasterio, sed totum cedat, et erogetur pro suis indigentiis, seu aliis usibus piis sibi benevisis, apposita pœna caducitatis in casu contraventionis : Sic Bartolus in leg. *Lucius Titius*, § *Tres hæredes*, n. 3, ff. *Ad Trebell.*; Tapia, in authent. *Ingressi*, vers. *Ipso ingressu*, cap. 3, n. ult., *Cod. de SS. Eccles.*; Galganet., *De condit. et demonstr.*, part. II, cap. 5, q. 11, n. 8; Card. Petra, tom. IV *Commentar. ad constitut.* 5 *Benedicti XII*, n. 50, et alii. Et ratio est, quia talis conditio, ut nihil ex vitalitio, seu legato acquiratur monasterio, est contraria sacris canonibus expresse statuentibus, quod quidquid acqui-

Digitized by Google

rit monachus, acquirat monasterio, can. *Statutum* 1, caus. 18, quæst. 1; can. *Abbates* 16, caus. 18, quæst. 2; can. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, quæst. 3, cap. *In præsentia* 8, De probat. cum similibus. Item est contraria dispositioni conc. Trident., sess. XXV, *De Regular.*, cap. 1, et decretis Clement. VIII *Pro reformat. regular.*, innovatis a sacra congregatione Concilii jussu Urbani VIII in decret. *De apostatis et ejectis*, adeoque est turpis, et de jure impossibilis, adeoque pœna caducitatis ipsi apposita vitiatur, quemadmodum vitiatur ipsa conditio; sicque, tanquam apposita actui a legibus interdicto, attendenda non est, etiam neglecto testatoris præcepto, l. *Unica* in fine; *Cod. de his quæ pœnæ nomine*, cap. *Tua* 17, De testamentis.

(25. Sic etiam sentire visa est sacra congr. Conc. *in Leodien. annuæ præstationis* 6 Junii 1682, in qua testator legaverat monasterio monialium pecuniam investiendam sub conditione, ut tres moniales ejus filiæ percipere possent earum vita durante tercentum florenos aureos pro suis necessitatibus, apponendo pœnam caducitatis in casu contraventionis: cum enim moniales cuperent acceptare legatum, ac vererentur ne permittendo particulare legatum factum tribus monialibus filiis testatoris, violaretur status vitæ communis, et ideo supplicassent, præfatis tribus monialibus permitti retentionem, et usum annuæ præstationis juxta mentem testatoris, aut alio modo consuli indemnitati monasterii. Sacr. congr. Conc. respondit: « Monasterium posse acceptare legatum, et quoad legatum particulare servetur decretum san. memoriæ Clementis VIII. »

(26. Idem clare colligitur ex alia resolutione ejusdem sacræ congregat. Concil. *in Mantuana administrationis*, in qua novitius professionem emissurus testamentum condidit favore tertii, sibi reservans annuam præstationem erogandam, et disponendam in sui servitium absque eo quod jus in favorem alicujus acquiri posset: Cum autem ex dicta præstatione acquisivisset de consensu superiorum prædia, et census, ejusque superiores intenderent incorporare conventui annuam præstationem, et de administratis rationem exigere, supplicavit declarari: « I. An dicta præstatio annua reservata, seu fructus prædii ob morositatem hæredis loco pecuniarum subrogati spectent libere ad oratorem? II. An de redditibus perceptis ex bonis postea acquisitis teneatur rationem reddere? » Sacra congregat. die 28 Novembr. 1706, respondit: ad I, *Negative;* ad II, *Affirmative.*

(27. Consimiliter habetur ex resolutione sac. congregat. Episcop. et Regul. *in Neapolitana*, in qua indultum ab ipsa concessum, quod comperiebatur aliqualiter læsivum vitæ communis, fuit ab eadem sacra congregatione revocatum. Cum enim duæ moniales monasterii SS. Trinitatis Neapolis obtinuissent a sacra congregat. Episcop. et Regular. indultum, ut possent recipere annuam præstationem scutor. 200, a parentibus solvi promissam, ita tamen, ut superiorissæ, seu depositariæ traderetur eroganda ab ipsis monialibus pro earum indigentiis, sive aliis usibus piis sibi bene visis; reclamantibus contra indultum reliquis monialibus, ubi læsivum vitæ communis, et constitutionum monasterii, ex eo quod annua præstatio eroganda esset per abbatissam in usus a præfatis duabus monialibus destinandos. Sacra congregat., die 7 Aprilis, 1707, rescripsit: « Servandas esse omnino constitutiones, non obstante indulto. » Sic expresse, supradictas tres resolutiones refert prout jacent, Eminentiss. Petra, *l. cit.*, n. 34 et 51.

(28. Alia ad rem. *Vide* verb. LEGATUM; verb. MONIALES, art. 2; verb. PROFESSIO; verb. REGULARES, et verb. VOTUM, art. 3, n. 43.

VITIUM.

Vide verb. VIRTUS *a n.* 13 *ad* 95.

VITRICUS

(1. Vitricus quis sit? *Vide* verb. AFFINITAS sub n. 16. (2. Vitricus absque ulla dispensatione ducere potest in uxorem eam, quæ fuit uxor sui privigni. Sacr. congreg. Concil. *in Bejanen.* 8 Junii 1720 et 8 Martii 1721, ut refert Ursaya *in* 2 *Miscellan. sacro et profan.*, litt. V, n. 89, et tom. IV, part. II, discep. 19, § 1, an. 186. V. *Addit. Casin.* V. MATRIMONIUM, art. 6, sub n. 28.

VIVÆ VOCIS ORACULA

Vide verb. ORACULA VIVÆ VOCIS.

UNCTIO EXTREMA

Vide verb. EXTREMA UNCTIO.

UNIO BENEFICIORUM SEU ECCLESIARUM.

Hæc porro adnotanda veniunt ad rem.

(1. Unio est beneficiorum seu Ecclesiarum ab episcopo seu alio superiore ob utilitatem, seu necessitatem Ecclesiæ facta annexio. Est in re communis.

Digitized by Google

(2. Unio prædicta fit potissimum tribus modis; Glossa, in cap. 1, verb. *Uniendo*, Ne Sede vacante; Gonzalez ad regul. 8 *Cancellariæ*, gloss. 5, § 7, n. 26, 27 et sequent.; Fagnan., in cap. *Novit*, n. 2, *Ne sede vacante;* Barbos., *De offic. et potest. episcop.*, part. III, allegat. 66, n. 2; Rebuffus, in *Prax. benefic.*, tit. *De unionibus beneficior.*, n. 11 et sequent.; Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 12, n. 39, et alii passim.

(3. Primo modo fit talis unio, cum ex duobus beneficiis fit tantum unum, ita ut neutrum eorum uniatur alteri, sed ambo simul uniantur, ut patet ex c. *Decimas* § final., caus. 16, quæst. 1, ibi: « Papa duos episcopatus in unum redigere potest. » Et talis unio præsertim fit, cum duæ parochiales ecclesiæ vicinæ, et populo ratione belli, pestis et hujusmodi valde destitutæ, ita adinvicem uniuntur, ut ex duabus fiat tantummodo unica. Et tunc illa unica ex duabus sic unitis resultans retinet consuetudines ac privilegia favorabilia utriusque ecclesiæ sic in unam redactæ. Unde hæc unio dicitur *exstinctiva*, seu *translativa*, eo quod ex duabus ecclesiis fiat unica tantum, sicque altera minus privilegiata exstinguatur, ac perimatur, et in aliam magis privilegiatam, ac potioribus juribus gaudentem transferatur, ac cum ipsa omnino incorporetur; Fagnan., in cap. *Exposuisti* 34, De præbend., et in cap. *Novit*, n. 3, *Ne sede vacante;* Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 12, n. 40, et 41, et alii, *arg. cit.*, cap. *Medicamentum*, De pœnitent., dist. 1.

(4. Secundo modo fit talis unio, cum duæ ecclesiæ ita uniuntur, ut non coalescant, sicuti dicto primo modo in unum corpus, sed una sit superior, et alia inferior, ac accessoria superiori, seu principaliori, et solet fieri pro augmento dotis alterius beneficii non habentis sufficientes redditus pro congrua beneficiarii sustentatione. Unde talis unio nuncupatur *accessoria*, seu *subjectiva*, ut ex communi notant Fagnan., in cit. cap. *Novit*, n. 3, *Ne sede vacante*, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 42. Sicque ecclesia accessorie alteri unita assumit naturam, consuetudines et privilegia principalis, cui est annexa; argument. cap. *Recolentes* 3, § final. *De statu monachor.*, et cap. *Accessorium* 42, De regul. jur. in 6, ibi: « Accessorium naturam sequi conguit principalis. »

(5. Tertio modo fit talis unio, cum neutra ecclesia alteri subjicitur, sicuti dicto secundo modo, nec ipsæ coalescunt in unum corpus, sicuti dicto primo modo, sed ambæ ecclesiæ ita æque principaliter, invicem uniuntur, ut ambæ adhuc suum titulum atque honoris gradum retineant, et solum ab uno eodemque rectore regantur; sicque adhuc remaneant duo beneficia omnino distincta, verb. grat. duo distincti episcopatus, quamvis sit unicus, et idem utriusque episcopatus; argument, cap. *Et temporis* 16, quæst. 1, juncta glossa ibidem verb. *Unire:* Fagnan., in cit. cap. *Novit*, n. 4, *Ne sede vacante;* Garcias, *De benefic.*, part. XII, cap. 2, n. 37; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 51, et alii. Et talis unio appellatur *Unio æque principaliter facta*, quæ aliud non operatur, nisi ut rector unius sit etiam rector alterius, cum in reliquis utrumque beneficium remaneat adhuc distinctum beneficium, sicuti prius, cum propriis redditibus, privilegiis, honoribus, etc., ut in pluribus episcopatibus æque principaliter unitis, et signanter in Nepesino, et Sutrino; Viterbiensi, et Tuscanensi; Hortano, et civitatis Castellanæ, Cortonensi, et Montisflasconii, Lauretano, et Recinatensi, Sulmonensi, et Valvensi, Campaniensi et Patraniensi; Scalensi, et Ravellensi; Melphiensi, et Rapollensi, Adriensi, et Pinnensi, Tarracinensi, et civitatis Priverni; Camerinensi, et civitatis Fabriani; Aquinatensi, et Pontis Corvi, et pluribus aliis brevitatis gratia relictis.

(6. Unio beneficiorum est duplex, alia perpetua, et alia temporalis. *Perpetua* est illa, in qua exprimitur, ut perpetuo duret, ut cap. *Exposuisti* 32, De Præbend., ibi: *De capellis in perpetuum uniendis;* seu quæ fit *ad perpetuam rei memoriam*, cum hoc idem importet ac ly *in perpetuum*, seu quæ fit ad beneplacitum Sedis Apost.; quia, cum Sedes Apost. non moriatur, talis unio durabit in perpetuum, nisi revocetur, cap. *Si gratiose* 5, De rescriptis in 6. Unio *temporalis* e contra est illa, quæ fit ad tempus, v. g. ad vitam ejus cui conceditur et fit contemplatione personæ; proinde per illius mortem exspirat, arg. cap. *Quoniam:* Abbas, 14, de officio delegati, cum similibus. Et talis unio in effectu est quædam dispensatio retinendi plura simul beneficia etiam de se incompatibilia, ut patet in Germania, ubi a Sede Apostolica solet aliquibus episcopis concedi retentio plurium episcopatuum, ut notat Fagnan. in cap. *Dudum*, n. 29, De election., ubi sic habet: « Sic videmus in Germania cum sublimibus personis non raro dispensari super retentione plurium episcopatuum, etc., ut catholicam religionem, expulsis hæresibus, consilio, opibus et auctoritate sartam tectam tueantur. Ex hac ratione princeps elector Coloniensis ad præsens obtinet episcopatum Coloniæ, et episcopatum Leodiensem, Monasteriensem, Paderbornensem et Hildasimensem. » Et plures similes dispensationes refert Ursaya tom. V, part. I, disceptat. 6.

(7. Unde unire episcopatus ad solum pertinet Papam, textu expresso in cap. *Sicut unire* 8, De excessibus prælat., ibi: « Sicut unire episcopatus, atque potestati subjicere alienæ, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur (130). »

(8. Papa non solum episcopatus, sed etiam

(130) Tridentina synodus, sess. VII, cap. 5 *De reform.*, prudentissime cavit, ne quisquam plures metropolitanas, seu cathedrales ecclesias in titulum, sive commendam, aut alio quovis nomine contra sacrorum canonum instituta reciperet, aut retineret. Hoc tamen decreto non obstante, salva restat auctoritas Sedis Apostolicæ, quæ, ut bene notat Fagnanus in cap. *Quanto*, De translat. episcop., potest concedere duos episcopatus uni episcopo, prout de facto concedit etiam hodie ultra montes, *ex regulis prudentialibus*, ut inquit Card. de Luca in *Adnotat. ad concil.*

Digitized by Google

quæcunque alia beneficia unire potest, cum in omnibus beneficiis plenariam habeat potestatem; cap. *Licet* 2, De præbend. in 6, et Clement. 1, § final. *Ut lite pendente.*

(9. Episcopus potest ex legitimis causis unire beneficia, et ecclesias suæ diœcesis, cit. cap. *Sicut unire* 8, De excessibus prælat.; cap. *Exposuisti* 33, De præbend.; cap. *Consultationibus* 4, et cap. *Pastoralis* 7, De donationibus; clementin. *Si una*, De rebus Ecclesiæ non alienand., cum similibus.

(10. Archiepiscopus, seu metropolitanus potest quidem unire beneficia suæ diœcesis, sicuti quilibet episcopus per jura, num. antecedenti adducta; at vero nequit unire beneficia diœcesum suorum suffraganeorum: Barbos., cit. allegat. 66, n. 13, et lib. III *Jur. Eccles. univers.*, cap. 16, n. 58; et super Trident., sess. XXI, *De reformat.*, c. 5, n. 3, cum pluribus ibi citatis; Fagnan., in cit. cap. *Unire* 8, De excessib. prælator., n. 8, testans sic decisum fuisse a sacr. congregat. Concil., ibi: « Cum fructus præbendarum collegiæ ecclesiæ oppidi de Exea essent adeo tenues, ut vix sustentationi canonicorum sufficerent, et fuisset petitum declarari a sacra congregat. Concil. an episcopus eis unire posset aliqua simplicia beneficia, et eo nolente, vel negligente, metropolitanus? Responsum est episcopum posse, non tamen teneri, metropolitanum vero in hoc non posse supplere (131). »

(11. Capitulum sede vacante potest unire ea beneficia, quæ potest episcopus: dummodo per eam unionem jurisdictioni episcopali nihil detrahatur: capitulum enim succedit in integram ordinariam jurisdictionem episcopi: Barbos., cit. allegat. 66, n. 11, et super *Trident.* sess. VII, cap. 3, n. 16, cum Marian., Socin., Caccialup., Rebuff., Perusin., Hojeda, Sanchez, Zerola, Marc. Ant., Genuens., Quaranta, Garcia, Ragus., ibi citatis. Ventriglia *in Praxi*, tom. II, adnotat. 8, num. 8; Reiffenstuel, lib. III *Decret.*, tit. 12, n. 64; Pirrhing., lib. III *Decretal.*, tit. 5, n. 207, et alii.

(12. Legatus a latere in provincia sibi concredita potest unire beneficia dictæ provinciæ suæ legationis absque tamen præjudicio episcopi; legatus enim a latere potest in sua provincia omnia, quæ episcopus in sua diœcesi, arg. cap. 1, § final. *De offic. legati*, in 6. Sic tenet in cit. cap. *Sicut unire*, Abbas, n. 5; Cardinal., n. 1; Imola, in fine; Barbos., cit. alleg. 66, n. 12; et super *Trid.*, *loc. cit.*, n. 17, cum Rebuff., Gambarupta, Hojeda, Azorio, Sanch., Garcia, Aloysio Riccio, Ugolino, Lotterio ibi citatis, Ventriglia, *loc. cit.*, n. 7; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 207; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 63, et alii post Rotam decis. 459, in antiquis, alias 3, *De officio legati*, et alibi pluries.

(13. Vicarius generalis episcopi non potest beneficia unire, nisi specialiter ab episcopo committatur, arg. cap. ult. *De offic. vicarii*, in 6; Barbosa, cit. allegat. 66, n. 10, et super *Trident.*, *loc. cit.*, n. 15, cum Marian., Socin., Rebuff., Anton., Orch., Hojeda, Sbroz, Azorio, Petro de Perusio, Garcia, Aloysio Riccio, Gratian., Sanchez, Narbona, Lotterio ibi citatis, Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 65; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 10; Theod. de Rubeis, in singularibus Rotæ, part. II, verb. *Vicarius*, § 2, n. 112, allegans plures Rotæ decisiones.

(14. Abbates, aliosque prælatos episcopo inferiores habentes ecclesias sibi ita plene subjectas, ut jurisdictione quasi episcopali in eis fungantur, seu exsistente speciali privilegio, aut consuetudine legitime præscripta, posse beneficia unire, tenent Marian., Soccin., in cit. cap. *Sicut unire*, art. 3, n. 41 et 42; Sbroz, *De officio vicarii*, lib. II, q. 115, n. 11; Barbosa, cit. alleg. 66, n. 14, et super *Trid.*, *loc. cit.*, n. 18, cum Garcia, Azorio, Sanchez, Aloysio Riccio, Lotter., ibi citatis; Federic. de Senis, cons. 111, n. 8; Oldrad., cons. 257, n. 5; Rota, part. II, recent. decis. 373, n. 19; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 3 et 4, cum aliis ibi citatis, dicens sic limitari communiter per doctores denegationem facultatis uniendi beneficia in inferiori prælato facta in cit. cap. *Unire*, quia talis prælatus inferior id jurisdictionis exercet in sua diœcesi, quod exercet episcopus in sua, et alii apud Fagnan., in cit. cap. *Sicut unire*, n. 17, dicens, quod hanc sententiam alias probavit sacr. congregat. Concil. Tridentin. interpretum: « Censuit enim inferiores episcopo non posse unire, nisi hanc facultatem legitime præscripserint, aut ex privilegio in Ecclesia sibi pleno jure subjecta jurisdictionem quasi episcopalem habeant in omnibus, et per omnia, alioquin unionem ab episcopo faciendam esse cum consensu ipsius inferioris, et capituli. »

(15. Contrarium tamen, abbates, aliosque prælatos episcopo inferiores non posse ecclesias unire, vel unam alteri subjicere, quantumcunque ecclesiæ ipsæ ad illos spectent pleno jure, defendunt in cit. cap. *Sicut unire;* Joan. Andr., n. 2, in verb. *Unio;* Henric. Boich., post princ. vers. et nota; Card., n. 3, in 2 oppos.; Anchoran., n. 3; Hostien., in cap. *Quia nonnulli*, verb. *Pa-*

Nota editorum Casinensium.

(131) « Limitatur (ita Ventriglia *Prax. for. Eccles.*, part. II, annot. 8, § 1, n. 6) supra posita conclusio in casu legitimæ appellationis, quæ potest intercedere in hoc casu; nam episcopus, stante justa causa, tenetur unire, prout cum Archid. et Mendos. tenet Ricc. et proinde, si legitime interpellatus denegat unionem, gravat, et consequenter justam viam parat appellationi; quo casu, quia proprium appellationis est suspendere, et devolvere negotium, metropolitanus valide potest unire beneficia diœcesis suffraganei. »

Audiamus insuper clar. Leurenium, qui sic habet: « Limitat responsionem Ventrigl., ut metropolitanus id possit ex causa legitima, quæ potest in hoc casu intercedere, dum nimirum episcopus legitime interpellatus negat unionem, gravat et sic parat viam justæ appellationi, quo casu, cum proprium sit appellationis suspendere, et devolvere negotium, metropolitanus potest valide unire beneficia diœcesis suffraganei. » *For. benef.*, p. III, quæst. 904, n. 2.

Digitized by Google

rochiales, De clericis non resident.; Archidiacon., in cap. *Cum singula*, in verb. *Annexæ*, De præbend., in 6; et ita tenere communiter doctores antiquos testatur Marian. Socin., in cit. cap. *Sicut unire*, art. 4, n. 41, atque id expresse tenet Glossa, in Clement. *Si una* 2, De rebus Ecclesiæ non alienand., verb. *Episcopum*, et alia Glossa in Clement. *Ne in agro* 1, § *Ad hæc*, De statu monachor, verb. *Ordinarios*, et sic docent alii plures per text. in cit. cap. *Sicut unire*, quia unire est unus de casibus episcopo reservatis, et denegatis inferioribus, atque ita censuit etiam sacra congregatio Concil., apud Fagnan., *loc. cit.*, n. 18, ibi: « Alias tamen consulta, an abbates exempti, qui jurisdictionem ordinariam quasi episcopalem habent, possint, si sæculares, et collegiatas ecclesias obtinent, facere uniones, sicut possunt episcopi ex cap. 15, sess. XXIV, respondit non posse abbatem hujusmodi, sed episcopum tantum, si collegiata est insignis, et observentur alia præscripta in dicto cap. 15. »

(16. Unde ad conciliandas omnes meliori modo supradictas doctorum sententias, et sac. congregat., declarationes, concludendum est non posse dictos prælatos episcopo inferiores de sola sua ordinaria quasi episcopali jurisdictione beneficia unire sine assensu proprii episcopi, juxta clarum textum in cit. cap. *Sicut unire* 8, De excessibus prælator; bene vero posse, si ex speciali privilegio, aut consuetudine legitime præscripta id eis competere dignoscatur; nam jura episcopalia inferiores præscribere non prohibentur; cap. *Auditis* 15, De præscriptionibus; Hojeda, *Tractatuum* tom. XV, tract. *De benefic. incompatib.*, part. II, cap. 3, n. 7; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 66; Abbas in cit. cap. *Unire*, n. 3, cum aliis apud Fagn., *loc. cit.*, n. 15, 16 et 17.

(17. Ad faciendam beneficiorum unionem, præter legitimam facultatem, requiruntur tres præsertim conditiones. *Communis.*

(18. Prima conditio requisita ad faciendam legitimam unionem beneficiorum est causa justa, et prævia cognitio de ejus veritate, arg. cap. *Exposuisti* 33, De præbend., et Clement. *Si una* 2, De rebus Eccles. non alienand., juncto concilio Triden., sess. VII, *De reform.*, cap. 6, ubi expresse dicitur, quod « Uniones perpetuæ.... quæ deinceps ad cujusvis instantiam fierent, nisi eas legitimis, aut alias rationabilibus causis coram loci ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur, ac propterea, nisi aliter a Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant. » Et sic tenent passim doctores.

(19. Justa causa uniendi beneficia est Ecclesiæ necessitas, vel ipsius utilitas, cap. *Exposuisti* 33, De præbend., ibi: « Si evidens necessitas, vel utilitas exigat, præbendas Ecclesiæ tuæ poteris de capellis in perpetuum annectendis eidem augmentare; » et concordat cap. *Dudum* 1, De rebus Eccl. non alienand. in 6.

(20. Necessitas autem Ecclesiæ tunc censetur intervenire, quando præbenda, cui unio facienda est, caret sufficientibus redditibus ad alendum ministrum, cit. cap. *Exposuisti*, ibi: « De redditibus præbendarum suarum nequeunt sustentari: » concil. *Trident.*, sess. XXI, *De reform.*, cap. 5, ibi: *Propter eorum paupertatem.* Item, quando Ecclesia est destructa ab hostibus, vel desolata, cap. *Quia monasterium* 8, De religiosis domibus; item, quando ecclesiæ sunt vicinæ, et restant pauci de populo, aliis mortuis, et probatur in cap. *Et temporis* 16, q. 1. Utilitas vero tunc intervenit, quando propter fructuum tenuitatem non inveniuntur clerici idonei ad deserviendum, ut habetur ex cit. cap. *Exposuisti* 33, De præbendis. Sic expresse tradunt Barbos., cit. alleg. 66, n. 15 et 16; Ventriglia, *Prax.*, tom. III, annot. 8, § 2, num. 23, et alii.

(21. Si autem unio beneficiorum fiat sine causa, vel ex causa falsa, tunc, quamvis cæteroquin servata sit forma juris, ipsa, vel est nulla ipso jure, ut volunt probabilius Garcias *De beneficiis*, part. XII, c. 2, n. 113; Hojeda, *Tractatuum* tom. XV, tract. *De benefic. incompat.*, part. II, cap. 3, n. 16 et 18; Bursat., cons. 185, n. 13, lib. III; Barbos., cit. alleg. 66, n. 16; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 31; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 24; allegans Rotam, et alios, ac testans sic velle omnes. Vel saltem irrita est ope exceptionis, sicque declaranda nulla, ut tenent Marian., Socin., Rebuff., Azor., et alii plures, quos refert, et sequitur Sanchez, lib. VII *Decal.*, c. 29, n. 175, quique volunt quod episcopus successor non possit conferre beneficium taliter unitum ante dictam declarationem.

(22. Secunda conditio requisita ad legitimam beneficiorum unionem est, quod citentur omnes interesse habentes in dicta unione facienda, eorumque consensus requiratur: Clementin., *Ne in agro* 1, § *Ad hæc*, De statu monach., concil. *Trident.*, cit. sess. VII, *De reformat.*, cap. 6, ibi: *Vocatis quorum interest*; Rota, decis. 133, n. 4, part. I, divers.; Seraphin., dec. 1708; Sanchez, *loc. cit.*, num. 163; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 72; Barbosa, *loc. cit.*, n. 17, et alii passim.

(23. Unde si Ecclesia sit subjecta abbati, aut alii inferiori prælato, non potest episcopus eam unire absque illius consilio et assensu; cit. Clement. *Nec in agro*, § *Ad hæc*, ibi: « Cum consilio et assensu abbatum per locorum ipsorum ordinarios uniantur; » Marian., Socin., in cit. cap. *Sicut unire*, art. 4, quæst. 5, n. 62; Barbosa, *loc. c.*, n. 81; Reiff., *l. c.*, n. 72, et alii passim.

(24. Item si beneficium uniendum pertineat ad collatores, vel electores episcopos inferiores, etiam istorum consensus requiritur, quia istis grave damnum in suis juribus infertur, cum beneficium post unionem non sit amplius vacaturum, sicque ipsi amittant jus conferendi, seu eligendi ratione

Digitized by Google

talis unionis; Garcias, *loc. cit.*, p. 12, cap. 2, n. 202; Rebuffus, in *Praxi benefic.*, tit. *Regula de unionibus*, gloss. 11, n. 1 et 7; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 73, et alii communiter per text. concil. *Trid.*, *loc. cit.*, ibi: *Vocatis quorum interest.*

(25. Item si beneficium uniendum sit de jurepatronatus alicujus, requiritur pro tali unione facienda consensus patroni: *Communis*, per text. in cap. *Suggestum* 20, De jurepatron., ibi: *Cum assensu patroni.... consensu domini fundi*, c. *Patronalis* 7, De donationib.; juncto concilio *Trident.* sess. VII, De reforia., c. 6, ibi: *Vocatis quorum interest*, et sess. XXIV, *De reform.*; c. 15, ibi: *Cum patronorum consensu*. V. Notam hic subjectam, vers. *Declara*, etc.

(26 Talis consensus patroni de jure communi requiritur, sive patronus sit laicus, sive ecclesiasticus, ut docent communiter doctores per citata jura: aliqui tamen negant requiri consensum patroni ecclesiastici vigore concilii *Trident.*, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 15, nam ibi dicit: « Cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint; » per quæ verba concilium a sensu contrario videtur concedere unionem posse fieri per episcopum sine consensu patroni ecclesiastici, ut recte advertunt Sanchez, cit. cap. 29, num. 185; Barbosa, cit. allegat. 66, n. 31; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 45, et alii. Et id etiam habetur ex novissima constitutione Benedicti XIII incip. *Creditæ*, § 4, ubi statuit quod « ordinarii locorum eidem seminario unire et applicare possint ac debeant beneficia simplicia cujuscunque qualitatis et dignitatis fuerint, etiam jurispatronatus ecclesiastici. »

(27. Non requiritur tamen ad talem unionem faciendam consensus rectoris ecclesiæ; vel, ea vacante, consensus defensoris ejusdem, textu claro in Clementina, *Si una* 2, De rebus eccles. non alienand., ibi: « Si una ecclesia alteri ecclesiæ, seu dignitati alicui, vel præbendæ per episcopum, suo consentiente capitulo, uniatur, aut religioso loco donetur, ex eo quod rector ipsius ad hoc vocatus, vel, si vacabat, defensor eidem super hoc datus non exsistit, nequaquam id poterit impugnari. » (28. Et ratio est, quia rectori illius ecclesiæ, seu beneficii nullum infertur præjudicium, cum adhuc libere remaneat rector, et possessor illius sicuti antea, ex quo dicta unio totalem effectum suum non sit habitura, nisi post mortem, vel amotionem illius rectoris, argum. cap. *Consultationibus* 4, De donationibus, ac notant Glossa, in citat. Clementin. *Si una*, verb. *Vocatus;* et Barbos., *ibid.*, n. 4, et cit. alleg. 66, n. 20, cum Cardinali, Ancharan., Riccio, Garcia, Sanchez, Lotter., ibi citatis; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 79; Rota, decis. 133, n. 14, part. II, diversor., et alii communiter teste Ventriglia, *loco cit.*, § 2, n. 16. Ubi, num. 17, subjungit, quod si rector prædictus, seu, vacante ecclesia, ejus defensor, sponte comparuerit justam allegando causam contra unionem, sit audiendus, argum. cap. *Si quis presbyterorum* 6, juncta Glossa, verb. *Personis*, De rebus Ecclesiæ non alienand. Et faciunt dicta per Barbosam, lib. III *Jur. Ecclesiast. univers.*, cap. 16, numer. 41; Garciam, *loc. cit.*, cap. 2, num. 219 et 220; Hojedam, *loc. cit.*, cap. 3, num. 9, et alios.

(29. Neque requiritur pro tali unione facienda consensus plebis, quamvis, si sponte compareat, et alleget rationabilem causam impeditivam talis unionis, sit audienda, argum. citat., capit. *Si quis presbyterorum* 6, juncta Glossa verb. *Personis*, De rebus Eccles. non alienand., et tenent Garcias, *loc. cit.*, cap. 2, n. 219 et 220; Hojeda, *loco cit.*; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 76; Ventriglia, *loco cit.* n. 20, et alii, ac Rota *in Gerunden. unionis*, 20 Mart. 1690, *coram D. Sacrato*, ubi fuit resolutum parochianos esse legitimas personas in hac causa, cum illorum intersit bonum habere pastorem

(30. Tertia conditio requisita ad legitimam unionem faciendam per episcopum est consensus capituli. *Communis*, textu expresso in cit. Clementin. *Si una* 2, De rebus Eccles. non alienand., ibi: « Per episcopum, suo consentiente capitulo, uniatur; » juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Consentiente*, et concordat cap. *Pastoralis* 7, De donationib., ibi: « Sed ut episcopi donatio (seu unio ecclesiæ pro loco facta) sit legitima, consensus est sui capituli requirendus (132).»

(132) Necessario requiri consensum capituli cathedralis, dum per episcopum fit unio beneficiorum, vel inde infertur, quod nempe cum maxima sit conjunctio episcopi cum eodem, ex hac quidem consideratione, majoris et gravioris momenti negotia exigunt tractari cum dicto capitulo, et de illius consensu expediri.

« Ampliatur responsio 1 ut adhuc hodiedum, dum ex *Tridentino* datur facultas uniendi episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, adeoque etiam dum hi uniunt tanquam Apostolicæ Sedis delegati, requiratur hic capituli consensus (Garcias *De benefic.*, tom. II, part. XII, cap. 2, num. 157, et seq.), sic resolutum inquiens a sac. congregat. » Ita Leurenius, *For. benefic.*, part. III, quæst. 914, num. 2. Et revera sacra cong. Conc., 20 Novemb. 1600, decrevit, ut sequitur: « Congregat. censuit episcopum in unione facienda vigore decreti concilii (*Trid.*) sess. XXI, cap. 5, teneri adhibere consensum Capituli, quod si illum consensum in unione prætermiserit, unionem nullam, atque irritam esse. » Apud Rigantium *Comment.* in reg. 13 *Cancell.*, num. 141.

« Ampliatur responsio 2, ita ut adhibitio hujus consensus requiratur pro forma, adeoque, ea omissa, sit omnino nulla... Ac proinde jam etiam non sufficit adhibitum capituli consilium. » Leuren., *loc. cit.*, num. 3. Et ut habet Ventriglia, citans etiam Barbos.: « Amplia ut sine hujusmodi consensu capituli unio sit nulla, tanquam facta, forma non servata. » *Prax for. Eccles.*, part. II, adnotat. 8, § 2, num. 5.

« Et hic consensus non sufficit, si sit singulorum de capitulo, sed requiritur consensus capitulariter, Rota, decis. 484, num. 7, part. I, in recent. » Sic idem Ventriglia, *loc cit.*, num. 2.

Quod in terminis docet Leurenius, dum ait: « Ampliatur, ut non sufficiat consensus, si sit singulorum de capitulo, sed requiratur consensus capitulariter. » *Loc. cit.*, num. 4, et ut habet Schmalzgrueber, *De*

Digitized by Google

(31. Si beneficium uniendum spectet ad collationem prælati inferioris, requiritur ultra consensum capituli cathedralis, etiam consensus dicti sui prælati, et sui inferioris capituli: Barbos., lib. III *Jur. Eccles. univers.*, cap. 16, n. 43., et cit. alleg. 66. n. 18; Sanchez, *loco cit.*, cap. 29, n. 167; Marian., Socin., in citat. cap. *Sicut unire* 8, De excessibus prælat., art. 6, n. 95, concl. 4; Ventriglia, *loco cit.*, n. 14, et alii per text., in concil. *Trident.*, sess. VII, *De reform.*, cap. 6, ibi: *Vocatis quorum interest.*

(32. Item, si beneficium uniendum spectet ad aliquam collegiatam, requiritur ultra consensum capituli cathedralis, etiam consensus capituli ipsius collegiatæ: Sellius, in *Select. canon.*, cap. 34, n. 8; Ventriglia, *loco cit.*, n. 15, et alii passim per cit. text. in conc. *Trid.*, sess. VII, *De reform.*, cap. 6., ibi: *Vocatis quorum interest.*

(33. Item, si beneficium uniendum sit de jurepatronatus, ultra consensum patronorum requiritur etiam consensus capituli, Rota, part. I, recent. decis. 688, n. 2; Lotter., *De re benefic.*, lib. I, q. 8, n. 157; Ventriglia, *loc. cit.*, § 2, n. 9, et alii per text. in cit. Clement. *Si una* 2, De rebus Eccles. non alienand., et cit. cap. *Pastoralis* 7, De donationibus. *Vid.* Notam hic infra.

(34. Item requiritur consensus capituli etiam pro unione beneficiorum simplicium facienda dignitatibus, aut præbendis ipsius ecclesiæ cathedralis; Ventriglia, *loco cit.*, n. 16, et communis aliorum per jura adducta, n. antecedenti.

(35. Si unio beneficii sit facienda seminario, ultra consensum capituli requiritur etiam consilium quatuor deputatorum, duorum de capitulo, et duorum de clero, juxta terminos concilii *Trid.*, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 18. Sic declarasse Rotam, et sacram congregat. referunt Riccius in *Praxi,* part. I, resolut. 490, n. 3; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 13, et alii asserentes sacram congregationem expresse declarasse, episcopum in tali unione teneri, sub pœna nullitatis actus, requirere consilium prædictorum deputatorum, quamvis illud sequi non teneatur (133).

(36. Si capitulum, vel alii, quorum interest, sine justa causa consensum præstare nolint, possunt ad id compelli per superiorem, Barbos., cit. lib. III, cap. 16, n. 43., et *De canonicis*, cap. 42, n. 13; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 78; Ventriglia, *loc. cit.*, § 2, n. 12, et alii passim. (37. Imo quando evidens causa necessitatis subest, potest talis unio fieri etiam ipsis invitis: Sanchez, lib. VII *in Decalog.*, cap. 29, n. 165; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 78; Pirrhing, lib. III *Decr.*, tit. 5, n. 210, et alii (134).

(38. Non requiritur tamen, quod talis consensus necessario interveniat ante, vel in unione, sed sufficit, etiamsi interveniat post unionem, dummodo antea lis non fuerit incepta: Barbosa, *De canonicis et dignitatibus*, cap. 42, n. 8, et cit. lib. III *Jur. Eccles. univers.*, cap. 16, n. 45, et cit. alleg. 66, n. 22, cum pluribus ibi allegatis, et testans de communi Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 78; Pirrhing, *loco cit.*, n. 210; Ventriglia, *loco cit.*, n. 8, dicens hanc esse communem apud omnes, et alii passim, argum. cap. *Cum nos* 3. De his, quæ fiunt a majori parte capituli, et c. *Cura pastoralis* 11, De jurepatronatus.

(39. Imo talis unio fieri potest sine requisito tali consensu, si adsit alicubi consuetudo legitime præscripta ipsam faciendi sine requisitione dicti consensus: Fuschus, *De visitatione*, lib. II, cap. 26, sub n. 5; Petrus Gregorius, *De benefic.*, cap. 20, n. 6; Garcias, *loco cit.*, cap. 2, n. 152 et 153; Barbosa, *De canonicis et dignitatib.*, cap. 42,

præbend., etc., § 5, num. 189. « Hinc consensus a canonicis præstari debet non sigillatim et singulariter, sed ab iis simul in unum congregatis, *prævio tractatu, et discussione causæ*, propter quam unio fieri prætenditur. »

« Ampliatur, ut consensus capituli necessarius ad unionem sit expressus, ita ut non sufficiat tacitus, advertit Fusch... Contra, nempe sufficere tacitum, defendit Moneta...» Ventriglia, *ibid.*, num. 4.—Revera consensum tacitum non valere tenet Leurenius, *loc. cit.*, num. 5, cui opinioni nos subscribimus; quippe cum agatur non de hujus, aut illius, sed de plurium consensu, qui consensus pro forma requiritur, nec non de gravioris momenti negotio, non videmus quomodo et quare hic collectivus consensus tacite habendus sit. Imo in hoc casu taciturnitas, pro defectu consensus potius, et ex quadam violentia argui posse videretur. Proindeque opinionem monetæ esse explodendam merito censemus.

« Declara, ut consensus capituli requiratur etiam in unione beneficii de jure patronatus laicorum, etiam postquam laici patroni consensum præstiterunt unioni, Rota decis. 688, num. 2, part. I, *in recent.*; et refert Lotter. (*De re benefic.*, lib. I, quæst. 8, num. 157).» Ita anted. Ventriglia, *ib.*, num. 9. Id quod in terminis tenet Leurendum ait: « Ampliatur, ut etiam in unione beneficii, quod est juris patronatus laicorum, etiam postquam laici patroni consensum suum præstiterunt, requiratur insuper consensus capituli.» *Loc. cit.*, num. 6. (Editores Casinenses.)

(133) Ventriglia, cujus opinionem fortiter tuetur Leurenius, *For. benefic.*, part. III, quæst. 914, num. 2, utique tenet, in unione beneficiorum facienda seminario, præter consilium quatuor deputatorum, requiri quoque consensum capituli. « Declarat sic Ventrigl. quod *ultra consensum capituli requisitum ad omnes uniones*, in unione facienda seminario requiritur etiam consilium quatuor deputatorum.» *Prax. for. Eccles.*, part. II, annot. 8, n. 13. At Bened. XIV videtur sentire consensum capituli ex Tridentino non requiri; atque ad id affert s. cong. Concil. decretum *in Ferrarien.*, 3 Mart. 1584, in hæc verba: « Sacra, etc., censuit in unionibus beneficiorum faciendis seminario, satis esse servare formam traditam a concilio cap. 18, sess. XXIII *De reformat.*, nec requiri consilium capituli. » *De synod. diœces.*, lib. IX, cap. 7, n. 2. (Editores Casinenses.)

(134) Quod « si capitulum requisitum nollet absque legitima causa præbere consensum, posset episcopus procedere ad unionem sine illo consensu; cum episcopus privandus non sit potestate uniendi quam habet, ob contradictionem irrationabilem capituli... Quod si tamen justa est causa contradicendi episcopo unionem molienti, *unius de capitulo contradictio sufficiet ad impediendam* unionem;» Castrop., Sanchez, apud Leurenium, *For. benefic.*, part. III, quæst. 914, nu. 10. (Editores Casinenses.)

Digitized by Google

n. 9, et cit. alleg. 66, n. 23; Riccius, resolut. 388, n. 4; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 11, testans ita tenere doctores communiter (135)

(40. Ubi adest consuetudo requirendi talem consensum, si unio fiat sine requisitione consensus capituli, patronorum, aut quorum interest est invalida, cum in tali casu facta sit, non servata forma : Riccius, *in Praxi*, cit. resolut. 388, in princip.; Barbosa, *De canonicis et dignitatibus*, cap. 42, sub n. 8; Garcias, *loco cit.*, n. 166, et 205 cum sequent.; Ventriglia, *loco cit.*, n. 5; Reiffenstuel, *l. cit.*, n. 74. et alii passim per text. in cap. *Pastoralis* 7, De donationibus, et Clement. ultima *De rebus. Eccles. non alienand.*, et favet Concil. *Trident.* sess. VII, *De reform.*, cap. 6, statuens quod uniones viribus omnino careant, « Nisi eas ex legitimis causis coram loci ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit (136). »

(41. Episcopus, concurrentibus supradictis tribus requisitis conditionibus potest unire beneficia suæ diœcesis : *Communis* per text. in cap. *Si cui unire* 8, De excessibus prælat., c. *Exposuisti* 33, De præben; cap. *Consultationibus* 4, et cap. *Pastoralis* 7, De donationibus ; Clement. *Si una* 2, *De* reb. Eccles. non alien., cum similibus.

(42. Episcopus non solum potest unire ecclesiam sæculari, sed etiam potest unire religioni alicui ecclesiam, seu beneficium suæ diœcesis : Clem. *Si una Ecclesia* 2, De rebus eccl. non alien., ibi : *Aut religioso loco donetur;* Glossa, *ibid.*, verb. *Donetur;* Card., *ib.*, in princ., n. 4; not. 4, et n. 11, qu. 7; Ancharan., n. 4; Imola, n. 2 et 3, not. 2 et 3; et Bonifac., n. 3; Marian., Socin., in c. *Sicut unire* 9, De excessibus prælat., art. 4, q. 4, 61 et 62; Calderin., cons. 5, n. 1, *De rebus eccl. non alien.;* Sanchez, *loco cit.*, cap. 29, n. 148; Barbosa, citat. alleg. 66, n. 4, et ipse teste; doctores in cit. c. *Consultationibus* 4, De donationibus.

(43. Item potest episcopus unire beneficium devolutum ad Papam ob non factam collationem tempore debito : alio enim jure devolvitur, et alio unitur, Marian., Socin., in cit. cap. *Sicut unire*, n. 67 et seq.; et ibi: Butrius, n. 10; Abbas, n. 6, et Ancharan., n. 6; Bero, dec. 346, ad fin.; Azor., *Instit. moral.*, p. II, lib. VI, cap. 48, q. 15; Sanchez, cit. cap. 29, n. 129; Barbosa, cit. alleg. 66, n. 5, et supra Trident., sess. XXI, *De reform.*, cap. 5, n. 12, et alii contra alios contrarium sentientes.

(44. Item potest episcopus unire beneficia Papæ reservata, dummodo id faciat ante ipsorum vocationem. Sic decisum fuisse a sacra congr. Conc. referunt Garcias, *l. c.*, p. XII, cap. 2, n. 102, et Barbosa, *in Summa Apostolic. decis.*, verb. *Unio*, num. 6. *V. Addit. Casinenses* in fin. h. art.

(45. Non autem potest ea unire post ipsorum vacationem, et si uniat, unio erit invalida, et provisi a Sede Apostolica mitti debent in possessionem. Sic decisum fuisse a sacra congreg. Conc. referunt Garcias, *loc. cit.*, n. 102, et Barbosa *loco cit.*, n. 7. *V. Addit. Casinenses* infra.

(46. Neque potest episcopus unire beneficia perpetuo reservata, ut sunt primæ dignitates post pontificales, beneficia collectorum, familiarum et officialium curiæ. Garcias, *De benef.*, p. XII. cap. 2, n. 93 et 106; Hojeda, cit. p. II, *De benef. incompatib.*, cap. 3, n. 8; Ventriglia, *l. c.* § 1, n. 30, et alii.

(47. Neque potest unire beneficia quæcunque, etiam simplicia ad tempus, seu ad vitam beneficiarii, sed solum in perpetuum. Barbosa, cit. alleg. 66, n. 8, et super Trident., sess. XXI, cap. 5, n. 10; Zerola, in *Prax. episcop.*, part. I, verb. *Unio*, § 7; Azor., *l. c.*, lib. VI, cap. 28, q. 7; Garcias, cit. cap. 2, n. 84; Sanchez cit. cap. 29, n. 152; Ventriglia, l. c., § 1, n 24; Reiffenst., *l. c.*, n. 58, et alii passim.

(48. Neque potest unire beneficia exempta a sua jurisdictione; nam hoc ipso quod suæ dispositioni subjecta non sunt, non potest illa unire episcopus, sed recurrendum est ad Summum Pontificem. Garcias, cit. cap. 2, n. 62; Sanchez, cit. c. 29, n. 151; Hojeda, cit. cap. 3, n. 7; Barbosa, cit. alleg. 66, n. 9; Reiffenst., *l. c.*, n. 55, et alii communiter.

(49. Neque potest unire beneficia suæ diœcesis beneficiis, monasteriis et ecclesiis alterius diœcesis. Sic expresse concil. *Trid.*, sess. XIV, *De reform.*, cap. 9, addita ratione: « Ut ordo ecclesiasticus non confundatur, aut una et eadem ecclesia duarum quodammodo diœcesum fiat non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint. »

(50. Neque unire potest omnia beneficia, quamvis simplicia suæ diœcesis, sed tantum aliquot. Sic decisum fuisse a sacra congr. Conc. referunt Garcias et Riccius citati a Ventriglia, § 1, n. 23.

(51. Neque unire potest beneficia curata monasteriis, abbatiis, dignitatibus, præbendis, ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, beneficiis simplicibus, hospitalibus, et militiis. Sic expresse Concil. *Trid.*, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 13, ibi: « Ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscunque, aut abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis ec-

(135) Sufficit pro hujusmodi consuetudine, quod lapsum sit tempus 40 annorum, quemadmodum docent Garcias, *De benefic.*, part. XII, cap. 2, num. 156; Leuren., *For. benefic.*, p. III, quæst. 914, num. 9. (Editores Casinenses.)

(136) « Dubitant DD. quisnam possit allegare hanc nullitatem ob defectum consensus capituli. Dicunt aliqui solum capitulum, cujus consensus non fuit adhibitus, posse allegare hanc nullitatem... Nihilominus contrarium, nempe, quod hæc nullitas opponi possit, non solum per ipsum capitulum, sed per quemlibet alium, cujus interest, et verior est, et probatur, nam hic consensus ad unionem non requiritur ob favorem capituli, cum de ejus interesse non tractetur, sed requiritur pro *solemnitate et forma*... Et hanc sententiam secuta est Rota, decis. 247, num. 5, part. I, *Divers.*, et *in Vercellen. Unionis*, 23 April. 1610, *coram cardin. Lancelloto junior* » ita Ventriglia, *Prax. for. Eccles.*, part. II, annotat. 8, § 2. n. 6

Digitized by Google

clesiæ cathedralis, vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus aut hospitalibus, militiisve non uniantur. » (52. Et parochialis unio est ita prohibita a concilio, ut neque aliqua pars ejus fructuum uniri possit prout referunt decisum fuisse a sacra congr. concil. Garcias, cit. cap. 2, num 87; Barbosa, cit. alleg. 46, n. 30; Ventriglia, cit. § 1, n. 33.

(53. Potest tamen episcopus unire beneficia curata cum aliis beneficiis curatis. Item non curata cum ipsis curatis. Sic expresse *Trid.*, sess. XXI, *De reform.*, cap. 5, ibi : « Possint episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati juxta formam juris, sine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcunque ecclesiarum parochialium, et baptismalium, et aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem, et in cæteris a jure permissis, etiamsi dictæ ecclesiæ, vel beneficia essent generaliter, vel specialiter reservata, aut qualitercunque affecta. » *V. Addit. Casinenses* in fin. h. art. sub n. 4, in nota.

(54. Non potest episcopus unire ecclesiam parochialem capitulo cathedralis ob tenuitatem canonicatuum, et ob difficultatem, sive impossibilitatem etiam uniendi beneficia simplicia, et ob id, quod non deceat eorum numerum minui, juxta mentem concilii cap. 15, sess. XXIV, *De reform.* Sic referunt decisum *in una Alexandrina* 30 Martii 1594 : Aldan., in *Compend. canon. resol.*, lib. IV, tit. 9, n. 3, et Ventriglia, cit. § 1, n. 15. (55. Imo neque potest episcopus unire mensæ capitulari beneficia simplicia, quia concilium cit. cap. 15, sess. XXIV, *De reform.*, non dat facultatem uniendi mensæ capitulari, sed tenuibus præbendis singulorum capitularium; sac. congr. Concil. apud Gonzalez ad regul. 8 *Canc.*, gloss. 37, n. 25, et Barbosa in *Summa apostol. dec.*, verb. *Unio*, n. 1. (56. Et hoc quamvis in cathedrali, vel collegiata nullæ sint præbendæ distinctæ, sed duntaxat massa communis capituli, cujus proventus omnes his tantum, qui statutis horis intersunt, distribuuntur. Eadem S. C. Conc. 5 Febr. 1601, apud Aldan., in *Compend. resol. canonicarum*, lib. III, tit. 31, n. 12; et Barbosa *l. c.*, adeoque pro unione advendas sit Apost.; sed [*forsan* adeunda cit. *Summ. Apost.*, et EDIT.] Pignat., tit. 1, cons. 108, n. 9.

(57. Potest tamen episcopus cum consensu capituli etiam per viam unionis perpetuæ curam animarum, quæ incumbit toto capitulo, transferre in certam personam, seu dignitatem ejusdem ecclesiæ? Sic decisum fuisse a sacra C. Concil., die 30 Martii 1594, refert Aldan., in *Compen. canon. resolut.*, lib. IV, tit. 8, n. 4; Garcias, *De benef.*, p. IX, c. 2, n. 190; Barbosa, super *Trid.*, sess. XIV, *De reform.*, cap. 15, n. 16; Ventriglia, *l. c.*, n. 16, aliique.

(58. Potest episcopus canonicatus ob tenuitatem illorum supprimere, et fructus suppressorum aliis canonicatibus, sive præbendis, vel distributionibus ejusdem ecclesiæ unire; dummodo tot canonicatus remaneant, qui divino cultui celebrando, ac dignitati ecclesiæ commode valeant respondere. *Communis*, per textum expressum in Conc. *Trid.*, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 15.

(59. Non potest autem unire dignitates, nec in terminis concilii *Trid.* sess. XXIII, cap. 18, nec sess. XXIV, cap. 13, *De reform.* Sic decisum fuisse a sacra cong. Conc. refert Riccius, in *Praxi*, p. I, resol. 393, vers. *Limita quarto*. Nec etiam canonicatus, nisi per modum suppressionis ut supra. Garcias ad regul. *De mensibus*, gloss. 5, § 7, n. 64; Ventriglia, *l. c.*, n. 21, et alii passim (137).

(60. Neque potest unire beneficia capellaniis etiam cathedralis, quæ habent redditus tenues; quia concilium, cit. sess. XXIV, cap. 15, loquitur solum de præbendis. Item neque sacristiæ, neque fabricæ. Sic decisum fuisse a S. C. Conc. refert Garcias, *De benef.*, p. IX, cap. 2, n. 190, et Barbosa, supra conc. cit., c. 15, n. 13. *V. Add. Cas.*, infra.

(61. Neque potest unire beneficia de jure patronatus, vel spectantia ad inferiores collatores, et electores, nisi de expresso eorum consensu, alias talis unio esset invalida. *Vide* supra, n. 40.

(62. Neque potest regulariter unire beneficia liberæ collationis beneficiis de jurepatronatus, ut expresse habetur ex concilio *Trid.*, sess. XXV, *De reform.*, cap. 9, vers. *Insuper accessiones*, ubi hujusmodi uniones subreptitiæ declarantur, et tenent Leo, *Thesaur. for. Eccles.*, part. XII, cap. 16, n. 14;

(137) Leurenius, *For. benefic.*, part. III, quæst. 897, hæc habet : Ad dub. « An, et a quo primæ dignitates in cathedralibus, et principales in collegiatis uniri possint? Respondeo : Eas uniri posse aliis, sed nonnisi a Papa. Castropa., Azor... »

Notat etiam Fagnanus in c. *Cum accessissent*, De constitution., n. 6 et 7, quandoquidem conc. *Trid.* sess. XXIV, cap. 15, tantum faciat mentionem de suppressione cujuspiam præbendæ, seu canonicatus, casus autem suppressionis dignitatis sit omissus, quod idcirco ob tenuitatem redditnum non possit supprimi dignitas ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ insignis, absque speciali Sedis Apostolicæ auctoritate, seu licentia. Nam salva circa hoc manet dispositio juris communis, de qua fit mentio cit. cap. *Cum accessissent*, ubi suppressio dignitatis primiceriatus valere dicitur ex eo, *quia fuit auctoritate Sedis Apostolicæ confirmata*, et ita etiam sentit Gloss., *ibid.* v. *Confirmatum*. Atque a sacra congregat. Concil. decisum fuisse refert Fagnanus, cit. n. 6 et 7. Ita in terminis Reiffenstuel, ad tit. *Ex. ut ecclesiast. benefic.*, etc., § 2, n. 35.

Sed lubet afferre quæ habet Fagnanus, *loc. cit.* in hæc verba : « Nota... legitimam causam esse supprimendi aliquam dignitatem in ecclesia, ut redditus convertantur in utilitatem canonicorum, quibus proprii redditus non sufficiunt... Causa autem hujusmodi non esset sufficiens ad dignitatem supprimendam, nisi etiam concurreret auctoritas Sedis Apostolicæ. (Hinc) cum capitulum, et canonici ecclesiæ Elnens. qui obtinuerunt ab ordinario uniri præceptoriam ejusdem ecclesiæ, quæ inibi dignitas exsistit, eidem capitulo ob præbendarum tenuitatem, dubitassent an ea valida esset... Sac. congregatio Concil. censuit non potuisse uniri dignitatem. Quamobrem cum casus suppressionis dignitatis sit omissus a concil. *Trid.* sess. XXIV, cap. 15, salva manet juris communis prohibitio. »

Digitized by Google

Garcias, *De benefic.*, part. XII, cap. 2, n. 91; Riccius, in *Praxi*, p. I, resolut. 393, vers. *Limita tertio;* Ventriglia, *l. c.*, n. 28, et alii ea ratione, ne beneficia libera in servitutem redigantur.

(63. Dicitur autem notanter *regulariter*, quia in aliquibus casibus id potest episcopus. Et primo quando patroni renuntiant juripatronatus, quod ab omnibus concedi debet, utpote carens difficultate. Secundo quando concordant, ut beneficium jurispatronatus alternative conferatur, una vice ad patronorum præsentationem, et altera ad liberam collationem, uti decisum fuisse a S. C. Conc., referunt Leo, *l. c.*, in fine; Sellius, in *Select. canon.*, cap. 18, n. 24; Ventriglia, *l. c.*, n. 28, in fine (138). Tertio quando Ecclesia libera minatur ruinam, et habet tenuissimos redditus, tunc enim potest uniri patronatæ cum reservatione jurispatronatus, et onere imposito patrono illam reparandi, et dotandi in scutis 50, prout fuisse decisum *in una Tridentina* 21 Decembr. 1622, referunt Aldan., in *Compend. canon. resol.*, lib. III, tit. 8, n. 17; Ventriglia, *l. c.*, n. 19 (139).

(64. Episcopus non potest unire beneficia dignitati, quæ in ecclesia cathedrali, vel collegiata non habet vocem in capitulo, nec redditus ex mensa capitulari, licet deserviat in choro. Sic declarasse S. C. Conc. die 19 Decemb. 1584, ad dict. cap. 15, sess. XXIV, *De reform.*, refert Ventriglia, *loc. cit.*, n. 34.

(65. Episcopus potest unire seminario, ut commode regi valeat, aliquot beneficia simplicia cujuscunque qualitatis, et dignitatis fuerint, etiamsi essent reservata, vel affecta sine tamen cultus divini, et illa obtinentium præjudicio. Sic expresse concil. *Trid.* sess. XXIII *De reform.*, c. 18, vers. *Nec non beneficia aliquot simplicia;* Barbosa, *ib.*, n. 33, et *De offic. et potest. episc.*, p. III, alleg. 77, n. 28, et lib. III *Jur. eccl. univ.*, cap. 16, n. 30; Fuscus, *De visit.*, l. I, cap. 16, num. 9; Ventriglia, *l. c.*, n. 36, et alii passim. Et sic statuit novissime Benedictus XIII, const. incip. *Creditæ*, § 5. *V. Addit. Cas.* verb. SEMINARIUM.

(66. Non potest tamen ipsi seminario unire omnia simplicia beneficia, alias talis unio esset nulla, quia concilium dicit solum *beneficia aliquot*. Et sic decisum fuisse a S. C. Concil. referunt Barbosa supra conc. cit., cap. 18, n. 35, et cit. alleg. 77, n. 29, et in *Summa Apost. dec.*, verb. *Beneficium Seminario uniendum, vel non*, n. 7; Molphes., in *Summa Theolog. moral.*, tract. 6, cap. 14, a n. 60; Riccius, et alii.

(67. Nec potest seminario unire simplicia beneficia ad collationem inferiorum spectantia, neque canonicatus, nec beneficia Sedi Apostolicæ reservata post illorum vacationem. Sic decisum fuisse a S. C. Conc. referunt Barbosa supra Conc., *loc. cit.*, n. 44; et in *Summa*, *l. c.*, n. 6; Franciscus Leo in *Thesaur. fori. eccl.*, p. II, cap. 16, n. 23; Molphes., *l. c.*, a n. 62.

(68. Nec potest unire seminario canonicatus Collegiatarum, quamvis ex consuetudine non obligent ad residentiam. Sic decisum fuisse a S. C. Episc. *in Aquilana* 27 Martii 1590, refert Barbosa supra conc., *l. c.*, n. 36.

(69. Nec potest seminario unire beneficia regularia, et quæ commendata sunt, seu monasterio unita, aut annexa. Sic decisum fuisse a S. C. Conc. referunt Nicol., Garcias *De benef.*, part. XII, cap. 2, n. 210; et Barbos., super *Trid. l. c.*, n. 36 et 37, ubi asserit resolutum fuisse *in Caput.*, 26 Junii 1586, non posse uniri seminario beneficia regularia, sive dentur in titulum, sive in commendam; secus vero si statum mutaverint.

(70. Beneficia primo vacatura per resignationem simplicem, non autem per conditionalem in favorem certæ personæ, unire potest episcopus vigore concilii cit. cap. 13. Sic decisum fuisse a S. C. ejusdem concilii referunt Gonzalez, ad regul. 8 *Cancell.*, gloss. 14, n. 10; Barbos., supra conc. cit., cap. 18, n. 47, et in *Summa*, *loc. cit.*, num. 2.

(71. Beneficiorum unio non potest fieri seminario nondum erecto, et in quo scholares actualiter non adsunt. S. C. Concil. apud Gonzalez, ad reg. 8 *Canc.*, gloss. 5, § 7, n. 68; Barbosam, in *Summa*, *l. c.*, n. 5; Garciam, *l. c.*, p. XII, cap. 2, n. 193 et 194.

(72. Seminario uniri non possunt abbatiæ, prioratus, monasteria consistorialia, seu beneficia quovis modo Apostolica auctoritate commendata, obtenta, seu obtinenda per S. R. E. cardinales, seu veros et proprios Papæ familiares, nuntios Apostolicos, et secretarios congregationum, quibus iidem S. R. E. cardinales intersunt; sic novissime expresse statuit Benedictus XIII, const. incip. *Creditæ*, § 5, quæ ad litteram refertur

(138) Quod procedit etiam in beneficiis curatis. « Est notandum (sic ad rem Vivianus *De jurepatr.*, lib. XV, cap. 1, n. 17) quod in praxi vidi servari, quando ecclesia patronata, et ecclesia libera ex aliqua necessitate, seu utilitate ad invicem uniuntur ab ordinario cum patroni consensu, et facultates ecclesiarum unitarum sint æquales, pro una vice confert ordinarius, pro alia vice patronus præsentat. Ita contingit in Plebania S. Juliæ de Caprona Pisanæ diœcesis, quæ est liberæ collationis, atque non habente redditus sufficientes fuit annexa, et unita vicina ecclesia S. Martini de Cerspignano ejusdem diœcesis jurispatronatus hæreditarii domini Leonis de Cambinis; nam pro una vice, prævio concursu confert illust. D. archiepiscopus Pisanus, pro alia vice prædicti hæredes rectorem præsentant, et sic alternatim proceditur. » (Editores Casinenses.)

(139) Hæc porro apud Ventriglia cit. *Prax. for. Eccles.*, part. II, annotat. 8, § 1, n. 29. « Si ecclesia libera minatur ruinam, et habet tenuissimos redditus, potest uniri patronatæ cum reservatione juris patronatus, et onere imposito patrono illam reparandi, et dotandi in scutis 50, prout fuisse decisum *in una Tridentina*, 23 Decemb. 1623, testatur Aldan... Hæc decisio est fundata in necessitate reparandi ecclesiam minantem ruinam, unde est, quod si alia via posset reparari, cessat ratio dispositionis, et proinde non est in servitutem redigenda. » (Editores Casinenses.)

Digitized by Google

sub verb. SEMINARIUM, in fine; estque diligenter attendenda, et omnia supradicta juxta ejus dispositionem intelligenda.

(73. Beneficium legitime unitum non dicitur amplius vacare, nec conferri potest. Ludovic., dec. 77, n. 3; Ventriglia, *l. c.*, n. 27; Gonzalez, ad regul. *De mensibus*, gloss. 4, § 7, n. 7, et alii passim.

(74. Uniones legitime factæ sortiri debent effectum, non tantum cum unita beneficia vacare contigerit per obitum, sed etiam per resignationem, eaque de re poterit episcopus Datariam docere. S. C. Conc., apud Garciam, *De benef.*, p. XI, cap. 4, n. 35; et Barbosa, *Summ. Apostol. decis.*, verb. *Unio*, n. 5.

(75. Unde beneficium unitum non potest resignari ad favorem, non facta mentione de unione, alias resignatio non tenet, et gratia est subreptitia. Rota, dec. 3, *De rerum permut.*, in antiquis; Oldrad., cons. 237, n. 20 et seq.; Puteus, dec. 357, n. 4, lib. I; Parisius, *De resignat.*, l. VII, q. 9, n. 41 et seq., testans de communi.

(76. Uniones perpetuæ a 40 annis citra a publicatione concilii Trident. factæ examinari possunt ab ordinariis, et quæ per subreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerunt, irritæ declarari debent. Sic expresse conc. *Trid.*, sess. VII, *De reform.*, cap. 6. (77. Illæ vero uniones, quæ a dicto tempore citra concessæ nondum in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, et quæ deinceps ad cujusvis instantiam fiunt, nisi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus causis coram loci ordinario vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ censeri debent, ac propterea, nisi aliter a Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino carent. Ita expresse conc. *Trid.*, *l. c.*

(78. Item per regulam 13 *Cancellariæ* ab omnibus Pontificibus fieri, et publicari solitam postridie suæ assumptionis ad Pontificatum revocantur omnes uniones, quæ suum non sunt sortitæ effectum ante publicationem dictæ regulæ : *Communis*, textu expresso in dicta 12 regula *Cancellariæ*.

(79. Dicitur autem unio sortita effectum quoad dictam 13 regulam, et cit. decretum concilii *Trident.*, sess. I, *De reform.*, cap. 6, et sess. XXV, *De reform.*, cap. 9, vers. *Insuper accessiones*, quando ipsius vigore capta fuit possessio beneficii uniti ante publicationem dictæ regulæ, vel saltem in parte effectum sortita fuit tempore publicationis concilii : Rota *in Burgen. unionis* 26 Novembr. 1588, *coram Orano*, et communis doctorum.

(80. Unio, cum sit quid facti, non præsumitur in dubio, sed probari debet ab eo, qui factum asserit : Rota, dec. 577, n. 5, lib. III, p. III, divers., et dec. 223, n. 5, p. I, recent. et doctores communiter.

(81. Probatur autem unio pluribus modis : primo, per authenticum instrumentum, seu litteras ipsius unionis : Rota, p. X, recent. dec. 351, n. 2, et p. XI, dec. 305, n. 2, et alibi. Secundo, ex visitationibus ordinarii, in quibus beneficium ut unitum visitatum fuit : Rota, p. X, recent. dec. 9, sub n. 11 et 21; et dec. 48, n. 7. Tertio, ex enuntiativis antiquis, et multiplicatis : Rota, recent., p. V, tom. II, dec. 441, n. 1; p. VII, dec. 50, n. 12; p. VIII, dec. 246, n. 9; p. X, dec. 152, n. 1 et seq., et alibi. Quarto per publicam vocem, et famam, et ex communi reputatione : Rota, recent., p. X, dec. 9, n. 6, et sub n. 21. Quinto, ex diuturnitate temporis, et ex longissima observantia : Rota, recent., p. V, tom. II, dec. 441, n. 4; p. X, dec. 48, n. 6; part. XV, dec. 215, n. 10. Sexto, ex actibus jurisdictionalibus exercitis in beneficio, quod prætenditur unitum : Rota, recent., p. XVII, tom. I, dec. 32. n. 16. Septimo, ex denominatione beneficii tanquam membri, et pertinentiæ alterius : Rota, recent., p. VII, dec. 50, n. 11. Octavo, ex præsentationibus factis in vim tituli unionis : Rota, recent., p. IX, tom. II, dec. 330, n. 26. Nono, ex creatione vicarii perpetui cum assignatione congruæ, et onere solvendi certam portionem fructuum ipsi beneficio, cui unio facta fuit : Rota, recent., p. IV, tom. II, dec. 485, n. 15; p. V, tom. II, dec. 441, n. 3; p. X, dec. 152, n. 5. Decimo, si possessor unius ecclesiæ percipit pacifice fructus ecclesiæ unitæ : Rota, recent., p. VI, dec. 18, n. 8. Undecimo, ex taxa annua illius ecclesiæ tanquam subjectæ alteri confirmata ab exsecutore apostolico : Rota, recent., p. X, dec. 152, num. 8. Duodecimo, ex domus et salarii assignatione : Rota, p. 10, dec. 48, n. 5.

(82. Unionem beneficiorum dissolvere, et revocare potest omnis, qui potuit illam facere : Communis argum., cap. *Omnis res* 1, De regul. juris, ibi : « Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. »

(83. Et episcopus dissolvere potest non solum unionem a se factam, vel a suo prædecessore, sed etiam illam factam a Papa ex ordinaria potestate, non tamen factam a Papa ex plenitudine potestatis : Garcias, *De benef.*, part. XII, cap. 2, n. 304; Azorius, *Instit. moral.*, p. II, lib. VII, cap. 29, q. 5 et 6; Barbosa, lib. III *Jur. Eccles. univ.* c. 16, n. 68; Ventriglia, *l. c.*, § 2, n. 23 et alii.

(84. Pro dissolvenda tamen tali unione requiritur, quod cesset causa, propter quam facta fuit, vel alias interveniat causa necessitatis, et utilitatis Ecclesiæ, utpote quia unio redundat in majus ejus damnum, et insuper requiritur causæ cognitio, consensus capituli, et citatio eorum, quorum interest unionem non revocari : Rebuff., in *Praxi* tit. *De unionis revocatione*, n. 6; Azorius, *l. c.*, q. 6; Garcias, *l. c.*, n. 308; Barbosa, *l. c.*, n. 68; Ventriglia, *l. c.*, n. 34, et alii.

(85. Alia ad rem. *Vide* verb. DISMEMBRATIO; verb. SEMINARIUM, et verb. UNIO BENEFICIORUM.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(1. Vulgo traditur unionem inter odiosa collocandam esse, regulariter interdictam, non promovendam, adeoque in dubio contra eam pronuntiandum; Confer Turricell., *De union. benefic.*, part. III, q. 882.

Digitized by Google

(2. Porro inficias haud minus uniones regulariter, et sic non facile fieri debere, si fiant magis per modum exceptionis, quam regulæ suscipiunt. At non statim generatim unio inter odiosa referri debet. Necessitas et utilitas præstant justam unioni causam; cap. 33, *De præbend.* At vero quod ex hac causa fit, odiosum et probrosum reputandum est? (3. An non salus Ecclesiæ suprema lex esse debet? Unio sane temporalis, quæ fit ad vitam ad quæstum beneficiarii cum Ecclesiæ detrimento præter necessitatem, odiosa, eaque propter explodenda est.

(4. Agendum hic esset de diversis effectibus, qui fluunt a diversis speciebus unionis, ab unione scilicet per subjectionem, ab unione per confusionem, seu suppressionem, et ab unione æque principali. (5. At latior est hæc materia, quam ut in hisce additionibus concludi queat. Satis sit indicare eos, qui de iis egregie præ cæteris tractarunt, nimirum Bohemer., in *Decretal.*, lib. III, tit. 5, a § 180 ad plur. sequent., Elevogt., *De union.*, sess. III, cap. 1 (140).

ADDITIONES CASINENSES.

(1. Ex norma communi, juxta tradita ab auctore, non potest episcopus unire beneficia perpetuo Papæ reservata, ut sunt primæ dignitates post Pontificalem etc. *Vid.* hic supra n. 46; neque beneficia Papæ reservata post ipsorum vacationem: *ibid.*, n. 45 (141).

(2. Porro ex concilio *Tridentino* permissum est episcopis unire beneficia, nempe: I. Pro *erectione et sustentatione seminarii*; cit. *Trident.*, sess. XXIII, c. 18, *De reformat.* II. Pro *paupertate ecclesiarum parochialium aliorumque beneficiorum animarum curam adnexam habentium*; ex eod. concil., sess. XXI, cap. 5. III. In casu *tenuitatis præbendarum simul cum distributionibus quotidianis* in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis insignibus: cit. concil., sess. XXIV, cap. 15 (142); IV. Pro *erectione pœnitentiariæ* in cathedralibus Ecclesiis, conc. *Trid.*, sess. XXIV, cap. 8. V. Pro *instituenda theologali* in cathedralibus, ac etiam collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido; cit. concil., sess. V, cap. 1

(3. Jam vero in primis tribus casibus ex eodem *Tridentino, locis citat.*, permissum est episcopis unire beneficia etiam Apostolicæ Sedi reservata, vel affecta. At quoad seminaria secus obtinuit ex decreto Clementis VIII, 26 Feb. 1622, et sac. congregat. decisionibus, uti videre est in nostris additionibus sub v. SEMINARIUM, ubi etiam invenies quid pro seminariis Italiæ, et insularum adjacentium per Benedictum XIII constitutum fuit.

(4. An vero pro paupertate parochialium ecclesiarum, et distributionam, et præbendarum in cathedralibus, et collegiatis insi-

(140) Cæterum de unione episcopatuum, seu beneficiorum quorumcunque, nullum exstare titulum in jure canonico, advertit Laurenius cum Azor. part. XI, lib. VI, cap. 28; plura tamen statuisse Clementem V, in Clementina ultima *De rebus Ecclesiæ non alienandis;* occasione cujus ad hunc textum, uti et ad eumdem titulum in decretalibus hanc materiam unionis beneficiorum tractant auctores; ac præsertim de eo libellos quosdam ediderunt Joannes Baptista Caccialupus, Petrus de Ubaldis, Andreuccius, l. II, diss. 10.

(141) Si de beneficiis Apostolicæ Sedi perpetuo reservatis non agatur: « Potest episcopus unire reservata non perpetuo post eorum vacationem, seu postquam casus reservationis actu contingit, v. g. jam jam actu vacat beneficium in mensa Papali; ita tamen, ut unio effectum non sortiatur, intellige quoad executionem, donec reservatio cesset, seu consumpta sit... Et hinc hoc casu tenet unio, sed suspenditur ejus effectus, donec reservatio consumatur (*nempe usq. ad obitum, vel renuntiat. provisi, aut privationem*). » Ita Leuren. *For. benefic.*, p. III, quæst. 902, n. 5.

Idem docet Pax Jordanus (citans Gonzalez, Garciam, Barbosam) in hæc verba: « Amplia, ut unire valeat etiam beneficia reservata, vel affecta, seu devoluta; nam reservatio non impedit fieri unionem per ordinarium; suspenditur tamen effectus ipsius unionis pro tempore provisi de illo a Papa. » Tom. II, lib. X, tit. 52 *De unione benefic.*, n. 33.

Contrarium tamen, nempe non posse fieri unionem ab episcopo post reservationem jam actu afficientem beneficium, tenent absolute Ventriglia, et de Luca apud dict. Leuren., cit. p. III, q. 902, n. 5. At nobis prior opinio magis arridet, quippe quod nullum præjudicium ex ejusmodi unione Apostolicæ Sedi proveniat. (*Editores Casinenses.*)

(142) Ad tramites hic supra recensitæ conciliaris dispositionis, ut deveniri possit ad beneficiorum unionem in quotidianarum distributionum augmentum, requiritur copulativus concursus tenuitatis tum earumdem distributionum, tum præbendarum, quemadmodum clare indigitant verba illa (Concil.): *Tenues sint præbendæ simul cum distributionibus quotidianis;* nec sufficit quod distributiones sint tenues, quando pingues sunt præbendæ, ut ex mente S. Cong. probant Garcias... Ventriglia... Barbosa... Rota, decis. 281, n. 4, p. IX, t. I; decis. 453, n. 8, ead. part. IX. Sed in casu, quo distributiones sunt tenues, pingues vero præbendæ, tunc ad occurrendum tenuitati distributionum, conc. Trid. aliud mandat adhiberi remedium, videlicet quod ex fructibus præbendarum, aliorumque proventuum Ecclesiæ separetur per episcopum tertia pars convertenda in earumdem distributionum augmentum, quod sane remedium adhibendum esse censuit S. Congregat. Concilii, *in Hieracen.*...his verbis: «Cum sess. XXIV, cap. 15 caveatur, episcopum cum consensu capituli, ubi tenues sunt præbendæ, posse aliqua beneficia simplicia unire præbendis, an similiter possit unire aliqua beneficia simplicia, ubi præbendæ sunt tenues, aut nullæ in capitulo, distributionibus quotidianis, cum distributiones sint in ecclesia tenues? Congregatio censuit, posse ex decr. conc., sess. XXIV, c. 15, quando scilicet, et præbendæ et distributiones sunt tenues, at ubi solæ distributiones sunt tenues, uti duntaxat posse remedio Decreti sess. XXI, cap. 5. » Ita Riganti ad regul. 13 *Cancell.*, n. 147 et seqq. (Editores Casinenses.)

Hic nota, quod « Si collegiatæ non sunt cathedrales, vel insignes, non habet locum hoc cap. (cap. 15, sess. XXIV), nec episcopus (in hoc casu), vel visitator apostolicus potest exstinguere præbendas, ut augeantur distributiones. » Sac. congreg. Concil. apud Bellarminum in *Declarat. ad concil. Trid.*, c. 15, sess. XXIV, *De reformat.* (*Editores Casinenses.*)

Digitized by Google

gnibus, possit episcopus unire beneficia Apostolicæ Sedi reservata, vel *qualitercunque* affecta : Rigantius, duce Fagnano, affirmativam tenet per hæc verba : « Cæterum quoad uniones in duobus mox recensitis casibus explendas, sive ecclesiis parochialibus, vigore cap. 5, sess. XXI, sive præbendis canonicalibus in augmentum quotidianarum distributionum, vigore alterius capitis 15, sess. XXIV, salva etiam hodie remanet episcopis facultas uniendi beneficia, unionis tempore Sedi Apostolicæ reservata, et affecta, cum facultas hujusmodi sublata non sit per laudatum decretum Clementis VIII quod unice prohibet uniri seminariis beneficia, quæ certe sunt unionis tempore reservata, et affecta, non autem in cæteris casibus a concil. permissis, ut advertit Fagnanus in cap. *Sicut unire* 37, in fin., De excessibus prælator. » Cit. *Comment.* ad regul. 13 *Cancellar.*, n. 162 (143).

(5. Quoties vero de instituenda pœnitentiaria, aut theologali agatur, quia concilium non indulsit episcopis facultatem uniendi in hisce casibus *beneficia reservata, et affecta*, invaluit opinio, non posse illos ad unionem præbendarum Apostolicæ Sedi reservatarum, vel affectarum devenire, ex ratione, quod concilium, ubi voluit beneficia reservata comprehendere, expresse id declaravit, ut in tribus casibus supra recensitis. Riganti, *loc. cit.*, n. 164, 167.

(6. Limita pro erectione hujusmodi pœnitentiariæ, et theologalis in cathedralibus Italiæ, insularumque adjacentium, ex constitutione Benedicti XIII incip. *Pastoralis*, quam integram reperies cum opportunis declarationibus sub verb. CANONICATUS, CANONICUS, art. 9.

(7. Tandem, ut hanc materiam plenius persequamur, quæres an episcopus unire possit beneficia ob ejus negligentiam Sedi Apostolicæ devoluta ; Barbosa, *Jur. Eccles. univ.*, lib. III, c. 16, n. 31, partem affirmativam tuetur per hæc verba : « Beneficia quoque suæ diœcesis non exempta, unire potest episcopus, quamvis eorum collatio ob episcopi negligentiam devoluta esset ad Papam ; quod alio jure devolvatur, alio autem uniatur. Devolutio enim concernit titulum, impeditque, ne illud episcopus in titulum dare valeat ; unio autem respicit proprietatem. » At contra censuit sacra congregatio Concilii, episcopis jus non esse devoluta ad Sedem Apostolicam beneficia uniendi, tanquam affecta et reservata in ipso unionis tempore. Apud Rigantium, *loc. c.*, num. 122 (144).

(8. Jam vero, expositis causis, ob quas permittitur episcopis a concilio *Tridentino* fieri beneficiorum uniones, aliæ quoque exceptiones admittuntur, pro ejusmodi unione legitimanda.

(9. Nempe : « Excipiuntur uniones expletæ ex causa necessaria, quales sunt illæ factæ Ecclesiis, et piis locis ob necessitatem servitii earumdem, et ne propter reddituum tenuitatem debito servitio destituta remaneant. » Riganti, *ibid.*, n. 173. Et quidem hæc præcisa necessitas requiritur quoad ecclesiam, ne propter tenuitatem reddituum deficiat, qui velit beneficium acceptare, et Ecclesiæ deservire ; non autem respectu beneficiati, ejusque commodioris sustentationis ; uniones enim hoc solum intuitu expletas, obnoxias esse censuræ regulæ 13 *Cancell.*, utpote nulliter factas, tradunt DD. et Rota apud eumdem Rigantium, *ibid.*, n. 175.

(10. Sic etiam legitimantur uniones in divini cultus augmentum. « Id quod (ex eodem Rigantio, *l. c.*, n. 177, cum com. DD.) locum tantummodo sibi vindicat, dummodo augmentum cultus divini sit necessarium, ita ut aliter ecclesia debito servitio destitueretur... ubi quod non sufficit necessitas moralis pro ecclesiæ majestate, et decentiori cultu... Hinc cum clar. mem. cardinal. Jesualdus Hostien. et Veliternen. episcopus pro servitio et decore Ecclesiæ cathedralis, duas in ea erexisset portiones pro duobus presbyteris... dictisque portionibus, non-

(143) Doctissimus Giraldi de hac re dubitare sane videtur, vel potius negativam tenet. En ejus verba :

« An episcopus vigore hujus Trident. Decreti unire possit ecclesiis parochialibus ob illarum paupertatem beneficia Sedi Apostolicæ reservata, vel affecta : Fagnanus. in cap. *Sicut unire* 8, De excessibus prælator., lib. V *Decretal.*, a n. 22 ad 37, solidissimis rationibus probat posse, quamvis in regestis (sac.) congregationis legatur sequens quæsitum, et responsum sub die 24 Augusti 1605. Quæritur an, cum episcopus erexit in parochialem beneficium simplex, si dictum beneficium sit reservatum Sedi Apostolicæ, succedente illius vacatione, erectio sortiri debeat suum effectum, vel potius suspendi ? Congregatio censuit executionem non posse suum effectum sortiri, obstante reservatione. » Ita Giraldi, *Exposit. jur. Pontif.*, part. II, sect. 57, p. 878, ad sess. XXI concil. *Trid.*, cap. 5.

Hic etiam : « Quæro, an ecclesiæ, quæ noviter in parochialem erigitur, possit episcopus unire aliquem, ex canonicatibus ecclesiæ matricis in vim concil. *Trid.*, cap. 4, sess. XXI, decretum dict. cap. 4, nihil de unione dicit, nec sub illis verbis, debet includi facultas supprimendi canonicatus ecclesiæ matricis, et illos uniendi Ecclesiæ noviter erectæ, et cum erectiones novarum ecclesiarum debeant fieri cum minori præjudicio antiquarum ecclesiarum, quam fieri possit, credendum non est concilium voluisse ab ecclesiis antiquis subtrahi posse non solum partem reddituum, sed etiam titulos beneficiorum, et numerum ministrorum diminui, quod tenderet ad diminutionem Divini cultus. » Ita Fagnanus, ad cap. *Ad Audientiam*, De eccles. ædific., n. 56, 57. Id quod ex *Trident.*, sess. XXIV, cap. 13, haud obscure colligitur.

(144) Verum Leurenius cum Azor., Lotter., Garcia, aliisque apud eumdem, rite censet, « posse episcopum beneficia devoluta ad Sedem Apostolicam unire, etiam postquam casus devolutionis contingit, non quidem, ut unio mox habeat effectum suum, sed ut is suspendatur pro tempore provisi a Papa ; seu usque dum beneficium devolutum, collatum alicui a Papa, denuo vacet. » *For. Benefic.*, p. III, q. 902, n. 2. Quæ quidem sententia ut ut Ventriglia refragetur, nobis placet, cum nullum ex unione in hoc sensu præjudicium Sedi Apostolicæ afferatur.

Digitized by Google

nulla univerit, et incorporaverit beneficia; itidemque mensæ capitulari alterum univerit beneficium annui redditus ducatorum quindecim, pro *faciliori duorum cantorum manutentione;* orta fuit controversia, an præfatorum beneficiorum unio, quæ ad majorem cautelam a san. mem. Clemente VIII, auctoritate Apostolica approbata, et confirmata exstiterat, quæque suum sortita fuerat effectum, revocata remanserit per hanc regulam (13) Cancell. ita ut eorumdem beneficiorum collatio ad Sedem Apostolicam spectaret? Et pro veritate consultus, *affirmative* respondi, *pro unione facta mensæ capitulari pro manutentione cantorum;* non enim expleta dici poterat in augmentum cultus divini ex causa necessaria, quia canonici ipsi, aut tenebantur per se canere, aut ex propriis redditibus musicam manutenere, proindeque non resultabat ex unione præfata tale augmentum cultus divini, ut non esset locus regulæ (13) juxta punctualem decisionem 621, num. 13 et 16, coram *Rembald.* »

Denique illud omittendum non est, quoties ordinarius univerit beneficia contra formam a concilio Tridentino sancitam, ac præscriptam, talia beneficia remanent reservationi apostolicæ obnoxia, vigore reg. 1 *Cancell. Apostolicæ.* Hæc enim regula generaliter reservat beneficia, de quibus ordinarii collatores *disposuerint, et disponent, et dispositum fuerit* contra formam Decretorum Concilii. Et ita resolutum fuit a congregatione Datariæ die 22 Decembris 1703. — Rigantius ad regul. 1 *Cancell.*, § 10, n. 41, 42.

VOTUM.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt voti naturam, divisionem, materiam et interpretationem.

Hæc ad rem animadvertenda.

(1. Voti nomen accipitur variis modis. Primo, a grammaticis accipitur pro desiderio, ut *Proverb.* XXXI, 2 : *Quid, dilecte, votorum meorum?* id est desideriorum, et in canone Missæ : *Tibique reddunt vota sua*, id est pia desideria, preces. Secundo, a juristis accipitur votum pro suffragio, vel calculo in electionibus, vel consiliis. Tertio, accipitur a theologis proprie, et stricte votum pro promissione Deo facta, ut *Eccle.* v, 3, ibi : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, et stulta promissio;* et psal. XLIX, 14 : *Redde Altissimo vota tua;* et de voto juxta hanc ultimam acceptionem erit hic sermo.

(2. Votum igitur sic acceptum recte definitur, quod sit : « Promissio deliberata, et voluntaria Deo facta de meliori bono. » Sic communis Doctorum, cum S. Bonaventura in 4 distinction. 38, art. 1, q. 1; S. Thoma, 2-2, quæst. 88, art. 1; Scoto, in 4, dist. 38.

(3. Dicitur primo *promissio*, id est non simplex propositum, sed voluntas firma, et constans sese obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum, ita ut ex tali promissione *promissario*, videlicet Deo, jus acquiratur ad exigendum sibi promissum. Promissio enim est « deliberata et spontanea fidei obligatio facta alicui de re bona et possibili; et propositum est sola voluntas faciendi, vel omittendi aliquid. » (4. Unde hoc est discrimen inter propositum et promissionem, quod propositum est simpliciter sola voluntas faciendi, vel omittendi in futurum aliquid; promissio autem sit voluntas aliquid faciendi vel omittendi in futurum aliquid tanquam debitum, seu ex obligatione; sicque promissio addit proposito voluntatem se obligandi alteri, ut hic in nostro casu voti se obligandi Deo; utcunque enim propositum sit firmum ac deliberatum, nunquam evadit votum, quandiu abest voluntas se obligandi, ut clare habetur ex cap. *Litteraturam tuam* 3, De voto et voti redemptione; ubi cuidam magistro consulenti ita respondit Alexander III, Summus Pontifex : « Cum ex quadam minutione (seu missione sanguinis), nimio fuisses mortis pavore perterritus, hæc verba protulisti; non diu hic morabor, proponens in animo, quod religionis habitum esses aliquando suscepturus : tibi igitur respondemus quod, si plus non est in voto processum, transgressor judicari non poteris, si non impleas, quod dixisti. » Sic Pontifex manifeste significans solo proposito quantumvis sancto non constitui votum, idque ob defectum intentionis, seu voluntatis se obligandi. Sic doctores communiter.

(5. Dicitur secundo *deliberata*, quia promissio subita et inconsiderata non sufficit ad rationem voti. (6. Vovens enim debet plene advertere, et cognoscere materiam, quam vovet, cum deliberatio importet advertentiam, et cognitionem materiæ cum libero, et expedito interiorum sensuum usu. *Omnes.*

(7. Unde tanta deliberatio requiritur, et sufficit ad votum, quanta requiritur, et sufficit ad peccatum mortale. Sic doctores jam fere communiter post Glossam in cap. *Mulier* 14, caus. 32, q. 2, dicentem expresse, quod *qui potest se obligare diabolo, potest et Deo*, cum non videatur plus, aut minus requiri, et sufficere ad obligandum se Deo per votum, quam ad se obstringendum diabolo per peccatum mortale.

(8. Dicitur tertio *voluntaria*, id est cum libero voluntatis consensu facta, quia ad hoc, ut votum obliget, requirit liberum voluntatis imperium, seu decretum, quo vovens se Deo obligatum velit ad quidpiam præstandum, vel omittendum. (9. Unde votum emissum ex ignorantia, errore, vel dolo versante circa substantiam rei promissæ est invalidum, quia incogniti nulla est voluntas, cum voluntas non feratur in incognitum, ex Aristotele l. III *De anima*, comment. 39, et ignorantis, ac errantis nullus sit consensus, l. *Non idcirco* 9, cod. *De*

Digitized by Google

jur. et facti ignorant., nihilque sit tam contrarium consensui, quam error, l. *Si per errorem* 15, ff. *De jurisdict. omnium judic.*

(10. Dicitur quarto *Deo facta*, quia promissio essentialiter constituens votum proprie dictum debet esse facta ipsi Deo, cum votum proprie sit actus religionis seu latriæ soli Deo debitus; unde cum quis aliquid vovet B. Mariæ Virgini, aut sanctis, intelligitur vovere Deo in honorem B. Mariæ Virginis, ac sanctorum; sicuti enim cum templa, seu altaria B. M. V. aut sanctis dedicantur, dicuntur dedicari Deo in honorem et memoriam B. M. Virginis, aut sanctorum, ut explicat S. Augustinus l. XX *contra Faustum*, cap. 21. Ita etiam cum vota nuncupantur B. M. Virgini, aut sanctis, dicuntur nuncupari Deo in honorem B. M. Virginis, aut sanctorum, ut docet sanct. Thomas 2-2, q. 88, art. 5, ad 3. Ipsum enim Deum coli, ac venerari in sanctis fatentur omnes Catholici. Vel, ut alii explicant, votum in similibus casibus intelligitur fieri principaliter, ac primario ipsi Deo, beatæ autem Mariæ Virgini, aut sanctis solum secundario, ut testibus, advocatis, et intercessoribus apud Deum, sicque dicunt solemnem vovendi formulam religiosorum: « Voveo, et promitto Deo Omnipotenti, B. Mariæ Virgini, B. N. et omnibus sanctis, » etc., habere hunc sensum: « Voveo Deo coram B. Maria Virgine, B. N. et omnibus sanctis tanquam testibus, advocatis et intercessoribus. » Ita Suarez, lib. II, cap. 16, n. 17; Layman, lib. IV, tract. 4, cap. 1 in fine; Sporer, tom. I, tract. 3, *in* 2 *præcept. Decalogi*, cap. 1, n. 31.

(11. Dicitur quinto, *de meliori bono*, quia ad votum non solum requiritur, ut illud, quod vovetur, sit bonum, sed insuper ut bonum illud sit melius quam ejus oppositum: hinc votum nubendi, absolute loquendo, non tenet, quia matrimonium non est bonum melius virginitate sibi opposita. Dicitur autem notanter *absolute loquendo*, quia id quod *absolute* est minus bonum suo opposito, potest *per accidens* ex circumstantiis esse majus bonum, sicque cadere sub voto, ut patet de eo, qui se cognoscens pronum ad lapsum carnis, ad evitanda peccata incontinentiæ vovet statum matrimonialem assumere. In eo enim casu dicit Apostolus (*I Cor.* VII, 9): *Melius est nubere, quam uri.*

(12. Votum varie dividitur. Primo, dividitur in votum simplex et solemne. *Simplex* est illud, quod emittitur sine alia solemnitate cum nuda et simplici promissione Deo facta sive privatim, sive ore, sive tantum corde. *Solemne* est illud, quod solemnizatur per professionem religionis ab Ecclesia approbatæ, aut per susceptionem sacri Ordinis, ut habetur in cap. unic. *De voto in* 6, ubi dicitur quod voti solemnitas sit a sola constitutione Ecclesiæ inventa, ibi: « Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa; » quod etiam dicitur in bulla Gregor. XIII, incip. *Ascendente Domino*, n. 18, ibi: « Nos considerantes votæ solemnitatem sola Ecclesiæ institutione inventam esse. »

(13. Secundo, dividitur votum in reale, personale, et mistum. *Reale* est illud, quo vovens promittit aliquid de sua re, aut substantia distinctum ab actione, aut omissione personæ, v. g. eleemosynam. *Personale* est illud, quo promittitur nuda actio, aut omissio personæ, v. g. jejunium, abstinentia a lusu. *Mistum* est illud, quod participat de reali et personali, v. g. votum visitandi sanctuarium, ibique offerendi lampadem.

(14. Tertio, dividitur votum in temporale, et perpetuum: *temporale* est illud, quod ex intentione voventis solum, ad certum tempus, vel pro certo tempore obligat, ut votum jejunandi omnibus Sabbatis unius anni, non bibendi vinum hebdomada sancta. *Perpetuum* est illud, quod ex intentione voventis perpetuo, seu tota vita obligat et servandum est, ut votum jejunandi toto tempore vitæ suæ, nunquam bibendi vinum, nunquam manducandi carnes, nunquam ludendi.

(15. Quarto, dividitur votum in expressum et tacitum; *expressum*, seu explicitum est illud, quo expressis verbis aliquid Deo promittitur; *tacitum*, seu implicitum est illud, quod fit per liberam actionem habentem votum annexum. Sic qui sacrum ordinem suscipit, censetur castitatem perpetuam vovere, cum sciat susceptioni ordinis sacri annexam esse obligationem castitatis perpetuæ.

(16. Quinto, dividitur votum in absolutum, conditionatum, et pœnale. *Absolutum* est illud, quod simpliciter et absolute emittitur independenter ab omni conditione, ut cum quis simpliciter vovet jejunium, castitatem, peregrinationem. *Conditionatum* est illud, quod emittitur sub aliqua conditione, ut cum quis vovet dare calicem ecclesiæ, si a tali morbo convalescat, a tali mortis periculo liberetur, si filius suus tale inierit matrimonium. *Pœnale* est illud, quod fit in pœnam, seu quo vovetur aliqua pœna subeunda, quoties commissa fuerit aliqua culpa, ut si quis voveat se quoties osculaturum terram, quoties mentitus fuerit, se toties jejunaturum, cilicium gestaturum, se disciplina afflicturum, quoties in peccatum carnis lapsus fuerit.

(17. Materia voti debet esse possibilis, et in potestate voventis non solum physice, sed etiam moraliter, talis scilicet quæ ab homine fieri possit communi concursu, et ordinario auxilio divinæ gratiæ: *Communis*. Et ratio est evidens, quia votum est promissio facta Deo cum intentione se obligandi ad aliquid præstandum, nemo autem se potest obligare ad id, quod non est ei possibile, nec est in sua potestate, arg. l. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. juris*, ibi: *Impossibilium nulla est obligatio*, et cap. *Nemo potest* 6, De regul. juris, in 6, ibi: *Nemo potest ad impossibilia obligari*, adeoque, etc.

(18. Hinc invalidum est votum nunquam

Digitized by Google

peccandi nec venialiter : *Communis*. Tale enim votum est de re moraliter impossibili cum nos, attenta nostra fragilitate, secundum legem ordinariam cum ordinario concursu, et auxilio Dei non possimus omnino omne peccatum etiam veniale evitare, ut quotidiana experientia demonstrat.

(19. Validum tamen est votum vitandi omnia peccata mortalia, aut certa peccata venialia in specie determinata, v. g. nunquam mentiendi, nunquam, vel minimum furandi, etc. *Communis*. Id enim est nobis possibile etiam cum solo cummuni ordinario concursu, et auxilio divinæ gratiæ.

(20. Item validum est votum nullum omnino peccatum veniale cum plena deliberatione patrandi, Suarez, lib. II, cap. 3, n. 4; Layman, lib. IV, tract. 4, cap. 2, n. 2; Sporer, *loc. cit.*, n. 39. Et ratio est quia, licet homini fragili sine speciali privilegio non sit possibile evitare omnia peccata venialia, quæ fiunt ex subreptione, sive cum deliberatione imperfecta, est tamen ei possibile sine speciali privilegio, et cum solo communi ordinario auxilio divinæ gratiæ, ut in nullum peccatum etiam veniale cum plena deliberatione, et mera libera sua malitia consentiat; tum quia simile votum emissum fuisse a pluribus viris sanctis *Ecclesiastica Legenda* testatur. * Hoc tamen votum non est emittendum, nisi post multam consultationem cum viris doctis, prudentibus et piis, ut vulgo theologi monent. *

(21. Si votum sit de re partim possibili, et partim impossibili validum, et servandum est quoad partem possibilem, si partes dicti voti sint per se separabiles, nec alia fuerit intentio voventis : *Communis*, arg. cap. *utile* 36, De regul. juris in 6, ibi : *Utile non debet per inutile vitiari*, præsertim si utile ab inutili separari possit. Sic qui vovit dare Ecclesiæ, vel pauperibus mille aureos, si factus impotens nequit dare omnes, tenetur dare partem possibilem. Item qui vovit jejunare totam hebdomadam, si factus impotens nequeat jejunare totam integram, tenetur ad partem, quam potest, et sic de similibus, res enim de natura sua dividua censetur voveri divisim, nisi alia sit expressa intentio voventis.

(22. Si autem partes voti promissæ sint copulatim per modum unius, ita ut obligatio unius dependeat ab obligatione alterius, ac totius promissi, tunc, si una pars sit, vel fiat observatu impossibilis, nec tenetur vovens ad observantiam alterius. Sic qui vovit sacramentalem confessionem causa jubilæi lucrandi, si factus impotens nequeat jubilæum lucrari, non tenetur ad confessionem. Idem qui vovit peregrinationem nudis pedibus, ac in cilicio, si factus impotens nequeat peregrinari, non tenetur eo tempore nudis pedibus incedere, ac cilicium gestare, et sic de similibus Layman, *loco cit.*, n. 3, vers. *Exempla posterioris;* Gobat, tom. III, casu 3, n. 77; Sporer, *loco cit.*, n. 68, cum Suarez, et Sanchez ibi citatis, et alii. Et ratio est, quia vovens, ut supponitur, vovit ipsas partes copulatim per modum unius totius, seu individui, adeoque non fuit ejus intentio observare unam partem sine altera; tum quia ipsam confessionem vovit solum ob jubilæum lucrandum, et dictam incessionem nudis pedibus, ac gestationem cilicii solum tanquam accessorium ad peregrinationem, ut principale : cessante autem fine, cessat obligatio mediorum; arg. cap. *Cum cessante* 60, De appellat., l. *Adhibere* 9, § 2, ff. *De jure patronat.*, l. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnator.*, et ruente principali, ruit et accessorium, arg. cap. *Accessorium* 42, De regul. juris in 6, ibi : « Accessorium naturam sequi congruit principalis, » l. *Nihil dolo*, § *Cum principalis* 129, ff. *De regul. juris*, ibi : « Cum principalis causa non consistit, nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent, » et concordat l. *Cum principalis* 178, ff. eod.

(23. Materia voti debet esse res moraliter bona. Unde opus lege naturali, divina, vel humana prohibitum non potest voveri, et si voveatur, votum nedum est illicitum, sed invalidum et nullum. *Communissima*.

(24. Sic invalidum est omne votum emissum pro re illicita a Deo impetranda, ut si meretrix voveat partem quæstus meretricii, aut usurarius partem suarum usurarum, vel latro partem suorum latrociniorum dare Ecclesiæ, seu pauperibus, ex intentione movendi Deum ad sibi majorem horum iniquorum proventuum occasionem concedendam. Item invalidum est votum jejunandi, audiendi sacrum, etc., si emittatur ab impudico ad impetrandum a Deo illicitum complexum personæ concupitæ, a vindicativo ad sumendam injustam vindictam de suo inimico, ab ambitioso ad capessendam vanam gloriam, et laudem hominum, a rixoso, seu belligerante, aut litigante ad obtinendam injustam victoriam, etc. Et ratio est, quia dare eleemosynam, seu quodvis opus bonum facere ad impetrandam a Deo rem illicitam, vel iniquam, est actio mala, et blasphema, quia talis quantum est in se, Deum auctorem peccati facit, adeoque nec licite, nec valide voveri potest. Sic doctores communiter.

(25. Validum autem est votum factum ex affectu ad rem bonam, ut bona est, quamvis conjuncta cum causa mala, et pessima, ut si quis voveat jejunium, eleemosynam, peregrinationem, religionem, etc, si ex duello evaserit salvus, si non capiatur in furto, si proles non nascatur ex suo adulterio, si infamiam evitaverit ex sua fornicatione, etc. Et ratio est quia, licet duellum, furtum, adulterium, fornicationem velle, malum et pessimum sit, tamen his positis, in duello incolumem servari, in furto non capi, prolem ex adulterio non suscipere, infamiam ex fornicatione evitare revera mala non sunt, sed bona, ac Dei specialia beneficia sunt, ad quæ proinde impetranda valida sunt dicta vota, cum non cadant super illa mala, sed super hæc bona considerata, quatenus in se bona sunt. Sic doctores passim.

Digitized by Google

(26. Opus de se indifferens non potest esse materia voti, nisi in finem bonum ordinetur. *Communis.* Et ratio est, quia res indifferens non est de se Deo grata, nisi in finem bonum ordinetur, adeoque non potest esse materia voti, nisi ex addito fine, aut circumstantia bona de indifferenti evadat bona, ac Deo grata. Sic nullum de se est votum nunquam spuendi in ecclesia, si ipsi nullus finis bonus addatur; validum autem est, si in finem bonum ordinetur, ut si fiat votum nunquam ibi spuendi, ne suis sputis fœdetur ecclesia cum nausea aliorum. Item nullum est votum non vescendi capite animalis in honorem S. Joannis Baptistæ capite diminuti, non edendi carnem tostam in honorem sancti Laurentii igne tosti, relicta interim sibi facultate vescendi aliis carnibus æque, vel magis delicatis ad satietatem. Validum tamen est, si vovens nimis affectus sit ad tale ciborum genus, et mortificationis gratia voveat Deo se abstinere ad talis sancti honorem. Item nullum est votum certarum muliercularum non nendi die Sabbati in honorem B. Mariæ Virginis, relicta interim sibi et suis facultate aliis similibus operibus laborandi: validum autem est, si mulier sic vovens sit nimis affecta ad nendum, sicque voveat non mere ad talis prædominantis passionis mortificationem, et ut interim orationi ac aliis exercitiis vacare possit.

(27. Item invalidum est votum etiam rei bonæ et honestæ, si fiat ob finem omnino indifferentem et temporalem, ut si quis voveat jejunium, abstinentiam a vino, aut certis lautioribus cibis ob solum finem parcendi sumptibus, vel sanitatem naturaliter conservandi, aut recuperandi. Et ratio est, quia in moralibus species rei sumitur a fine, adeoque si finis rei promissæ est indifferens, totus actus ex objecto erit indifferens, sicque erit materia inepta voti. Validum autem erit simile votum, si fiat ob finem impetrandi a Deo, etiam bona temporalia et indifferentia, honeste tamen et rationabiliter petibilia a Deo, ut sanitatem corporis, officium honorificum, utile matrimonium, congruas divitias, etc. Et ratio est, quia hæc a Deo tanquam eorum auctore petere, vel pro impetratis gratias agere bonum et honestum est, sicque apta materia voti esse possunt. Sic doctores communiter.

(28. Materia voti debet esse de meliori bono, quam ejus oppositum; *Communis.* Et ratio est clara, quia Deo magis placet opus, quod majus et melius est, quam oppositum minus bonum, adeoque non erit Deo acceptum, si quis voveat minus bonum, omisso ejus opposito bono majori, quia hoc ipso se obligaret ad omittendum oppositum, quod majus, et melius est, et Deo gratius; sicque tale votum utpote Deo non acceptum, invalidum est.

(29. Hinc invalidum est absolute loquendo votum nubendi, quia non est de meliori bono, cum status ei oppositus, nempe status cælibatus, sit longe melior, ut habetur expresse ex Apostolo (*I Cor.* VII, 38), ibi: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit.* Et definitum a concilio *Trident.*, sess. XXIV, canon. 10, ibi: « Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cælibatus; et non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit. » Secus autem esset, si quis non posset frenare concupiscentiam, nisi per matrimonium; tunc enim votum nubendi esset promissio Deo grata, adeoque valida, quia, licet matrimonium, absolute loquendo, sit minus bonum suo opposito, potest tamen, per accidens ex circumstantiis hic et nunc esse majus bonum, sicque cadere sub voto, juxta illud Apostoli (*I Cor.* VII, 6): *Melius est nubere, quam uri. Communis.*

(30. Sicque invalidum est votum nunquam vovendi, quia impedit majus bonum, cum absolute sit melius vovere. Ast tamen validum erit votum non vovendi indiscrete, temere, aut inconsulto confessario, vel viro prudente, quia vovere cum tali cautela est quid honestum ad virtutem prudentiæ spectans, ac melius, quam suum oppositum. *Omnes.*

(31. Item invalidum est votum ludendi honeste, bibendi moderate, si fiat absolute, et importet obligationem absolutam ad lusum, vel ad potum, quia, licet ludere honeste, bibere temperate sint actus boni et honesti, eorum tamen oppositum, nempe carentia, seu abstinentia est melior et Deo gratior; est tamen validum tale votum, si fiat conditionate dicendo, v. g.: Voveo, si lusero, honeste, sine fraude, contentione et scandalo me lusurum, quoties bibero, temperate me bibiturum; quia tale votum est de meliori bono, cum, posita dicta conditione, materia voti non sit ipsum ludere, vel bibere, sed ipsa honestas in ludendo, et temperantia in bibendo, quod sine dubio melius est suo opposito: *Communissima.*

(32. Materia voti debet esse de opere, et facto proprio. Unde invalidum est votum directe emissum de facto alieno, ut alieno. Sicque invalida sunt vota parentum filios, vel filias religioni voventium. Item patrumfamilias, cum vovent, ut suæ familiæ jejunent certis vigiliis, confiteantur, et communicent certis festis, etc. Tales enim filii, et filiæ, et familiæ non obligantur dictis votis parentum, aut patrumfamilias, nisi voluntarie ea ratificent, sicque vota aliena sua efficiant, quia in tali casu obligarentur dictis votis, utpote jam suis factis per propriam ratihabitionem, arg. cap. *Ratihabitionem* 10, De regul. juris, in 6, ibi: « Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari. » Qua ratione sacri canones, et concilia antiqua, præsertim Toletanum IV, cap. 48, cum dicunt: Filios paterno voto religioni devotos obligari religioni, nec si jam ingressi fuerint, posse ad sæculum reverti, intelligenda sunt cum hac conditione, modo filii consenserint, aut parentum vo-

Digitized by Google

tum ratificaverint, seu ratum habuerint, ut expresse decernitur in cap. *Cum simus* 14, De regularibus. Sic doctores communiter.

(33. Sic cum communitas aliqua vovet aliquid, v. g., monasterium certa jejunia, civitas vel pagus certas processiones, vel ferias et hujusmodi, vi voti et religionis obligantur solum primi personaliter voventes; successores autem non obligantur vi voti, nisi ratificaverint, arg. *Citatis juribus*. Unde promissiones, et vota, quæ frequenter fieri solent ab universitatibus servandi sub præcepto festum alicujus sancti, ac jejunandi in vigilia, non obligant populum, qui tamen potest sponte promissa servare; et nullus est pœna cogendus, ut illa die abstineat ab operibus servilibus; Barbos., in *Collectan., decis. Apostolic.*, verb. *Festum in Communi*, n. 8; Monacell., part. II, tit. 13, formul. 1, n. 15, ubi testatur se vidisse pluries, supplices libellos hac in re sacræ congreg. Rit. porrectos pro confirmatione hujusmodi promissionum et votorum fuisse rejectos, et præsertim *in Urbevetana* 6 Octobris 1696; *in Messanen. voci Melazzi* 25 Januarii; et *in Alessanen. Terræ Corsani* 6 Septembris 1698.

* Hoc ipsum docet Cuniliati tract. 4 *De Decalogi præcepto*, cap. 10, § 4, num. 6, cum nonnullis tamen limitationibus. Sic enim habet : « Ad vota communitatis præsentis, regulariter loquendo, non tenentur posteri futuri, nisi actiones illæ, aut consuetudine præscribantur, aut in voti emissione intervenerit etiam episcopi consensus. Quia et consuetudo præscripta vim legis habet, et consensus episcopi inducit vim quamdam præcepti : ita ut posteri succedentes, non vi voti prædecessorum, sed vi præcepti episcopalis implere teneantur. Plerumque tamen obligantur, tum ratione scandali, quod aliis observantibus afferrent, tum ratione dissensionum, quas, diversimode ab illis se gerendo, excitarent. »

(34. Opera præcepta possunt esse materia voti; unde quamvis præceptum sit de non fornicando, de non furando, de audiendo sacro diebus festis, de jejunando in Quadragesima, et hujusmodi, adhuc de similibus validum et obligatorium votum emitti potest, et transgressio talis voti, verb. gr. fornicatio, furtum, et hujusmodi, duplex erit peccatum, et contra præceptum non fornicandi, non furandi, et hujusmodi, et contra religionem proprii voti; et ratio est quia, cum necessitas præcepti non sit simpliciter sed solum ex suppositione finis, nempe si homo peccatum evitare, et salutem consequi velit, juxa illud (*Matth.* XIX, 17) : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ac proinde voluntas simpliciter libera maneat ad opus præceptum, vel prohibitum faciendum, vel omittendum, aut e contra; ideo poterit ipsa magis determinari, et obligari per votum, cum nihil obstet eamdem ex diversis obligationum capitibus debitam esse, ac diversis vinculis astringi ad idem, uti notant DD. in l. *Scire* 29, § *Si a jure*, ff. *de verbor. obligationibus*.

(35. Magis meritoria sunt opera bona facta ex voto, quam si sine voto sponte fiant. *Communis*. Et ratio est, quia melius, et magis meritorium est opus habens duplicem honestatem, quam habens unicam; sed opus bonum factum ex voto, ultra honestatem religionis, ergo, etc. Tum quia plus Deo dat, et consecrat, qui ex voto bonum operatur, quam qui sine voto, quia ultra actum, quem dat aliter, etiam dat voluntatem, quam Deo astringit, sicuti plus dat qui non tantum fructum, sed etiam arborem donat, ut recte notat S. Anselmus lib. *De similitudinibus*, cap. 48, adeoque melius, et magis meritorium est opus bonum ex voto, quam si sine voto sponte fiat.

(36. Nec valet objicere, quod qui operatur ex voti obligatione, magis ex necessitate quam ex libera voluntate operatur, adeoque minus meritorium est ejus opus, cum Apostolus *II Cor.* IX, dicat : *Non ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus*. Non valet, inquam, quia necessitas obligationis orta ex voto minime tollit libertatem voluntatis, nec minuit, quia homo justus sponte ac libere operatur, quod sponte ac libere vovit, etsi forte non operaturus, nisi vovisset. Et Apostolus loquitur de necessitate contra voluntatem imposita, non de illa, quam quis sponte assumit in voto; unde S. Augustinus, epist. 45, *Ad Armentarium et Paulinam*, expresse dicit : « Felix est necessitas, quæ in meliora compellit. »

(37. Vovere, et voto se Deo obligare possunt omnes sufficientem usum rationis habentes, præsertim post septennium; quamvis etiam ante septennium id possit fieri ab aliquo, cujus cognitio, seu malitia prævenerit, aut suppleverit ætatem; sic doctores jam fere communiter post glossam in can. *Mulier* 14, caus. 32, q. 2. dicentem expresse, quod « qui potest se obligare diabolo, potest et Deo; » cum non videatur plus, aut minus requiri, et sufficere ad obligandum se Deo per votum, quam ad se obstringendum diabolo per peccatum mortale.

(38. Votum inducit obligationem in conscientia exsequendi promissum. *Communis*, et certa, et habetur expresse ex pluribus sacræ Scripturæ locis; *Deuteronomii* XXIII, ibi : *Si nolueris polliceri, absque peccato eris; quando autem semel egressum est de labiis tuis, observabis*. Rursus, *ibid.* : *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum; Ecclesiastes* V, ibi : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, et stulta promissio;* psal. LIX, ibi : *Redde Altissimo vota tua;* psal. LXIX, ibi : *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*, cum similibus, et est expresse definitum in c. *Licet* 6, De voto.

(39. Votum per se loquendo obligat graviter, ubi materia gravis est, et leviter, ubi materia est levis : *Communis*. Et ratio est clara, quia votum est quædam particularis

Digitized by Google

lex, quam vovens sibi imponit : lex autem graviter aut leviter obligat juxta gravitatem et levitatem materiæ, adeoque sic etiam votum.

(40. Dicitur autem notanter *per se loquendo*, quia potest vovens obligare se ad rem gravem solum sub culpa levi, si id vovendo expresse intendat ; *Communis*. Et ratio est, quia sicut in libertate voventis est obligatio quoad substantiam, ita etiam quoad modum ; unde sicuti, ut dicit Glossa communiter recepta in cap. *Litteraturam* 3, verb. *Proponens*, De voto : « Nemo se obligat, nisi qui habet animum se obligandi, » per text. in l. *Obligationum* 44, ff. *De obligationibus et actionibus* : ita nemo se obligat graviter, si vovendo expresse intendat se obligare tantum leviter : tum quia sicuti lex de materia gravi obligat leviter, ubi sic statuit legislator, ita etiam votum (quod est lex quædam particularis), ubi sic intendit vovens.

(41. Nec valet dicere, quod sicuti non potest quis profiteri in aliqua religione, aut promittere, vel inire matrimonium sub obligatione levi, ita neque potest vovens se obligare ad rem gravem solum sub culpa levi. Non valet, inquam, ratione disparitatis : et disparitas est, quia illi actus sunt utrinque onerosi, et ideo, cum religio professi, et sponsa sponso se obligent graviter, debent et illi graviter se obligare, alias non servaretur æquitas, quod non currit in emittente solum votum simplex, de quo solo simplici voto est intelligenda conclusio, et non de voto solemni, quod, cum involvat mutationem status, non acceptatur, et consequenter irritum est, si tantum intendatur obligatio levis.

(42. Non potest tamen vovens obligare se ad rem levem sub culpa gravi, quia materia levis est incapax obligationis gravis, et sicuti non potest legislator materiæ capacitatem excedere, ita nec vovens. Sic doctores communiter (145). Qui tamen recte advertunt, quod qui vovet rem levem sub culpa gravi, format sibi conscientiam erroneam credens se ad id obligari sub mortali ; quare si cum tali conscientia erronea postea transgrediatur votum, peccabit utique mortaliter, at non vi voti, quod fuit incapax tantæ obligationis, sed vi conscientiæ erroneæ dictantis se ad id obligari sub mortali, ut patet ex dictis sub verb. Conscientia, De conscientia erronea.

(43. Nec valet instare quod sicut vovens potest se obligare ad rem gravem solum sub culpa levi, ita potest etiam se obligare ad rem levem sub culpa gravi. Non valet, inquam, ratione disparitatis : et disparitas est, quia materia levis non est capax obligationis gravis, materia autem gravis, cum sit capax obligationis gravis, a fortiori erit capax obligationis levis ; tum quia Deus non acceptat materiam levem ad obligationem gravem, quia non conduceret ad salutem, sed ad periculum animæ ; acceptat autem materiam gravem ad obligationem levem, cum id nullum involvat periculum animæ, seu salutis.

(44. Votum personale obligat præcise personam voventem, adeo ut persona vovens nequeat ipsum votum ex ea parte, qua est personale, per alium adimplere. Unde qui vovet jejunium, disciplinam, peregrinationem, et hujusmodi, tenetur per se ipsum illa exsequi. *Communis*. Et ratio est clara, quia votum personale requirit actionem propriam personæ voventis, quia sicuti factum proprium promisit, ita facto proprio et non alieno exsequi debet.

(45. Qui votum suum personale non potest per se ipsum adimplere, sive culpabiliter sive inculpabiliter in eam impotentiam inciderit, non tenetur illud per alium exsequi. Sic cum Silvestro, Navarro, Suarez, Sanchez, Layman., *l. cit.*, c. 3, num. 9, testans de communi doctorum, Sporer, *loc. cit.*, n. 126, testans de communi cum supra citatis contra S. Antoninum et aliquos alios. Et ratio est, quia actus non se extendit contra intentionem agentis ; intentio autem, seu promissio voventis fuit, se facturum aliquid solum per se ipsum, v. g. per se ipsum jejunaturum, oraturum, peregrinaturum, etc., adeoque si id non possit per se ipsum, non tenetur adimplere per alium. Si autem etiam ad hoc ipsum se obligare intenderit vovens, sive expresse, sive implicite, ut si dum voverat, cognovit suam personalem impotentiam, tunc ne votum irritum, et illusorium reddatur, interpretari debet, quod intenderit per alium exsequi. Sic ex Hostiensi tradit Abbas in cap. *Licite* 6, num. 13, *De vot.* ; Laymau., *loco cit.*, num. 9 ; Sporer, *loco cit.*, num. 126.

(46. Obligatio voti personalis, vovente mortuo, non transit ad hæredes : *Communis*. Et ratio est, quia cum votum personale respiciat tantum personam voventis, aut ejus actionem, exstinguitur exstincto vovente.

(47. Transit tamen ad hæredes obligatio voti realis vovente mortuo, sufficiente substantia relicta, sive is culpabiliter, sive inculpabiliter in vivis solvere omiserit : *Communis*, textu expresso in l. *Si quis* 2, § 1, ff. *De pollicitationibus*, ibi : « Si forte, qui decimam bonorum vovit, decesserit ante sepositionem, hæres ipsius hæreditario nomine decima obstrictus est ; voti enim obligationem ad hæredem transire constat ; » et concordat cap. *Licet* 6, De voto, cap. *Ex part.* 18, De censibus. Et ratio est, quia hæres voluntarie adeundo et acceptando hæreditatem defuncti, sicut omnia ejus commoda et jura acquirit, ita etiam omnia ejus onera, debita et obligationes reales in se suscipit, adeoque etiam obligationem voti realis, seu promissionis factæ Deo de aliqua re in ejus honorem præstanda, arg. cap. *Licet* 6, De voto.

(48. Item ad hæredes transit obligatio voti

(145) His assentitur Concina, qui tamen ex hac ipsa causa negat posse quemquam se leviter tantum obstringere si voti materia sit gravis. *Vide* eumdem in *Compend. Theol. Christ.*, lib. III, in *Decal. præcept.*, diss. 9., cap. 4, in resp. ad quæst. 1.

Digitized by Google

misti ex ea parte, qua est reale : *Communis.* Licet enim votum mistum ex ea parte, qua est personale, debeat necessario adimpleri per personam voventem, et non possit exsequi per alium ex dictis supra n. 44, adeoque nec transeat ad hæredes ex dictis supra n. 46 ; potest tamen per alium adimpleri ex ea parte, qua est reale, ut fatentur omnes doctores, adeoque si quoad dictam partem non fuit adimpletum a vovente, ipso defuncto, debet adimpleri ab ejus hæredibus per eamdem rationem adductam, *n. antecedent.*, de obligatione voti realis. Unde mortua persona, quæ vovit, v. g. peregrinari Lauretum, et ibi lampadem argenteam offerre, licet non transeat ad hæredes obligatio talis peregrinationis, utpote solius voti personalis, transit tamen ad ipsos obligatio oblationis dictæ lampadis argenteæ, utpote voti realis.

(49. Hæres non tenetur solvere vota defuncti ultra vires hæreditatis, sed cum proportione ad illa : *Communis.* Hinc potius solvendi sunt sumptus funeris : *Communis* per text. in l. *Scimus* XXII, § 9, cod. *De jure deliberandi* ; l. *Et si quis* 14, l. *Impensa funeris* 45, ff. *De religiosis et sumptibus funerum ;* deinde solvendum est omne æs alienum juxta ordinem traditum sub verb. RESTITUTIO, art. 4, a n. 29, usque in finem. Ex post ante vota solvenda est legitima descendentibus, aut ascendentibus defuncti debita : descendentes enim, et ascendentes defuncti non tenentur ad solvenda vota per illius testamentum emissa, si inde gravetur eorum legitima ; quia jura declarant omnia gravamina bonis a testatore apposita in præjudicium legitimæ, sive interim fiant per vota, sive per legata pia, nullius esse roboris, leg. *Quoniam* 32, cod. *De inofficioso testamento*, cum similibus. (50. Et solum post solutionem totius æris alieni et legitimæ, solvenda sunt vota ; et ratio est, quia vota non debent solvi ex ære alieno, sed ex ære et bonis ipsius voventis ; æs autem, et bona cujuscunque censentur solum quæ supersunt, deducto ære alieno l. *Mulier* 72, juncta Glossa, verb. *Alieno*, ff. *De jure dotium.* Debent tamen præferri vota legatis, cum hæc sint libera, et gratiosa, et illa sint obligatoria, ut tradunt communiter doctores. Si autem soluto ære alieno, hæreditas non sit solvendo omnia defuncti vota, non est solvendum unum, aut alterum, et alia omittenda, sed singula pro rata ; cum enim omnia æqualiter ex virtute religionis debeantur, non est ratio, cur unum alteri præferatur, idemque est in legatis, arg. l. *Privilegia* 32, ff. *De rebus auctoritat. judic. possidend.*, l. *Si hominem* 7, § 3, ff. *Depositi*, l. *Pro debito* 6, cod. *De bonis auctoritat. judic. possidend.*

(51. Votum conditionale non obligat, nisi impleta conditione. *Communis ;* actus enim sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum, arg. § *Sub conditione* 3, instit. *De verb. obligat.*, et l. unica, § *Sin autem*, cod. *De caducitat. tollend.* Suspenditur enim ejus valor usque ad eventum conditionis ; l. *Is, cui*, ff. *De actionibus et obligationibus*, l. *Legata sub conditione*, ff. *De condit. et demonstrat.*

(52. Peccat autem graviter vovens, si malitiose per fraudem, vim, aut dolum impediat positionem, seu adimpletionem conditionis, ne voto obligetur ; *Communis*, per Jura num. seq. adducenda : vovens enim vovendo obligavit se virtualiter ad non impediendum conditionis eventum, ne frustraneum esset votum. (53. Insuper tenetur probabilius votum exsequi non minus, quam si conditio impleta fuisset ; Richard., in 4, dist. 38, art. 5, quæst. 3 ; Angelus, verb. *votum* 1, § 10 ; Navarrus, cap. 12, n. 42 ; Azorius, lib. XI, cap. 20, qu. ult. ; Sanchez, lib. IV, cap. 23, n. 47 ; Henno, tom. I, tract. in *Decalog.*, disp. 2, qu. 3, art. 7, concl. 1, et tredecim citans, probabilius suadet Diana part. IV, tract. 4, resolut. 101 ; Sporer., *loc. cit.*, n. 147, ubi dicit communiorem, et sine dubio tutiorem esse hanc sententiam ; et sic alii plures, per text. in l. *In executione* 85, § ff. *De verb. obligationib.*, ibi : « Quicunque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio exsisteret, nihilominus obligatur, » et c. *Cum non stat* 66, De reg. juris, in 6, ibi : « Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset : » et ratio est, quia fraus et dolus nemini patrocinari debent ; cap. *Ex litteris* 2, De dolo et contumacia, ibi : « Nos attendentes, malitiam et dolum nulli patrocinari debere, » cap. *Sedes* 15, *De rescriptis*, ibi : « Quia fraus et dolus ei patrocinari non debent, » cap. *Ex tenore* 16, eod., ibi : « Quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent, » cap. *Tua* 12, De clericis non resident., ibi : « Cum fraus et dolus nemini debeant patrocinium impartiri, » l. *In fundo*, ff. *De rei vindicat.*, ibi : « Neque malitiis indulgendum est, » l. *Cum hi*, ff. *De transactionibus*, ibi : « Non debet via aperiri malitiis, » l. *Si legatarius*, cod. *De legatis*, ibi : « Ut non accipiat fructus suæ calliditatis. » Tum quia, ut fatentur ipsimet adversarii, quando homo homini promisit sub conditione, tenetur promissionem implere, si malitiose conditionis eventum impedivit, ergo etiam sic quando promisit Deo. Hinc qui vovit religionem, si pater consenserit, si Deus integram sanitatem restituerit, et hujusmodi, sed postea pœnitens voti, dolose falsis allegationibus patrem circumvenit ut contradicat qui alioquin non contradiceret, studiose, et malitiose intemperanter vivit, et refugit medicamenta ne recuperet integram sanitatem quam alioquin faciliter recuperaret, et alia hujusmodi malitiose et dolose peragit ad impediendam voti conditionem, ne ipsa adimpleta religionem ingredi teneatur, is adhuc tenetur votum exsequi, et religionem ingredi, non minus quam si conditio impleta esset ; sicuti cum quis promisit alicui centum scuta, si ad domum suam perrexerit, si is ingredi volens, ab illa per vim vel fraudem repellatur, perinde ei obligatus est, ac si ingressus fuisset.

Digitized by Google

(54. Votum conditionale, adimpleta conditione, evadit absolutum, adeoque posita conditione stricte obligat, ac si fuisset absolute emissum : *Communis*, arg. citatis juribus, *supra* n. 51. Et ratio est, quia votum illud præcise pendet a conditione, ut fiat absolutum, ergo cum ponitur, seu adimpletur conditio, obligat eodem modo, ac si fuisset absolute emissum, et ideo non requiritur novus consensus, seu nova intentio ad inducendam obligationem : hinc vovens religionem, susceptionem sacrorum Ordinum, peregrinationem, donationem calicis, lampadis, etc., alicui ecclesiæ, si naufragium, vel incendium evaserit, si sanitatem recuperaverit, etc., tenetur vitato naufragio, vel incendio, sanitate recuperata, etc., ad illorum executionem.

(55. Votum pœnale obligat posita culpa, alias non : *Communis*. Et ratio est, quia voti obligatio sequitur intentionem voventis, qui voluit sibi imponere pœnam propter solam culpam, et non alias, adeoque, etc. Hinc qui vovit jejunium, si se inebriaverit, posita ebrietate, tenetur jejunare, secus autem, si se non inebriaverit. Sic qui vovit dare eleemosynam, si luserit, posito lusu, tenetur eleemosynam dare, secus autem, si non luserit, et sic de similibus.

(56. Votum pœnale emissum sine determinatione quoad numerum pœnæ solvendæ, si pœna solvenda sit ex ordinariis, quæque iterari solent, intelligitur solvenda toties quoties fiat transgressio. Unde qui, v. g., vovit jejunare si se polluerit, moderatam eleemosynam dare si luserit, et hujusmodi, obligandus est toties, quoties se polluerit, vel luserit. Si autem pœna solvenda sit ex gravioribus extraordinariis, quæque ordinarie iterari non ita solent, intelligitur solum in prima trangressione, et non in sequentibus. Unde qui, v. g., vovit peregrinari Compostellam, si fornicatus fuerit, et hujusmodi, obligandus est tantum prima vice; sic Tamburin., lib. III, cap. 12, § 7, n. 2; Sanchez, lib. IV, cap. 22, n. 21; Diana, part. VII, tract. 9, resolut. 60; Sporer, *loco cit.*, n. 155; Henno, *loco cit.*, concl. 2, resol. 5; Castropal., tract. 15, d. 1, p. 18, n. 6; Layman, *loc. cit.*, cap. 5, n. 4, et alii plures. Et ratio est, quia præsumitur rationabiliter, talem fuisse mentem voventis : non est enim verisimile voventis intentionem fuisse sibi imponere toties, quoties, pœnas graviores, atque insolitas, uti est tam longa et laboriosa Compostellana peregrinatio, uti econtra verisimile est ejus intentionem fuisse sibi imponere toties, quoties pœnas leviores, et solitas, uti est jejunium, moderata eleemosyna, et hujusmodi.

(57. Votum emissum cum intuitu ad certum tempus, seu ob specialem devotionem talis temporis debet omnino adimpleri tali tempore, et si eo tempore non adimpleatur, quamvis peccetur graviter, vel leviter pro ratione materiæ, obligatio tamen voti prorsus exstinguitur, ita ut vovens non teneatur amplius illud adimplere ; *Communis*. Et ratio est, quia tale tempus censetur præfixum et determinatum ad finiendam obligationem dicti voti. Cum enim dictum votum per modum unius copulatim comprehendat et rem promissam, et hanc circumstantiam temporis velut intrinsecam voto, transacto illo tempore, tota obligatio cessat, ex quo non sit amplius possibile votum adimpleri cum illa circumstantia dicti temporis jam transacti, quia impossibilium nulla est obligatio ; l. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. juris*, et cap. *Nemo potest* 6, De regul. juris, in 6, ibi : « Nemo potest ad impossibile obligari. » Hinc qui vovit jejunare die Veneris, ob specialem devotionem passionis Christi ; audire sacrum die Sabbati, ob devotionem B. M. Virginis ; jejunare vigiliam, et festare diem sancti Rocchi, seu sancti Sebastiani ob patrocinium contra pestem, etc., transacto tali tempore, cum, aut sine culpa, cessat omnino obligatio, cum in supradictis tempus, et dies censeatur determinari ad finiendam obligationem, ita ut si eo die negligatur, altero die suppleri, nec debeat, nec possit.

(58. Si tempus votum adimplendi determinatum sit non intuitu ad ipsum, nec ob specialem devotionem talis temporis, sed solum ratione ipsius voti adimplendi, tunc censetur præfixum solum ad non differendam obligationem, at non ad ipsam finiendam, sicque eo tempore cum, vel sine culpa, elapso absque impletione voti, adhuc manet obligatio illud adimplendi : *Communis*. Et ratio est, quia in tali casu res voto promissa, et circumstantia temporis non ventur per modum unius, et copulatim, ut in antecedenti numero, sed per modum duorum, et sunt virtualiter quasi duo vota, nempe de tali re facienda, et de tali tempore facienda, adeoque, quamvis transacto tempore, impossibile sit servare eam circumstantiam temporis, adhuc tamen remanet obligatio rei promissæ principalis, cum possibile adhuc sit juxta naturam dicti voti illam adimplere. Et colligitur clare ex l. *Celsus* 23, ff. *De receptis arbitris*, ubi habetur : « Jussum dare pecuniam certo tempore, duo præcepta habere, unum dandi, et alterum eo certo tempore ; ac proinde transgressorem posterioris adhuc teneri ad prius. » Hinc qui vovit ingredi religionem intra annum, visitare proximum sanctuarium intra mensem, confiteri intra hebdomadam, etc., elapso cum, vel sine culpa, illo termino, adhuc remanet obligatus ad votum adimplendum, cùm non fuerit determinatum dictum tempus ad finiendam obligationem, sed solum ad præscribendum terminum, ultra quem non differatur talis obligatio.

(59. Qui vovit aliquid facturum certo tempore, v. g., jejunare bis hebdomada sequenti, licet postea prævideat dictum votum non posse ob aliquod impedimentum implere tali determinata hebdomada, non tenetur prævenire, quia obligatio est affixa tempori, quod necdum est incœptum : si autem jam incœptum sit tempus obligationis, nempe dicta hebdomada, et prævideat in fine fore impedimentum ad jejunandum, tenetur

Digitized by Google

prævenire, quia jam est in tempore obligationis, sicut qui die festo prævidet circa meridiem fore impedimentum ad audiendum sacrum, tenetur mane prævenire. Ita Suarez, lib. IV, cap. 10, n. 7; Layman, *loc. cit.*, cap. 3, n. 5; Tamburin., *loc. cit.*, cap. 12, § 3, n. 2 et 3; Felix Potest., tom. I, part. II, n. 1847; La Croix, lib. VIII, part. II, num. 444, cum Sanchez, Bonac. et aliis ibi citatis, et alii.

(60. Votum sine temporis determinatione aut præfixione emissum adimpleri debet cum primum commode potest, *Communis* cum S. Thoma, 2-2, qu. 88, art. 3 ad 3, et qu. ult., art. 3, et desumitur clare ex cap. XXIII *Deuteron.*, ibi : *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus : et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum;* et ex leg. *Promissor*, § 1, ff. *De constituta pecunia*, ibi : « Si sine die constituas.... confestim agi tecum poterit, si statim, ut constituisti, non solvas. » (61. Ly autem *cum primum*, seu *statim* non est intelligendum physice, sed moraliter, nempe data temporis opportunitate, et occasione juxta prudentis arbitrium, arg. cit. l. *Promissor*, § 1, juncta Glossa, *ibid.*, ff. *De constituta pecunia*, l. *Ratum*, ff. *De solution.*, l. *Continuus*, § *Cum ita*, ff. *De verb. oblig.*

(62. Causa sufficiens differendi adimpletionem voti sine certo præfixo tempore facti, est, si adsit spes ut votum postea commodius, utilius, et maxime devotius impleatur, seu ad id concurrat publica necessitas, aut utilitas. *Communis.* Hinc qui vovit ingredi religionem, licite exspectare potest donec ætate, et viribus corporis provectior ad ordinis asperitates, et labores perferendos sit aptior, aut donec necessariis scientiis imbuatur. Qui vovit eleemosynam notabilem dare pauperibus, exspectare potest tempus majoris necessitatis. Qui vovit peregrinationem ad aliquod sanctuarium, exspectare potest usque dum festum aliquod incidat, aut opportuna occasio se offerat; et sic de similibus, in quibus omnibus concurrente publica necessitate, aut utilitate, licite, ipsa durante, differtur voti adimpletio, arg. c. *Non est* 5, De voto et voti redemptione, ibi : « Non est voti dicendus transgressor, qui quod vovit auctoritate Sedis Apostolicæ (legitima ex causa) distulit adimplere. »

(63. Habita opportunitate omnimoda adimplendi talia vota sine certo præfixo tempore facta, ulterius absque rationabili causa scienter differre semper est peccatum. *Communis*, per cit. text. *Deuteron.* XXIII, ibi : *Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* (64. Quandonam autem sit peccatum mortale, vel veniale? Incertum est apud doctores, qui tamen satis communiter concludunt culpabilem et irrationabilem dilationem adimpletionis votorum perpetuorum, ut ingrediendi religionem, sacros ordines suscipiendi, perpetuo jejunandi, etc., citius ad peccatum mortale pertingere, quam dilationem votorum solummodo temporan[illegible] ut dandi certam eleemosynam, pere[illegible] aliquod jejunium, assumendi aliquam peregrinationem, etc. Et ratio est, quia vota temporalia dilatione non minuuntur, sed quocunque tempore præstentur, semper integre præstantur, semper enim integre præstatur promissa eleemosyna, promissum jejunium, promissa peregrinatio. E contra vero vota perpetua dilatione minuuntur, quia cum vovens vi voti religionis, sacrorum Ordinum, et jejunii perpetui obligetur Deo servire usque ad mortem in religione, sacris Ordinibus, et jejunio, quantum differt votum, tantum detrahit de tempore serviendi, et jejunandi, et consequenter de voto.

(65. Unde in votis perpetuis attendenda est ætas voventis. Si enim vovens, v. g. religionem, sit ætatis 15, vel 16 annorum, dilatio ingressus sine rationabili causa ad tres, vel quatuor annos, non erit culpa mortalis, si absit periculum deficiendi a voto. Si autem sit ætatis 25 vel 30 annorum, talis dilatio ad tres, vel quatuor annos erit culpa mortalis. Imo si excederet annum 40, erit mortalis dilatio ingressus sine rationabili causa, et habita omnimoda opportunitate, etiamsi fiat solum ultra sex menses : Tamburin., lib. III *Decalog.*, cap. 12, § 3, n. 10; Sporer, *loc. cit.*, n. 116 et 117, cum aliis ibi citatis, La Croix, lib. III, part. I, n. 446; ubi cum Castropal. insuper dicit probabilius universaliter fore mortale, si sine causa differatur votum religionis ad sex menses. Et ratio nostræ conclusionis est, quia tres, vel quatuor anni si demantur a servitio totius vitæ ab adolescentia usque ad senectutem, sunt parva materia, non sic autem si demantur ab ætate perfecta, et virili, v. g., triginta circiter annorum : tunc enim tres, vel quatuor anni sunt materia notabilis, et sufficiens ad mortale peccatum, uti etiam sunt sex menses in excedente annum quadragesimum.

(66. Votis autem temporalibus, quæ dilatione non minuuntur, dilatio etiam per longa tempora non erit mortalis, nisi eousque scienter, et sponte eorum adimpletio differatur, ut prævideatur impedimentum perpetuum illa adimplendi, v. g., senectus, periculum oblivionis, vel omissionis omnimodæ : Tamburin., *loc. cit.*, n. 10, cum S. Antonino apud Sanchez, lib. III *in Decalog.*, cap. 14, n. 21; Sporer, *loc. cit.*, n. 116, cum aliis ibi citatis, et alii plures. Et ratio est, quia nemo, cum dat totum, quod promisit, et nullum damnum ex mora creditori, vel promissario facit, condemnandus est de gravi culpa, sed solum de levi negligentia. In prædictis autem votis ut supra expressis post quamcunque dilationem, secluso periculo oblivionis, aut omissionis, adhuc vovens dat to[illegible] neque ex illa [illegible] damnu[illegible]

Digitized by Google

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Deuter. XXIII, hæc habentur : *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus : et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Vide atque considera verba ista : *Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Dices ne, moram in solvendis votis culpabilem non esse? Si culpabilis mora est, ut Scriptura testatur, ergo arbitraria dilatio culpæ non erit expers; ergo notabilis mora, seu dilatio, ut notabilem negligentiam, ita notabilem culpam præ se fert; ergo dilatio per longa tempora, sine causa ulla, mortalis erit. Nec levis dici negligentia potest, dum homo per longa tempora differat ea Deo dare, quæ liberrime eidem voverat.

RESPONSIO AUCTORIS.

Etiam ego ultro admitto, dilationem per longa tempora sine causa, mortalem esse, si tempus certum determinatum fuit, vel si ex notabilis negligentiæ mora periculum subsit nunquam illud adimplendi, aut si votum perpetuum Dei obsequium continens, ut religionis ingrediendæ, suscipiendi sacros Ordines, quotidie Missam audiendi, perpetuo serviendi xenodochio, et hujusmodi, quia in his notabilis, et longa dilatio tandem mortalis est. Quo enim diutius quis differt, eo plus aufert de obsequio Deo devoto. Non sic autem de votis temporalibus, quæ dilatione non minuuntur, nisi eo usque sciénter et sponte eorum adimpletio differatur, ut prævideatur impedimentum perpetuum illa adimplendi, v. g., senectus, periculum oblivionis vel omissionis omnimodæ, ut loquitur mea conclusio. Et convenire videtur etiam Concina ipse, lib. IV *in Decal.*, diss. 2, *De voti obligatione*, c. 3, n. 3, in fine, sic expresse dicens : « Ea vero, quorum observatio non decrescit ob temporis dilationem, majus temporis spatium quoad exsecutionem admittunt, ut sunt vota peregrinandi ad domum Lauretanam, erogandi in eleemosynam centum aureos, et id genus alia, quia sive hoc, sive futuro anno ea exsequaris, tantumdem cultus Deo semper reddis illorum exsecutione. » Hinc non tam facile dicenda est mortalis illa dilatio, nisi, ut trado ego, eousque scienter et sponte eorum adimpletio differatur, ut prævideatur impedimentum illa adimplendi. Sanctus enim Thomas, *Quodlib.*, q. 7, art. 15, in corp., sic expresse advertit : « Respondeo, dicendum, quod omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, *nisi expresse* veritas habeatur, periculose determinatur. »

(67. Qui generati[illegible] indeterminate religionem vovit, po[illegible]asmlibet minus strictam eligere, et [illegible] moderata religione recipiatur, non [illegible]redi stricti[illegible] V. g. Charl[illegible] quamvis [illegible] fuit sua [illegible]alitate [illegible]spe[illegible]olligi [illegible]d si-

miles strictissimas religiones se obligare, argum. cap. *In generali concessione* 81, De regulis juris, in 6, et leg. *Obligatione generali* 6, ff. *De pignoribus*. In generali enim concessione, promissione et obligatione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non fuisset concessurus, aut promissurus, vel se ad illa obligaturus : Sanchez, lib. IV *Moral.*, c. 16, n. 49; Silvester, verb. *Religio* 2, q. 16; Angelus, verb. *Votum* 3, § 10; Richard, in 4, dist. 38, art. 1 ad 2; Layman, lib. IV, tract. 5, cap. 6, n. 1, verb. *Resolves secundo;* Sporer, *loc. cit.*, n. 175 et alii passim.

(68. Item si talis vovens non recipiatur ad religionem, nisi ut maneat laicus, seu oblatus, aut conversus, non tenetur ingredi, si id ipse non intenderit, aut ex qualitate personæ colligi possit, utpote quia nobilis, delicatus, ingenio pollens, scientia imbutus, et hujusmodi : Sanchez, *loc. cit.*, n. 55 et seq.; Layman, *loc. cit.*, n. 1, vers. *Resolves tertio;* Sporer, *loc. cit.*, n. 159, et alii.

(69. Item si talis vovens in sua civitate, vel provincia non recipiatur, non tenetur adire provincias extraneas cum gravi suo incommodo, si talis non fuit sua intentio, aut ex qualitate personæ colligi possit suam intentionem eousque se extendisse, utpote quia inops, debilis, extraneæ linguæ imperitus, etc., et præsertim si persona vovens sit femina, cui peregrinari incommodum, et indecorum sit : in feminis enim religionem voventibus regulariter est intentio solummodo se obligandi ad monasteria vicina, ubi cognatorum et amicorum facultas, aut aliæ commoditates suppetunt; Sporer, *loc. cit.*, n. 158; Layman, *loc. cit.*, n. 1, vers. *Ex hoc fundamento*, cum Cajetano, Soto, Aragonio, Navarro et Sanchez ibi citatis, Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 1858, dicens, quod qui vovit religionem, non tenetur omnes adire, si ab una, aut altera respuatur, sed aliquot, puta tres, aut quatuor, et tunc si respuatur, est liber a voto, sicuti etiamsi unam ingressus, ejiciatur. Tancred. et Busemb., apud ipsum.

(70. Item si talis vovens non recipiatur in religione, ubi vigeat observantia, non tenetur, imo nec licite potest ingredi Ordinem, seu monasterium, cujus regularis disciplina ita collapsa sit, ut ne substantialia quidem vota inibi observentur; imminet enim ipsi potius, quam commoditas conversionis, periculum perversionis : Cajetan., in 2-2, q. 88, art. 3, § *Sed quid talis;* Sporer, *loco cit.*, n. 160; Layman, *loc. cit.*, num. 5, cum Navarro, Sanchez, Rodriquez, Valentia, Lessio ibi citatis, et alii.

(71. Item si talis vovens non recipiatur in religione claustrali, non tenetur ingredi religionem equitum militarium; intentio enim religionem voventis solet referri solum ad religionem claustralem, in qua regularis in communi fratrum conventu vigeat observantia, quales non sunt militarium equitum ordines, qui quamvis regulares sint, eorum tamen alumni potius more sæcularium vivunt, nec claustralem vitam servant : Lay-

Digitized by Google

man, *loc. cit.*, num. 2; Sanchez; *loc. cit.*, num. 71, et alii. (72. Imo talis vovens neque satisfaceret voto suo, ordinem equitum militarium ingrediendo, si posset ingredi ordinem regularem claustralem, ut docet Layman, *loc. cit.*, n. 2, vers. *Ex quo;* Sanchez, cit. cap. 16, n. 12, et alii, et clare deducitur ex declarationibus sacrarum congregationum, volentium quod regulares, habentes indultum Apostolicum transeundi ad quamcunque religionem etiam laxiorem, nequeant transire ad ordinem militarem, nisi expresse concedatur: sic sacra congreg. Episcop. et Regular. 7 Novembris 1397; apud Pignatell., tom. IX, consultat 170, n. 9, vers. *At his*, ut refert Card. Petra, tom. IV *Comment. ad Constit.* 8 *Eugenii IV*, n. 25, ubi insuper refert sac congreg. Conc. *in Mantuana* 30 Augusti 1698, denegasse transitum etiam ad religionem S. Spiritus, et *in Cajetana* 24 Martii 1703, declarasse nullum transitum ad religionem canonicorum regularium S. Antonii Viennensis; et idem tom. V *Comment. ad constit.* 3 *Callisti III*, n. 12, refert eamdem sac. congr. Conc. *in Bituntina* 23 Junii 1714, censuisse non esse concedendum indultum transitus ad militares, seu ad Hospitalarios S. Spiritus in Saxia, vel S. Antonii Viennensis.

(73. Qui determinate vovit certam aliquam religionem, v. g., determinate religionem S. P. Francisci, aut S. P. Dominici, et hujusmodi, si principaliter et absolute intendit vovere religionem, et solum secundario dictam religionem S. P. Francisci, aut S. P. Dominici, non liberatur a voto, quamvis non recipiatur in dicta speciali religione, sed debet serio petere, ut ad alium ordinem admittatur; si vero principaliter intendit dictam specialem religionem ob specialem affectum ad illam, sicque religionis ingressum non absolute per se, et in sensu diviso, sed omnino copulatim, seu in sensu composito cum dependentia a tali speciali religione promisit; tunc serio petens, et serio ab ea speciali religione repulsus, liberatur omnino a voto. Sic S. Thomas 2-2, quæst. 88, art. 3 ad 3; S. Antoninus in part. III, tit. 16, cap. 2, § 4; Layman, *loc. cit.*, n. 3, vers. *Dico secundo*, cum Abulensi, Silvestro, Cajetano, Soto, Navarro, Azorio, Sanchez, Suarez ibi citatis, Sporer, *loc. cit.*, n. 171, testans de communi. (74. Et si a tali speciali religione semel atque iterum solum constantiæ probandæ causa fuerit repulsus, non liberatur a voto; ac, si postea religiosi, mutata voluntate, parati sint eum recipere, obligatur voto ad ingrediendum : Sanchez, *loc. cit.*, n. 70; Lessius, lib. II, cap. 41, dub. 5, n. 45; Sporer, *loc. cit.*, n. 161; Layman, *loc. cit.*, n. 4, et alii, qui tamen excipiunt, nisi interea notabilis mutatio facta fuerit sine fraude voventis; ut si interim disciplina sit collapsa, monasterium destructum, si vovens interim desperans receptionem bona fide aliam religionem ingressus fuerit, vel sponsalia inierit.

(75. Qui vovit determinate ingredi unam religionem laxiorem, valide et licite ingreditur aliam strictiorem : *Communis*, arg. cap. *Licet* 18, De regularibus. (76. E contra autem, qui vovit determinate ingredi religionem strictiorem, et observantem, quamvis valide, non tamen licite potest ingredi et profiteri laxiorem, et si ingrediatur, est ei salutaris, et congrua pœnitentia imponenda : *Communis*, textu expresso in cap. *Qui post votum* 5, De regularibus, in 6, ibi : « Qui post votum a se de certa religione intranda emissum, religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, et profitetur in ipsa, potest (voto non obstante priori, cui tanquam simplici per secundum solemne noscitur derogatum) manere licite in eadem; pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda. »

(77. Qui absolute religionem vovit, intentionem suam non satis exprimens, sed dubius manens, an voluerit se obligare solum ad ingressum et probationem, an vero etiam ad professionem, præsumendus est se voluisse solum obligare ad experiendum, non item ad profitendum absolute : Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 16, n. 86; Suarez, lib. IV, *De voto*, cap. 8, n. 7; Layman, *loc. citat.*, n. 12, vers. *Dico* 2; Sporer, *loc. cit.*, n. 163, ubi testatur sic docere communem et securam sententiam doctorum contra Navar. et Rodrig.; et ratio est, quia vovens ingredi religionem censendus est et interpretandus in dubio vovisse ingressum secundum formam juris communis, quæ est, ut ingredientibus detur annus probationis, an ipsis expediat inibi eam profiteri, cap. *Gonzaldus* 17, quæst. 2, cap. *Ad Apostolicam* 16, De regularibus; concil. *Tridentin.*, sess. XXV, *De regularibus*, cap. 15, et expresse docet S. Thomas in 2-2, q. ult., artic. 4, in corpore, ad finem; omnis enim dispositio simpliciter concepta vestitur a jure communi, et ad illius intellectum est redigenda l. 2 cod. *De noxal.*, leg. *Quæro*, § *Inter locatorem*, ff. *Locati*, cap. *Causam quæ*, De rescriptis, et cap. *Quemadmodum*, Jurejurando. Tum quia votorum obligatio est strictæ interpretationis, et benignæ in favorem voventis : quare sicuti in dubium, utrum aliquis simpliciter voverit, censendus est liber, ita etiam in dubio, utrum aliquis unum solum, an vero duo voverit, nempe et ingressum, et professionem, censendus est liber ab altero, de cujus obligatione dubitat, adeoque, etc. Et sic etiam tenet cum aliis Fagnanus, lib. III *Decretal.*, in cap. *Porrectum* 13, De regularibus, n. 58, ubi ex verbis S. Thomæ, *loc. cit.*, sic expresse habet : « Si vero in vovendo simpliciter de ingressu religionis cogitavit absque eo, quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingressum religionis secundum formam juris communis, quæ est, ut ingredientibus detur annus probationis, unde non tenentur perpetuo in religione permanere. »

(78. Qui sic religionem, ut supra, vovit, debet eam sincero animo ingredi, ac se accommodare moribus religionis cum proposito perseverandi et profitendi, si eam sibi

Digitized by Google

convenientem expertus fuerit; alias voto non satisfaceret, si ingrederetur animo egrediendi, quia esset collusio; est enim hoc discrimen inter eum, qui sine voto, et eum qui cum voto religionem ingreditur, quod ille potest saltem quoad Ecclesiam ex sola ratione libertatis exire, per text. in cap. *Cum scimus* 14, De regularibus, ibi : « Quia tunc liberum sibi erit eum dimittere, » cap. *Statuimus* 23, eod., ibi : «Ante professionem emissam ad priorem statum redire posse libere infra annum ; » et ad summum peccat solum venialiter ob animi levitatem et inconstantiam, si sine rationabili causa a religione discedat; ingrediens autem ex voto tenetur religionem probare, ac si invenerit illius conditiones sibi gratas, ex vi voti obligatur ad perseverantiam, nec posset ex sola ratione libertatis ad sæculum redire, et si sine rationabili causa redeat, peccat mortaliter ob voti prævaricationem : Fagnan., *loc. cit.*, n. 71 ; Cajetan., in 2-2, quæst. ult., art. 4, in respons. ad 3 dub.; Navarr., lib. III, consil. 23, num. 5, *De voto edit.* 2; Sanchez, cit. cap. 16, n. 90 et seq. ; Sporer, *loc. cit.*, sub n. 163; Layman, *loc. cit.*, n. 12, vers. *Dico tertio*. (79. Si tamen bona fide ingressus, ex justa causa egrediatur, ut puta quia religio ipsi consentanea non videtur, vel ab ea dimittatur, tali voto omnino liberatur; satis est enim semel præstitisse quod promisit, nempe ingredi et experiri, an religio sibi conveniens sit, vel ipse religioni ; cum annus probationis concessus, et statutus sit, tam in favorem novitii quam religionis, ut et ille asperitates istius, et ista mores illius valeat experiri, textu expresso in cit. cap. *Ad Apostolicam* 16, De regularibus ; Sporer, *loc. cit.*, sub n. 163; Sanchez, *loc. cit.*, n. 105 et 108; Layman, *loc. cit.*, n. 13, vers. *Porro*, et alii.

(80. Qui vero expresse vovit, non solum ingredi religionem, sed etiam profiteri, seu in ea perpetuo manere, ita astringitur voto, ut quamvis ei religio non usque adeo consentanea videatur, exire sponte nequeat, sicque licet ex justa causa egrediatur, si tamen spes sit iterum receptum iri, tenetur adhuc ex voto iterum in eamdem, sive in aliam ingredi, si religionem absolute et in genere voveat. Et ratio est, quia votum absolute conceptum non exstinguitur ob impedimentum temporale, sed tantum suspenditur, eoque impedimento cessante dictum votum denuo obligare incipit, ut patet de eo, qui ob morbum ex religione dimittitur, is enim postquam convaluit, iterum ingredi tenetur, si votum perseverandi, sive profitendi addiderat; non item si tantum votum ingrediendi atque experiendi : Navarr., in *Manual.*, cap. 12, n. 46, et lib. III, consil. 21, n. 10, *De voto* ; Sporer, *loc. cit.*, sub n. 163; Layman, *loc. cit.*, n. 13, vers. *Porro*, et alii.

(81. Qui absolute et expresse vovit, et religionem, et castitatem ; si castitatem vovit principaliter et independenter a religione, is si ad religionem admissus non fuerit, vel ex ea iterum dimissus, vel ob aliam causam egressus, obligatur, adhuc voto castitatis. Si vero religionem vovit principaliter, et castitatem solum accessorie et dependenter a religione, is liberatus a voto religionis, liberatur etiam a voto simplici castitatis accessorio, quia ruente principali, ruit accessorium ; arg. cap. *Accessorium* 42, De regul. juris, in 6, leg. *Nihil dolo* 129, § *Cum principalis*, ff. *De regul. juris*, et l. *Cum principalis* 178, ff. eod.; Navarr., lib. III, cons. 13, *De voto* ; Sa, verb. *Votum*, n. 29; Sanchez, cap. 16, n. 113; Layman, *loc. cit.*, sub n. 163, et alii passim.

(82. In dubio autem quonam modo talis voverit castitatem, an scilicet dependenter vel independenter a religione ? Si neque ex verbis voventis, neque ex circumstantiis, conjectura capi possit post sufficientem diligentiam, tanquam in vero dubio poterit vovens eligere eum sensum voti, secundum quem minus obligatur, quique ipsi magis favet, nempe vovisse castitatem solum dependenter a religione, sicque liberatum a voto religionis, liberatum etiam esse a voto simplici castitatis : Sanchez, *loc. cit.*, num. 114; Suarez, lib. IV, *De voto*, cap. 6, n. 6 ; Layman, *loc. cit.*, num. 14, vers. *Dubitant* ; Sporer, cit. n. 163 in fine, et alii passim.

(83. Qui post dictum votum religionis ingrediendæ et profitendæ, episcopatum suscepit, est voti transgressor, et episcopatum, quatenus ex sua parte est, resignare debet, cap. *Per tuas* 10, De voto et voti redemptione : ubi proposito hoc casu ab episcopo Gratianopolitano, Innocentius III respondit: «Tuæ discretioni consulimus, ut si tuam sanare desideras conscientiam, regimen Ecclesiæ resignes memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua : » Cui canoni inhærens S. Thomas 2-2, quæst. 189, art. 3 ad 1, sic expresse dicit : « In foro conscientiæ esset sibi consulendum, quod omnibus dimissis, religionem intraret, unde De voto et voti redemptione, cap. *Per tuas*, consulitur episcopo Gratianopolitano, qui post votum religionis episcopatum assumpserat, voto non impleto, ut si suam sanare desideraret conscientiam, regimen Ecclesiæ resignaret, et redderet Altissimo vota sua : » et sic tenent Fagnan., in cap. *Sane* 10, num. 68, *De regularibus*, Layman, *loc. cit.*, num. 15, cum Cajetano, Angelo, Miranda, Silvestro, Tabiena, Sanchez, Azorio, Lessio, ibi citatis, et alii passim contra paucos. Intellige tamen nisi Papa dispenset.

(84. Astrictus voto religionis, si contrahat matrimonium, mortua conjuge, tenetur religionem ingredi ; dummodo non sit inhabilis effectus propter infirmitatem, vel ætatem. *Communis*. Et ratio est, quia nuptiæ illicite celebratæ non exstinxerunt obligationem voti, nec ullus de sua malitia commodum reportare debet, cap. *Intelleximus* 7, De judiciis, leg. *Non fraudantur* 134, § 1, ff. *De regul. juris* ; secus autem si jam factus esset inhabilis, quia impossibilium nulla est obligatio, l. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. jur.*, et c. *Nemo potest.* 6, De regul. jur., in 6.

(85. Qui est aliquo voto simplici obstri-

Digitized by Google

ctus, solvitur omnino ab ejus obligatione per ingressum et professionem religionis approbatæ: *Communis*, textu expresso in cap. *Scripturæ* 4, De voto et voti redemptione, ibi: « Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare. »

(86. In dubio, quando nec ex intentione voventis, nec ex forma, et usu verborum, nec ex natura materiæ, nec ex aliis circumstantiis aliter colligi possit, interpretatio voti est semper facienda stricte in favorem voventis, ita ut liberum illi sit utramlibet partem dubii eligere: *Communis*, argument., cap. *Ex parte* 18, De censibus, leg. *Quidquid astringendæ obligationis* 99, ff. *De verbor. obligationibus*, l. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. juris*, cum similibus.

(87. Unde qui vovit rem indeterminatam, sive in quantitate, numero, et mensura, ut dare eleemosynam, sive in qualitate, ut dare vinum, frumentum, panem, etc., non decernendo cujus bonitatis, sive in individuo, ut dare ovem, bovem, equum, etc., non determinando quamnam ovem, quemnam bovem, aut equum, satisfacit voto, dando in quacunque etiam minori quantitate, qualitate, vel individuo statui non repugnante, *Communis*, per text. in cit. cap. *Ex parte* 18, De censibus, ubi statuitur, quod in dubio de qua mensura majore ne, aut minore vota edita sint: « Volentes solvere ad minorem, non sunt cogendi, ut ad majorem persolvant, quoniam cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt a viris ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare; » ubi Glossa verb. *Ab initio* dicit: « Ideo pro eis bona fit interpretatio, ne ipsorum munificentia erga Ecclesias retardetur. » Et ratio est, quia ubi agitur de obligatione, stricta interpretatio facienda est, leg. *Quidquid astringendæ obligationis* 99, ff. *De verborum obligationibus*, et in dubiis non sequimur, quod maximum est, sed quod minimum, ut expresse dicit Glossa in cit. cap. *Ex parte*, verb. *Primo casu*, per text. in leg. *Nummis* 75, ff. *De legatis* 111, ibi: « Nummis indistincte legatis, hoc receptum est, ut exiguiores legati censeantur, l. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. juris*, ibi: « Ad id quod minimum est redigenda summa est. »

(88. Hinc qui vovit eleemosynam indeterminate, satisfacit dando quamlibet, statum suum non dedecentem. Qui vovit dare oleum pro lampade accendenda, dubitat autem an oleum olivæ, vel lini, aut nucis, potest dare etiam deterius, si hujus usus sit in ea Ecclesia. Qui vovit dare ovem ex suo grege, et dubitat an meliorem seu deteriorem, potest dare etiam inferiorem. Qui vovit peregrinationem, in dubio de modo, potest peregrinationem implere equis. Qui vovit dare unam ex suis vestibus, et dubius est, an debeat pretiosiorem, vel minus pretiosam, satisfacit dando minus pretiosam, et sic de similibus. Sic doctores communiter.

(89. Attendenda tamen semper est consuetudo regionum, et habitatorum, ut vota juxta censeantur emissa, atque sic sint adimplenda: *Communis* ner l. *Nummis* 75, ff. *De legatis* 111, cit. l. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. juris*, ibi: « Si non appareat, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. »

(90. Unde qui vovit ecclesiæ calicem, in dubio interpretatur obligari dare calicem argenteum, et non aureum, nec cupreum, vel stanneum, argument. can. *Calix*, dist. *De consecrat.*, leg. *Titia* 38, § 2, ff. *De auro, argento, ornamentis, vel vestimentis, et statuis legatis*. Nisi alicubi præ magna opulentia et auri abundantia vigeat consuetudo, ut non nisi aurei calices communiter offerantur, seu præ magna penuria, seu paupertate vigeat praxis, ut non nisi calices cuprei, seu stannei adhibeantur. Qui vovit jejunare quotidie per mensem non tenetur jejunare diebus Dominicis, cum sic servet communis praxis Ecclesiæ, sicuti etiam ex tali praxi qui vovit jejunare in vigilia alicujus sancti, potest jejunare die Sabbati, si vigilia incidat in diem Dominicam. Item qui vovit absolute jejunium, Missæ auditionem, confessionem sacramentalem, etc., debet illa exsequi eo modo, forma et integritate, qua eadem exsequuntur fideles, ubi occurrit Ecclesiæ præceptum. Item qui vovit audire sacrum in die verb. gr. Nativitatis, seu Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, tenetur audire duas Missas; qui vero vovit Missam audire quotidie, non tenetur audire, nisi unam diebus festis, et Dominicis, quia sic ordinarie practicatur ab omnibus, et intentio sic voventium solum fuisse censetur nullum diem transire sine Missa. Item licet qui vovit castitatem, dubitat vero an in, vel extra religionem, an perpetuam vel temporalem tantum ? possit eligere temporalem, vel sæcularem extra religionem: si tamen absolute dicat: « Voveo castitatem, » intelligi debet de castitate perpetua, et sic de similibus, ut notant doctores communiter.

(91. Qui post adhibitam moralem diligentiam, adhuc absolute dubitat, an emiserit verum votum, an vero simplex solum propositum conceperit, non obligatur voto, cum in tali casu præsumendum sit fuisse solum simplex propositum. Sic ex communi Sporer, *loco cit.* numer. 15, argument. leg. *Semper* 56, ff. *De regul. juris*, ibi: « Semper in dubiis benigniora præferenda sunt; leg. *Ea quæ* 192, ff. eodem, ibi: « In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius, quam tutius; » leg. *Si fuerit* 10, ff. *De rebus dubiis*, ibi: « In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet. » Tum quia melior est conditio ipsius dubitantis, possidentis suam libertatem, cum in pari causa melior sit conditio possidentis, textu expresso cap. *In pari* 65, De regul. juris, et in leg. *In pari causa* 128, ff. *De regul. jur.*, et concordat cap. *Ad aures* 6, De præscriptionibus, cap. *Quod*

Digitized by Google

autem 5, De jure patronat., l. *Nemo* 126, § 2, ff. *De regul juris*, cum similibus.

* Qui probabilismi systema in controversiis de moribus definiendis sequuntur, ex illo principio : *Melior est conditio possidentis* ubi dubium aliquod sive de voto in se, sive de qualitate rei promissæ oriatur, semper pro libertate voventis pronuntiandum inferunt. Verum aliter omnino statuendum esse probabilioristæ censent. Et sane Angelicus Præceptor in lib. IV *Sentent.*, dist. 37, qu. 1, art. 3 quæstiunc. 1, in resp. ad 6, scribit : « Si... dubitet, quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat. » *Vide* Antoine, in *Tract. de virtute religionis*, cap. 3, quæst. 5. *

(92. Qui autem certus est se emisisse votum, aut deliberate protulisse verba verum votum, seu veram promissionem significantia, verb. gr. « Promitto Deo et beatæ Mariæ Virgini servare castitatem ; » et adhibita morali diligentia, dubitat, an habuerit intentionem, seu voluntatem sufficientem se obligandi, obligatur voto : tunc melior est conditio voti possidentis suam vim obligandi per jura *num. antecedent.* allegata, quia cum quis deliberate profert verba significantia votum, seu veram promissionem, semper præsumitur habere voluntatem promittendi et se obligandi, nisi aliunde constet de opposito, cum nemo censeatur dicere quod non habet in mente, leg. *Labeo* 7, § 2, ff. *De supellectili legata*, ibi : « Nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit : » Sanchez lib. I *De matrimon.*, disput. 9, a n. 13, et l. IV *Moral.*, c. 1, n. 13, cum pluribus ibi citatis, Sanig., dist. 4, *De relig.*, q. 2, nu. 6 ; Sporer, *l. c.*, n. 16; Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, tract. 6, dist. 3, quæst. 2, a nu. 17 ; La Croix, lib. III, part. I, n. 381, cum Gobat, Ovied. ibi citatis, et alii.

(93. Cum quis dubitat, an quando vovit, habuerit plenum usum rationis, si vovit, ante septennium, præsumendum est non habuisse dictum plenum rationis usum, sicque voto non obligari, nisi in aliquo certe constaret malitiam, seu cognitionem prævenisse, seu supplevisse ætatem, quia in tali non præsumitur ordinarie usus rationis, et professio stat pro libertate. Si autem vovit post septennium, præsumendum est habuisse plenum usum rationis ; sicque voto obligari, cum in tali præsumatur ordinarie dictus plenus usus rationis, nisi in aliquo certe constet de opposito. *Communis.*

(94. Si vero dubitet, an ante, vel post septennium, seu ante, vel post sufficientem usum rationis, et deliberationis voverit ? Tunc probabilius præsumendum est vovisse post septennium, seu post sufficientem usum rationis, sicque voto teneri. Et ratio est, quia tunc de voto constat, et excusatio est dubia. In cap. autem *Si quis*, De pœnit., dist. 7 expresse dicitur : « Tene certum, dimitte incertum, » et concordat cap. *Juvenis* 3, De sponsalibus, et cap. *Audientiam* 12, De homicidio. Tum quia ante septennium, seu ante sufficientem usum rationis et deliberationis rarissime emittuntur vota, seu juramenta, adeoque in tali dubio ex communiter contingentibus præsumendum est in favorem voti, nempe esse emissum post septennium, seu sufficientem usum rationis, et ideo esse validum et obligatorium. Sanchez, lib. I *Moral.*, cap. 1, num. 14 ; Henno, tom. I *in Decalog.*, disput. 2, quæst. 3, *De voto*, art. 1, vers. *Dixi tertio*, resolut. 1 ; Diana, part. IV, tract. 3, resolut. 10, cum aliis ibi citatis; Sporer, *loc. cit.*, num. 24, testans hanc esse omnino probabilem, quamvis ipse cum Castropalao, et Tamburin. teneat probabiliter oppositum, quod non improbabile putat La Croix, *loc. cit.*, num. 387, cum dicto Castropalao, et Oviedo repugnantibus probatioribus theologis.

(95. Qui dubitat, an voverit cum sufficienti deliberatione, eo quod votum emiserit tempore subitæ passionis, iræ, terroris, ebrietatis, phrænesis, amentiæ, semidormitionis, etc., præsumendus est probabilius vovisse cum deliberatione sufficienti, adeoque obligari voto, nisi tales conjecturæ occurrant in contrarium, et prudenter credat non satis considerasse necessaria ad obligationem contrahendam : Sanchez, *loco cit.*; Gobat, tom. III, caus. 6, num. 170 ; Suarez, l. IV, *De voto*, cap. 5, Ovied., tom. V *Controv.*, num. 172; Sporer, *loco citat.*, sub num. 24 ; La Croix, *loc. cit.*, num. 388, et alii. Et ratio est, quia etiam hic constat de voto, et dubitatur de excusatione, tum quia qualitas, quæ naturaliter inest semper inesse supponitur, nisi clare constet de opposito ; atqui usus rationis naturaliter inest homini, ergo in suis actionibus semper inesse præsumi debet, nisi aliunde certe constet de opposito. Contraria tamen opinio non improbabiliter defenditur a Castropalao, tom. I, tract. 1, d. 3, quæst. 11, cum alii sibi citatis, et probabilem censet etiam Sporer, *l. cit.*

(96. Votum emissum ex metu, sive ab intrinseco, ut in periculo mortis, ex infirmitate, naufragio, peste, etc., sive ab extrinseco incusso ab homine, ut ab hoste, latrone, et hujusmodi, dummodo rationem non perturbet, et non sit talis metus ab extrinseco incussus ad ipsum votum injuste extorquendum, censendum est validum, ac obligatorium : *Communis.* Et ratio est, quia tale votum est adhuc implicite voluntarium, et deliberatum; votum autem voluntarium et deliberatum sine dubio est validum.

(97. Votum autem emissum ex metu injuste incusso ad ipsum votum extorquendum est censendum omnino invalidum, et non obligatorium, non solum de jure positivo canonico, ut patet expresse in cap. *Perlatum* 1, et aliis sequent. De his quæ vi, metusve causa fiunt, sed etiam de jure naturali, quia, ut ait sanctus Bonaventura in 3, dist. 39, art. 3, quæst. 2 : « Deus vult sacrificia voluntaria, non coacta. » Deus enim tale votum non acceptat, ne det vim injustæ coactioni : *Communis.*

(98. Nullum et irritum est votum emis-

Digitized by Google

sum ex ignorantia et errore, si fuerit circa substantiam rei promissæ, ut si quis voveat, se ingressurum certum monasterium, putans esse Sancti P. Francisci, cum sit S. P. Dominici, voveat dare ecclesiæ certum aliquem suum calicem, putans esse argenteum, cum sit aureus, et hujusmodi; item si fuerit circa conditionem substantialem, ut si quis voveat peregrinationem Lauretanam, erronee putans distare solum 40 milliaribus, cum tamen distet bis centum; si voveat peregrinationem in Terram Sanctam, putans posse fieri itinere pedestri per terram, cum tamen mare sit transfretandum, et hujusmodi. Item si fuerit circa causam finalem seu motivum formale vovendi : ut si quis voveat eleemosynam dare peste laborantibus in hac civitate, cum tamen hic nullus peste laboret; si voveat alere hunc pauperem, erronee putans esse suum consanguineum, cum tamen non sit, etc. In quibus deficit finis principalis a vovente intentus. Sic in re Communis doctorum. Et ratio nullitatis talium votorum est quia incogniti nulla est voluntas, cum voluntas non feratur in incognitum, ex Arist. lib. III *De anima*, commentar. 39, et ignorantis, ac errantis nullus sit consensus; l. *Non idcirco* 9, cod. *De jur. et facti ignorant.*, nihilque sit tam contrarium consensui, quam error, leg. *Si per errorem* 15, *ff. De jurisdict. omnium judic.*

(99. Qui vovit certam et determinatam rem, verb. gr. hunc equum, si talis determinatus equus sine culpa ventis pereat, non tenetur ad alium equum seu aliam rem, quia id non solet intendi, et talis res facta est impossibilis: impossibilium autem nulla est obligatio, leg. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. juris*, et leg. *Nemo potest* 6, De regul. jur., in 6. Si autem talem rem vendiderit, tenetur dare pretium receptum, quia eadem res manet virtualiter; et qui vovet rem, censetur promittere omnem ejus utilitatem : *Communis.*

(100. Qui scit se vovisse jejunium, verb. gr. pro die Mercurii, et dubitat, an habuerit intentionem supplendi alia die, si ista negligeret, non tenetur supplere alia die, quia in dubiis quod minimum est, eligi debet; leg. *Nummis* 75, ff. *De legatis*, 111, leg. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. jur.*, cap. *Ex parte* 18, De censibus, juncta Glossa communiter recepta *ibidem*, verb. *Primo casu.* * Vide testimonium S. Thomæ relatum in *addit. ad num.* 90.*

(101. Qui scit se votum emisisse, et dubitat an impleverit, tenetur adimplere, quia obligationi certæ non satisfit per solutionem dubiam; tum quia votum possidet, et melior est conditio possidentis, cap. *Ad aures* 6, De præscriptionibus, c. *Quod autem* 5. De jure patronat., cap. *In pari* 65, De regul. juris, in 6, leg. *Nemo* 126, ff. *De regul. jur.*, l. *In pari caus.* 128; ff. eodem. Et sic doctores communiter.

(102. Qui vovit absolute non ludere, nihil cogitando an de lusu tantum immoderato et periculoso intelligeret, an etiam de moderato, non tenetur abstinere a lusu moderato, quia voluntas in dubio interpretari debet in favorem ventis, arg. leg. *Semper in dubiis* 56, ff. *De regul. juris*, leg. *Ea quæ* 192, ff. eod., leg. *Si fuerit* 10, ff. *De rebus dubiis*, et dubitans, an plus, vel minus, tenetur tantum ad minus, cap. *Ex parte* 18, *De censibus*, juncta Glossa communiter recepta *ibid.*, verb. *Primo casu.* l. *Nummis.* 75, ff. *De legatis* 111, leg. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. jur.*

* Rejicit hanc opinionem Daniel Concina l. IV *in Decalog.* diss. 1, cap. 6, num. 48, ubi scribit : « Nisi constet expresse te distinxisse, dum votum edidisti, ab omni ludo chartarum te debere vi voti absoluti abstinere : tum quia cum votum privata lex sit, de eo pariter recte habet celeberrimum dictum : *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus* : tum etiam quia materia voto promissa, nempe integra a ludo abstinentia, confert plurimum ad innumera peccatorum pericula declinanda : tum denique quia votum in tutiorem partem semper interpretandum est. » *

(103. Qui vovit absolute non ludere, intelligendo etiam lusum moderatum, tenetur abstinere etiam ab isto : obligatio enim voti potissimum pendet ab intentione ventis; unde si ventis intentio fuit de se abstinendo etiam a ludo moderato, debet etiam ab isto omnino se abstinere : S. Thomas, 2-2, qu. 468, art. 1; Tamburin., l. III, cap. 3, § 5, num. 58; Castrop., tract. 14, d. 2, p. VII, § 1, num. 3; La Croix, lib. III, part. I, numer. 453, cum Sanchez et Bonacina ibi citatis, et alii passim.

104. Qui vovit non ludere intendens redimere jacturam temporis, tenetur abstinere etiam a lusu moderato, et etiam a lusu pro alio, quia etiam in tali ludo jactatur, et amittitur tempus; Tamburin., *loc. cit.*, numer. 59; La Croix, *loc. cit.*, num. 454; Castropal., *loco citat.*, addentes, quod sic vovens posset per alium ludere, licet aspiciendo perderet tempus, * quia tempus non perderet ludendo, ut fuit ejus votum, arg. citatis juribus, *supra num.* 102.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Hanc propositionem ita P. Daniel Concina perstringit tom. III primæ edit., pag. 171. « Falsum est insuper, quod inquit La Croix, ventem non ludere, dum per alium ludit. Quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur. Nec minus falsum est quod postea subdunt, nempe dum vovisti non ludere, ne tempus teras, te posse per alium ludere, licet aspiciendo tempus teras. Audistin'? Licet tempus perdas ludendo aliena manu, votum non fregisti; si autem propria manu ludis, votum fregisti. Peracuta, et mirifica theologia manifestam laxitatem non valet longius improbare ». Ita Concina; nec a vero alienam doctrinam tradit, ut consideranti facile patebit.

RESPONSIO AUCTORIS.

Quæ hic notatur a Romano theologo, non

Digitized by Google

est mea opinio, sed doctorum ibi ad eruditionem allatorum, ut legenti patet. Propriam autem meam opinionem demonstrat expresse mea conclusio, nempe : « Qui vovit non ludere intendens redimere jacturam temporis, tenetur abstinere etiam a lusu moderato, et etiam a lusu pro alio, quia etiam in tali ludo jactatur, et amittitur tempus. »

(105. Qui vovit non ludere ad evitandas rixas, et blasphemias, tenetur abstinere ab illis ludis, in quibus ex experientia subest sibi periculum rixandi, aut blasphemandi, uti ordinarie accidit in ludis nomine proprio, et cum jactura propriæ pecuniæ fieri solitis; quia vero id non solet accidere in ludis, qui fiunt nomine alieno, aut per alium, hinc poterit talis vovens licite ludere nomine alieno, aut per alium. Imo ei licebit ludere per alium, etiamsi dicta incommoda timeantur, quia re ipsa in tali casu ipse non ludit. Et sic etiam licebit ei facere sponsiones de hoc vel illo lucraturo, cum id non sit proprie ludere; Sanchez, lib. III, cap. 18, num. 8; Diana, part. VII, tract. 9, resolut. 58, Bonacin., *De juramento.*, quæst. 1, punct. 16, nu. 5; La Croix, *loco citat.*, numer. 454, et alii.

(106. Qui vovit non ludere, ut vitet jacturam suæ pecuniæ, interpretandus est quod excluserit solum lusum immoderatum, et eum, quo luderet pro se. Unde hic poterit ludere moderate pro se ob animi recreationem, et pro alio seu loco alterius, etiamsi subsit periculum jacturæ pecuniæ alterius; quia ludendo moderate, aut pro alio, non incurrit illud periculum jactandi, et perdendi suam pecuniam, quod fuit unicus finis sui voti. Imo poterit etiam ludere per alium, tradita ei pecunia, ut nomine sui, nedum absentis, sed et præsentis, videntis, et lætantis ludat, quia licet in hoc casu inveniatur finis, ob quem vovit, nempe ut vitet jacturam suæ pecuniæ, tamen res proprie non comprehenditur sub materia promissa, cum vere, et proprie non ludat, is, pro quo alius ludit. Vota enim in dubio interpretanda sunt in favorem voventis, et in mitiorem partem per jura adducta supra n. 102. Sic tenent Sanchez, *l. cit.* n. 7; Diana, *loc. citat.*, resolut. 57; Bonac., *loc. cit.*, num. 5; Castropal., n. 5; La Croix, *loc. cit.*, n. 454; Gobat, tom. III, casu 17, n. 526, et alii.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Atque hinc vide num consistere possint, quæ numeris 105 et 106 exponuntur; nam si per seipsum ludere censetur, qui per alium ludit, ergo qui voverit non ludere, sive ob evitandas rixas et blasphemias, sive ne pecuniæ jacturam patiatur, sive ob alium finem, a ludo abstinere debebit etiam aliena manu faciendo. Verbo dicam : Si generatim homo voverit, se non amplius lusurum, vi voti ab omni sive moderato, sive immoderato ludo abstinere debebit, et nec per se, nec per alium ludere licite poterit, nisi emittendo votum secum ipse declaraverit, vovere tantum voluisse abstinere a ludo immoderato, vel a ludo per seipsum faciendo. Nam si vovendo, nil ipse distinxit, sed generatim promisit, nec disquirere nos debemus; sed integram in ipso a ludo abstinentiam agnoscere, et profiteri tenebimur.

RESPONSIO AUCTORIS.

Pro assequenda mea vera opinione recurrendum est ad summarium hujus articuli sub citatis numeris (loquitur hic auctor de editione Romana), nempe sub num. 105 : « Qui vovit non ludere ad evitandas rixas, et blasphemias, tenetur abstinere ab illis, in quibus ex experientia subest sibi periculum rixandi; » sub n. 106. « Qui vovit non ludere, ut vitet jacturam suæ pecuniæ, interpretandus est, quod excluserit solum ludum immoderatum, et eum, quo luderet pro se. » Nam cætera in corpore ibi addita sunt potius ex opinione doctorum, et auctorum, qui identidem allegantur. Sed in Romana editione *Summaria* omnia, in quibus vel unico obtutu mens mea patetit, subtracta sunt.

(107. Quale autem peccatum sit, mortale, an veniale ludere post votum non ludendi, colligi potest universaliter loquendo ex consideratione finis, ob quem emissum fuit votum : unde qui vovit non ludere ad evitandum jacturam propriæ pecuniæ, non peccat graviter, nisi notabilem summam exponat periculo jacturæ; et si pro alio ludat, nec venialiter peccat, etiamsi multum perdat, quia finis sui voti fuit ad evitandam jacturam pecuniæ propriæ, et non alienæ. Item qui vovit non ludere, ut redimat tempus, si non consumat in ludo tempus, verb. grat. plus quam duas horas, non erit grave peccatum. Item qui vovit non ludere, ut evitet rixas, non peccat graviter, si ludat cum aliquo notorie pacifico, et sic de similibus. Ita Sanchez *loc. cit.*, num. 7; Tamburin., *loc. cit.*, num. 60; Gobat, *loc. cit.*, numer. 526; La Croix, *loc. cit.*, num. 454; Fagundez, Castropal. apud ipsum, et alii passim.

(108. Qui vovit non ludere certo genere ludi, certo tempore, in certo loco, cum certa persona, quia credebat certo se esse amissurum in tali tempore, tali loco, cum tali persona, etc., non tenetur servare illud votum, quia cum id sit superstitiosum, non potest esse materia voti, quia voti materia debet esse res moraliter bona ex dictis supra a num. 23. Et a fortiori non tenetur servare votum factum de non ludendo cum certa persona in vindictam, vel signum malæ voluntatis, cum votum non debeat esse vinculum iniquitatis; argument. cap. *Quanto* 18, De jurejurando, can. *Inter cætera* 22, caus. 22, quæst. 4; Sanchez, *loc. cit.*, num. 9; Castropal., *loc. cit.*, num. 7; Bonac., *loc. cit.*, punct. 4, num. 2; La Croix, *loc. cit.*, num. 457, cum Navar. et Soto ibi citatis, et alii. Excipe tamen nisi nollet ludere cum tali persona, ex quo nimis rixosa, fraudulenta, aut se ipso in ludo peritiore, aut in tali ludo non esset ipse expertus, aut

Digitized by Google

misti ex ea parte, qua est reale : *Communis.* Licet enim votum mistum ex ea parte, qua est personale, debeat necessario adimpleri per personam voventem, et non possit exsequi per alium ex dictis supra n. 44, adeoque nec transeat ad hæredes ex dictis supra n. 46 ; potest tamen per alium adimpleri ex ea parte, qua est reale, ut fatentur omnes doctores, adeoque si quoad dictam partem non fuit adimpletum a vovente, ipso defuncto, debet adimpleri ab ejus hæredibus per eamdem rationem adductam, *n. antecedent.*, de obligatione voti realis. Unde mortua persona, quæ vovit, v. g. peregrinari Lauretum, et ibi lampadem argenteam offerre, licet non transeat ad hæredes obligatio talis peregrinationis, utpote solius voti personalis, transit tamen ad ipsos obligatio oblationis dictæ lampadis argenteæ, utpote voti realis.

(49. Hæres non tenetur solvere vota defuncti ultra vires hæreditatis, sed cum proportione ad illa : *Communis.* Hinc potius solvendi sunt sumptus funeris : *Communis* per text. in l. *Scimus* XXII, § 9, cod. *De jure deliberandi* ; l. *Et si quis* 14, l. *Impensa funeris* 45, ff. *De religiosis et sumptibus funerum ;* deinde solvendum est omne æs alienum juxta ordinem traditum sub verb. RESTITUTIO, art. 4, a n. 29, usque in finem. Ex post ante vota solvenda est legitima descendentibus, aut ascendentibus defuncti debita : descendentes enim, et ascendentes defuncti non tenentur ad solvenda vota per illius testamentum emissa, si inde gravetur eorum legitima ; quia jura declarant omnia gravamina bonis a testatore apposita in præjudicium legitimæ, sive interim fiant per vota, sive per legata pia, nullius esse roboris, leg. *Quoniam* 32, cod. *De inofficioso testamento,* cum similibus. (50. Et solum post solutionem totius æris alieni et legitimæ, solvenda sunt vota ; et ratio est, quia vota non debent solvi ex ære alieno, sed ex ære et bonis ipsius voventis ; æs autem, et bona cujuscunque censentur solum quæ supersunt, deducto ære alieno l. *Mulier* 72, juncta Glossa, verb. *Alieno*, ff. *De jure dotium.* Debent tamen præferri vota legatis, cum hæc sint libera, et gratiosa, et illa sint obligatoria, ut tradunt communiter doctores. Si autem soluto ære alieno, hæreditas non sit solvendo omnia defuncti vota, non est solvendum unum, aut alterum, et alia omittenda, sed singula pro rata ; cum enim omnia æqualiter ex virtute religionis debeantur, non est ratio, cur unum alteri præferatur, idemque est in legatis, arg. l. *Privilegia* 32, ff. *De rebus auctoritat. judic. possidend.*, l. *Si hominem* 7, § 3, ff. *Depositi*, l. *Pro debito* 6, cod. *De bonis auctoritat. judic. possidend.*

(51. Votum conditionale non obligat, nisi impleta conditione. *Communis ;* actus enim sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum, arg. § *Sub conditione* 3, instit. *De verb. obligat.*, et l. unica, § *Sin autem*, cod. *De caducitat. tollend.* Suspenditur enim ejus valor usque ad eventum conditionis ; l. *Is, cui*, ff. *De actionibus et obligationibus*, l. *Legata sub conditione*, ff. *De condit. et demonstrat.*

(52. Peccat autem graviter vovens, si malitiose per fraudem, vim, aut dolum impediat positionem, seu adimpletionem conditionis, ne voto obligetur ; *Communis*, per Jura num. seq. adducenda : vovens enim vovendo obligavit se virtualiter ad non impediendum conditionis eventum, ne frustraneum esset votum. (53. Insuper tenetur probabilius votum exsequi non minus, quam si conditio impleta fuisset ; Richard., in 4, dist. 38, art. 5, quæst. 3 ; Angelus, verb. *votum* 1, § 10 ; Navarrus, cap. 12, n. 42 ; Azorius, lib. XI, cap. 20, qu. ult. ; Sanchez, lib. IV, cap. 23, n. 47 ; Henno, tom. I, tract. in *Decalog.*, disp. 2, qu. 3, art. 7, concl. 1, et tredecim citans, probabilius suadet Diana part. IV, tract. 4, resolut. 101 ; Sporer., *loc. cit.*, n. 147, ubi dicit communiorem, et sine dubio tutiorem esse hanc sententiam ; et sic alii plures, per text. in l. *In executione* 85, § ff. *De verb. obligationib.*, ibi : « Quicunque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio exsisteret, nihilominus obligatur, » et c. *Cum non stat* 66, De reg. juris, in 6, ibi : « Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset : » et ratio est, quia fraus et dolus nemini patrocinari debent ; cap. *Ex litteris* 2, De dolo et contumacia, ibi : « Nos attendentes, malitiam et dolum nulli patrocinari debere, » cap. *Sedes* 15, *De rescriptis*, ibi : « Quia fraus et dolus ei patrocinari non debent, » cap. *Ex tenore* 16, eod., ibi : « Quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent, » cap. *Tua* 12, De clericis non resident., ibi : « Cum fraus et dolus nemini debeant patrocinium impartiri, » l. *In fundo*, ff. *De rei vindicat.*, ibi : « Neque malitiis indulgendum est, » l. *Cum hi*, ff. *De transactionibus*, ibi : « Non debet via aperiri malitiis, » l. *Si legatarius*, cod. *De legatis*, ibi : « Ut non accipiat fructus suæ calliditatis. » Tum quia, ut fatentur ipsimet adversarii, quando homo homini promisit sub conditione, tenetur promissionem implere, si malitiose conditionis eventum impedivit, ergo etiam sic quando promisit Deo. Hinc qui vovit religionem, si pater consenserit, si Deus integram sanitatem restituerit, et hujusmodi, sed postea pœnitens voti, dolose falsis allegationibus patrem circumvenit ut contradicat qui alioquin non contradiceret, studiose, et malitiose intemperanter vivit, et refugit medicamenta ne recuperet integram sanitatem quam alioquin faciliter recuperaret, et alia hujusmodi malitiose et dolose peragit ad impediendam voti conditionem, ne ipsa adimpleta religionem ingredi teneatur, is adhuc tenetur votum exsequi, et religionem ingredi, non minus quam si conditio impleta esset ; sicuti cum quis promisit alicui centum scuta, si ad domum suam perrexerit, si is ingredi volens, ab illa per vim vel fraudem repellatur, perinde ei obligatus est, ac si ingressus fuisset.

Digitized by Google

(54. Votum conditionale, adimpleta conditione, evadit absolutum, adeoque posita conditione stricte obligat, ac si fuisset absolute emissum : *Communis*, arg. citatis juribus, *supra* n. 51. Et ratio est, quia votum illud præcise pendet a conditione, ut fiat absolutum, ergo cum ponitur, seu adimpletur conditio, obligat eodem modo, ac si fuisset absolute emissum, et ideo non requiritur novus consensus, seu nova intentio ad inducendam obligationem : hinc vovens religionem, susceptionem sacrorum Ordinum, peregrinationem, donationem calicis, lampadis, etc., alicui ecclesiæ, si naufragium, vel incendium evaserit, si sanitatem recuperaverit, etc., tenetur vitato naufragio, vel incendio, sanitate recuperata, etc., ad illorum exsecutionem.

(55. Votum pœnale obligat posita culpa, alias non : *Communis*. Et ratio est, quia voti obligatio sequitur intentionem voventis, qui voluit sibi imponere pœnam propter solam culpam, et non alias, adeoque, etc. Hinc qui vovit jejunium, si se inebriaverit, posita ebrietate, tenetur jejunare, secus autem, si se non inebriaverit. Sic qui vovit dare eleemosynam, si luserit, posito lusu, tenetur eleemosynam dare, secus autem, si non luserit, et sic de similibus.

(56. Votum pœnale emissum sine determinatione quoad numerum pœnæ solvendæ, si pœna solvenda sit ex ordinariis, quæque iterari solent, intelligitur solvenda toties quoties fiat transgressio. Unde qui, v. g., vovit jejunare si se polluerit, moderatam eleemosynam dare si luserit, et hujusmodi, obligandus est toties, quoties se polluerit, vel luserit. Si autem pœna solvenda sit ex gravioribus extraordinariis, quæque ordinarie iterari non ita solent, intelligitur solum in prima trangressione, et non in sequentibus. Unde qui, v. g., vovit peregrinari Compostellam, si fornicatus fuerit, et hujusmodi, obligandus est tantum prima vice; sic Tamburin., lib. III, cap. 12, § 7, n. 2; Sanchez, lib. IV, cap. 22, n. 21; Diana, part. VII, tract. 9, resolut. 60; Sporer, *loco cit.*, n. 155; Henno, *loco cit.*, concl. 2, resol. 5; Castropal., tract. 15, d. 1, p. 18, n. 6; Layman, *loc. cit.*, cap. 5, n. 4, et alii plures. Et ratio est, quia præsumitur rationabiliter, talem fuisse mentem voventis : non est enim verisimile voventis intentionem fuisse sibi imponere toties, quoties, pœnas graviores, atque insolitas, uti est tam longa et laboriosa Compostellana peregrinatio, uti econtra verisimile est ejus intentionem fuisse sibi imponere toties, quoties pœnas leviores, et solitas, uti est jejunium, moderata eleemosyna, et hujusmodi.

(57. Votum emissum cum intuitu ad certum tempus, seu ob specialem devotionem talis temporis debet omnino adimpleri tali tempore, et si eo tempore non adimpleatur, quamvis peccetur graviter, vel leviter pro ratione materiæ, obligatio tamen voti prorsus exstinguitur, ita ut vovens non teneatur amplius illud adimplere ; *Communis*. Et ratio est, quia tale tempus censetur præfixum et determinatum ad finiendam obligationem dicti voti. Cum enim dictum votum per modum unius copulatim comprehendat et rem promissam, et hanc circumstantiam temporis velut intrinsecam voto, transacto illo tempore, tota obligatio cessat, ex quo non sit amplius possibile votum adimpleri cum illa circumstantia dicti temporis jam transacti, quia impossibilium nulla est obligatio ; l. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. juris*, et cap. *Nemo potest* 6, De regul. juris, in 6, ibi : « Nemo potest ad impossibile obligari. » Hinc qui vovit jejunare die Veneris, ob specialem devotionem passionis Christi ; audire sacrum die Sabbati, ob devotionem B. M. Virginis ; jejunare vigiliam, et festare diem sancti Rocchi, seu sancti Sebastiani ob patrocinium contra pestem, etc., transacto tali tempore, cum, aut sine culpa, cessat omnino obligatio, cum in supradictis tempus, et dies censeatur determinari ad finiendam obligationem, ita ut si eo die negligatur, altero die suppleri, nec debeat, nec possit.

(58. Si tempus votum adimplendi determinatum sit non intuitu ad ipsum, nec ob specialem devotionem talis temporis, sed solum ratione ipsius voti adimplendi, tunc censetur præfixum solum ad non differendam obligationem, at non ad ipsam finiendam, sicque eo tempore cum, vel sine culpa, elapso absque impletione voti, adhuc manet obligatio illud adimplendi : *Communis*. Et ratio est, quia in tali casu res voto promissa, et circumstantia temporis non ponuntur per modum unius, et copulatim, ut in antecedenti numero, sed per modum duorum, et sunt virtualiter quasi duo vota, nempe de tali re facienda, et de tali tempore facienda, adeoque, quamvis transacto tempore, impossibile sit servare eam circumstantiam temporis, adhuc tamen remanet obligatio rei promissæ principalis, cum possibile adhuc sit juxta naturam dicti voti illam adimplere. Et colligitur clare ex l. *Celsus* 23, ff. *De receptis arbitris*, ubi habetur : « Jussum dare pecuniam certo tempore, duo præcepta habere, unum dandi, et alterum eo certo tempore ; ac proinde transgressorem posterioris adhuc teneri ad prius. » Hinc qui vovit ingredi religionem intra annum, visitare proximum sanctuarium intra mensem, confiteri intra hebdomadam, etc., elapso cum, vel sine culpa, illo termino, adhuc remanet obligatus ad votum adimplendum, cùm non fuerit determinatum dictum tempus ad finiendam obligationem, sed solum ad præscribendum terminum, ultra quem non differatur talis obligatio.

(59. Qui vovit aliquid facturum certo tempore, v. g., jejunare bis hebdomada sequenti, licet postea prævideat dictum votum non posse ob aliquod impedimentum implere tali determinata hebdomada, non tenetur prævenire, quia obligatio est affixa tempori, quod necdum est incœptum : si autem jam incœptum sit tempus obligationis, nempe dicta hebdomada, et prævideat in fine fore impedimentum ad jejunandum, tenetur

Digitized by Google

prævenire, quia jam est in tempore obligationis, sicut qui die festo prævidet circa meridiem fore impedimentum ad audiendum sacrum, tenetur mane prævenire. Ita Suarez, lib. IV, cap. 10, n. 7; Layman, *loc. cit.*, cap. 3, n. 5; Tamburin., *loc. cit.*, cap. 12, § 3, n. 2 et 3; Felix Potest., tom. I, part. II, n. 1847; La Croix, lib. VIII, part. II, num. 444, cum Sanchez, Bonac. et aliis ibi citatis, et alii.

(60. Votum sine temporis determinatione aut præfixione emissum adimpleri debet cum primum commode potest, *Communis* cum S. Thoma, 2-2, qu. 88, art. 3 ad 3, et qu. ult., art. 3, et desumitur clare ex cap. XXIII *Deuteron.*, ibi : *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus : et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum;* et ex leg. *Promissor*, § 1, ff. *De constituta pecunia*, ibi : « Si sine die constituas.... confestim agi tecum poterit, si statim, ut constituisti, non solvas. » (61. Ly autem *cum primum*, seu *statim* non est intelligendum physice, sed moraliter, nempe data temporis opportunitate, et occasione juxta prudentis arbitrium, arg. cit. l. *Promissor*, § 1, juncta Glossa, *ibid.*, ff. *De constituta pecunia*, l. *Ratum*, ff. *De solution.*, l. *Continuus*, § *Cum ita*, ff. *De verb. oblig.*

(62. Causa sufficiens differendi adimpletionem voti sine certo præfixo tempore facti, est, si adsit spes ut votum postea commodius, utilius, et maxime devotius impleatur, seu ad id concurrat publica necessitas, aut utilitas. *Communis.* Hinc qui vovit ingredi religionem, licite exspectare potest donec ætate, et viribus corporis provectior ad ordinis asperitates, et labores perferendos sit aptior, aut donec necessariis scientiis imbuatur. Qui vovit eleemosynam notabilem dare pauperibus, exspectare potest tempus majoris necessitatis. Qui vovit peregrinationem ad aliquod sanctuarium, exspectare potest usque dum festum aliquod incidat, aut opportuna occasio se offerat; et sic de similibus, in quibus omnibus concurrente publica necessitate, aut utilitate, licite, ipsa durante, differtur voti adimpletio, arg. c. *Non est* 5, De voto et voti redemptione, ibi : « Non est voti dicendus transgressor, qui quod vovit auctoritate Sedis Apostolicæ (legitima ex causa) distulit adimplere. »

(63. Habita opportunitate omnimoda adimplendi talia vota sine certo præfixo tempore facta, ulterius absque rationabili causa scienter differre semper est peccatum. *Communis*, per cit. text. *Deuteron.* XXIII, ibi : *Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* (64. Quandonam autem sit peccatum mortale, vel veniale? Incertum est apud doctores, qui tamen satis communiter concludunt culpabilem et irrationabilem dilationem adimpletionis votorum perpetuorum, ut ingrediendi religionem, sacros ordines suscipiendi, perpetuo jejunandi, etc., citius ad peccatum mortale pertingere, quam dilationem votorum solummodo temporalium, ut dandi certam eleemosynam, peragendi aliquod jejunium, assumendi aliquam peregrinationem, etc. Et ratio est, quia vota temporalia dilatione non minuuntur, sed quocunque tempore præstentur, semper integre præstantur, semper enim integre præstatur promissa eleemosyna, promissum jejunium, promissa peregrinatio. E contra vero vota perpetua dilatione minuuntur, quia cum vovens vi voti religionis, sacrorum Ordinum, et jejunii perpetui obligetur Deo servire usque ad mortem in religione, sacris Ordinibus, et jejunio, quantum differt votum, tantum detrahit de tempore serviendi, et jejunandi, et consequenter de voto.

(65. Unde in votis perpetuis attendenda est ætas voventis. Si enim vovens, v. g. religionem, sit ætatis 15, vel 16 annorum, dilatio ingressus sine rationabili causa ad tres, vel quatuor annos, non erit culpa mortalis, si absit periculum deficiendi a voto. Si autem sit ætatis 25 vel 30 annorum, talis dilatio ad tres, vel quatuor annos erit culpa mortalis. Imo si excederet annum 40, erit mortalis dilatio ingressus sine rationabili causa, et habita omnimoda opportunitate, etiamsi fiat solum ultra sex menses : Tamburin., lib. III *Decalog.*, cap. 12, § 3, n. 10; Sporer, *loc. cit.*, n. 116 et 117, cum aliis ibi citatis, La Croix, lib. III, part. I, n. 446; ubi cum Castropal. insuper dicit probabilius universaliter fore mortale, si sine causa differatur votum religionis ad sex menses. Et ratio nostræ conclusionis est, quia tres, vel quatuor anni si demantur a servitio totius vitæ ab adolescentia usque ad senectutem, sunt parva materia, non sic autem si demantur ab ætate perfecta, et virili, v. g., triginta circiter annorum : tunc enim tres, vel quatuor anni sunt materia notabilis, et sufficiens ad mortale peccatum, uti etiam sunt sex menses in excedente annum quadragesimum.

(66. Votis autem temporalibus, quæ dilatione non minuuntur, dilatio etiam per longa tempora non erit mortalis, nisi eousque scienter, et sponte eorum adimpletio differatur, ut prævideatur impedimentum perpetuum illa adimplendi, v. g., senectus, periculum oblivionis, vel omissionis omnimodæ : Tamburin., *loc. cit.*, n. 10, cum S. Antonino apud Sanchez, lib. III *in Decalog.*, cap. 14, n. 21; Sporer, *loc. cit.*, n. 116, cum aliis ibi citatis, et alii plures. Et ratio est, quia nemo, cum dat totum, quod promisit, et nullum damnum ex mora creditori, vel promissario facit, condemnandus est de gravi culpa, sed solum de levi negligentia. In prædictis autem votis ut supra expressis post quamcunque dilationem, secluso periculo oblivionis, aut omissionis, adhuc vovens dat totum, quod promisit, neque ex illa dilatione, seu mora ullum damnum facit Deo, cum sit dispar ratio de creditore humano, cui semper fere officit dilatio longa debiti, adeoque dilatio adimpletionis votorum temporalium in sensu conclusionis non erit culpa gravis, sed levis. Imo neque esset culpa levis, si adesset rationabilis causa sic differendi.

Digitized by Google

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Deuter. XXIII, hæc habentur : *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus : et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Vide atque considera verba ista : *Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Dices ne, moram in solvendis votis culpabilem non esse? Si culpabilis mora est, ut Scriptura testatur, ergo arbitraria dilatio culpæ non erit expers; ergo notabilis mora, seu dilatio, ut notabilem negligentiam, ita notabilem culpam præ se fert; ergo dilatio per longa tempora, sine causa ulla, mortalis erit. Nec levis dici negligentia potest, dum homo per longa tempora differat ea Deo dare, quæ liberrime eidem voverat.

RESPONSIO AUCTORIS.

Etiam ego ultro admitto, dilationem per longa tempora sine causa, mortalem esse, si tempus certum determinatum fuit, vel si ex notabilis negligentiæ mora periculum subsit nunquam illud adimplendi, aut si votum perpetuum Dei obsequium continens, ut religionis ingrediendæ, suscipiendi sacros Ordines, quotidie Missam audiendi, perpetuo serviendi xenodochio, et hujusmodi, quia in his notabilis, et longa dilatio tandem mortalis est. Quo enim diutius quis differt, eo plus aufert de obsequio Deo devoto. Non sic autem de votis temporalibus, quæ dilatione non minuuntur, nisi eo usque scienter et sponte eorum adimpletio differatur, ut prævideatur impedimentum perpetuum illa adimplendi, v. g., senectus, periculum oblivionis vel omissionis omnimodæ, ut loquitur mea conclusio. Et convenire videtur etiam Concina ipse, lib. IV *in Decal.*, diss. 2, *De voti obligatione*, c. 3, n. 3, in fine, sic expresse dicens : « Ea vero, quorum observatio non decrescit ob temporis dilationem, majus temporis spatium quoad exsecutionem admittunt, ut sunt vota peregrinandi ad domum Lauretanam, erogandi in eleemosynam centum aureos, et id genus alia, quia sive hoc, sive futuro anno ea exsequaris, tantumdem cultus Deo semper reddis illorum exsecutione. » Hinc non tam facile dicenda est mortalis illa dilatio, nisi, ut trado ego, eousque scienter et sponte eorum adimpletio differatur, ut prævideatur impedimentum illa adimplendi. Sanctus enim Thomas, *Quodlib.*, q. 7, art. 15, in corp., sic expresse advertit : « Respondeo, dicendum, quod omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, *nisi expresse* veritas habeatur, periculose determinatur. »

(67. Qui generatim et indeterminate religionem vovit, potest quamlibet minus strictam eligere, et si nulla moderata religione recipiatur, non tenetur ingredi strictissimam, v. g. Ghartusianorum, quamvis facile esset recipiendus, si talis non fuit sua intentio, seu ex circumstantiis et qualitate voventis, utpote quia delicatus et ab asperitatibus abhorrens, et hujusmodi colligi possit non fuisse ejus mentem etiam ad similes strictissimas religiones se obligare, argum. cap. *In generali concessione* 81, De regulis juris, in 6, et leg. *Obligatione generali* 6, ff. *De pignoribus.* In generali enim concessione, promissione et obligatione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non fuisset concessurus, aut promissurus, vel se ad illa obligaturus : Sanchez, lib. IV *Moral.*, c. 16, n. 49; Silvester, verb. *Religio* 2, q. 16; Angelus, verb. *Votum* 3, § 10; Richard, in 4, dist. 38, art. 1 ad 2; Layman, lib. IV, tract. 5, cap. 6, n. 1, verb. *Resolves secundo;* Sporer, *loc. cit.*, n. 175 et alii passim.

(68. Item si talis vovens non recipiatur ad religionem, nisi ut maneat laicus, seu oblatus, aut conversus, non tenetur ingredi, si id ipse non intenderit, aut ex qualitate personæ colligi possit, utpote quia nobilis, delicatus, ingenio pollens, scientia imbutus, et hujusmodi : Sanchez, *loc. cit.*, n. 55 et seq.; Layman, *loc. cit.*, n. 1, vers. *Resolves tertio;* Sporer, *loc. cit.*, n. 159, et alii.

(69. Item si talis vovens in sua civitate, vel provincia non recipiatur, non tenetur adire provincias extraneas cum gravi suo incommodo, si talis non fuit sua intentio, aut ex qualitate personæ colligi possit suam intentionem eousque se extendisse, utpote quia inops, debilis, extraneæ linguæ imperitus, etc., et præsertim si persona vovens sit femina, cui peregrinari incommodum, et indecorum sit : in feminis enim religionem voventibus regulariter est intentio solummodo se obligandi ad monasteria vicina, ubi cognatorum et amicorum facultas, aut aliæ commoditates suppetunt; Sporer, *loc. cit.*, n. 158; Layman, *loc. cit.*, n. 1, vers. *Ex hoc fundamento*, cum Cajetano, Soto, Aragonio, Navarro et Sanchez ibi citatis, Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 1858, dicens, quod qui vovit religionem, non tenetur omnes adire, si ab una, aut altera respuatur, sed aliquot, puta tres, aut quatuor, et tunc si respuatur, est liber a voto, sicuti etiamsi unam ingressus, ejiciatur. Tancred. et Busemb., apud ipsum.

(70. Item si talis vovens non recipiatur in religione, ubi vigeat observantia, non tenetur, imo nec licite potest ingredi Ordinem, seu monasterium, cujus regularis disciplina ita collapsa sit, ut ne substantialia quidem vota inibi observentur; imminet enim ipsi potius, quam commoditas conversionis, periculum perversionis : Cajetan., in 2-2, q. 88, art. 3, § *Sed quid talis;* Sporer, *loco cit.*, n. 160; Layman, *loc. cit.*, num. 5, cum Navarro, Sanchez, Rodriquez, Valentia, Lessio ibi citatis, et alii.

(71. Item si talis vovens non recipiatur in religione claustrali, non tenetur ingredi religionem equitum militarium; intentio enim religionem voventis solet referri solum ad religionem claustralem, in qua regularis in communi fratrum conventu vigeat observantia, quales non sunt militarium equitum ordines, qui quamvis regulares sint, eorum tamen alumni potius more sæcularium vivunt, nec claustralem vitam servant : Lay-

Digitized by Google

man, *loc. cit.*, num. 2; Sanchez; *loc. cit.*, num. 71, et alii. (72. Imo talis vovens neque satisfaceret voto suo, ordinem equitum militarium ingrediendo, si posset ingredi ordinem regularem claustralem, ut docet Layman, *loc. cit.*, n. 2, vers. *Ex quo;* Sanchez, cit. cap. 16, n. 12, et alii, et clare deducitur ex declarationibus sacrarum congregationum, volentium quod regulares, habentes indultum Apostolicum transeundi ad quamcunque religionem etiam laxiorem, nequeant transire ad ordinem militarem, nisi expresse concedatur: sic sacra congreg. Episcop. et Regular. 7 Novembris 1397; apud Pignatell., tom. IX, consultat 170, n. 9, vers. *At his*, ut refert Card. Petra, tom. IV *Comment. ad Constit.* 8 *Eugenii IV*, n. 25, ubi insuper refert sac congreg. Conc. *in Mantuana* 30 Augusti 1698, denegasse transitum etiam ad religionem S. Spiritus, et *in Cajetana* 24 Martii 1703, declarasse nullum transitum ad religionem canonicorum regularium S. Antonii Viennensis; et idem tom. V *Comment. ad constit.* 3 *Callisti III*, n. 12, refert eamdem sac. congr. Conc. *in Bituntina* 23 Junii 1714, censuisse non esse concedendum indultum transitus ad militares, seu ad Hospitalarios S. Spiritus in Saxia, vel S. Antonii Viennensis.

(73. Qui determinate vovit certam aliquam religionem, v. g., determinate religionem S. P. Francisci, aut S. P. Dominici, et hujusmodi, si principaliter et absolute intendit vovere religionem, et solum secundario dictam religionem S. P. Francisci, aut S. P. Dominici, non liberatur a voto, quamvis non recipiatur in dicta speciali religione, sed debet serio petere, ut ad alium ordinem admittatur; si vero principaliter intendit dictam speciatem religionem ob specialem affectum ad illam, sicque religionis ingressum non absolute per se, et in sensu diviso, sed omnino copulatim, seu in sensu composito cum dependentia a tali speciali religione promisit; tunc serio petens, et serio ab ea speciali religione repulsus, liberatur omnino a voto. Sic S. Thomas 2-2, quæst. 88, art. 3 ad 3; S. Antoninus in part. III, tit. 16, cap. 2, § 4; Layman, *loc. cit.*, n. 3, vers. *Dico secundo*, cum Abulensi, Silvestro, Cajetano, Soto, Navarro, Azorio, Sanchez, Suarez ibi citatis, Sporer, *loc. cit.*, n. 171, testans de communi. (74. Et si a tali speciali religione semel atque iterum solum constantiæ probandæ causa fuerit repulsus, non liberatur a voto; ac, si postea religiosi, mutata voluntate, parati sint eum recipere, obligatur voto ad ingrediendum : Sanchez, *loc. cit.*, n. 70; Lessius, lib. II, cap. 41, dub. 5, n. 45; Sporer, *loc. cit.*, n. 161; Layman, *loc. cit.*, n. 4, et alii, qui tamen excipiunt, nisi interea notabilis mutatio facta fuerit sine fraude voventis; ut si interim disciplina sit collapsa, monasterium destructum, si vovens interim desperans receptionem bona fide aliam religionem ingressus fuerit, vel sponsalia inierit.

(75. Qui vovit determinate ingredi unam religionem laxiorem, valide et licite ingreditur aliam strictiorem : *Communis*, arg. cap. *Licet* 18, De regularibus. (76. E contra autem, qui vovit determinate ingredi religionem strictiorem, et observantem, quamvis valide, non tamen licite potest ingredi et profiteri laxiorem, et si ingrediatur, est ei salutaris, et congrua pœnitentia imponenda : *Communis*, textu expresso in cap. *Qui post votum* 5, De regularibus, in 6, ibi : « Qui post votum a se de certa religione intranda emissum, religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, et professionem in ipsa, potest (voto non obstante priori, cui tanquam simplici per secundum solemne noscitur derogatum) manere licite in eadem; pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda. »

(77. Qui absolute religionem vovit, intentionem suam non satis exprimens, sed dubius manens, an voluerit se obligare solum ad ingressum et probationem, an vero etiam ad professionem, præsumendus est se voluisse solum obligare ad experiendum, non item ad profitendum absolute : Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 16, n. 86; Suarez, lib. III, *De voto*, cap. 8, n. 7; Layman, *loc. citat.*, n. 12, vers. *Dico* 2; Sporer, *loc. cit.*, n. 163, ubi testatur sic docere communem et securam sententiam doctorum contra Navar. et Rodrig.; et ratio est, quia vovens ingredi religionem censendus est et interpretandus in dubio vovisse ingressum secundum formam juris communis, quæ est, ut ingredientibus detur annus probationis, an ipsis expediat inibi eam profiteri, cap. *Gonzaldus* 17, quæst. 2, cap. *Ad Apostolicam* 16, De regularibus; concil. *Tridentin.*, sess. XXV, *De regularibus*, cap. 15, et expresse docet S. Thomas in 2-2, q. ult., artic. 4, in corpore, ad finem; omnis enim dispositio simpliciter concepta vestitur a jure communi, et ad illius intellectum est redigenda l. 2 cod. *De noxal.*, leg. *Quæro*, § *Inter locatorem*, ff. *Locati*, cap. *Causam quæ*, De rescriptis, et cap. *Quemadmodum*, Jurejurando. Tum quia votorum obligatio est strictæ interpretationis, et benignæ in favorem voventis : quare sicuti in dubium, utrum aliquis simpliciter voverit, censendus est liber, ita etiam in dubio, utrum aliquis unum solum, an vero duo voverit, nempe et ingressum, et professionem, censendus est liber ab altero, de cujus obligatione dubitat, adeoque, etc. Et sic etiam tenet cum aliis Fagnanus, lib. III *Decretal.*, in cap. *Porrectum* 13, De regularibus, n. 58, ubi ex verbis S. Thomæ, *loc. cit.*, sic expresse habet : « Si vero in vovendo simpliciter de ingressu religionis cogitavit absque eo, quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingressum religionis secundum formam juris communis, quæ est, ut ingredientibus detur annus probationis, unde non tenentur perpetuo in religione permanere. »

(78. Qui sic religionem, ut supra, vovit, debet eam sincero animo ingredi, ac se accommodare moribus religionis cum proposito perseverandi et profitendi, si eam sibi

Digitized by Google

convenientem expertus fuerit; alias voto non satisfaceret, si ingrederetur animo egrediendi, quia esset collusio; est enim hoc discrimen inter eum, qui sine voto, et eum qui cum voto religionem ingreditur, quod ille potest saltem quoad Ecclesiam ex sola ratione libertatis exire, per text. in cap. *Cum scimus* 14, De regularibus, ibi : « Quia tunc liberum sibi erit eum dimittere, » cap. *Statuimus* 23, eod., ibi : «Ante professionem emissam ad priorem statum redire posse libere infra annum ; » et ad summum peccat solum venialiter ob animi levitatem et inconstantiam, si sine rationabili causa a religione discedat; ingrediens autem ex voto tenetur religionem probare, ac si invenerit illius conditiones sibi gratas, ex vi voti obligatur ad perseverantiam, nec posset ex sola ratione libertatis ad sæculum redire, et si sine rationabili causa redeat, peccat mortaliter ob voti prævaricationem : Fagnan., *loc. cit.*, n. 71 ; Cajetan., in 2-2, quæst. ult., art. 4, in respons. ad 3 dub.; Navarr., lib. III, consil. 23, num. 5, *De voto edit.* 2; Sanchez, cit. cap. 16, n. 90 et seq. ; Sporer, *loc. cit.*, sub n. 163; Layman, *loc. cit.*, n. 12, vers. *Dico tertio*. (79. Si tamen bona fide ingressus, ex justa causa egrediatur, ut puta quia religio ipsi consentanea non videtur, vel ab ea dimittatur, tali voto omnino liberatur ; satis est enim semel præstitisse quod promisit, nempe ingredi et experiri, an religio sibi conveniens sit, vel ipse religioni ; cum annus probationis concessus, et statutus sit, tam in favorem novitii quam religionis, ut et ille asperitates istius, et ista mores illius valeat experiri, textu expresso in cit. cap. *Ad Apostolicam* 16, De regularibus ; Sporer, *loc. cit.*, sub n. 163; Sanchez, *loc. cit.*, n. 105 et 108; Layman, *loc. cit.*, n. 13, vers. *Porro*, et alii.

(80. Qui vero expresse vovit, non solum ingredi religionem, sed etiam profiteri, seu in ea perpetuo manere, ita astringitur voto, ut quamvis ei religio non usque adeo consentanea videatur, exire sponte nequeat, sicque licet ex justa causa egrediatur, si tamen spes sit iterum receptum iri, tenetur adhuc ex voto iterum in eamdem, sive in aliam ingredi, si religionem absolute et in genere voveat. Et ratio est, quia votum absolute conceptum non exstinguitur ob impedimentum temporale, sed tantum suspenditur, eoque impedimento cessante dictum votum denuo obligare incipit, ut patet de eo, qui ob morbum ex religione dimittitur, is enim postquam convaluit, iterum ingredi tenetur, si votum perseverandi, sive profitendi addiderat; non item si tantum votum ingrediendi atque experiendi : Navarr., in *Manual.*, cap. 12, n. 46, et lib. III, consil. 21, n. 10, *De voto* ; Sporer, *loc. cit.*, sub n. 163 ; Layman, *loc. cit.*, n. 13, vers. *Porro*, et alii.

(81. Qui absolute et expresse vovit, et religionem, et castitatem ; si castitatem vovit principaliter et independenter a religione, is si ad religionem admissus non fuerit, vel ex ea iterum dimissus, vel ob aliam causam egressus, obligatur, adhuc voto castitatis. Si vero religionem vovit principaliter, et castitatem solum accessorie et dependenter a religione, is liberatus a voto religionis, liberatur etiam a voto simplici castitatis accessorio, quia ruente principali, ruit accessorium ; arg. cap. *Accessorium* 42, De regul. juris, in 6, leg. *Nihil dolo* 129, § *Cum principalis*, ff. *De regul. juris*, et l. *Cum principalis* 178, ff. eod.; Navarr., lib. III, cons. 13, *De voto* ; Sa, verb. *Votum*, n. 29; Sanchez, cap. 16, n. 113; Layman, *loc. cit.*, sub n. 163, et alii passim.

(82. In dubio autem quonam modo talis voverit castitatem, an scilicet dependenter vel independenter a religione ? Si neque ex verbis voventis, neque ex circumstantiis, conjectura capi possit post sufficientem diligentiam, tanquam in vero dubio poterit vovens eligere eum sensum voti, secundum quem minus obligatur, quique ipsi magis favet, nempe vovisse castitatem solum dependenter a religione, sicque liberatum a voto religionis, liberatum etiam esse a voto simplici castitatis : Sanchez, *loc. cit.*, num. 114; Suarez, lib. IV, *De voto*, cap. 6, n. 6 ; Layman, *loc. cit.*, num. 14, vers. *Dubitant* ; Sporer, cit. n. 163 in fine, et alii passim.

(83. Qui post dictum votum religionis ingrediendæ et profitendæ, episcopatum suscepit, est voti transgressor, et episcopatum, quatenus ex sua parte est, resignare debet, cap. *Per tuas* 10, De voto et voti redemptione : ubi proposito hoc casu ab episcopo Gratianopolitano, Innocentius III respondit : «Tuæ discretioni consulimus, ut si tuam sanare desideras conscientiam, regimen Ecclesiæ resignes memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua : » Cui canoni inhærens S. Thomas 2-2, quæst. 189, art. 3 ad 1, sic expresse dicit : « In foro conscientiæ esset sibi consulendum, quod omnibus dimissis, religionem intraret, unde De voto et voti redemptione, cap. *Per tuas*, consulitur episcopo Gratianopolitano, qui post votum religionis episcopatum assumpserat, voto non impleto, ut si suam sanare desideraret conscientiam, regimen Ecclesiæ resignaret, et redderet Altissimo vota sua : » et sic tenent Fagnan., in cap. *Sane* 10, num. 68, *De regularibus*, Layman, *loc. cit.*, num. 15, cum Cajetano, Angelo, Miranda, Silvestro, Tabiena, Sanchez, Azorio, Lessio, ibi citatis, et alii passim contra paucos. Intellige tamen nisi Papa dispenset.

(84. Astrictus voto religionis, si contrahat matrimonium, mortua conjuge, tenetur religionem ingredi ; dummodo non sit inhabilis effectus propter infirmitatem, vel ætatem. *Communis*. Et ratio est, quia nuptiæ illicite celebratæ non exstinxerunt obligationem voti, nec ullus de sua malitia commodum reportare debet, cap. *Intelleximus* 7, De judiciis, leg. *Non fraudantur* 134, § 1, ff. *De regul. juris* ; secus autem si jam factus esset inhabilis, quia impossibilium nulla est obligatio, l. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. jur.*, et c. *Nemo potest.* 6, De regul. jur., in 6.

(85. Qui est aliquo voto simplici obstri-

Digitized by Google

ctus, solvitur omnino ab ejus obligatione per ingressum et professionem religionis approbatæ: *Communis*, textu expresso in cap. *Scripturæ* 4, De voto et voti redemptione, ibi: « Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare. »

(86. In dubio, quando nec ex intentione voventis, nec ex forma, et usu verborum, nec ex natura materiæ, nec ex aliis circumstantiis aliter colligi possit, interpretatio voti est semper facienda stricte in favorem voventis, ita ut liberum illi sit utramlibet partem dubii eligere: *Communis*, argument., cap. *Ex parte* 18, De censibus, leg. *Quidquid astringendæ obligationis* 99, ff. *De verbor. obligationibus*, l. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. juris*, cum similibus.

(87. Unde qui vovit rem indeterminatam, sive in quantitate, numero, et mensura, ut dare eleemosynam, sive in qualitate, ut dare vinum, frumentum, panem, etc., non decernendo cujus bonitatis, sive in individuo, ut dare ovem, bovem, equum, etc., non determinando quamnam ovem, quemnam bovem, aut equum, satisfacit voto, dando in quacunque etiam minori quantitate, qualitate, vel individuo statui non repugnante, *Communis*, per text. in cit. cap. *Ex parte* 18, De censibus, ubi statuitur, quod in dubio de qua mensura majore ne, aut minore vota edita sint: « Volentes solvere ad minorem, non sunt cogendi, ut ad majorem persolvant, quoniam cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt a viris ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare; » ubi Glossa verb. *Ab initio* dicit: « Ideo pro eis bona fit interpretatio, ne ipsorum munificentia erga Ecclesias retardetur. » Et ratio est, quia ubi agitur de obligatione, stricta interpretatio facienda est, leg. *Quidquid astringendæ obligationis* 99, ff. *De verborum obligationibus*, et in dubiis non sequimur, quod maximum est, sed quod minimum, ut expresse dicit Glossa in cit. cap. *Ex parte*, verb. *Primo casu*, per text. in leg. *Nummis* 75, ff. *De legatis* 111, ibi: « Nummis indistincte legatis, hoc receptum est, ut exiguiores legati censeantur, l. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. juris*, ibi: « Ad id quod minimum est redigenda summa est. »

(88. Hinc qui vovit eleemosynam indeterminate, satisfacit dando quamlibet, statum suum non dedecentem. Qui vovit dare oleum pro lampade accendenda, dubitat autem an oleum olivæ, vel lini, aut nucis, potest dare etiam deterius, si hujus usus sit in ea Ecclesia. Qui vovit dare ovem ex suo grege, et dubitat an meliorem seu deteriorem, potest dare etiam inferiorem. Qui vovit peregrinationem, in dubio de modo, potest peregrinationem implere equis. Qui vovit dare unam ex suis vestibus, et dubius est, an debeat pretiosiorem, vel minus pretiosam, satisfacit dando minus pretiosam, et sic de similibus. Sic doctores communiter.

(89. Attendenda tamen semper est consuetudo regionum, et habitatorum, ut vota juxta censeantur emissa, atque sic sint adimplenda: *Communis* ner l. *Nummis* 75, ff. *De legatis* 111, cit. l. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. juris*, ibi: « Si non appareat, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. »

(90. Unde qui vovit ecclesiæ calicem, in dubio interpretatur obligari dare calicem argenteum, et non aureum, nec cupreum, vel stanneum, argument. can. *Calix*, dist. *De consecrat.*, leg. *Titia* 38, § 2, ff. *De auro, argento, ornamentis, vel vestimentis, et statuis legatis.* Nisi alicubi præ magna opulentia et auri abundantia vigeat consuetudo, ut non nisi aurei calices communiter offerantur, seu præ magna penuria, seu paupertate vigeat praxis, ut non nisi calices cuprei, seu stannei adhibeantur. Qui vovit jejunare quotidie per mensem non tenetur jejunare diebus Dominicis, cum sic servet communis praxis Ecclesiæ, sicuti etiam ex tali praxi qui vovit jejunare in vigilia alicujus sancti, potest jejunare die Sabbati, si vigilia incidat in diem Dominicam. Item qui vovit absolute jejunium, Missæ auditionem, confessionem sacramentalem, etc., debet illa exsequi eo modo, forma et integritate, qua eadem exsequuntur fideles, ubi occurrit Ecclesiæ præceptum. Item qui vovit audire sacrum in die verb. gr. Nativitatis, seu Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, tenetur audire duas Missas; qui vero vovit Missam audire quotidie, non tenetur audire, nisi unam diebus festis, et Dominicis, quia sic ordinarie practicatur ab omnibus, et intentio sic voventium solum fuisse censetur nullum diem transire sine Missa. Item licet qui vovit castitatem, dubitat vero an in, vel extra religionem, an perpetuam vel temporalem tantum? possit eligere temporalem, vel sæcularem extra religionem: si tamen absolute dicat: « Voveo castitatem, » intelligi debet de castitate perpetua, et sic de similibus, ut notant doctores communiter.

(91. Qui post adhibitam moralem diligentiam, adhuc absolute dubitat, an emiserit verum votum, an vero simplex solum propositum conceperit, non obligatur voto, cum in tali casu præsumendum sit fuisse solum simplex propositum. Sic ex communi Sporer, *loco cit.* numer. 15, argument. leg. *Semper* 56, ff. *De regul. juris*, ibi: « Semper in dubiis benigniora præferenda sunt; leg. *Ea quæ* 192, ff. eodem, ibi: « In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius, quam tutius; » leg. *Si fuerit* 10, ff. *De rebus dubiis*, ibi: « In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet. » Tum quia melior est conditio ipsius dubitantis, possidentis suam libertatem, cum in pari causa melior sit conditio possidentis, textu expresso cap. *In pari* 65, De regul. juris, et in leg. *In pari causa* 128, ff. *De regul. jur.*, et concordat cap. *Ad aures* 6, De præscriptionibus, cap. *Quod*

Digitized by Google

autem 5, De jure patronat., l. *Nemo* 126, § 2, ff. *De regul juris*, cum similibus.

* Qui probabilismi systema in controversiis de moribus definiendis sequuntur, ex illo principio : ***Melior est conditio possidentis*** ubi dubium aliquod sive de voto in se, sive de qualitate rei promissæ oriatur, semper pro libertate voventis pronuntiandum inferunt. Verum aliter omnino statuendum esse probabilioristæ censent. Et sane Angelicus Præceptor in lib. IV *Sentent.*, dist. 37, qu. 1, art. 3 quæstiunc. 1, in resp. ad 6, scribit : « Si... dubitet, quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat. » *Vide* Antoine, in *Tract. de virtute religionis*, cap. 3, quæst. 5. *

(92. Qui autem certus est se emisisse votum, aut deliberate protulisse verba verum votum, seu veram promissionem significantia, verb. gr. « Promitto Deo et beatæ Mariæ Virgini servare castitatem ; » et adhibita morali diligentia, dubitat, an habuerit intentionem, seu voluntatem sufficientem se obligandi, obligatur voto : tunc melior est conditio voti possidentis suam vim obligandi per jura ***num. antecedent.*** allegata, quia cum quis deliberate profert verba significantia votum, seu veram promissionem, semper præsumitur habere voluntatem promittendi et se obligandi, nisi aliunde constet de opposito, cum nemo censeatur dicere quod non habet in mente, leg. *Labeo* 7, § 2, ff. *De supellectili legata*, ibi : « Nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit : » Sanchez lib. I *De matrimon.*, disput. 9, a n. 13, et l. IV *Moral.*, c. 1, n. 13, cum pluribus ibi citatis, Sanig., dist. 4, *De relig.*, q. 2, nu. 6 ; Sporer, *l. c.*, n. 16; Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, tract. 6, dist. 3, quæst. 2, a nu. 17 ; La Croix, lib. III, part. I, n. 381, cum Gobat, Ovied. ibi citatis, et alii.

(93. Cum quis dubitat, an quando vovit, habuerit plenum usum rationis, si vovit, ante septennium, præsumendum est non habuisse dictum plenum rationis usum, sicque voto non obligari, nisi in aliquo certe constaret malitiam, seu cognitionem prævenisse, seu supplevisse ætatem, quia in tali non præsumitur ordinarie usus rationis, et professio stat pro libertate. Si autem vovit post septennium, præsumendum est habuisse plenum usum rationis ; sicque voto obligari, cum in tali præsumatur ordinarie dictus plenus usus rationis, nisi in aliquo certe constet de opposito. *Communis.*

(94. Si vero dubitet, an ante, vel post septennium, seu ante, vel post sufficientem usum rationis, et deliberationis voverit ? Tunc probabilius præsumendum est vovisse post septennium, seu post sufficientem usum rationis, sicque voto teneri. Et ratio est, quia tunc de voto constat, et excusatio est dubia. In cap. autem *Si quis*, De pœnit., dist. 7 expresse dicitur : « Tene certum, dimitte incertum, » et concordat cap. *Juvenis* 3, De sponsalibus, et cap. *Audientiam* 12, De homicidio. Tum quia ante septennium, seu ante sufficientem usum rationis et deliberationis rarissime emittuntur vota, seu juramenta, adeoque in tali dubio ex communiter contingentibus præsumendum est in favorem voti, nempe esse emissum post septennium, seu sufficientem usum rationis, et ideo esse validum et obligatorium. Sanchez, lib. I *Moral.*, cap. 1, num. 14 ; Henno, tom. I *in Decalog.*, disput. 2, quæst. 3, *De voto*, art. 1, vers. *Dixi tertio*, resolut. 1 ; Diana, part. IV, tract. 3, resolut. 10, cum aliis ibi citatis; Sporer, *loc. cit.*, num. 24, testans hanc esse omnino probabilem, quamvis ipse cum Castropalao, et Tamburin. teneat probabiliter oppositum, quod non improbabile putat La Croix, *loc. cit.*, num. 387, cum dicto Castropalao, et Oviedo repugnantibus probatioribus theologis.

(95. Qui dubitat, an voverit cum sufficienti deliberatione, eo quod votum emiserit tempore subitæ passionis, iræ, terroris, ebrietatis, phrænesis, amentiæ, semidormitionis, etc., præsumendus est probabilius vovisse cum deliberatione sufficienti, adeoque obligari voto, nisi tales conjecturæ occurrant in contrarium, et prudenter credat non satis considerasse necessaria ad obligationem contrahendam : Sanchez, *loco cit.*; Gobat, tom. III, caus. 6, num. 170 ; Suarez, l. IV, *De voto*, cap. 5, Ovied., tom. V *Controv.*, num. 172; Sporer, *loco citat.*, sub num. 24 ; La Croix, *loc. cit.*, num. 388, et alii. Et ratio est, quia etiam hic constat de voto, et dubitatur de excusatione, tum quia qualitas, quæ naturaliter inest semper inesse supponitur, nisi clare constet de opposito ; atqui usus rationis naturaliter inest homini, ergo in suis actionibus semper inesse præsumi debet, nisi aliunde certe constet de opposito. Contraria tamen opinio non improbabiliter defenditur a Castropalao, tom. I, tract. 1, d. 3, quæst. 11, cum alii sibi citatis, et probabilem censet etiam Sporer, *l. cit.*

(96. Votum emissum ex metu, sive ab intrinseco, ut in periculo mortis, ex infirmitate, naufragio, peste, etc., sive ab extrinseco incusso ab homine, ut ab hoste, latrone, et hujusmodi, dummodo rationem non perturbet, et non sit talis metus ab extrinseco incussus ad ipsum votum injuste extorquendum, censendum est validum, ac obligatorium : *Communis.* Et ratio est, quia tale votum est adhuc implicite voluntarium, et deliberatum; votum autem voluntarium et deliberatum sine dubio est validum.

(97. Votum autem emissum ex metu injuste incusso ad ipsum votum extorquendum est censendum omnino invalidum, et non obligatorium, non solum de jure positivo canonico, ut patet expresse in cap. *Perlatum* 1, et aliis sequent. De his quæ vi, metusve causa fiunt, sed etiam de jure naturali, quia, ut ait sanctus Bonaventura in 3, dist. 39, art. 3, quæst. 2 : « Deus vult sacrificia voluntaria, non coacta. » Deus enim tale votum non acceptat, ne det vim injustæ coactioni : *Communis.*

(98. Nullum et irritum est votum emis-

Digitized by Google

sum ex ignorantia et errore, si fuerit circa substantiam rei promissæ, ut si quis voveat, se ingressurum certum monasterium, putans esse Sancti P. Francisci, cum sit S. P. Dominici, voveat dare ecclesiæ certum aliquem suum calicem, putans esse argenteum, cum sit aureus, et hujusmodi; item si fuerit circa conditionem substantialem, ut si quis voveat peregrinationem Lauretanam, erronee putans distare solum 40 milliaribus, cum tamen distet bis centum; si voveat peregrinationem in Terram Sanctam, putans posse fieri itinere pedestri per terram, cum tamen mare sit transfretandum, et hujusmodi. Item si fuerit circa causam finalem seu motivum formale vovendi : ut si quis voveat eleemosynam dare peste laborantibus in hac civitate, cum tamen hic nullus peste laboret; si voveat alere hunc pauperem, erronee putans esse suum consanguineum, cum tamen non sit, etc. In quibus deficit finis principalis a vovente intentus. Sic in re Communis doctorum. Et ratio nullitatis talium votorum est quia incogniti nulla est voluntas, cum voluntas non feratur in incognitum, ex Arist. lib. III *De anima*, commentar. 39, et ignorantis, ac errantis nullus sit consensus; l. *Non idcirco* 9, cod. *De jur. et facti ignorant.*, nihilque sit tam contrarium consensui, quam error, leg. *Si per errorem* 15, *ff. De jurisdict. omnium judic.*

(99. Qui vovit certam et determinatam rem, verb. gr. hunc equum, si talis determinatus equus sine culpa voventis pereat, non tenetur ad alium equum seu aliam rem, quia id non solet intendi, et talis res facta est impossibilis: impossibilium autem nulla est obligatio, leg. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. juris*, et leg. *Nemo potest* 6, De regul. jur., in 6. Si autem talem rem vendiderit, tenetur dare pretium receptum, quia eadem res manet virtualiter; et qui vovet rem, censetur promittere omnem ejus utilitatem : *Communis.*

(100. Qui scit se vovisse jejunium, verb. gr. pro die Mercurii, et dubitat, an habuerit intentionem supplendi alia die, si ista negligeret, non tenetur supplere alia die, quia in dubiis quod minimum est, eligi debet; leg. *Nummis* 75, ff. *De legatis*, 111, leg. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. jur.*, cap. *Ex parte* 18, De censibus, juncta Glossa communiter recepta *ibidem*, verb. *Primo casu.* * Vide testimonium S. Thomæ relatum in *addit. ad num.* 90.*

(101. Qui scit se votum emisisse, et dubitat an impleverit, tenetur adimplere, quia obligationi certæ non satisfit per solutionem dubiam; tum quia votum possidet, et melior est conditio possidentis, cap. *Ad aures* 6, De præscriptionibus, c. *Quod autem* 5, De jure patronat., cap. *In pari* 65, De regul. juris, in 6, leg. *Nemo* 126, ff. *De regul. jur.*, l. *In pari caus.* 128; ff. eodem. Et sic doctores communiter.

(102. Qui vovit absolute non ludere, nihil cogitando an de lusu tantum immoderato et periculoso intelligeret, an etiam de moderato, non tenetur abstinere a lusu moderato, quia voluntas in dubio interpretari debet in favorem voventis, arg. leg. *Semper in dubiis* 56, ff. *De regul. juris*, leg. *Ea quæ* 192, ff. eod., leg. *Si fuerit* 10, ff. *De rebus dubiis*, et dubitans, an plus, vel minus, tenetur tantum ad minus, cap. *Ex parte* 18, *De censibus*, juncta Glossa communiter recepta *ibid.*, verb. *Primo casu.* l. *Nummis.* 75, ff. *De legatis* 111, leg. *Semper in stipulationibus* 34, ff. *De regul. jur.*

* Rejicit hanc opinionem Daniel Concina l. IV *in Decalog.* diss. 1, cap. 6, num. 48, ubi scribit : « Nisi constet expresse te distinxisse, dum votum edidisti, ab omni ludo chartarum te debere vi voti absoluti abstinere : tum quia cum votum privata lex sit, de eo pariter recte habet celeberrimum dictum : *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus* : tum etiam quia materia voto promissa, nempe integra a ludo abstinentia, confert plurimum ad innumera peccatorum pericula declinanda : tum denique quia votum in tutiorem partem semper interpretandum est. » *

(103. Qui vovit absolute non ludere, intelligendo etiam lusum moderatum, tenetur abstinere etiam ab isto : obligatio enim voti potissimum pendet ab intentione voventis; unde si voventis intentio fuit de se abstinendo etiam a ludo moderato, debet etiam ab isto omnino se abstinere : S. Thomas, 2-2, qu. 468, art. 1; Tamburin., l. III, cap. 3, § 5, num. 58; Castrop., tract. 14, d. 2, p. VII, § 1, num. 3; La Croix, lib. III, part. I, numer. 453, cum Sanchez et Bonacina ibi citatis, et alii passim.

104. Qui vovit non ludere intendens redimere jacturam temporis, tenetur abstinere etiam a lusu moderato, et etiam a lusu pro alio, quia etiam in tali ludo jactatur, et amittitur tempus; Tamburin., *loc. cit.*, numer. 59; La Croix, *loc. cit.*, num. 454; Castropal., *loco citat.*, addentes, quod sic vovens posset per alium ludere, licet aspiciendo perderet tempus, * quia tempus non perderet ludendo, ut fuit ejus votum, arg. citatis juribus, *supra num.* 102.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Hanc propositionem ita P. Daniel Concina perstringit tom. III primæ edit., pag. 171. « Falsum est insuper, quod inquit La Croix, voventem non ludere, dum per alium ludit. Quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur. Nec minus falsum est quod postea subdunt, nempe dum vovisti non ludere, ne tempus teras, te posse per alium ludere, licet aspiciendo tempus teras. Audistin'? Licet tempus perdas ludendo aliena manu, votum non fregisti; si autem propria manu ludis, votum fregisti. Peracuta, et mirifica theologia manifestam laxitatem non valet longius improbare ». Ita Concina; nec a vero alienam doctrinam tradit, ut consideranti facile patebit.

RESPONSIO AUCTORIS.

Quæ hic notatur a Romano theologo, non

Digitized by Google

est mea opinio, sed doctorum ibi ad eruditionem allatorum, ut legenti patet. Propriam autem meam opinionem demonstrat expresse mea conclusio, nempe : « Qui vovit non ludere intendens redimere jacturam temporis, tenetur abstinere etiam a lusu moderato, et etiam a lusu pro alio, quia etiam in tali ludo jactatur, et amittitur tempus. »

(105. Qui vovit non ludere ad evitandas rixas, et blasphemias, tenetur abstinere ab illis ludis, in quibus ex experientia subest sibi periculum rixandi, aut blasphemandi, uti ordinarie accidit in ludis nomine proprio, et cum jactura propriæ pecuniæ fieri solitis; quia vero id non solet accidere in ludis, qui fiunt nomine alieno, aut per alium, hinc poterit talis vovens licite ludere nomine alieno, aut per alium. Imo ei licebit ludere per alium, etiamsi dicta incommoda timeantur, quia re ipsa in tali casu ipse non ludit. Et sic etiam licebit ei facere sponsiones de hoc vel illo lucraturo, cum id non sit proprie ludere; Sanchez, lib. III, cap. 18, num. 8; Diana, part. VII, tract. 9, resolut. 58, Bonacin., *De juramen.*, quæst. 1, punct. 16, nu. 5; La Croix, *loco citat.*, numer. 454, et alii.

(106. Qui vovit non ludere, ut vitet jacturam suæ pecuniæ, interpretandus est quod excluserit solum lusum immoderatum, et eum, quo luderet pro se. Unde hic poterit ludere moderate pro se ob animi recreationem, et pro alio seu loco alterius, etiamsi subsit periculum jacturæ pecuniæ alterius; quia ludendo moderate, aut pro alio, non incurrit illud periculum jactandi, et perdendi suam pecuniam, quod fuit unicus finis sui voti. Imo poterit etiam ludere per alium, tradita ei pecunia, ut nomine sui, nedum absentis, sed et præsentis, videntis, et lætantis ludat, quia licet in hoc casu inveniatur finis, ob quem vovit, nempe ut vitet jacturam suæ pecuniæ, tamen res proprie non comprehenditur sub materia promissa, cum vere, et proprie non ludat, is, pro quo alius ludit. Vota enim in dubio interpretanda sunt in favorem voventis, et in mitiorem partem per jura adducta supra n. 102. Sic tenent Sanchez, *l. cit.* n. 7; Diana, *loc. citat.*, resolut. 57; Bonac., *loc. cit.*, num. 5; Castropal., n. 5; La Croix, *loc. cit.*, n. 454; Gobat, tom. III, casu 17, n. 526, et alii.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Atque hinc vide num consistere possint, quæ numeris 105 et 106 exponuntur; nam si per seipsum ludere censetur, qui per alium ludit, ergo qui voverit non ludere, sive ob evitandas rixas et blasphemias, sive ne pecuniæ jacturam patiatur, sive ob alium finem, a ludo abstinere debebit etiam aliena manu faciendo. Verbo dicam : Si generatim homo voverit, se non amplius lusurum, vi voti ab omni sive moderato, sive immoderato ludo abstinere debebit, et nec per se, nec per alium ludere licite poterit, nisi emittendo votum secum ipse declaraverit, vovere tantum voluisse abstinere a ludo immoderato, vel a ludo per seipsum faciendo. Nam si vovendo, nil ipse distinxit, sed generatim promisit, nec disquirere nos debemus; sed integram in ipso a ludo abstinentiam agnoscere, et profiteri tenebimur.

RESPONSIO AUCTORIS.

Pro assequenda mea vera opinione recurrendum est ad summarium hujus articuli sub citatis numeris (loquitur hic auctor de editione Romana), nempe sub num. 105 : « Qui vovit non ludere ad evitandas rixas, et blasphemias, tenetur abstinere ab illis, in quibus ex experientia subest sibi periculum rixandi; » sub n. 106. « Qui vovit non ludere, ut vitet jacturam suæ pecuniæ, interpretandus est, quod excluserit solum ludum immoderatum, et eum, quo luderet pro se. » Nam cætera in corpore ibi addita sunt potius ex opinione doctorum, et auctorum, qui identidem allegantur. Sed in Romana editione *Summaria* omnia, in quibus vel unico obtutu mens mea patetit, subtracta sunt.

(107. Quale autem peccatum sit, mortale, an veniale ludere post votum non ludendi, colligi potest universaliter loquendo ex consideratione finis, ob quem emissum fuit votum : unde qui vovit non ludere ad evitandum jacturam propriæ pecuniæ, non peccat graviter, nisi notabilem summam exponat periculo jacturæ; et si pro alio ludat, nec venialiter peccat, etiamsi multum perdat, quia finis sui voti fuit ad evitandam jacturam pecuniæ propriæ, et non alienæ. Item qui vovit non ludere, ut redimat tempus, si non consumat in ludo tempus, verb. grat. plus quam duas horas, non erit grave peccatum. Item qui vovit non ludere, ut evitet rixas, non peccat graviter, si ludat cum aliquo notorie pacifico, et sic de similibus. Ita Sanchez *loc. cit.*, num. 7; Tamburin., *loc. cit.*, num. 60; Gobat, *loc. cit.*, numer. 526; La Croix, *loc. cit.*, num. 454; Fagundez, Castropal. apud ipsum, et alii passim.

(108. Qui vovit non ludere certo genere ludi, certo tempore, in certo loco, cum certa persona, quia credebat certo se esse amissurum in tali tempore, tali loco, cum tali persona, etc., non tenetur servare illud votum, quia cum id sit superstitiosum, non potest esse materia voti, quia voti materia debet esse res moraliter bona ex dictis supra a num. 23. Et a fortiori non tenetur servare votum factum de non ludendo cum certa persona in vindictam, vel signum malæ voluntatis, cum votum non debeat esse vinculum iniquitatis; argument. cap. *Quanto* 18, De jurejurando, can. *Inter cætera* 22, caus. 22, quæst. 4; Sanchez, *loc. cit.*, num. 9; Castropal., *loc. cit.*, num. 7; Bonac., *loc. cit.*, punct. 4, num. 2; La Croix, *loc. cit.*, num. 457, cum Navar. et Soto ibi citatis, et alii. Excipe tamen nisi nollet ludere cum tali persona, ex quo nimis rixosa, fraudulenta, aut se ipso in ludo peritiore, aut in tali ludo non esset ipse expertus, aut

Digitized by Google

nollet ludere in tali loco, vel tempore, utpote Deo, aut sanctis specialiter dicato, uti sunt loca sacra, tempora festiva, et hujusmodi.

(109. Qui vovit non bibere vinum ad evitandam ebrietatem, non tenetur abstinere a cerevisia, aut aliis potibus inebriantibus: Sanchez, lib. IV, cap. 11, num. 44; La Croix, *loc, cit.*, num. 460, testans de communi contra paucos. Et ratio est, quia licet in tali casu inveniatur finis, ob quem vovit, nempe ut evitet ebrietatem, tamen res proprie non comprehenditur sub materia promissa, cum vere, et proprie cerevisia, et alia hujusmodi non sint vinum. Unde in re odiosa non debet fieri extensio ad illa, argument. cap. *Odia* 15, De regul. juris in 6. Tum quia vota in dubio interpretanda sunt in favorem voventis, et in mitiorem partem, per jur. adduct. supra num. 102.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Non est negandum, finem voti sub votum non cadere, ut universim theologi tradunt. Ergo vi voti de abstinendo a vino ob ebrietatem, non tenetur homo abstinere a cerevisia, aliisque inebriantibus liquoribus, qui non sint ex uvis expressi, sed a vino adusto, seu a spiritu vini abstinere debebit, cum hoc vinum revera sit, imo vegetior, ac potior pars vini; neque enim desinit esse vinum, quia fortius, et adustum. Et si dubitandi ratio esset, interpretatio non in favorem libertatis, sed in favorem voti facienda foret; cum in dubiis pars tutior sit eligenda. Si voti finis sub votum non cadit; ergo vovens non bibere vinum ebrietatis causa, tenetur omnino abstinere a vino, etiamsi prudenter ebrietatis periculum non metuat: nam abstinentiam a vino Deo vovit; etsi voventis finis declinatio fuerit ebrietatis; vinum ergo bibens votum infringit. Dum vero is qui voveat se non amplius bibiturum vinum, secum ipse constituat, polliceri tantum abstinentiam ab immoderato usu vini, vel a bibendo vino in iis tantum circumstantiis, in quibus antea inebriatus fuerit, tunc abstinentia ex ipsa voventis voluntate limitanda erit.

RESPONSIO AUCTORIS.

Cum ea, quæ a me concluduntur sub cit. n. 109, innitantur stabili fundamento rationis et juris tum canonici, tum civilis, prudentis lectoris æquo judicio me submitto.

(110. Qui vovit non bibere vinum solum, ut evitet ebrietatem, non peccat saltem graviter, si parum bibat; imo graviter non peccat, etiamsi multum bibat, si certus sit hic et nunc non adesse ebrietatis periculum. La Croix, *loco cit.*, n. 403 et alii passim. Et ratio est, quia finis voti, ut supponitur, fuit solum ad evitandam ebrietatem: ergo quoties vovens certus est non adesse in tali potu periculum ebrietatis, non violat saltem in gravi suum votum.

(111. Qui vovit non bibere vinum per integrum mensem, tenetur toto mense se abstinere a vino; unde peccat toties, quoties vinum bibit, cum tale votum sit negativum obligans ad instar præcepti negativi semper et pro semper. *Communis.*

(112. Qui vovit nunquam bibere vinum, potest in Missa sumere utramque ablutionem: Azorius, l. XI, cap. 20; Pasqualig., in *Praxi jejun.*, decis. 235; Gobat, in *Quinario*, tract. 5, cap. 4, n. 10; La Croix, *loco cit.*, n. 451, et alii passim. Imo si sit laicus, potest sumere vini ablutionem post communionem, maxime si abhorreat ab ablutione aquæ. Et ratio est, quia talis interpretatur intentio voventis, cum dictæ ablutiones non veniant nomine potus vini, quem vovens censetur sibi velle per suum votum interdicere. Sic citati doctores.

(113. Alia ad rem. *Vide* verb. CONJUGES, a num. 3; verb. DEBITUM CONJUGALE, a n. 36, verb. MATRIMONIUM quoad impedimenta, art. 1, a n. 23.

(114. Ad complementum additur, quod B. V. M. non obstante voto castitatis prius emisso, valide, et licite verum matrimonium contraxit cum S. Joseph. Sic S. Augustinus, S. Bonaventura, Scotus, et alii communiter. Et quod validum et verum matrimonium contractum fuerit inter B. V. Mariam et S. Joseph, habetur expresse ex sacra Scriptura, quæ sexies, nempe *Matthæi* cap. I, n. 16, n. 18, n. 19, n. 20, n. 24; et *Luc.*, cap. I, n. 27, vocat Mariam conjugem, et Joseph virum ejus. Hinc S. Augustinus l. XXIII *Contra Faustum*, c. 8, dicit fuisse inter ipsos verum conjugium « non concubitu, sed affectu, non commistione corporum, sed copulatione (quod charius est) animorum. » S. Thomas, p. III, q. 29, art. 2, expresse ait, « omnino verum fuisse matrimonium Virginis Matris Dei et Joseph. » Scotus in 4, dist. 30, q. 2, id fuse probat, ac quomodo fieri potuit cum voto virginitatis tribus claris demonstrat exemplis, uti et faciunt S. Bonaventura, aliique sancti Patres, et doctores passim, ac novissime card. Prosper de Lambertinis, deinde Benedictus XIV, fel. record., in suo admirabili semperque commendabili opere *De servorum Dei beatificatione, et beatorum canonizatione*, lib. III, cap. 24, n. 57.

(115. Et quod, non obstante voto castitatis, etiam licite contraxerit matrimonium, retento adhuc in se proposito castitatis servandæ, ostenditur ex divina revelatione ei facta, quod Joseph nunquam ab ea esset conjugale debitum petiturus; sanctus enim Thomas in 4, dist. 30, q. 2, art. 1, quæstiunc. 2, ad 2, expresse dicit: « Beata Virgo, antequam contraheret cum S. Joseph, fuit certificata divinitus, quod Joseph in simili proposito erat servandæ virginitatis, et ideo non se commisit periculo nubens. » S. Augustinus, lib. *De sancta virginitate*, cap. 4, sic habet: « Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat. » Scotus, in 4, dist. 30, quæst. 2, litt. B, sic concludit: « Ergo ubi est certitudo simpliciter, quod nunquam ponetur

Digitized by Google

in effectu (petitio scilicet debiti conjugalis), ibi in nullo præjudicat voto castitatis contractus matrimonii, sed hic fuit talis certificatio; ex quo enim habemus Matth. I, quod angelus instruxit Joseph : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam ;* multo magis, imo indubitanter concluditur, quod ipsa per angelum, vel immediate a Deo antequam desponsaretur Joseph, fuit certitudinaliter edocta : Noli timere accipere Joseph virum justum in conjugem : ecce enim Spiritus sanctus dabit eum tibi custodem, et testem virginitatis, qui tecum pari voto contineat, et in multis tibi ad virginitatis custodiam congruentibus obsequatur. »

(116. Nec valet objicere canon. *Voventibus* 2, caus. 17, q. 1, ubi sic expresse habetur : « Voventibus virginitatem, non solum nubere, sed etiam velle, damnabile est. » Non valet, inquam, quia ut recte explicat meus subtilissimus Doctor, *loc. cit.*, in respons. ad 1, dictus canon intelligi debet de volentibus nubere secundum communem legem, non autem de illis, quibus constat certitudinaliter, quod nunquam usus sequens talem actum petetur, uti ex præallatis sanctis Patribus, et aliis erat divinitus certiorata B. V. Maria, quod sine complexu viri, et integre servato suæ virginitatis voto, Spiritu sancto occultissime, ac castissime, erat fecundanda, et ingravidanda, juxta illud *Luc.*, cap. I, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quod et jam præfiguratum fuerat apud Ezechielem cap. XLIV, 2, ibi : *Porta hæc clausa erit, vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.*

(117. Hic ad rem afferre lubet celebrem causam multis jam ab annis in sacror. Rit. congregatione pendentem nostri V. fratris Sebastiani ab Apparitio, vulgo nuncupati *Pyraustæ.* Hic, velut alter Job, vir erat eximiæ virtutis, simplex, rectus, ac timens Deum, et recedens a malo (*Job* I, 1). Concepti propositi servandæ virginitatis adeo sollicitus, ut jam tertio per mulieres sibi a diabolo paratas vehementissimas insidias, in ipso juventutis flore eluserit, ac insuper de ipsomet dæmone in feminea specie sibi apparente, gratia Dei viriliter triumphaverit; et oblatas sibi conspicuas nuptias modeste ac caste rejecerit. Factus postmodum pene sexagenarius, prudenter illud (*Gen.* I, 18) : *Non est bonum hominem esse solum,* mente revolvens, sociam sibi quærere cogitavit, talem quidem, uti dictitabat, cum qua vivere liceret in casto et virginali connubio ad instar S. patriarchæ Joseph cum castissima et undequaque sanctissima sua sponsa V. M.

(118. Ejus piis votis Deo annuente, castissimam filiam, qualem ipse cupiebat [*f.* invenit. Ed.], dote pauperem, sed castimonia, aliisque virtutibus divitem, sibi ab ipsius honesto patre in conjugem oblatam, unice tantum ut ei in spiritualibus, ac temporalibus indigentiis præsidio adesset, eamque a mundi periculis, atque virginitatis jactura ob pauperiem eriperet. Divinam hanc fore voluntatem firme credens, atque id singulare pietatis ac charitatis opus esse adverten s, puellam in sponsam accipit; qua intra annum decessa, aliam non inferioris castimoniæ et virtutis tenellam puellam ob similes charitativos fines sibi despondit, quæ intra octo menses et ipsa decessit, sua cum ipsis semper pro voto inviolata castitate servata. Postmodum secretiori Dei consilio adhuc ad perfectiorem statum vocatus, ad habitum, et professionem meæ seraphicæ religionis jam septuagenarius fuit admissus die sancto Antonio de Padua sacra ac ex obedientia in conventu angelorum, quasi alter angelus, præ sua angelica innocentia, et castitate locatus, juxta illud (*Matth.* XII, 30) : *Erunt sicut angeli Dei;* et illud (*Marc.* XII, 25) : *Sunt sicut angeli in cœlis,* in eo, ac aliis spatio 26 annorum sanctissime vixit, atque tandem in Domino obdormivit eximiis virtutibus, et insignibus miraculis in vita, et in morte, ac post mortem adhuc in dies clarissimus, ut ex ejus legenda ad diem 25 Februarii, et processibus pro sua beatificatione confectis.

(119. Introducta de more in sacr. Rit. congreg. ejus causa, exquisitoque promotoris fidei voto super debito conjugali, neutri ex iis ab ipso reddito, Prosper Bottinius archiepiscopus Myrensis, et Prosper de Lambertinis in dicto munere ejus successor; postea Summus Pontifex Benedictus XIV, illum peccasse dixerunt : non quia laudabilia, quodammodo et heroica dici non debeant matrimonia, in quibus, mutuo accedente conjugum consensu, nulla fit ejus consummatio, sed quia de consensu tam primæ, quam secundæ uxoris non constabat, et querimoniæ non defuerunt consanguineorum prædictarum feminarum, quod ejus debitum non redderetur, ex quibus inferebatur prædicti consensus defectus; multa fuerunt a doctissimis postulatoribus allata, ut difficultati satisfieret : suffragia quoque Academiarum, seu Universitatum theologicarum, Parisiensis, Salmanticensis, et Patavinæ requisita, et Romæ edita anno 1722, fuerunt omnino concordia in asserendo matrimonia non modo valida fuisse, sed commendatione digna, nec præmissum servandæ virginitatis propositum substantiæ matrimonii obfuisse, cum ex sanctorum Patrum, sacrorumque canonum doctrina pro certo habeatur, simplex servandæ virginitatis propositum dictæ matrimonii substantiæ nihil officere; S. Augustinus lib. I *De nuptiis et concupiscentia*, cap. 11; S. Thom., in 4, dist. 30, q. 2, art. 1; Scotus, in 4, dist. 30, q. 2; Alexander III, in c. *Commissum* 16, De sponsal. et matrim.; mulierum quoque consensum implicitum, aut explicitum, non defuisse, et querimonias a consanguineis excitatas fuisse, non quia dictæ uxores unquam de redditione debiti cogitaverint, sed quia ipsi pinguem servi Dei hæreditatem ad filios ex suis consanguineis nascituros, deferri ardenter exoptabant, ut ex scripturis postulatorum, et

Digitized by Google

theologorum suffragiis clare habetur, et refert suo more eruditissime d. card. de Lambertinis, dein Summus Pontifex Benedictus XIV, *loc cit.*, n. 57, ubi rectissime concludit, quod in hac causa judicium sacræ congregationis sit exspectandum ex particularibus facti circumstantiis potissimum desumendum (146).

(120. Quod Deo favente, ipsoque venerabili ejus servo, tot novis semper in dies coruscante prodigiis, intercedente, favorabile tantum speratur, ac in claris ponetur heroica ipsius virtus, ob quam tales puellas de quarum castimonia, et continentia permulta dubitare non poterat, sibi caste desponderat : non deficientibus etiam aliorum exemplis, qui non absimili servandæ virginitatis proposito obstricti, ob justos fines matrimonium contraxerunt, et castitatem illibatam in conjugio coluerunt, ut de S. Pulcheria imperatrice cum Marciano ob id ad imperium evecto, de S. Cæcilia cum Valeriano, de diva nostra Delphina cum S. nostro Elzeario Ariani comite, de sanctis Juliano, et Basilissa, aliisque pluribus, qui virgines connubia contraxerunt, atque castissime servaverunt, de quibus apud Scacchum, *De notis et signis sanctitatis*, sect. 6. p. 476 et seqq., card. de Lambertinis, *loc. cit.*, num. 57; card. Baron., in *Annalibus*, ad annum 450; Niceph., lib. IV *Histor.*, c. 5, et alios passim; sicque animadversiones ratione officii a fidei promotoribus, et aliis adversus heroicitatem virtutis nostri venerabilis servi Dei propositæ in ejus laudem, et commendationem convertentur, et beatorum, ac sanctorum fastis (et hoc faxit Deus quod quantocius) rite et canonice finaliter ascribatur.

Observatio R. theologi ad n. 90 et duos seqq.

* Ego autem in eam facile sententiam inducor, ut putem lectorem prudentem, si allata a Lucio fundamenta præsertim ex jure canonico, et civili accurate expenderit, deprehensurum ex ipsis propositas a Lucio opiniones confirmari minime posse. Nam ut scribit Cuniliati § cit., n. 5, et 6. « Dictum illud permittitur a jure civili in sola materia justitiæ ob specialia motiva declinandi lites perpetuas; et præsertim, quia possessio rei dat possidenti titulum, quo caret alter, qui versatur in eodem dubio, an res ad ipsum spectet : certum enim est, quod possidens bona fide, cœpit possidere aliquo titulo, cujus cum non adducatur manifesta injustitia, justus fuisse optime creditur. At in casu nostro in primis nullus tibi additur specialis titulus, quo dicaris absolutus ab onere, cum æqualiter lex voti possideat suam vim obligandi, ac tu possideas tuam

Nota editorum Casinensium.

(146) Quæritur : an conditio contraria bonis matrimonii istud vitiet, quando est honesta, v. g. si mecum vivas in perpetua castitate, si hanc voveas, etc. : non vitiari per hujusmodi conditionem honestam defendunt Paludan... Abulens.,.. Rebell.,.. Pont.,.. Bosco., Clericat., Krimer., Schemier., Moventur, quia jus, et obligatio ad copulam non est de substantia matrimonii, cum istud contrahatur solo consensu, l. *Nuptias* 30, ff. *De reg. jur.*, Ulterius, si talis conditio non posset adjici matrimonio, non constitisset matrimonium inter B. V. et S. Josephum; ergo, etc.

Hæc sententia admodum probabilis est; probabilior tamen videtur, quæ negat matrimonium sub tali conditione contractum validum esse. Ita S. Thom., in 4, dist. 28, q. unic., art. 4, ad 3, S. Bonavent., Richard., Sotus., Covarr., Carr., Sanchez., Layman., Barbosa, , Gonzalez., Konig., Zoes., Engel., Pirhing, Scambogen., Wiestner., et multi alii, iique præcipui nominis theologi et canonistæ. Colligitur ex cap. final. *De condit.* ubi Pontifex Gregor. IX, dicit, matrimonium vitiari conditione contraria bono prolis, nec distinguit inter conditionem honestam, et turpem, sed vim tantum ponit in contrarietate cum substantia Matrimonii. Ratio est, quia licet de substantia matrimonii non sit copula, nec intentio illius exigendæ, vel reddendæ, est tamen de substantia illius mutua corporum traditio, vi cujus matrimonium contrahentes in se mutuo transferunt jus in corpus suum ad actus conjugales, ac proinde implicite saltem se obligant ad eos reddendos. Atqui contrahentes sub conditione servandæ, aut vovendæ perpetuæ castitatis, jus istud, et implicitum consensum ad actus conjugales reddendos appositione talis conditionis excludunt, cum vi illius ad copulam non exigendam et non reddendam obligentur; ergo, etc.

Quoad vero matrimonium B. V. cum sancto Josepho, utique B. V. cum S. Josepho contraxit matrimonium sine consensu quidem in copulam, at non sine traditione juris, et potestatis in corpus suum; quod ipsa, non obstante voto castitatis, quod habuit, licite facere poterat; quia divina revelatione certum ei erat, quod debitum conjugale ab ipsa nunquam esset exigendum, ut docet S. August. relatus canon *Beata* 3, caus. 27, q. 2. Hæc habet clariss. Schmalzgrueber ad tit. ex *De condition.*, etc. num. 119, et seqq.

Atque idem scriptor ad tit. *De sponsal.*, etc., n. 261, 262, 263. Ad dubium : « Utrum (sic ille) ad substantiam matrimonii pertineat consensus in obligationem alteri, si petat, tradendi corpus suum ad actus conjugales, ex se aptos ad generationem prolis? Negat. Pont., etc... Verum his non obstantibus, dicendum, etsi ad substantiam matrimonii non pertineat copula actualis, requiri tamen consensum in obligationem ad actus conjugales ex se aptos ad generationem prolis, saltem implicitum, et virtualem. Ita S. Thomas, *loc. cit.*., Durand., Tabien., Covarr., Henriq., Suarez., Petrus de Ledesm., Vasquez, Sanchez, Barbosa, Vallens., Pirhing., Wiest, Schemier, cum communi aliorum. Ratio est, quia matrimonialis consensus, saltem implicite, et virtualiter ferri debet in vinculum, et obligationem conjugalem. Atqui vinculum hoc, et obligatio essentialiter est non solum ad indissolubilem vitæ societatem, et cohabitationem, sed etiam ad exhibendos, si exigantur, actus conjugales : quod ostenditur : 1° Ex ipsa matrimonii institutione in paradiso, et verbis Dei illud instituentis : *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24).—2° Ex Apostolo (*I Cor.* VII, 3), ubi cum finem conjugii, et obligationem ex ejus contractu ortam exposuisset verbis sequentibus: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem uxor viro;* ejus rationem subjungens, ait : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier...* (Adeoque) matrimonium initum sub conditione servandæ castitatis non est validum; quia conditio hæc repugnat substantiæ matrimonii. »

Digitized by Google

libertatem. Deinde possidet lex naturalis et divina, hominem non debere se committere peccandi periculo; necnon promissiones Deo factas esse observandas; ille autem, qui vere dubitat, an voverit, si eligat non observare votum, ecce quomodo ipso facto violat leges istas de non committendo se peccandi periculo, et de non violando voto si adsit: igitur non possidet libertas, sed possidet prælata lex naturalis. Quænam enim consequentia est: sum liber; ergo non vovi: sum liber, ergo non exstat lex? Quomodo potest hæc consequentia legitime deduci, dum habeo motiva æqualiter mihi suadentia, et me vovisse, et legem exstare? Quandoquidem id significat habere dubium positivum de exsistentia legis, aut voti: si igitur vere habeo motiva æqualia mihi suadentia, legem, et votum exstare, quo jure, nisi solius præsumptionis, dicere possum, lex, et votum non exstant? Respondes, quia sum liber. At id est, de quo quæritur, an sis necne liber: et cum dubites, an sis, necne liber, quo jure judicas determinate te esse liberum, nisi mera præsumptione? Explico et simul instauro dicta argumento a doctrina adversariorum petito. Cum melior sit conditio possidentis, melior erit conditio antiquioris possidentis: nunc quæro, quisnam sit antiquior possidens, an Deus libertatem, et subjectionem creaturæ rationalis suo dominatui referens, an homo exercitium suæ libertatis? Deus profecto respectu hominis, quam homo respectu suimet, cum Deus et sit prima causa, et primus supremus Dominus humanæ libertatis: homo autem causa secunda et dependens; si igitur jus antiquioris possidentis est servandum contra alterum non æque antique possidentem; cum Deus sit antiquior possidens jura libertatis humanæ, in dubio an sit servandum jus Dei, et jus hominis, hoc debebit cedere divino, et proinde votum observare. Explico adhuc urgentius. In dubio positivo de exsistentia voti, jus naturale dictat, votum esse servandum; quod sic probo: in tali dubio æque periclitatur jus divini promissi, si votum subsistat, et non observetur; et jus humanæ libertatis, si non subsistat, et observetur: atqui in hoc concursu jus naturale dictat, potius violatum iri jus humanæ libertatis, quam divinæ promissionis; id namque comprobant innumera exempla regis et plebeii; ducis et militis; totius, et partis; in casu enim, quod alterutrum periclitari debeat in æquali rationum concursu, semper antefertur jus regis juri plebeii; jus ducis juri militis; jus totius juri partis; quanto magis jus Dei juri hominis? ac proinde jus voti juri libertatis anteferendum est. »

ARTICULUS II.

Quoad ea, quæ concernunt vota substantialia religionum regularium.

Præstat sequentia expendere.

(1. Ad essentiam cujuslibet regularis religionis requiruntur tria substantialia vota, nempe obedientiæ, paupertatis et castitatis, adeo ut sine illis religio aliqua proprie dicta nullatenus consistere possit: S. Thomas, 2-2, qu. 188, art. 1; et communis, ac certa aliorum: arg. cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monach., et extrav. Joann. XXII incip. *Quorumdam* 1, De verb. signif., § *Penult.*, circa finem.

(2. Dicta tria vota sunt de essentia religionis ex jure divino, adeo ut nec Papa possit dispensare in sensu composito, quod aliquis sit, et maneat proprie religiosus, et tamen non sit astrictus tribus allegatis votis, quamvis ex aliqua gravi causa bonum commune concernente possit dispensando ex religioso facere non religiosum, et ei concedere facultatem ad sæculum redeundi, et nubendi. *Vide* verb. RELIGIONES REGULARES, nu. 8.

(3. Et ratio est, quia status religiosus secundum suam substantiam, seu essentiam, non ab aliquo puro homine, sed immediate a Christo Domino fuit institutus: Christus enim ipse homines ad tria illa consilia evangelica est cohortatus, et ad vota perpetua de illis facienda, ut colligitur de obedientia, quæ fit per abnegationem sui, et suæ propriæ voluntatis, ex *Matth.* XVI, ibi: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, etc. De paupertate, ex *Matth.* XIX, ibi: *Vade, et vende quæ habes*, etc. De castitate, *Matth.* XIX, ibi: *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum*, adeoque dici debet, esse de jure divino, non præcipiente, sed consulente, ut docent communiter doctores.

(4. Status religiosus a Christo Domino sic institutus eo invitante, et hortante, statim ab initio Ecclesiæ fuit susceptus ab ipsis apostolis ac aliis Christi discipulis. *Vide* dict. verb. RELIGIONES REGULARES, num. 10.

(5. Dicta tria vota potius quam alia fuerunt constituta pro essentia status religiosi, quia per ea homo perfectius se consecrat, et unit Deo. *Vide* d. verb. RELIGIONES REGULARES, num. 11.

(6. Verus et perfectus status religiosus secundum essentiam cum tribus dictis votis fuit primo, et immediate institutus a Christo Domino. Vide, *ibid.* num. 14.

(7. Quamvis dicta tria vota pro essentia status religiosi fuerint a Christo Domino instituta, tamen eorum solemnitas a sola constitutione Ecclesiæ fuit inventa. Vide *ibid.*, num. 16.

(8. Unde Ecclesia, seu Sedes Apostolica potest admittere et approbare ut veram religionem etiam sine votis solemnibus, et cum solis votis simplicibus, ut expresse declaravit Greg. XIII, constit. incip. *Ascendente Domino*, statuendo, quod religiosi præclarissimæ Societatis Jesu, qui, peracto novitiatu, primam professionem emittunt, pro veris habeantur religiosis, non obstante, quod non nisi simplicia tunc edant vota, et non solemnia emittant, ibi: « Nos considerantes voti solemnitatem sola constitutione Ecclesiæ inventam esse, triaque hujusmodi Societatis vota tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu reli-

Digitized by Google

gionis vere constare. » Vide *ibid.*, n. 16.

(9. Inter dicta tria substantialia religionum regularium vota, obedientia primatum tenet. Nam si paupertas offert Deo divitias, et castitas corpus, offert obedientia ipsammet voluntatem : eo autem nobilius est votum, quo plus Deo offertur; unde Joann. XXII, in extravagant. incip. *Quorumdam* 1, De verbor. significat., § *Penult.*, circa finem, sic habet: « Magna quidem paupertas, sed major integritas, horum est obedientia maximum, si custodiatur illæsa; nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur, et animo. » Vide *ibid.*, n. 11.

(10. Obedientia religiosa est votum, quo se religiosus obligat in aliqua religione a Sancta Sede approbata ad obediendum prælato competenti in omnibus, quæ cadere possunt sub virtute obedientiæ. Est in re communis. (11. Obedientia enim dicitur quasi ab audientia, sive ab audiendo præceptum superioris, ut recte notat Donatus, *Prax. rerum regul.*, tom. IV, tract. 17, q. 2, num. 1, et alii.

(12. Ut obedientia sit perfecta, Deo grata, et meritoria, requiruntur sequentes conditiones. Prima ut sit prompta, et sine mora, juxta illud psal. CXVIII, ibi: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Unde S. Bernardus, *Serm. de virtute obedient.*, circa medium, sic habet: « Fidelis obediens moras nescit, fugit crastinum, ignorat tarditatem. » Secunda ut sit cæca, ita ut non examinentur rationes, motiva, aut intentio superioris præcipientis, et cur potius sibi, quam alteri præcipiatur: unde S. Bernardus, vel potius Guillelmus abbas, *Epist. ad FF. de Monte Dei*, c. 5, novæ edit. « Perfecta obedientia est.... non discernere quid, vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, ut fideliter et humiliter fiat, quod a majore præcipitur: » et S. Gregorius, in prim. *Reg.*, lib. II, cap. 4: « Vera obedientia nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia omne vitæ suæ judicium majori subdidit: nescit enim judicare quisquis perfecte didicerit obedire. » Tertia ut sit hilaris sine querela, et murmuratione, juxta illud *Ecclesiastici* XXXV, ibi: *In omni dato hilarem fac vultum tuum*, et II *ad Cor.* VIII, ibi: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, et *ad Philippenses* 2, ibi: *Omnia autem facite sine murmurationibus.* Quarta, ut sit humilis, seu cum humilitate fiat, juxta illud *Lucæ* XVII, ibi: *Cum hæc omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, quod facere debuimus, fecimus.* Quinta, ut sit fortis, seu generosa ad superandam omnem difficultatem juxta illud psalm. XXX, ibi: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum;* et I *ad Cor.* XVI, ibi : *Viriliter agite, et confortamini.* Unde S. Basilius in sua *Regula*, cap. 5, sic habet: « Obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, sed viriliter, et strenue fiat. »

(13. Religiosus ex vi voti obedientiæ tenetur superiori obedire quoad omnia, quæ præcipit secundum Regulam, et constitutiones sui Ordinis, sive directe, et explicite, sive indirecte, et implicite. *Communis.* Et ratio est, quia religiosus ad hæc omnia se obligavit eo ipso, quo professionem emisit secundum Regulam et ab obedientiam se voto obstrinxit, cum profitendo Regulam implicite etiam se obligarit ad ea omnia, sine quibus Regula commode observari non potest.

(14. Illa autem dicuntur directe et explicite contineri in Regula, quæ clare et expresse in Regula ipsa habentur, et illa dicuntur in ea contineri indirecte et implicite, quæ ad Regulæ observantiam sunt necessaria, et sine quibus Regula proprii Ordinis in suo vigore conservari non potest: Layman, lib. IV, tract. 5, c. 9, n. 11; Leasius, lib. II, cap. 41, dub. 9; Busemb., lib. IV, cap. 1, dub. 4; Vasquez, n. 2, disp. 154, cap. 4; Lezana, *Summ. quæst. regular.*, tom. I, cap. 4, n. 10, et alii passim.

(15. Religiosus tenetur obedire suo superiori non solum in rebus, quas certo cognoscit esse secundum Regulam, et constitutiones sui Ordinis, sed etiam quando dubitat, an res, quæ illi præcipitur, sit vere secundum dictam regulam, et constitutiones sui ordinis, et an sit licita nec ne; dummodo non cognoscat evidenter esse malam, et illicitam. Sic fere communis doctorum, per text. in can. *Quid culpatur* 4, caus. 23, q. 1, ubi ex verbis S. Augustini sic præcise habetur: « Non enim est potestas, nisi a Deo sive jubente, sive sinente; ergo vir justus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, potest recte illo jubente bellare, si vice pacis ordinem servans quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi; » et cap. *Ad aures* 5, De temporibus ordinat., ubi generaliter definitur, quod subditi in omnibus etiam in his tenentur superioribus obedire; dummodo tamen non præcipiant, quod manifeste malum sit, ad quod Glossa *ibid.*, verb. *Obedientiam* jura allegat. Et ratio est, quia superior est in possessione præcipiendi, et in dubiis melior est conditio possidentis, cap. *Ad aures* 6, De præscriptionibus; cap. *In pari* 65, De regul. jur., in 6, l. *Nemo* 126, et l. *In pari causa* 128, ff. *De regul. jur.*, cum similibus. Tum quia superior habet jus certum præcipiendi, quo non est spoliandus per superveniens dubium sui subditi; unde S. Bernardus, lib. *De dispensat. et præcepto*, c. 9, ait: « Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. »

(16. Unde religiosus non tenetur obedire superiori in iis, quæ clare sunt contra suam Regulam, et constitutiones sui ordinis; nisi superior sit talis, qui possit in ipsis dispensare, et causa legitima adsit. *Communis.*

(17. Neque communiter loquendo in iis, quæ sunt supra Regulam, ut si superior præcipiat nimiam macerationem corporis,

Digitized by Google

extraordinarias mortificationes, et austeritates, et hujusmodi opera supererogatoria. Item nec in iis quæ sunt præter regulam, ut si superior præcipiat opera, quæ ex objecto, et circumstantiis sunt omnino indifferentia, et inutilia, et quæ ad institutum nihil conferunt. S. Thomas 2-2, quæst. 186, art. 9; et quodlib. 10, art. 10; S. Bernardus, *De præcepto et dispensat.*, cap. 5, *al.* cap. 8, ubi sic expresse habet: « Prælati jussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nil me prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi. » Lezana, *loc. cit.*, n. 4, et 13; Sporer, tract. 1, proœmial. cap. 1, sect. 6, n. 38, testans de communi.

(18. Potest tamen superior regularis præcipere alicui subdito ambulationem, honestam recreationem, et hujusmodi, si hoc judicet expediens, ut talis subditus vegetior resurgat ad regularem observantiam. Item potest superior alicui subdito præcipere omissionem alicujus præcepti, regulæ, ut jejunii, recitationis divini officii, etc., si id cognoscat expedire pro aliqua differentia temporis ad ejus salutem corporalem, ut si dolore capitis vehementer angatur, si debilitate stomachi prematur, et hujusmodi, et tunc tenetur subditus obedire, ut notant communiter doctores.

(19. Item potest superior aliquam austeritatem, et mortificationem extraordinariam præcipere subdito tum ad puniendum crimen commissum, tum ad recidivam præcavendam, et tunc tenetur subditus obedire, quia hoc expedit ad regulæ observantiam. *Communis.*

(20 Regulares utriusque sexus professi in religione relaxata tenentur obedire superioribus illam reformantibus in votis essentialibus, et in iis, quæ ad primævam regulæ observantiam conducunt. *Vide* verb. Regulares, art. 2, a n. 73 ad 84.

(21. Hinc capitula generalia, aut provincialia, sicuti et prælati, quibus incumbit pro toto ordine, vel provincia constitutiones, et statuta condere, possunt certas abstinentias, aut austeritates imponere, quamvis in regula nec explicite, nec implicite contineantur, si id expedire videatur pro majori regulæ ac constitutionum ordinis observantia; et tunc tenentur subditi in supradictis obedire, cum votum obedientiæ obliget ad ea, quæ ad regulam, vel ad regularem observantiam pertinent, ut docent communiter doctores cum S. Thoma 2-2, quæst. 104, artic. 5.

(22. Religiosi tenentur obedire prælatis jubentibus, ut eant ad commorandum in aliquibus monasteriis aeris intemperie laborantibus. Id enim est regulæ conforme et necessarium pro conservatione conventuum, seu locorum regularium; dummodo tamen superiores in his non ducantur aliqua passione, aut mala voluntate, quia si subditus aliquis certo sciret superiorem hoc illi præcipere solum ex odio, et mala voluntate erga ipsum, posset non obedire, quia superior tunc abuteretur sua potestate, et consequenter peccaret, in peccatis autem subditi non tenentur obedire: Laurentius de Peyrinis, tom. I, quæst. 1, *De obedientia*, cap. 11; Henno, tom. II, tract. 3, *De religioso*, disp. unica, q. 9, concl. 2, resolut. ult.; Lezana, *loc. cit.*, n. 16; Donatus, *Prax. rer. regular.*, tom. IV, tract. 17, q. 23, n. 5, et alii. Dicitur tamen notanter: *Si subditus aliquis certo sciret*, quia si solum de hoc dubitaret, tenetur obedire per dicta, et jura adducta supra n. 15.

(23. Item tenentur subditi religiosi tempore pestis, aut alterius mali contagiosi obedire prælatis præcipientibus sibi, ut ministrent in spiritualibus et temporalibus suis religiosis tali morbo, seu malo contagioso infectis: Lezana, *loc. cit.*, n. 19, cum aliis ibi allegatis, Henno, *loc. cit.*, resolut. 10, et alii communiter cum Mastrio, *Theol. moral.*, disp. 14, quæst. 1, art. 3, num. 27. Et ratio est, quia id spectat ad bonum commune religionis, quam professi sunt. Notant tamen recte doctores, debere tunc superiores eligere ad id religiosos robustiores, ac minus utiles, et quidem pro ministeriis corporalibus primario laicos, cum id, ut de se patet, exigat bonum commune religionis.

(24. Non tenentur tamen religiosi regulariter, et per se obedire prælatis præcipientibus, ut ministrent similibus infirmis extraneis cum periculo vitæ, sicuti cum tali periculo tenentur obedire et servire suis religiosis sic infirmis. Præceptum enim, ut subditi religiosi serviant extraneis peste infectis cum periculo propriæ vitæ, non est secundum regulam, sed supra illam. (25. Dicitur autem notanter *regulariter*, *et per se*, quia per accidens, et in casu, quo deessent parochi, qui illis sacramenta ministrarent, vel qui ob multitudinem infirmorum non sufficerent ad id præstandum, tunc tenerentur religiosi obedire, et sacramenta ministrare etiam ipsis extraneis. Et ratio est, quia id non est supra regulam, sed potius illam concernit, cum religiosi, præsertim Mendicantes, et alii, quorum institutum est saluti proximorum incumbere, sint coadjutores episcoporum, et parochorum in salute proximorum procuranda, et ob id fidelium eleemosynis sustententur: Rodriquez, tom. III, qu. 31, art. 3 et 4; Sanchez, lib. IX *in Decalog.*, cap. 2, n. 54; Lezana, *loc. cit.*, n. 19; Mastrius, *loc. cit.*, cum pluribus aliis ibi allegatis, et alii passim. (26. Qui omnes una cum S. Thoma, opuscul. 18, cap. 12, ob easdem rationes idem concludunt de tempore hæresis, quæ est perniciosissima pestis spiritualis animæ, nempe teneri religiosos obedire prælatis suis præcipientibus, ut assistant aliquibus locis ad prædicandam, et contra hæreticos defendendam fidem catholicam etiam, cum periculo propriæ vitæ

(27. Quamvis religiosus non teneatur obedire superiori præcipienti actus mere internos, et nullam habentes connexionem cum actibus externis, ut sunt actus fidei, spei, charitatis, et hujusmodi, cum actus

Digitized by Google

interni per se, et directe non subjiciantur legi humanæ, sed soli Deo, secundum illud Apostoli *I ad Cor.* IV, ibi : *Nolite ante tempus judicare, donec Dominus manifestet consilia cordium*; et solus Deus sit secretorum cognitor, et Judex; psal. VII, ibi : *Scrutans corda et renes Deus*; et *I Reg.* XVI : *Homo videt ea quæ patent, Deus autem intuetur cor.* Unde recte dicitur, quod Ecclesia non judicat de internis et occultis, cap. *Tua* 34, De Simonia, cap. *Erubescant* 41, distinct. 32, et S. Thomas 2-2, quæst. 104, artic. 5 in corpore, expresse dicit : « Et ideo in iis, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo. » Tenetur tamen religiosus obedire superiori præcipienti actus internos, prout connexionem habent cum actibus externis, cum sic per accidens, et indirecte subsint judicio humano, et possint præcipi, ut patet ex Clementin. : *Ne in agro* 1, § *Quia vero*, De statu monachor., ubi excommunicantur monachi ad curias principum accedentes animo offendendi suos prælatos, ubi ut vides, non prohibetur animus offendendi, ut est actus interior simpliciter, sed prohibetur animus offendendi, ut est conjunctus cum tali accessu, ita quod prohibetur talis accessus, non cujuslibet, sed habentis talem animum offendendi et nocendi. Sic in cap. *Commissa* 25, De election. in, 6, constituitur, ut qui parochialem ecclesiam obtinuerit sine voluntate ascendendi ad presbyteratus ordinem, beneficium ipso jure amittat, et fructus non faciat suos : ubi non condemnatur defectus voluntatis ascendendi ad presbyteratum, ut est actus interior simpliciter, sed ut est conjunctus cum assecutione parochialis Ecclesiæ. Eadem ratione prælati regulares possunt subditis per obedientiam præcipere, ut quas celebrant Missas, pro sua intentione offerant : nam in tali præcepto, et similibus non præcipitur applicatio Missæ, ut est simpliciter animi motus interior, sed præcipitur idem interior animi motus, ut conjunctus cum actu exteriori celebrationis Missæ. S. Thomas 2-2, qu. 104, art. 5; Angelus, in *Summa*, verb. *Obedientia*; Tabiena, eod. verb. *Obedientia*, n. 4; Silvester, eod. verb., q. 1; Reiffenstuel, *Theolog. mor.*; tract. 2, dist. 1, a n. 46 ad 59; Sporer, tom. I, tract. 1, procemial. cap. 3, a n. 39 ad 44, et alii passim.

(28. Religiosi ex vi voti obedientiæ tenentur obedire in his, quæ concernunt regulam, non solum prælatis religionis, sed etiam specialiter Summo Pontifici, non solum quatenus est caput Ecclesiæ, quo titulo omnes etiam sæculares ei obedire tenentur, sed specialiter etiam ratione voti obedientiæ emissi in regulari professione. S. Thomas 2-2, q. 186, art. 5, ad 3 et alii communiter. Et ratio est, quia votum obedientiæ per se primo, et principaliter fit Romano Pontifici tanquam generalissimo omnium religionum, cum omnis potestas jurisdictionis generalium, aliorumque prælatorum religionum ab illo dependeat; et ea prælatis regularibus in approbatione religionum censeatur concedere, dependenter tamen semper ab ipso.

(29. Item ex vi voti obedientiæ tenentur religiosi obedire sacræ congregationi super regulares, quia dicta congregatio fuit instituta a Sixto V in supremum ac summum tribunal omnium regularium pro bono regimine, et felici gubernio eorumdem, ut patet ex ejus constitut. incip. *Æterni Dei*. (30. Unde dictum tribunal censetur esse intra ordinem, ac stante dicta constitutione potest regularibus omnibus præcipere auctoritate ordinaria, dependenter tamen a Papa : Sic Donatus, t. IV *Prax. rerum regul.*, tract. 17, q. 27; Thomas a Jesu, tract. 3, *De visitat. regul.*, cap. 17, n. 7; Lezana, *loco cit.*, cap. 4, n. 31, et alii. Idem etiam propter eamdem rationem dicendum venit de sacra congregatione super disciplina regulari erecta ab Innocent. XII, constitut. incip. *Debitum pastoralis officii*.

(31. Item ex vi voti obedientiæ tenentur religiosi obedire sacro collegio Cardinalium tempore Sedis vacantis. Dictum enim sacr. colleg. eo tempore succedit in locum Papæ, adeoque tenentur religiosi ei obedire eodem modo et eadem obligatione, sicuti et Papæ Donatus, *loc. cit*, q. 29; Peyrin., t. I, privileg. 2 Sixti IV, n. 11, et alii.

(32. Item ex voto obedientiæ tenentur obedire episcopo religiosi illorum conventuum, qui episcopi jurisdictioni subsunt, ut declaravit sacr. congregat. super statu regularium, die 27 Julii 1657, quæ ad 4 dubium ex citatis super subjectione nonnullorum conventuum correctioni, visitationi, et omnimodæ jurisdictioni ordinarii tanquam Sedis Apostolicæ delegati, quod erat, ut sequitur : « Quarto, an episcopus in eisdem conventibus se ingerere possit in his, quæ regularem disciplinam concernunt » ? Sacra congregat. ad quartum respondit *posse*. Quam responsionem, ac declarationem una cum aliis ad se relatis Alexander VII approbavit, et ab omnibus, ad quos pertinet, observari præcepit, contrariis quibuscunque non obstantibus.

(33. Si in aliquo conventu episcopo subjecto contraria præcipiant superior, et episcopus, subditus in illis, quæ spectant ad regulam, et constitutiones ordinis ordinarie loquendo tenetur obedire superiori, quia in hujus manibus vovit obedientiam secundum regulam. In aliis autem, quæ spectant ad disciplinam ecclesiasticam, tenetur obedire episcopo, quia ad illa superior ipse est episcopo subjectus. (34. Si tamen episcopus cum causa rationabili dispenset circa statuta, et constitutiones dicti conventus, et tunc præcipiat, debebit subditus obedire episcopo. La Croix, l. IV, n. 160, citans S. Thomam, Augustinum aliosque cum Silvio, part. I, verb. *Abbas*, casu 3; et colligitur ex responsione dictæ sac. cong., ad 12 et 13 dubium. Vide verb. *Conventus*, art. 2, ubi afferuntur dicta dubia cum suis responsionibus.

(35. Duobus prælatis diversa præcipientibus, si ipsi sunt diversæ auctoritatis, debet subditus obedire majori, relicto minori,

Digitized by Google

si minor a majori dependet, nempe Summo Pontifici, et dictæ sacræ congr. et collegio Cardinalium Sede vacante, omissis omnibus superioribus ordinis, patri generali, omisso provinciali, et huic omisso superiore locali, et sic de aliis : *Communis*, textu expresso in c. *Quæ contra* 2, dist. 8, ibi : « Major potestas ad obediendum præponitur, » et can. *Qui resistit* 97, caus. 11, qu. 3, ibi : « Ipsos humanarum rerum gradus advertite, si aliquid jusserit curator, nonne faciendum est? Tamen si contra proconsul jubeat, non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire. Rursus, si aliquid ipse proconsul jubeat, et aliud imperator, nunquid dubitatur, illo contempto, isti esse serviendum? »

(36. Regulares ex vi voti obedientiæ tenentur adimplere præcepta a Prælato imposita etiam exsistentibus illis extra provinciam, seu monasterium illius : Sic Donatus, tom. II *Prax. rer. regul.*, tract. 10, *De potestate prælator.*, qu. 15, et tom. IV, tract. 17, *De voto obedientiæ*, qu. 34, cum pluribus ibi allegatis : Silvest., verb. *Excommunicatio* 2, nu. 15, dub. 4; Lezana, *loco cit.*, num. 37; Pellizar., p. 1 *Manual.*, tract. 4, sect. 4, num. 141, q. 13; Cornexo, tom. II, *in tertia part. S. Thomæ*, tract. 5, *De censur.*, disp. 3, dub. 2, et alii. Et ratio est, quia prælati religiosorum non habent territoria divisa, sicut episcopi; sed eorum jurisdictio est in ordine ad personas subditas secundum se, et ubicunque sint, ita ut possint suos subditos ubique gentium exsistentes citare, incarcerare, et excommunicare nullo habito respectu ad proprium territorium, et subditi teneantur obedire, cum votum obedientiæ inhæreat ossibus religiosorum, illorumque personas sequatur, ut lepra leprosum, ut recte cum aliis advertit Donatus, *loco cit.*

(37. Non tenentur tamen regulares obedire suo superiori excommunicato publico, et non tolerato, quia tunc superior caret jurisdictione in subditos. Imo neque possunt tunc subditi licite obedire superiori sic excommunicato, quia hoc esset cognoscere in illo potestatem jurisdictionis, quam non habet, et communicare cum illo, quod non licet, c. *Nuper* 29, c. *Si aliquando* 41, De sentent. excommun., cum similibus; Donat., cit. tom. IV, tract. 17, q. 35; Lezana, *loco cit.*, n. 38; Cornexo, tom. II, *in tertia part.*, disp. 10, *De excomm.*, § 5; dub. 1, et alii passim.

(38. Papa potest eximere quemcunque religiosum ab obedientia inferiorum prælatorum, et sibi reservare. Hoc enim ei competit jure supremi prælati religionum, quod ipse habet : *Communissima.*

(39. Item P. generalis, vel provincialis potest ex justa causa eximere subditum ab obedientia sui immediati superioris, et sibi reservare; habent enim ipsi in inferiores superiores absolutam jurisdictionem : *Communis* cum Donat., *Tract. var. resol.*, q. 48.

(40. Regulares nequeunt licite acceptare episcopatum, vel aliam dignitatem extra ordinem sine licentia superioris : *Communis* per text. in can. *Cum sit necessarium* 5, caus. 18, qu. 2, et cap. *Si religiosus* 27, De election., in 6, cum similibus. Religiosi enim non habent velle, nec nolle, cit. cap. *Si religiosus* 27, De election., in 6, cap. *Religiosus* 2, De testam. in 6; cap. *Religiosi* 5, De sepult., in 6.

(41. Moniales ex voto obedientiæ tenentur obedire abbatissæ, seu priorissæ monasterii : abbatissa enim potest præcipere monialibus in virtute sanctæ obedientiæ, et præcepta formalia ac spiritualia imponere, quæ in conscientia obligent : quia licet utpote femina sit incapax jurisdictionis, et potestatis spiritualis spectantis ad claves, et dependentis ab ordine, ut est potestas censuras ferendi, absolvendi, et hujusmodi, est tamen capax jurisdictionis et potestatis præceptivæ, dominativæ et correctivæ spectantis ad superioritatem, ipsique annexæ, quam ei ex vi voti in professione emissi tradunt moniales, quæ ideo tenentur eidem obedire. Unde talis jurisdictio, et potestas potest competere etiam laicis, seu conversis in iis religionibus, in quibus possunt esse superiores, ut in religione sancti Joannis Dei, et in ordine fratrum Minorum; tum quia officium abbatissatus, sicuti in dictis religionibus officium superioratus, est officium ecclesiasticum, ob quod si pretium interveniat, erit simonia, qualis non esset, si nulla potestas spiritualis ei esset annexa : Donat., cit. tom. III, tract. 17, qu. 3; Sanchez, lib. VI *Summ.*, cap. 1, n. 22; Suar., tom. IV *De relig.*, tract. 9, lib. 1, cap. 12, n. 9; Tamb., *De jur. abbatiss.*, disp. 12, qu. 5, n. 3; Melphi, in *Comment.*, cap. 11, statut. 7, assert. 11; Castrop., tom. III, art. 16, disp. 4, p. 1, n. 3; Felix Potestas, tom. I, part. 1, cap. 2, quæst. 5, a n. 207; Rodriq., Lezana et alii plurimi.

(42. Superior seu superiorissa præcipere potest rem gravem sub culpa gravi, et levem sub culpa levi, et quamvis possit quandoque præcipere rem gravem sub culpa levi, nunquam tamen rem levem sub culpa gravi, cum non possit legislator materiæ capacitatem excedere, et materia levis sit incapax obligationis gravis. *Vide* art. antecedent. a n. 39, ad 43. Cæterum superior, seu superiorissa non censetur velle obligare subditos, vel subditas sub gravi, nisi in præcipiendo utatur verbis : *In virtute sanctæ obedientiæ, in virtute Spiritus sancti, In nomine Jesu Christi, sub præcepto formali*, et hujusmodi; si autem alia forma utatur, censetur velle obligare solum sub culpa veniali, et interdum etiam nulla; quod colligi potest ex modo præcipiendi, et ex quantitate, et qualitate rei præceptæ, ut advertunt doctores communiter.

(43. Paupertas religiosa est votum, quo religiosus in aliqua religione a S. Sede approbata voluntarie abdicat a se dominium, et proprietatem omnium rerum temporalium, et omne jus civile ad illas. Est in re communis.

Digitized by Google

(44. Hæc enim paupertas, ut voluntaria, differt a paupertate coacta et necessaria, qua plures inviti temporalibus bonis carent, et alieno sustentari coguntur; et ut professa propter amorem Dei in religione a S. Sede approbata, differt a paupertate philosophica et morali, quæ ex motivo pure humano contemnit temporalia ut, teste S. Hieronymo, l. III *in Matth.*, cap. XVI, fecit Crates philosophus, et multi alii, qui divitias contempserunt.

(45. Regulares utriusque sexus nequeunt habere aliquid proprium in particulari : *Communis*, per expressos textus in can. *Non dicatis* 11, caus. 12, q. 1, cap. *Monachi* 2, cap. *Super quodam* 5, c. *Dum ad monasterium* 6, De statu monachor., ibi : « Prohibemus quoque districte in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprii, totum in continenti resignet. » Concil. *Trident.* sess. XXV, *De regularibus*, cap. 2, ibi : « Nemini regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere, sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. » Et decret. Clementis VIII, pro reformatione regularium incip. *Nullus omnino*, ubi sic expresse præcipitur : « Quo Tridentini concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria ecclesia, quam ubicunque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, et causa, et quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitione legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere possit, sed ea omnia statim superiori tradantur, et conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, et vestitus omnibus suppeditari possit. » Quæ decreta iterum approbata et innovata sunt a sacra cong. Conc. jussu Urbani VIII, in decreto *De apostatis et ejectis*, § 1. *Vid.* verb. EJECTI, n. 2, ubi referuntur dicta decreta, et verb. REGULARES, n. 83, ubi referuntur dicta decreta generalia Clem. VIII pro reformatione regularium.

(46. Regulares utriusque sexus nequeunt in particulari habere, et retinere aliquid proprium, neque de licentia, ac dispensatione cujuscunque superioris, vel superiorissæ. *Vide* verb. MONIALES, art. 2, n. 64, et verb. LEGATUM, n. 91.

(47. Adducuntur ad id variæ resolutiones sacræ cong. Conc. *Vide* d. verb. MONIALES, a num. 35 ad 67.

(48. Imo talis licentia, etiamsi esset obtenta ab eorum generalibus, qui dicerent eam posse concedere, non excusaret regulares utriusque sexus a culpa, et pœna a *Trid.* concilio imposita, textu expresso in cit. decret. Clement. VIII, § 7, ibi : « Nulla quorumcunque superiorum dispensatio, nulla licentia quantum ad bona immobilia, vel mobilia fratres excusare possit; quominus culpæ, et pœnæ ab eisdem concilii decretis impositæ, et ipso facto incurrendæ, obnoxii sint, etiamsi superiores asseverent hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus; » (49. et sic sæpe sæpius respondit sacra cong. Conc. et signanter apud Quarant. verb. *Casus reservati*, pag. 136; Bartholomæum, Sa, Faust., in *Speculo regular.*, lib. I, *De voto paupertatis*, q. 108; et Lezanam, tom. I *Summ.*, cap. 6, n. 14, ubi referuntur præcisæ responsiones dictæ sacræ cong. Conc. datæ ad dubia sequentia :

1. An ex dispensatione inferiorum a Summo Pontifice liceat regularibus possidere, vel tenere agros, annuos redditus aliaque bona, immobilia videlicet, et mobilia superflua, non obstante decreto concilii, sess. 25 *De regularibus*, cap. 2?

2. An propter talem dispensationem, seu scientiam superiorum possidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua a culpa, vel pœna excusentur?

3. An superioribus asseverantibus hujusmodi se licentias posse concedere, fides adhibenda sit?

4. An superiorum arbitrio, et præfinitioni stare debeant regulares quo ad mobilium superfluitatem, et convenientiam?

5. An superiore, quantumvis requisito, necessaria suis regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsis clam, vel invito eo, illa sibi comparare, seu retinere?

6. Et quatenus non liceat; an ibidem liceat, cum necessaria ideo negantur, vel subtrahuntur, quia et monasterii facultates non suppetunt?

7. An dicti superiores regulares, dict. cap. 2, declarare, et interpretari possint?

Ad 1. Sacra congregatio Concilii respondit non licere.

Ad 2. Non excusari neque a culpa, neque a pœna ipso facto incurrenda.

Ad 3. Minime adhibendam.

Ad 4. Nisi de excessu arbitrii constiterit, utique stare debere, habita videlicet ratione personæ, officii, et regulæ, statusque paupertatis, quam professi sunt, et cæterarum itidem qualitatum.

Ad 5. Non licere.

Ad 6. Licere, si præcisa necessitas sit ad individui sustentationem, cæterum communem penuriam ab omnibus percipiendam, eisque adeo, ut si quid privatim alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id omne ad superiorem recte deferri oporteat, qui ei eo primum succurrat ejus necessitati, cujus intuitu illud obvenerit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem prematur, reli-

Digitized by Google

quum conventui incorporetur, et in communem cedat utilitatem.

Ad 7. Non posse.

(50. In conventibus, et monasteriis, in quibus, vel ob carentiam redditumm, vel ob incuriam et negligentiam superiorum vita communis non servatur, nec potest introduci, et conventus, seu monasterium indigentiis religiosorum seu religiosarum non supplet, nec ob ejus paupertatem supplere potest, quid agendum, et quomodo procedendum? *Vide* verb. MONIALES, art. 2, numer. 68.

(51. Quomodo partitæ capsæ communis, seu depositi debeant inscribi? Vide, *ibid.*, n. 69.

(52. Ut regulares utriusque sexus in conventibus et monasteriis, ubi non adest vita communis, possint licite exigere, retinere, et expendere livella, debent concurrere quinque conditiones, quæ assignantur. Vide *ibid.*, n. 70.

(53. Livella non possunt a regularibus utriusque sexus cedi eorum consanguineis sine licentia sacræ congregationis. Vide *ibid.*, n. 71.

(54. Posse autem regulares utriusque sexus remittere suis consanguineis, vel aliis donare fructus sui livelli cum sola licentia superioris tenent passim doctores. Vide *ibid.*, n. 72.

(55. Imo plures tenent posse regulares utriusque sexus similes cessiones, remissiones, seu donationes fructuum sui livelli facere absque licentia ad id speciali superioris, sed cum sola licentia generali insumendi tales fructus in suas indigentias, et religiosus usus. Vide *ibid.*, n. 73.

Nota Romani theologi.

Quæ religioso professo conceduntur, sive rationi *livelli*, sive alia de causa, aut incorporari conventui debent, aut ita administrari, ut veluti conventui incorporata administrentur. Id enim constat cum ex ipso voto paupertatis, quo quisque particularis astringitur ad nil proprii habendum, sed ad omnia subjicienda conventui, ejusque superiori, qui bonorum conventus administrator est tum ex ipso concilio Tridentino, quod solemni decreto sancivit, incorporandum conventui esse, quidquid particularis quisque religiosus quacunque de causa habeat, et acquirat. Atque hinc fit, ut bona, quorum usus particularibus religiosis indulgetur, sive ex *livello* sint, sive aliunde proveniant, considerari semper debeant incorporata conventui, et illius nomine administrata, qui delectus sit superior et administrator bonorum communitatis; hoc enim secluso, nec bona incorporata conventui dici possent, nec religiosus particularis proprietatem illam excluderet, quæ stare cum voto paupertatis non potest. Quæ cum ita se habeant, facile est intelligere, monachum, sive privatum religiosum, nonnisi indulgente administratore bonorum, quæ ad conventum spectant, licite posse, aut *livelli* fructus, aut fructus privati laboris, ad aliquem usum applicare; nam deficiente hac indulgentia, sive licentia, proprietarius esset, et contra legem concilii Tridentini ageret. Ergo necessaria est licentia superioris, ut privatus religiosus insumere in suas indigentias, et usus possit hujusmodi fructus: et hoc in casu existimari posset bona incorporata conventui, ex voluntate superioris, applicari ad usum privati religiosi, cujus indigentiis de bonis ipsius conventus subveniendum esset. Dici autem non potest, privatum religiosum, cui permissum a superiore sit in proprios usus impendere *livelli* fructus, licite posse eos cedere, remittere, vel donare consanguineis. Nam bona conventus donare privatus religiosus non potest consanguineis, imo neque superior; bona vero hujusmodi voluti in incorporata conventui haberi debent; ergo non solum subditus, sed nec superior ipse potest hanc cessionem, et donationem facere, sed necessaria est sacr. congr. licentia, ut optime dicitur numero 53. Ego vero in hujusmodi casibus ita subditum, ac superiorem segerere posse opinor. Si conventus ita bonis ditatus sit, ut eleemosynam elargiri indigentibus possit, et debeat, dum consanguinei monialis, vel religiosi, in paupertatem venerint, et veram indigentiam, poterit superior indulgere, ut iis eleemosynæ loco hujusmodi fructus remittantur, vel donentur. Si vero iis non egeant, nec subditus, qui voto paupertatis astrictus donare nequit, nec superior, qui non dominus, sed merus administrator est bonorum conventus, poterit hujusmodi remissionem, cessionem, aut donationem facere.

Responsio auctoris.

Ea quæ hic notantur et adduntur a rev. theologo, jam fusiori calamo a me tradita sunt tum in hoc ipso articulo a n. 45, ad 70, tum in verb. LEGATUM, a n. 88 ad 94, et in verb. MONIALES, artic. 2, a n. 65 ad 92, et verb. REGULARES, art. 1, a n. 13 ad 20. Nec verum est, quod ipse theologus ibi circa finem suæ notæ opinatur dicens: « Ego vero in hujusmodi casibus ita subditum, ac superiorem se gerere posse opinor; si conventus ita bonis ditatus sit, » etc. Quia quantumvis conventus, seu monasterium sit dives, neque subditus etiam cum licentia sui superioris, neque superior potest condonare livella suis consanguineis pauperibus, neque superior potest talem facultatem subdito concedere. Semper enim requiritur, facultas sacræ congregationis, vel sacræ Pœnitentiariæ in quibusdam casibus occultis, ut pluries egometipse in variis hujusmodi casibus prius a regularibus utriusque sexus consultus, et post debitum recursum ad dicta respectiva suprema tribunalia, facultates ab ipsis concessas exsecutioni demandavi, vel prout continebant, demandandas consului, etiam pro conventibus, et monasteriis ditissimis. Et nec semper tales facultates fuerunt concessæ pro cessione, seu condonatione totius summæ, sed sæpe pro sola media, vel tertia parte, prout pau-

Digitized by Google

pertas, seu miseria parentibus superventa fuerat repræsentata. Vide supra a me tradita n. 53, et verb. MONIALES, art. 2, n. 72, et quamvis ibi n. 73 et 74, et hic n. 54 et 55, ad eruditionem referam opinionem auctorum tenentium, posse regulares utriusque sexus, remittere suis consanguineis, vel aliis donare fructus sui livelli cum sola licentia superioris; ibi tamen sub n. 84, et hic sub n. 56, subjunxi. Intellige tamen de cessione, seu donatione fructuum livelli non ascendentium ad magnam et notabilem summam, pro qua semper recurrendum est ad sac. congreg. Vide, et firmiter tene, ut ibi; cum talis sit legitima praxis, et consuetudo, quæ est optima legum interpres, textu expresso in l. *Si de interpretatione* 48, ff. *De leg.*, et in c. *Cum dilectus* 8, De consuetudine, cum similibus.

(56. Intellige tamen de cessione, seu donatione fructuum livelli non ascendentium ad magnam summam. Vide *ibid.*, n. 74.

(57. Regulares utriusque sexus ex pecunia sui livelli, seu aliunde quæsita nequeunt sibi censum emere, seu constituere, neque de licentia superiorum. Imo neque ipsam pecuniam tradere monasterio cum pacto, seu tacita conventione, quod monasterium certos redditus ad rationem tot pro centenario, ejus vita durante, concedat seu solvat. Vide. *ibid.*, n. 75.

(58. Neque possunt regulares utriusque sexus ex peculio sui livelli, vel aliunde quæsito, et sibi libere a suis superioribus concesso fundare censum, ut ex fructibus post ejus mortem celebrentur Missæ pro ejus anima. Vide *ibid.*, n. 76.

(59. Neque possunt regulares utriusque sexus tradere amico certam summam pecuniæ ex suo livello, seu aliunde quæsitæ cum pacto, quod post ejus mortem faciat celebrari tot Missas. Vide *ibid.*, n. 77.

(60. An possint regulares utriusque sexus dictam pecuniam ex suo livello, seu aliunde quæsitam proprio usui concessam donare alteri cum onere, ut statim celebrentur singulis annis aliquæ Missæ in perpetuum. Vide *ibid.*, n. 78.

(61. Sub quibus conditionibus soleat sac. congreg. concedere regularibus utriusque sexus facultatem habendi livella, seu vitalitia. Vide *ibid.*, n. 70.

(62. Adducuntur ad id variæ specificæ resolutiones sacræ congr. Vide *ibid.*, num. 80, 81.

(63. Regulares utriusque sexus administrare non possunt sua livella a se ipsis. Vide *ibid.*, n. 88.

(64. Legatum relictum alicui regulari utriusque sexus sub conditione, quod quandiu vivit, pertineat irrevocabiliter ad eum, vel eam independenter a licentia superiorissæ, non debetur ipsi, sed monasterio, et talis conditio habetur pro non adjecta. *Vide* supra, n. 46 ad 49, et d. verb. LEGATUM, n. 91 et 92.

(65. Imo legatum relictum regulari in particulari nec momento temporis potest esse apud ipsum, sed illico acquiritur monasterio. *Vide* d. verb. LEGATUM, num. 89, 90.

(66. Nec regulares utriusque sexus possunt in particulari habere, seu de se retinere legata, præsertim si sint in bonis stabilibus, neque de licentia quorumcunque suorum superiorum etiam generalium, quamvis assererent posse eam concedere. *Vide* supra, n. 46 ad 49, et d. verb. LEGATUM, num. 91 et 92.

(67. Adducitur advertentia diligenter habenda. *Vide* d. verb. LEGATUM, n. 93.

(68. Insuper adducitur conclusio doctissimi Fagnani semper attendenda, et præ oculis habenda. *Vide* dict. verb. LEGATUM, n. 94.

(69. Regulares utriusque sexus an, et quomodo pecuniam ex suo livello, et aliunde quæsitam possint ludo exponere? *Vide* verb LUDUS, a n. 9 ad 16.

(70. Regulares utriusque sexus non possunt uti livellis, nisi servata forma constitutionis Clementis VIII, *De largitione munerum* Sacra congreg. Episcop., *in Florentina* 21 Julii 1690, ad relationem claræ mem. card. Petrucci, apud Monacell., t. I, in *Append. adnotat. ad constitut. Clementis VIII, De largitione*, n. 7.

(71. Legatum relictum monasterio, seu conventui bonorum incapaci pro sacristia, valetudinario, vel ecclesiæ pro cera, et oleo, non dicitur irritum, sed debet per syndicum investiri pro adimplenda testatoris voluntate. *Vide* verb. LEGATUM, n. 95.

(72. Unde legatum relictum minoribus de observantia reformatis, et Cappuccinis pro anniversariis, oleo, lampadibus, paramentis, hostiis, sacristia, ecclesia, fabrica, luminaribus, sindonibus, linteis, tunicis, bibliotheca, impressione librorum, pane, vino, pitantia, seu victu, et vestitu, et aliis necessariis, est ipsis tradendum, et solvendum ab hæredibus. Vide *ibid.*, n. 96.

(73. Adducitur ad id decretum sacræ congr. rev. Fabricæ, et juxta illius dispositionem ponitur in claris, supradictos Minores Mendicantes S. P. Francisci esse capaces legatorum juxta modum in eodem decreto præscriptum. Vide *ibid.*, n. 97.

(74. Adducitur decretum congregationis particularis ab Urbano VIII deputatæ. Vide *ibid.*, n. 98.

(75. Adducitur decretum sacræ congreg. Fabricæ S. Petri de Urbe. Vide *ibid.*, n. 99.

(76. Adducitur aliud decretum ejusdem sacræ congr. Fabricæ S. Petri. Vide *ibid.*, n. 100.

(77. Et capacitatem fratrum Minorum obtinendi, et retinendi annua, et perpetua legata per modum simplicis eleemosynæ expresse comprobat breve Urbani VIII, incip. *Exponi nobis*. Vide *ibid.*, n. 101.

(78. Tale breve ad omnium commodum ad litteram datur. Vide *ibid.*, n. 102.

(79. Et ulterius dd. fratrum Minorum capacitatem ostendunt varia decreta, quæ afferuntur. Vide *ibid.*, n. 103 ad 109.

(80. Insuper ad fratrum Minorum capacitatem expresse demonstrant variæ resolu-

Digitized by Google

tiones sacræ congregationis Fabricæ. Vide *ibid.*, n. 110 ad 113.

(81. Et indistincte pro legatis pro victu, et vestitu semper resolvit sacra congreg. Boni regiminis. Vide *ibid.*, a num. 114 ad 116.

(82. Item hanc Minorum capacitatem pluries comprobavit sacra congr. Episc. et Regul. Vide *ibid.*, n. 117.

(83. Item eamdem capacitatem pluries approbavit sacra cong. Conc. Vide *ibid.*, num. 118.

(84. Ex supra recensitis stat clarum, quod legata relicta fratribus Minoribus per modum puræ et simplicis eleemosynæ sustinentur, et eorum syndicus Apostolicus tanquam unus de populo potest comparere, et implorare officium ordinarii, ut demandet exsecutionem testamenti, et adimpleatur ab hæredibus, seu exsecutoribus mens testatoris. Vide *ibid.*, num. 119.

(85. Imo cum hæres teneatur in conscientia adimplere onera, et ipsas dispositiones testatoris, potest etiam cogi per syndicum Apostolicum, non tanquam unum de populo, sed nomine Ecclesiæ Romanæ. Vide *ibid.*, num. 120.

(86. Plurima alia de capacitate fratrum Minorum recipiendi, et retinendi perpetua annua legata per modum puræ, et simplicis eleemosynæ videnda relinquuntur apud Pitonium, part. 1 *Disceptationum ecclesiastic.*, discept. 2, per tot., et apud Petrum Marcellinum de Lucia in sua dissert. unic. *De legatis pro victu religiosis Mendicantibus relicto*, per tot., ubi ultra adductas, plurimæ aliæ afferuntur Apostolicæ sanctiones, et sacrar. congregat. responsiones, et declarationes; unde non amplius attendendi sunt doctores in contrarium scribentes.

(87. Quamvis fratres Minores de corpore Observantiæ, et Capuccini, dum de novo in locis recipiunt conventus, nequeant per modum contractus, et tanquam de jure exigere ab universitatibus, et communitatibus, vel ab aliis particularibus benefactoribus, ut annuatim sibi solvatur certa pecuniæ summa, vel quid aliud fixum pro eorum victu et vestitu, cum id sit expresse contra suam Regulam, et pontificias, ac regulares suas constitutiones, ut plene adnotavit Rota, *in Turritana legatorum*, sub diebus 10 Januarii 1595, et 6 Aprilis 1696, *coram Emerix*, cujus votum exquisierat, et exsequi postea mandavit sacra congr. Episcop. et Regul. sub die 24 Maii 1697, apud Monacell., part. 1, tit. 6, formul. 19, num. 27; et tradit Matthæuc., *Official. Curiæ*, cap. 17, num. 47.

(88. Possunt tamen, præmissa debita protestatione, dictam certam pecuniæ summam, seu quid fixum per modum puræ, et simplicis eleemosynæ annuatim recipere per syndicum Apostolicum ad subveniendum suis veris necessitatibus, præsertim in iis locis, ubi victus et vestitus mendicatione nisi valde incommode acquiri sufficienter possit, ut patet ex pluribus resolutionibus sacræ congreg. Boni regiminis relatis sub verb. Legatum, num. 114, 115 et 116. Et sic sæpe sæpius, non solum ipsa sacra cong. Boni regiminis, sed etiam S. C. Episc. et Regular., Concilii, et R. Fabricæ declararunt, ut patet ex earum decretis abunde relatis sub d. verb. Legatum, a num. 95 ad 121. Imo Discalceati in Hispania paupertatis Seraphicæ rigidissimi observatores fundationes conventuum non accipiunt absque determinata eleemosyna olei, piscium, lignorum, et similium, ut refert Pitonius, part. 1 *Discept.*, nu. 83, concludens id licite fieri posse.

(89. Et hæc procedunt, etiamsi assignatio bonorum fieret in contractu inter vivos, uti habemus casum decisum per sacram cong. Fabricæ *in Imolen. legati seu donationis*, sub die 16 Martii 1707. *Vide* d. verb. Legatum, num. 109.

(90. Formula autem protestationis præmittenda a fratribus Minoribus ante acceptionem legatorum traditur in sequentibus decretis editis a sacra particulari congregatione ab Urbano VIII, specialiter deputata consultationibus familiæ Cismontanæ fratrum Minorum S. P. N. Francisci die 14 Junii 1628, et die sequenti publicata in congregatione generali fratrum Minorum de Observantia in præsentia D. Cardinalis Gypsii, quorum tenor talis est, videlicet:

Sacra congregatio a S. D. N. fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ familiæ consultationibus præposita volens, quantum potest in Domino, ipsorum postulato satisfacere circa novitios ad habitum, et professionem admittendos, sanctitate sua approbante, censuit, tunc demum esse illis permittendum, ut novitios, ut supra, recipiant, cum constiterit ex ipsorum conventibus eos sustulisse abusus omnes, qui regulæ S. Francisci Observantiæ adversantur. Quod ubi præstiterint, designanda erunt loca pro iisdem novitiis recipiendis, et præscribendus recipiendorum numerus, et qualitas, et alia ad eorum institutionem pertinentia, et prout unaquæque provincia id exsequetur, eidem receptionem hujusmodi fore permittendam.

(91. Abusus vero, quibus eos propterea mederi oportebit, sunt potissimum infrascripti.

Ac primum abdicent a se, et eorum conventibus non solum pistrina, ac bona omnia immobilia, quæ alicubi contra Regulæ puritatem, et declarationes fel. rec. Nicolai III, et Clem. V, extra, vel intra septa monasteriorum detinent: sed etiam census perpetuos, et legata annua, super quibus sacra congregatio præcipit observari decretum congregationis generalis habitæ die 17 Maii 1603. Cujus tenor talis est:

Cum annuos redditus, sicut cætera bona immobilia nobis habere non liceat, ideo renovantes alia generalia statuta decernimus, quod frater non inducat personam aliquam ad eleemosynam perpetuam ordini nostro exhibendam, nec exhibitam a quopiam vivente suscipiat; et si aliqua talis nobis fuerit relicta, nullo modo in judicio exigatur,

Digitized by Google

declarantes, quod ad perpetua legata petenda non possunt fratres recurrere, nisi humiliter, et per modum eleemosynæ absque allegatione alicujus decreti. Decernitur præterea, ac præcipitur per S. Obedientiam, quod quoties relinqui contingat aliqua legata perpetua aliquibus personis, et hospitalibus, vel alicui reipublicæ, et aliis domibus ea lege, quod teneantur fratribus præstare singulis annis certam eleemosynam, sive omnino gratis, sive ut ipsi fratres dicant certa officia, et Missas, quod guardianus faciat protestationem ei, qui testatoris voluntatem adimplere tenetur, quod cum ad illas eleemosynas nullum jus habeant ex vi legati, non possint obligari ad illa officia et Missas. Si tamen facta ista protestatione, hæres ex sua libera voluntate voluerit dare eleemosynas illas, et committere fratribus dicta officia, et Missas, tunc fratres tuta conscientia possunt eleemosynas hujusmodi recipere. Quod totum, et multo fortius in relictis legatis singularibus fratribus simili modo faciendum esse decernimus. Inhibemus autem, ut syndicus in sua persona hujusmodi annuos redditus recipiat distribuendos ipsis fratribus.

(92. Protestatio autem sic fiat sub sigillo conventus, videlicet; nos frater N. guardianus, et fratres discreti hujus conventus N. dicimus ad nostram notitiam pervenisse quondam N. certam eleemosynæ quantitatem conventui huic distribuendam perpetuo gratis, vel forsan pro aliquibus officiis, aut Missis dicendis legasse. Cumque legata hujusmodi, nisi per viam simplicis eleemosynæ acceptare ex instituto sancto nostro, et jure nobis non liceat: Ideo per præsentes libere protestamur in Domino, quod legatum prædictum tanquam illius incapaces ex vi legati recipere nolumus, nec intendimus. Si tamen hæres commissarius, aut legatarius ipsius testatoris dictam quantitatem per viam simplicis eleemosynæ omni obligatione, dominio, et proprietate penitus cessantibus, nobis libere conferre voluerit, illum simpliciter accipiemus, et piæ testatoris voluntati, quantum in nobis fuerit, plene ac fideliter satisfaciemus. Hæc autem protestatio subscripta per guardianum, et discretos conventus dabitur illi, qui tenetur testatoris voluntatem implere, et eadem protestatio scribetur in libro conventus; ut constare possit succedentibus guardianis, hanc constitutionem fuisse ad plenum adimpletam.

(93. Est autem hæc protestatio necessaria, ut optime decernit D. Bonaventura hanc disputans quæstionem, et ex Apostolicis declarationibus Regulæ nostræ colligitur. Et ut omnibus sit compertum id, quod tantopere est nobis necessarium, ipsam D. Bonaventuræ quæstiunculam ex suo *Apologetico* desumptam hic apponere de industria non gravabimur, quæ talis est, ut sequitur.

Cum asseratis vos secundum regulam et professionem vestram nullos debere recipere proventus reddituum, seu possessiones, exceptis domibus, in quibus habitatis, videmini transgressores regulæ vestræ in eo, quod recipitis domos, vel areas non contiguas vestris areis, in quibus habitatis; eodem enim modo si hoc licet, poteritis etiam vineas recipere, et agros, et mansos, et similia quæque recipere, imo grangias, et villas, et castra, et terras, et oppida, et quæcunque fuerint vobis data, et sic pristina paupertas, et mendicitas, quam professi estis, paulatim evanesceret, et non eritis discipuli S. Francisci, cum non sequamini vestigia ejus, nec ejus Regulam teneatis; de domibus enim vobis contiguis potest esse excusabile, quod pro dilatanda area vestra illas quandoque recipiatis, sed de aliis non ita, in quibus homines alios pro censu locatis, quem procurator vester loco vestri exigit, et in usus vestros convertit de voluntate vestra. Si qui in talibus incaute agunt, dolemus, et contradicimus, et prohibemus. Qualiter autem in hoc licite agere possimus, adverte, et tunc non judicabis nos, si sane intelligis, transgressores. Protestamur nos secundum regulam nostram nil debere, seu velle possessionis, vel certorum reddituum recipere, vel habere: quia vero mendici sumus, et pauperes, ea, quibus pro præsenti necessitate indigemus, ideo recipimus, prout licet, sive pro solvendis debitis, vel aliis necessariis procurandis. Cum ergo aliquis ex devotione vult nobis legare domum suam, vel aream non contiguam nostræ mansioni, non recipimus eam per nos, nec per interpositam personam ut nostram. Sed si ille eam disponit per alium quemcunque, ut ea vendita de pretio ejus provideatur nobis ex parte sui in his, quibus tunc indigemus, procurandis, vel solvendis debitis, acceptamus. Si autem ille timens ne forte ejus talis dispositio per hæredes suos, vel alios in posterum impediatur, propter hoc præoccupat roborare illam sigillo alicujus judicis, vel civium, vel alterius, et sic committit eam alicui amico suo, vel fratrum, qui conservat, quod ipse disponit de domo tali, vel area, nil ad nos, cum de rebus suis possit ordinare, quod volet, nec locum talem, vel domum dicimus esse nostram, cum nihil juris nos in ea protestemur habere. Similiter si aliquis disponeret per amicum, vel alium, quod de pretio, vel de proventibus illis, vel illis darentur fratribus tot panes quotidie, tantum eleemosynæ singulis septimanis, aut annis, non essemus propter hoc prædii, vel reddituum possessores; nam si me petente eleemosynam aliquis dives promittat, quod singulis annis velit dare fratribus duas tunicas, vel tantum unam, vel singulis hebdomadibus tot panes, et hoc committat officialibus suis, ut vice sui ista dent etiam eo absente, et hoc pro fratribus recipiam, vel etiam, si illi negligant dare, admonendo exigam, nunquid propterea certos redditus habere dicendi sumus, cum non ex jure, sed ex gratia solum talem eleemosynam recipiam, vel exigam?

Et sic post obitum illius uxor ejus, vel alii amici pro anima illius adhuc velint aliquo tempore talem nobis eleemosynam per

Digitized by Google

se, vel ex dispositione illius largiri, possumus similiter accipere ex eadem gratia, ita quod quandocunque nollent amplius ista dare, nil peteremus ab eis quasi ex debito : sed more medicorum recurremus ad domum clementis domini pro quotidiana eleemosyna quandiu illi placeret; sed quando plus nollet, abiremus vacui gratias agentes de dato, et non murmurantes de negato. Hæc est vera, et pura vita mendicorum, quod datur, ex gratia recipere, non ex jure. De censibus vero domorum fratribus legatarum nihil quærimus, sicut nec de aliis redditibus. Si autem, antequam vendantur, aliquem inde censum recipiunt, in quorum tunc potestate sunt illæ domus, nihil juris habere in eo protestamur, sed eleemosynam nobis sponte oblatam simpliciter recipimus, sicut aliunde donatam. Quia vero Dominus docet nos cavere ab hominibus *Matth.* x ; et Apostolus ab omni specie mala abstinere, *I Thessal.* v, ne putemur ab ignorantibus transgressores regulæ nostræ, debemus aperte protestari, nihil nobis juris in talibus donationibus velle habere, sicut tenetur suspectus de fornicatione omnia illa cavere, ex quibus posset ista suspicio probabilis judicari. Hæc omnia D. Bonaventura lib. *Apol.*, q. 9.

(94. Sed quia in his casibus solet aliquando evenire, quod annuus redditus ob temporis antiquitatem non comperiatur habere aliquem patronum, cui fieri debeat talis, ut supra, protestatio, decernimus quod in tali casu servetur statutum ordinis Minorum sub Paulo II contentum in constitutionibus super c. 6 *Reg.*, § *Inhibemus*. Quod nimirum hujusmodi redditus assignentur rectoribus spiritualibus, aut temporalibus, collegiorum, aut communitatum, terrarum, aut civitatum, qui tales eleemosynas, sive fructus, vel redditus annuos nomine Ecclesiæ Romanæ, vel donantium sine fratribus exigant, et recipiant, et fratribus sive aliis sacerdotibus, quando fratres noluerint tales Missas, vel suffragia juxta piam intentionem benefactorum in toto, vel in parte secundum quantitatem talium obventionum interdicere faciant.

(95. Item statuitur, ut deinceps nulla instrumenta publica fiant a fratribus capitulariter congregatis nec quocunque alio modo se habentibus, in quibus transferatur dominium, et proprietas alicujus capellæ, sive sepulturæ, cum hoc omnino sit contra regulam, et nostro repugnet, instituto ; nam quomodo aliquis dat, quod non habet? Si tamen occasio se obtulerit, in qua oporteat satisfacere devotæ fidelium voluntati, id fiat per modos nostræ regulæ, et instituto congruentes. Est tamen protestatio prædicta necessaria, ne ut ait D. Bonaventura, ab ignorantibus nostrum institutum, regulæ nostræ transgressores judicemur. Cujus Seraphici Doctoris sententiam hic inserendam judicavimus, quatenus e medio tollatur abusus ignorantissimorum aliquorum, qui existimantes, Charibdim fugere, in Scyllam inciderunt, in favorem ordinariorum, vel alicujus tertii, vel hæredis renuntiantes prædicta legata, quasi non esset opus proprietatis, et dominii donare, sicuti accipere, et summa dementia alienum renuntiare.

(96. De hujusmodi autem bonis, seu illorum pretio generalis, vel commissarius generalis una cum consilio guardiani, et discretorum conventus in usum sacristiæ, fabricæ Ecclesiæ, et conventuum provideat, prout illorum necessitate perspecta salubriter in Domino expedire arbitrabitur. Et de hac provisione quamprimum sacram hanc congregationem fideliter certiorem faciat. Hanc vero bonorum abdicationem, et legatorum renuntiationem fuisse exsecutioni demandatam constare debebit huic sacræ congregationi ex generalis, vel commissarii generalis, et ordinariorum attestationibus gratis, et absque ullo fratrum dispendio concedendis.

(97. Deinde a fratribus particularibus auferatur cujuscunque rei proprietas, si quæ sit, et omnia in communi redigantur ad regul. sac. can. Apostol. constit. et S. Concil. *Tridentin.* dispositionem. Potissimum vero tollantur pecuniæ, et quam primum insumantur in veras, et communes ipsorum conventuum necessitates, idque fiat a syndicis Apostolicis tantum, ita ut nihil pecuniæ mediate vel immediate supersit in manibus, vel potestate fratrum etiam superiorum.

(98. Ad hæc tollatur abusus aromatariarum, ita, ut de cætero illæ non retineantur, nisi ad usum monasteriorum duntaxat, nec liceat res illarum cuiquam vendere

(99. Præterea nullo modo habeant in eorum ecclesiis, vel sacristiis, ut alibi cippos, et truncos ordinatos ad offerentium, seu donantium pecunias, nec capsulas pro eleemosynis Missarum.

(100. Ac demum superiores regulares invigilent, ut fratres communi mensa utantur, divina officia temporibus debitis recitent, vacent orationi mentali, et divinum cultum diligenter exerceant, et cætera impleant, ad quæ pro regulæ observatione tenentur.

(101. Hæc autem superius expressa fuisse ad effectum perducta constare debebit eidem sacræ congreg. ex attestationibus medio juramento generalis, aut commissarii generalis, aut visitatorum, prævia diligenti informatione capta in visitatione singulorum conventuum cujusque provinciæ. Romæ 14 Junii 1626.

(102. Hic juvat afferre declarationes editas a dicta sac. congreg. specialiter ad id deputata ab Urbano VIII, et relatas a Fagnano ejusdem congregationis secretario, lib. v *Decretal.*, in c. *Nimis pravo* 17, De excessibus prælator., a numer. 47 ad 54. Ibi.

Distinctio I.

De legatis bonorum mobilium.

(103. Articulus I. An fratres Minores tam de Familia, quam Reformati sint capaces legatorum bonorum mobilium, quæ

Digitized by Google

unica solutione, seu præstatione adimplentur, tam in pecunia, quam in aliis speciebus?

Articulus II. An possint eadem legata in judicio, aut extra exigere per se ipsos, vel syndicum Apostolicum?

Articulus III. An fabricæ S. Petri liceat in hujusmodi legatis se ingerere infra annum, ex quo dies legati cessit?

Articulus IV. Et quid elapso anno?

DISTINCTIO II.

De legatis factis fabricæ.

(104. Articulus I. An valeat legatum annui redditus factum fabricæ, sacristiæ, vel ecclesiæ fratrum Minorum, tam de Familia quam ex Reformatione?

Articulus II. An liceat fratribus hujusmodi legata in judicio exigere per eorum procuratorem, vel syndicos Apostolicos?

Articulus III. An liceat eidem erogare prædicta legata in usus fratrum? An vero illa omnino converti debeant in usus a testatoribus præscriptos?

Articulus IV. An fabricæ S. Petri liceat infra annum se ingerere in proprietate horum legatorum pro fabrica, vel sacristia transigendo cum hæredibus, aut alias de eadem proprietate disponendo?

Articulus V. Et quid transacto anno?

Articulus VI. An liceat eidem fabricæ S. Petri, se immiscere præstationibus, seu fructibus eorumdem legatorum ab anno decursis, et non solutis?

Articulus VII. Et quid infra annum, ex quo cessit dies præstationis?

DISTINCTIO III.

De legatis annuis cum onere.

(105. Articulus I. An fratres Minores, tam de Familia, quam Reformati, sint capaces legatorum annuorum, quæ fiunt adjecto onere celebrationis Missarum?

Articulus II. An iidem possint pro his legatis in judicio experiri agendo, aut judicis officium implorando?

Articulus III. An possint fratres illa accipere a sponte offerentibus celebrando Missas ad rationem rei acceptæ?

Articulus IV. An possint illa sponte oblata accipere per se ipsos, an vero per syndicum Apostolicum?

Articulus V. An fratres possint hujusmodi legata exstinguere, aut illorum proprietatem vendere, et pretium erogare in usum fabricæ, vel sacristiæ?

Articulus VI. An liceat fabricæ S. Petri proprietatem eorumdem legatorum cum onere Missarum vindicare, tam elapso anno, quam antea?

Articulus VII. An liceat fabricæ eidem sibi vindicare annuas præstationes decursas, et non solutas tam ante annum, quam post?

DISTINCTIO IV.

De legatis annuis sine onere.

(106. Articulus I. An fratres Minores tam Observantes, quam Reformati, sint capaces legatorum annuorum sine aliquo adjecto saltem ad effectum illa exstinguendi, et pretium erogandi in usus fabricæ, vel sacristiæ?

Articulus II. An ad hunc effectum possint eamdem proprietatem in judicio petere per syndicum Apostolicum?

Articulus III. An possint illam convertere in usum Fratrum?

Articulus IV. Et quid, si cœperint illorum annuas præstationes accipere?

Articulus V. An possint fratres exigere judicialiter annuas præstationes eorumdem legatorum in vim Martinianæ?

Articulus VI. Et quid post ultimum decretum sacræ congr. hac de re editum?

Articulus VII. An fratres teneantur protestari, se esse incapaces eorumdem legatorum?

Articulus VIII. An possint illa a sponte dantibus accipere per se ipsos, vel per syndicos Apostolicos?

Articulus IX. An hæredes teneantur illorum præstationes fratribus solvere in foro conscientiæ?

Articulus X. An fabrica S. Petri jus habeat sibi vindicandi horum legatorum proprietatem tam elapso anno quam antea?

Articulus XI. Et quid de annuis præstationibus decursis, et non solutis?

Articulus ultim. An hæc omnia procedant etiam in legatis annuis ad modicum tempus?

Die 9 Septembris 1628, sacra congregatio negotiis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia a S. D. N. præfecta ad singulos articulos superius propositos ad hunc modum respondit, videlicet.

DISTINCTIONE I.

(107. Ad articulum I. Fratres Minores tam de Familia, quam Reformatos esse capaces legatorum bonorum mobilium, quæ unica solutione, seu præstatione adimplentur, tam in pecunia numerata, quam in aliis speciebus. Dummodo tamen hujusmodi legata sint in quantitate moderata, et non in fraudem paupertatis.

Ad II. Fratres quidem nec per se ipsos, nec per interpositam personam posse eadem legata in judicio exigere, sed syndicum Sedis Apostolicæ tantum judicis officium implorare, dummodo similiter illa in moderata sint quantitate, et sine ulla fraude paupertatis, et re ipsa erogentur in fratrum necessitates. Extra judicium vero ita demum legata hujusmodi accipi posse a fratribus per se ipsos, si in aliis speciebus consistant, et accipiantur in ea tantum quantitate, quam vera, et imminens eorum necessitas postulet, sed superfluum, aut pecunias a syndico tantum posse accipi, dum tamen id omnes in fratrum necessitates convertatur.

Ad III. Non licere fabricæ S. Petri in hujusmodi legatis bonorum mobilium se ingerere infra annum ex quo dies legati cessit.

Digitized by Google

Ad IV. Elapso anno libere ad præscriptum suarum facultatum.

DISTINCTIONE II.

(108. Ad articulum I. Valere legatum annui redditus factum sacristiæ, vel fabricæ ecclesiæ, vel conventus fratrum Minorum tam de Familia, quam de Reformatione, nisi adsit excessus in quantitate.

Ad II. Nec per suos, nec per alios licere fratribus in judicio exigere hujusmodi legata, sed syndico Apostolico duntaxat.

Ad III. Non licere eadem annui redditus legata erogare in usus fratrum, sed illa omnino converti debere in usus a testatoribus præscriptos.

Ad IV. Fabricæ S. Petri non licere infra annum se ingerere in proprietate horum legatorum, cum hæredibus transigendo, aut alias disponendo de eadem proprietate.

Ad. V. Itidem non licere.

Ad. VI et VII. Posse fabricam S. Petri se immiscere in præstationibus, seu fructibus eorumdem legatorum ab anno decursis, et non solutis, non autem infra annum, ex quo dies præstationis cessit.

DISTINCTIONE III.

(109. Ad articulum I. Fratres Minores, tam de Familia, quam ex Reformatione nullatenus esse capaces legatorum, quæ fiunt adjuncto onere celebrationis Missarum.

Ad II. Non posse pro his legatis in judicio experiri, aut judicis officium implorare.

Ad III. Posse fratres illa accipere per modum eleemosynæ a sponte offerentibus celebrando Missas ad rationem rei acceptas, citra tamen ullam obligationem ad onus perpetuum, et dummodo prius protestentur, se illorum capaces non esse.

Ad IV. Syndicum Apostolicum, et pro fratrum necessitatibus, non autem fratres ipsos etiam per alios posse hujusmodi legata utcunque sponte oblata accipere, si in pecunia consistant.

Ad V. Non posse fratres hujusmodi legata exstinguere, aut illorum proprietatem vendere, et pretium erogare in usus fabricæ, vel Sacristiæ.

Ad VI. Licere fabricæ S. Petri ad suarum facultatum præscriptum sibi vindicare eorumdem legatorum proprietatem cum onere Missarum celebrandarum, tam elapso anno, quam antea.

DISTINCTIONE IV.

(110. Ad articulum I. Fratres Minores, tam Observantes, quam Reformatos non esse capaces legatorum annuorum, quæ fiunt sine aliquo onere, aut modo adjecto, nisi ad effectum illa exstinguendi, seu illorum proprietatem, et pretium convertendi in usus fabricæ, vel sacristiæ.

Ad II. Non fratres ipsos sed syndicum Apostolicum tantum posse eamdem proprietatem in judicio petere.

Ad III. Posse convertere.

Ad IV. Si Fratres cœperint illorum annuas præstationes accipere, ne hinc fiat fraus paupertati, expedire, ut de cætero decernatur, eo casu non licere amplius fratribus eamdem proprietatem vendere, et pretium in usum fabricæ vel sacristiæ erogare. Ideoque agendum cum S. D. N.

Ad V et VI. Fratres nullo modo posse in judicio exigere annuas eorumdem legatorum præstationes.

Ad VII. Teneri.

Ad VIII. Posse illa per modum eleemosynæ, et a sponte dantibus accipere etiam per seipsos, si in aliis speciebus consistant, quod si in pecunia, non nisi per syndicum Apostolicum.

Ad IX. Non teneri.

Ad X. Fabricam S. Petri nullum jus habere vindicandi horum legatorum proprietatem, nisi elapso anno juxta suas facultates.

Ad XI. Similiter non habere jus vindicandi hujusmodi annuas præstationes, nisi ab anno decursas.

Ad XII. Hæc omnia locum non habere in legatis infra decennium, sed in his tantum, quæ fiunt ad decem annos, et ultra.

(111. Adducitur ad rem constitutio Clementis X, confirmantis decretum sacr. congreg. in causa Turritana legatorum.

« Clemens Papa X, ad futuram, etc. Nuper pro parte dilecti filii syndici Apostolici conventus S. Petri de Syrchis in Sardinia ordinis sancti Francisci de Observantia, etc., Congregationi fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis, etc., Episcoporum et Regularium præpositæ exposito, quod quondam Petrus Moros de Molinos in suo ultimo testamento, quod anno 1645 condiderat, diversa annua legata pro Missis per fratres ordinis celebrandis, fecerat modo sequenti :

« Primo : « mando, quod meus hæres te-
« neatur expendere pro confectione tumuli,
« et exsequiarum quolibet anno lib. 25, pro
« una Missa cantata, et aliis sexdecim Mis-
« sis pro animabus meorum parentum cele-
« brand. a fratribus Franciscanis S. Petri de
« Syrchis, et pro legato volo, quod sint per-
« petuo obligata bona mea.

« Item volo, quod dictus meus hæres sol-
« vat ex dictis bonis meis quolibet anno
« lib. 40, quæ inserviant pro oleo lampadis
« meæ capellæ majoris in dicta ecclesia
« Sancti Petri.

« Item relinquo in perpetuum Missas sep-
« tem qualibet hebdomada pro animabus
« purgatorii, etc., et eleemosyna sit septem
« solidorum pro qualibet Missa, etc., et pro-
« prietas illarum est 1400 lib. quæ sit super
« domo mea, in qua habito.

« Item relinquo pro eleemosyna dicto con-
« ventui S. Petri de Syrchis lib. 300, ut illæ
« applicari debeant per meos curatores in
« loco securo ad rationem lib. 23 annuarum,
« et inserviant pro emendis linteaminibus
« pro pauperibus fratribus infirmis.

« Item quia D. mater mea reliquit, ut
« dicantur duæ Missæ perpetuæ pro quali-
« bet hebdomada a dictis fratribus, quod

Digitized by Google

« super bonis meis solvantur quolibet anno « lib. 28.

« Item quia D. pater meus reliquit unam « Missam perpetuam in hebdomada cele- « brandam a dictis fratribus, et reliquit pro « eleemosyna censum lib. 150, debitum a « Gavino Paduano, etc., quatenus perdiderint « supradictum, mando ut meus hæres sol- « vat lib. 11 annuas, etc. Et factis aliis plu- « ribus legatis profanis, etc., instituit sibi « hæredem, Deum, et animam suam, man- « dans suis exsecutoribus, ut adimpletis, et « satisfactis legatis, instituerent unam ter- « tiam dignitatem archidiaconalem in cathe- « drali Turritana cum annuo redditu lib. « 1000, et de residuo unum, vel plures ca- « nonicatus secundum capacitatem bono- « rum suorum, et alias, prout in dicto te- « stamento dicitur uberius contineri. »

« Et subinde in exsecutionem dicti testa- menti unus canonicatus, et unus archidia- conatus in ecclesia Turritana erecti fuerant, dictusque archidiaconatus ex disposi- tione ejusdem Petri testatoris collatus fue- rat cuidam Didaco Moros ejus fratri Ger- mano exsecutori testamentario, qui bona fide, dum in vivis erat, eadem legata pia adimpleri curaverat : verum post ejus obi- tum, de eodem archidiaconatu provisus fue- rat dilectus Carolus de Capudoro, ad cujus favorem dilectus filius pro-vicarius genera- lis Turritanus, nesciebatur quo jure, decla- raverat fratres Minores prædictos legato- rum capaces tantum factorum pro oleo lam- padis, et linteaminibus infirmorum, et incapaces pro reliquis, quæ archidiacono prædicto adjudicaverat, prout in ejus sen- tentia dicitur contineri. Unde dictus syndi- cus tanquam unus de populo pro suffragiis animarum, pro quibus instituta fuerunt dicta legata pia, et pro sua pietate erga dictos fratres de Observantia, qui in magna necessitate propter eleemosynarum deficien- tiam in prædicta insula Sardiniæ reperie- bantur, prout ex attestatione juratorum, et officialis civitatis Turritanæ constare dice- batur, nobis humiliter supplicaverat, ut omnimodum adimplementum legatorum prædictorum ven. fratri archiepiscopo Tur- ritano, non obstante prædicta pro-vicarii generalis sententia committere de benigni- tate Apostolica dignaremur.

« Instantia vero hujusmodi ad prædictam Cardinalium congr. a nobis remissa, et de mandato ipsius congreg. citato dilecto etiam filio Alexandro bulla supradicti Caroli de Capudoro archidiaconi procuratore, syndi- cus prædictus plurimum cupiebat declarari, prædictos fratres Minores de Observantia posse recipere præinserta annua legata Mis- sarum per modum puræ, et simplicis eleemo- synæ, juxta doctrinam S. Bonaventuræ in quadam constitutione fel. rec. Urbani Pa- pæ VIII prædecessoris nostri, cujus ini- tium : *Sacrosanctum Apostolatus minister- rium*, proinde debere dictum archiepisco- pum Turritanum tanquam exsecutorem ultimarum voluntatum, et præcipue piarum, curare omnimodum adimplementum eorum legatorum, et voluntatis dicti Petri testatoris compellendo hæredes, et detentores bono- rum ad satisfactionem, ne anima ejus de- fraudata remaneret : emanavit ab eadem Cardinalium congregatione decretum teno- ris, qui sequitur.

« Sacra congr. EE. S. R. E. Card. nego- « tiis, et consultationibus Episcoporum, et « Regularium præposita, procuratore archi- « diaconi Turritani sæpius citato, referente « eminentissimo D. cardinali Portocarrero, « decrevit esse dandas declarationes sæpe « alias factas : Videlicet, fratres Minores de « Observantia non posse possidere census, « et bona stabilia ; posse tamen recipere per « viam eleemosynæ quidquid eis traditur « ab exsecutoribus ultimarum voluntatum « pro celebratione Missarum, et anniversa- « riorum, et propterea censuit commit- « tendum, prout præsentis decreti tenore « committit archiepiscopo Turritano, ut ad « limites prædictæ declarationis in causa, « de qua supra agitur, procedat, et ad illius « observantiam quantum opus fuerit, juris « remediis, et in subsidium etiam censuris « ecclesiasticis compellat. » Romæ 3 Au- gusti 1674.

« Cum autem sicut dictus syndicus Nobis subinde exponi fecit, ut decretum hujus- modi firmius subsistat, et observetur exa- ctius, Apostolicæ nostræ confirmationis pa- trocinio communiri, summopere desideret, Nos ipsum syndicum etc., absolventes, etc. supplicationibus ejus inclinati, etc. Decre- tum præinsertum auctoritate Apostolica te- nore præsentium approbamus, et confirma- mus, illique inviolabilis Apostolicæ firmita- tis robur adjicimus, etc., sicque in præmissis per quoscunque judices, etc., irritum, etc., Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 22 Augusti 1674 Pontificatus Nostri anno quarto. »

(112. Item affertur ad rem decretum sac. congr. Episcop. et Regular., *in Lucana* 26 Martii 1677, pro Minoribus de Observantia editum.

« Sacra congr. EE. et Reverendiss. S. R. E. card. negotiis et consultationibus Episc. et Regular. præposita, sæpius declaravit, Fra- tres Minor. de Observ. S. Francisci, quam- vis attenta dispositione *Exivi de paradiso*, Clemen. V, et constitut. Nicolai III : *Exiit*, sint incapaces obtinendi census perpetuos, et bona stabilia, posse tamen per viam puræ et simplicis eleemosynæ recipere quidquid ab exsecutoribus ultimarum voluntatum eis traditur pro celebratione Missarum, pro or- namento ecclesiæ, aliisque necessariis pro- curandis, juxta doctrinam D. Bonaventuræ relatam in constit. san. mem. Urbani VIII incip. : *Sacrosanctum Apostolatus minister- rium* ; atque in præfatis casibus dictos ex- secutores ultimarum voluntatum curare de- bere, ut hujusmodi piæ dispositiones adim- pleantur, ne testatorum animæ debitis suf- fragiis defraudatæ remaneant, quam quidem declarationem, illiusque tenorem in casu, de quo agitur eadem sacra congregatio ser-

Digitized by Google

vari præcipit, committendo ordinario Lucensi pro tempore exsistenti ut quatenus alius exsecutor non exsistat, prænarratam pii testatoris dispositionem exsecutioni demandet, » etc.

(113. Item datur ad rem mandatum D. auditoris cameræ Apostolicæ, ut sequitur. « Potentissimo et Catholico principi D. D. Carolo ab Austria, etc., felicis prosperitatis augmentum, etc., ejusdem regnorum et provinciarum, etc., officialibus, etc., ad quos præsentes nostræ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur: Franciscus Columna in utraque signatura SS. D. N. Papæ referendarius, causæque, et causarum hujusmodi, etc., salutem, etc. Noveritis quod introducta alias in partibus coram vicar. general. Catacen. lite et causa inter syndicum RR. PP. S. Francisci Minor. Observ. civitatis Tabernarum Catacen. ex una, et RR. DD. Theodorum, et Dominicum de Carcia ex adverso principales partibus ex altera de et super solutione eleemosynæ debitæ pro Missis, pro quibus agitur, rebusque aliis, etc. Dictus D. vicarius Catacen. in causa hujusmodi procedendo suam protulit sententiam, sive decretum tenoris sequentis: videlicet: « Per curiam episcopalem « Catacen. visa particula ultimi testamenti « quondam Felicinæ Riva civitatis Tabernarum conditi sub die 20 Maii 1633, etc., ac « insuper inspecto tenore bullæ S. D. N. felic. record. Clementis Papæ X, sub datum « Romæ, die 31 Augusti 1675, pro confirmatione decreti sacræ congregat. negotiis Episcoporum et Regularium propositæ lati sub « die 8 Augusti 1674, declaravit: Fratres « Minores de Observantia posse recipere legata annua Missarum per modum puræ et « simplicis eleemosynæ, etiam pro exsecutione ultimarum voluntatum testatorum, « visis actibus omnibus, etc., ac partibus « pluries auditis, fuit provisum, et decretum, « suspensionem duarum Missarum in hebdomada per eamdem curiam latam omnino tollendam esse, ac proinde PP. Minores de Observantia conventus supradictæ civitatis Tabernarum reintegrentur « ad legatum celebrandi easdem duas Missas in hebdomada, et ab hodie in antea « RR. DD. Theodorus et clericus Dominicus Carcias correspondeant eisdem fratribus scutos decem singulis annis pro celebratione prædicta, etc., et ita, etc., datum, etc., die 24 Januarii 1691. Antonius « Pavoni vicarius generalis, » etc. A qua inserta sententia, sive decreto, etc., appellantibus dict. DD. Theodoro, et Dominico de Carcia, fuit hæc causa ad curiam devoluta; et coram illustrissimo et reverendissimo D. Thomaso in utraque signatura referendario, etc. Illustrissimi et reverendissimi D. A. C. Locumtenente introducta, qui ser. ser. procedendo, sua definitiva sententia, præinsertam sententiam, seu decretum D. vicarii generalis Catacen. confirmavit et approbavit; ad effectum tamen exsequendi super bonis per D. Victoriam Rivam donantem, etc. A qua sententia illustrissimi et reverendissimi Thomati iterum appellantibus DD. Theodoro et Dominico de Carcia, *fuit causa hujusmodi Nobis commissa vigore specialis commissionis ejusdem Sanctissimi*, de qua in dictis actis, etc. *Nos in causa et in causis prædictis rite, directe et legitime procedentes*, etc. Tandem D. Hieronymo Leto ex adverso procuratore dict. DD. Theodori, et Dominici Carcia ex adverso principalium, etc., per unum ex ejusdem sanctissimi cursoribus more solito citato, nostram protulimus et promulgavimus definitivam sententiam præinserti decreti, seu sententiam D. vicarii general. Catacen. et aliam illustriss. et reverendiss. Thomati confirmatoriam, prout in dictis actis infrascripti archivii Romanæ curiæ scriptoris. Sed quia a tribus sententiis conformantibus non licet amplius appellare, ideo ex parte ejusdem sanctissimi, et ad instantiam dicti D. syndici dicti venerandi conventus RR. PP. Minorum de Observantia fuit Nobis directa et præsentata commissio exsecutorialis tenoris sequentis. » Sequitur tenor commissionis. « Nos denique, etc., dicto Dom. Hieronymo Leto ex adverso procuratore dict. Theodori, et Dominici Carcia ex adverso principalium iterum ut supra citato, præinsertam sententiam, sive decret. vic. generalis Catacen. aliamque dicti reverendissimi Thomati, et dictam nostram respective definitivam sententiam exsequi mandavimus, ac in illarum exsecutione, et re judicata præsens mandatum exsecutivum ad favorem dicti syndici RR. PP. S. Francisci Minor. Observant. civit. Tabernarum diœcesis Catacen. contra et adversus dicta bona per dictam Victoriam donata dictis D. D. de Carcia, pro ducatis viginti quinque monetæ regni debitis pro supradicta eleemosyna Missarum ab anno 1691, per totum mensem Junii proxime præteriti ad rationem ducatorum decem pro quolibet anno, sine præjudicio aliorum per annum decursorum decrevimus, et relaxavimus, exsequi volumus, et mandavimus per præsentes. Quo circa Vos, potentissimum regem, vestrosque regios ministros studiose requirimus, et perbenigne in Domino hortamur, attenteque rogamus, Vobis vero, aliis omnibus, et singulis supradictis, etc., tenore præsentium committimus, et in virtute S. Obedientiæ, ac sub excommunicationis, etc., pœna, etc., mandamus, quatenus statim visis præsentibus, et quoties præsentium vigore fueritis, seu alter vestrum fuerit requisitus, etc., ex parte nostra, seu verius Apostolica auctoritate cogatis, et compellatis, cogique et compelli faciatis, etc., dictos Theodorum et Dominicum Carciam ad dandum, solvendum, tradendum, etc., et effectualiter exbursandum dicto rever. syndico dictorum PP. Sancti Francisci Min. Observ., etc., scuta viginti quinque monetæ regni, ut præfertur, debita, una cum aliis scutis quatuor, et Juliis septem monetæ Romanæ pro expensis præsentis Mandati. Datum Romæ anno 1693, indictione prima, die vero 7 mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi D. N. Innocentii

Digitized by Google

divina Providentia Papæ XII anno ejus tertio. »

(114. Syndici Apostolici nequeunt dominium, vel usum possessionum in se recipere, ut redditus annuos fratribus tribuant. Sic expresse dicta sacra congr. allegat. supra n. 91, in fine, ibi : « Inhibemus autem, ne syndicus in sua persona hujusmodi annuos redditus recipiat distribuendos ipsis fratribus. » Et sac. congr. R. Fabricæ *in Æsina Legati* 29 Novemb. 1692, quæ, teste eminentissimo card. Petra, tom. II *Commentar. ad Constit.* 5 *Honorii III*, num. 29, censuit « Franciscanos Observantes, qui prætendebant retinere stabilia nomine syndici, esse incapaces ad ita retinendum. »

(115. Neque dicti syndici Apostolici possunt sine beneplacito Apostolico alienare mobilia pretiosa ecclesiæ incorporata, ut sunt lampades, candelabra, paramenta, picturæ, et hujusmodi, prout expresse de mandato Urbani VIII, 1 Septembris 1624, decrevit S. C. C. prohibens slienationes dictorum fieri sine expressa sacræ congr. licentia, adjectis pœnis ipso facto incurrendis a contrafacientibus, nullisque alienationibus declaratis, et novissime eodem Sac. Congr. *in Papiensi*, die 18 Martii 1719, quæ respondit : « Quo ad mobilia pretiosa ecclesiæ incorporata esse necessarium beneplacitum Apostolicum; quo vero ad omnes alias res in futurum non posse syndicos procedere ad venditionem, nisi prævia affixione edictorum, et venditio fiat majori oblatori. » *Vide* verb. Syndicus, n. 19.

(116. Fratres Minores habent solum simplicem usum facti absque ullo dominio, et usu juris circa res illas, quibus uti possunt; *Communis*. Usus juris est ipsum jus, sive legitima facultas utendi aliqua re; adeoque usum juris habere dicitur omnis, qui et utitur, et potest ad libitum licite uti aliqua re. Usus autem simplex *facti* est ipse actualis usus rei factus cum omnimoda dependentia a libera voluntate domini proprietarii ; sicque usum simplicem facti habere dicitur ille, cui conceditur facultas utendi re etiam usu consumptibili, sed omnino dependenter a libera concedentis voluntate, ita ut pro ejus libito revocari possit.

(117. Et hic usus simplex facti, et omnino dependens a libera voluntate domini proprietarii concedentis potest separari, et de facto separatur a dominio rei etiam unico usu consumptibilis. *Vide* verb. Dominium, art. 1, n. 18 ad 20.

(118. Domus professæ Societatis Jesu, licet sint vere Mendicantes, sunt tamen capaces legatorum etiam bonorum stabilium, ita tamen ut, si talia bona non sint necessaria, nec opportuna usui domorum professarum, ea vendi debeant, et ex eorum pretio propriis necessitatibus provideri. *Vide* verb. Legatum, n. 122.

(119. Scholastici et coadjutores temporales, qui in dicta præclarissima Societate Jesu post biennium probationis simplicia vota ediderunt, possunt, non obstante voto paupertatis, retinere et acquirere dominium radicale bonorum temporalium, tam mobilium quam immobilium antea habitorum, vel postea per hæreditatem, donationem, vel alio modo obtentorum, quamvis per dictum simplex votum paupertatis privati sint actuali Jure de iis disponendi arbitrio suo sine superioris licentia ; Sanchez, lib. VII *Moral.*, cap. 18, n. 23 et 28; Layman, l. IV, tract. 5, cap. 7, num. 3; Busemb., lib. IV, cap. 1, *De statu religioso*, dub. 4; La Croix, *ibid.*, num. 96 ; Sporer, tom. II, tract. 6, can. 1, num. 68. et alii. Et ratio est, quia illud votum simplex non privat, sed stat cum dominio radicali, et in actu primo bonorum antea habitorum, et postea acquisitorum, seu acquirendorum, et solum privat dominio, ac jure actuali utendi vel disponendi de iis arbitrio suo sine licentia superiorum juxta constitutionem Gregorii XIII, incip. *Ascendente Domino*. Talis enim religiosa paupertas non consistit in eo, quod reddat religiosum incapacem dominii radicalis, et velut in actu primo, qualem etiam habet infans sub tutore constitutus; sed quod privet ipsum religiosum jure retinendi bona temporalia, et de iis disponendi arbitrio suo sine facultate, de consensu superiorum saltem licite.

(120. Unde tales scholastici, et coadjutores temporales, quamvis moraliter peccarent contra paupertatis votum, si de dictis bonis antea habitis, vel postea acquisitis disponerent arbitrio suo sine consensu superiorum, tamen talis dispositio esset valida: Sanchez, *loco cit.*; Layman, *loco cit.*, Sporer, *loc. citat.*; Lugo, in *Respons. moral.*, lib. IV, dub. 6; La Croix, lib. IV, num. 103, cum Castropal. Pellizar. et aliis ibi citatis contra Molinam et Lessium. Et ratio est, quia licet peccarent mortaliter contra votum paupertatis, ex quo per tale simplex votum paupertatis sibi interdixerint jus disponendi sine facultate superiorum; tamen eorum dispositio esset valida, quia adhuc retinent dominium suorum bonorum, donec eis se abdicent per solemne paupertatis votum, cum eis non se abdicent per d. votum simplex paupertatis.

(121. Est enim magna differentia inter votum solemne paupertatis (cui, ut recte notat Layman, *loc. citat.*, n. 3, vers. *cæterum*, æquiparari in hoc docet votum paupertatis coadjutorum formatorum d. Societatis Jesu), et inter simplex paupertatis votum ab ipsis scholasticis, et coadjutoribus temporalibus emissum, quia tale simplex votum paupertatis privat religiosum solum dominio, ac jure actuali utendi, et disponendi de bonis temporalibus arbitrio suo absque facultate superiorum, et non dominio radicali, et in actu primo. Votum autem solemne paupertatis emissum in professione solemni religionis privat sic professum, non solum dominio, ac jure actuali, sed etiam dominio radicali, et in actu primo, id est omni jure, ac facultate, tam valide, quam licite disponendi de bonis temporalibus antea habitis, ac alia postea acquirendi, et alienandi, ut clare habetur ex c. *Unic.*, De voto, in 6 et de

Digitized by Google

coadjutoribus formatis in d. Societate Jesu est statutum a Gregorio XIII, in d. Cons. *Ascendente Domino;* Layman, *loc. cit.*, vers. *Cæterum;* Sporer, *loc. cit.*, n. 59 et alii.

(122. Ut regulares possint uti rebus aliquibus licite intra terminos religiosæ paupertatis, requiruntur quatuor conditiones. Prima namque est, ut utantur iis rebus tanquam non suis. Secunda, ut iis utantur cum vera, et rationabili superioris licentia. Tertia, ut iis utantur juxta modos in qualibet religione expressos. Quarta, ut iis utantur servata honestate, et modestia : Marchantius, in *Tribunali*, tom. VIII, part. II, tract. 2, tit. 1, quæst. 4; Henno, tom. II, tract. 3, disp. unic. *De statu religioso*, quæst. 9, art. 3, § 2; Sporer, tom. II, tract. 6, cap. 1, numer. 61, et alii in re communiter.

(123. Regulares igitur utriusque sexus debent uti rebus tanquam non suis, ut habetur clare *Act.* IV, 32, ibi : *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquis suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia;* et concordat. cap. *Dilectissimus* 5, cap. *Scimus* 9, cap. *Non dicatis* 11, caus. 2, quæst. 1; cap. *Monachi* 2, cap. *Super quodam* 4, cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monachor., cum similibus. concil. *Trid.* sess. XXV, *De regularibus*, cap. 2, ubi expresse prohibet regulares. « quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere. » Et decr. Clem. VIII pro reform. regularium, incip. *Nullus omnino*, § 3, ubi confirmantur et innovantur decreta concilii Trid. de sic paupertatis voto custodiendo.

(124. Unde peccant contra paupertatem regulares utriusque sexus, qui mobilia, vel immobilia tanquam sua retinent, et administrant, iisque despotice suo arbitrio utuntur, ac de iis pro libitu disponunt. Item qui pro peculio, seu livello sibi concesso dant quitantias sine superioris consensu, volunt solutionem in suis propriis, et non superioris manibus fieri, cogunt ad id debitores tanquam absoluti domini, et hujusmodi : regulares enim utriusque sexus nequeunt livella administrare a se ipsis. Vide supra, n. 63, et verb. MONIALES, art. 2, n. 88. Nec iis livellis uti possunt, nisi servata forma constitutionis Clementis VIII de largitione munerum. *Vide* supra numer. 70.

(125. Regulares utriusque sexus debent uti rebus cum vera et rationabili superioris licentia. Unde si metu, fraude, dolo, minis, vexationibus, molestiis, allegatione falsi, seu reticentia veri obtineatur, perinde est, ac si non fuisset talis licentia obtenta, quia sic, vel est violenta ; vel si sit licentia, est subreptitia, vel obreptitia. Idem dicendum est, si talis licentia absque rationabili causa concedatur, quia tunc nec inferior, nec superior est tutus in conscientia, cum tales concessiones corrumpant mores religiosorum ac nimis in dies relaxent religiones. Tum quia superiores sunt dispensatores, et non dissipatores bonorum conventuum, ac monasteriorum.

(126. Licentia non requiritur semper expressa, sed sufficit aliquando etiam tacita, rationabiliter præsumpta. Taciti enim, et expressi eadem est virtus, et idem judicium, cap. *Ex p* 2, De rescriptis, leg. *Cum quid* 3, ff. *De rebus creditis;* l. *Cornelius* 69, ff. *De hæred. instituend.;* l. *Hæc verba* 3, ff. *De legatis* 1, l. *Fideicommissa* 11, § *Si filio*, ff. *De legatis* 3, cum similibus.

(127. Unde in illis religionibus et monasteriis, ubi viget legitima consuetudo aliqua recipiendi, retinendi, expendendi, donandi, et hujusmodi sine expressa superioris licentia, excusantur religiosi, ac religiosæ a peccato proprietatis ratione licentiæ tacitæ, arg. c. *Cum olim* 6, cap. *Cum dilectus* 8, cap. *Cum tanto* 9, De consuetud.; Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 13, q. 1, n. 44; Pellizar., *De monialibus*, c. 4, num. 71; Felix Potest., tom. I, part. II, n. 1046, testans de communi.

(128. Licentia non est necesse, quod detur toties, quoties casus occurrerit, sed sufficit absoluta sine limitatione concessa, saltem pro tempore ejusdem superioris concedentis, nisi aliter constet de ejus voluntate. Cum enim talis licentia sit semper revocabilis, salvatur semper, quod religiosus disponat de rebus sibi concessis cum facultate et consensu superioris. Imo licentia ab uno superiore concessa durat etiam sub alio, nisi ab ipso successore expresse vel tacite fuerit revocata, quia gratia non espirat, mortuo, vel amoto ab officio concedente; cap. *Si super gratia* 9, De officio delegat., in 6, cap. *Sicui* 36, De præbend., in 6; Donatus, *Prax. rer. regul.*, tom. III, tract. 15, qu. 18; Lezana ab ipso ibi citatus, Felix Potest., *loco cit.*, n. 1038, et alii. *Vide* notata supra ad n. 55.

(129. Regulares utriusque sexus tenentur uti rebus sibi concessis juxta modos in sua regula et suis constitutionibus expressos. Quilibet enim tenetur servare paupertatem eo modo, quo illam Deo promisit; sicque cum religiosi voveant ordinarie illam servare juxta modos in sua regula expressos, et in sua religione licite servari solitos, tenentur uti rebus sibi concessis juxta dictos modos.

(130 Hinc fratres Minores de corpore Observantiæ, et Capuccini tenentur præ cæteris regularibus ad usus arctos, et pauperes in sua regula contentos, ut declararunt, pro minoribus Nicolaus III in cap. *Exiit qui seminat* 3, De verbor. signific., et Innocentius XI, constit. incip. *Sollicitudo pastoralis officii.*

(131. Supradicti enim fratres Minores, quamvis circa res sibi necessarias possint habere simplicem usum facti non possunt tamen habere usum juris, et tanto minus dominium. Et circa denarios, vel pecuniam, nec dominium, nec ullum politicum usum habere possunt, ut expresse præfati Summi Pontifices, et signanter Innocentius XI, in d. constit. incip. *Sollicitudo pastoralis officii*, § 4, ibi : « Aliarum enim rerum necessariarum fratres Minores de corpore Observantiæ hujusmodi habere usum licet, non dominium ; denariorum autem nec domi-

Digitized by Google

nium, nec usum, et proinde quævis contrectatio pecuniæ, seu denariorum, quæ non sit pure naturalis, seu quæ sit quovis modo politico, cujuscunque domini sint denarii, seu pecunia fratribus Minoribus observantibus seu de Observantia est omnino prohibita.

(132. Et insuper, ut omnis occasio transgrediendi præceptum de non contrectandis denariis, seu pecuniis auferatur, prohibet expresse idem Pontifex Innocentius XI, in d. constitutione incip. *Sollicitudo*, § 10, ne fratres Minores possint esse administratores ullorum temporalium bonorum, sive mobilium, sive immobilium cujuscunque domini illa sint, et neque monasteriorum sibi subjectorum, ibi : « Demum ut omnis occasio transgrediendi præceptum de non contrectandis denariis, seu pecuniis auferatur omnibus, et singulis dicti ordinis prælatis, sive superioribus in virtute S. Obedientiæ, ac sub pœna privationis suorum officiorum injungimus, ut nulli religioso ejusdem ordinis permittant administrationem fundorum, reddituum, ac quarumcunque aliarum rerum, et bonorum mobilium, vel immobilium, cujuscunque domini illa sint, et signanter ut nulli religiosorum ordinis hujusmodi permittatur administratio bonorum temporalium alterius monasterii monialium sub quovis prætextu, aut nomine, nempe administratoris, syndici, factoris, coloni, superintendentis, villici, aut alio quovis imaginabili. »

(133. Dictis fratribus Minoribus, quamvis sit omnino prohibita receptio, et contrectatio politica, et civilis denariorum, seu pecuniæ, nempe receptio, et contrectatio denariorum ad eos pro usibus expendendos, et permutandos : non est tamen eis prohibita denariorum receptio, et contrectatio pure naturalis, et materialis absque omni dominio, et usu. Unde non est eis prohibitum denarios e terra levare, eos ad discernendam qualitatem metalli pertractare, curiositatis gratia tangere, et hujusmodi. Item non est eis prohibitum denarios alicujus parentis, amici, mercatoris, benefactoris pro custodia ratione alicujus periculi retinere, aut secum in itinere ad evitanda latronum pericula ducere, seu ad preces alicujus debitoris eos alio transferre pro consiguandis ejus creditoribus, vel pro restitutione ab aliquo pœnitente debita facienda, et hujusmodi ; dummodo semper hæc fiant absque ullo usu, aut effectu, vel scandalo pusillorum.

(134. Prædicti fratres Minores, nedum non possunt habere aliquid proprii in particulari, sed neque in communi, ad differentiam aliorum regularium utriusque sexus, qui licet nequeant habere aliquid proprii in particulari, possunt tamen habere dominium bonorum temporalium in communi. Conc. *Trid.* sess. XXV, *De regularibus*, cap. 3, ibi : « Concedit sancta synodus omnibus monasteriis, et domibus, tam virorum, quam mulierum, et Mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Francisci Capuccinorum, et eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus, aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. »

(135. Insuper religiosi aliarum religionum possunt etiam in particulari cum licentia superiorum habere usum pecuniæ, dummodo moderatus sit, et ad fines honestos, et cuilibet religioso decentes, et fiat juxta tradita sub verb. MONIALES, art. 2, n. 67, 69, 70 et 79, et juxta constitut. Clem. VIII de largitione munerum, et ejusdem decreta pro reformatione regularium.

(136. Dicti autem fratres Minores neque de licentia suorum superiorum possunt in particulari habere usum pecuniæ : est enim ipsis rigorosissime interdicta receptio, et contrectatio pecuniæ, ut patet ex fundamentali, et præcipuo suæ regulæ præcepto cap. 4, his verbis : « Præcipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam. » Cum tanta sit eorum paupertas (quam eorum S. Pater, et fundator, ac Summi Pontifices vocant altissimam), ut licet Seraphicus Patriarcha permittat, quod « pro necessitatibus infirmorum, et aliis fratribus induendis, per amicos spirituales ministri tantum, et custodes sollicitam curam gerant secundum loca, et tempora, et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire ; » excipit tamen semper, et salvat, quod « nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, » cit. cap. 4 *Regulæ*, ibi : « Eo semper salvo, ut sicut dictum est, denarios, vel pecuniam non recipiant. » Unde cum neque ipsimet superiores usum pecuniæ habere possint, tanto minus ipsum pecuniæ usum poterunt subditis concedere, ac permittere, arg. cap. *Nemo* 79, De regul. juris, in 6, ibi : « Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, » l. *Nemo* 54, ff. *De regul. juris*, ibi : « Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse haberet, » cum similibus.

(137. Imo est eis tam rigorose interdictus pecuniæ usus, ut neque in eorum ecclesiis, seu aliis permittatur pecuniarum quæstus in eorum commodum, ac utilitatem, textu expresso in Clementina *Exivi* 1, De verbor. significat., § *Quo circa*, ibi : « Quo circa quæstus omnis pecuniæ, ac oblationum pecunialium receptio in ecclesia, vel alibi cippi, seu trunci ordinati ad offerentium vel donantium pecunias reponendas, nec non quicunque recursus alius ad pecunias, seu habentes ipsas, qui per declarationem prædictam » (hoc est Nicolai III, in cap. *Exiit qui seminat.* 3, De verbor. signific., in 6) non conceditur : hæc, inquam, omnia sunt eis simpliciter interdicta.

(138. Quinimo neque possunt dicti fratres Minores capsulas retinere in sacristia, aut alibi ad Missarum eleemosynas recipiendas, etiamsi clavem retineret syndicus Apostolicus, ut expresse fuit prohibitum per nostras constitutiones generales de anno 1628, jussu Urbani VIII, constit incip. *Injuncti Nobis*, et a S. cong. Conc., die 7 Julii 1708, prout

Digitized by Google

habetur in *Chronologia* nostri Seraphici ordinis Patris Julii de Venetiis ad septuagesimum octavum generale capitulum circa finem, ut sequitur.

Decretum sacræ congreg. concilii Trid., modificativum bullæ Innoc. Papæ XII, de celebratione Missarum.

De capsulis.

Quemadmodum probos decet religiosos, cupientes hujus ordinis Patres non minus eorum regulæ puritatem custodire, præcipue circa paupertatis votum, tantopere a sancto fundatore injunctum, quam Apostolicis jussis obtemperare, humillime expetierunt hujus S. C. oraculum super declaratione emergentis casus, qui est ejusmodi. Urget ex una parte novissima constitutio san. mem. Innocentii XII, super celebratione Missarum, quæ incipit *Nuper*, cum decreto irritanti, et clausula *sublata*, nec non cum derogatione expressa omnium constitutionum Apostolicarum, et statutorum ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, atque consuetudinum immemorabilium, quæ inter alia provida decreta demandat retentionem capsularum pro Missis celebrandis per verba : « Debeant ulterius regulares prædicti omnes, et quascunque eleemosynas, tum manuatium, tum perpetuarum, et temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes superiorem localem, altera vero penès alium a capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis, et celebratione Missarum coram Patribus discretis, seu consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis singulis mensibus districtam rationem exigere, et respective reddere. »

Obstare ex alia parte videntur hujusmodi capsæ retentioni bina decreta, alterum editum in generali congregatione Cismontanæ Familiæ habita in conventu Aracœli anno 1615, relatum in tom. III *Orb. Seraph.*, pag. 613, alterum vero per eadem verba conceptum itidem in generali congregatione in eodem conventu celebrata anno 1628, cor. clar. mem. card. Gypsio a san. mem. Urbano VIII, specialiter delegato, recensitum quoque in tom. IV ejusdem *Orb. Seraph.*, pag. 11, quod et pariter eorumdem verborum textura relatum reperitur post constitutionem : *Injuncti Nobis*, prælaudati Pontificis, 49 in ordine Bull., tom. IV, sub dat. 4 Junii 1628, et publicatum die 15 ejusdem mensis, et anni, ibi : « Capsæ, vel trunci ad recipiendas eleemosynas pecuniarias etiam pro Missis oblatis, non solum ab ecclesia, sed etiam a sacristia, et a quacunque parte, quæ sit intra clausuram conventus omnino prohibentur sub pœna inobedientiæ, et excommunicationis majoris, oblatæ autem eleemosynæ pro Missis nullo modo intra clausuram conventus, aut intra ecclesiam, vel sacristiam ab aliquo recipi permittantur, sed ad syndicum Apostolicum offerens remittatur. Quod si id grave illi fuerit, et voluerit tertiario, vel servitori conventus tanquam syndici substituto illam tradere, ut ad syndicum ipsum ejus nomine deferatur, id fieri poterit, ea tamen lege, ut intra clausuram conventus, aut ecclesiæ, nec tertiarius, nec servus illam recipiat, et guardianus, qui contrarium permiserit, privetur officio. » Et ibidem infra : « Præterea nullo modo habeant in eorum ecclesiis, vel sacristiis, aut alibi cippos, aut truncos ordinatos ad offerentium, seu donantium pecunias, nec capsulas pro eleemosynis Missarum. »

Insuper obstare videntur typis traditæ constitutiones editæ in capitulo generali celebrato in eodem conventu Aracœlitano, die 22 Maii 1700, *Pro Cismontana Familia*, § *Ad propositionem*, n. 1, pag. 40, ubi hæc habentur : « Ad propositionem factam in discretorio Observantium, an supplicari deberet SS. uti dispensare dignetur cum Observantibus in præcepto de retinenda capsula in sacristia pro recipiendis eleemosynis pro Missis, pro ut insinuari videtur in decretis de celebratione Missarum ; definitorium generale, attenta dispositione Regulæ nostræ, cap. 4, ac Apostolicarum declarationum illius, aliorumque Pontificum constitutionum, præsertim Nicolai III : *Exiit*, Clem. V : *Exivi*, Pauli III : *Exponi Nobis*, die 30 Maii 1536 ; Innocentii XI : *Sollicitudo Pastoralis*, Innoc. XII : *Alias a felicis*, nec non decreti sacræ congreg. Consultationibus hujus nostræ familiæ præpositæ, approbante Sanctissimo sub dat. die 4 Junii 1628, declarat, ejusmodi capsulas statui, ac professioni fratrum Minorum de Observantia esse repugnantes, et proinde fratres nostros non comprehendi sub præcepto hujusmodi de retinendis prædictis capsulis in sacristiis, vel suis conventibus, et si opus fuerit, supplicetur SS. pro confirmatione hujus declarationis per officiales familiæ. » Harum autem constitutionum legalitatem impugnat Modernus commissarius generalis Familiæ Cismontanæ autumans, eas fuisse efformatas proprio marte mox defuncti P. generalis ordinis citra consensum generalis capituli, sed earum loco hoc aliud exhibuit documentum. In Regesto curiæ Aracœlitanæ facto ab anno 1700, usque ad annum 1704, fol. 22, n. 7, inter alia sic legitur : « Circa capsulam pro conservatione eleemosynarum pro Missis celebrandis recipiendarum in sacristiis omnium regularium etiam Mendicantium cum amplissimis derogatoriis omnium in contrarium quomodolibet disponentium a sacr. congr. novissimis decretis de celebratione Missarum observari mandatum cum circumstantiis in ea materia dispositis, discretorium generale optat, ut supplicetur Sanctissimo pro dispensatione Observantium ab obligatione eas capsulas retinendi : at definitorium generale rogat reverendiss. P. generalem, ut, perpensis perpendendis, mandet id fieri, et respective supplicari, quod sibi melius in Domino, ac ordini utilius videbitur expedire. »

Ancipites valde sunt religiosi præfati ordinis, utram in partem se teneant super hujusmodi capsularum retentione, exinde-

Digitized by Google

que in varias abierunt interpretationes cum præjudiciali difformitate regularis instituti, utpote qui Innocentianam constitutionem servandam contendunt, capsulas ad usum revocarunt; cæteri vero, qui supra relatis ordinis statutis conniuntur, easdem abjecerunt. Propterea prænominatus vice-commissarius generalis ad restituendam in hac parte debitam regulæ uniformitatem reverenter expetit E. E. V. V. declarationem, an sui religiosi observantes regulæ D. Francisci comprehendantur sub prima dicta constitutione Innocentiana *De capsulis retinendis pro Missis celebrandis?*

Eminentissimus ordinis protector informare desuper requisitus, præallegatas dispositiones librando non dubitat, hosce fratres Minores Observantes comprehendi sub d. constitutione Innocentiana, eo quod illa specifice de regularibus Mendicantibus loquatur, atque præmemorata religionis statuta ex adverso recensita non obstare, subdit, attenta speciali eorumdem derogatione in eadem Innocentiana contenta, quin et ulterius eminent. Relator allegando indultum san. mem. Gregorii XIII, permittentis usum hujusmodi capsularum in sacristia dictorum fratrum pro asservandis eleemosynis in dies oblatis, quod refertur ab auctore *Orb. Seraph.*, tom. II, pag. 382, col. 2, pag. 446, col. 1, censet, nullum esse deprehendere inconveniens in earum usu, quoties tamen retineantur cum cautela in locis non publicis, ne in apparentia offendatur paupertas, sed asserventur claves apud syndicum Apostolicum, et superiorem localem respective ad formam constitutionis Innocentianæ, uti latius in ejusdem relatione per manus circumferenda. His itaque expensis emergit dubium sapientissime ab E. E. V. V. resolvendum.

An, et quomodo Minores Observantes valeant retinere capsulas pro Missis celebrandis in casu, etc.

Die 7 Julii 1708, sacr. congreg. eminentissimorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum, respondit, *Negative.* B. Card. Panciaticus, Præf.

(139. Unde prædicti fratres Minores mortaliter peccant, quoties pecunias petunt, ac recipiunt sive per se, sive per interpositam personam; a pecuniis enim debent dicti fratres ita esse alieni, ut nec ipsis liceat eorum usus, et contrectatio, ut ultra textum regulæ cap. 4, declararunt expresse Nicolaus III, in cap. *Exiit qui semin.*, 3, § *Ad majorem*, De verbor. signific. in 6; Clem. V, in Clementina : *Exivi de paradiso* 1, vers. *Verum etiam*, De verb. significat.; Innocent XI, constitut. incip. *Sollicitudo pastoralis*, § 4.

(140. Casus autem, pro quibus ad amicos spirituales eis licet pro eleemosynis pecuniariis recurrere, et per quos, et quomodo sint expendendæ, enuntiantur in d. cap. *Exiit*, § *Cæterum cum in eadem*, et l. Clementina *Exivi*, § *Porro*, vers. *Cum etiam*, et late traduntur per omnes regulæ expolitores, ad quas brevitatis gratia lectorem remitto.

(141. Regulares omnes utriusque sexus tenentur uti rebus, servata honestate, et modestia juxta dicta supra n. 122, id est tenentur etiam in rebus sibi ad usum concessis vitare superfluitatem, curiositatem, et pretiositatem, ita ut si in illis notabiliter et graviter excedant, etiam graviter peccent, ut tradunt communiter doctores. Et ratio est, quia regulares non tenentur solum ad præcisam paupertatis essentiam, quæ consistit in abdicatione omnis dominii, proprietatis, et juris politici in res, et usu rerum, sed etiam ad illius accessoria, veluti proprietates, id est ad temperantiam, seu sufficientiam, quæ tollit, et damnat excessum et superfluitatem in victu, vestitu, supellectili, ædificiis, et hujusmodi; juxta illud Apost., I *Tim.* VI, ibi : *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus*, et concil. *Trident.* sess. XXV, cap. 2 *De regularibus*, ibi : « Mobilium usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, et nihil superflui in ea sit. » Item, *ad humilitatem et modestiam*, quæ excludit pretiositatem, curiositatem, fastum, superbiam, et hujusmodi. Item, *ad fidelitatem*, in administratione, et usu bonorum monasterii Deo consecratorum, seu oblatorum pro necessaria, et competenti duntaxat sustentatione religiosorum ad majorem divini cultus promotionem. Item denique, ad *exemplaritatem*, qua regulares se abstineant ab omnibus, quæ scandalum generare possent, uti sunt voluptuosi sumptus, nimiæ profusiones, et excessivæ pompæ, quæ magnatum sæculi fastum potius quam pauperum claustralium religiosorum humilitatem præ se ferunt.

(142. An regulares, qui sine licentia superioris disponunt de suis manuscriptis, videlicet de suis concionibus, lectionibus, compositionibus, et hujusmodi in vita, vel in morte, intra, vel extra religionem, sint proprietarii, et peccent contra votum paupertatis? Variant doctores. Non esse tales regulares proprietarios, nec peccare contra votum paupertatis tenent Diana, part. I, tract. 6, *De paupertate*, resol. 25; et alii apud ipsum, Homobonus, in *Exam. eccles.*, part. I, tract. 7, cap. 32, q. 100; Valer., in suis *Differ.*, verb. *Munera*, n. 106; Kilianus Kazenberger, *Supplem. theol. moral. Patris Sporer*, cap. 2, sect. 3, *De statu religioso*, n. 149; cum aliis ibi citatis, Felix Potestas, tom. I, c. 2, n. 1114, et sic declarasse Clem. VIII, *Pro Minoribus*, possint nempe alienare sua manuscripta disponendo, secum ferendo, donando sine superioris licentia, non obstante sua bulla *De largitione munerum*, refert Coriolanus Capuccinus, part. II *De casibus reservatis*, cas. 8, sub n. 19, vers. *Hoc autem*, et alii, quibus favent etiam Bordonus, *De profess.*, cap. 5, q. 44; Passerin., tom. I, quæst. 179, art. 8, num. 184; Pellizzar., tom. I *Manual.*, tract. 4, cap. 2, q. 34, n. 318. Et ratio est, quia talia manuscripta, utpote partus intellectus, sunt quasi pars scientiæ, et doctrinæ acquisitæ, adeoque sicuti religiosi secum

Digitized by Google

deferre, aut aliis communicare possunt suam scientiam, et doctrinam, ita et propria sua scripta donare. Unde Diana, *loc. cit.*, cum aliis ibi allegatis resolvit posse religiosos inter se donare suas conciones, lectiones, et alia manuscripta, vel posse secum deferre quocunque vadant, etiamsi se transferant in aliam religionem, idque nulla petita licentia, et nullis relictis copiis. Ex quo juxta Franciscum a S. Clara apud nostrum P. Gaudentium Kerchove in statuta nostra generalia, cap. 8, § 5, n. 11, probabile etiam videtur, dicit P. Kazenberger cit., nos fratres Minores posse legare nostra propria manuscripta.

(143. Oppositum tamen sustinent Amenus, tract. *De incorrigibilium expulsione*, part. III, quæst. 29, n. 293; Donatus, *Prax. rerum regul.*, tom. IV, *De voto paupertatis*, tract. 15, q. 46, testans sic tenere etiam omnes illos eruditissimos doctores, quos ipsemet refert, tom. I, part. II, tract. 5, q. 57, cum quibus Navarrus, lib. III, q. 14, n. 10, ubi exinde deducit transeuntem ex una in aliam religionem non posse secum ferre sua scripta sine licentia capituli primi monasterii, quia non est dominus illorum, sed monasterium; et sic tenent plures alii dicentes, quod hæc sit vera sententia firmiter decisa in cap. *Non dicatis* 11, quæst. 12, n. 1, ibi : « Certum est eos nihil habere, possidere, dare, nec accipere debere sine superioris licentia; » cap. *Statutum* 1, caus. 18, q. 1, ibi : « Sed quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, monasterio relinquat : » cap. *Quia ingredientibus* 7, caus. 16, quæst. 3, ibi : « Sed res eorum ejusdem monasterii juris fiant, aperta legis definitione decretum est : » et conc. *Trident.*, sess. XXV *De regularibus*, cap. 2, ibi : « Nemini regularium liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere; » et concordant decreta generalia Clementis VIII, pro reformatione regular. incip. *Nullus omnino*, § 3, Unde attente notanda sunt verba illa *Trid.* « Quovis modo acquisita, » et illa cit. c. *Statutum* : « Quidquid acquisierat, » nam qui totum dicit, nihil excludit; cap. *Solitæ* 6, § *Nobis*, De majorit. et obedient., cum similibus.

(144. Et ratio est, quia quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio etiam ex propria industria, et arte, cap. *Statutum* 1, caus. 18, quæst. 1; cap. *Abbates* 16, caus. 18, quæst. 2; cap. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, q. 3; cap. *In præsentia* 8, De probationibus; cap. *Monachi* 2, cap. *Super quodam* 4, et cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monachor., authent. *Ingressi*, cod. *De sacrosanct. Ecclesiis*, cum similibus, adeoque nullatenus de hujusmodi acquisitis disponere potest, et si in religione ex commoditate, et aliis, quæ sibi dedit religio, aliquos libros conscripsit vel composuit, totum hoc debet cedere in beneficium religionis.

(145. Tum quia hoc esset quodammodo testamentum condere, maxime si regulares in morte de suis manuscriptis disponerent; regulares autem tam superiores, quam subditi nequeunt ullimode testamentum condere, ut patet ex dictis et juribus allegatis sub verb. REGULARES, a n. 62 ad 66, et sub verb. TESTAMENTUM, art. 4, *vide* ibi. Ipsi enim regulares ob votum obedientiæ, et paupertatis omni libertate, et proprietate se privant, ita ut nec velle, nec nolle, nec quidquam proprium, de quo disponere possint, amplius habeant, cap. *Si religiosus* 27, De elect. in 6, cap. *Religiosus* 2, De testamentis in 6, cap. *Religiosi* 5, De sepult. in 6, cum similibus. Si ergo non habent regulares nec velle, nec nolle, quomodo possunt pro sua voluntate sine licentia superiorum de manuscriptis disponere? Hinc B. Albertus Magnus præclarissimi Prædicatorum ordinis maximum in omni genere virtutum decus, et ornamentum, partus, sive tractatus sui felicissimi ingenii jam completos in uno monasterio, in aliud non deferebat, cum cognosceret dominium illorum non habere, sed spectare ad monasterium, in quo completi fuerant, ut ex chronicis ordinis testatur Donatus, cit. q. 46, num. 4.

(146. Et revera regulares facti episcopi non solum alia bona, sed etiam libros, quos sibi pararunt in religione debent ante consecrationem omnimode resignare in manibus superiorum religionis, ut expresse pro Minoribus statuit Alexander IV, const. incip. *Ex parte vestra*, et pro Prædicatoribus Clemens IV, constitut. incip. *Providentia*, et alii pro aliis per text. in can. *Statutum* 1, caus. 18, quæst. 1. Nec dicendum est, dictas constitutiones loqui de libris aliorum auctorum impressis, vel manuscriptis, non vero de propriis a se compositis; quia dictæ constitutiones talem distinctionem non faciunt de libris impressis, et manuscriptis, nec de compositis a se, vel ab alio, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; cap. *Quia circa* 22, De privileg., et l. *De pretio* 8, ff. *De publiciana in rem actione*. Tum quia plus æstimatur originale manuscriptum, cujus nullum exstat vulgatum exemplar, maxime si sit compositum a viro excellentis et eximiæ doctrinæ, quam quivis alius liber impressus. Unde magis lædetur religio ab ipsius oblatione, adeoque si per dictas constitutiones caveatur indemnitati religionis in minori damno, a fortiori idem erit in majori, argumento a minori ad majus desumpto conformiter authent. *Multo magis*, cod. *De sacrosanct. Eccles.* Hinc nisi constet authentice de dicta declaratione Clementis VIII, allegata pro prima opinione, vel de alia dispositione Sedis Apostolicæ, non est recedendum ab hac secunda opinione, utpote potiori ratione, et multipliciore jure suffulta.

* Confer Danielem Concina in opere cui titulus *Disciplina Apostolico monastica dissertationibus theologicis illustrata*, dissert.

Digitized by Google

6, cap. 1, § 1, 2 et 3, in quibus quæritur: An religiosi professi dominio polleant in propria manuscripta, ostenditque dominium religiosorum in propria manuscripta sive a seipsis, sive ab aliis confecta repugnare virtuti justitiæ, et voto paupertatis, universæque monasticæ disciplinæ regimen evertere. Cæterum quod attinet ad constitut. Clementis IV : *Providentia*, Bullarii ord. præd., tom. I, pag. 493, in ea hæc leguntur : « Inter hujusmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulas, et illas cartulas, vel membranas, in quibus dicti fratres sibi certa notabilia, cum aliquibus privatis sermonibus collegerunt. » Benedictus quoque XIII, const. *Postulat humilitati nostræ*, Bullar. ejusd. t. VI, pag. 548 et seqq. qua cavet, ut quæ tempore promotionis habent, omnia superioribus permittere debeant regulares ad episcopatum, vel alias dignitates ecclesiasticas promoti, nominatim scripta excipit : « Exceptis duntaxat scriptis, propriis indumentis, et Breviario »

(147. Regulares, qui ex alterius cella accipiunt manuscripta concionum, aut manuscripta alterius generis ad sibi transcribendum, peccant contra votum paupertatis, et tenentur ad restitutionem. Hujusmodi enim manuscripta sunt magno pretio æstimabilia, ut experientia docet, cum non desint, qui ob illorum simplicem usum solverent centum scuta, et ultra propter eorum singularitatem. Quo fit, ut ultra peccatum mortale, teneantur restituere, quia res tanti valet, quanti æstimatur ab eo, qui rem habet, leg. unica, cod. *De sententiis*. Sic Donatus, *Prax. rer. regular.*, tom. IV, tract. 15, quæst. 45; Bartholomæus, a S. Fausto, in *Thesaur. rel.*, lib. VIII, *De paupert.*, quæst. 103, in novis; Pellizzar., tom. I *Manual*, tract. 4, cap. 2, quæst. 32, num. 316, cum aliis ibi allegatis.

(148. Contra votum paupertatis peccant, qui ab aliis data, vel donata recipiunt, et retinent, consumunt, permutant, alteri donant, vel accommodant, contra, vel citra ullum, ne præsumptum quidem consensum, et licentiam superioris. Item qui pecuniam, vel aliam quamcunque rem sibi ad usum concessam, v. g. pro victu, vestitu, thesibus imprimendis, libris emendis, et hujusmodi in alios usus expendunt, seu ludendo, potando etc. consumunt, et prodigunt. Item qui res habitas abscondunt, vel occultant, ne superior sciat, vel auferat, nolentes permittere ejus liberæ dispositioni. Item qui res sibi ad usum concessas culpa, seu negligentia lata, quæ dolo æquiparatur, amittunt, vel destruunt, aut corrumpunt. Item syndici, procuratores, œconomi, administratores, et prælati inferiores, res, et pecunias monasterii expendentes, aut elargientes aliter quam regula ordinis, voluntas superiorum, aut consuetudo postulat. Item ipsimet superiores majores, si res, aut pecunias monasteriorum aliter expendant, aut elargiantur, quam ordinis regula, lex pontificia, aut conciliaris, vel consuetudo permittat, cum prælati non sint bonorum monasterii absoluti domini, sed soli administratores : capit. *Fraternitatem* 2, De donationibus. Item superiores permittentes subditis, ut pecuniam etiam propria industria, et arte acquisitam, seu sibi donatam, aut legatam, seu quovis modo sibi provenientem expendant in usus superfluos, vanos, illicitos, aut turpes; seu permittentes, ut bona, seu mobilia superflua pretiosa, et statum suum dedecentia penes se habeant, et retineant : tunc enim tam ipsi prælati, quam subditi graviter peccant contra votum paupertatis : cum nec superior possit tales licentias concedere, nec subditi ipsis uti, ut patet tum ex concilio *Trid.*, sess. XXIII, *De regularibus*, cap. 2; tum ex decretis Clementis VIII, pro reformatione regularium, incip. *Nullus omnino*, § 3; tum ex decretis sacræ congreg. Concilii adductis, supra, num. 49.

(149. Regulares utriusque sexus subripientes de bonis monasterii quantitatem notabilem, duplex peccatum mortale incurrunt, unum furti contra justitiam, et aliud proprietatis contra votum paupertatis. *Vide* verb. FURTUM, num. 70.

(150. Eadem quantitas requiritur, et sufficit in religioso ad furtum mortale, et mortalem transgressionem voti paupertatis, quæ sufficit ad furtum mortale sæcularium exceptis esculentis, et poculentis. *Vide ibid.*, num. 71.

(151. Regulares utriusque sexus deprehensi in morte habere aliquam proprietatem, debent cum ipsa subterrari extra monasterium in sterquilinio in signum suæ damnationis æternæ. *Vide* verb. REGULARES, num. 16.

(152. Affertur casus de monacho mortuo proprietario, et sepulto cum sua pecunia in sterquilinio cum his verbis (*Act.* VIII, 20): *Pecunia tua sit tecum in perditione.* Vide *ibid.*, n. 17.

(153. Pro regulari mortuo proprietario non sunt offerenda sacrificia, nec fieri debent orationes, nec ei danda est sepultura cum aliis fratribus in ecclesia, seu cœmeterio. Vide *ibid.*, n. 18.

(154. Quinimo regularis canonicus, et quilibet alius mortuus proprietarius, non solum in cœmeterio sepeliri non debet, sed si ibi sepultus fuerit, debet inde exhumari, si sine scandalo id fieri possit. Vide *ibid.*, n. 19

(155. Advertendum tamen est, quod si quis regularis subitanea morte, vel aliter defunctus reperiatur cum crumena pecuniæ, non est statim sepultura ecclesiastica privandus, et in sterquilinio tumulandus, nisi certo constet certitudine morali, quod interrogatus a superiore an haberet aliquod peculium, responderit non habere : dicta enim pœna tumulationis in sterquilinio non est danda indifferenter omnibus regularibus cum pecunia decedentibus, sed solum illis qui admonitione præmissa deprehensi, et in morte inventi fuerint cum

Digitized by Google

peculio, quo noluerunt se expropriare, ut expresse habetur in cap. *Super quodam* 4, *De statu monachorum*, ibi : « Super quodam canonico regulari, qui in articulo mortis agens, licet a priore suo commonitus, proprium, quod contra regulam latenter habuerat, noluit resignare » etc. : quod item supponitur in cap. *Monachi* 2, eod. tit., et in cap. *Cum ad monasterium* 6, eod. ibi : « Regulari monitione præmissa » etc. Et ratio est, quia licet repertus fuerit cum tali denariorum marsupio monasterii superiori ignoto, judicari potest, quod tale peculium non fuerit ipsius monachi, sed alicujus sui amici, vel consanguinei, vel quod fuerit sibi depositum, ut alii deferret loco eleemosynæ, vel restitutionis : imo etiamsi perciperetur fuisse suum, suspicari potest, quod ob aliquem honestum finem fuerit ad tempus ei a superiore majore permissum, seu eum voluisse suum peculium superioribus revelare, et solum ob subitaneam mortem id non fecisse : Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, cap. 26, num. 47 ; Emmanuel Rodriguez, tom. III, quæst. 61, art. 1, vers. *Decimo tertio*, et in Compend., resolut. 128, n. 20 ; Portell., in dub. *Regular.*, verb. *Sepultura*, n. 11 ; Peyrin., tom. I, *De subdit.*, quæst. 2, cap. 2, § 9, quæst. 3, vers. *Secundum* ; Diana, part. IV *Miscell.*, resol. 23 ; Donat., *loc. cit.*, quæst. 53, et alii passim.

(156. Admonitio pro regularibus proprietariis, et præsertim pro superioribus, qui proprietatem monachorum decedentium sibi appropriant tanquam spolia. *Vide* d. verb. REGULARES, num. 20.

(157. Castitas religiosa est votum, quo religiosus in aliqua religione a Sancta Sede approbata sibi interdicit omnem delectationem voluntariam veneream tam internam, quam externam. Est in re communis.

(158. Unde per votum castitatis obligantur regulares se abstinere ab omni actu venereo tam interno, quam externo, qualiscunque ille sit, ut a turpibus cogitationibus, delectationibus morosis, consensu ; ac etiam ab actibus externis, ut ab aspectu, locutione, tactu, et similibus cum feminis. *Communis.* Et ratio est, quia votum castitatis est nova obligatio, quam sibi regulares imponunt supra obligationem juris naturalis et divini : jus autem naturale, et divinum prohibet supradicta omnia extra conjugium, adeoque etc.

(159. Hinc castitas, quæ ante votum ad solam virtutem temperantiæ pertinebat, post votum emissum, pertinet etiam ad virtutem religionis, et sic violatio castitatis in regularibus duplicem habet malitiam specificam in confessione necessario explicandam, nempe malitiam luxuriæ contra castitatem, et sacrilegii contra religionem. *Communis.*

(160. Regulares non solum violant votum castitatis per supradictos actus versantes circa impudicitiam propriam, sed etiam per actus versantes circa impudicitiam alienam. Sicque regulares, qui etiam sine propria delectatione concurrunt proxime, et immediate, v. g. per tactum ad pollutionem hominis sæcularis, violant suum votum castitatis. Sic Cardenas apud La Croix, lib. IV, num. 155, dicens sententiam oppositam esse damnatam a S. Fidei tribunali, et ita tenent Sanchez *De matrimon.*, lib. IX, disp. 23, num. 6 ; La Croix, *loc. cit.*, n. 155 ; Felix Potest., t. I, part. II, n. 1855, et alii. Et ratio est, quia qui utitur membris suis ad impudicitiam mortalem etiam sine delectatione propria peccat mortaliter contra propriam castitatem, ut patet in eo qui absque delectatione propria dormientem tactu provocat ad pollutionem, vel fatuos conjungit ad copulam : ipse enim non peccat contra castitatem alienam, quia dormientes et fatui non peccant, adeoque peccat contra castitatem propriam ; sicque regulares violant suum votum castitatis etiam per actus versantes circa impudicitiam alienam.

(161. Votum castitatis in professione religiosa emissum irritat sponsalia. Vide verb. SPONSALIA, num. 85.

(162. Item sponsalia irritantur per votum castitatis emissum in susceptione sacrorum ordinum. Vide *ibid.*, n. 88.

(163. Per votum simplex perpetuæ castitatis non dissolvuntur sponsalia ex parte voventis, bene vero ex parte alterius. Vide *ibid.*, n. 94.

(164. Per votum ingrediendæ religionis probabilius non dissolvuntur illico sponsalia, sed solum suspenduntur ex parte ipsius voventis. Vide *ibid.*, n. 90.

(165. Per tale votum non dissolvuntur illico ex parte non voventis. Vide *ibid.*, n. 91.

(166. Per votum recipiendi sacros ordines probabilius non dissolvuntur sponsalia ex parte sponsi voventis. Vide *ibid.*, n. 92.

(167. Solvuntur tamen per tale votum ex parte sponsæ. Vide *ibid.*, n. 93.

(168. Votum castitatis emissum in professione religiosa dirimit matrimonium contrahendum. Vide verb. MATRIMONIUM, quoad impedimenta, art. 1, n. 24.

(169. Votum castitatis emissum in susceptione sacrorum ordinum est solum impedimentum dirimens respectu matrimonii contrahendi, attamen non dirimit jam contractum, quamvis nondum consummatum. Vide *ibid.*, n. 25.

(170. Votum autem emissum in professione religiosa, non solum est impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi, sed etiam dirimit jam contractum nondum consummatum. Vide *ibid.*, n. 26.

(171. Episcopi regulares non absolvuntur a votis essentialibus, sed solum eximuntur quoad aliquos effectus paupertatis, et obedientiæ juxta decentiam status. *Vide* verb. EPISCOPUS, art. 7, n. 2.

(172. Episcopi regulares illarum religionum, quæ ultra tria vota essentialia omnibus communia, emittunt aliud quartum votum essentiale, ut est votum vitæ quadragesimalis apud Minimos, tenentur

Digitized by Google

etiam ad illud, nisi speciabiter a Sede Apostolica dispensentur. Vide *ibid.*, n. 3.

(173. Regulares a religione ejecti, et in sæculo remanentes tenentur ad vota essentialia religionis. *Vide* verb. EJICERE, EJECTI, n. 49.

(174. Advertendum tamen est, quod licet in ejectis perseveret plena obligatio castitatis, obligatio tamen paupertatis, et obedientiæ suspenditur quoad exsecutionem et observantiam multorum, juxta capacitatem sui status. Vide *ibid.*, n. 50.

(175. Similiter obligatio aliorum votorum supra tria essentialia in aliquibus religionibus emitti solitorum, aliarumque regularium observantiarum proprii instituti, etiam sub mortali præceptarum, suspenditur quoad illa, quæ pugnant cum statu, in quo reperiuntur, et perseverat, quoad illa, quæ compatiuntur cum eorum statu. Vide *ibid.*, n. 51.

(176. Etiam contraria opinio quoad hæc est probabilis. Vide *ibid.*, n. 52.

Nota Rom. theol.

Nil probabilitatis in hac opinione appareret, cum prior opinio omnino vera videatur.

Responsio auctoris.

Licet hanc opinionem non sequar ego, cum sim pro contraria sententia, ut apparet ex conclusione numero immediate antecedenti tradita; subjungo solum, quod dicta opinio sit etiam probabilis, ex quo illam non spernendis rationibus defendant magni nominis doctores, Sanchez, Diana, Barbosa, Layman, Lezana, Navarrus, et alii. * Ex quo tamen opinio aliqua a nonnullis doctoribus ejus generis, quales sunt laudati, etiam non spernendis rationibus defendatur, non idcirco vere probabilis est, si contraria gravioribus auctoritatis rationisque momentis nitatur *.

(177. Alia ad rem. *Vide* verb. LEGATUM, verb. MONIALES, art. 2; verb. REGULARIS PROFESSIO, verb. REGULARES.

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt votorum obligationis cessationem.

Præstat sequentia evolvere.

(1. Votorum obligatio cessat, seu tollitur generatim loquendo quatuor præcipue modis. Videlicet per exstinctionem, per irritationem, per dispensationem et per commutationem. Sic in re communis doctorum. Votorum obligatio cessat, et exspirat, seu tollitur *per exstinctionem*. (2. Primo, quando cessat causa finalis, et principalis voti, cessante enim fine principali voti, cessat ipsius voti obligatio : com. arg. cap. *Cum cessante* 60, De appellationib. Unde si quis v. g. voveat dare quotidie Francisco pauperi obolum pro sublevanda ejus inopia, et Franciscus interim evadat dives, aut non amplius egeat tali obolo, cessat, seu exspirat dictum votum, cum cesset finis totalis dicti voti. Item si quis voveat Lauretanam peregrinationem ad obtinendam valetudinem sui filii, et interim filius moriatur, exstinguitur penitus ejus votum, et sic de similibus.

(3. Secundo, cessat et exstinguitur totaliter obligatio voti, quando non impletur conditio apposita. *Communis*. Unde qui vovit v. g. jejunium, eleemosynam, et hujusmodi, si talem dignitatem, si tale beneficium obtinuerit, hoc non obtento, ad votum non tenetur : actus enim sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum ; arg. § *Sub conditione* 4, institut. *De verbor. obligat.*, et l. *Unica*, § *Sin autem*, cod. *De caducitat. tollend.* Suspenditur enim ejus valor usque ad eventum conditionis, l. *Is cui*, ff. *De actionib. et obligationib.*, l. *Legata sub conditione*, ff. *De condition. et demonstrat.* ; et ratio est, quia actus agentium non operantur ultra intentionem et voluntatem eorum, l. *Omnis* 19, ff. *De rebus creditis*, Si certum petatur, et De condictione.

(4. Tertio, cessat et exstinguitur obligatio voti quando materia ex possibili fit impossibilis, ex licita illicita, ex bona indifferens, aut majoris boni impeditiva : *Communis*, per text. in l. *Pluribus* 140, § 2, ff. *De verbor. obligationib.*, ibi : « Et si placeat exstingui obligationem, si in eum casum inciderit, a quo incipere non potest ; » et l. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. Jur.*, ibi : « Impossibilium nulla est obligatio, » et cap. *Nemo potest* 6, De regul. Jur. in 6, ibi : « Nemo potest ad impossibilia obligari. » De jure enim illud tantum possibile, et fieri posse censetur, quod licite fieri potest, can. *Fraternitatis* 15, caus. 22, quæst. 2, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Quod potest*. (5. Imo votum conceptum de re impossibili, aut illicita non obligat, etiamsi postea fiat possibilis, aut licita, textu expresso in l. *Quod initio* 29, De regul. juris, cap. *Non firmatur* 18, De regul. juris in 6, ibi : « Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. »

(6. Quarto, cessat et exstinguitur obligatio, quando postea tam notabilis rerum mutatio accidit, vel specialis, vel inopinatus casus occurrit, ut rationabiliter præsumi possit voventis intentionem, ad ejusmodi eventum, sive casum specialem non se extendisse, sed excepturum fuisse, si in mentem venisset aut de eo interrogatus fuisset. Actus enim agentium non operantur ultra intentionem et voluntatem eorum ; l. *Non omnis* 15, ff. *De rebus creditis*, Si certum petatur, et De condictione. Sic Communis doctorum, arg. cap. *In generali concessione* 71, De regul. juris, in 6, leg. *Alumnos* 1, c. *Quæ res pignori obligari possint*, cum similibus. Unde qui vovit certa jejunia, etc. superveniente postea gravi et incurabili infirmitate, senectute, etc. non obligatur ad impletionem voti ; quia sicuti gravis et incurabilis infirmitas, et senectus excusat ab obligatione præcepti ecclesiastici de jejunio, ita etiam excusat ab observatione jejunii promissi. Item qui vovit magnam eleemosynam, ecclesiam, seu altare ædificare, superveniente postea inopinata gravi depauperatione, non obligatur ad votum durante tali paupertate, cum adimpletio voti pro

Digitized by Google

tunc sit moraliter impossibilis; obligaretur autem ad dictum votum, si postea ad meliorem fortunam rediret, cap. *Quod super* 8, § *Unde credimus distinguendum*, De voto. Et id etiam in civilibus debitis observandum esse expresse statuitur in § *Ultimo Instit.*, De actionibus, l. *Is qui* 4, et l. *Qui bonis, suis* 6, ff. *De cessione bonorum*, cum similibus.

(7. Quinto, cessat et exstinguitur obligatio voti, quando est jam elapsum tempus, quod vovens determinavit ob specialem devotionem, seu circumstantiam talis temporis, et sic illud determinavit causa obligationis restringendæ et finiendæ. *Vide* supra, art. 1, n. 57. Secus autem quando determinavit tempus, non intuitu ad ipsum tempus, nec ob specialem devotionem, seu circumstantiam talis temporis, sed solum ratione ipsius voti adimplendi. Vide *ibid.*, n. 58.

(8. Sexto, cessat et exstinguitur ipso jure omne votum sive reale, sive personale, sive in sæculo, sive in novitiatu emissum etiam reservatum Summo Pontifici, eo ipso quod quis in religione approbata solemnem professionem emittit, quamvis vovens nullam habeat tunc intentionem illud commutandi, et de hoc nihil penitus cogitet. Habetur clare ex cap. *Scripturæ* 4, *De voto*, et sic tenent Sanchez, lib. v *Moral.*, cap. 5, n. 38 et seq.; Felix Potest., tom. I, p. II, n. 1920 et seq.; Pirrhing, lib. III *Decretal.*, tit. 34, n. 27 et seq. et ipso teste, alii communiter.

(9. Non exstinguuntur tamen per professionem religiosam vota realia a tertio acceptata, quia acceptatio facit ea transire in contractum, per quem jus parti acquiritur. Unde non est Deo gratum obsequium, si quid ei promittitur cum præjudicio juris alterius, seu injuria erga alium, ob quam causam talia vota neque per communicationem, vel dispensationem ordinarie relaxari possunt. *Communis.*

(10. Irritatio voti (quæ est secundus modus, per quem tollitur obligatio votorum) est ablatio obligationis ejusdem facta per personam facultatem dominativam in voventem vel in materiam voti habentem. Est in re communis.

(11. Irritatio differt a dispensatione, quia irritatio est ablatio obligationis voti facta nomine proprio per potestatem dominativam; dispensatio vero est ablatio obligationis voti facta nomine alieno per potestatem jurisdictionis, in quantum scilicet nomine Dei, qui potestatem jurisdictionis dat quibusdam personis ecclesiasticis ad tollendam cum justa causa voti obligationem, ea jurisdictione tales personæ ad id utuntur. Item quia irritatio fieri potest etiam a persona laicali, dispensatio vero solum a persona ecclesiastica. Item quia irritatio sine justa causa est quidem illicita, sed tamen valida, cum fiat ratione dominii, et nomine proprio; vota enim emittuntur cum tacita conditione consensus personæ habentis in voventem, aut in rem votam dominium; dispensatio autem sine justa causa, nedum est illicita, sed etiam invalida, cum fiat solum ratione jurisdictionis, et nomine Dei, qui non approbat solutionem voti sine justa causa factam. *Vide* infra num. 59.

(12. Irritatio et dispensatio differunt a commutatione, quia irritatio et dispensatio pura et propria tollunt penitus omnem obligationem indirecte, vel directe profectam ex voto; commutatio vero non tollit omnem obligationem, sed relinquit obligationem faciendi aliquid loco illius, quod remissum fuit, ut patet ex infra dicendis de commutatione. Dicitur autem notanter dispensatio pura et propria ad distinctionem dispensationum matrimonialium, aliarumque similium, quæ vel a dataria, aut a pœnitentiaria Romana solent expediri, quia istæ non sunt puræ dispensationes, sed mistæ cum commutatione, et sæpe valde onerosa, ut eas legenti patet.

(13. Irritatio est duplex, directa, et indirecta. Irritatio *directa* est illa, quæ fit per personam habentem potestatem dominativam in voluntatem voventis; irritatio vero *indirecta* est illa, quæ fit per personam habentem potestatem, seu jurisdictionem non in voluntatem voventis, sed solum in materiam voti. Sic in re communis doctorum.

(14. Unde vota directe irritare, est, personam habentem potestatem dominativam in voluntatem voventis velle, et pronuntiare ut illius vota nulla taliter sint, ut nullo unquam casu eorum obligatio postea reviviscat, quia sunt exstincta in radice. Irritare autem vota indirecte nihil aliud est, quam personam habentem potestatem in materiam voti, ejus obligationem suspendere (in quantum suo juri præjudicatur) donec desinat ipse præjudicium afferre. Nemo enim potest alteri promittere aliquid in præjudicium tertii. Unde vota indirecte tantum irritata reviviscunt, quando desinunt præjudicium afferre: sicque eorum obligatio non est in perpetuum ablata, sed solum ad tempus suspensa. *Vide* infra, n. 56.

(15. Vota directe irritare possunt omnes, et soli illi, qui habent potestatem dominativam in voluntatem voventium: *Communis*, arg. cap. *Puella* 2; caus. 10, q. 2; cap. *Mulier* 4, caus. 33, q. 2; cap. *Manifestum est* 11, caus. 33, q. 5; cap. *Si quis* 2, De regularibus, cum similibus.

(16. Hinc pater potest irritare directe omnia vota etiam castitatis, et religionis a filiis impuberibus emissa; *Communis*, per text. in cap. XXX *Numer.*, cap. *Puella* 2, caus. 10, q. 2, ibi: « Puella si ante 12 annos ætatis sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim parentes ejus, vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. At si annum et diem dissimulando consenserint, ulterius nec ipsi, nec ipsa mutare hoc poterunt; » c. *Mulier* 14, caus. 32, q. 2; c. *Manifestum est* 11, caus. 33, q. 5, c. *Si quis* 2, De regularibus, cum similibus. Et ratio est, quia filii impuberes in illa tenera ætate ob rationis, judicii et discretionis imbecillitatem, patris voluntate et auctoritate de ipso jure naturæ regendi sunt, adeoque in omnibus eorum votis, juramentis, pactis, ac promissionibus quibuscunque semper

Digitized by Google

intelligenda est tacita hæc conditio : Si pater consentiat, aut non contradicat.

Nota Romani theologi.

* En verba, quæ habentur caus. 20, quæst. 2, can. *Puella* : « Puella si ante 12 ætatis annos sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim parentes ejus, vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. At si annum, et diem dissimulando consenserint, ulterius nec ipsi, nec ipsa mutare hoc poterunt. »

Responsio auctoris.

Poterat theologus totum integrum rescribere illum can. *Puella*, prosequendo ut ibi, nempe : « Si vero in fortiori ætate adolescentula, vel adolescens servire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi. » Ubi ly *in fortiori ætate* explicat Glossa, id est *post annos pubertatis*. Cum enim ego in mea conclusione loquar de votis emissis a filiis impuberibus, et pubertas non eodem tempore incipiat in feminis, et in masculis; in illis scilicet incipiendo ut plurimum post annos duodecim completos, et in istis solummodo post annos quatuordecim itidem completos, per text. expressum in leg. ultima, cod. *Quando tutores esse desinant*, ibi : « Jubemus quemadmodum feminæ post impletos 12 annos omnimode pubescere judicentur, et ita mares post excessum 14 annorum puberes existimentur. » Erat etiam referendus reliquis omissis canonis textus, ut sic lectores facilius perciperent hanc differentiam, quod licet parentes possint irritare vota a filiabus emissa ante annos 12 completos, non possunt tamen irritare vota filiorum, nisi fuerint ab ipsis emissa ante annos 14 completos, cum solum in ipsis tali ætate incipiat ordinarie pubertas, et ante ipsos 14 annos completos censeantur adhuc impuberes diversimode ac feminæ, quæ solum ante annos 12 completos censentur ordinarie impuberes, et statim post ipsos habentur ut puberes, ubi filii, ut supra non habentur ut puberes, nisi post 14 annos completos.

(17. Pater potest irritare directe quodcunque votum filii impuberis in ipsa impubertate editum, non solum durante impubertate, sed etiam postea quocunque tempore pubertatis. Dummodo filius factus pubes illud votum non confirmaverit, aut ratificaverit : Reiffenst., lib. III *Decret.*, tit. 34, num. 13; Felix Potest., tom. I, part. II, n. 298&; Sporer, tract. 3, *in 2 præcept. Decalog.*, cap. 2, n. 21, testans de communi cum Navarr., Lessio, Suarez, Sanchez, Gobat, et aliis contra Sotum, et paucos alios. Et ratio est, quia potestas irritativa fundatur in imperfectione ætatis, ac judicii, sub qua fuit votum ab initio emissum, adeoque cum dictum votum ab initio fuerit infirmum, et irritabile, manet tale donec novam aliam firmitatem per confirmationem, seu ratificationem tempore pubertatis acquirat, argum. cap. *Non firmatur* 18, De regulis juris in 6, ibi : « Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit. »

(18. Ut autem confirmatio, seu ratificatio voti in pubertate facta novam et veram obligationem inducat, ita ut a patre amplius irritari non possit, tria requiruntur : primum, ut pubes ratificans, seu confirmans votum vere sciat, votum prius a se in impubertate editum, infirmum fuisse, debile, ac irritabile; secundum, ut pubes velit de novo se obligare firmiter perinde ac si nunquam se obligasset; tertium, ut pubes ita dispositus voce, vel saltem mente votum infirmum ac debile repetat, aut certe approbet : alioquin nisi hæc tria concurrant, manebit præteritum ejus votum prorsus eo modo, quo antea erat, et ipsa confirmatio, seu ratificatio, dicetur sola ejusdem præteriti voti renovatio, seu repetitio, quæ novam obligationem non inducit, sed votum, uti erat prius, relinquit; cum similis renovatio, seu repetitio nihil aliud sit, quam prius vinculum, uti erat, approbare, et non de novo inducere, et suscipere : Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 14 et 15; Sporer, *loc. citat.*, num. 22; Tambur., lib. III, cap. 18, num. 15, *De obligatione voti;* Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 1984, testans de communi, Gobat, *De votis*, cap. 6, num. 176, ubi affert ad id singularem casum merito ibi legendum.

(19. Si quis vero immemor sui voti infirmi, debilis, et irritabilis, verb. grat. castitatis perpetuæ in impubertate editi, votum castitatis perpetuæ post pubertatem emittat, tunc tale votum erit omnino firmum, et reservatum, nec a patre irritari poterit; quia est votum omnino a priori distinctum, et independens ab illo, cum pro tempore, quo vovens emittit posterius, nullimode recordetur prioris. *Communis.*

(20. In defectu patris vota filii impuberis, seu pupilli potest directe irritare tutor, quia tutor respectu pupilli loco patris succedit. *Communis.* Et in defectu patris et tutoris vota filii impuberis potest directe irritare mater, etiamsi tutrix non sit, quia in defectu patris, tutoris ac ascendentium ad matrem ipso jure naturæ hæc cura spectat, ut filium loco patris gubernet, eique loco tutoris sit, quando alius non est, qui imbecillitati impuberis consulat : Suar., *De vote*, lib. VI, cap. 6, n. 22; Henno, tom. I, tract. *in Decalog.*, disp. 2, q. 5, conclus. 2, resolut. 8; Layman, lib. IV, tract. 4, cap. 7, n. 10; Sanch., lib. V *Moral.*, cap. 35, n. 81; Busemb., lib. III, part. I, cap. 3, dub. 6, art. 1, n. 1; Sporer, *loc. cit.*, n. 24, et alii : quamvis tamen plures alii non improbabiliter velint, non posse matrem directe irritare vota filii impuberis, nisi sit tutrix; unde recte ait Henno, *l. c.*, quod mater tutius ageret, si tunc postularet a judice designari filiorum tutrix.

* Inter eos qui negant a matre vota filii impuberis irritari posse, quorum sententiam in praxi sequendam censemus, est Antoine in tractatu *De virtute religionis*, cap. 3, quæst. 8, resp. 1, ubi addit : « Multi docent eadem vota impuberum a patre irritari posse tempore pubertatis, quia vota illa per tractum temporis non amiserunt hanc suam conditionem, *nisi pater contra-*

Digitized by Google

dixerit, sed semper manent subjecta patri, idque expedit ad subveniendum indiscretioni liberorum. Sed juxta varios, id jam non potest tutor; quia eo ipso, quod pupillus fit pubes, tutor fit curator, cui persona pupilli, seu minoris non committitur, sicut tutori : at pater semper manet pater. »

(21, 22. Vota religiosorum professorum directe irritare possunt præter Papam superiores generales, provinciales et locales. *Communis*, per text. in cap. *Puella* 2, caus. 20, q. 2, c. *Monacho* 2, ead. caus. 20, q. 4; cap. *Mulier*, 14, caus. 32, q. 2; cap. *Manifestum est* 11, caus. 33, qu. 5; cap. *Si quis* 2, De regularib., cum similibus. Et ratio est, quia cum religiosi non habeant nec velle, nec nolle, et omnino dependeant a voluntate suorum superiorum, ut expresse habetur in cap. *Si religiosus* 27, De election. in 6, cap. *Religiosus* 2, De testamentis in 6, cap. *Religiosi* 5, De sepulturis in 6, in omnibus eorum votis, ac promissionibus quibuscunque ex communi sensu, et usu Ecclesiæ, ac interpretatione juris intelligitur semper tacita conditio : *Nisi superior contradixerit*. Unde in cit. cap. *Monacho* 2, caus. 20, qu. 4, expresse dicitur : « Monacho non licet votum vovere sine consensu abbatis sui; si autem voverit, frangendum erit. »

(23. Id etiam extenditur probabiliter ad abbatissas, priorissas, seu superiorissas monialium, nam his etiam subditæ vovent obedientiam : Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 9; Sporer, *loc. cit.*, n. 16; Suarez, lib. VI *De voto*, c. 7, n. 19; Busembaum, *loc. cit.*, n. 2; Felix Potest., t. 1, part. 1, n. 1969, et alii plures.

(24. Non possunt tamen superiores regulares irritare vota subditorum transeundi ad religionem strictiorem, quia quoad hunc transitum religiosi sunt subditi tantum Summo Pontifici, cum talis transitus sit eis etiam invitis suis superioribus de jure concessus, textu expresso in cap. *Licet* 18, De regularibus. Sic communis doctorum.

(25. Nec prælatus inferior potest directe irritare votum subditi a prælato majore ratificatum : *Communis*, arg. cap. *Inferior* 4, dist. 21, cap. *Cum inferior* 16, De majorit. et obedient., Clement. *Ne Romani*, De elect. Bene tamen e contra votum ex licentia superioris subordinati emissum directe irritari potest a superiore majore, cum subditus, et superior subordinatus teneatur se semper conformare voluntati superioris majoris.

(26. Nec possunt superiores regulares directe irritare vota novitiorum tam personalia, quam realia, sive in ipso novitiatu, sive antea emissa. *Communis*. Et ratio est, quia novitii nondum per votum obedientiæ sunt subjecti potestati dominativæ superiorum quoad voluntatem et actiones suas, sed absolute sunt sui juris. Unde superiores possunt solum dictorum novitiorum vota irritare indirecte, vel potius suspendere, quatenus eorum gubernationi, et exercitiis probationis, pro quibus se dictis superioribus sponte subjiciunt, impedimento et præjudicio sunt. (27. Hinc si novitii a religione egrediantur, reviviscit obligatio dictorum suorum votorum, cum per dictam irritationem indirectam non fuerint extincta, sed solum pro interim suspensa; si vero professionem solemnem emittant, omnia eorum vota personalia, sive in sæculo, sive in novitiatu emissa penitus exstinguuntur, juxta dicta supra n. 8, et realia, sicut alia debita ad hæredes transeunt, præsertim si fuerint a tertio jam acceptata, cum acceptatio faciat ea transire in contractum, per quem jus parti acquiritur. Unde ipsa vota realia a tertio acceptata non exstinguuntur per professionem religionis, juxta dicta supra n. 6; et tenent Pirrhing, lib. IV *Decretal.*, tit. 34, n. 28; Sporer, *loco cit.*, n. 28, et alii passim.

(28. Qui habet facultatem irritandi vota directe per potestatem dominativam in ipsam personam, vel voluntatem voventis, ut superior respectu religiosi, pater respectu filii, tutor respectu pupilli, potest valide irritare dicta vota, quamvis de ejus licentia et approbatione fuerint emissa. *Communis*. Et ratio est, quia dando licentiam præsenti consensu non censentur se privasse jure suo, et potestate plene dominativa in ipsam personam, vel voluntatem voventis, cujus vota semper habent annexam conditionem : *Si superior non contradixerit*.

(29. Imo qui habet facultatem irritandi vota directe per dictam potestatem dominativam in personam, vel voluntatem voventis, potest adhuc valide irritare ejus vota, quamvis licentiam vovendi concesserit cum expressa promissione non revocandi, neque irritandi dicta vota permissa, vel quomodolibet approbata, teste Sporer, *loco cit.*, n. 30. Et ratio est, quia, ut dicit ipse Sporer, superior, vel pater, aut tutor etiam per illam promissionem non se abdicavit, imo non potuit se abdicare sua potestate, quam a natura, vel jure communi habet in religiosum, vel filium, aut pupillum, non obstante etiam illa promissione, adhuc valide irritare poterit : secus autem est dicendum ut infra patebit, de iis, qui indirecte tantum ac ratione materiæ possunt irritare vota aliorum.

(30. Vota emissa de licentia antecessoris superioris, tutoris, etc., possunt directe irritari a successore habente æqualem potestatem, quamvis licentia ab antecessore concessa fuerit cum promissione non revocandi. *Communis*. Et ratio est, quia antecessor non potuit sui æqualis successoris juri præjudicare, cum par in parem non habeat imperium; cap. *Innotuit* 20, De election., § *Quamvis*, cap. *Exiit* 3, De verbor. signific. in 6, § *Cæterum sanctæ memoriæ*.

(31. Vota uxoris posse directe irritari a marito, sicuti directe irritari possunt vota religiosorum a suis superioribus, vota filiorum impuberum a suis patribus, et vota pupillorum a suis tutoribus vere probabiliter defendunt Sotus, Rosella, Angles, Ara-

Digitized by Google

gonius, aliisque citatis: Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 34, n. 3. Et id probabile etiam censent Bonacin., Lessius, Tambur. et alii. Et ratio est, quia voluntas uxoris videtur esse plene subjecta dominio mariti secundum Apostolum, *Ephes.*, cap. V, 22, ibi: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quia vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ;* et ad rem favet lex illa *Num.*, cap. XXX, 11, ibi: *Uxor in domo viri sui cum se voto obstrinxerit, vel juramento, si audierit vir ejus, et tacuerit, nec contradixerit sponsæ, reddet quodcunque promiserat; sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea, quia maritus contradixit.*

(32. At vero communior, et probabilior est sententia contraria, quam defendunt Innocentius in c. *Scripturæ*, De voto; Suarez, lib. VI, *De voto*, cap. 4; Layman, lib. IV, tract. 4, cap. 7, n. 12; Reiffenstuel, lib. II *Decr.*, tit. 34, n. 17; La Croix, lib. III, part. I, n. 493; cum S. Antonin., Navarr., Azor., Valent., Lessio, Bonac., Castropal., Illsung et aliis ibi citatis; Sporer, *loc. cit.*, n. 27, vocans hanc communem. Et ratio est, quia nullo jure probari potest, quod uxores simpliciter, et absolute, in omnibus subjectæ sint maritis, uti subditi religiosi suis superioribus, et filii impuberes parentibus, ac pupilli tutoribus, sed solum in his quæ concernunt et tangunt usum matrimonii, educationem prolis et administrationem familiæ, uti recte observant doctores citati in hoc sensu intelligentes allatos Scripturæ textus pro alia sententia. Nec enim dicendum est, uxores subjici maritis jure naturali, aut gentium, quali voluntas filiorum impuberum subjecta est eorum patribus, et voluntas pupillorum suis tutoribus, quia uxores longe majorem rationis discretionem obtinent, quam impuberes; alioquin si ipsæ non essent uxoratæ, semper tutoribus essent subjiciendæ quasi perpetuo impuberes, quod non est dicendum. Nec dicendum est ipsas sic subjici suis maritis jure positivo, cum nullum tale jus reperiatur; unde mariti non possunt irritare vota uxorum directe, sed solummodo indirecte, ut infra dicetur.

(33. Domini nequeunt vota servorum irritare per se directe, sed solum indirecte, et per accidens, quatenus obligationi servitutis, et famulatus, ac juri, quod in servos habent ipsi domini, officiunt et præjudicant, uti infra patebit. Sic in re communis doctorum.

(34. Papa nequit directe irritare vota Christianorum: Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 24, n. 17; Castropal., d. 2, part. II, n. 2; Leander, *De voto*, tract. 1, disp. 16, § 2, quæst. 8; Layman, lib. IV, tract. 4, cap. 7, nu. 8, cum aliis ibi citatis; La Croix, lib. III, part. I, num 484, et ipso teste alii communiter. Et ratio est, quia Papa non habet potestatem dominativam in omnes Christianos, cum hæc non sit ei necessaria ad Ecclesiæ catholicæ gubernationem, sed ei sufficit potestas suprema jurisdictionis, media qua pro exigentia Ecclesiæ regiminis potest vota fidelium dispensare, vel commutare, seu eorum executionem impedire per potestatem præceptivam, aut saltem valorem votorum impedire antequam fiant, alioquin nullus homo posset se obligare alteri homini, nisi sub conditione: *si Papa consenserit*, quod non est dicendum; unde Papa potest solum ipsa vota Christianorum irritare indirecte ratione materiæ, ut infra dicetur.

(35. Neque Papa potest directe irritare vota clericorum sæcularium, quia neque in illos habet potestatem dominativam, sed solum indirecte, quatenus Ecclesiæ bono, cujus ille supremam jurisdictionem habet, ac curam gerit, præjudicium afferre possunt, uti infra patebit. *Communis.*

(36. Potest tamen Papa directe irritare vota religiosorum et monialium. *Communis.* Et ratio est, quia Papa est omnium caput, et regularium omnium etiam prælatorum generalis, ac supremus prælatus, et superior, cui principaliter religiosæ obedientiæ professio concipitur, et nomine, ac concessione illius a superioribus regularibus acceptatur, adeoque cum sic potestatem dominativam habeat in omnes religiosos, poterit directe eorum vota irritare.

(37. Vota indirecte irritare possunt omnes, qui ipsa possunt irritare directe. *Communis;* cui enim licet quod est plus, licet utique quod est minus, textu expresso in c. *Cui licet* 53, De regul. jur. in 6, et plus semper in se continet, quod est minus, cap. *Plus* 35, De regul. juris in 6, l. *In eo quod plus* 110, ff. *De reg. juris.* Et ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur, textu expresso in cap. *Ex parte* 27, De decimis.

(38. Unde Papa potest irritare indirecte, nedum vota religiosorum, et monialium, et clericorum sæcularium circa res ecclesiasticas, et circa concernentia ad illas, sed etiam vota aliorum omnium Christifidelium ratione materiæ, quatenus potest per potestatem præceptivam votorum executionem impedire in quantum Ecclesiæ bono, cujus ille supremam habet jurisdictionem, et curam gerit, præjudicium afferre possunt. *Communis.*

(39. Episcopi, aliique ecclesiastici prælati possunt indirecte irritare vota suorum subditorum, quando materia illis præjudicat in eorum regimine, gubernatione, et administratione. *Communis.*

(40. Superiores et superiorissæ regulares possunt indirecte irritare vota simplicia religiosorum, et religiosarum præjudicantia suæ jurisdictioni, regimini ac disciplinæ regulari. *Communis.* (41. Imo nedum religiosorum professorum, sed etiam novitiorum vota indirecte irritare possunt in iis, quæ eorum gubernationi, et exercitiis probationis, seu novitiatus adversantur. *Communis.*

(42. Pater indirecte irritare potest vota filiorum puberum etiam post pubertatem emissa, quatenus præjudicant liberæ patris potestati in libera et expedita familiæ,

Digitized by Google

rerumque suarum administratione. Non sic autem vota filiorum puberum, quæ potestati et gubernationi paternæ non præjudicant ullo modo, quamvis dicti filii puberes sint adhuc sub patria potestate. Unde licet pater possit irritare vota filiorum de longis peregrinationibus, de multis jejuniis, de dando eleemosynam ex bonis paternis, etc., ex quibus oriri potest præjudicium paternæ potestati in familiæ regimine, et rerum suarum administratione; non tamen irritare potest filiorum puberum vota religionis, castitatis, sacrorum ordinum, confessionis, et communis menstruæ, nec vota de dando eleemosynam de suis bonis castrensibus, ac quasi castrensibus, si quæ habeant. *Communis.*

(43. In defectu patris potest vota filiorum puberum indirecte irritare curator: curator enim loco patris succedit; unde potest vota minoremnium concernentia bona temporalia, vel præjudicantia administrationi suæ irritare. *Communis.*

(44. In defectu patris, vel curatoris potest vota filiorum puberum indirecte irritare mater, quamvis ipsa non institueretur curatrix, quia in defectu patris, curatoris, ac ascendentium, ad matrem ipso jure naturæ hæc cura spectat, ut filios loco patris ac curatoris gubernet, adeoque ipsa, sicuti curator, indirecte irritare poterit vota realia filiorum puberum suæ gubernationi præjudicantia: Tambur., lib. III, cap. 16, § 3, num. 23; Henno, tom. I, disp. 2 *in Decalog.*, q. 3, art. 4, concl. 2, resol. 8; Sporer, *loco. cit.*, num. 24; Busemb., *loc. cit.*, art. 2, n. 1, et alii contra alios volentes non improbabiliter non posse matrem indirecte irritare vota filiorum puberum, nisi instituta sit eorum curatrix; unde recte ait Henno, *loc cit.*, quod mater tutius ageret, si tunc postularet a judice designari filiorum puberum curatrix. Atque hæc quidem sententia in praxi est sequenda.*

(45. Maritus potest indirecte irritare uxoris vota, quæ ratione materiæ præjudicant familiæ, proli, debito conjugali, aut rei domesticæ: *Communis* ac certa, arg. cap. *Si dicat* 1, cap. *Mulier* 3, cap. *Quod Deo* 4, caus. 33, q. 5, cum similibus. Et ratio est, quia mulier subjecta est potestati mariti in debito conjugali; sicuti etiam in iis, quæ rectam familiæ gubernationem, et rei domesticæ administrationem concernunt, juxta illud *ad Ephesios* v, ibi: *Mulieres viris suis subjectæ sint sicut Domino*; et concordat cap. *Mulierum* 17, et cap. *Adam* 18, caus. 33, qu. 5, cum similibus. (46. Dummodo tamen talia vota fuerint ab uxore tempore matrimonii emissa, quia vota ante illud edita potest quidem maritus suspendere, si rectæ familiæ gubernationi, ac rei domesticæ administrationi præjudicent, non tamen penitus irritare. *Communis.* (47. Item nec potest maritus irritare vota illa ab uxore etiam tempore matrimonii edita, quæ supradictis nullum præjudicium afferunt, ut sunt vota non ludendi, sacramenta frequentandi, moderate jejunandi, eleemosynas de bonis paraphernalibus faciendi, etc. *Communis. Vide* verb. MARITUS, numer. 3, 4 et 5.

(48. Uxor potest indirecte irritare vota sui mariti juri matrimoniali, et mutuæ cohabitationi præjudicialia, v. g. abstinentiam immoderatam, preces continuas, longam peregrinationem; nisi tamen esset peregrinatio Hierosolymitana in subsidium Terræ Sanctæ, quæ expresse excipitur in cap. *Ex multa* 9, De voto. Item uxor potest irritare votum mariti de suscipiendo habitu eremitæ, seu tertii ordinis alicujus religionis, et hujusmodi, quia illa, et similia impediunt, vel retrahunt uxorem a debiti petitione. *Communis.* Et ratio est, quia uxor in his potestatem habet in maritum, juxta illud Apost. *I Cor.* VII, ibi: *Vir potestatem sui corporis non habet, sed uxor.*

(49. Si maritus et uxor ex mutuo consensu emittant votum continentiæ, non potest amplius nec mutua, nec alterius conjugis contradictione irritari. *Communis*, per clarum textum in cap. *Quod Deo* 4, caus. 33, qu. 5, ubi ex verbis S. Augustini sic expresse habetur: « Quod Deo pari consensu voveratis, perseveranter usque in finem reddere debuistis, a quo proposito, si ille lapsus est, tu saltem instantissime persevera ». Et ratio est, quia sic uterque in ordine ad debiti petitionem, aut redditionem juræ suo cessit, cui juri uterque potuit libere cedere, cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare, textu espresso in cap. *Si de terra* 6, De privileg., et l, *Si quis in conscribendo* 29, c. *De pactis.* Unde in tali casu solum per legitimam superioris dispensationem ad debiti petitionem et redditionem restitui possunt in casu urgentis necessitatis.

(50. Domini irritare possunt indirecte solum illa servorum vota, quæ præjudicant obligationi servitutis, et famulatus, ac juri, quod in ipsos servos domini habent; non autem illa, quæ nullatenus eorum obsequio, famulatui, aut juri officiunt, uti sunt vota servandi castitatem, frequentandi sacramenta, eleemosynas de proprio peculio faciendi, et hujusmodi. *Communis.* Et ratio est, quia præcise in rebus servitium, ac obsequium concernentibus, domini et dominæ dominantur servis et ancillis. (51. Vota servorum edita ante servitutem, seu durante servitute, implenda tamen, seu implebilia post servitutem, suspenduntur quidem durante servitute, at finita servitute sine dubio convalescunt, et servanda sunt; unde a dominis irritari non possunt. *Communis.*

(52. Ad voti irritationem validam nulla requiritur causa, ad licitam autem aliqua justa causa requiritur. *Communis.* Et ratio primæ partis est, quia in voto inferioris intelligitur semper tacita conditio *si superior consenserit*; unde ubi ille dissentit, votum evanescit. Ratio vero secundæ partis conclusionis est, quia unusquisque tenetur uti potestate sibi concessa ad Dei gloriam; Dei autem gloria postulat, ut votum non

Digitized by Google

irritetur sine justa aliqua causa, cum Deus sit per votum illud colendus adeoque, etc. (53. Unde si sine ulla penitus causa (quæ etiamsi levis, posset sufficere) irritatur votum, tam superior irritans, quam inferior irritationem exigens, peccant ad minus venialiter, quia auferunt Deo cultum per illud votum ipsi exhibendum. (54. Si autem superior votum cum sua licentia aut approbatione ab inferiore emissum sine ulla justa causa irritet, tam ipse, quam inferior talem irritationem postulans peccat graviter, et maxime si præcesserit promissio non revocandi. Colligitur clare ex num. 30, ubi de viro, qui taciturnitate sua voto uxoris consensum dat, et postea contradicit, seu illud irritat, expresse dicitur, *portabit ipse iniquitatem ejus*, id est, ut explicant Lyranus, Abulensis, Oleaster, et alii, *pœnam iniquitatis*, per quam intelligitur peccatum grave, cum veniale non soleat venire nomine iniquitatis.

NOTA ROM. THEOL.

* Sanctus Thomas 2-2, q. 88, art. 12, inquit : « Omnis dispensatio petita a prælato, debet fieri in honorem Christi, in cujus persona dispensat, et ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est ejus corpus. » Atque hinc vide, num levis causa sufficiat ad irritanda vota. Cederet ne id in honorem Christi, et in ædificationem Ecclesiæ?

RESPONSIO AUCTORIS.

Sanctus Thomas loquitur ibi de dispensatione : « Omnis dispensatio.... in cujus persona dispensat. » Ego vero, *loc. cit.*, loquor de irritatione, et magna intercedit differentia irritationem inter et dispensationem, ut assigno in hoc ipso articulo sub num. 11 et 59. Vide ibi, et cohærenter conclude. * Mihi vero hoc unum ex discrimine inter irritationem ac dispensationem concludi posse videtur, irritationem validam esse, etiamsi sine causa fiat, non vero non esse illicitam, si fiat ex levi causa, aut venialiter tantum peccare qui irritet ex causa levi, aut irritationem petat. « Qui vota irritandi potestatem habent, inquit Antoine, *loc. cit.*, resp. 3, illa valide irritant etiam sine justa causa. Peccant tamen si sine causa faciant, cum sit abusus potestatis contra bonum proximi, et honorem Dei. » Et Cuniliati tract. 4, De II Decal. præcept., cap. 10, § 5, num. 7 : « Si gaudens potestate irritandi votum, irritet absque rationabili causa, juxta omnes peccat saltem venialiter; et juxta probabiliorem Cajetani, Navarri, Aragonii, si res sit notabilis, etiam mortaliter; quia in re gravi abutitur potestate sua in præjudicium divini cultus, et utilitatis spiritualis proximi. »

(55. Vota per se directe irritata per potestatem videlicet dominativam in ipsam voluntatem voventis, ut vota religiosi irritata a prælato, vota filii impuberis irritata a patre, vota pupilli irritata a tutore non reviviscunt, postquam vovens a potestate irritantis liberatus est : sunt enim talia vota exstincta in radice, ut dictum est supra num. 14. Sic communis doctorum. Vota autem irritata solum indirecte ratione materiæ, uti sunt vota novitii, filii impuberis, minoremnis, uxoris, servi, irritata a prælato, patre, curatore, marito, domino, etc., manente re integra, omnino reviviscunt, postquam vovens a potestate irritantis liberatus est. Sic Innocentius in c. Scripturæ, De voto; Suarez, lib. VI *De voto*, cap. 1, nu. 4, et cap. 4, num. 17; Rosella, verb. *Votum* 2, num. 13; Valentia, t. III, disput. 6, q. 6, p. VI, difficul. 4; Lessius, lib. II, cap. 40, dub. 10, num. 82; Layman, *loco cit.*, cap. 7, num. 19; Busemb., *loco cit.*, art. 2, n. 8; Felix Potest., *loc. cit.*, num. 1973; Sporer, *loc. cit.*, num. 35, et alii plures contra Panormitan., Cajetan., Aragon., Silvestrum, Navarrum, et alios. (56. Et ratio nostræ conclusionis est, quia vota indirecte irritare, ut dictum est supra num. 14, nihil aliud est, quam personam habentem potestatem in materiam voti, ejus obligationem suspendere (in quantum suo juri præjudicatur) donec desinat ipsi præjudicium afferre; ergo postquam vovens a potestate talis personæ irritantis liberatus est, ejus vota indirecte solum irritata quoad obligationem reviviscunt, cum eorum obligatio non sit in perpetuum ablata, sed solum ad tempus suspensa, durante nimirum subjectione, et obligatione voventis ad certa obsequia præstanda dictæ personæ irritanti, adeoque cessante hac obligatione, vota ejus antea impedita, seu suspensa, omnino reviviscunt, cum cessante ratione, et causa legis, vel obligationis, cesset lex, seu obligatio ipsa, leg. *Adigere* 9, § 2, ff. *De jure patron.*, et cessante causa, cesset effectus; cap. *Cum cessante* 60, De appellat.

(57. Tum quia nostra conclusio deducitur clare ex c. *Quidam* 3, De conversione conjugator., ubi habetur, maritum, qui invita uxore religionem professus, et ab ea revocatus fuerat, postea, uxore mortua, ad religionem quidem compellendum non esse, quia professio irrita fuit repugnante uxore, nihilominus a debito petendo, et secundis nuptiis arcendum esse; quia nimirum in professione religionis, et si alias defectu consensus uxoris irrita, votum continentiæ virtualiter seorsim obligans manebat, ibi : « Ulterius vero non poterit uxorem accipere, promisit enim se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat, et imo quoad votum (scilicet continentiæ) tenuit. Unde Glossa, ib., verb. *Non exigere*, sic expresse habet : « Quia quantum ad continentiam servandam satis solemnizavit ipsum votum per suam professionem; » idipsum habetur in cap. *Placet* 12, eod., de uxore, quæ ignorante marito ab ipsa credito mortuo, religionem professa, et ab ea revocata fuit a marito, postea domum reversa, et a Summo Pontifice declarata fuit obligata ad votum continentiæ post obitum mariti, ibi : « Quantum ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desiit, cum ad eum casum, a quo poterat efficax habere principium,

Digitized by Google

pervenisse noscatur. » Unde sic dicendum est de similibus, ut si v. g. novitius voveat omni tempore vitæ suæ quotidie invisere sacellum B. Mariæ Virginis erectum in cathedrali, filius pubes, ac minorennis quotidie reficere quinque pauperes, uxor jejunare ter in qualibet hebdomada, servus, vel ancilla abstinere ab operibus servilibus die sancti sui nominis, postquam dicti voventes a potestate irritantis liberati fuerint, redibit obligatio sui respectivi voti : « Cum ad eum casum, a quo poterat efficax habere principium, pervenisse noscatur, » ut expresse dicitur in cit. cap. *Placet* 12, De voto, et voti redemptione.

(58. Dispensatio voti (quæ est tertius modus, per quem tollitur obligatio votorum) est ablatio, seu remissio totalis obligationis ejusdem ob justam, et rationabilem causam facta ab habente spiritualem jurisdictionem in ventem. Est in re communis.

(59. Ex qua definitione, ut vides, clare patet, quod ad dispensationem necessario requiritur aliqua justa, et rationabilis causa, alias dispensatio sine justa, et rationabili causa a quocunque superiore facta, esset potius dissipatio, quam dispensatio, et sic non solum erit illicita, sed etiam invalida, ut testibus Sporer, *loc. cit.*, sect. 3, num. 38; et Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 20, tenent omnes doctores. Et ratio est, quia ubi non adest justa, et rationabilis causa dispensationis, deest potestas, et jurisdictio dispensandi : potestas autem, et jurisdictio dispensandi in votis concessa a Deo Ecclesiæ, seu prælatis ecclesiasticis, est solum cum justa, et rationabili causa, cum data sit *in ædificationem, et non in destructionem*, ut dicit Apostolus *II Cor.* x, 8; et XIII, 10, ubi vero deest conditio, sub qua datur dispensandi potestas, deficit ipsa potestas, consequenter et ipsa dispensatio; arg. leg. *Si quis sub conditione* 8, ff. *Si quis omissa causa*. Unde hæc specialis inter alias intercedit differentia inter dispensationem, et irritationem, quod irritatio, cum nomine et auctoritate propria fiat, est valida, quamvis nulla rationabilis et justa causa votum irritandi adsit; dispensatio autem sine rationabili et justa causa est invalida, quia fit nomine alterius, et quidem superioris potestatem sine justa ac rationabili causa dispensandi nunquam concedentis; adeoque dispensatio sine justa et rationabili causa a quocunque superiore facta, non solum est illicita, sed etiam invalida, quippe excedens potestatem homini collatam a Deo. Vide supra num. 11.

(60. Præcipuæ, justæ, et rationabiles causæ dispensandi in votis sunt quatuor sequentes, ad quas cæteræ aliæ commode reduci possunt. Prima scilicet est imperfecta deliberatio, seu imperfectio actus vovendi, ob quam dispensari potest in votis illorum, qui ea emittunt adhuc in tenera ætate, præsertim ante pubertatem, c. *Venientes* 2, De voto, ibi : « Nos autem ipsum a voto, quod in ætate tenera, facilitate potius, quam ex arbitrio discretionis promisit, absolvimus. » Item ob eamdem causam dispensari potest in votis illorum, qui in ira, tristitia, mœrore, metu, aut alia mentis perturbatione oppressi imprudenter vota emiserunt, quo etiam spectat facilitas, seu levitas vovendi præsertim in feminis.

(61. Secunda justa, et rationabilis causa dispensandi est damnum spirituale, vel temporale occasione voti proveniens, ut si votum, spectata qualitate personæ, ac naturæ fragilitate, periculum majoris ruinæ afferret voventi, et e contra dispensatio ad spiritualem profectum magis cessura videatur : sic juste ac rationabiliter dispensatur votum continentiæ, seu non petendi debitum in persona conjugata, votum castitatis in persona ad carnis lapsum valde proclivi ac fragili, et hujusmodi, cum ab ipsis prudenter timeatur votum sæpissime esse violandum. Item rationabiliter dispensatur cum eo, qui ratione voti multis scrupulis et anxietatibus cruciatur et divexatur. Item juste dispensatur cum illo, qui ex observatione voti notabile damnum patitur in sanitate corporis. Item legitime dispensatur in illis votis, quorum exsecutio affert voventi, vel suis grave aliquod damnum in bonis temporalibus, v. g. si quis non valde dives voverit copiosas eleemosynas, longas peregrinationes, aliaque similia notabiliter gravantia et lædentia se vel suam familiam, arg. cap. *De peregrinationis votis* 1, et cap. *Magnæ* 7, De voto, et voti redemptione.

(62. Tertia justa et rationabilis causa dispensandi est notabilis, et valde magna difficultas exsequendi votum, præsertim superveniens, vel ante non prævisa, ut concedunt omnes. Imo non solum ea quæ prius incognita supervenit, sed etiam ea quæ prius jam fuit prævisa; semper enim multo difficilior apparet res, dum illius instat exsecutio, quam dum remote, et a longe prævidetur. Unde recte ad propositum exclamat Tamburinus, lib. III *in Decalog.*, cap. 16, § 3, num. 28 : « O quoties dum mente et cogitatione tantum præliamur, in quæque magna assurgimus, in quæcunque pericula ruimus, ad quorum tamen primum occursum trepidamus, et terga etiam volentes vertimus. » Sic tenent Abbas, in cap. *Non est* 5, num. 6, *De voto;* Sporer, *loc. cit.*, num. 40; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 23; Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 43, num. 41, et alii.

(63. Quarta justa et rationabilis causa dispensandi est bonum commune, præsertim Ecclesiæ, vel reipublicæ. Sic cum unico hærede alicujus regni, vel ducatus, juste et rationabiliter dispensatur in voto castitatis, et religionis, ut inde nubere possit, si prævideatur, id proficuum esse reipublicæ, quæ alias ob successionem in regnum, vel ducatum plurimis subjaceret incommodis, concuteretur bellis, vexaretur perturbationibus, depauperaretur prædationibus, et hujusmodi. Item juste ac rationabiliter dispensatur in voto illius qui longam vovit peregrinationem, quem tamen multum expedit reipublicæ, aut familiæ præsto esse. *Communis*, arg. cap. *De peregrinationis votis* 1, cap.

Digitized by Google

Magnæ 7, et cap. *Ex multa* 9, De voto, et voti redemptione.

(64. Ad dispensandum in votis tria præcipue attendenda sunt, ut monet Innocentius III, in cap. Magnæ 7, De voto, et voti redemptione, nempe : « Quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, et quid expediat secundum utilitatem. » Hinc quo majus, et excellentius votum est, ut castitatis perpetuæ, religionis, peregrinationis ad loca sancta, et hujusmodi, eo major causa requiritur ad dispensationem; et ubi causa non appareat ita sufficiens ad omnino dispensandum, admiscenda est aliqua commutatio, subrogando nempe aliquod pium opus, quo voti gravitas prudenter dispensantis judicio compensetur. Imo quamvis appareat causa sufficiens ad dispensationem, consultum est semper aliquam commutationem admiscere exemplo Summorum Pontificum, ut patet in cap. *Venientes* 2, cap. *Magnæ* 7, cap. *Quod super* 8, et cap. *Ex multa* 9, De voto, et voti redemptione.

(65. Si dispensatio data sit cum bona fide, et postea inveniatur data sine sufficienti causa ; aut sit data cum causa dubia, et deinde inveniatur data sine causa, satis probabile est, quod maneat valida : sic cum aliis Lessius, part. II, *De justit.*, cap. 4, dubit. 17; Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 44, num. 10; Sporer, *loc. cit.*, num. 45; Azorius, aliique cum Illsung apud La Croix, lib. IV, part. I, num. 541, quamvis ipse dicat, quod alii cum Castropal. probabilius tenent non valere. Et ratio probabilis nostræ sententiæ est, quia spectat ad Dei benignitatem approbare, et ratum habere quod bona fide concessum, et acceptatum fuit, quamvis revera nulliter tunc egerit dispensans. Hoc enim est privilegium bonæ fidei, arg. leg. *Barbarius* 2, ff. *De off. prætor.*, et suavitati regiminis Ecclesiæ conformius, et humanius : « Hoc enim humanius est, » ut de simili dicitur in cit. l. *Barbarius*.

* Hanc tamen probabilem opinionem, cum adversa probabilior sit, qui sequeretur, discrimini peccandi se committeret, quod nemini licet *.

(66. Dispensans scienter sine justa causa, sicuti et scienter petens, ac acceptans hujusmodi dispensationem, peccat mortaliter pro ratione materiæ. *Communis*. Uterque enim sibi arrogat in re gravi jus, quod non habet ; et ipsa esset potius dissipatio, quam dispensatio, cum potestas dispensandi data sit in *ædificationem*, et non in *destructionem*, ut dicit Apostol. *II Cor.* X, 8 ; XIII, 10.

(67. Interveniente justa ac rationabili dispensandi causa, superior, vel quivis dispensandi facultate præditus, si rogetur, tenetur sub gravi in votis dispensare. *Communis*. Et ratio est, quia potestas dispensandi est ipsis concessa ob bonum subditorum, et reipublicæ ; unde eam sine causa denegantes subditis, et reipublicæ gravem injuriam inferunt, et fiunt causa culpabilis damnorum, vel peccatorum ex negata debita dispensatione secutorum. Dispensationem enim esse debitam, quando est necessaria ad commune bonum, vel ad evitandum publicum scandalum, et ad reparandum grave damnum spirituale, vel corporale roventis, ad procurandum majus bonum ex dispensatione proventurum, et hujusmodi, satis colligitur ex cap. *Ponderet* 14, cap. *Et purgabit* 15, cap. *Quia sanctitas* 16, cap. *Quid est.* 17, cap. *Cum exaudiero* 19, cap. *Contumaces* 21, cap. *Si quis presbyter* 22, cap. *Bene valet* 23, cap. *Sacerdos quidem* 24, et cap. *Ut constitueretur* 25, dist. 50, cap. *Exposuisti* 23, De præbend., cum similibus.

(68. Papa ex justa et rationabili causa dispensare potest in quolibet voto, tam simplici quam solemni, non solum edito in susceptione sacri ordinis, « sed etiam in professione religiosa. » *Communis*, per verba Christi, *Matth.* XVIII. 18 : *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*. Et de facto Alexander III dispensavit cum Nicolao Justiniano monacho ad nubendum, et Cœlestinus III dispensavit cum Constantia moniali professa filia Rogeri Siciliæ regis, ut nuberet Henrico VI ; et Gregorius XIII dispensavit cum fratre cardinalis Jojosæ Gallo sacerdote professo, et provinciali ordinis Capucinorum, ut ex aliis refert Fagnanus, lib. III *Decretal.*, in cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monachor., num. 66, testans etiam cum Ramiro rege Aragonum dispensatum fuisse, ut, relicta religione et episcopatu, acciperet uxorem et regnum, et alii plures similiter dispensarunt cum aliis pluribus. Unde Justus Redn., tom. II *Operis canonico-politici* refert, quod Judith fuit monialis Ratisbonensis, et deinde trium regum conjux, scilicet Bretislai Boemiæ, Mesicani Poloniæ, et Petri Hungariæ. Vide verb. MATRIMONIUM quoad impedimenta, art. 7, et *Addit. Casin.*, sub. n. 4.

(69. Episcopi dispensare possunt potestate ordinaria in cunctis votis suorum subditorum diœcesanorum, exceptis specialiter reservatis Summo Pontifici. *Communis*. Episcopi enim succedunt apostolis, quibus dictum est a Christo, *Matth.* XVIII, 18 : *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis*.

(70. Item in dictis votis potest sede vacante dispensare capitulum, seu vicarius capitularis, cum sede vacante succedat in jurisdictione ordinaria episcopi, cap. *His quæ* 11, cap. *Cum olim* 14, De majorit. et obedient. ; cap. *Si episcopus* 3, et cap. *Ecclesiæ cathedrali* 4, De supplend. negligent. prælat. in 6 ; cap. *Cum nullus* 3, De temporibus ordinat. in 6 ; cap. *Episcopali sede unic.*, De majorit. et obedient. in 6 ; cap. *Si capitulum*. 1, De institutionibus in 6, clement. *Multorum querela* 1, De hæreticis, cum similibus, et sic tenet communis doctorum.

(71. Legati, seu nuntii apostolici dispensare possunt in dictis votis cum subditis provinciæ sibi commissæ. *Communis*. Habent enim in ipsis ecclesiasticam jurisdictionem, a qua promanat talis facultas sic dispensandi.

(72. Item in dd. votis dispensare possunt

Digitized by Google

cum suis subditis omnes prælati, qui habent jurisdictionem in foro externo, vel privilegium. *Communis.*

(73. Archiepiscopi, seu metropolitani possunt quidem dispensare in votis suorum suffraganeorum, sed non cum subditis eorumdem suffraganeorum, nisi per appellationem ad ipsos fuerit habitus recursus in casu, quo episcopi talem dispensationem injuste denegarent. Communis doctorum, quorum aliqui, ut Avila, part. VII *De censuris*, disp. 10, dub. 6, conclus. 1, notand. 2; Henriquez, lib. IV *De irregular.*, c. 16, n. 3, et alii non improbabiliter id extendunt ad tempus, quo illorum diœceses visitant; argum. cap. *Ultim.*, De censibus in 6, et conc. *Trid.* sess. XXIV, cap. 3, *De reform.*, quamvis alii teste Layman, *loc. cit.*, cap. 8, n. 7, rectius id negent, cum in d. cap. *Ultim.*, De censibus, statuatur solum quod archiepiscopus, dum visitat, possit eorum confessiones audire, et absolvere, et nihil disponat de dispensatione in eorum votis, atque ideo horum sententiæ standum est.

(74. Prælati regulares religionum exemptarum dispensare possunt in omnibus dictis votis cum suis subditis, et cum novitiis circa vota, quæ in sæculo, vel noviliatu emiserunt. *Communis.* Habent enim in ipsos plenam ecclesiasticam jurisdictionem; et hoc Salmanticenses, et plures alii intelligunt etiam de superioribus localibus cum respectu suorum subditorum habeant jurisdictionem ordinariam in foro interno et externo

(75. Non sic autem prælati religionum non exemptarum, nisi id eis, vel ex consuetudine, vel episcopi licentia, seu commissione concessum sit. *Communis*, teste Sporer, *loc. cit.*, n. 52.

(76. Nec etiam in ipsis votis dispensare possunt abbatissæ, vel superiorissæ monialium, quæ licet possint suarum subditarum vota irritare, eo quod in illas habeant potestatem dominativam vi voti obedientiæ, ex dictis supra n. 23, non possunt tamen in earum votis dispensare, cum facultas sic dispensandi promanet ex jurisdictione spirituali, qua de facto carent abbatissæ, seu superiorissæ monialium; Sporer, *loc. cit.*, n. 52; Felix Potest., tom. I, part. II, p. 1696; Busemb., *loc. cit.*, dub. 8, respons. 2, cum Suarez, et Lessio ibi citatis, et alii passim.

(77. Confessarii regulares approbati ordinum Mendicantium, ac in eorum privilegiis communicantium, possunt dispensare in omnibus votis, in quibus jure ordinario possunt dispensare episcopi. Unde confessarii regulares dispensare possunt in omnibus votis, exceptis quinque mox adducendis Papæ reservatis. *Communis*, et expresse habetur ex pluribus privilegiis Summorum Pontificum ut Innocentii VIII, Eugenii IV, Martini V, Pauli III, Gregorii XIII, S. Pii V, ac aliorum, ut videre est in compendiis privilegiorum Dominicanorum, Minorum, Augustinianorum, Carmelitarum, Societatis Jesu, ac aliorum regularium.

* « Ex privilegiis Summorum Pontificum, ait Cunilati, n. 15, seq., potestate ab ipsis Pontificibus delegata, plurimi auctores dicunt, gaudere confessarios ab episcopo approbatos ordinum Mendicantium commutandi et dispensandi omnia vota, etiam pie jurata sæcularium, exceptis illis quinque reservatis supra indicatis, et dummodo non cedant in præjudicium tertii, de quo infra. Ita plurimi theologi, inter quos Henricus a S. Ignatio, severioris doctrinæ professor, qui tomo II suæ *Æthicæ Amoris*, lib. X, cap. 48, hanc ex professo docet; et primo quoad facultatem commutandi citatur bulla Eugenii IV: *Etsi quilibet*, nec non bulla *Commissum* 23, apud Rodericum; item bulla Julii II: *Etsi ad universos* 12, apud Confectium; item bulla Leonis X: *Etsi a summo*, apud Cherubinum; item bulla Pauli III: *Cum inter cuncta* 7, apud laudatum Rodericum; item bulla Gregorii XIII: *Decet Romanum*, extendit ad vota jurata non in præjudicium tertii; et tandem bulla Benedicti XIII, *Pretiosus*, § 22. Quoad potestatem vero dispensandi, in duabus primis editionibus docui hac quoque gaudere regulares respectu sæcularium, ex bulla Sixti IV, anni 1474, incipiente: *Sedes Apostolica*, data fratribus S. Francisci de Paula, quam legeram propriis oculis. Verum deinde animadverti eadem bulla hoc privilegium concedi superioribus illius religionis respectu suorum subditorum, nihil omnino exprimendo circa sæculares; tota namque illa bulla versatur circa personas illius religionis: propterea nisi aliunde habeatur hoc privilegium regularium quoad personas sæculares, a præcitata bulla deduci nequit. Contendit nihilominus P. Fr. Didacus ab Aragonia nuperrimus scriptor, qui, anno 1753, Bononiæ edidit suam *Elucidationem privilegiorum ordinum regularium*, in tractatu 6, cap. 6, n. 8, quod ex aliis privilegiis hæc potestas regularibus conveniat respectu sæcularium, indicans plura loca ex privilegiis nonnullorum ordinum. Verum R. P. Fr. Daniel Concina, qui bullas citatas in dictis privilegiorum compendiis exactissime examinavit, testatur, ex nulla earum posse legitime deduci, quod hæc potestas regularibus respectu sæcularium concedatur*. »

(78. Vota reservata Summo Pontifici sunt quinque sequentia: nempe votum religionis ab Ecclesia approbatæ, votum castitatis integræ et perpetuæ, votum peregrinationis Hierosolymitanæ ad S. Sepulcrum, votum peregrinationis Romanæ ad Limina apostolorum Petri et Pauli, et votum peregrinationis Compostellanæ ad S. Jacobum devotionis causa. *Communis*, arg. Extravagant. *Etsi Dominici* 5, De pœnitentiis, et remissionibus, ubi sub pœna excommunicationis prohibetur, ne quis sine speciali licentia Papæ in aliquo dictorum quinque votorum dispenset.

(79. Reservatio dictorum quinque votorum, cum sit odiosa, utpote ordinariam potestatem restringens, est omnino stricte interpretanda, arg. cap. *Odia* 15, De regul. juris in 6, ibi: « Odia restringi, favores

Digitized by Google

convenit ampliari. » Unde talis reservatio est intelligenda solum de votis proprie dictis perfectis, determinatis, absolutis, et quidem præcise quoad substantiam, non autem qualitates, et circumstantias eorum. Et si in aliquo deficiant, licet sint valida, non sunt tamen reservata. Sic doctores communiter.

(80. Hinc non sunt reservata dicta quinque vota, sed dispensabilia ab episcopo, vel confessariis regularibus (Vide *Addit.*, ad n. 77), si non sint vota proprie dicta, id est promissiones vere factæ Deo : sic non sunt reservata vota, quæ sæpe sæpius emittuntur a puellis, et aliis promittentibus non Deo, sed B. V. M. vel aliquibus sanctis, servare in suum honorem perpetuam castitatem, assumere peregrinationem Romanam, Compostellanam, et hujusmodi sine intentione et reflexione obligandi se Deo. Tales enim promissiones non sunt vota proprie dicta, cum vota proprie dicta sint solum promissiones factæ Deo. Secus autem esset dicendum, si id specialiter in honorem B. M. Virginis, vel alicujus sancti voverent Deo ; unde caute in his procedere debent confessarii, et diligenter sic voventes interrogare de vera sua intentione et reflexione in actu similium promissionum. Et si asserant nihil tunc cogitasse de Deo, vel cogitasse quidem tunc etiam de Deo, sed non cogitasse de promissione facienda ipsi, sed soli ejus Matri, aut tali sancto, tunc censendi sunt sic voventes non fecisse votum proprie dictum, et consequenter nec reservatum : Gobat, tom. III, caus. 10, n. 327 ; Sporer, *loc. cit.*, n. 58, et alii. Si autem dubium sit, an tales intenderint tunc se obligasse ipsi Deo, an solum B. Mariæ Virgini, aut tali sancto, tunc censendi sunt fecisse verum votum ipsi Deo, adeoque reservatum : in dubio enim præsumendum est pro actus perfectione potius quam pro defectu, et in similibus solet adesse intentio saltem implicita se obligandi Deo in honorem B. Mariæ Virginis, vel talis sancti ; Gobat, tom. III, casu 1, n. 21 ; Sporer, *loc. cit.*, n. 58, et alii.

(81. Item non sunt reservata dicta vota Summo Pontifici, sed dispensabilia ab episcopo, vel confessariis regularibus, si non sunt omnino perfecta, uti est votum castitatis imperfectum, nempe castitatis solum temporalis, ut ad decem annos, votum castitatis conjugalis, non nubendi, non petendi debitum, non fornicandi, et hujusmodi, quia per votum castitatis reservatum intelligitur sola castitas perfecta, et perpetua ; ut tenent doctores communiter, arg. cap. *Odia* 15, De regul. juris in 6. Item reservata non sunt vota castitatis, et religionis ex metu etiam levi incusso emissa ; ex gravi enim metu emissa non indigent dispensatione, sed per se irrita sunt. Sic. Communis doctorum, argum. cap. *Veniens* 5, Qui clerici, vel voventes ; et ratio est, quia talia vota non sunt omnino perfecta, cum voventes principaliter ea non emiserint amore virtutis, nec principali intentione obsequium præstandi Deo, sed evitandi, et declinandi id, quod timuerunt ab injuste extorquentibus dicta vota. Tum quia non est præsumendum, voluisse Pontificem sibi reservare vota, quæ alias debent esse facilis dispensationis, tum ob imperfectionem consensus voventium, tum in odium injuste illa extorquentium, ne videatur velle fovere iniquitatem, et injuriam illorum, uti esset, si vota ex metu injuste incusso emissa reservaret.

(82. Item non sunt reservata dicta vota, sed dispensabilia, ut supra, si non sunt omnino certa. Unde quotiescunque adest dubium de eorum valore, sive dubium sit *juris*, ut si dubium sit, an sint vere vota, an vere reservata ; sive dubium sit facti, ut si dubium sit, an adfuerint in ipsis vera promissio, plena deliberatio, sufficiens intentio, et alia ad voti et reservationis rationem necessario requisita, tunc dicta vota, sive sint castitatis perpetuæ, sive religionis approbatæ, sive trium præfatarum peregrinationum, non sunt Papæ reservata, sed ab episcopo, vel confessariis regularibus dispensabilia : *Communis*, arg. cap. *Odia* 15, De regul. juris. Et ratio est, quia reservatio, cum sit odiosa et gravis, restringenda est ad casus omnino certos, plene voluntarios, et graviores : tum quia semper in dubiis benigniora præferenda sunt ; l. *Semper* 56, De regul. juris. Et in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius quam tutius est ; l. *Ea quæ* 192, ff. eod. Et in ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet, l. *Si fuerit* 10, ff. *De rebus dubiis*.

(83. Item reservata non sunt dicta vota, sed ut supra dispensabilia, si non sint omnino determinata ; unde reservatum non est votum alternativum, seu disjunctivum, cujus altera pars reservata non est, ut si quis voveat, vel castitatem perpetuam, vel perpetuum jejunium, peregrinationem Romanam vel eleemosynam centum florenorum : *Communis*, arg. cap. *In alternativis* 70, De regul. juris in 6, ibi : « In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri, » et l. *In eo quod plus* 110, ff. *De regul. juris*, § 3, ibi : « Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. » Et id verum est, etiamsi progressu temporis altera pars non reservata impossibilis fiat, et sic vovens determinate obligetur ad partem reservatam, quia id non provenit ex intentione voventis, sed eventu per accidens, adeoque adhuc manet ut supra dispensabile. Si autem utraque pars esset reservata, ut si quis voveat perpetuam castitatem, vel peregrinationem Hierosolymitanam, tunc votum esset reservatum, ut tenet communis doctorum, teste La Croix, lib. III, part. I, n. 548. *Vide* verb. JUBILÆUM, art. 2, n. 42 et 43.

(84. Item reservata non sunt dicta vota, sed ut supra dispensabilia, si non sint omnino absoluta ; unde reservata non sunt vota conditionata pœnalia, ut si quis voveat castitatem perpetuam, religionem approbatam, etc., si se inebriaverit, vitiose luserit, si furatus fuerit, et hujusmodi : tunc enim

Digitized by Google

non solum ante, sed etiam post admissam culpam sunt ut supra dispensabilia dicta vota : sic doctores communiter contra paucos, teste La Croix, *loc. cit.*, n. 546 ; Sporer, *loc. cit.*, num. 63. Et ratio est, quia talia vota valde deficiunt a natura perfecti voti : nam sic voventes proprie non eligunt castitatem perpetuam, religionem approbatam, et hujusmodi, sed potius metu obligationis servandi castitatem perpetuam, ingrediendi religionem, volunt se deterrere ab inebriatione, a vitioso ludo, a furto, etc., adeoque directe potius vovent se non inebriare, vitiose non ludere, non furari, et castitatem, ac religionem velut pœnam refugiunt : talia enim vota pœnalia non tendunt in rem promissam directa voluntate primario, et per se ex affectu, et amore honestatis illius, sed solum tendunt in ipsam tanquam sibi pœnosam, et afflictivam cum aliqua aversione animi, ut sic timore incurrendi obligationem præstandi rem promissam, id est servandi castitatem perpetuam, ingrediendi religionem, etc., retrahantur voventes ab inebriatione, vitioso ludo, furto, et similibus.

(85. Sic etiam reservata non sunt dicta vota, sed ut supra dispensabilia, si sint proprie conditionata sub conditione de futuro accidentaria, non a natura, vel jure ipsis votis annexa. Uti si quis voveat religionem, perpetuam castitatem, etc., si convaluerit, si a naufragio evaserit, si tale intentum, beneficium, vel officium obtinuerit, et hujusmodi; tunc enim ante impletam conditionem non esse reservata dicta vota tenent doctores communiter, quia non sunt vota simpliciter, nec de facto obligantia, sed sub conditione in futurum. Conditionale enim nihil ponit in esse, nisi purificata conditione, et actus sub conditione non impleta, nullum operatur effectum, arg. § *Sub conditione* 4, Institut. de verb. obligation., et l. *Unica*, § *Sin autem*, cod. *De caducit. tollend.* Suspenditur enim ejus valor usque ad eventum conditionis ; l. *Is cui*, ff. *De actionibus et obligationibus*, l. *Legata sub conditione*, ff. *De condit. et demonstrat.*

(86. An autem post impletam conditionem dicta vota evadant reservata, nec sint ampliùs ut supra dispensabilia ? valde controvertunt doctores : Layman enim, lib. IV, tract. 4, cap. 8, n. 10 ; Herincx disp. 5, *De voto*, qu. 6, num. 62 ; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 4, dist. 3, numer. 36, cum pluribus aliis tenent, post impletam conditionem dicta vota esse reservata, nec amplius esse ab episcopo et confessariis regularibus dispensabilia, quia vota conditionata, sicuti quicunque alii contractus, ac promissiones factæ sub conditione, ipsa conditione eveniente, seu adimpleta, transeunt in absoluta, ac omnino perficiuntur, ac si sine conditione facta fuissent, l. *Potior* 11, ff. *Qui potiores in pignore.*

(87. E contra tamen Sanchez, lib. IV, *Moral.*, cap. 40, num. 91, cum Sayro, Ledesma, Suarez, et aliis constanter propugnat, dicta vota, nec etiam post adimpletam conditionem esse reservata, sed adhuc sicuti prius esse dispensabilia ab episcopo et confessariis regularibus. Sic tenent etiam Antonius Gomez in bulla *Cruciatæ* clausula 10, num. 99 ; Toled., lib. IV *Summæ*, cap. 8, nu. 11 ; Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 34, num. 33, et seq., recedens a priori sententia, quam in sua *Theolog. moral.*, *loc. cit.*, reputaverat probabiliorem ; et hanc valde probabilem et in praxi tutam censet Sporer, *loc. cit.*, n. 66, et esse frequentissima praxi virorum sapientissimorum recaptam testatur Gomez, *loco citat.*, et Reiffenstuel, cit. tit. 34, num. 33. Imo sic tenere alios communiter cum Franc. Bellegambe *De jubilæo*, part. III, sect. 23, q. 2, testatur La Croix, lib. III, p. I, nu. 547. Et ratio vere efficax est, quia hujusmodi vota conditionata oriuntur ab imperfecto consensu, utpote dependente a futuro eventu conditionis. Adventus autem conditionis non facit, quin revera consensus fuerit imperfectus, nec ejus naturam mutare potest, cum nulla nova voluntas accedat ; adeoque cum retineant semper primævam imperfectionem, etiam adimpleta conditione tanquam vota imperfecte voluntaria, erunt utpote non reservata, cum reservatio tanquam odiosa sit restringenda ad sola vota perfecte et plene voluntaria, argum. cap. *Odia* 16, *De regul. juris* in 6. *Vide* verb. JUBILÆUM, artic. 2, n. 41.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Auctor *Summæ Alexandrinæ*, aliique viri docti confidenter pronuntiant : « Si conditio impleta sit, ad Romanum Pontificem confugiendum esse, in quinque votis, ut impetretur dispensatio ; » nam illi absolute vovere illa conditione, eaque posita, Deo per hujusmodi votum sunt revera obligati ; neque dici jure possunt imperfecte voluntaria hujusmodi vota, quæ passim majori animi fervore ac maturiori cum deliberatione fiunt.

RESPONSIO AUCTORIS.

Satis multos, non infimi subsellii auctores affero ego pro asserta conclusione sub cit. n. 87, quamvis n. 86 immediate anteced. allegaverim classicos doctores contrarium tenentes. Unde ipsos revolvat prudens, et eruditus lector, et pro quibus ratio militat luculentior, resolvat.

(88. Tum quia vota pœnalia etiam post impletam conditionem non sunt reservata, cum non sint perfecta, ex quo non fiant amore virtutis, seu materiæ promissæ, nec amore obsequium præstandi Deo, sed magis cum animi aversione, aut timore obligationis contrahendæ, ut mens retrahatur ab illo vitio, verb. gr. se inebriandi, vitiose ludendi, jurandi, et hujusmodi, juxta dicta supra num. 84, quod concedunt etiam ipsimet adversarii : ergo ob eamdem rationem, nec vota conditionata sub conditione de futuro accidentali erunt reservata, cum ubi eadem est ratio, eadem sit juris dispositio ; leg. *Ideo* 27, ff. *De legibus* ; l. *Illud* 32, ff. *Ad legem Aquiliam*, et cap. *Inter corporalia*, De

Digitized by Google

translation. episcop. Tum etiam quia vota pœnalia sunt magis perfecta, quam vota sub alia conditione, v. g. recuperandæ sanitatis, evadendi naufragium, obtinendi illud officium, et hujusmodi; adeoque si vota pœnalia etiam post impletam conditionem sunt dispensabilia ab episcopo, et confessariis regularibus, a fortiori post impletam conditionem erunt ut supra dispensabilia alia vota conditionalia, quia cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, textu expresso in cap. *Cui licet* 55, De regul. juris, in 6°; et « ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur : » textu expresso in cap. *Ex parte* 27, De decimis. Quod autem vota pœnalia sint magis perfecta quam alia dicta vota conditionalia, clare patet, quia ordinarie fiunt principaliter amore alicujus certæ virtutis et odio alicujus certi vitii, sicque jam principaliter intentione placendi Deo, ac ipsum non offendendi, ut patet in eo, qui vovet perpetuam castitatem, religionem approbatam, etc., si se inebriaverit, si vitiose luserit, si furatus fuerit, et hujusmodi, juxta dicta supra num. 84. E contra autem dicta alia vota conditionata ordinarie non fiunt principaliter, nec amore alicujus certæ virtutis, nec odio alicujus certi vitii, sicque nec principaliter intentione placendi Deo, ac ipsum non offendendi, sed amore consequendi aliquod bonum temporale, verb. grat. sanitatem, officium aliquod, vel beneficium, etc., vel evadendi aliquod temporale malum, ut naufragium, tempestatem, hoc, vel illud periculum; sicque valde imperfecte, et consequenter vota pœnalia sunt magis perfecta quam dicta alia vota conditionalia, adeoque, etc. *Vide* dict. verb. JUBILÆUM, art. 2, n. 41.

(89. Quinimo addit cum aliis Diana part. VI, tract. 8, resolut. 3; apud La Croix, *loc. citat.*, n. 545, etiamsi aliquod tale votum conditionatum post impletam conditionem fuisset confirmatum, non ideo fore reservatum, quia confirmatio semper cadit super idem votum a principio conditionale, nisi nunc esset emissum independenter a primo voto. *Vide* dicta supra num. 17, et 18, et dict. verb. JUBILÆUM, art. 2, n. 41.

(90. Notanter autem supra num. 86, fuit conclusum, quod dicta vota non sunt reservata, « si sint proprie conditionata sub conditione de futuro accidentaria, non a natura, vel jure ipsis votis annexa; » quia sola illa vota conditionata non sunt reservata, quæ facta sunt sub conditione mere voluntarie adjecta, mereque de futuro accidentaria, ut sunt vota supra dict., n. 85, assignata. Vota autem conditionata conditione generatim, naturaliterve, aut ex dispositione juris ipsis votis annexa, non obstante tali conditione, adhuc remanent reservata, nec possunt a confessariis privilegiatis dispensari. Sic votum castitatis perpetuæ ab impubere editum, quamvis sit editum cum hac tacita, et naturaliter annexa conditione: *si pater consenserit*, non potest a confessariis privilegiatis dispensari, nec commutari, quamvis possit illud irritare suus pater, et in ejus defectu ipsius tutor, juxta dicta supra a num. 16. Item vota solemnia, et substantialia religionis sunt reservata, nec possunt a superioribus et confessariis privilegiatis dispensari, quamvis habeant a jure annexam tacitam conditionem, qua Papa possit illa dissolvere. Sic recte Gobat., tom. II, *De voto*, n. 225 et 226.

(91. Non sunt reservata dicta quinque vota quoad circumstantias, vel qualitates aliquas accidentales a vovente voto reservato adjectas; unde si quis voverit pedester peregrinari Compostellam, mendicando peregrinari Romam, seu voverit strictiorem religionem, potest episcopus, et confessarius regularis ex justa causa dispensare, ut equester, vel non mendicando peregrinetur, et ut aliam religionem etiam laxiorem ingrediatur : Herincx, disput. 4, *De voto*, quæst. 5; La Croix, lib. III, part. I, n. 550, cum Azorio, Sanchez, Castropal., Lessio, Illsung., Bellegamb., et aliis ibi citatis; Sporer, *loc. cit.*, n. 67; Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 34, num. 36, et ipso teste alii communiter. Et ratio est, quia sola substantia voti censetur reservata, argum. citat. capit. *Odia* 15, De regul. jur. in 6.

(92. Circa votum castitatis est specialiter advertendum, quod votum absolutum omnimodæ castitatis emissum ab uno conjuge post consummatum matrimonium absque alterius licentia, non est reservatum, quia non est perfectæ et omnimodæ castitatis, cum adhuc teneatur reddere debitum. *Communis.* (93. Si autem sit dictum votum emissum ab uno conjuge cum consensu approbativo alterius conjugis renuntiantis juri suo, aut ab utroque conjuge mutuo consensu per modum contractus, et conventionis irrevocabilis, est reservatum Summo Pontifici, cum sit votum continentiæ perpetuæ, ac integræ, et omnimodæ : unde non potest ab episcopo dispensari, nisi in aliquo casu gravis et urgentis necessitatis. *Communis.*

(94. Votum servandi perpetuam virginitatem non est reservatum, si vovens cognovit differentiam inter virginitatem, et castitatem, et solum dixit : « Voveo virginitatem perpetuam. » Tunc enim est tantum votum castitatis partiale, quia censetur vovisse tantum se abstinere a primo actu, quo perditur virginitas, et non ab omni actu, quo violari potest castitas : castitas enim violari potest tactibus, et osculis impudicis, ac omni morosa complacentia absque eo quod violetur virginalis, ac corporalis integritas. Si autem vovens non cognovit dictam differentiam, uti communiter non agnoscunt juvenes, et puellæ, et dixit absolute : « Voveo virginitatem perpetuam, » est reservatum. Tunc enim est votum castitatis totale : cum pro eadem re in tali casu sumatur virginitas, et castitas; Moya, tom. II, distinct. 1, quæst. 2, num. 7; La Croix, *loc. cit.*, num. 561, et in hoc sensu alii passim recte consulentes in similibus casibus esse diligenter explorandam intentionem, et cognitionem voventium. (95. Si vero dubitet

Digitized by Google

vovens, an emiserit votum partiale, aut totale castitatis, tunc non erit votum reservatum, per dicta supra num. 82, *De voto dubio* quoad ejus valorem, et num. 83, *De voto alternativo*, cum in tali casu sit tantum certitudo pro voto partiali, aut totali : sicque tale votum disjunctivum relinquat voventi libertatem eligendi, quod volet, per regulam 70, De regul. juris in 6, ibi adducta.

(96. Cum quis, vel quæ voto continentiæ jam emisso nulla obtenta dispensatione, culpabiliter contrahit matrimonium, tale votum est dispensabile per episcopum, ac confessarios regulares solum quoad petendum debitum, ac remanet firmum quoad alia, sicque talis vovens tenetur adhuc ad non se polluendum, non fornicandum, et ad servandam castitatem, altero conjuge mortuo. *Communis.*

(97. Cum quis, vel quæ ante contractum matrimonium perpetuam castitatem, vel religionem perfecte vovit, tale votum est reservatum jure ordinario Summo Pontifici. *Communis.* (98. Episcopus autem potest in simili voto dispensare ratione gravis et urgentis necessitatis, et impossibilis recursus ad Papam, et cum periculum est in mora : Sanchez, lib. VIII *Moral.*, d. 10, n. 23; Navarr., *in Manual.*, c. 12, num. 76; Layman, lib. IV, tract. 4, cap. 8, n. 16; Sporer, *loco cit.*, num. 74; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 37, testans de communissima aliorum, arg. cap. *Quoniam* 13, caus. 1, quæst. 7, dist. 1, cap. *Omnes*, De feriis; cap. *Consuluisti* 3, De celebrat. missar., cap. *Concilium* 2, De observat. jejunior., ubi expresse dicitur : « Cum non subjaceat legi necessitas, » can. *Sicut* 15, De consecrat., dist. 1, ibi : « Necessitas non habet legem, » cap. *Quod non est* 3, De regul. jur., ibi : « Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. » Et ratio est, quia non est præsumendum, nec ullo modo credendum, quod Papa in tali casu necessitatis velit privative quoad ordinarios sibi reservare cum dispendio boni communis animarum potestatem a Christo Domino in bonum commune ipsarum animarum concessam. Hoc enim non esset consonum fini ejusdem reservationis, qui est ad evitanda scandala, pericula, et peccata, non autem ut eisdem irretiantur, et esset contra suavem, et providam gubernationem Ecclesiæ, quæ potestatem suam gerere debet non in destructionem, sed in ædificationem animarum, juxta illud Apost. *II Cor.* X, 8; XIII, 10.

(99. Gravis autem, et urgens, ac sufficiens necessitas sic dispensandi in voto castitatis est, si ex dilatione matrimonii usque ad responsum Pontificis ex parte voventis, seu inter contracturos urgeat periculum incontinentiæ, scandali, vel alterius gravis mali ; si matrimonium differri nequeat sine gravi sponsi, vel sponsæ, aut eorum familiæ dedecore ; si puella defloratа, prolesque nascenda infamanda sit, præsertim si defloratur sit morti jam proximus, et nisi puellam defloratur ac gravidam ducat, nascenda sit proles illegitima, et orituræ timeantur graves discordiæ inter cognatos, et his similia, de quibus late doctores, et præcipue Sanchez, lib. II *De matrimonio*, disp. 40.

(100. Posse in simili gravi, et urgenti necessitate sic dispensare etiam confessarios regulares tenent Herincx, d. 4, *De voto*, q. 6, num. 69, cum Bassæo, et aliis ibi citatis, Crousers, in c. 7 *Regul. S. Francisci*, lect. 29; Alviset, *De privileg. regular.*, sect. 3, c. 5, § 3; Chassaing, *De privil. regular.*, tract. 1, c. 5, propos. 2, cum Casarubio, Lessio, Cordoba, et aliis ibi citatis, Leander, et alii apud Moyam tom. II, d. 1, quæst. 1, a num. 17; Reiffenstuel, lib. V *Decretal.*, tit. 34, num. 40 et seq., ubi id probat hoc sequenti non spernendo fundamento : Juxta communem etiam adversariorum possunt confessarii mendicantes dispensare in omnibus votis, in quibus jure ordinario dispensare potest episcopus ; atqui hic potest jure ordinario urgente necessitate dispensare in votis alias reservatis, ergo, etc. Majorem concedunt adversarii, patetque clare ex privilegiis. Minor probatur, quia episcopus urgente necessitate, vel dispensat ratione officii, vel ideo, quod in tali casu non censeatur reservatum, vel vi universalis consuetudinis, per quam constat episcopum urgente necessitate posse dispensare. Quocunque tandem modo dispenset, jure ordinario dispensat, et quidem si primo, et secundo modo, non est dubium ; si tertio modo, vi consuetudinis nempe, inde patet quia consuetudo dat jurisdictionem ordinariam, prout pluribus demonstrat Sanchez, lib. VIII, *De matrimon.* disp. 1, et dixImus in lib. I *Decret.*, tit. 29 *De offic. et potest. judicis delegati*, num. 11, argum. l. *More majorum*, et l. *Et quia*, ff. *De jurisd. omnium.*

Confirmatur : Jurisdictio, et potestas, qua episcopi urgente necessitate in votis dispensant, non est delegata, ergo ordinaria.

Probatur antecedens : Jurisdictio delegata est, quæ nec ex lege, nec ratione officii, nec ex consuetudine, sed ex speciali commissione alterius competit, uti cum communi dictum est cit. l. I *Decret.*, tit. 26, *De offic. et potestat. judic. de legat.*, num. 12. Atqui nullibi in toto jure hæc specialis commissio episcopis tanquam delegatis facta ostendi potest : ergo cum nihilominus dispensent, jurisdictione, seu jure ordinario dispensare censendi sunt. Hactenus ille, et quidem vere probabiliter.

(101. At vero contrarium docet teste La Croix, lib. III, part. I, num. 563, communissima cum Suarez, Sanchez, Barbosa, Henriquez, Layman, Rodriquez, Fagundez, Miranda, Lezana, Castrop., Tamburin., lib. III, cap. 16, § 4, num. 49; Burgaber, centur. 3, cas. 32; Moya, *loco cit.*, num. 22; Sporer, *loco cit.*, num. 55, et 74; Henn., tom. I, tract. 4, *in Decalog.*, disp. 1, qu. 3, *De voto*, art. 3, *Petes* 4°, quia omnes doctores antiqui concedentes episcopis ex præsumpta licentia Papæ hanc potestatem extraordinariam, negant reliquis confessariis, et Men-

Digitized by Google

dicantibus pro tempore jubilæi. Hinc in bullis jubilæi, et privilegiis Mendicantium expresse solent excipi vota illa; privilegia enim regularium Mendicantium, quod possint dispensare in votis, in quibus possunt episcopi, intelligi debent de iis solis votis, in quibus dispensare possunt episcopi jure ordinario, ideoque proprie episcopales sunt; non autem de iis, qui per se Papales sunt, et tantum per accidens ratione urgentis necessitatis, et moralis impotentiæ adeundi Pontificem, ad episcopum tanquam ordinarium post Pontificem pastorem devolvuntur. Sicque talis potestas dispensandi fundatur in jurisdictione ordinaria, quam habent episcopi, et non Mendicantes. * Atque hæc quidem sententia tenenda est, opposita rejecta, præsertim cum de confessariorum Mendicantium in votis sæcularium dispensandis auctoritate non constet *.

(102. Episcopus in simili necessitatis casu dispensare potest, quamvis legatus Pontificius in provincia sit; Suarez, lib. VI, cap. 26, num. 10; Sanchez, lib. VIII, *De matrimon.*, disp. 9, num. 25, et lib. IV *Moral.*, cap. 40, num. 38; Layman, lib. IV, tract. 4, cap. 8, num. 17; Sporer, *loc. cit.*, num. 72, et alii contra Aragonium, Rodriquez, et alios. Et ratio est, quia legatus Papæ, quamvis a latere sit, ordinario jure non habet majorem dispensandi potestatem, quam episcopus, adeoque potest vovens in tali necessitatis casu pro obtinenda dispensatione in voto reservato adire libere, quem maluerit, episcopum nempe, vel legatum Apostolicum.

(103. Si autem legatus Apostolicus specialem commissionem, et facultatem habeat dispensandi in votis reservatis, vel lege Pontificia, aut absolvendi a censuris Papæ reservatis, tunc dispensare in ipsis non potest episcopus. Et ratio est, quia episcopus in dictis casibus dispensare, aut absolvere potest solum ratione urgentis necessitatis, quæ ratio cessat, si adiri possit aliquis speciali prædituS ad id facultate, cum cessante causa, cesset effectus; cap. *Cum cessante* 60, *De appellat.*; et cessante ratione, et causa legis, cesset ipsa lex, l. *Adigere* 6, § 2, ff. *De jurepatronat.* Ratio enim legis est anima legis, l. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnator.* Sic tenent Navarr., *in Manual.*, cap. 27, num. 90; Sanchez, cit. disp. 9, num. 45, et cit. cap. 40, num. 38; Lessius, lib. II, cap. 40, dubit. 18, num. 106; Suarez, cit. cap. 26, num. 15; Layman, *loc. cit.*, num. 17, vers. *Posterior vero*; Sporer, *loco cit*, num. 72, et alii contra Henriquez, Avilam, et alios.

(104. Votum sacros ordines suscipiendi non est reservatum, quia est tantum votum vovendi castitatem, et necdum castitatis, adeoque dispensari potest ab episcopo, et confessariis regularibus. Henriquez, Sa, Azor, Suarez, Less., Sanchez, Castropal., Diana, Illsung., Bellegamb., citati, et secuti a La Croix, *loc. cit.*, num. 552, et alii passim.

(105. Circa votum religionis est specialiter advertendum, quod ut sit reservatum, debet esse absolutum, et perfectum religionis a Sede Apostolica approbatæ, adeoque votum religionis ab Ecclesia non approbatæ non est reservatum. *Communis.*

(106. Votum ingrediendi religionem S. Joannis Hierosolymitani est vere reservatum, quia ipsa est vera religio, in qua emittuntur tria vota solemnia paupertatis, castitatis perfectæ, et obedientiæ. *Communis.*

(107. Votum autem ingrediendi alias religiones militares, ut equitum S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, et hujusmodi, non est reservatum, sed potest dispensari, et commutari: et ratio est, quia de illis est dubium, an sint veræ religiones, et dd. equites emittunt votum castitatis imperfectæ, videlicet solum conjugalis. *Communis.*

(108. Votum ingrediendi religionem strictiorem non est reservatum quoad circumstantiam *strictioris*. Unde potest cum justa causa dispensari ab episcopo, vel confessariis regularibus, ut in aliam etiam laxiorem ingrediatur: *Communis*, per dicta supra num. 91. (109. Tale autem votum nequit postea irritari a superiore regulari, quia religiosus quoad hoc subjacet soli Summo Pontifici, textu expresso in cap. *Licet* 15, De regularibus. *Vide* supra num. 13.

(110. Votum perseverandi in religione probabiliter non est reservatum, quia non est religionis in se, sed circumstantiæ, quæ non reservatur. Unde si qui sic vovit, experiatur in novitiatu illum statum non sibi convenire, poterit ejus votum dispensari, vel commutari. Sic La Croix, *loc. cit.*, n. 595, cum Sanchez, Fagundez, Mald., Diana, Trullench., Bellegamb., et Lessio. ibi citatis, et alii plures.

(111. Qui vovit ingredi religionem, si nequeat continentiam servare, nec detur recursus ad Papam, vel delegatum, et adsit periculum in mora, potest ratione hujus gravis, et urgentis causæ dispensari ab episcopo in voto ingrediendi religionem. Sic expresse La Croix, *loc. cit.*, n. 567, se referens ad n. 563, ubi testatur sic tenere Sanchez, Lessium, Garciam, Ledesm., Diana, Pasqualig., Silvestr., Navarr., Henriq., Valer., Sa, Suarez, Layman, Castropal., aliosque cum Cardena, in *Crisi*, d. 79, n. 17. *Vide* supra n. 98, et 99.

(112. Circa votum trium peregrinationum, nempe Hierosolymitanæ, Romanæ, et Compostellanæ, est specialiter advertendum, quod non sunt reservata, nisi emissa sint devotionis causa. Unde si edita sint ob alium finem, v. g. ad impetrandam absolutionem ab aliquo peccato, ad osculandos pedes Pontificis, et hujusmodi, dispensari possunt ab episcopo, et a confessariis regularibus. Si vero quando quis aliquam ex dictis peregrinationibus vovit, alium finem expresse non cogitavit, præsumendum est vovisse devotionis causa, adeoque esse reservatum: Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 2007; La Croix, *loc. cit.*, n. 570, cum Tamburin., et Illsung ibi allegatis.

(113. Materia subrogata pro voto reservato potest ex justa, et rationabili causa dis-

Digitized by Google

pensari, vel commutari ab episcopo, et confessariis regularibus. Unde si Papa commutaverit, v. g., votum perpetuæ continentiæ in perpetuum jejunium, tunc perpetuum jejunium potest dispensari, vel commutari, cum reservatio prioris voti, utpote odiosa, non debeat extendi ad materiam subrogatam. Nec obstat, quod subrogatum sapiat naturam ejus, cujus loco subrogatur, cap. *Ecclesia* 3, Ut lite pendente, cum similibus, quia hoc valet solum in favorabilibus, et non in odiosis, et in hoc casu arg. cap. *Odia* 15, De regul. juris in 6. Sic communis theologorum recte tamen monentium, quod petens dispensationem, vel commutationem materiæ subrogatæ voto reservato, debeat explicare ipsum votum, ut dispensans, vel commutans gravitatem vinculi cognoscat, ne plus æquo temere de tali materia remittat.

(114. Quoad dispensationes votorum, episcopi et confessarii regulares in quibusdam conveniunt, et in quibusdam differunt. Conveniunt in hoc, quod utrique possunt vota dispensare, vel commutare etiam extra sacramentum confessionis, imo etiam cum absentibus; nullo enim jure horum facultas reperitur restricta ad solum forum sacramentale, ut recte notant Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 43; Sporer, *loc. cit.*, n. 79; La Croix, lib. III, part. II, n. 507, cum Tamburin. et Bellegamb., ibi citatis, et alii. *Vide* verb. JUBILÆUM, art. 2, a n. 64, ad 67 (147). Differunt autem in hoc, quod episcopi possunt suam potestatem dispensandi, vel commutandi vota aliis delegare, quia in ipsis hæc potestas est ordinaria; confessarii regulares vero id non possunt, quia sunt delegati ex privilegio; et delegatus non potest subdelegare, nisi in delegatione exprimatur: cap. *Quoniam* 43, § *Cæterum*, De officio delegati. Item differunt in hoc, quod episcopi dispensare possunt in quinque votis, cum urget necessitas, ac magna causa, et impossibilis est recursus ad Papam, et periculum est in mora. Confessarii regulares autem id non possunt juxta communiorem sententiam traditam supra num. 101. Econtra tamen confessarii regulares suam dispensandi in votis facultatem exercere possunt circa omnes fideles ad ipsos undecunque venientes, quia ipsi agunt nomine Summi Pontificis totum orbem pro sua diœcesi habentis. Episcopi autem non possunt se extendere extra suos diœcesanos, quia agunt per suam jurisdictionem in sola diœcesi restrictam.

(115. Commutatio voti (quæ est quartus modus, per quem tollitur obligatio votorum) est translatio obligationis a materia voti prius facti in aliam materiam priori subrogandam: est in re communis, argum. cap. *De peregrinationis votis* 1, cap. *Scripturæ* 4, cap. *Magnæ* 7, cap. *Quod super* 8, cap. *Ex multa* 9, De voto, et voti redemptione.

(116. Talis voti commutatio fieri potest, vel in opus melius, vel minus bonum: *Communis*, ac certa, et clare patet ex infra dicendis.

(117. Commutatio voti in opus manifeste, et evidenter melius, potest fieri etiam ab ipso vovente proprio arbitrio, et auctoritate absque ulla causa. Sic jam communis, et hodie receptissima doctorum, testibus Reiffenstuel, cit. lib. III *Decretal.*, tit. 34, n. 44; Sporer, *loc. cit.*, n. 81; Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 49, n. 4; Suarez, lib. IX, *De voto*, cap. 18; Less., lib. III cap. 40, n. 101, contra varios graves antiquos doctores volentes ad id requiri superioris auctoritatem. Et nostra conclusio desumitur clare ex cap. *Pervenit* 3, De jurejurando, ubi expresse sic habetur: « Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat; » et ex cap. *Scripturæ* 4, De voto, et voti redemptione; ibi: « Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare; » ubi, ut clare patet, nulla requiritur auctoritas superioris, nec ulla justa causa, unde sufficit propria voventis auctoritas, ac arbitrium. Excipiuntur autem quinque supradicta vota Papæ reservata, quæ sine auctoritate Pontificis etiam in melius commutari non possunt in religiosam professionem, arg. cit. cap. *Scripturæ* 4, De voto, et voti redemptione. Item excipiuntur vota in favorem tertii emissa, et jam acceptata, ut infra patebit.

(118. Commutatio voti in opus æquale, seu æqualiter bonum non potest fieri propria voventis auctoritate, et arbitrio, sed debet fieri auctoritate Papæ, episcopi, vel alterius jurisdictionem habentis. Sic communior, et sine dubio probabilior doctorum sententia cum Sanchez, *loco cit.*, n. 12; Sporer, *loc. cit.*, n. 82; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 45, et alii passim, arg. cap. *De peregrinationis votis* 1, De voto, et voti redemptione. Eo enim ipso, quod hæc materia sit voto promissa, habet honestatem objectivam virtutis religionis, jamque censetur melior, quam altera libera secundum se tantum æqualis, adeoque nequit commutari in opus æquale, nisi ab habente jurisdictionem, cum hic non adsit ratio interpretationis divinæ voluntatis, quod velit illud bonum æquale acceptare, sicuti adest in commutatione voti in melius. Unde si occurrat causa ita commutandi unum votum in aliud, eam cognoscere spectat ad superiorem. Contraria tamen opinio defenditur tanquam vere probabilis a Diana part. III, tract. 11, resolut. 48, cum pluribus ibi citatis a Tamburin., lib. IV *Decalog.*, cap. 17, § 5, n. 14; Sporer, *loco cit.*, n. 83, et a multis aliis apud Castropal., d. 2, p. 15, num. 4. * Probabilis tamen censeri reipsa non potest *.

(119. Commutatio voti in opus minus bonum nullimode potest fieri propria voventis auctoritate, et arbitrio, sed necessario fieri debet per habentem jurisdictionem ecclesiasticam ordinariam, vel delegatam.

(147) Confer tamen verb. JUBILÆUM, art. 1, n. 65, et not. ad art. 2, n. 60.

Digitized by Google

Communis. Et ratio est clara, quia commutatio voti in opus notabiliter minus bonum non potest fieri, nisi per habentem potestatem etiam dispensandi, quia tunc remittitur partialis obligatio voti, quæ utique est partialis dispensatio, adeoque, etc.

(120. Quicunque possunt jure ordinario, vel delegato in votis dispensare, possunt etiam illa commutare; at non e contra: sic jam fere communis, et recepta sententia doctorum cum Suarez lib. VII, *De voto*, cap. 12, n. 10; Layman, *loco cit.*, n. 20; Sporer, *loco cit.*, n. 85; Henno, *loco cit.*, qu. 3, § 4, concl. 2; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 46, et aliis modernis passim contra Navarr., Silvest., Azorium, Sanchez, et alios negantes posse commutare vota eos, qui in illis possunt dispensare solo jure delegato, uti sunt confessarii approbati ordinum Mendicantium, et in eorum privilegiis communicantium. Et ratio nostræ conclusionis, quod nempe etiam dicti confessarii regulares possint illa vota commutare, clara est, quia, ut expresse habetur in c. *Ex parte* 27, De decimis: « Ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur; » et ut expresse habetur in c. *Cui licet* 53, De reg. jur. in 6: « Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus: » atqui potens dispensare, potest totam voti obligationem tollere, quod est plus et majus, ergo a fortiori poterit illam voti obligationem in aliam commutare, quod est minus; qui enim potest remittere totum, potest et partem, adeoque confessarii regulares possunt commutare proportionaliter illa vota, in quibus possunt dispensare.

(121. Secunda autem pars conclusionis, nempe quod nequeant e contra in votis dispensare quicunque illa possunt commutare, de se patet, et admittitur communiter, quia cui conceditur minus, non conceditur majus, ut a sensu contrario colligitur ex juribus adductis. Minus autem est votum commutare, quam in voto dispensare, ut expresse dicit S. Thomas 2-2, q. 88, art. 10, et liquet ex dictis. Unde in bulla *Cruciatæ* datur facultas vota commutandi, ut notant bullæ expositores, non tamen dispensandi. * Verum utrum dispenssare in votis confessarii isti regulares possint, antea spectare oportet *.

(122. Habentes facultatem commutandi vota possunt illa commutare, etiamsi essent jurata. *Vide* verb. JUBILÆUM, art. 2, n. 35.

(123. Item commutare possunt etiam vota in favorem tertii facta, et nondum acceptata. Vide *ibid.*, n. 36.

(124. Non possunt tamen commutare vota in favorem tertii facta, et jam acceptata. Vide *ibid.*, num. 37, et verb. JURAMENTUM, art. 3, n. 33.

(125. Dantur autem aliqui casus, in quibus possunt commutari, imo et relaxari a Papa, et interdum ab episcopis, aliisque prælatis jurisdictionem quasi episcopalem habentibus vota in favorem tertii facta, et jam acceptata, et signanter cum bonum commune id exigit, quia bonum commune prævalet bono particulari, seu privato per vulgaria jura in cap. *Bonæ memoriæ* 3, De postulatione prælat., cap. *Scias*, caus. 7, quæst. 1, l. *Actione* 65, § 5, ff. *Pro socio*, novella 39, cap. 1, vers. *Ea enim*, cum similibus. *Vide* verb. JURAMENTUM, art. 3, n. 34.

(126. Confessarii privilegiati, et regulares possunt commutare votum de non petenda commutatione, aut dispensatione votorum. *Vide* dict. verb. JUBILÆUM, art. 2, n. 39.

(127. Item commutare possunt etiam vota castitatis, religionis, ac trium peregrinationum, Hierosolymitanæ scilicet, Romanæ, ac Compostellanæ, quando non sunt vota proprie dicta, omnino perfecta, omnino certa, omnino determinata, omnino absoluta, et quando sunt conditionata, et ponalia. Vide *supra*, n. 80 ad 91, dicta de votorum dispensatione, et discurre proportionaliter de eorum commutatione, et *Vide* etiam verb. JUBILÆUM, art. 2, a n. 40 ad 49, et discurre hic pariformiter.

(128. Votorum commutatio fieri potest etiam extra confessionem; imo etiam cum absentibus. Vide *supra* n. 114, et dict. verb. JUBILÆUM, art. 2, n. 65. * Simul tamen confer verb. JUBILÆUM, art. 1, n. 75, et not. ad art. 2, num. 60.

(129. An autem commutatio votorum fieri possit etiam a confessario, qui non audit confessionem pœnitentis, et cui pœnitens nullatenus vult confiteri? *Vide* d. verb. JUBILÆUM, art. 2, num. 56 et 67.

(130. Ad commutationem voti in aliud opus manifeste melius, nulla requiritur causa, sed sufficit sola voluntas voventis: unde commutare votum in manifeste melius validum, licitum, et meritorium est. *Communis*.

(131. Ad commutationem voti in aliud opus non melius, sed solum æquale, vel quasi æquale, requiritur aliqua causa; sed sufficit modica: unde commutare votum in aliud opus æquale, vel quasi æquale, et non notabiliter minus absque omni causa est quidem validum, sed venialiter illicitum, quia est abusus potestatis, quamvis in re levi. *Communis*.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Facultas dispensandi, et commutandi vota in ædificationem, non in destructionem prælatis Ecclesiæ concessa est. At qui sine ulla causa, vel ex levi non *modica*, vota commutet, vel dissolvat, hac potestate in ædificationem non utitur. Rursus: ubi causa nulla est, dubitari jure meritoque potest, num adsit in prælato dispensandi, et commutandi potestas; agitur enim de facta Deo promissione, quæ acceptata præsumitur, cujus obligationis solutio, non aliud videtur, quam declaratio, quod in data circumstantia cesset obligatio, aut sese homo obligare non voluerit.

RESPONSIO AUCTORIS.

An talis commutatio vergat in destructionem, et non in ædificationem, judicet, om-

Digitized by Google

nibus attentis, prudens, et eruditus lector; sicuti, an ubi nulla est causa sic commutandi, non solum sit illicitum venialiter, sed dubitari jure meritoque possit, num adsit in prælato dispensandi et sic commutandi facultas? Et recolat quæ ibi trado ego, et infra sub n. 133, sic subdens : Pro praxi observanda in facienda votorum commutatione, non potest tradi una, et certa regula pro omnibus. Unde commutans debet prudenter tria præcipue attendere, juxta id quod statuit Innocentius III, in c. *Magnæ devotionis* 7, De voto, § *Et quidem*, ibi: « Et quidem tria præcipue duximus in hoc negotio attendenda. Quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, et quid expediat secundum utilitatem.» Legat etiam, expendatque testimonia PP. Antoine, et Cuniliati, quæ in *Addit.* ad similem Auctoris responsionem supra attulimus.

(132. Ad commutationem voti in aliud opus notabiliter minus, requiritur necessario causa gravis, ut est imperfecta deliberatio voventis, difficultas exsequendi, damnum spirituale, vel corporale, majus bonum speratum, et hujusmodi; unde commutare votum in aliud opus notabiliter minus absque justa gravi causa, nedum est graviter, seu mortaliter illicitum, cum sit abusus potestatis in re gravi, ut concedunt omnes, sed probabilius est etiam invalidum, quia taliter commutans excedit suam potestatem, cum illam non habeat, nisi ut commutet in æquale; vel si in minus, ratione potestatis dispensandi, non nisi ex justa gravi causa, juxta dicta de dispensatione supra n. 59. Sic communior, et probabilior doctorum sententia cum Suarez, Navar., et Azor., Castrop., Illsung., La Croix, *loc. cit.*, n. 526, et ipso teste multi alii, Henno, *loc. cit.*, aliique plures, quamvis non desint graves doctores, uti Sanchez, Diana, Tambur., Bellegamb., Sporer., *loc. cit.*, num. 120, et alii vere probabiliter defendentes, quod talis commutatio in notabiliter minus sit quidem graviter illicita, sed tamen adhuc valida, et sit solum obligatio supplendi id, quod deest ad æqualitatem materiæ subrogatæ ad materiam voti, uti fit in contractibus permutationis, aut venditionis, qui non annullantur ex inæqualitate rei vel pretii, sed remanet solum onus supplendi, id quod ad æqualitatem deest. At quamvis sit vere probabilis (148) hæc sententia propter hanc paritatem, negatur tamen omnimoda paritas, quia commutatio inæqualis in dictis contractibus validatur a jure ad vitandas lites; non sic autem commutatio notabiliter inæqualis in votis validatur a Deo, cum ipse non det facultatem ministro excedendi notabiliter suam potestatem, quæ data est *in ædificationem, et non in destructionem*, ut expresse dicit Apostolus, *II Cor.* XVI, 8, et XIII, 10. Ubi autem deest conditio, sub qua datur commutandi potestas, deficit ipsa potestas, consequenter et ipsa commutatio, arg. leg. *Si quis sub conditione* 8, ff. *Si quis omissa causa*. Vide *supra*, n. 59.

(133. Pro praxi observanda in facienda commutatione votorum, non potest tradi una, et certa regula pro omnibus. Unde commutans debet prudenter tria præcipue attendere, juxta id, quod statuit Innocentius III, in cap. *Magnæ devotionis* 7, De voto, § *Et quidem*, ibi : « Et quidem tria præcipue duximus in hoc negotio attendenda. Quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, et quid expediat secundum utilitatem. »

(134. Generaliter loquendo, nisi circumstantiæ, et causæ aliud exigant, commutari debet votum reale in reale, personale in personale, mistum in mistum, perpetuum in perpetuum, temporale in temporale, ut sic, quantum fieri potest, magis servetur æquitas, et proportio, ut communiter tradunt doctores.

(135. Item generaliter loquendo in commutatione voti non est attendenda sola materia promissa, sed etiam finis promissionis, nec sola excellentia virtutis in materia subroganda, sed attendi debet id, quod magis ad Dei honorem, et cultum, ac ad voventis salutem conducit, diligenter consideratis omnibus circumstantiis personarum, locorum, et temporum. Unde si quis verbi gratia voverit flagellationem, seu disciplinam ad edomandam carnem spiritui rebellantem, melius commutabitur tale votum in jejunium, quam in orationem, cum magis conducat ad finem intentum edomandæ carnis rebellis jejunium, quam oratio. Licet enim oratio sit excellentioris virtutis in se, non tamen in tali casu cum respectu ad finem et salutem voventis; cum jejunium respectu ipsius sit aptius ad edomandam rebellem ejus carnem, et sic ad retrahendum ipsum a Dei offensa. Et sic de similibus, ut notant communiter doctores recte addentes, quod consultius sit vota personalia commutare in sacramentorum frequentiam, cum sacramenta efficacius et facilius conducant ad salutem voventis, quam cætera opera.

(136. Specialiter, ac particulariter loquendo votum simplex, et absolutum, ac perfectum castitatis perpetuæ, vel religionis ingrediendæ, ad effectum matrimonii contrahendi, solet a Pontifice, aut ejus delegato commutari in perpetuum jejunium certi diei, v. g. feriæ sextæ, et vigiliæ S. fundatoris illius religionis cum competenti aliqua eleemosyna, ac alio bono opere singulis annis, aut in confessionem, et communionem bis in mense, sed sine dubio cum admista dispensatione, cum votum absolutum religionis et castitatis perpetuæ nunquam possit proprie commutari, ex quo aliud omne opus subrogandum minus sit, adeoque semper est admiscenda dispensatio, ut recte notant Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 56, n. 41;

(148) Cum paritas, qua opinio illa nititur, auctore fatente, claudicet, nescio quomodo opinionem ipsam *vere probabilem* esse dicat. Mihi non modo *vere probabilis* non videtur, sed ne probabilis quidem.

Digitized by Google

Sporer., *loco cit.*, n. 127; Felix Potest., tom. I, part. II, n. 1939; Gobat, tom. II, tract. 3, cap. 31, n. 319, et alii passim, docentes posse in similia commutari a confessariis privilegiatis, quando votum non est perfectum, et absolutum.

(137. Votum religionis ingrediendæ, si non petatur commutatio ad effectum matrimonii contrahendi, solet commutari in statum sacerdotalem, et jejunia illius religionis, ac aliquas eleemosynas singulis annis in honorem sancti Fundatoris illius religionis. (138. Non potest tamen quis tale votum commutare simpliciter in susceptionem episcopatus, quia licet status episcopalis secundum se sit perfectior, non efficit tamen hominem perfectiorem, quam religio, licet perfectiorem esse supponat. Unde in cap. *Per tuas* 10, De voto, qui vovit religionem ingredi, et voto non adimpleto susceperat episcopatum, cogitur episcopatum resignare, et religionem ingredi, ibi: « Consulimus, ut si tuam sanare desideras conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua. »

(139. Votum autem ingrediendi religionem strictiorem potest justa de causa commutari a confessariis privilegiatis et regularibus in laxiorem, servata debita æqualitate, et proportione. Sic Viva, *De jubilæo*, qu. 12, n. 11; cum Lessio, Bonac., et Sanchez, ibi citatis; Leander, *De voto*, tract. 1, disp. 18, n. 50; Gobat, tom. II, tract. 3, cap. 41, num. 319 et alii. Vide *supra*, n. 91 et 108.

(140. Votum suscipiendi sacerdotium commutari potest in quotidianam recitationem officii B. M. V., vel septem psalmorum pœnitentialium cum litaniis sanctorum, et in procuranda celebratione Sacri semel in quolibet mense, et in confessionem ac communionem bis singulis mensibus, et in votum castitatis in statu laicali, et si nolit castitatem servare, in perpetuum jejunium singulis sextis feriis, vel Sabbatis.

(141. Votum non contrahendi matrimonium potest commutari in confessionem et communionem semel singulis mensibus, in perpetuum jejunium unius diei singulorum mensium, in quotidianam recitationem litaniarum B. Mariæ Virginis, vel in procuranda quotannis celebratione octo, vel decem Missarum, quamvis Sanchez, *loc. cit.*, n. 42, Gobat, *loco cit.*, cap. 42, n. 325, et quidam alii dicant posse commutari in confessionem singulis mensibus biennio, aut triennio faciendam. Itemque in novem Sacra extra ordinem facienda.

(142. Votum peregrinationis pedestris ita commutari potest, ut labor itineris compensetur totidem dierum jejunio. Peregrinationis vero equestris quatuor dierum iter compensetur unius diei jejunio una cum erogatione in pauperes omnium illarum expensarum, quas vovens juxta sui status conditionem eundo, commorando, et redeundo esset facturus. Sic communis quoad expensas, quas esset vovens facturus eundo, et commorando, et communior, ac verior doctorum sententia quoad expensas quas esset facturus redeundo: Gobat, tom. II, tract. 3, cap. 39, n. 30; Sanchez, *De voto*, cap. 56, n. 11, cum multis ibi citatis; Leander, *De voto*, disp. 18, q. 47; Bardus, et alii ibi allegati: Suarez, lib. IV, cap. 19, n. 10, et alii plures per expressum textum in cap. *Magnæ devotionis* 7, De voto, et voti redemptione, ubi in simili voti commutatione Summus Pontifex vult habendam esse rationem laboris, et expensarum, non solum pro accessu, et mora, sed etiam pro regressu, ibi: « Tibi pro te, et famulis tuis licentiam concedimus votum peregrinationis taliter commutare, ut expensas, quas fueras in eundo, morando, et redeundo facturus, alicui religioso committas in necessarios usus terræ illius (nempe Sanctæ, ad quam Trecensis episcopus, de quo ibi est sermo, peregrinationem voverat) sine diminutione qualibet transferendas. . . laborem etiam laboribus recompenses sollicitius instando vigiliis, devotius vacans orationibus, et in jejuniis fortius te exercens. »

(143. Henriquez autem, lib. VII, cap. 3; Rodriquez, tom. II, c. 110; Graffius, lib. II, cap. 30, n. 9; Felix Potest., tom. I, part. II, a n. 1950, et alii negant in tali commutatione computandas esse expensas, quas vovens esset facturus in regressu, et dicunt non obstare allatum textum, quia ideo in illo casu voluit Pontifex habendam esse rationem etiam expensarum regressus, quia tunc agebatur de summa indigentia eleemosynarum pro liberatione Terræ Sanctæ ab infidelium manibus, ita ut ad talem finem etiam *Cruciatam* indixerit: unde sicuti casus, et circumstantiæ illius textus non habent locum in aliis casibus peregrinationis, ita non faciunt, ut eadem dispositio particularis extendatur ad alios casus generaliter: a diversis enim non fit illatio, nec in ipsis est facienda extensio de casu in casum: leg. *Sed si ante* 17, ff. *De except.*; l. *Papinianus* 2, ff. *De minoribus*, l. *Si maritus* 10, in fine, cod. *De donat. inter virum et uxorem*, cap. *Ad audientiam* 12, De decimis, cum similibus. Quæ opinio est probabilis, et tuta, uti etiam tutam vocat Gobat, *loc. cit.*, quamvis non esse tutam contendat Suarez, *cit. lib.* IX, cap. 19, n. 19,* cui vehementer assentior*.

(144. In simili autem commutatione sunt semper deducendæ expensæ, quas tunc vovens erat domi facturus, cum illæ nullimode includantur in voto. Sic doctores communiter.

(145. Si voto peregrinationis, v. g. ad sacram Lauretanam ecclesiam unitum sit etiam votum de elargiendo dictæ ecclesiæ lampadem centum aureorum, et illa lampas fuerit jam a rectore, seu procuratore nomine dictæ Lauretanæ ecclesiæ acceptata, dictum votum de elargienda tali lampade nequit commutari per dicta supra, n. 124, et sub verb. JUBILÆUM, art. 2, n. 37, et sub verb. JURAMENTUM, art. 3, n. 33. Unde dicta lampas debet ad præfatam Lauretanam ecclesiam transmitti, sed expensis commutatio-

Digitized by Google

nis dictæ peregrinationis, ut scilicet ab expensis, quas esset vovens in ipsa peregrinatione facturus, et ratione commutationis in pauperes erogandis tantum detrahat, quantum sufficit pro transmissione lampadis : si autem votum de elargienda dicta lampade nondum fuerit acceptatum, tunc posset commutari, et lampas alteri ecclesiæ elargiri, seu in alia opera pia, aliqua rationabili causa exigente, converti, per dicta supra, n. 123, et sub verb. JUBILÆUM, art. 2, n. 36.

(146. Expensæ, quas vovens erat in peregrinatione facturus, possunt commutari in totidem eleemosynas elargiendas ecclesiis, pauperibus, aut in alia pia opera applicandis. Non enim necesse est, quod transmittantur ad ecclesiam, et locum, quo erat peregrinatus, quamvis hoc esset consultius, si commode fieri posset. *Communis.*

(147. Labores, incommoda, et pericula peregrinationis commutari debent in opera pia, puta in jejunia, orationes, ac vigilias, juxta text. in cap. *Magnæ devotionis* 7, De voto, allat. *supra*, numer. 142.

(148. In commutatione voti peregrinationis semper addi debent confessiones, et communiones, et visitationes ecclesiarum, seu altarium illorum sanctorum, ad quos erat peregrinatio eo voto directa, ut monent doctores communiter.

(149. Votum jejunandi in perpetuum omnibus Sabbatis commutari potest in recitationem Rosarii cum moderata eleemosyna facienda dictis omnibus Sabbatis, vel in confessionem et communionem bis in singulis mensibus.

(150. Votum jejunandi semel in pane, et aqua, commutari potest in unam confessionem, et communionem, aut in recitationem Rosarii cum verberatione corporis, seu aliqua eleemosyna competente statui, et conditioni voventis.

(151. Votum elargiendi talem eleemosynam pauperibus commutari potest in servitium hospitalis tot diebus sufficientibus judicio prudentis confessarii ad compensandam eleemosynam. Sic e converso votum serviendi hospitali tot diebus commutari potest in correspondentes eleemosynas ipsi hospitali elargiendas. Et hæc pro exemplari sufficiant. (152. Poterit enim prudens confessarius ex istis colligere alias similes commutationes faciendas : dummodo semper attendat ad personarum conditionem, sexum, dispositionem, et hujusmodi, ratione quorum pro eodem voto minor subroganda est peregrinatio, v. g. debili, ac seni, quam viro robusto, ac juveni ; minor eleemosyna pauperi, quam diviti ; pauciora jejunia debili ac laboranti, quam otioso, ac benevalenti, et sic de similibus.

(153. Quæcunque autem vota, exceptis realibus a tertio acceptatis, commutari possunt in professionem religiosam ; imo per ipsam penitus exstinguuntur. Vide *supra*, n. 8 et 9.

(154. Facta commutatione voti liberum forte est voventi, aut prius votum exsequi, aut opus, in quod prius votum commutatum est ; imo etiam ejusdem operis novam commutationem ob rationabilem causam petere, et obtinere poterit. Etsi pluries commutatio facta sit, poterit quodlibet opus substitutum eligere, vel ad votum redire. *Communis.* Et ratio est, quia commutatio facta est in favorem voventis ; quisquis autem favori, ac juri suo renuntiare potest ; cap. *Si de terra* 6, De privileg., et l. *Si quis in conscribendo* 29, cod. *De pactis.* Et quilibet renuntiare potest ei, quod pro se noscitur introductum, textu expresso in cap. *Ad Apostolicum* 16, De regularibus : « Et quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, » ut expresse habetur in cap. *Quod ob gratiam* 61, De regul. juris in 6.

(155. Facta commutatione voti, si opus subrogatum fiat postea impossibile, vel inutile, et si per culpam voventis, vovens omnino liberatur, neque tenetur redire, et exsequi prius votum suum ; quippe quod per legitimam commutationem jam exstinctum est ; obligatio enim semel exstincta non reviviscit : leg. *Qui res* 98, § 8, ff. *De solutionibus.* Peccavit tamen vovens, si ejus culpa opus subrogatum factum sit impossibile : unde si votum, v. g., dandi certam eleemosynam, commutatum sit in aliquod certum jejunium, sive ob justam causam excusantem, sive ex causa culpabiliter contracta nequeat a vovente adimpleri, imo etiam culpabiliter jejunare negligat, atque peccet, non tenetur redire, et exsequi votam eleemosynam. *Communis.*

(156. Qui commutare potest votum, potest et pœnam ratione voti transgressi debitam commutare. Unde si quis, v. g., voverit se non lusurum, aut se non inebriaturum, vel in pœnam jejunaturum, et interea sæpius transgrediendo pœna obligationem ex voto incurrerit, nec persolverit, confessarius privilegiatus poterit ob justam causam, non solum commutare votum quoad obligationem facti, et pœnæ in futurum, sed etiam poterit commutare obligationem pœnarum pro præteritis transgressionibus incursarum. Sic Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 52, numer. 10, et cap. 56, numer. 33 ; Layman, lib. IV, tract. 4, cap. 8, num. 20 ; Suarez, lib. VI, *De voto*, cap. 20, num. 18 ; Sporer, *loc. cit.*, num. 134 ; Henno, tom. I, tract. *in Decalog.*, disp. 2, q. 3, § 5, vers. *Petes sexto ;* et alii plures contra Navarr. et alios. Et ratio est, quia votum magis obligat ad materiam directe promissam, quam ad pœnam, adeoque confessarius potens commutare votum quoad materiam directe promissam, poterit et commutare quoad pœnam : « Cui enim licet quod est plus, licet utique quod est minus, » textu expresso in cap. *Cui licet* 13, De regul. juris in 6 : « Et ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur, » ut expresse habetur in cap. *Ex parte* 27, De decimis.

(157. Habens potestatem ordinariam, vel delegatam ad vota commutanda, tenetur ipsa commutare, cum ob rationabilem cau-

Digitized by Google

sam ad id requiritur. *Communis.* Et ratio est, quia nisi justam causam habeat talem commutationem denegandi, censetur infidelis minister, cum recipiendo dictam facultatem se implicite obligaverit ad ejus usum, ubi requireretur, et justa adesset causa. Vide *supra*, n. 67.

(158 Hactenus dicta de votis currunt, salva proportione, etiam de juramentis. *Vide* verb. JURAMENTUM, art. 3, per tot.

(159. Alia ad rem : *Vide* verb. JUBILÆUM, art. 2, et verb. MATRIMONIUM, quoad impedimenta, art. 3.

(160. Votorum commutatio (religionis, et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera facienda a confessariis conceditur in jubilæo universali; Bened. XIV, tom I, const. inc. *Lætiora Apostolicæ servitutis*, § 4, et const. 110, incip. *In suprema*, § 4.

(161. Vota simplicia, exceptis religionis, castitatis, ac ultramarino, et visitationis liminum Apostolorum, in alia pia opera rite commutari possunt per confessarium electum ex approbatis ab ordinario loci in vim bullæ *Cruciatæ*. Idem, constit. 86, incip. *Quoniam*, § 8.

(162. Vota tamen simplicia etiam castitatis, et religionis, ac sacrarum peregrinationum dispensando commutare potest major pœnitentiarius Romanus. Idem, constitut. 95, tom. I, bull. incip. *Pastor bonus*, § 29.

(163. Vota simplicia in congregatione Missionis emissa a nemine quacunque causa, et occasione dissolvi possunt, præterquam a Romano Pontifice, aut a superiore generali congregationis in actu dimissionis tantum. Idem, const. 69, incip. *Quo magis*. (164. Vota simplicia, quæ in Societate Jesu post biennium probationis emittuntur, beneficiorum vacationem non inducunt : quamvis in congr. quinta generali ipsius Societatis, canone 19, statutum fuerit, ut qui Societati nomen dederit, expleto biennio, antequam vota simplicia emittat, ecclesiastica beneficia dimittere debeat

(165. Quo casu hujusmodi beneficia, si minus propter professionem, at propter renuntiationem vacare intelliguntur. Idem, const. 25, incip. *Ex quo*, § *Denique*, ex Suarez, Pellizario, Riganti, Pitonio, et aliis.

(166. Ad complementum, juvat hic adjicere decretum Summi Pontificis Benedicti XIV, prævio consilio particularis congregationis ab ipso deputatæ Cardinalium de Gentilibus, Cavalchini, Tamburini, et Besotii, nec non archiepiscopi Damasceni, congregationis Episcoporum et Regularium, atque ejusdem congregationis particularis secretarii, super dubio, an vota, quæ a Conversis Cisterciensibus emittuntur, simplicia sint, vel solemnia?

Delata ad pœnitentiariæ Apostolicæ signaturam controversia de votis, quæ in professione a Conversis Cisterciensibus emittuntur, an simplicia sint, vel solemnia, eadem a dubii definitione se abstinuit, eo potissimum sub obtentu, quod de ea agendum esset in congregatione Episcoporum et Regularium, cui jam exhibita fuerant suffragia Patrum Generalis, et procuratoris generalis ordinis Cisterciensis. Sed, cum nec ab hac ullum usque adhuc judicium prodiisset, opportunum et congruum fore reputantes, si rem totam ad Nos avocaremus, in congregatione particulari coram Nobis habenda discutiendam, supradictorum cardinalium, et secretarii congregationem deputavimus : quæ habita coram Nobis die 16 currentis mensis Martii, unanimi censuit suffragio, vota a Conversis Cisterciensibus in professione emissa, non esse simplicia, sed solemnia.

Et sane, si in ipso famine Cisterciensis exordio, quod sæculo undecimo contigit, monachis Conversi adjuncti fuerunt, ut monachi in claustro solitudini, et contemplationi vacarent, et Conversi domos illas regerent, in quibus utilia hominum necessitati parabantur, et sic de Conversis statutum est. Tuncque definierunt, se Conversos laicos barbatos licentia episcopi sui suscepturos, eosque in vita sua, et in morte, excepto monachatu, ut semetipsos, tractaturos : uti legitur in exordio Cisterciensis cœnobii, tom. I *Bibliothecæ Patrum Cisterciensium*, Tissier autumantis citatum opusculum esse S. Stephani abbatis Cisterciensis.

Si, coacto secundo Lateranensi concilio anno 1139, sub Pontifice Innocentio II, statutum est, nulla futura matrimonia, quæ post professionem fierent a Conversis; si hoc ipsum confirmatum fuit in concilio Rhemensi, habito sub Eugenio Papa III, qui in minoribus fuerat abbas Sanctorum Vincentii, et Anastasii Romæ ad Aquas Salvias, sanctique Bernardi discipulus; si Pontifex Alexander hujus nominis III, in sua decretali, quæ incipit : *Non est vobis*, sub tit. *De regularibus*, æquali erga abbatem obedientiæ jugo respondit esse subjectos tum monachos, tum Conversos ordinis Cisterciensis : suadent hæc omnia, quod vota a Conversis Cisterciensibus in professione emissa non simplicia sunt, sed solemnia : quod etiam fuit animadversum a Mabillonio, monachorum institutorum peritissimo, in sua præfatione in part. II sæculi sexti ordinis Sancti Benedicti, § 9.

Nec ut ab hoc sensu quis recederet, quidquam prodesse potuerunt verba, quæ a Conversis Cisterciensibus in professione emittuntur : *Pater, promitto tibi obedientiam de bono usque ad mortem;* præterquam quod enim compertum est, quinque prioribus Ecclesiæ sæculis nullam in emittenda professione verborum formam fuisse præscriptam, et quod nec etiam juxta præsentem disciplinam unius instituti regularis professio concordat in verbis cum professione alterius instituti; cum alumni Sancti Benedicti promittant stabilitatem loci, conversionem morum, atque obedientiam secundum Regulam Sancti Benedicti; alumni Sancti Dominici voveant obedientiam secundum Regulam Sancti Augustini; alumni Sancti Brunonis suorum morum conversionem promittant; quæ promissio æquipollere videtur promissioni Conversorum Ci-

Digitized by Google

sterciensium, obedientiæ de bono usque ad mortem.

Vis in eo consistere visa est, quod ad effectum, de quo agitur, nedum verborum, sed cæterarum quoque extrinsecarum circumstantiarum ratio habenda est. Cumque in libro *Antiquarum definitionum* Ordinis Cisterciensis, dist. 14, c. 1, tit. *De receptione et professione Conversorum*, legatur, quod post expletum novitiatus annum, Conversus ad capitulum monachorum accedens, prostratus primo veniam petat, et deinde surgens ad imperium abbatis, et interrogatus spondeat stabilitatem suam, post quæ abbas dicat : *Det Deus perseverantiam;* omnesque respondeant : *Amen :* quodque omni proprietate relicta, suorumque bonorum facta, prout libuerit, maxime favore pauperum, distributione, flexis genibus jungat manus, easque ponat inter manus abbatis, eique promittat obedientiam de bono usque ad mortem, abbasque respondeat : *Det tibi Deus vitam æternam;* respondentibus omnibus : *Amen :* quæ omnia quoque leguntur in rituali Cisterciensium lib. VI *De ritu suscipiendi fratres*, cap. 7, sub titulo *De receptione et professione Conversorum.*

Accessus ad capitulum, non tempore novitiatus, sed post novitiatum expletum per integrum annum, promissio stabilitatis post interrogationem de ea factam, et ejusdem acceptatio facta ab abbate, cujus est professionem admittere, solemnis proprietatis abdicatio, genuflexio ante abbatem, et cætera solemnia, quæ comitantur professionem obedientiæ de bono usque ad mortem, æternæ vitæ precatio, memoratæ obedientiæ correspondens, satis innuunt, professionem esse solemnem, in eaque simpliciter et virtualiter contineri vota castitatis, paupertatis, et obedientiæ, quæ utpote juncta professioni regulari, non simplicia sunt, sed solemnia, juxta responsum Bonifacii VIII, in capit. unic. *De voto, et voti redemptione*, in sexto.

Unanime interessentium congregationi suffragium pro solemnitate votorum, quæ a Conversis Cisterciensibus in professione emittuntur, fuit a Nobis in ipsa congregatione oretenus approbatum. Hoc ipsum a Nobis præsenti nostro decreto confirmatur, quod nostro sigillo munitum archiepiscopo Damasceno congregationis Episcoporum et Regularium, et particularis congregationis secretario, manibus nostris consignamus, demandantes, ut illud referat inter acta congregationis Episcoporum et Regularium, et decreti exemplar ad pœnitentiariam Apostolicam, et congregationem Cardinalium concilii Tridentini inter sua acta asservandum, transmittat : ut unanimis in posterum sit sententia de solemnitate votorum, quæ a Conversis Cisterciensibus emittuntur.

Datum ex palatio Apostolico Quirinali hac die 21 Martii 1747.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(167. Circa votorum irritationem, dispensationem, et commutationem, vide quæ de privilegiis Regularium alibi adnotata sunt.

RESPONSIO AUCTORIS.

Videat quidem prudens, et eruditus lector, quæ de privilegiis regularium alibi adnotata sunt; sed videat etiam, et ponderet, quæ ego ibi tradidi, et quæ in hisce animadversionibus ad ipsas notas respondeo sub verb. PRIVILEGIUM. Videatur insuper egregium, immortale, æternumque commendabile opus, Bullarium nempe præclarissimi ordinis Prædicatorum editionis Romanæ 1740, Hieronymi Mainardi, et præcipue tom. VIII, et tract. *De consensu bullarum*, et facile convinci poterit quicunque contrarium senserit de variis privilegiis Regularium, et ad id signanter videantur tradita ibi pag. 434, num. 6, præcisis his verbis. Qua de re audiendus illustrissimus et reverendissimus D. secretarius congregationis Indulgentiarum, qui dubia varia proponens eidem Sac. cong., feria 6, 30 Apr. 1734, in palatio Apostolico Quirinali habendæ, sic eminentissimos Patres, et reverendissimos Consultores alloquitur in scripto Romæ 1734, impresso typis Philippi Zenobii typographii Sanctissimi D. N. Clement. XII.—« Sane quod spectat ad expressam revocationem laudatæ constitutionis (a Benedicto XIII. concessæ Ordini Minorum, et a Clemente XII, simul cum aliis revocatæ) similis instantia fuit in hac Sacra congregatione proposita sub die 21 Januarii proxime præteriti anni, supplicantibus canonicis regularibus Sancti Salvatoris, resolvi. — An per moderationem, seu revocationem expressam bullæ inc. *In sede*, favore ipsorum a Benedict. XIII editæ Indulgentiæ ipsis concessæ, nec non privilegium Altaris, intelligeretur revocatum cui dubio responsum fuit ab eminentissimis Patribus. — *Negative.* — Ex quo in narrativa bullæ Sanctissimi D. N. Clementis XII, ad amovendam litium occasionem, ad terminos juris communis Benedicti constitutiones reduci asseratur, ac proinde solum privilegia contentiosa, ac jurisdictionem Ordinariorum impedientia videantur revocari. » Quæ sane verba, quibus illustrissimus D. secretarius mentem sacræ congregationis declarat, apprime notanda sunt, ut id genus dubia solvi possint. Hæc *ibi*. Unde cum ex hac sacræ congregationis declaratione a Clemente XII in sua constitutione *Romanus Pontifex*, solum privilegia contentiosa, ac jurisdictionem Ordinariorum impedientia, videantur revocari, istis solum exceptis, omnia alia in suo firmo robore subsistunt, quæ Benedictus XIII concessit, ac innovavit in duodecim constitutionibus pro variis regularibus editis, et in dict. constitut. *Romanus Pontifex* a Clemente XII enuntiatis; sicque inter varia alia, firmum subsistit regularium privilegium recipiendi ordines extra tempora, et posse episcopos libere, licite, ac tuto sine ullo scrupulo eos sic ordinare, ut expresse declaravit, ac innovavit perennis memoriæ Bened. XIII nedum in concilio Romano, sed etiam in constitutione *Pretiosus* edita pro inclyto ordine Prædica-

Digitized by Google

torum ; ibi : « Quia vero ad aures nostras pervenit, non obstante nostra, ac etiam novissimi Romani conc. per Nos habiti, tit. 5, c. 11, sententia, quod regulares vigore suorum privilegiorum tuto, absque novo indulto Apostolico extra tempora Sacris initiantur etiam post (N. B.) Decreta concilii Tridentini, a nonnullis etiam episcopis in dubium revocari, an inter tales regulares, licet indefinite nominatos, recenseri debeant fratres prædicti Ordinis Prædicatorum, motu, scientia, et auctoritate prædictis declaramus, eosdem fratres ex nostra, ac dicti etiam Romani concilii definitione eodem privilegio frui, ac potiri posse, et debere, et quatenus opus sit, pariformiter dispensantes super quacunque contraria dispositione, de novo illud idem privilegium pro singulari nostra erga prædictum ordinem, intra cujus dilectissimum sinum adhuc versari gloriamur, dilectione, iisdem Fratribus signanter, specifice, et in individuo concedimus, quatenus a diœcesano, eoque renuente, aut non valente, a quocunque catholico episcopo ordines extra tempora suscipere, et episcopi ipsis conferre libere et licite valeant juxta declarationem S. Pii V, in bulla *Etsi Mendicantium*, et decretum Clementis VIII, et uberius explicata in dicto concilio Romano nostro, tit. 5, cap. 1 et 21, cap. 11. » Sic ibi ad litteram : *Vide* laudatum Bullarium tom. VI, pag. 621, et pag. 733, ubi refertur constitutio Clementis XII, incip. *Cum sicut*, in qua expresse declarat, se in d. const. *Romanus Pontifex* non revocasse privilegia regularium ipsis concessa ante dictas constitutiones Benedicti. Idemque concessit fratribus nostri Ordinis de Observantia in const. *Summe decet*, in qua confirmatis et innovatis centum et tredecim constitutionibus suorum antecessorum Pontificum ibi enuntiatis, pro variis privilegiis Ordini nostro concessis sub num. 121, inter alia sic expresse concedit, et innovat « Privilegia, et indulta spiritualia, et temporalia, etiam quoad susceptionem sacrorum ordinum extra tempora a jure statuta, absque exhibitione litterarum Apostolicarum in forma brevis, vel expresse, vel per viam communicationis regularibus concessarum, ut nuper a nobis ipsis in concilio Lateranensi, et per congreg. particularem decretum est, aliasque gratias per modum etiam communicationis, et extensionis cum aliis ordinibus Mendicantium, et non Mendicantium, præsertim S. Benedicti, ac quem Nos professi sumus, ordinis Prædicatorum, nec non Societatis Jesu. » Nec dictum privilegium suscipiendi ordines extra tempora ademit regularibus Bened. XIV, in sua const. *Impositi nobis*. Imo tale privilegium eos habere aperte innuit in § *Hæc profecto* expresse dicens : « Neque enim regulares conqueri poterunt, quod recusantibus episcopis sacram ordinationem administrare, præterquam in temporibus ab Ecclesia statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis, effectu vacua remaneant ; episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis regularibus facile invenient. » Quid clarius ? Nisi torqueantur, et perperam interpretentur dicta verba Pontificis. Vult quidem laudatus Pontifex, quod regulares dependeant, ut par est, a propriis diœcesanis ordinariis pro suscipiendis ordinibus, et ipsis absentibus sacram ordinationem extra tempora ipsis administrare, vel si ordinationem in temporibus ab Ecclesia statutis non sint ipsi habituri, nequeant regulares ab extra diœcesanis episcopis ordinari, nisi secum attulerint authenticam attestationem vicarii generalis, vel cancellarii, aut secretarii ejusdem episcopi diœcesani, ex qua constet, vel ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Cæterum per omnia superadducta, et signanter per dicta expressa verba ejusdem Benedicti XIV et per constitutiones *Pretiosus*, *Summe decet*, aliasque Benedicti XIII, non revocatas, quoad hoc a Clemente XII, in sua constit. *Romanus Pontifex*, juxta supra allatam declarationem sacræ congregationis, viget in regularibus privilegium suscipiendi ordines extra tempora, et extra ipsa possunt proprii diœcesani episcopi eos licite ac tuto ordinare. Sicque servant plurimi episcopi pietate, virtute, et intelligentia Apostolicarum constitutionum conspicui, regulares omnes suæ respectivæ diœcesis sine alio, et illos aliarum diœcesum cum supradicta authentica, sine ullo scrupulo in dies ordinando, et in traditis de administrata ordinatione documentis apponendo, eos regulares sic extra tempora ordinasse vigore suorum privilegiorum, et plura similia documenta egomet ipse vidi, et alii alia de recenti videre. Alia ad rem *Vide* in *Supplem.* verb. ORDO, ORDINARE, et toties laudatum D. Alfonso de Liguori in suo novissimo opere edito 1759, cap. 20, ponto 4, § 2, num. 115. Videatur insuper constit. Benedicti XIII, incip. *Libenter*, § 18, pro inclyto ordine Eremitar. S. Augustini, ubi id eis competere declarat, et decernit, et quatenus opus sit, super quacunque contraria dispositione dispensat, ac de novo privilegium hujusmodi eis concedit.

VOTUM PRO ELECTIONE.

Vide verb. ELECTIO, *art.* 3, *et* 4, *fere per tot.*

VOTUM PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII.

Vide verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, *art.* 1, *a n.* 22 *ad* 26.

Digitized by Google

USUCAPIO, SEU PRÆSCRIPTIO.

Quoad ea, quæ concernunt naturam, effectum, et conditiones usucapionis, seu præscriptionis.

(1. Præscriptionis nomen sumitur dupliciter, scilicet generatim, et magis proprie. *Communis.* (2. Præscriptio generatim sumpta idem est ac exceptio, sive oppositio ad excludendam actionem, seu intentionem alterius; sic accipitur præscriptio in l. *Sed et si*, § *Ultimo*, ff. De judiciis, et in toto tit. ff. et cod. *De exceptionibus, et præscriptionibus.* (3. Præscriptio magis proprie sumpta idem est ac exceptio peremptoria, per quam possessor bonæ fidei post decursum certi temporis a lege definiti, potest repellere dominum rem suam pristinam repetentem, vel antiquo suo jure uti volentem, opponendo ei continuatam possessionem talis rei, vel juris bona fide factam tempore a lege definito ad præscribendum, seu peremptorie excipiendum, per quam possessionem talem rem, vel jus fecit suum. Et sic accipitur præscriptio toto titulo 26 *De præscriptionibus*, l. II *Decretal.*, et titul. 6 *Institut.*, De usucapionibus, et long: temporis præscriptionibus, et ff. *De usurpationibus et usucapionibus.*

(4. Unde quamvis nonnulli doctores cum Glossa in l. III, ff. *De usucapionibus* in hoc distingui dicant præscriptionem ab usucapione; quod præscriptio proprie sit rerum immobilium, usucapio vero rerum mobilium, quam differentiam etiam Scotus, in 4, dist. 15, quæst. 7, § *De secundo*, supponere videtur, ibi: « Ex hoc dico, quod præscriptio in immobilibus, et usucapio in mobilibus, » etc., (5. tamen hæc distinctio non habet fundamentum in jure, ut patet ex princip. *Institut.* De usucap. et præscript., ubi usucapio etiam ad res immobiles refertur, et ex l. *Unic.*, cod. *De usucapion. transformand.*, ubi sublata est omnis differentia inter usucapionem, et præscriptionem. Nam præscriptio locum habet in rebus mobilibus, cum post illarum usucapionem opponi possit exceptio præscriptionis contra priorem dominum: Covarr., in *Regul. possessor.*, part. I, § *Unic.*, num. 2 et 3. Unde jam passim pro synonymis accipiuntur hæc nomina *præscriptio* et *usucapio.*

(6. Hinc præscriptio, seu usucapio definitur communiter a doctoribus, quod sit « acquisitio, seu adjectio dominii rei alienæ, vel alieni juris peremptio per continuationem possessionis tempore, et modo a legibus definito. » In qua definitione notanter ponitur *vel alieni juris peremptio;* ad denotandum, quod per præscriptionem, seu usucapionem eliditur etiam jus alienum, seu acquiritur jus aliquod, quod antea alteri competebat, cum etiam jura aliena præscribi possint, ut usufructus, servitus, etc., imo etiam liberatio a debito aliquo.

(7. Præscriptio, seu usucapio fuit primitus introducta per jus civile, et deinde per jus canonicum approbata. Patetque ex l. I et seq., ff. *De usurpationibus, et usucapionibus*, et l. I et seq., cod. *De præscription. longi temporis*, cum similibus, ubi plurimæ leges præscriptionem, seu usucapionem introducentes reperiuntur, quæ postea per jus canonicum l. II *Decretal.*, tot. tit. 26, *De præscriptionibus* fuerunt approbatæ; quod et patet ex c. *Vigilanti* 5, De præscriptionibus: ubi Alexander III, Summus Pontifex, dicit, quod « Ephesinus propter vitandam miserorum segnitiem, et longi temporis errorem, et confusionem, primus triennali, vel quadragennali præscriptioni vigorem legis imposuit. »

(8. Præscriptio, seu usucapio varias ob justas causas fuit introducta, primo scilicet ob bonum publicum, ne rerum dominia diu, et fere semper essent incerta, textu expresso in lege *Bono publico* 1, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, ibi: « Bono publico usucapio introducta est, ne scilicet quarumdam rerum diu, et fere semper incerta dominia essent, cum sufficeret dominis ad acquirendas res suas statuti temporis spatium. » Secundo, ut præcidantur innumerabiles, et perpetuæ lites, quæ cæteroquin oriri possent; textu expresso in l. *Usucapio* 5, ff. *Pro suo*, ibi: « Usucapio rerum etiam ex aliis causis concessa, interim propter ea, quæ nostra existimantes possideremus, constituta est, ut aliquis litium finis esset. » Tertio, ne rerum possessores prope immortali timore teneantur; textu expresso in l. *Cum notissimi* 7, in princ. cod. *De præscript.* 30 *vel* 40 *ann.*, ibi: « Ne possessores ejusmodi prope immortali timore teneantur. » In perpetuo enim timore essent, ne res ab ipsis possessæ evincerentur; unde in præjudicium boni publici fieret, ut nemo auderet fundos colere. Quarto, ut hoc modo segnities, ac desidia hominum, qui res suas ac jura in judicio persequi negligunt, evacuetur, dum ea punitur ademptione dominii, juxta l. *Ut perfectius* 2, De annali exceptione, ibi: « Sed sit aliqua inter desides et vigilantes differentia. » Et cap. *Vigilanti* 5, De præscriptionibus, ibi: « Ephesinus enim propter vitandam miserorum segnitiem, et longi temporis errorem, et confusionem, primus tricennali, vel quadragennali præscriptioni vigorem legis imposuit. » Unde sibi imputare debet negligens; l. *Quod quis*, ff. *De regul. juris.* Jura enim subveniunt vigilantibus, et non dormientibus, ut habetur in leg. *Non enim*, ff. *Ex quibus causis majores*, et leg. *Pupillus*, ff. *De iis quæ in fraudem creditorum.*

(9. Præscriptio, seu usucapio est valida, et licita, nedum in foro externo, sed etiam in foro interno, seu conscientiæ, adeo ut, qui aliquam rem legitime præscripsit, non teneatur ad ejus restitutionem, nequidem in foro conscientiæ, quamvis post legitime completam præscriptionem certo cognosca'

Digitized by Google

rem illam antea fuisse vere alienam. Sic expresse Glossa in cit. cap. *Vigilanti* 5, De præscriptionibus, verb. *Noverit;* Abbas, *ibid.*, n. 6; Fagnan., in cap. *Si quis*, n. 40, De regularibus; Scotus in 4, dist. 15, q. 2, § *De secundo*, et communis aliorum. Et ratio, quam optime adducit Scotus, *loc. cit.*, est, quia translatio dominii facta auctoritate legis publicæ justæ, justa, et licita est, sed in præscriptione, seu usucapione legitime completa intervenit talis translatio dominii, ergo justa, et licita est etiam in foro interno, seu conscientiæ. Minor clare patet ex juribus adductis *supra*, n. 7 et 8. Major autem probatur, quia lex justa potuit a principio juste determinare prima rerum dominia, ut in confesso est apud omnes, ergo etiam posterior lex justa juste de iisdem potuit, et poterit disponere juxta temporum varietatem, et exigentiam, seu necessitatem boni publici, arg. cap. *Sciendum* 1, et c. *Regulæ* 2, dist. 29, ibi : « Regulæ sanctorum Patrum pro tempore, loco, et persona, et negotio, instante necessitate, tradita sunt. » Quod autem præscriptio, seu usucapio introducta sit a lege publica propter exigentiam, et necessitatem boni publici clare, et expresse habetur ex leg. *Bono publico* 1, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, et aliis legibus cum præcisis suis verbis relatis *supra*, n. 8, adeoque, etc. Tum quia non est verisimile, quod sacri canones, qui principaliter salutem animarum considerant, cap. *Novit* 13, De jud.; cap. *Ut animarum* 2, De constitut. in 6, præscriptionis jura approbassent, si effectus eorum conscientiæ repugnaret.

(10. Ut autem præscriptio, seu usucapio sit legitima, vimque licite, et juste transferendi rerum dominium habeat, requiruntur quinque conditiones a doctoribus in his vulgatis versiculis comprehensæ :

Non usucapies, ni sint tibi talia quinque.
Bona fides, justus titulus, res non vitiosa.
Ut res tradatur, tempus quoque continuetur.

Seu ut alii tradunt :

Non usucapies, ni sint tibi talia quinque.
Si res apta, fides bona, si titulus quoque justus.
Possideas juste, completo tempore legis.

Unde juxta ordinem horum ultimorum versiculorum expendentur singulæ conditiones per distinctos paragraphos, majoris claritatis gratia.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(11. Præscriptio jure *Digestorum* nil aliud erat, quam modus excludendi auctorem, ejusque actionem, et quidem vel ideo quod elapso tempore legitimo ageret : sunt enim quibuscunque actionibus præfixa certa tempora, intra quæ institui debebant, quo non facto, actoris intentio præscriptione excludebatur; idque ut finis imponeretur litibus, quæ alias perpetuum habituræ essent effectum in detrimentum reipublicæ; tum etiam ut puniretur negligentia cessantium agere, et jus suum persequi.

(12. Dominium interim præscriptio haud tribuebat præscribenti, sed hunc effectum tantummodo habebat usucapio, quæ currebat etiam contra negligentes, salva interim quandoque restitutione in integrum. Præscriptio vero haud oberat impeditis, et non negligentibus, leg. 16, cod. *De inofficios. testament.* Quod et jus canonicum repetiit, cap. 13 et seq., cap. 16, q. 3, cap. 10, 14, 15, *De præscript.*

(13. Quoniam vero præscriptio exceptionem solummodo producebat, et possidentem defendebat, inde quoties reus possessione casu exciderat, rei vindicatione uti, et rem a quovis possessore repetere haud poterat, quem effectum unice habebat usucapio.

(14. At imperator Justinianus in l. un. cod. *De transform. usucap.*, illi præscriptioni, quæ possessionem quamdam qualificatam rerum a reo possessarum continebat, effectum usucapionis tribuit, ut non tantum jus excipiendi, sed etiam agendi reo tribueret; id quod etiam jus canonicum e jure Romano assumpsit, et nonnulla quædam noviter ei addidit.

* Usucapioni opponitur usurpatio. Sicuti enim usucapio est modus acquirendi dominii : ita usurpatio est interrumpendi dominium, ut patet ex ipsius definitione quæ sic legitur in lege 2, *De usurpat. et usucap.* : « Usurpatio est usucapionis interruptio. Oratores autem usurpationem frequentem usum vocant. » Hæc scilicet loquendi ratione utuntur ad indicandum frequentem usum alicujus rei, v. g. hæc vox in hunc sensum *usurpatur*, videlicet frequenter hac voce in hunc sensum utimur. Longe autem diverso sensu a jurisconsultis accipitur verbum illud usurpare, cum aliqua tamen analogiæ similitudine. Usurpatio enim interrumpere significat non vi quidem, et proprietate verbi, sed per consequentiam, ut recte ait Revardus ad XII *Tab.*, tit. *De divortiis.* Quia nimirum, « si id quod possideo, nec dum tamen usucepi, ab aliquo usurpatur; sive usu, et possessione apprehenditur, id possessionem meam sua usurpatione interrumpit. »

§ I.

Si res apta.

Quoad ea quæ concernunt res quæ possunt præscribi, vel non.

(1. Antequam de rebus, quæ usucapi, vel præscribi possunt, agamus, ordinis ratio postulat, ut de personis agamus, quæ hoc jure uti valent. Cum usucapio sit juris civilis, cujus communionem soli cives habent, hinc sequitur solos cives jus usucapiendi habuisse, non etiam peregrinos, de quo vide *Leges XII Tabularum*, tab. 3, cap. 3. Communicatum tamen postea fuit Latinis, iisque quibus jura commerciorum concessa erant. « Ex civibus autem usucapere potest, scilicet paterfamilias, filiusfamilias, et maxime miles in castris acquisitum usucapiet : » leg. 4, § 1, ff. *De usurpat. et usucap.* Si animadvertatur ad jus anti-

Digitized by Google

quum civile, quisque procul dubio comperiet verbum illud *maxime* additum a Triboniano fuisse. Jure enim *Pandectarum* si filiusfamilias non poterat quidquam proprium habere, nisi quod in castris, sive occasione militiæ acquisiverat, consequens est ut ex ea sola causa potuerit usucapere: ex cæteris causis non ipse, sed pater per ipsum usucapiebat. Jure autem Justinianeo cum filiusfamilias acquirat sibi quidquid non ex re patris acquirit, consequens est, ut cum non ex re patris acquirit, ipse usucapiat.

(2. Secundo usucapere potest « pupillus, si tutore auctore cœperit possidere. Si non tutore auctore possideat, et animum possidendi habet, dicemus posse eum usucapere, » d. leg. 4, § 2, puta si sit infante major, ita ut possit intelligere se possidere. Sed neque solum pupillus, verum etiam infans potest usucapere. Licet enim infans, qui ejus ætatis non sit, ut intellectum capiat, si strictam juris rationem sequeremur, nec tutore auctore possessionem acquirere posset; obtinuit tamen, quod « infans possidere recte potest si tutore auctore cœpit. Nam judicium infantis suppletur auctoritate tutoris. Utilitatis enim causa hoc receptum est: nam alioquin nullus sensus sit infantis accipiendi possessionem: » l. 32, § 2, ff. *De acquir. vel amitt. poss.*

(3. Tertio: « Furiosus, quod ante furorem possidere cœpit, usucapit. Sed hæc persona ita demum usucapere potest, si ex ea causa possideat, ex qua usucapio sequitur, » l. IV, § 3, ff. *De usurpat. et usucap.* Hic notandum discrimen, quod intercedit inter personam infantis, et furiosi: ille tutore auctore incipere potest acquirere, iste non. Quamvis enim persona furiosi sit favore digna, ut quamvis ad instar pupilli voluntatem non habeat, possessionem tamen retinere possit, quæ nonnisi animo, et voluntate possidendi retinetur, in cæteris tamen licet furiosi similes sint infantibus, communi hoc jure utimur, ut quemadmodum quisquis alius, ita et furiosus demum usucapere possit. Uno casu furiosus etiam inchoare usucapionem poterit. Nam « si servo furiosi, vel infantis res tradita sit, usu per eum eas personas capere posse constat l. 28, ff. *Usurpat.* » Hoc tamen ita si ex causa peculiari res servo tradita sit. Secus si extra hanc causam. « Sed enim, eum, qui suo nomine nihil usucapere potest, ne per servum quidem posse Pedius scribit l. 8, § eod. » Et generaliter de iis, per quos quis usucapere potest, vide textum in l. 7, § 8, *Pro empto*, et in l. 54, § 4, ff. *De acquir. rer. dom.*

(4. Quarto: « Is autem qui apud hostes est, nihil per usum sibi acquirere potest, nec captam possessionem poterit implere, dum est apud hostes. Hoc amplius nec postliminio reversus recuperabit per usum dominii acquisitionem, » l. 23, § 1, ff. *Ex quib. caus. maj.* Unde hæc regula generalis profecta est, de qua in l. 118, ff. *De reg. jur.*: « Qui in servitute est, usucapere non potest. Nam cum possideatur, possidere non videtur. » Quæ diximus de servo obtinent hodie de filiofamilias. Hinc oritur quæstio, an saltem per filios suos, aut servos usucapere possit, de qua textus est in leg. 45, § 7, ff. *De usurpat. et usucap.*

(5. Quinto, hæreditas jacens non poterit usucapi, si juris communis rationem sequamur, maxime si a defuncto inchoata non fuerit, l. 45, § 1, ff. *De usurpat. et usucap.* Nam si defunctus acquisivisset possessionem, posset fingi quasi per hæreditatem suam sibi superstes eam continuare. Sed si eam non acquisivit, qui poterit videri possedisse si strictam juris rationem sequamur? cum mortuus sit, antequam acquireret possessionem, nihil autem post mortem suam acquirere potuerit. Aliter tamen jure singulari obtinere docet Papinianus in l. 44, § 3, ff. eod. Maxime vero « cœptam usucapionem a defuncto posse, et ante aditam hæreditatem impleri constitutum est, l. 40, ff. eod. Igitur post mortem ejus, qui hominem emerit, expleto tempore, quod defuisset ad usucapionem, quamvis eum hominem hæres possidere non cœpisset, fiet tamen ejus: sed ita hoc si nemo eum possedisset, l. 6, § 2, ff. *Pro emptore.* »Quandiu autem nemo possidet, potest fingi defunctus quasi sibi superstes continuasse possessionem, et eam sine ulla interruptione ad hæredem suum transmisisse. Hoc autem fingi non potest, si alius interim possederit: duo enim in solidum non possunt possidere. Insuper supradicta obtinent, etsi illi, qui nomine defuncti in possessione erant, discesserint: l. 3, ff. *Pro emptore.*

(6. Omnes res possunt præscribi, seu usucapi, nisi lege aliqua, vel speciali ratione præscribi, seu usucapi prohibeantur: *Communis*, per text. in § 1 et seq. *Instit.* De usucap., et in l. *Longi temporis*, cod. *De præscriptionibus longi temporis* cum similibus, ubi, ut legenti patet, rerum præscriptio, seu usucapio conceditur indistincte, aliquibus duntaxat rebus postmodum exceptis.

(7. Definitio, quam hic tradit auctor, rerum quæ usucapi possunt, nimis generalis est; indiget propterea declaratione, semper tamen spectato *Pandectarum* jure, cum, quæ canonici juris propria sunt, satis ab auctore allata sint. Quapropter « usucapionem recipiunt maxime res corporales, exceptis rebus sacris, sanctis, publicis populi Romani, et civitatum, item liberis hominibus, » l. 9, ff. *De usurpat.* ut etiam infrà fusius. Usucapiuntur non solum res mobiles, sed et res soli, sive sit domus, sive ager, sive fundus, non tamen possessiones. Hinc Javolenus in l. 115, ff. *De verb. signif.*, quæstionem de hoc proponit, et definit. Ita ille: « Quæstio est, fundus a possessione, vel agro, vel prædio, quid distet? Fundus est omne quidquid solo tenetur. Ager est, si species fundi ad usum hominis comparatur. Possessio ab agro juris proprietate distat: quidquid enim apprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec

Digitized by Google

potest pertinere, hoc possessionem appellamus. Possessio ergo usus, ager proprietatis loci est. Prædium utriusque suprascriptæ generale nomen est : nam et ager, et possessio hujus appellationis species sunt. » Ex definitione possessionum satis liquet eas usucapi non posse. Cum enim sint res, quarum proprietas, seu dominium ad nos pertinere non potest, sequitur usucapionem, quæ nihil aliud est, quam adeptio, seu adjectio dominii, in eas cadere non posse. Talia erant prædia provinciarum, quæ jure Italico non gaudebant, et quæ ideo jure *Pandectarum* non potuisse usucapi constat ex *Institutionibus* hoc titulo.

(8. *Incorporales res traditionem, et usucapionem non recipere manifestum est*, l. 43, § 1, ff. *De acquir. rerum domin.* Cum tamen prudentes usum in servitutibus pro ficta quadam possessione acciperent, quamdam etiam servitutum usucapionem excogitaverunt. Hinc factum est ut servitutes non quidem ex natura sua, nec ex *Legibus XII Tabularum*, quæ de his tacuerant, sed fictionis auxilio, et ex jure, quod auctoritas prudentum constituerat, usucapi possent. Unde Aggenus Urbicus ad Frontonem : « Iter capitur usu, quod in usu biennio fuit. » Hoc jus adhuc vigebat Ciceronis temporibus. Ita enim ille in oratione pro Cæcinna, « Fundus a patre relinqui potest : at usucapio fundi, hoc est finis sollicitudinis, et periculi litium non a patre relinquitur, sed a legibus. Aquæ ductus, haustus, iter, actus a patre, sed rata auctoritas harum rerum omnium a jure civili sumitur. » Cum autem nec servitutum usucapio a germanis juris principiis abhorreret, hanc abrogavit lex Scribonia Tiberii temporibus lata, ut censet Revardus, de qua sic Ulpianus in l. 10, § 1, ff. *De usucap.*, etc. : « Hoc jure utimur, ut servitutes per se nusquam longo tempore capi possint, cum ædificiis possint. » Scilicet quando usucapione prædium dominans acquiro, simul et jura huic prædio debita, quæ nihil aliud sunt, quam ipsius prædii qualitates, acquirere me manifestum est, et vice versa usucapiendo prædium serviens, tanquam ab omni servitute liberum, simul, et libertatem earum servitutum me usucapere. Enim vero *libertatem servitutum* (prædiorum urbanorum) usucapi posse verius est, quia eam usucapionem sustulit lex Scribonia, quæ servitutem constituebat, non etiam eam, quæ libertatem præstat sublata servitute. Itaque si cum tibi servitutem deberem, ne mihi puta altius liceret ædificare, et per statutum tempus altius ædificatum habuero, sublata erit servitus, » l. 4, § 29, ff. hoc tit. Addidi in textu prædiorum urbanorum. Nam usucapione opus non habet dominus prædii rustici, ut libertatem sui prædii acquirat, cum servitus rustica solo non usu amittatur. At in servitutibus urbanorum prædiorum necesse est, ut aliquo facto dominus prædii libertatem sui prædii usucapiat.

(9. Quamvis res civitatum usucapi non possint, ut supra notatum fuit, nihilominus « viginti annorum præscriptio etiam adversus rempublicam prodest ei, qui justum initium possessionis habuit, nec medio tempore interpellatus est ; actio tamen quanti ejus interest adversus eos reipublicæ datur, qui ea negotia defendere neglexerunt. » Ita docet Paulus, *Recept. sent.*, lib. v, tit. 2, § 4, et l. 9, ff. *De divers. temp. præscr.* « Rescriptis quibusdam divi magni Antonini cavetur, ut in rebus mobilibus locus sit diuturnæ possessionis præscriptioni. » Neque hic Marcianus de aliis mobilibus rebus intelligit, nisi de rebus ad civitatem pertinentibus. Nam in rebus privatorum superflua esset, cum illa usucapionem recipiant, l. 2, cod. *In quib. caus. cessat. long. temp. præscript.* « Longæ possessionis præscriptionem, tam in prædiis, quam in mancipiis locum habere manifestum est, » quæ mancipia his prædiis ascripta sunt. Hæc enim possunt cum his prædiis longo tempore præscribi, at non separatim, l. 7, cod. *De agr. cens.* Ita Struvius et Wissenbachius. Nota etiam in hac lege hysterologiam *tam in prædiis, quam in mancipiis*, id est tam in re accessoria, quam in principali, quæ trajectiones in *Pandectis* non infrequentes deprehenduntur. Ususfructus, et cæteræ servitutes sive personales, sive reales hac longi temporis præscriptione acquiruntur, ut fusius notandum infra opportuniori loco.

(10. Quoniam sermo factus est præscriptionis viginti annorum ; inopportunum non erit recensere breviter seriem aliarum præscriptionum, quæ longioris temporis spatium requirunt. Et quidem primo occurrit præscriptio triginta annorum, de qua vix dubitari potest, quin fuerit auctor Theodosius Junior in l. 8, cod. *De præscr. triginta ann.*, quamvis Cujacius dissentiat observat. 18, cap. 26. Nititur quippe laudatus auctor novella 8 præsertim Valentiniani III, in qua Theodosius, quem patrem suum appellat, hujus præscriptionis auctor dicitur. *Patris* autem nomine non appellaret Theodosium Juniorem collegam suum : sequitur ergo, ut, ex more, quo imperatores decessores suos patres appellant, hoc nomine intelligatur ipse Theodosius Magnus. Verum respondet Jac. Gothofredus, ipsum Theodosium Juniorem recte a Valentiniano patrem appellatum, quem scilicet, et socerum, et auctorem imperii habebat, maxime cum dominum patrem, utpote adhuc superstitem eum dicat, non divum, ut moris erat in decessoribus. At vero quisquis ille Theodosius hujus præscriptionis auctor sit, hinc saltem liquet leges 1 et 2, cod. *De præscript. trigint. annor.*, quarum una Diocletiani, et Maximiani nomine inscribitur, altera Valentis, et Valentiniani, perperam huic codicis titulo insertas, nec de ejusmodi præscriptione agere potuisse, quæ nondum introducta fuerat. Sed intelligenda supradicta lex prima de longi temporis præscriptione, lex autem secunda de præscriptione sexaginta annorum, quam introduxerat Constantinus per legem cujus pars exstat in l. fin., cod. *De præ-*

Digitized by Google

script. long. temp. quæ pro libert. Ita recte Cujacius dicto loco observat. 18, 27.

(11. Locum habet, quoties usucapio, aut longi temporis præscriptio locum habere non potest, vel propter rei vitium, quæ furtiva, aut vi possessa foret, vel propter defectum tituli, aut bonæ fidei in possessione, tueturque possessorem per exceptionem, quam ei tribuit adversus dominum, qui hanc rem vindicaret. Porro ex hac noviter introducta præscriptione sola exceptio datur, non utilis in rem actio, nisi possessio fuerit bonæ fidei. Sin minus, et possessor possessione exciderit, non ipse, quod valde notandum est, rem illam vindicare, sed prior dominus, aut creditor, cui res ab initio obligata fuerat, hæredesve eorum, rem illam adversus novum possessorem persequi possunt. Et quidem licet jam fuissent a veteri possessore repulsi, per exceptionem præscriptionis triginta annorum, l. 8, cod. *De præscript.* Cæterum hæc præscriptio currit adversus omnes etiam feminas, milites, absentes reipublicæ causa, minores viginti quinque annis, non tamen adversus pupillos. Accommodatur quoque adversus judicia tam universalia quam mista, et adversus actiones personales, quæ ante ex contractibus provincialibus perpetuæ erant, ex contractibus Italicis anni utilis exceptione excludebantur, quæ annalis exceptio a Justiniano sublata est, vide supradict. l. 3 cod. *De præscript. trigint. ann.*, et l. 1 cod. *De annal. except.* Non tamen locum habet triginta annorum præscriptio adversus hypothecariam actionem, eum res ab ipso debitore possideretur d. l. 3, cod. *De præscript. 30 ann.*

(12. Anastasius postea præscriptionem quadraginta annorum invenit, ex quo sequitur de hac præscriptione non agi in l. 2 *Cod. Theod., De long. temp. præscript.* in qua pro *quadraginta* reponendum *viginti*, ut recte Cujacius observat. 18, 28. Hac præscriptione imperator voluit excludi omnes actiones, quæ præscriptionem triginta annorum effugiebant, sive jus privatum spectarent, sive jus publicum : l. 4 cod. *De præscript. triginta ann.* Ulterius huic præscriptioni subjacere actionem hypothecariam, quæ adversus ipsum debitorem datur, declaravit Justinianus, l. 7, cod. eod. Hac nihilominus actione tutos esse voluit possessores fundorum patrimonialium principis, item fundorum templorum paganorum, qui publici juris facti fuerunt, item et fundorum agonotheticorum, id est qui in usus publicorum certaminum destinati fuerant, l. 5, l. 6, cod. *De præscript. triginta ann.* Nulla etiam præscriptione quis defenditur adversus eum, cujus nomine est in possessione, l. 2 cod. *De præscript. triginta, vel quadraginta ann.*

Justinianus ecclesias, et alia pia loca a persecutione eorum, quæ ipsis relicta sunt, submoveri vetuit illius temporis præscriptione præterquam annorum centum, l. 23, cod. *De sacros. eccles.* At jure novellarum quadragenaria præscriptione submoventur, novell. 131, cap. 6. Constituit etiam Justinianus, actionem in judicium deductam, quam quis non persequeretur, perpetuari usque ad quadraginta annos ex die novissimæ cognitionis, l. fin., cod. *De præscript. trigint. ann.* Circa omnes istas præscriptiones observandum, cum contractus diem, aut conditionem habet, non currere eas, nisi ex illa die, aut conditione, l. 6, cod. *De præscript. triginta annorum.*

(13. In specie autem præscribi, seu usucapi non possunt homines liberi, quia nullo tempore præscribi potest, ut homines liberi fiant servi, licet possessores bona fide illos emerint, putantes esse servos. *Communis*, per text. in § *Sed aliquod*, *Institut.*, De usucapionibus, l. *Usucapionem* 9, ff. *De usurpationibus* : et l. ultim. cod. *De longi temporis præscriptione, quæ pro libertate*, ubi dicitur contra libertatem hominis non præscribi etiam tempore sexaginta annorum.

(14. E contra tamen possunt homines servi præscribere libertatem contra dominos, si spatio viginti annorum bona fide se gesserint pro liberis, etiam sine titulo libertatis, *Communis* per text. in cit. l. *Ultim.*, cod. *De longi temporis præscriptione, quæ pro libertate*, et Glossa, *ibid.*, verb. *Bona fide*, et verb. *Per* 26. Hoc enim statutum est favore libertatis, cum libertas hominis connumeretur inter causas favorabiles, cap. ultim. *De sent. et re judicat.* ; adeoque possunt homines servi præscribere libertatem contra dominos, et non domini præscribere servitutem contra homines liberos, quia, cum servitus sit quid odiosum, et libertas quid favorabile, currit reg. 15 *Jur. in* 6, quod « odia restringi, et favores convenit ampliari. »

(15. Item res sacræ, v. g. Ecclesiæ, jura spiritualia, jus conferendi beneficia ecclesiastica, et hujusmodi nullo tempore a laicis præscribi possunt, cum nec talia a laicis possideri valeant. *Communis* per text. in cap. *Causam* 7, De præscriptionibus, et l. *Usucapionem* 9, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, et § *Sed aliquando*, Institut. *De usucapionibus*, cum similibus.

(16. Dicitur autem notanter *a laicis*, quia ecclesiæ quoad proprietatem ab uno prælato ecclesiastico contra alium, et jura spiritualia possunt sine dubio præscribi a clericis, aliisque personis ecclesiasticis. *Communis*, per text. in cap. *Placuit* 1, cap. *De quarta* 4, cap. *Ad aures* 6, cap. *Auditis* 15, et cap. *Cum olim* 18, *De præscriptionibus*, cum similibus.

(17. An autem possit dari, et valeat præscriptio contra onera, et fundationes beneficiorum, et contra onus, et numerum Missarum ? Variant doctores. Posse enim præscribi contra onera, et conditiones fundationum tenent multi cum Layman, lib. III, sect. 3, tract. 1, cap. 8, n. 17; et Pasqualig., *De sacr.*, q. 1192. Similiter præscribi posse contra onus, et numerum Missarum docent Pasqualig., quæst. 1192 et seq. ; Tamburin., *in Method. celeb.*, lib. III, cap. 7, § 1 ; Pellizarius, tract. 5, cap. 9, n. 92, testans viros doctos a se consultos esse ejusdem mentis; Thomas Hurtad., *De residentia*, c. 1, lib. VI,

Digitized by Google

r. 6, § 4, n. 8, et § 6, a n. 14; Gobat, *in Exper.*, tract. 3, n. 514, addens, n. 515, idem esse de obligatione anniversariorum, officii defunctorum, eleemosynæ, etc.; La Croix, l. IV, n. 852, testans ex Tusch. litt. S, conclus. 424, n. 9; et Conrad., lib. I, cap. 6, n. 324, hanc sententiam secutam esse Rotam. Et ratio potissima inter alias, quas afferunt apud La Croix, *loc. cit.*, est, quia fundatio et beneficium admittunt præscriptionem, cap. *Cum de beneficio* 5, *De præbend.* in 6, et *ibid.*, Glossa, Anchar., Franch., Silv., Hom., Barb., n. 4; Rebuff., *in Prax. benef.*, tit. *Regularia benef.*; insuper Gobat et alii in principio cit. putant sufficere ad id inter præsentes, annos 20, et inter absentes, 40: requiri tamen 40 annos docet Pasqual., q. 1193, quia agitur contra Ecclesiam. Hos autem sufficere tenent Glossa aliique cum Barbosa, *loc. cit.*, n. 5; Gonzal., ad regul. 7, *Cancellariæ*, gloss. 7, n. 8 et 25; Tusch., litt. R, conclus. 524. Et successor in beneficio potest, ut dicit Dicastill., *De justitia*, lib. II, t. I, d. 1, n. 262, gaudere accessione temporis antecessorum suorum, ut ab aliqua conditione, seu onere in fundatione requisito liberetur, eamque libertatem bona fide illos possedisse in dubio præsumendum, juxta regul. 24 *Juris in* 6, ibi: « Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere; » et notavit Nav., lib. II, consil. 1, *De præscript.*, et in simili Covarr., regul. *Possessor.*, part. II, § 11, n. 6, corollario 4. Hactenus La Croix, *loc. cit.*

(18. Alii vero tenent oppositum, et signanter Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 2335, dicens, sibi probabilius esse contra Tamburin. quod non possit dari præscriptio contra onus Missarum, quia, dicit, ex jure res pupillaris, durante statu pupillari, præscribi non potest, l. *Bonæ fidei*, juncta Gloss., verb. *Pupil.*, ff. *De acquir. rerum domin.*, et l. *Sicut in rem*, cod. *De præscription. triginta vel quadraginta annorum.* Atqui animæ purgatorii, quoad suffragia eis debita, sunt pupillæ, quia sicuti pupilli ob defectum ætatis, ita animæ ob defectum status causam agere non valent. Unde sicuti negligentia, aut carentia tutoris non potest cadere in detrimentum pupilli, ita nec negligentia, aut carentia hæredum, etc., in detrimentum illarum animarum: adeoque contra eas non datur præscriptio. Nam præscriptio est introducta in pœnam negligentium jus proprium, l. *Ut perfectus* 2, De annali exceptio., et c. *Vigilanti* 4, *De præscriptionibus.* Nulla autem negligentia imputari potest illis animabus, cum alia voce clamamare non possint, nisi illa *Job*, cap. XIX: *Miseremini mei*, etc. Hactenus ille, *loc. cit.* Vide *ibi.*

(19. Et pro hac opinione facit id, quod refert Monacell., part. IV, *Suppl. ad tom. II*, n. 55, ibi: « Quidam testator mandavit suis executoribus, ut erigerent pro amore Dei, et remedio animæ suæ unam capellaniam cum destinatione capellani, qui Missam singulo mane celebrare curaret. Fuit erecta capellania cum assignatione congruæ dotis: at quia capellani pro tempore semel in hebdomada vacare consueverant, et sacrificium pro testatore applicare omiserant, delata causa ad sacram congregationem Conc., hæc *in Lucan.*, 18 Febr. 1702, declaravit, capellanum teneri applicare sacrificium pro fundatore, licet ipse id non expresserit, et condemnavit capellanos, seu rectores pro tempore, quod celebrare, et applicare sacrificium omiserunt: non obstante descriptione contraria facta in tabella, occasione visitationis Apostolicæ a centum annis circa. » Hæc ille.

(20. An capellanus, qui per annos 30, qualibet hebdomada legit ex errore tres Missas pro fundatore, putans ad tot teneri, si postea in fundatione inveniat, quod ad duas tantum sit obligatio, præscripserit contra se, et teneatur continuare celebrare tres qualibet hebdomada? Variant quoque doctores. Tamburinus enim, et Pasqualig., q. 1193, cum La Croix, *loco cit.*, n. 853, docent, probabilius non præscripsisse contra se, adeoque non teneri, nisi ad duas Missas in fundatione impositas, quia, dicunt, nemo est, qui possideat contra se ipsum; præscriptio autem non inducitur sine possessione, juxta regul. 3 *Juris in* 6, ibi: « Sine possessione præscriptio non procedit; » tum quia actus per errorem gestus non nocet erranti, l. *Si per errorem*, ff. *De jurisdict.*, adeoque, etc. Pellizarius autem, *loc. cit.*, n. 94, dicit talem capellanum teneri ad celebrandas tres, docetque posse contra capellanos præscribi spatio decem annorum, et contra regulares exigi triginta annos. Ergo vero dicerem, talem capellanum præscribere contra se, et teneri ad tres Missas, in sententia illorum, qui tenent posse capellanum præscribere contra onus, et numerum Missarum: et e contra non præscribere contra se, in sententia illorum, qui docent non posse capellanum præscribere contra onus, et numerum Missarum. Id suadet hæc ratio, quia qui sentit commodum, sentire etiam debet onus, et e contra, l. *Si merces* 23, § 6, ff. *Locati*, cap. *Qui sentit* 55, De regul. juris in 6, ibi: « Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra; » et leges permittentes, ut Caius, v. g., præscribat contra Sempronium, permittunt quoque, ut Sempronius præscribat contra Caium: contrariorum enim eadem est ratio, et disciplina, l. 1, ff. *De his qui sui, vel alieni juris.* Et sic sentire videtur Felix Potestas, tom. I, part. II, cit. n. 2346, et Gobat, *loc. cit.*, num. 516, quamvis concludat nihil se determinare in hac re, et materia neglecta fere ab aliis.

(21. Item præscribi non possunt nec in totum, nec in partem res publicis usibus deputatæ, ut viæ publicæ, pontes, plateæ, fora, theatra, et hujusmodi. *Communis* per text. in l. *Usucapionem* 9, ff. *De usurpat. et usucapionibus*, et l. *Præscriptio* 7, cod. *De operib. publ.* Et ratio clara est, quia hujusmodi res publicæ, utpote omnibus communes, a privatis non possidentur, sed promiscue usurpantur, l. 1, § final. *De acqui-*

Digitized by Google

rem. possession. Sine possessione autem non procedit præscriptio, ut expresse cavetur in reg. 3 *Juris in* 6, ibi : « Sine possessione præscriptio non procedit. » Et hoc procedit, etiamsi populus iis uti desierit, ut expresse cavetur, in l. 2, ff. *De viis public. et itineribus public.*, ibi : « Viam publicam populus non utendo amittere non potest : » etiam si centum annis per ipsam non iverit, prout subjungit Glossa *Unica*, ib., communiter recepta, asserens hoc contingere favore publicæ utilitatis.

(22. Item præscribi non possunt limites, seu termini provinciarum, diœcesium, et parochiarum, vel finibus cohærentia; dummodo constet tales fines fuisse legitima auctoritate præfixos, et constitutos. *Communis*, textu expresso, in cap. *Super eo* 3. De parochis, cap. *Quicunque* 4, caus. 16, qu. 4, ubi et hujus ratio redditur : « Ne provinciarum termini confundantur; » et concordant cap. *Licet* 5, cap. *Inter memoratos* 6, cap. *Dilectio tua* 7, ead caus. 16, et q. 4. (23. Si autem non constet tales fines fuisse legitima auctoritate præfixos, et constitutos, tunc procedit, et valet præscriptio : Abbas, in c. cap. *Super eo*, n. 2; Engel., l. II *Decret.*, tit. 26, § 2, n. 8; Reiffenstuel *ib.* n. 43 et alii passim. Sicut etiam procedit, et valet præscriptio in litibus prædiorum, qui privata auctoritate, ac conventione præfiguntur, et constituuntur; isti enim limites præscribuntur spatio quadraginta annorum. *Communis*, textu expresso in c. *Quia judicante* 7, De præscriptionibus, cum similibus.

(24. Item res indivisim communes pluribus præscribi non possunt ab aliquo sociorum, etiamsi longissimo tempore eas detinuerit, sed cæteris sociis semper tenebitur dare suam portionem, quia non suo tantum, sed omnium sociorum, seu cohæredum nomine rem, seu hæreditatem communem possidere dicitur. *Communis*, per textum, in l. *Si communem*, 10, ff. *Quemadmodum servitutes amittantur.*

(25. Item præscribi non possunt res pupillares. *Communis*, per textum, in l. *Bonæ fidei*, juncta verb. *Pupilli*, ff. *De acquir. rer. domin.* Contra ætatem enim pupillarem non currit præscriptio, l. *Sicut in rem*, cod. *De præscript.* 30 *vel* 40 *annor.* * Ratio est, quia nihil sine tutoris auctoritate agere possunt, multoque minus alienare. Cujacius tamen observat. 24, 14, putat hoc intelligendum esse de rebus duntaxat immobilibus. Res autem pupillorum mobiles posse usucapi, eo quia res pupilli desinit esse furtiva cum in potestatem tutoris rediit, de quo frustra quæreretur, si ex eo solo, quod res pupilli esset, non posset usucapi. Quoad res immobiles autem, generaliter non pupillorum solum, sed nec minorum prædia usucapi non posse dicendum est, cum alienatio eorum nisi ex decreto non permittatur. Quod tamen sic intelligendum, nisi vivo defuncto cœpta fuerit usucapio *.

(26. Item præscribi non possunt res dotales, nisi præscriptio, antequam res dotales efficerentur, inchoata fuerit. *Communis*, textu expresso, in l. *Si fundum* 16, ff. *De fundo dotali.*

(27. Item præscribi non possunt res meræ facultatis, seu gratuitæ voluntatis. *Communis.* Sic enim desumitur ex l. 2, ff. *De via publ. et itin. public.*, ubi dicitur, quod, « viam publicam populus non utendo, amittere non potest; » etiamsi centum annis per ipsam non iverit, ut addit Glossa *Unica*, ibid. Unde si quis etiam per centum annos, et ultra, iverit ad certum molendinum, vel ad certum furnum, seu ad certam officinam pro suis respectivis indigentiis; vel si quis domum suam hactenus nunquam altius ædificaverit, non tamen vi præscriptionis cogi potest, ut deinceps dictum molendinum, furnum, officinam frequentet, seu quod altius domum suam non ædificet; quia in facultativis non datur præscriptio. (28. Excipe tamen casus, in quibus domino molendini, furni, et officinæ jus hujusmodi quæsitum fuerit contra suos vassallos, sive subditos, ex eo quod ex consuetudine jam antea vigente, vel privilegio saltem colorato, sicque bona fide prohibuerit suis subditis, ne frequentarent alia molendina, alios furnos, et alias officinas, et ipsi prohibitioni sic interpositæ acquieverint, quia tunc etiam ea, quæ meræ facultatis sunt, præscribi possunt; sicuti esset etiam de eo, qui prohibitus a vicino, ne domum suam altius ædificasset, ab ædificando destiterit, et mandato, ne ædificaret, obtemperaverit; tunc enim locum potest habere præscriptio incipiens a die factæ prohibitionis. Sic Abbas in cap. *Significante*, De appel., n. 1; Covarr., in reg. *Possessor.*, part. II, § 4, n. 7, allegans plurimos alios; Pirhing, lib. II, *Decret.*, tit. 26, n. 17; Reiffenst., *ibid.*, n. 39; Engel, *ibid.*, n. 9, et alii passim.

(29. Item præscribi non possunt res reservatæ supremo principi in signum absoluti et supremi dominii, v. g. præstatio tributi, et hujusmodi. *Communis*, textu expresso, in l. *Comp.*, cod. *De præscr.* 30 *vel* 40 *annor.*

* Item nec res fisci possunt usucapi, aut longo tempore præscribi, l. 2, cod. eod., *De usucap.* Hoc tamen non porrige ad bona vacantia, quæ nondum fisco nuntiata sunt, l. 18, ff. *De usurpat.*

(30. Item præscribi non potest precarium, commodatum, pignus, conductum, depositum, et quælibet res emphyteutica. *Communis*, per textum in l. *Cum notissimi* 7, § 6, cod. *De præscription.* 30 *vel* 40 *annorum.* Et ratio clara est, quia talia alieno nomine possidentur; alieno autem nomine possidens, non præscribit, nam is possidet, cujus nomine possidetur, cap. *Si diligenti* 17, De præscriptionibus.

(31. Item præscribi non possunt res furtivæ, vel vi possessæ, non tantum a fure ipso, quia malæ fidei est, sed nec a quocunque bonæ fidei possessore, qui forte illas a fure, vel a tertio emit, vel alio quocunque justo titulo accepit, et possedit. *Communis*, per text. in § *Furtivæ;* et ibid. Glossa, verb. *Vi*, institut. *De usucap.*, l. *Sciens* 7, cod. *De usucap. pro emptore*, l. *Vitia* 11, cod. *De*

Digitized by Google

acquirend. possess., ubi expresse habetur, quod « vitia possessionum a majoribus contracta perdurant, et successorem auctoris sui culpa comitatur. »

(32. Intellige vero, quod tales res furtivæ, et vi possessæ non possunt præscribi tempore ordinario trium, decem vel viginti annorum : attamen præscribi possunt tempore extraordinario, seu longissimo triginta, vel quadraginta annorum, si tanto tempore bona fide possessæ fuerint, quia per præscriptionem longissimi temporis purgatur vitium furti, vel violentiæ, quo affecta erat res, et omnis actio exstinguitur : l. *Sicut* 3, et l. *Omnes* 4, cod. *De præscr.* 30 *vel* 40 *annorum*. Et sic tenet communis doctorum.

(33. Intellige etiam, nisi res furtiva, vel vi possessa in potestatem domini sui redierit, quia tunc, vitio purgato, ab alio bonæ fidei possessore præscribi potest tempore ordinario, § *Aliquando*, institut. *De usucap.*, etc., l. *Sciens* 7, cod. *De usucap. pro tempore*.

(34. Item regulariter præscribi, seu usucapi non possunt res, quæ alienari nequeunt arg. l. *Alienationis* 26, ff. *De verb. signific.* ibi : « Alienationis verbum etiam usucapionem continet ; vix est enim, ut non videatur alienare, qui patitur usucapi. » Hinc prohibita alienatione, hoc ipso saltem tacite censetur prohibita usucapio, l. *Si fundum* 19, ff. *De fundo dotali*, et l. *Bonæ fidei* 48, ff. *De acquirend. rerum. domin.* Deficit enim in his plerumque justus titulus ex defectu justæ alienationis, concurritque error juris, qui non prodest ad usucapionem, seu præscriptionem ; l. *Nunquam*, 31, ff. *De usurpat. et usucap.*, et cap. 2, *De rebus eccles. non alienand. in* 6.

(35. Præscriptio induci nunquam potest adversus jus divinum ; raro autem adversus jus commune ecclesiasticum. Bened. XIV, tom. II constitut. incip. *Declarasti*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36. De rebus, quæ tum jure civili, tum jure canonico præscribi nequeunt, agere nimium esset. Consule, si lubet, Dunod. *De præscript.*, part. I, cap. 11 per tot. (37. Tantum hic disseremus, et quidem breviter, de rebus aliquibus, quæ præscribi jure canonico haud possunt.

(38. Huc I. Pertinent decimæ, maxime respectu laicorum, qui eas contra Ecclesiam præscribere nullo pacto possunt, « quia, » ait Pontifex, in cap. 7, *De præscript.*, « cum laici decimas detinere non possint, eas nulla valent præscribere ratione. » Confer etiam cap. 15, 17, 19, *De decim.*

(39. II. Bona mensalia. Jam in *Addition.* ad verbum ALIENATIO, articul. 1. num. 3, tradidimus distinctionem bona communia Ecclesiæ inter, et bona mensalia ejusdem. Præscribi autem non posse bona mensalia utpote speciali fundatione destinata ad sustentationem illorum, qui Ecclesiæ inserviunt, et ita officio sacro connexa, probant Bohemer., in *Decretal.*, lib. II, titul. 26, § 25 et sequentib.; Lyncker, respons. 2, num. 157, contradicentibus licet Bruneman., *Jur. Eccles. univers.*, l. II, cap. 11, fere per tot.; Horn., in *Consult. et respons.*, class. 1, num. 21.

(40. III. Quæ ad curam animarum spectant, et ea quæ ordinis sunt utpote quæ commercio civili prorsus exempta sunt; Lyncker., respon. 75, num. 32. (41. Tolli itaque præscriptione nequit visitatio ecclesiastica, quæ officio sacro intime cohæret, et ex cura animarum fluit, cap. 16, *De præscript.* Adi etiam Fritsch., *De jure visitand.*, cap. 3 in fin. (42. Quin nec procurationes præscriptione tolli possunt, idque quia, cum eæ debeantur ratione visitationis, præscriptione tolli nequeunt, sicuti tolli ipsa visitatio nequit ; d. c. 1, *De præscript. Vide* quoque Bruneman., *Jur. eccl.*, lib. II, cap. 9, § 11, et Stryk., in *notis*. Vide *Addit. Casin.*, sub verb. PROCURATIO.

(43. IV. Jurisdictio ecclesiastica respectu laicorum. Præscriptio enim sine possessione haud procedit : laici autem possidere nequeunt jurisdictionem ecclesiasticam, et sic præscribere eam nequeunt. Consule Sperell. decis. 2, num 126.

(44. V. Debita jurata secundum Pacion., in *Select. allegat. canon. et civil.*, allegat. 28, in fin. Seraphin., *De privileg. jurament.* 47, fere per tot., ex ea ratione, quod juramentum inducat moram ipso jure, et instar interpellationis sit. Sed refutant opinionem hanc de debitis juratis, et quidem recte, cardinal. de Luca, discur. 129, num. 2; Cyriac., controvers. 618, num. 35 et seq

(45. Affert et auctor res alias, quæ jure canonico præscribi haud possunt. Sed non inutilis est inquisitio, an hæ res ut a præscriptione longissimi temporis eximuntur, ita immunes sint a præscriptione immemorabili, vel centenaria ? Confer omnino Bohemer., in *Decretal.*, lib. II, tit. 26, 6, 35, et plur. sequent.

§ II.

Bona fides.

Quoad ea quæ concernunt bonam fidem ad præscriptionem requisitam.

(1. Bona fides in proposito *est sincera rei alienæ ignorantia*, seu illa dicitur bona fides, qua quis probabiliter et prudenter existimat rem, quam possidet, ad se pertinere, vel saltem alienam esse non cognoscit. Unde Glossa, in cap. *Si diligenter* 17, *De præscriptionibus*, verb. *Bona fides*, expresse dicit : « Bona fides intelligitur, cum aliquis credit tradentem esse dominum, vel habere jus distrahendi, licet erret in facto, l. *Bonæ fidei emptor* 109, De verb. significat., ibi : « Bonæ fidei emptor esse videtur, qui ignoravit eam rem esse alienam, aut putavit eum, qui vendidit, jus vendendi habere. » (2. Mala autem fide possidere dicitur, qui scit, vel credit rem, quam possidet, alienam esse, vel non esse suam. Sic in re *Communis*.

(3. Jure civili Cæsareo in præscriptione longi temporis bona fides requiritur solum ab initio ad inchoandam præscriptionem ; l.

Digitized by Google

Unica, et ibi Glossa, verb. *Ab initio*, cod. *De usucap. transformand.* (4. Unde secundum jus civile præscriptio cœpta per defunctum bona fide continuari, et compleri potest ab hærede, quamvis ipse sit in mala fide, et sciat rem esse alienam : cit. l. *Unica*, et § *Diutina*, institut. *De usucap.* Imo secundum jus civile, in præscriptione longissimi temporis 30 vel 40 ann., nullo tempore, nequidem ab initio, requiritur bona fides, adeo ut quamvis præscriptor malam fidem habuerit ab initio, si tamen rem alienam tali longissimo tempore possedit, eam sibi præscriptione acquisivit, atque adversus dominum petentem, et requirentem talem rem, exceptione tutus est, et hoc statutum est ob odium domini res suas petere negligentis, l. *Si quis emptionis*, § *Quod si quis*, cod. *De præscription.* 30 *vel* 40 *annorum.*

(6. Jure tamen canonico ad legitimam præscriptionem omnino requiritur bona fides, adeo ut nec in foro canonico, nec in foro civili valeat præscriptio cum mala fide. *Communis*, textu expresso in cap. *Vigilanti* 5, et cap. *Quoniam* 20, De præscriptionibus, ubi in concilio generali Lateranensi sub Innocentio III, sic decisum expresse refertur : « Quoniam omne quod non est ex fide peccatum est, synodali judicio definimus ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis. » Unde in c. *Possessor* 2, De regul. juris in 6, expresse cavetur quod « possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. »

(7. Et talis bona fides requiritur, quod interit toto illo tempore, quo currit præscriptio. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Quoniam* 20, De præscriptionibus, ibi : « Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat notitiam alienæ. »

8. Leges enim civiles adductæ *supra*, num. 3, ad 5, aliter disponentes, tanquam nutritivæ peccati (eo quod homines ob desiderium præscribendi animarent ad continuandam injustam rei alienæ possessionem) fuerunt a jure canonico correctæ, et abrogatæ, in cit. cap. *Vigilanti* 5, et in cit. cap. *Quoniam* 20, De præscriptionibus, ibi : « Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. »

(9. Et hæc juris canonici dispositio est impræsentiarum observanda, et de facto observatur in utroque foro, tam civili, quam canonico, juxta definitionem concilii generalis, in cit. cap. *Quoniam* 20, De præscriptionibus, ibi : « Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis. »

(10. Hinc possessor malæ fidei, quamvis per centum, et mille annos possederit rem alienam, nunquam poterit eam præscribere. *Communis*, textu expresso, in cit. cap. *Vigilanti* 5, De præscriptionibus, ibi : « Vigilanti studio cavendum est, ne malæ fidei possessores simus in prædiis alienis, quoniam nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem ; » et c. *Possessor* 2, De regul. juris in 6, ibi : « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. »

(11. Imo mala fides possessoris nocet etiam suo hæredi immediato, adeo ut, si defunctus fuerat possessor malæ fidei, tunc hæres ejus immediatus non potest ullo tempore rem a defuncto mala fide possessam præscribere, quamvis eam bona fide habeat, et velit a se ipso præscriptionem inchoare. *Communis*, per textum, in l. *Ultim.* cod. *Communia*, De usucapionibus, leg. *Cum hæres*, ff. *De diversis, et temporal. præscriptionib.*, et § *Diutina*, institut. *De usucapionibus.*

(12. Rem autem mala fide a defuncto possessam, licet non possit ullo tempore præscribere hæres immediatus ; potest tamen ipsam præscribere tempore ordinario hæres mediatus, id est hæres primi hæredis ; dummodo talis hæres mediatus bona fide rem possidens incipiat præscriptionem, computando solum tempus quo ipse possedit, et non connumerando tempus, quo possedit suus antecessor, seu hæres immediatus. Pirrhing, l. II *Decret.*, tit. 26, num. 70 ; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 133 ; Covarruv., part. II, in regul. *Possessor.*, § 3, num. 7 ; Lessius, l. II, c. 6, num. 43, et alii passim. Et ratio disparitatis inter hæredem immediatum, et mediatum est, quia hæres immediatus repræsentat omnino personam defuncti, imo censetur una, et eadem persona cum defuncto, authent. *De jurejurando a moriente præstito*, adeoque censetur fictione juris habere eamdem malam fidem ; non sic autem hæres mediatus, seu hæres hæredis, quia cum ipse non censeatur una, et eadem persona cum tali primo defuncto, nec etiam censetur habere eamdem malam fidem fictam fictione juris : fictio enim non parit fictionem.

(13. Et tanto magis potest ipsam tempore ordinario præscribere successor singularis, v. gr. donatarius, emptor, cui primus hæres rem hujusmodi bona fide donavit, vel vendidit. Ipse enim successor singularis nullo modo personam defuncti repræsentat. *Communis*, textu expresso, in § *Sed tamen*, instit. *De usucapion.*

(14. Item successor in dignitate, beneficio, vel officio potest cum bona fide præscribere rem a defuncto, vel antecessore suo habitam ; dummodo solum computet tempus, quo ipse bona fide possedit. Gloss., in c. *De quarta*, verb. *Se posse tueri*, De præscript. ; Abbas, *ibid.*, num. 9 ; Felinus, *ibid.*, num. 14 ; Covarruv., *loc. cit.*, num. 7 ; Pirrhing., *loc. cit.*, num. 72 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 140, et alii passim. Et ratio clara est, quia talis successor non possidet dignitatem, beneficium, vel officium jure sui antecessoris, sed jure sibi tributo a legitimo collatore, adeoque mala fides antecessoris non potest nocere suæ bonæ fidei, sicque ipse sine dubio potest præscribere rem a se bona fide possessam.

(15. Dubitans, num res sit sua, nec ne ? si cum tali dubio incipit rem possidere, non

Digitized by Google

censetur habere bonam fidem, ideoque, stante illo dubio, nequit præscriptionem inchoare. *Communis*. Et ratio est evidens, quia incipiens possidere rem cum dubio, an sit sua, vel alterius, injuste, et inique agit rem sibi arrogando; cum non sit melior ipsius conditio, quam alterius, qui eam rem prius possederat; sed e contra melior fuerit conditio istius, ut pote conditio possessoris, quæ semper melior est : c. *Ad aures* 6, De præscriptionibus, c. *Quod autem* 5, De jurepatron., c. *In pari* 65, De regul. juris in 6, l. *Nemo* 126, § 2, et l. *In pari causa* 128, ff. *De regul. juris*. Cum injustitia autem, malitia, seu peccato non stat bona fides, qualis requiritur ad præscriptionem; ergo, ut incipiat præscriptionem, requiritur, ut is determinate judicet rem, quam incipit possidere, vel esse nullius, sicque fieri suam per occupationem; vel probabiliter judicet habere jus illam sibi arrogandi, et possidendi.

(16. Si autem tale dubium superveniat post præscriptionem bona fide jam inceptam, tunc dubitans potest continuare rem possidere, et perficere præscriptionem; dummodo interim debitam diligentiam adhibeat ad investigandum, an res sit vere sua, vel aliena? *Communis* per text., in c. *Si virgo* 5, caus. 34, qu. 1, ubi de talibus bona fide possessionem inchoantibus expresse dicitur : « Tandiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum, » et per text. in c. *Quoniam* 20, De præscript., ubi solum requiritur ad continuandam præscriptionem, ut possessor in nulla temporis parte ad præscribendum constituta, habeat conscientiam rei alienæ, ibi : « Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ. » Tum quia, ut expresse dicitur in cap. *Ad aures* 6, De præscriptionibus : « De jure melior est conditio possidentis, » uti consimiliter dicitur etiam in aliis citatis juribus, num. antecedenti, adeoque, qui postquam cœpit bona fide rem possidere, dubitat an sua sit, potest continuare possessionem, sicque tempore ordinario præscribere; dummodo, ut dicebatur in conclusione, adhibeat moralem diligentiam ad investigandam veritatem, an res sit sua, vel alterius : in tali enim casu præsumptio stat pro possessore, arg. *Citatis juribus*, et cap. *Occidit* 14, caus. 23, qu. 8.

(17. Ignorantia juris clari, et indubitati impedit bonam fidem, et præscriptionem, in utroque foro, etiamsi sit invincibilis, seu inculpata; sic fere communis doctorum sententia cum Glossa in c. *Apostolicæ*, verb. *Præscriptionis*, *De donationibus*; Abbas, in c. *De quarta*, n. 12, *De præscriptionibus*; Covarruv., in *Regula possessor.*, part. II, § 9, num. 8; Layman, lib. III *Theolog. moral.*, sect. 5, tr. 1, cap. 8, num. 11: Lessius, l. II, *Decretal.*, tit. 26, num. 15; Pirrhing, *ibid.*, num. 62; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 68 et seq., et alii passim, contra paucos arbitrantes ignorantiam inculpatam juris sufficere ad præscribendum pro foro conscientiæ. Et ratio nostræ conclusionis est, quia præscriptio, per quam aliquis amittit dominium rei suæ, et alius illud acquirit, est introducta jure positivo humano præter jus naturæ, ergo non habet locum in casu, ubi jura positiva humana expresse statuunt errorem juris non prodesse ad præscriptionem, seu usucapionem, ut clare patet in l. *Nunquam*, ff. *De usucapionibus*, ibi : « Nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest. » Item l. II, § *Si a pupillo*, ff. *Pro emptore*, ibi : « Si a pupillo emeris, et scias pupillum esse, putas tamen pupillo licere res suas sine tutoris auctoritate administrare, non capies usu, quia juris error nulli prodest. » Item l. IV, ff. *De juris et facti ignorantia*, ibi : « Juris ignorantia usucapioni negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat. » Tum quia errans in jure præsumitur malam fidem habere, l. *Quemadmodum*, cod. *De agrig. et censit.*, ibi : « Malæ fidei namque possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur, » cap. *Qui mercatur* 82, De regul. juris in 6, ibi : « Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere. » Possessor autem malæ fidei ullo tempore non præscribit, textu expresso in cap. *Possessor*, De regul. juris in 6.

(18. Nec valet dicere, quod sicuti ignorantia inculpata juris excusat a peccato, ita potest constituere possidentem in bona fide sufficiente ad præscriptionem. Non valet, inquam, quia licet talis ignorantia inculpata sufficiat ad constituendum possidentem in bona fide theologice, seu moraliter excludente peccatum, non sufficit tamen ad constituendum ipsum in bona fide civiliter, seu juridice necessaria ad inducendam præscriptionem, ex eo quod a jure expresse reprobetur in ordine ad effectum præscriptionis; quamvis enim ad inducendam præscriptionem requiratur necessario semper bona fides theologice, seu moraliter, non sufficit tamen de se sola, nisi concurrat etiam simul bona fides civiliter, seu juridice, quia, ut diximus, jura positiva humana, a quibus præscriptio suam originem, et totam vim habet, expresse statuerunt, quod error juris ad præscriptionem, seu usucapionem non prosit, ut patet ex citatis legibus, n. antecedenti.

(19. Probabile autem est secundum aliquos, quod ignorantia juris invincibilis non impediat in foro conscientiæ bonam fidem requisitam, et sufficientem ad legitime præscribendum. Sic Lessius, *loc. cit.*, n. 17; Lugo, *De justit. et jur.*, disp. 7, sect. 3, num. 32; Medina, in tract. *De contractibus*, quæst. 17 prope finem; Castropal., in cit. p. 22, § 8, n. 7, et alii. Et ratio est, quia jura ideo negant cum ignorantia juris præscribi posse, quia non præsumunt bonam fidem in possidente, cum possidens contra jura clara manifesta, et indubitata ordinarie præsumatur mala fide possidere ut patet ex cit. l. *Quemadmodum*, cod. *De agricol. et censit.*, ibi : « Malæ fidei namque possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra

Digitized by Google

legum interdicta mercatur; » et cit. c. *Qui contra* 82, De reg. juris in 6, ibi : « Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere : » ergo cum in foro conscientiæ, in quo de veritate, et de bona fide constat, cesset dicta præsumptio juris, ignorantia juris invincibilis et inculpata non impediet præscriptionem.

(20. Ignorantia juris dubii, et inter doctores controversi, non impedit bonam fidem requisitam, et sufficientem ad legitimam præscriptionem. Abbas, in cap. *De quarta*, num. 12, *De præscriptionibus;* Covarruv., *loc. cit.*, § 7, n. 19; Lessius, *loc. cit.*, num. 16; Layman, *loc. cit.*, num. 11; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 60; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 77, et alii. Et ratio est, quia ipsa ambiguitas juris, circa quod sunt diversæ doctorum sententiæ, utramque partem facit probabilem, ita ut utramvis prudenter in praxi sequi quis possit: ergo non impedit bonam fidem requisitam, et sufficientem ad legitimam præscriptionem. Videatur hac de re Angelus Fransoja.

E. R. Cum principium, cui consequentia innititur, claudicat; scilicet posse quemquam in praxi sequi utramvis partem probabilem; claudicabit etiam consequentia, nempe posse aliquem præscribere cum ignorantia dubii juris, et inter doctores controversi.

(21. Ignorantia facti, si sit invincibilis, non impedit bonam fidem requisitam ad legitime præscribendum : *Communis*, textu expresso in l. 4, ff. *De juris et facti ignorantia*, ibi : « Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat; » ignorantia enim, seu error invincibilis facti, sicuti excusat a culpa, ita constituit possessorem in bona fide ad legitime præscribendum : si quis enim acceperit rem a fure, ignorans invincibiliter esse furem, durante tali invincibili ignorantia, seu errore, bona fide possidet rem alienam, eamque sic possidendo præscribit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(22. De eo, utrum *dubitans* sit in *bona*, an in *mala* fide; tum an error juris excludat *malam* fidem, consule Dunod, *De præscript.*, part. I, cap. 8, sub initium.

23. Hic vero ea non est omittenda investigatio, an doctrina juris canonici de bona fide, locum etiam sibi vindicet in præscriptione actionum maxime personalium? Affirmant inter alios Lincker., in *Præscript. tam jur. civil. quam canon.*, thes. 24 et seq.; Stryk., *De act. investigat.*, sect. 3, n. 1, axiom. 6, num. 3 et seq. Negant vero Coccejus, in dissert. 1, *De finib. bon. fid. in præscript.*, sect. 2, § 11; et sect. 3, per tot.; Franzk., lib. 3, resol. 13, fere per tot.; Rauchbar, part. II, quæst. 38, num. 23; Zanger., *De except.*, lib. III, cap. 20, n. 106, et seq. Adde etiam Dunod, *De præscript.*, dict. part. I, dict. cap. 8.

(24. Rectius meo judicio Bohemer., in *Decr.*, l. II, tit. 25, § 66 et seq.: « Neque, inquit, malæ fidei definitio eis applicari potest, qui aliquid de suo debent, non vero rem alienam possident; alioquin dicendum foret, omnes omnino homines esse in mala fide, quia vix ullus reperitur, qui non de suo aliquid debeat. Audio, pergit, quidem objectionem. Aliud esse debere, et aliud æs alienum solvere nolle : illi notam malæ fidei aspergi non posse, bene tamen huic, cum sciat se debere, et tamen solvere differat. Verum, qui non solvit, aut interpellatus est ad solvendum, aut non. Priori casu præscriptionem interruptam esse concedo, quia negligens dici nequit, qui interpellavit debitorem. Sistitur hoc casu cursus præscriptionis, non quod per interpellationem mala fides proprie inducta sit, sed quod præscriptio fuit interrupta. Cæterum si non insistitur interpellationi, post interpellationem de novo currere incipit, et perficitur præscriptio, uti optime observavit Coccejus dissertat. *De finib. bon. fid. in præscript.*, sect. 2, § 12. Quod si dicamus per interpellationem malam fidem inductam esse, nullo tempore deinceps posset perfici præscriptio, quod tamen ex definitione malæ fidei elici nequit. Posteriori casu nullum plane indicium malæ fidei apparet, cum nequidem debitor solvere cogatur, qui haud interpellatur; imo qui tanto tempore haud exigit debitum, juste existimari potest debitum remisisse. » Confer eumdem, *l. c.*, § 64.

(25. An de jure canonico mala fides obstet etiam immemorabili, et centenariæ, adi Dunod., *ubi supra*, qui et de hoc disserit, an communitas semel in mala fide exsistens, semper dicatur exsistere in mala fide.

§ III.

Sit titulus quoque justus.

Quoad ea quæ concernunt titulum ad præscriptionem requisitum.

(1. Ad legitimam præscriptionem requiritur justus titulus. *Communis*, textu expresso in c. *Si diligenti* 17, De præscriptionibus, ibi : « Cum in præscriptione rerum ecclesiasticarum bona fides, et justus titulus exigatur, » et concordat cap. *Dudum* 31, De decimis. Item text. in l. *Ultima*, cod. *De usucapion. pro hærede*, ibi : « Usucapio, non præcedente vero titulo, procedere non potest, » et l. *Nullo*, cod. *De rei vindicat.*, ibi : « Nullo justo titulo præcedente, possidentes, ratio juris quærere dominium prohibet, » cum multis similibus.

(2. Titulus ad præscriptionem requisitus nihil est aliud, quam causa habilis ad transferendum dominium, vel ad præbendam usucapiendi conditionem. Sic in re communis doctorum. (3. Et hujusmodi titulus potest esse multiplex, scilicet, *donatio*, *emptio*, *permutatio*, *transactio*, *legatum*, *hæreditas*, *dos*, et similia, quibus si tradens rem sit ejus dominus, transfert dominium, si autem non sit dominus, præbet saltem usucapiendi conditionem.

(4. Hinc qui bona fide possidet rem alienam *pro donato*, *pro empto*, *pro transacto*, *pro hærede*, *pro legato*, *pro dote*, et hujusmo-

Digitized by Google

di, licet non acquirat ejus dominium, ex quo non acceperit ipsam a vero domino, acquirit tamen usucapiendi conditionem, cum tales tituli ex natura sua tendant ad dominii translationem. (5. Alii autem tituli, qui ex natura sua non tendunt ad dominii translationem, sicuti commodatum, depositum, et precarium, et hujusmodi, neque etiam usucapiendi conditionem præbent, nihilque prosunt ad præscriptionem. Sic communiter doctores.

(6. Ad faciliorem horum titulorum intelligentiam datur hic pro omnibus explicatio tituli *Pro hærede*. Titulus enim *Pro hærede* tunc juvat ad præscriptionem, quando defunctus rem bona fide possedit ut suam, et necdum tempus præscriptionis complevit; in tali enim casu possessio defuncti continuatur in hærede, textu expresso in § *Diutina*, instit. *De usucapionibus*, ibi : « Diutina possessio, quæ prodesse cœperat defuncto, et hæredi bonorum possessori continuatur; » et concordant l. *Dolia*, § *Eum qui*, ff. *De contrahend. empt.*, l. *Pomponius* § 1, ff. *De acquirend. possess.* Hinc hæres alicujus bonæ fidei possessoris, qui rem immobilem alterius privati quinquennio cum titulo, v. g. emptionis, donationis, legati, et hujusmodi possedit, potest additis aliis quinque annis suæ possessionis æquali bona fide continuatæ præscriptionem inter præsentes complere. Secus autem esset, si defunctus talem rem detinuisset, veluti sibi commodatam, locatam, oppignoratam, vel apud se depositam; tunc enim ipsius hæres nunquam talem rem præscribere poterit, quantumvis bona fide, ac jure hæreditario ipsam possideat, quia cum hæres succedat in omne jus defuncti, textu expresso in l. *Cum hæres*, ff. *De diversis, et temporal. præscr.*, et ex regul. 46, *Juris in* 6 : « Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit : » non potest tenere illam rem, nisi eo modo, ac jure quo ipsam tenuit defunctus, scilicet per modum commodati, locati, pignoris, et depositi, et hujusmodi, adeoque cum defunctus nusquam bona fide possederit illam rem ut suam ullo titulo ad præscriptionem requisito, et sufficienti, neque id poterit suus immediatus hæres.

(9. Titulus specialis, v. g. emptionis, donationis, transactionis, legati, et hujusmodi requiritur solummodo in duobus casibus. Primo scilicet, ut præscriptio compleatur breviori, seu ordinario tempore. Cum aliquo enim ex dictis titulis bona immobilia privatorum præscribuntur solo spatio decem annorum inter præsentes, et viginti inter absentes, textu expresso in § 1, instit. *De usucapionibus*. Sine ullo autem ex dictis titulis talia bona non præscribuntur, nisi spatio 30 annorum, l. *Sicut in rem*, cod. *De præscription.* 30 *vel* 40 *annorum*. Secundo, requiritur titulus, quando jus commune resistit præscribenti, vel alias habetur præsumptio contra ipsum, textu expresso in c. 1, *De præscriptionibus*, in 6, ibi : « Licet ei, qui rem præscribit ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra eum præsumptio non habeatur, sufficiat bona fides, ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi, nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non exsistat. » Ubi, ut vides, extra hos duos casus sufficit ad præscriptionem bona fides etiam sine speciali titulo, et concordat etiam textus in c. *De quarta* 4, c. *Ad aures* 9, et c. *Quoniam* 20, De præscript., ubi nulla prorsus fit mentio de titulo, et tamen interveniente bona fide, et possessione, legitimo tempore continuata, admittitur præscriptio.

(10. Præscriptio autem immemorabilis ea dicitur, cujus contrarii, vel initii memoria non exstat, et contra quam nihil unquam actum, visum, vel auditum fuerit : l. *In summa* 2, § 7, ff. *De aqua et aquæ pluviæ arcendæ*, l. *Hoc jure* 3, § 4, ff. *De aqua quotidian.*, c. *Super quibusdam* 26, *De verbor. significat.*; Rota recent., part. v, tom. 1; decis. 126, num. 22, part. x, decis. 253, n. 8, part. 12, decis. 279, n. 14 et 15, part. xm; decis. 70, num. 65, et sæpe alibi. (11. Præscriptio immemorabilis habet vim veri, et legitimi tituli, et privilegii, et propterea illam habens potest allegare meliorem titulum de mundo, per text., in citatis juribus, cum similibus : Rota recent., part. i, decis. 677, num 4; part. iii, decis. 489, num. 2; part. iv, tom. 1, decis. 542, num. 2; part. v, tom I, decis. 249, num. 4; part. vii, decis. 249, num. 2, et sæpissime alibi. (12. Præscriptio immemorabilis probari debet per testes, qui saltem per 40 annos testentur de visu, vel sensu proprio, ac de cætero etiam a suis majoribus semper audierint rei statum sic fuisse, et sic tales testes debent habere ætatem saltem annorum 54, ita ut de principio visus habuerint saltem annos 14. Rota, part. i, decis. 254, num 1; part. ii, decis. 248; part. iii, decis. 432, num. 1 et 2; part. iv, tom. I, decis. 47, num. 2; part. vii, decis. 56, num. 3; part. xi, decis. 163, num. 16, et sæpissime alibi.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(13. Confer hic omnino Dunod *De præscript.* part. i, c. 9, qui materiam recte expendit.

§ IV.

Possideas juste.

Quoad ea quæ concernunt possessionem ad præscriptionem requisitam, ejusque dormitionem, et interruptionem, et restitutionem in integrum contra eam.

(1. Ad præscriptionem requiritur possessio, quæ sit tempore a jure constituto legitime continuata. *Communis* textu expresso, in l. *Sine possessione* 25, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, ibi : « Sine possessione usucapio contingere non potest; » et cap. *Sine possessione* 3, De regul. juris, in 6, ibi : « Sine possessione præscriptio non procedit, » cum similibus. Ad præscriptionem requiritur talis possessio, ut quis rem proprio nomine possideat, non autem alieno, quia is, qui alieno nomine possidet, revera

Digitized by Google

non est proprie possessor, sed alter, qui per ipsum possidet, ut expresse habetur in c. *Cum venissent* 9, De restitut. spoliat., ibi : « Cum sicut certum est, is possideat, cujus nomine possidetur ; » et Glossa, *ibid.*, verb. *Cujus nomine*, cum pluribus juribus ibi ab ipsa citatis, et c. *Si diligenti* 17, De præscriptionibus, ibi : « Cum . . . . is possidere dicatur, cujus nomine possidetur ; » et Glossa *ibid.* verb. *Cujus nomine*, cum aliis juribus ibi adductis. Et sic tenet communis doctorum.

(3. Ad præscriptionem requiritur, et sufficit sola possessio civilis sine naturali, *Communis*, teste Pirrhing, lib. II *Decret.*, tit. 26, num. 39. Et ratio est, quia ad præscriptionem requiritur, et sufficit talis possessio, ex qua sequi possit translatio, sive acquisitio dominii ; l. *Sine* 25, ff. *De usurpat. et usucapionibus* ; l. *Acquiritur* 10, § *Ultim.*, ff. *De acquirend. rer. domin.*, cum similibus, sed ex sola possessione civili sine naturali sequi potest translatio, sive acquisitio dominii : absens enim, quem constat solam civilem possessionem animo retinere, possidet quantum ad hoc, ut usucapio continuetur : l. *Servi* 17, § *Ultim.*, ff. *De furtis*, l. 1, § *Per servum, qui in fuga*, ff. *De acquirend. possession.* : ergo, etc.

(4. Non sufficit autem ad præscriptionem sola possessio naturalis sine civili. *Communis*. Et ratio est, quia, ut dicebatur, ad præscriptionem requiritur talis possessio, ex qua sequi possit translatio, sive acquisitio dominii, cit. l. *Sine* 25, *De usurpationib. et usucapionibus*, l. *requiritur* 10, § *Ultim.*, ff. *De acquirend. rerum domin.* Sed ex sola possessione naturali sine civili, non potest sequi dominii acquisitio, cum desit animus possidendi rem ; alioquin non solum naturaliter, sed etiam civiliter possideretur ; ergo, etc. Tum quia depositarius, et colonus possident naturaliter, et tamen non præscribunt, eo quod non possideant civiliter, ergo non sufficit ad præscriptionem sola possessio naturalis sine civili.

(5. An autem ad præscriptionem sufficiat possessio civilissima ? Variant doctores. Negativam sententiam tenent Felinus, in cap. *Illud*, col. ultim. *De præscriptionibus* ; Baldus, tom. XVII *Tractatuum*, tract. *De præscriptionib.*, part. III, principal. circa fin. ; Romanus, singul. 401. Affirmativa autem sententia est probabilior, per text. in l. *Raptores*, cod. *De episcop. et cleric.*, ibi : « Ecclesia vero omnem proprietatem, et plenam possessionem earumdem rerum nostro habeat beneficio. » Et sic tenent Glossa fin., in cap. *Contingit* 9, De dolo et contum. Covarruvias allegans communem doctorum cum Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 190. Et ratio est, quia possessio civilissima censetur ministerio legis vera possessio, cit. l. *Raptores*, cod. *De episcop. et cleric.* ; Jason., in l. *Possessio*, n. 72, ff. *De acquirend. possess.*, ergo eumdem sortitur effectum ac possessio civilis, adeoque, etc.

(6. Quid autem sit possessio naturalis, civilis, et civilissima ? Vide verb. DOMINIUM, art. 1, a num. 23, ad 27.

(7. Quæ hic dicuntur de possessione, intelligenda etiam sunt de quasi possessione. Nam incorporalia, seu jura proprie non possidentur, sed quasi possideri dicuntur ; l. 3, ff. *De acquirend. vel amittend. possess.*, l. *Servum*, § *Incorporales*, ff. *De acquirend. rerum domin.*, et l. *Sequitur*, § 27, ff. *De usurpation. et usucapionibus*, c. *Cum Ecclesia* 3, De causa possess. et proprietat., et Glossa *ibidem*, verb. *Quasi possessionem*, cap. *Si diligenti* 17, *De præscriptionibus* ; et Glossa *ibidem*, verb. *In quasi*, ubi expresse habet : « Hoc ideo dicit, quia incorporalia non possidentur, sed quasi possidentur. »

(8. Præscriptio tunc dicitur *non procedere*, seu *non currere*, quando ex defectu alicujus conditionis ad ipsam requisitæ ipsa nec incipit, nec incipere potest ; sic intervenit, quando deest ei legitima possessio, textu expresso in cap. *Sine possessione* 3, De regul. juris, in 6, ibi : « Sine possessione præscriptio non procedit, » et l. *Sine possessione* 25, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, ibi : « Sine possessione usucapio contingere non potest. » Item quando deest ei bona fides, textu expresso in c. *Possessor* 2, De regul. juris in 6, ibi : « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit ; » cap. *Quoniam* 20, De præscriptionibus, ibi : « Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis. » Item quando deest ei verus titulus : textu expresso in l. *Ultima*, cod. *De usucapion. pro hærede*, ibi : « Usucapio, non præcedente vero titulo, procedere non potest ; » et sic de similibus.

(9. Præscriptio jam inchoata *dicitur dormire*, quando cessat currere tempus propter impedimentum adveniens, et interim suspensa manet, sive quiescit, donec, cessante illo impedimento, denuo currat, et compleatur, computato tempore præcedente et subsequente dictum impedimentum. Et sic præscriptio dicitur dormire tempore hostilitatis, seu belli, textu expresso in cap. *Transmissa* 10, De præscriptionibus. Item dormit præscriptio adversus Ecclesiam vacantem, seu destitutam prælato, aut rectore suo, cap. *Novit ille* 1, et cap. *Constitutus* 3, Ne sede vacante, cap. *Placuit* 1, cap. *De quarta* 4, et cap. *Auditis* 15, De præscriptionibus. Item dormit contra Ecclesiam tempore schismatis, cap. *Placuit* 1, et cap. *Cum nobis* 14, De præscriptionibus. Item dormit præscriptio contra pupillum, durante ætate pupillari, non item cum ad pubertatis annos pervenit ; l. *Sicut in rem* 2, cod. *De præscript.* 30 vel 40 *annor.*, et authent. *Nisi triennale*, cod. *De bon. matern.* Item dormit præscriptio contra de jure impeditum, et non valentem agere ; l. *Super annali* 1, § final., cod. *De annuali exceptione.*

(10. Præscriptio dicitur *interrumpi*, quando ipsa semel legitime cœpta ex aliqua causa ita cessat, ut totum præcedens tempus ipsius omnino exstinguatur, ita ut sublata tali causa, seu cessante tali impedimento, dictum tempus quoad præscriptionem non amplius revivisçat, et ad nihil inserviat, sed debeat

Digitized by Google

de novo præscriptio inchoari, et compleri per totum tempus ad præscribendum requisitum, nullatenus computato tempore illo præcedente interruptionem. *Communis*, et colligitur ex cap. *Illud* 8, De præscription., ubi in fine expresse dicitur: « Etsi probata fuerit interruptio, præscriptio non tenebit.» (11. Ubi, ut vides, in hoc differunt dormitio, et interruptio præscriptionis, quod in dormitione adhuc computatur tempus ipsam præcedens, et conjungitur cum tempore ipsam sequente ad complendam præscriptionem; in interruptione autem nullimode computatur tempus ipsam præcedens, sed solummodo tempus sequens.

(12. Interruptio præscriptionis est duplex, scilicet naturalis, et civilis : sic Glossa communiter recepta in cit cap. *Illud* 8, De præscriptionibus, verb. *Interruptio*. Naturaliter interrumpitur præscriptio, quando incipit aliquid deficere ex his, quæ necessario ad præscriptionem requiruntur, ut si amittatur possessio, quia v. g. per inundationem maris, aut fluminis occupatus est fundus; l. *Possideri* 3, § 17, ff. *De acquirend. vel amittend. possess.*, l. *Qui universas* 30, § 3, ff. Eodem, et Glossa cit., in cap. *Illud* 8, De præscriptionibus, verb. *Interruptio;* vel denique si bona fides cesset, et interveniat mala fides, interveniente rei alienæ notitia; nam bona fides necessario requiritur, non solum ad inchoandam, sed etiam ad continuandam præscriptionem; cap. *Vigilanti* 5, et cap. *Quoniam* 20, De præscriptionibus; et cap. *Possessor* 2, *De regul. juris* in 6. *Civiliter* autem interrumpitur præscriptio ex juris dispositione per actum aliquem juridicum interpositum, v. g. motæ litis coram judice competenti super re ab altero possessa; l. *Motæ litis* 26, cod. *De rei vindicat.*, l. *Si Pater tuus* 7, cod. *De statu defunctorum*, cum similibus.

(13. Præscriptio autem, seu usucapio triennalis per litis contestationem non interrumpitur, sed continuatur et perfici potest, etiam durante lite, ita tamen, ut quamvis post lapsum interea triennium adversus possessorem sententia feratur, ipsa res possessa debeat domino, pro quo judicatum est, restitui, non obstante usucapione; l. *Pro emptore possidet* 2, § 21, ff. *Pro emptore;* l. *Si post acceptum* 18, ff. *De rei vindicat.*

(14. Præscriptio tamen decem, vel viginti annorum cum titulo, et bona fide, aut triginta, vel quadraginta annorum cum bona fide, licet sine titulo, interrumpitur per litis contestationem coram judice competenti factam, non vero per simplicem citationem; l. *Motæ litis* 26, cod. *De rei vindicat.*, cum similibus.

(15. Præscriptio ulterius interrumpitur civiliter, quando quis non valens litem contestari, judicem adit, eique libellum offert contra absentem, seu contra eum, qui aliqua de causa conveniri nequit, et in dicto libello querimoniam producit contra injuste possidentem rem suam; vel si judex haberi non potest, id facit coram publicis personis, vel ad domicilium rei, ut expresse dicit Glossa communiter recepta in cit. cap. *Illud* 8, De præscriptionibus, verb. *Interruptio*, per text. in l. *Ut perfectius* 2, cod. *De annali exceptione*, et l. *Nemo ambigit* 10, cod. *De acquirend. et amittend. possess.*

(16. Item interrumpitur civiliter præscriptio per sacrum oraculum, id est per petitorium, seu rescriptum principi porrectum, quando per exsecutorem, seu nuntium postea subsecuta fuit conventio seu citatio; l. *Sicut in rem* 3, cod. *De præscriptione 30 vel 40 annorum*, et expresse Glossa in cit. cap. *Illud* 8, De præscriptionibus, verb. *Interruptio*, ubi insuper plura alia subjungit, quibus dicit civiliter interrumpi præscriptio.

(17. Præscriptio sive naturaliter, sive civiliter sit interrupta, cessante impedimento, seu causa interruptionis, potest denuo inchoari a bonæ fidei possessore: dummodo nova, seu a tempore cessantis interruptionis computanda præscriptio instituatur; Covarruv., in cit. reg. *Possessor* 2, De regul. juris in sexto, § 12, n. 6 et 7; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 138; Reiffenstuel, *loc cit.*, n. 218, et seqq. et alii communiter, per text. in lege *Sæpe quidam* 9, De præscriptione 30 vel 40 annorum.

(18. Beneficium, seu remedium restitutionis in integrum conceditur minoribus viginti quinque annis, et ecclesiis, aliisque piis locis adversus præscriptionem etiam longissimi temporis 30 vel plurium annorum completam et finitam, idque intra quadriennium computandam a die præscriptionis completæ et cognitæ; l. *Unic.*, cod. *Si adversus usucapionem;* l. *Supervacuam* 7, cod. *De temporibus in integrum restitutionis;* .. *Sancimus* cod. 5, *In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est.*, cap. *Ecclesia* 1, De restitutione in integrum in 6, cum similibus.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(19. Gravissima hic se offert quæstio, utrum ad *dormitionem* possessionis sufficiat sola hostilitas, vel belli status, an requiratur præterea *justitium*, quod scilicet curia sileat? Sunt qui tenent requiri simul justitium. Ita censuit Rota, *in Cracovien. venditionis* 15 Martii 1752, § 5, *Cor. Illustris. Figueroa*, et 11 Mart. 1754, § 6, *Cor. bon. mem. Vicem.* (20. Alii vero distinguunt inter jus civile, et canonicum, et secundum hoc sufficere autumant solam hostilitatem, non item secundum hoc. (21. Meo judicio rectius Bohemerus, exercit. 25, c. 2, § 16, et plur. seqq. distinguit usucapionem inter ac præscriptionem, et in illa, quæ non tam fundata est in odio ejus, qui intra illud tempus non egit, quam in favore publicæ utilitatis, tum ejus, qui bona fide et justo titulo per tempus idoneum rem detinuit, requirit simul justitiam: in hac vero, quæ unicum habet fundamentum in pœna ejus, qui cum experiendi potestatem habuisset, experiri neglexit, minime justitium requirit.

(22. Notabilis est differentia inter casum, quo dormit præscriptio, et casum, quo interrumpitur eadem præscriptio. Priori casu, sublato impedimento, tempus prius cum

Digitized by Google

sequenti conjungitur, posteriori vero casu prius tempus penitus non prodest, sed de novo est inchoanda præscriptio : Petr. Barbosa, in l. 2, § *Imo numer.*, 27, cod. *De præscript.* 30 *vel* 40 *ann.*; Zanger., *De excep.*, part. III, cap. 10, n. 157, et plur. seq.; Stryk., *Jurid. dissert.*, volum. IX, disput. 22, c. 1, § 30; Dunod. *De præsc.*, lib. I, cap. 9.

(23. Æque notabilis est differentia inter interruptionem naturalem, et interruptionem civilem præscriptionis. Interruptio enim naturalis prodest omnibus contra quos præscriptio currebat; civilis vero ei tantum prodest, qui actum interruptionis exercuit, nec ipsius personam egreditur; Bruneman, in l. 7, § 6, fer. per tot., cod. *De præscript.* 30 *vel* 40 *annor.*; Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. IX, disp. 13, c. 4, § 4, ubi et de eo agit, an interruptio contra principalem facta noceat fidejussori.

(24. Quibus modis dormiat præscriptio, tradit Dunod, *De præscript.*, lib. I, c. 10.

(25. Et quibus modis præscriptio, tum naturaliter, tum civiliter interrumpatur, optime explicat Stryk, *Juridic. dissert.*, volum. IX, disp. 13, cap. 2 et 3, utrobique per tot.

§ V.

Completo tempore legis.

Quoad ea quæ concernunt tempus ad complendam præscriptionem rerum, servitutum, et actionum requisitum.

(1. Res mobiles privatorum cum titulo et bona fide præscribuntur, seu usucapiuntur triennio; res autem immobiles per longi temporis possessionem, id est decennio inter præsentes, et viginti annis inter absentes. *Communis*, textu expresso in § 1 *Institut.* De usucapion., ibi : « Cautum est, ut res quidem mobiles per triennium; immobiles vero per longi temporis possessionem (id est inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis) usucapiantur : » et concordat l. *Unic.*, cod. *De usucapione transformanda*, contra jus antiquum requirens ad præscriptionem rerum mobilium unum solum annum.

(2. Pro rebus mobilibus veniunt omnes illæ quæ loco moveri possunt, ut pecunia, vestis, navis, animalia, et hujusmodi; pro rebus autem immobilibus veniunt illæ quæ loco non moventur, ut domus, agri, vineæ, et hujusmodi.

(3. Nomine rerum *immobilium* veniunt etiam beneficia, census, redditus, juspatronatus, usufructus, et servitutes, privilegia, et similia. Ista enim omnia fixa manent, et instar immobilium afferunt fructum, et commoditatem suam. Sic Lessius lib. II, cap. 6, num. 25; Pirhing, lib. II *Decretal.*, tit. 26, num. 89; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 150, et alii communiter, per text. in Clement *Exivi*, § *Cumque annui redditus*, De verbor. significat., ibi : « Cumque annui redditus inter immobilia conseantur a jure. »

(4. Jura autem, et actiones, si sint ad res immobiles, veniunt nomine immobilium; si vero sint ad res mobiles, veniunt nomine mobilium, per text. in cap. *Accessorium* 42, De regul. juris in 6, ibi : « Accessorium naturam sequi congruit principalis. »

(5. Præsentes quantum ad propositum dicuntur illi, qui habitant in eadem civitate, vel in ejusdem territorio; absentes vero dicuntur illi, qui habitant in diversis civitatibus, seu in territorio diversarum civitatum. *Communis*, per textum in l. *Cum in longi temporis præscriptio* 12, cod. *De præscriptione longi temporis.* Ubi insuper statuitur, quod nihil referat, sive res præscribenda sit pariter in eodem loco, sive diverso, et distanti, ibi : « De rebus autem, de quibus dubitatio est, nulla erit differentia, sive in eadem provincia sint, sive in vicinia, vel trans mare positæ, vel longo spatio separatæ . . . Nihil enim prohibet, sive in eadem provincia res constitutæ sint, sive in judicio provinciali moveri, et multo magis in hac florentissima civitate; quid enim prodest in ipsa provincia esse possessionem, an in alia? Cum jus vindicationis incorporale est, et ubicunque res positæ sunt, et dominium earum, et vinculum ad dominum, vel creditorem possit reverti? »

(7. Si quis quibusdam annis fuit præsens, et quibusdam aliis fuit absens, tunc unus annus præsentiæ æquivalet duobus annis absentiæ, et vicissim duo anni absentiæ æquivalent uni anno præsentiæ : unde si quis per octo annos v. g. fuerit præsens, et per duos fuerit absens, alii duo anni debent superaddi præscriptioni decem annorum, quia in tali casu, antequam compleatur dicta præscriptio, debet abesse quatuor annis, quia quatuor anni absentiæ sunt veluti duo anni præsentiæ, qui cum aliis dictis octo præsentiæ constituunt decem annos præsentiæ requisitos ad præscriptionem decem annorum inter præsentes : et sic dicendum est de cæteris præscriptionibus, per textum expressum in authent. *Quod si quis*, cod. *De præscription. longi temporis*, ibi : « Quod si quis quibusdam annis præsens sit, quibusdam absens, adjiciuntur ei super decennium tot anni, quot annis ex decennio fuit absens. »

(8. Ab usucapione, seu præscriptione triennali excipiuntur res furtivæ, seu vi possessæ; tales enim res, si prius non redierint ad dominum, vel nisi fur, aut rapiens sit factus hæres domini, non præscribuntur ordinario tempore, nequidem a mediato possessore, § *Furtivæ*, institut. *De usucap.*, l. *Si aliena*, ff. *De usucap.* (9. Unde ut præscribantur a mediato possessore, domino ignorante, requiruntur 30 anni, novel. 119, c. 7. Si autem dominus sciat, et negligat contestari, sufficiunt decem anni inter præsentes, et 20 inter absentes, uti habetur in citat. novel. (10. Ab ipso fure autem, seu per vim possidente, tanquam possessore malæ fidei, nunquam possunt præscribi, per text. in c. *Vigilanti* 5, et c. *Quoniam* 20, *De præscriptionibus*; et cap. *Possessor* 2, De regul. juris, in 6, ibi : « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. »

Digitized by Google

(11. Si tamen ipsi furi, seu per vim possidenti, supervenerit bona fides; v. g. quia a confessario ei dictum est licite potuisse tunc accipi, vel nunc res retineri, possunt etiam ab ipso præscribi tempore extraordinario, seu longissimo 30 vel 40 annor., si tanto tempore bona fide possessæ fuerint, quia per præscriptionem longissimi temporis purgatur vitium furti, vel violentiæ, quo affecta erat res, et omnis actio exstinguitur, l. *Sicut in rem* 3, et l. *Omnes* 4, cod. *De præscription. 30 vel 40 annorum*. Vide *supra*, § 2, n. 22 et seq.

NOTA ROM. THEOL.

At si confessarius erraverit, quo jure id retinere poterit?

RESPONSIO AUCTORIS.

Miror non perceppisse theologum, quo jure id retinere possit, nempe jure (perspicue a me adducto in mea conclusione) legitimæ præscriptionis cum bona fide, per jura ibi adducta. Debuerat enim scire theologus, quod legitima præscriptio est valida et licita, nedum in foro fori, sed etiam in foro poli, per jura tum civilia, tum canonica a me adducta in hoc art. *De præscript.* a n. 7 ad 9, ubi ultra communem aliorum auctorum, affero ad id optimam rationem Scoti. Si autem confessarius erraverit, sibi consulat. Fur enim, et per vim possidens ratione talis bonæ fidei superventæ rem alienam in utroque foro præscripsit, si tanto tempore *ibi* adducto bona fide pacifice eam possedit.

(12. Res tam mobiles, quam immobiles privatorum sine titulo, sed cum bona fide præscribuntur 30 annis. *Communis*, per textum in l. Sicut in rem 3, cod. *De præscription. 30 vel 40 annor.*, ubi generaliter dicitur : « Si qua res, vel jus aliquod postuletur, vel persona qualicunque actione, vel persecutione pulsetur, nihilominus erit agenti 30 annorum præscriptio mutuanda; » et concordat cap. *Sanctorum* 3, De præscriptionibus.

(13. Immobiles Ecclesiæ Romanæ non præscribuntur nisi spatio 100 annorum; cap. *Nemo* 16, caus. 16, q. 4, c. *Ad audientiam* 13, et cap. *Cum nobis* 26, De præscript., cap. *Si quis* 2, eod. in 6, authent. *Quas actiones*, cod. *De sacrosanctis ecclesiis;* ubi expresse habetur : « Quas actiones, alias decennalis, alias vicennalis, alias tricennalis præscriptio excludit; hæ, si loco religioso competant, quadraginta annis excluduntur : usucapione triennii, vel quadriennii præscriptione in suo robore durantibus; sola Romana Ecclesia gaudente centum annorum spatio, vel privilegio. » (14. Pro rebus autem Romanæ Ecclesiæ intelliguntur res Ecclesiæ Lateranensis, et Romani Pontificis bona, ac patrimonium; ut explicat La Croix, l. III, part. II, n. 533, et alii passim.

(15 Res immobiles aliarum ecclesiarum inferiorum, et aliorum locorum piorum, seu causarum piarum præscribuntur spatio annorum 40, cap. *De quarta* 4, cap. *Ad aures* 6, cap. *Illud autem* 8, et cap. *Quia judicante* 9, De præscriptionibus, ubi clare habetur decisum, quod contra Ecclesiam, jura episcopalia, decimas, et hujusmodi quadraginta annorum spatio præscribatur, et concordat cit. Authent. *Quas actiones*, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*, ibi : « Hæ, si loco religioso competant, quadraginta annis excluduntur. »

(16. Monasteria quædam, et ordines quidam sunt specialiter privilegiati, ut majori, quam quadraginta annorum præscriptione gaudeant. Sic præscriptione 60 annorum gaudet ordo S. Bened. ex concessione Eugenii IV, et ordo S. Salvatoris ex concessione Julii II. Et præscriptione centenaria gaudent Cisterciences, et ordines Mendicantes, et alii communicantes cum eorum privilegiis ex concessione eis facta a diversis Summis Pontificibus, ut testantur Engel, l. II *Decretal.*, tit. 26, num. 33, et alii plures apud ipsum, Reiffenstuel, *ibid.*, n. 166; La Croix, *loco cit.*, n. 534, et alii passim; et Rota recent. part. XV, dec. 285, n. 17, ubi expresse dicit, quod centenaria præscriptio requiritur ad præscribendum adversus regulares.

(17. Res mobiles ecclesiarum, aliorumque piorum locorum (ademptis tamen pretiosis) cum titulo et bona fide præscribuntur, seu usucapiuntur triennio. Sic communior, et probabilior doctorum sententia, cum Innocent. in c. 1, *De in integrum restit.*: Dyno, in regul. *Possessor.*, n. 18, *De regul. juris*, in 6, ex professo hanc quæstionem examinante; Covarr., part. II, in d. regul. *Possessor.*, § 2, n. 3; Lessius, lib. II, cap. 6, n. 22; Layman, lib. III, tract. 1, cap. 8, n. 13; Pirhing, lib. II *Decr.*, tit. 26, n. 90; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 171; Zoesius, *ibid.*, n. 5; Sanig, eod. cap. 5, n. 1; Vallens., eod. § 6, n. 3; La Croix, lib. III, p. II, n. 529, et plures alii apud ipsos; et ratio hujus communioris et probabilioris sententiæ desumitur ex authent. *Quas actiones*, cod. *De sacrosanct. eccles.*, ubi locis religiosis conceditur privilegium præscriptionis quadragenariæ, sed cum addita limitatione illis verbis : « Usucapione triennii, vel quadriennii præscriptione in suo robore durantibus. » Et hæc authentica est per Gratianum inserta juri canonico in c. *Placuit* 15, § *Quas actiones*, caus. 16, q. 4, atque ab Ecclesia recepta, uti volunt Layman, Vallensis, Pirhing, Reiffenstuel, et alii hujus sententiæ patroni contra plures alios, quos adducit Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 169 et seq., cum suis fundamentis, quæ deinde solvit n. 171 et seq. (18. Imo La Croix, *loco cit.*, n. 529, insuper addit, quod neque Romana Ecclesia in mobilibus habet speciale privilegium præ aliis, ut tenent Glossa, Molina, Layman, Sanchez, Castrop., Lugo, Haun., contra Silv., Covarruv., Panormitan., Fel., Bald., Less., et alii.

10. Bona privata, et patrimonialia clericorum præscribuntur tempore ordinario, sicut bona laicorum : Glossa in cap. *Possessiones* 16, q. 4, verb. *Episcoporum;* Covarruv., lib. I *Variar. resolut.*, cap. 4, n. 3 et

Digitized by Google

4; Pirhing, *loc. cit.*, n. 93; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 167; Abbas, in cap. *Sanctorum* 3 De præscriptionibus in 6; Barbosa, *ibid.*, n. 2, testans de communi; La Croix *loc. cit.*, num. 535, ubi dicit, sic sentire omnes. Privilegium enim quadragenariæ præscriptionis, quamvis sit concessum ecclesiis aliisque locis piis ex dictis, et juribus adductis *supra*, n. 15, nullibi tamen reperitur concessum clericis, horumque bonis patrimonialibus. Quinimo oppositum videtur innuere textus in cap. *Sanctor.* 3, De præscriptionibus, ut explicat Gloss. in c. cap. *Possessiones* 16, q. 4, vers. *Episc.*, adeoque eorum bona patrimonialia præscribuntur tempore ordinario, sicut bona laicorum.

20. Bona etiam mobilia fisco sæculari propter delictum addicta, et per sententiam jud. incorporata præscribuntur spatio 40 annorum. Sic Bartol., Panorm., Covarr., Molina, Laym., Silv., Lugo, Illsung. et alii ex l. *Omnes* 4, et l. *Competit.* 6, cod. *De præscript.* 30 *vel* 40 *annor.* Si autem necdum sint fisco incorporata, præscribuntur spatio quinque annorum, l. *Neque commissum* 2, cod. *De vectigalibus, et commiss.*; Pirhing, *loc. cit.*, n. 105; La Croix, *loc. cit.*, n. 535, et alii passim

22. Bona fisco debita, ex quo vacent ob mortem alicujus decedentis sine legitimo hærede, si necdum sint denuntiata fisco, præscribuntur tempore ordinario, sicut alia bona privatorum, cum bona fide, et titulo, mobilia spatio trium annorum; immobilia spatio decem, vel viginti annorum, et sine titulo cum sola bona fide spatio triginta annorum, l. *Quamvis* 18, juncta Glossa *ibid.*, verb. *Diutina*, De usucapionibus; Pirhing, *loc. cit.*, n. 105, et alii passim. (23. Si autem talia bona sint fisco denuntiata, et tamen nondum ab eo occupata, tunc præscribuntur adversus fiscum quadriennio cum titulo, vel etiam sine illo, sed cum bona fide, l. 1, cod. *De quadrien. præscript.*, et l. *Intra* 10, ff. *De divers. et temporal. præscription.* Pirhing., *loc. cit.*, et alii passim.

(24. Quamvis servitus mere personalis, qua tollitur libertas hominis, nullo unquam tempore possit præscribi, ut tenet communis doctorum, per text. in § *Sed aliquando*, inst. *De usucapionibus*, l. *Usucapionem* 9, ff. *De usurpationibus et usucapionibus*, et l. ultim., cod. *De longi temporis præscriptione, quæ pro libertate;* (25. tamen servitus personalis exstinguitur per præscriptionem, si servus bona fide etiam sine titulo per 20 annos gesserit se ut liberum. *Communis*, per text. in cit. l. ultim., cod. *De longi temporis præscriptione, quæ pro libertate*, et Glossa, *ibid.*, verb. *Bona fides*, et verb. *Per* 20. Vide *supra*, § 1, n. 2 et 3.

(26 Servitus mere realis, seu quæ a re debetur rei tam affirmativa, quam negativa, tam rustica, quam urbana, sive sit continua, vel quasi continua, uti est servitus oneris ferendi, stillicidii, tigni immittendi, aquæ ductus, et hujusmodi, sive sit discontinua, cujus usus per intervalla est, uti est servitus itineris per fundum alienum, ducendi currum, et hujusmodi cum titulo, et bona fide, præscribitur spatio decem annorum contra præsentes, et 20 contra absentes, l. *Cum in longi temporis præscriptione* 12, cod. *De præscriptione longi temporis*; neque requiritur scientia et patientia ejus, contra quem præscribitur, quando adest titulus. Sic ex communi docent Lessius, lib. II *De justit. et jure*, c. 6, n. 28; Pirhing., *loco cit.*, n. 119.

(27. Servitus mere realis, si sit continua, vel quasi continua cum bona fide, licet sine titulo, sciente tamen, et patiente adversario, contra quem fit præscriptio, præscribitur spatio decem annorum inter præsentes, et 20 inter absentes. *Communis*, per text. in l. *Si quas actiones* 1, et l. *Si aquam* 2, cod. *De servitutibus*, et l. *Si quis* 10, ff. *De servit. vindic.* Et ratio est clara, quia si dominus, seu is, cujus interest, sciat, et permittat tanto tempore rem suam alteri servire, ut v. g. tolerando tignum alterius suo parieti immissum, vel aquæductum in suo fundo factum, et similia, censetur hoc jus sponte cedere, adeo, dummodo interveniat bona fides, non est opus alio titulo ex parte præscribentis.

(28. Si autem servitus sit discontinua, uti est servitus itineris, seu viæ per fundum alienum, ducendi currum, et hujusmodi, non præscribitur absque titulo, nisi tempore immemorabili. *Communis*, per text. in l. *Servitutes* 4, ff. *De servitutibus.* Et ratio disparitatis est evidens, quia servitus discontinua ab altero prætensa, cum ejus usus sit rarus, et valde interruptus, non potest ita facile adverti a domino fundi, ut eam possit impedire; at vero in servitute continua, vel quasi continua, ejus usus facile advertitur, cum sit continuus, vel quasi continuus, adeoque dominus potest facile eum impedire, si velit, et si non impediat, censetur sponte cedere.

(29. Servitus mista, quæ a re debetur personæ, ut est ususfructus, usus, et habitatio, præscribitur cum bona fide, et titulo, spatio 10 annorum inter præsentes, et 20 inter absentes, sed sine titulo, spatio 30 annor. *Communis*, per text. in l. *Cum in longi temporis præscriptione* 12, cod. *De præscriptione longi temporis*, in fine.

(30. Actiones civiles, tam reales quam personales, et obligationes, seu debita rerum mobilium, et immobilium, quæ per actiones exigi possunt, præscribuntur regulariter spatio 30 annorum contra creditores cum bona fide. *Communis*, per text. l. *Sicut in rem*, cod. *De præscriptione* 20 *vel* 40 *annor.*, et l. 1, cod. *De annali exceptione.*

(31. Excipitur tamen ab hac regula actio hypothecaria, quia si res hypothecata possideatur ab ipso debitore qui eam oppignoravit, vel ejus hæredibus, non præscribitur contra creditorem nisi annis 40 computandis a die, quo debitum solvendum erat. *Communis*, per text. in l. *Cum notissimi* 7, cod. *De præscription.* 30 *vel* 40 *annor.* (32. Si autem res hypothecata possideatur cum titulo, et bona fide ab aliquo alio, qui nec

Digitized by Google

debitor, nec debitoris hæres sit (ut si fuisset vendita alicui ignoranti, quod sit hypothecata), tunc actio hypothecaria præscribitur spatio 10 annorum inter præsentes, et 20 inter absentes; sine titulo autem, spatio annorum 30. *Communis*, per text. in cit. l. *Cum novissimi*.

(33. Legata, et fideicommissa contra legatarium, et fideicommissarium præscribuntur solum 30 annis, non autem præscribi possunt tempore ordinario, sive longo 10 vel 20 annorum. *Communis*, per text. in l. *Si duobus* 3. § penult., cod. *Communia*, De legatis et fideicommissis.

(34. Actiones, et oblationes adversus ecclesias, et loca pia præscribuntur eodem tempore, quo præscribuntur earum res, seu bona. Unde vide dicta *supra*, n. 13 ad n. 18, et conclude sicut ibi.

(35. Actiones criminales ordinarie præscribuntur, et tolluntur spatio 20 annorum computando hoc tempus a die commissi criminis. *Communis*, per text. in l. *Querela falsi* 12, cod. ad l. Cornel. *De falsis*, ibi : « Querela falsi temporalibus præscriptionibus non excluditur, nisi 20 annorum exceptione, sicuti cætera quoque fere crimina. »

(36. Dantur tamen quædam delicta, quorum actio ad accusandum minori tempore exstinguitur, seu præscribitur. (37. Sic actio injuriarum exspirat, seu præscribitur lapsu unius anni. *Communis*, textu expresso in l. *Si non convicii* 5, cod. *De injuriis*, ibi: « Et ex eo die annus excessit, cum injuriarum actio annuo tempore præscripta sit, ob injuriæ admissum conveniri non potest. » (38. Actio ad accusandum crimen peculatus exstinguitur, seu præscribitur lapsu quinquennii. *Communis*, textu expresso in l. *Peculatus*, ibi : « Peculatus crimen ante quinquennium admissum objici non oportet. »

(39. Item actio ad accusandum adulterium, vel alia peccata carnis exstinguitur, seu præscribitur lapsu quinquennii. *Communis*, textu expresso in l. *Mariti* 29, § 5 et seq., ff. ad leg. Jul. *De adulteriis*. (40. Excipitur tamen hic stuprum per vim illatum, textu expresso in cit l. *Mariti*, § 9, ibi : « Eum autem, qui per vim stuprum intulit mari, vel feminæ, sine præfinitione hujus temporis accusari posse, dubium non est, cum eum publicam vim committere, nulla dubitatio est. » (41. Item excipitur adulterium cum incestu, textu expresso in l. *Vim passam* 39, § 5, ff. ad leg. Jul. *De adulteriis*, ibi : « Præscriptione quinque annorum crimen incesti conjunctum adulterio non excluditur. » (42. Item excipitur raptus, textu expresso in l. *Qui cœtu* 5, ff. ad l. Juliam, *De vi publica*, ibi : « Qui vacantem mulierem rapuit, vel nuptam, ultimo supplicio punitur, et si pater injuriam suam precibus exoratus remiserit, tamen extraneus sine quinquennii præscriptione rerum postulare poterit, cum raptus crimen legis Juliæ de adulteriis potestatem excedat. »

(43. Actio *redhibitoria*, qua emptor intra sex menses, rescissa emptione, reddere potest rem emptam propter vitium, quod si scivisset, non fuisset empturus, præscribitur contra emptorem sex mensibus computandis a die, quo emptor vitium rescivit. *Communis*, textu expr. in l. *Sciendum*, § 6, ff. *De ædilitio edicto*, ibi : « Tempus autem redhibitionis sex menses utiles habet. »

(44. Actio autem *quanti minoris*, competens intra annum illi, qui cognito rei vitio, empturus quidem fuisset, sed minori pretio, ut quanto minoris emisset, repetere possit, præscribitur integro anno. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Sciendum*, § 6, *De ædilitio edicto*, ibi : « Si autem mancipium non redhibeatur, sed quanti minoris agitur, annus utilis est. »

(45. Ad præscribendum, aut quasi præscribendum contra legem civilem requiruntur, et sufficiunt decem anni. *Communis*. Vide verbum Consuetudo, n. 20. (46. Contra tamen legem canonicam requiruntur, et sufficiunt 40 anni. Vide *ibid.*, num. 2 et seq.

(47. Probabile tamen est quod etiam ad præscribendum contra legem canonicam sufficiant 10 anni, sicuti sufficiunt ad præscribendum contra legem civilem. Vide *ibid.*, n. 23 et seq.

(48. An requiritur bona fides ad præscribendum contra legem. Vide *ibid.*, n. 29 ad 31.

(49. Quantum tempus requiratur ad præscriptionem jurispatronatus? *Vide* verbum Jurspatronatus, art. 1, n. 54 usq. in fin.

50. Præscriptio principaliter differt a consuetudine, quia præscriptio datur inter privatos, et a privatis inducitur : consuetudo vero non inducitur nisi a communitate, cum ipsa sit lex, et jus non scriptum, l. *De quibus* 32, ff. *De legibus*, § *Sine scripto* 9, instit. *De jure naturali*. Vide verb. Consuetudo, n. 36.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51 Non omnes præscriptiones eodem tempore complentur. Pro diversitate enim actionum aliæ complentur paucis mensibus, aliæ uno anno, aliæ duobus annis, aliæ tribus, aliæ quatuor, aliæ quinque, aliæ decem, aliæ triginta, aliæ quadraginta, aliæ centum, et aliæ demum tempore immemorabili.

(52) Utile porro esset, de hisce omnibus præscriptionibus agere; at limites additionum haud patiuntur adeo diffusam tractationem. Satis sit ea breviter attigisse, quæ initio hujus articuli de hac re attulimus, et insuper enim indicare, qui de ipsis accuratissime et accommodare ad praxim agit, Dunod, *De præscript.*, part. II, a c. 1 ad c. 15. Consule eum igitur, ubi ita res postulat.

Digitized by Google

DE EFFECTU USUCAPIONIS, ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPTIONIS SPECTATO ETIAM JURE JUSTINIANEO.

ARTICULUS II.

Hæc utique expendenda veniunt ad rem.

(1. Usucapio tribuit rei dominium, ut ex definitione liquet, et quidem ita legitimum perinde ac si res nobis mancipata esset. Hinc Horatius, *Epist.*, lib. II, epist. 2, ita scribit :

Si proprium est, quod quis libra mercatur, et ære,
Quædam, consultis si credas, mancipat usus.

(2. Sed hoc dominium cum ea causa transit, cum qua erat apud eum, adversus quem usucapitur : Igitur « non mutat usucapio superveniens pro emptore, vel pro hærede, quominus pignoris persecutio salva sit. Ut enim usus fructus usucapi non potest, ita persecutio pignoris, quæ nulla societate dominii conjungitur, sed sola conventione constituitur, usucapione rei non perimitur, » l. 44, § 5, ff. *De usurpat. et usucap.* Cujus legis hic sensus est. Usucapio tribuit jus dominii. Nil autem jus pignoris commune habet cum dominio, ergo potest utrumque seorsim stare. Quemadmodum et usufructus, qui cum ipse a dominio non pendeat, non usucapitur cum re, cujus dominium per usucapionem transit.

(3. Præscriptionis autem longi temporis non is quidem jure *Pandectarum* effectus est, ut dominium civile tribuat, sed tantum exceptionem adversus dominum rem suam vindicantem, et in hoc minus habet quam usucapio. Hoc autem plus habet, quod eadem exceptione tueri se potest is, qui longo tempore possedit etiam adversus quoslibet, qui jus aliquod in re persequerentur, creditorem puta hypothecarium. Et quidem primo exceptionis adversus dominum competentis ex longa possessione mentione faciunt Diocletianus, et Maximianus in l. 9, cod. *De præscript. long. temp.* « Emptor bona fide contra præsentem decennii præscriptionem, in cujus initio contestationem liaberi sufficit, posteaquam suam impleverit intentionem petitor, adhibita probatione justæ possessionis defensus absolvi recte postulat. » Diximus contestationem haberi. Nam hanc præscriptionem, seu exceptionem diutinæ possessionis sufficiebat contestari, id est proponere initio litis, seu in ipsa contestatione. Apud judicem autem datum reus poterat usque ad sententiam probare hanc possessionem. Quinimo hac exceptione utilis in rem actio ei qui præscripserat, dari cœpit, de qua Ulpianus in l. 10, ff. *De servit. vindic.*

(4. Secundo, eum, qui longo tempore possedit, exceptione quoque tueri se posse adversus quoslibet, qui jus aliquod in re persequerentur, ita rescribunt in creditoris persona supradicti imperatores in l. 2, cod. *Si adversus credit. præscript.*, et in l. 1, eod. tit. Sed si creditor excluditur a pignoris persecutione per possessionem longi temporis, ergo et emptor pignoris, qui in jus ejus successit. Hinc Paulus ita statuit, l. 12, ff. *De divers. temp. præscript.* : « Creditor, qui præscriptione longæ possessionis a possessore pignoris submoveri possit, pignus distraxit. Quæro an possessori salva sit exceptio adversus emptorem : Paulus respondit : etiam adversus emptorem eamdem exceptionem competere. »

(5. Hæc tamen longi temporis præscriptio non accommodatur adversus judicia universalia, circa quod observandum, quod « hæreditatem quidem petentibus longi temporis præscriptio nocere non potest ; verum his, qui nec pro hærede, nec pro possessore, sed pro empto, vel donato, seu alio titulo res, quæ ex hæreditate sunt, vel fuerunt, possident, cum ab his successio vindicari non possit, nihil hæc juris definitio nocet; » l. 4, cod. *In quib. caus. cess. long. temp. præscr.* Non accommodatur etiam hæc præscriptio adversus judicia mista nimirum *familiæ erciscundæ*, aut *communi dividundo*, ut statuit Diocletianus, et Maximianus in l. 3, cod. eod., quæ dispositio ampliatur etiam in l. 5, cod. *Quib. non objic. long. temp. præscript.*

(6. Justinianus longi temporis possessionem in usucapionem transfudit, constituitque, ut prædia provincialia, quæ usucapi non poterant, nec non res incorporales, jam possent usucapi. Usucapionis autem tempus prorogavit, nimirum ut res mobiles nonnisi triennio continuo, res autem immobiles, aut quæ tales intelliguntur, puta jura in re immobili, decennio duntaxat inter præsentes, vicennio inter absentes usucaperentur, l. unic., cod. *De usucap. transform.* Præsentes autem definit cum actor et reus in eadem provincia domicilium habuerunt, absentes cum in diversis. Nihil referre autem quod res alio loco sita sit, quam ubi domicilium habent l. fin., cod. *De præscr. long. temp.*

(7. Constituit quoque ut cum dominus aut creditor hypothecarius litem non potuit contestari adversus possessorem, vel propter ejus absentiam, aut potentiam, vel propter ejus ætatem furoremve, et curatoris, vel tutoris destitutionem, possit hanc præscriptionem interrumpere porrigendo libellum præsidi, aut si non potuerit, episcopo, aut defensori civitatis, in quo intentionem proponat, aut si hi absint, proponendo publice hunc libellum eo loci, ubi possessor domicilium habet cum subscriptione tabulariorum civitatis, aut trium testium, si non adsint tabularii, l. 2, cod. *De annal. except. Ital. contr.* Amplius voluit, ut ex generali libello, quamvis nullius causæ mentionem habeat, videatur quis omnes suas actiones in judicium deduxisse, l. 3, cod. eod.*

Digitized by Google

USURA.

De hac materia vide *Addit. Casin.* sub verb. MUTUUM, tom. V, col. 189 et seqq., et tene prout ibi.

(1. Usura dicitur *ab usu*, sicuti cultura dicitur *a cultu*: unde in hoc sensu Cicero *in Verrem* dixit: « Cur piratis locis usuram tam diuturnam dedisti? » Sicque usura in genere significat usum alicujus rei. Item usura sæpe accipitur pro incremento, seu lucro, et commodo, seu tractu ex rei usu proveniente, teste eodem Cicerone, qui I. *De senectute* sic expresse dicit: « Terra nunquam sine fructu reddit quod accepit, » ubi fructus supra semen, seu incrementum, et lucrum, quod ex semine sibi mandato reddit, usuram appellat. Ad nostrum autem propositum usura sumitur vel pro conventione, seu contractu usurario, vel pro lucro, quod ex contractu acquiritur, quod etiam fœnus appellatur a *fetu*, quasi sit fetus, seu partus, aut genitura pecuniæ, vel alterius rei pretio æstimabilis mutuo datæ.

2. Usura capta pro conventione, seu contractu usurario definitur, quod sit mutuatio cum pacto expresso, vel tacito accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem ratione mutui. Usura autem capta pro lucro, quod ex contractu usurario acquiritur, definitur, quod sit lucrum immediate ex mutuo proveniens tanquam debitum, id est incrementum, quod vi mutui intenditur, et accipitur tanquam debitum supra id, quod mutuo datum est. Sic in re doctores communiter. arg. c. *Si fœneraveris* 1, c. *Putant*, 2, c. *Plerique* 3, et c. *Usura* 4, caus. 14, qu. 3.

(3. Usura dividitur primo in mentalem, et realem. Usura mentalis est, qua lucrum ex mutuo intenditur tanquam debitum, licet de eo nullum interveniat pactum, arg. c. *Consuluit* 10, *De usuris*. Vide *infra*, n. 86. Usura realis est, cum qui mutuat cum pacto expresso, vel tacito accipiendi ultra sortem lucrum ex mutuo. Sic in re communis doctorum.

(4. Secundo, dividitur usura in expressam, seu manifestam, et tacitam, seu palliatam. Usura expressa, seu manifesta, et formalis est, quando expresse, seu manifeste, et formaliter exigitur pretium pro mutuo, ut cum quis mutuat centum eo expresso pacto, ut sibi reddantur centum, et quinque, et hujusmodi. Usura tacita, seu palliata, et virtualis est, quæ non committitur vi contractus mutui formalis, et expressi, sed alterius contractus nomine, ac specie veluti pallio contecti, et occultati, ut dum præcise ob anticipatam, aut dilatam solutionem aliquid de justo pretio detrahitur, aut supra justum pretium exigitur, arg. c. *In civitate tua* 6, De usuris.

(5. Tertio dividitur usura in lucratoriam, compensatoriam et punitoriam. Usura lucratoria (de qua tanquam propria usura ex professo agunt theologi, et erit hic sermo) est, quæ continet aliquod lucrum temporale, causa et nomine solius mutui principaliter exactum. Usura compensatoria, seu restauratoria est, qua ex pacto exigitur aliquid supra sortem ratione justi interesse, seu damni emergentis, vel lucri cessantis, quod patitur mutuans, aut ratione periculi, et incommodi, quod probabiliter passurus est in mutuo recuperando. Et hæc usura, ut infra videbitur, est licita. Usura punitoria, seu moratoria, est, qua ex pacto imponitur pœna, v. g. pecuniaria ultra sortem præstanda, si mutuatarius in reddendo mutuum tempore convento fuerit culpabiliter morosus; et hæc etiam, ut infra videbitur, est licita.

(6. Usura proprie dicta, seu lucratoria, est prohibita, non solum jure positivo, divino, et ecclesiastico, sed etiam jure naturali: est communis inter Catholicos. Et quidem de jure divino constat ex pluribus locis sacræ Scripturæ, et signanter ex *Levit.* XXIII, ibi: *Non accipies a fratre tuo usuram, nec amplius quam dedisti... Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges. Deuteron.* XXIII, ibi: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam: Psal.* XIV, ubi introducendus in tabernaculum Domini dicitur, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, sicque e contrario excludendus, qui dederit ad usuram; *Psal.* LIV, ubi inter iniquitates, quæ enumerantur, dicitur: *Et non defecit de plateis ejus usura, et dolus; Ezechiel.* XVIII, ubi vita æterna præmiandus dicitur, *qui ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit*; et e contra dicitur esse morte æterna puniendum *ad usuram dantem, et amplius accipientem.* Et *Lucæ* VI, ipsemet Christus Dominus ait: *Mutuum date, nihil inde sperantes*; scilicet ultra sortem, quæ verba Papa Urbanus III, in cap. *Consuluit* 10, De usuris, affert ad probandum, usuram jure divino esse prohibitam. Unde in cap. *Super eo* 4, De usuris, expresse dicitur, quod usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur; et concordat c. *Quia in omnibus* 3, eod., ibi: « Et qualiter utriusque Testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant. »

(7. Et quod usura prohibita sit etiam jure canonico, habetur expresse ex cap. *Quoniam* 2, dist. 47, cap. *Si fœneraveris* 1, cap. *Putant.* 2, cap. *Plerique* 3, et cap. *Usura* 4, caus. 14, qu. 3, c. *Ministri* 2, cap. *Si quis* 4, cap. *Nullus* 6, cap. *De hoc* 7, et cap. *Si quis usuram* 10, caus. 14, qu. 4, et ex tote titulo *De usuris*, tam quinti, quam sexti *Decretalium*, et ex Clementin. unic. *De usuris*, § *Sane*, ibi: « Sane si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum. »

(8. Quod autem usura prohibita sit etiam jure naturali, ostenditur ratione. Contra legem naturalem, seu jus naturæ est, fructus

Digitized by Google

percipere ex re non sua, sed aliena, cum fructus rei ex natura sua pertineant ad dominum ejusdem rei : atqui, si ex mutuo usura perciperetur, perciperentur fructus ex re aliena; ergo usura est contra jus naturale, seu de jure naturali prohibita. Major est nota ipso naturæ lumine; minor probatur : Per mutuum dominium rei mutuatæ transfertur in mutuatarium; mutuum enim ideo appellatur, quia de meo fit tuum, textu expresso in l. *Mutuum* 2, § 2 ff. *De rebus creditis, si certum petatur*, ibi : « Appellata est autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit. » Et *Instit.* quibus modis re contrahitur obligatio in princip., ibi : « Inde etiam dictum est mutuum, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat; » ergo si percipiantur fructus, seu lucrum a mutuante ex re mutuata, percipiuntur ex re aliena, adeoque etc.

(9. Nec contra id, quod hactenus dictum est, usuram scilicet esse illicitam, et prohibitam jure divino ac naturali, objici valet illud *Deuteronomii* XXIII : *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram*, etc., *sed alieno*. Nec illud *Lucæ* XIX : *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens, cum usuris utique exegissem illam?* Non valet, inquam, quia ad illud *Deuteronomii* respondetur cum variis sanctis Patribus, et doctoribus, ibi solum permissas fuisse, id est non specialiter punitas fuisse usuras erga alienos, tanquam malum ad majus malum vitandum, ne scilicet Judæi a se invicem usuras acciperent propter avaritiam, cui nimis dediti erant. Sic inter alios respondet S. Thomas 2-2, quæst. 87, art. 1, ad 2, ibi : « Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum, ne scilicet a Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant, » ut habetur *Isaiæ* LVI. Et idem etiam habetur 2-2, quæst. 105, artic. 3, ad 3, ibi : « Accipere usuras ab alienis non erat secundum intentionem legis, sed ex quadam permissione propter pronitatem Judæorum ad avaritiam, et ut magis pacifice se haberent ad extraneos, a quibus lucrabantur. » Et idem jam scripserat meus Alexander Alensis part. III, qu. 86, memb. 4, art. 2, ibi : « Nunquam fuit Judæis licitum fœnerare alieno, sed permissum fuit illis, sicut dare libellum repudii propter duritiam cordis sui. Peccabant tamen mortaliter fœnerando alieno, sed permittebatur eis duplici de causa, scilicet, ne facerent pejus, id est ne fœnerarentur fratribus, et quia duri erant, et paulatim trahendi ad perfectionem. » Et sic varii alii dicentes, id permissum fuisse, seu toleratum fuisse, sicuti apud Christianos in quibusdam locis permittuntur meretrices, quia non puniuntur, qui cum eis scortantur; et sicuti in eodem cap. XXIII *Deuteronomii* dicitur : *Non erit meretrix de filiabus Israel*, non quod meretrices alienigenæ approbentur, sed quod non puniantur lege ista, sicuti meretrices Israelitæ.

(10. Aut cum variis aliis respondetur, id Deum tunc permisisse Judæis, non vi mutui, sed vi donationis, transferendo scilicet tanquam supremus omnium Dominus rerum dominium ab extraneis in Judæos; sic *Exodi* XII, donavit ipsis Ægyptiorum spolia, quæ commodato acceperant. Sicuti enim potest princeps temporalis in pœnam delictorum alicujus per justitiam vindicativam ipsum bonis suis, vel in toto, vel in parte privare, eorumque jus, et dominium in alium benemerentem conferre, ita Deus tanquam supremus Dominus universorum poterit a fortiori hoc præstare adversus sui nominis hostes, jusque illud, et dominium suis fidelibus sectatoribus in præmium, et retributionem conferre. Et quod de facto tunc Deus id fecerit, colligitur clare ex *Deuteron.* XXVIII, ubi Moyses contra populum Israel non servantem legem ait : *Advena fœnerabit tibi, et tu non fœnerabis ei;* quod intelligendum est in pœnam non servatæ legis. Sicque cum in dicto cap. XXIII *Deuteronomii* dixit : *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram*, etc., *sed alieno*, debet pari ratione intelligi in pœnam ejusdem alieni, eo quod legem non servaret, adeoque illud lucrum non approbavit Deus, ut fœnus est, sed induxit ut pœnam delicti, cum non approbaverit cum fratribus legem servantibus, sed solum cum exteris legem transgredientibus. Sic S. Ambrosius, l. *De Tobia*, cap. XV, num. 5, relatus in cap. *Ab illo* 12, caus. 14, q. 4; Pirhing, *loco cit.*, n. 9; Sporer, *loco cit.*, num. 111; Reiffenstuel, *loco. cit.*, num. 24; Pontas, tom. III, verb. *Usura*, cas. 7; Tirinus, *Commentar. in cap.* XXIII *Deuteronomii*, vers. 19; Molina, tomo II, disp. 494, num. 18, plures alios afferens pro utraque responsione.

(11. Ad illud autem *Lucæ* XIX respondetur, quod ibi per usuram intelligitur lucrum licitum ex negotiatione : dare enim ad mensam, non est dare mutuum, ex quo solo vetita usura oritur; sed est dare mercatoribus ad negotiandum, utpote ad contractum societatis *a banco*, in quo dominium pecuniæ manet penes sic negotiantem, et tam lucrum ex ea perceptum, quam periculum ad eumdem spectat, quod non currit in mutuo. Unde ibi usura accipitur metaphorice, ut nempe bonis a Deo acceptis augeamus, et multiplicemus merita, et bona spiritualia ad nostram æternam utilitatem; voluit enim ibi Christus suis fidelibus sectatoribus ostendere, quod sicut homines terrestres cum tanta sollicitudine utuntur bonis temporalibus ad lucrum transitorium, ita et illi cum majori sollicitudine debeant uti temporalibus ad lucrum æternum. Sic S. Thomas, *loco cit.*, art. 1; Pirhing, *loco cit.*; Molina, *loco citat.*, et alii passim.

(12. Usura usurarum lucratoria est prohibita etiam de jure civili : *Communis*, per clarissimos textus in l. *Placuit* 29, ff. *De usuris*, l. *Improbum fœnus* 20, cod. *Ex quibus causis infamia irrogatur*, ibi : « Improbum fœnus exercentibus, et usuras usurarum illicite exigentibus infamiæ macula irroganda est; » l. *Nullo modo* 28, cod. *De*

Digitized by Google

usuris, ibi : « Ut nullo modo usuræ usurarum a debitoribus exigantur, et veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum. Si enim usuras in sortem redigere fuerat concessum, et totius summæ usuras stipulari, quæ differentia erat debitoribus, a quibus revera usurarum usuræ exigebantur? Hoc certe erat non rebus, sed verbis tantummodo legem ponere. Quapropter hac apertissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam usuras præteriti temporis, vel futuri in sortem redigere, et earum usuras stipulari : sed etsi hoc fuerit subsecutum, usuras quidem semper usuras manere, et nullum usurarum aliarum incrementum sentire : sorti autem antiquæ tantummodo incrementum usurarum accedere ; » l. *Sancimus* 3, cod. *De usuris rei judicatæ*, ibi : « Cum enim jam constituimus usurarum usuras penitus esse delendas, nullum casum relinquimus, ex quo hujusmodi machinatio possit induci. »

(13. Usura autem usurarum est, quæ ex usura, seu lucro usurario non soluto, seu nova sorte exigitur, ut dum quis v. g. mille scuta pro quinquaginta annuatim solvendis in mutuum dat, et de istis quinquaginta scutis debito tempore non solutis, ceu summa capitali præter priorem novas usuras, v. gr. duo scuta cum dimidio annuatim exigit.

(14. Usura vero secundum se non est jure Cæsareo, seu civili communi prohibita, nisi sit in maxima quantitate, ut habetur clare in l. *Placuit* 29, et l. *Quod in stipulatione* 31, ff. *De usuris*, l. *Lecta* 40, ff. *De rebus creditis*, ubi non solum permittuntur ut minora mala, sed approbantur usuræ ut licitæ ; l. *Si interrogatione* 1, cod. *De usuris*, ubi sic expresse habetur : « Si interrogatione præcedente promissio usurarum recte facta probetur, licet instrumento conscripta non sit, tamen optimo jure debentur ; » l. *Quamvis* 8, cod. eod., ubi denegatur actio ad repetitionem usurarum jam solutarum ; l. *Eos qui* 26, cod. eod., ubi excepta præscriptione triginta, vel quadraginta annorum, conceditur actio ad exigendas usuras promissas.

(15. Dictum fuit tamen notanter : *Nisi sit in maxima quantitate*, quia in hac quantitate usura est prohibita etiam jure civili communi per cit. l. *Eos qui* 26, cod. *De usuris*, et l. *Placuit* 29, ff. eod. Quænam autem sit determinata quantitas, quæ a jure civili approbetur, quæve reprobetur, declaratur in eadem l. *Eos qui* 26, § *Super usurarum*, cod. *De usuris*, diversimode juxta diversitatem personarum abrogata veteri et gravissima dispositione. Conceditur igitur illustribus personis posse in contractu mutui stipulari ad *trientem*, id est ad tertiam partem centesimæ usurarum : nomine autem tertiæ partis centesimæ usurarum venit lucrum ut quatuor pro centenario singulis annis. Pro cujus rei notitia est advertendum, quod in jure illa dicitur centesima, in qua pro singulo centenario unum singulo mense persolvebatur, et sic pro sorte centesima singulo anno usura duodecim correspondebat. Dicitur autem centesima, eo quia singulo mense persolvenda erat pars correspondens centesimæ parti sortis ; hinc tertia pars centesimæ usurarum erat numerus ut quatuor, cum hic numerus sit tertia pars numeri duodecimi ; in trajectitiis contractibus, scilicet pro re, seu pecunia trajectitia, quæ mutuo datur mercatoribus trajectitiis, seu acturis trans mare cum periculo creditorum, seu mutuantium, si naves pereant, conceditur centesima usurarum mercatoribus, sive negotiatoribus conceditur posse recipere lucrum ex mutuo usque ad bessem centesimæ usurarum, id est ad duas partes centesimæ, nempe octo. Cæteris autem omnibus conceditur posse in contractu mutui stipulari ad *semissem*, id est ad dimidium centesimæ, quod est sex pro quolibet centenario singulis annis. Sic habetur ex cit. lib. *Eos qui* 26, cod. *De usuris*, ubi vetatur extensio ad ulteriorem quantitatem.

(16. Supradicta autem omnia ad faciliorem memoriæ retentionem quatuor sequentibus carminibus traduntur a Glossa in cit. l. *Eos qui* 26, cod. *De usuris*, ibi :

Discant illustres stipulari posse trientes.
Et mercatores sibi possint quærere besses.
Quærere semisses possint communiter omnes
In trajectitiis vires centesima sumit.

(17. At vero omnes supra num. 14, allegatæ leges civiles permittentes, et approbantes usuras contra jus divinum, et naturale, correctæ et abrogatæ sunt per jus canonicum, ut clare patet ex toto titulo *De usuris*, tam quinti quam sexti *Decretalium*, et expresse, ac specialiter Clementin. *Unic.* De usuris, ubi sub pœna excommunicationis reprobantur quæcunque statuta in offensam Dei, et proximi, et contra jura divina pariter, et humana usurarum approbantia quodammodo pravitatem. Quinimo subditur *ibid.*, § *Sane*, quod pertinaciter asserens exercere usuras non esse peccatum, sit puniendus ut hæreticus, ibi : « Sane si quis in illum errorem inciderit, et pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum. »

(18. Hinc nullus princeps, quamvis supremus, sive sæcularis, sive ecclesiasticus, et neque Papa condere potest legem, qua usuræ reddantur licitæ. *Communis*, ac certa. Et ratio est clara, quia usuræ sunt a jure divino ac naturali prohibitæ, ut probatum est supra n. 6 et 8, adeoque non possunt ulla lege humana, neque Pontificia permitti, ut licitæ ; cum inferior non possit dispensare in lege superioris, argum. capit. *Inferior* 4, distinct. 21, capit. *Cum inferior* 16, De majorit. et obedient., Clementin. *Ne Romani* 2, De elect. Unde ipsemet Pontifex cap. *Super eo* 4, De usuris, expresse dicit, super usuris nullam posse dari dispensationem, ibi : « Cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus. » Et quod id nequeant principes sæculares,

Digitized by Google

quamvis supremi, stat manifestum, quia ipsi ultraquam quod nequeant quidquam statuere contra legem divinam, etiam legi Pontificiæ nihil contrarium concedere valent, sed eidem necessario obedire tenentur in his, quæ continent peccatum; cap. *Lege imperator* 1, cap. *Non licet imperatori* 2, cap. *Certum est* 3, cap. *Constitutiones* 4, cap. *Suscipitis* 6, dist. 10; cap. *Si quis* 2, cap. *Solitæ* 6, De majorit. et obedient., cum similibus, adeoque, etc.

(19. Imo nedum non possunt principes, sive sæculares, sive ecclesiastici permittere tanquam licitas usuras; sed tenentur eas prohibere etiam Judæis in suis ditionibus degentibus, et contravenientes punire : *Communis* per text. in cap. *Post miserabilem* 12, et c. *Quanto amplius* 18, De usuris. Et ratio est, quia usuræ, ut *supra* n. 6 et 8 ostensum est, sunt contra jus naturale, et divinum; principes autem sive sæculares, sive ecclesiastici debent omnibus degentibus in suis ditionibus prohibere id, quod est contra jus naturale, et divinum; adeoque, etc.

(20. Tum quia post legem evangelicam non possunt Judæi fœnerare cum alienigenis modo, quo ipsis permittebatur in lege veteri, quia talis concessio, ut *supra* n. 10, dictum est, erat pro illo tempore in pœnam alienigenarum non ambulantium in lege Domini, et in retributionem populi sui sequentis vestigia ejus : ratio autem talis concessionis post legem evangelicam cessat, cum populus Hebræus a Deo prius dilectus, factus fuerit ei inimicus, et alienigenæ gentes factæ ipsi familiares, et suus dilectus populus. Tum etiam quia principes tam sæculares quam ecclesiastici possunt, et debent, punire, et de facto juste puniunt Judæos in suis ditionibus homicidia, furta, aliaque similia crimina perniciosa reipublicæ perpetrantes, adeoque etiam punire possunt et debent eosdem dictas usuras contra jus naturale et divinum, eidem reipublicæ noxias committentes; cum eisdem juribus, et ex eisdem motivis prohibeantur usuræ, ac enumerata delicta.

(21. Usura compensatoria, seu restauratoria (de qua *supra* n. 5), est licita ex triplici præcipue titulo, scilicet titulo damni emergentis, titulo lucri cessantis, et titulo periculi perdendæ sortis. *Vide* verb. MUTUUM, a num 33 ad 37. * Confer theologi Romani ad verb. MUTUUM, adnotat. ad. num. 73, et animadversiones nostras ad hunc articulum *.

(22. Usura punitoria, seu moratoria (de qua *supra*, n. 5) est licita. *Vide* dict. verb. MUTUUM, n. 38.

(23. Mutuans accepto pignore a mutuario, cum pacto, ut interim fructus pignoris lucretur, nisi adsit alius justus titulus, committit usuram, et tenetur tales fructus perceptos ex pignore computare in sortem. *Vide* dict. verb. MUTUUM, n. 44.

(24. Dantur tamen aliqui justi tituli percipiendi fructus ex pignore sine diminutione sortis. *Vide* dict. verb. MUTUUM, a n. 45 ad 48.

(25. Pactum antichriseos quid sit, et an sit illicitum, et usurarium? *Vide* verb. HYPOTHECA, a n. 32 ad 33.

(26. Pactum legis commissoriæ quid sit, et an illicitum, et usurarium? Vide *ibid.*, n. 34 et 35.

(27. Usuræ neque possunt exigi, et accipi ob favorem causæ piæ, vel ob aliud opus bonum, neque ad id dari potest aliqua dispensatio : *Communis*, textu expresso in c. *Super eo* 4, De usuris. Cum enim ibi archiepiscopus Panormitanus quæsivisset a Papa Alex. III : An possit per dispensationem pecunia recipi ad usuram, ut per illam pauperes, qui in Saracenorum captivitate detinentur, possint liberari, sic respondit dictus Summus Pontifex : « Respondemus, quod cùm usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus, quia cum Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur. »

(28. Unde ne quidem, ut redimantur captivi, ut alantur pauperes, aut ut ædificentur, et restaurentur ecclesiæ, permitti potest facultas dandi pecunias ad usuram, nempe ut illa pecunia usuraria a fœnerante talia, vel similia opera pia peragantur, ut clare habetur ex cit. cap. *Super eo* 4, De usuris. Et ratio est, quia nulla dispensatio fieri potest in eo, quod utroque Testamento est prohibitum, uti sunt vere prohibitæ usuræ, per expressum textum in cap. *Quia in omnibus* 3, et citat. cap. *Super eo* 4, De usuris. Tum quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, *Epist. ad Romanos*, c. III, 8; Glossa, in cap. *Super eo*, verb. *Dispensationem*, cum pluribus juribus ibi adductis. Nec sunt faciendæ eleemosynæ de fœnore et usuris, cap. *Non putanda* 27, caus. 1, q. 1; cap. *Nolite* 1, caus. 14, q. 5. Nec auferendum est aliquid divitibus, ut detur pauperibus, cap. *Forte* 3, ead. caus. 14, et q. 5. Tum etiam quia non licet pro vita alterius servanda mentiri, cap. *Ne quis* 14, cap. *Si quis* 17, caus. 2, qu. 2, adeoque multo minus licet usuras exercere ob utilitatem proximi, quia hoc multo gravius est peccatum, quam mendacium, cit. c. *Super eo* 4, De usuris.

(29. Sunt tamen liciti, nec sunt usurarii montes pietatis. *Vide* verb. MONTES PIETATIS, per tot.

(30. Mutuare cum pacto conferendi aliquid supra sortem, non tanquam debitum justitiæ, sed tantum amicitiæ, et gratitudinis, est usura. *Vide* verb. MUTUUM, n. 24, ubi datur ad hoc propositio damnata ab Innoc. XI.

(31. Mutuans non potest licite aliquid supra sortem exigere, ex quo se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. *Vide* d. verb. MUTUUM, n. 25, ubi ad id affertur propositio damnata ab Alexandro VII.

(32. Mutuans non potest licite aliquid supra sortem exigere a mutuatario pro sola carentia pecuniæ, quam ei actualiter numeratam mutuavit. *Vide* d. verb MUTUUM, n.

Digitized by Google

26. ubi adducitur ad id alia propositio damnata ab Innocentio XI.

(33. Mutuare intentione, ut acquiratur aliquid ex mutuo tanquam debitum ex justitia, etsi id minus principaliter intendatur, est usura mentalis. *Vide* dict. verb. MUTUUM, n. 23.

(34. Non est tamen usura, cum quis dat mutuum, et sine ulla pactione, secundario tantum inde aliquid intendit, et sperat, item daturus mutuum, quamvis sciret se id, quod sperat, non obtenturum. Glossa in c. *Consuluit* 10, verb. *Sperantes*, De usuris; Barbosa, in cit. c. *Consuluit*, num. 6; Navarr., in *Manual.*, cap. 17, numer. 209, et alii passim, arg. c. *Si officia* 2, dist. 59, etc. *Quid proderit* 7, dist. 61. Et ratio est, quia cum mutuatarius aliquid possit dare, imo ex *antidorali* obligatione mutuatori obligatus sit, utique poterit hic aliquid etiam saltem secundario sperare, et intendere; licite enim potest sperari, quod licite potest acceptari.

(35. Nec valet objicere illud Christi Domini *Lucæ* VI: *Mutuum date, nihil inde sperantes*; nec illud canonis *Consuluit* 10, De usuris, ubi Pontifex respondit, illum, qui mutuat, alias non mutuaturus eo proposito, ut licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat pro ejusmodi lucri intentione, judicandum esse male agere, et efficaciter ad restitutionem inducendum. Non valet, inquam, quia illud *Lucæ* VI intelligi debet uti consilium, quatenus excludit spem beneficii ex gratitudine a mutuatario accipiendi; præceptum autem est, quatenus excludit spem lucri accipiendi, et præstandi tanquam ex debito, cum sic sit vera usura mentalis. Et illud dicti canonis *Consuluit* intelligi debet de eo, qui mutuum dat cum intentione lucri, seu pretii recipiendi ex mutuo, tanquam ex debito justitiæ, qui utique censeri debet verus usurarius mentalis. Non autem de eo, qui mutuum dat cum intentione recipiendi aliquam compensationem ex sola et libera gratitudine. Unde notant communiter doctores, quod non sit usura, si quis mutuum det principi, vel episcopo ea intentione, et spe, ut ab eo officium, vel beneficium sibi, vel suis ex libera gratitudine, obtineat, cum illum pactum, nec tacitum, nec expressum intercedat, sed mera spes voluntariæ et liberæ gratitudinis.

* Nam, ut inquit Antoine in tract. *De contractibus*, cap. 3, in *respons. ad quæst.* 17: « Usura est intendere, etsi secundario, lucrum ex mutuo, ut pretium, vel ut aliquid pro mutuo debitum: quia intentio, etsi secundaria, non tollit malitiam objecti, quo actus specificatur. Et illicitum est velle etiam minus principaliter, ac secundario aliquid illicitum. Lucrum autem ut pretium mutui vel uti aliquid ex mutuo debitum, est quid illicitum, et usura: ergo illud quocunque modo intendere est illicitum. » Quæ vero sit intentio principalis, quæ secundaria, explicat S. Antoninus, part. II, tit. 1, cap. 7, § 1, inquiens: « Dicitur... intentio principalis hæc, cum scilicet magis movetur ad mutuandum propter lucrum, quod sperat sibi evenire, quam propter aliud. Sed intentio secundaria dicitur, quando etsi sperat aliquid sibi dari ab eo, qui mutuavit ex sua liberalitate, tamen non illud eum movet, sed magis benevolentia, ita quod etiamsi non crederet sibi aliquid dari ultra sortem, adhuc tamen mutuaret. » Cæterum, ut monet Ballerinius in prælect. 2 *De usura*, in editione Veronensi *Summæ theologicæ* S. Antonini anno 1740 curatæ, eidem parti præmissa cap. 2, § 4, « Si sermo sit de lucro, quod non vi mutui, sed aliunde mutui occasione provenire licite potest, sive ex libera mutuatarii gratitudine, iis cautionibus adhibitis, quæ explicabuntur § 2, sive ex justis titulis lucri cessantis, vel damni emergentis, de quibus § 24, qui in hoc lucrum intentionem animumque declinat, etsi ita declinet, ut alias mutuum daturus non sit, nisi forte castitatis præceptum urgeat; is non in lucrum vi mutui perceptum, solum usurarium, injustum, et illicitum, sed in lucrum juste proveniens vel ex gratitudine plane liberali mutuatarii donum liberum rependentis, vel ex justa damni restauratione, quæ in mutuo stipulari juste potest, ac proinde in lucrum nec injustum, nec illicitum, nec usurarium intentionem declinat. » *Vide* quæ subdit. Sunt enim dignissima ut legantur *.

(36. An autem sit usura, si mutuans excitet, et moneat, seu roget mutuatarium: ut intuitu mutui illi præstet aliquam gratuitam remunerationem, seu aliquid præter sortem ex gratitudine liberaliter, et voluntarie ei præstet, variant doctores. Negant enim Molina, Bonacina, Salonius, et alii cum Diana, part. 1, tract. 8 *De contractibus*, resolut. 62; Lugo, disp. 25 *De instit.*, sect. 4, n. 30; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 96; Sporer, *loc. cit.*, n. 33, testans de communi aliorum, quia dicunt, ejusmodi gratitudinem intendens, et petens, rem licitam, et honestam intendit, et petit, cum reipsa non intercedat verum pactum, nec coactio, sed tantum petatur compensatio antidoralis, ad quam quivis beneficium aliquod accipiens ex jure naturæ tenetur. At vero licet prædicta opinio sit probabilis (149), probabilior tamen est sententia Scoti in 4, dist. 15, q. 2, § *De secundo articulo*, Richardi, Cajetani, Joannis Medinæ, et Angles apud Lugo, *loc. cit.*, affirmantium, et docentium esse usuram, argum. cap. *Sicut* 4, caus. 1, q. 2, ubi ex verbis sancti Gregorii: « Oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit; » ergo a contrario sensu si petitur, non excluditur omnis culpa. Et sic etiam Viva in propositione 42, ex damnatis ab Innocentio XI, n. 12, et alii plures. Et ratio est, quia illa excitatio, monitio, seu rogatio videtur esse quoddam pactum implicitum; si antecedat mutuum,

(149) Nullo modo probabilis prædicta opinio censenda est, quod item dicimus de opinionibus propositis numeris 41 et 59.

Digitized by Google

et si subsequatur mutuum, mutuatarius non videtur sponte dare, sed rubore, vel necessitate compulsus, cum metu injusto induci soleat ad remunerandum, timens, ne sibi injusta nota ingratitudinis inuratur.

(37. Si mutuatarius mere gratis, et liberaliter det aliquid ultra sortem, mutuator autem mala fide accipiat tanquam debitum ratione mutui, est quidem usura mentalis inchoata, sed non perfecta, nec restitutioni obnoxia. Sic Scotus, in 4, dist. 14, qu. 2, art. 2; Lessius, lib. II, cap. 20, dub. 6; Molina, *loc. cit.*, disp. 306; Amicus, disp. 20, sect. 5; Sporer, *loc. cit.*, n. 79; Viva, *loc. cit.*, sub. n. 10; Lugo, *loc. cit.*, n. 33, appellans hanc communem, et veram sententiam. Et ratio est, quia ex parte mutuatarii donantis fuit voluntas libera, et sufficiens ad transferendum dominium accedente acceptatione, quamvis peccaminosa ex parte mutuatoris accipientis; hæc autem acceptatio, et potest poni formalis, quando cognoscitur talis animus mutuatarii non retractatus, ita ut tunc dominium transferatur, et posita fuit virtualis, quando mutuator accepit auctarium, quia licet putaverit illud non dari gratis, voluit tamen sibi accipere omni meliori modo, quod poterat. Nec obstat cit. cap. *Consuluit* 10, De usuris, ubi Pontifex dicit, usurarium mentalem cogendum esse ad restitutionem. Nam ibi solum est sermo de casu, quo mutuatarius non dederit auctarium gratis, et mere liberaliter, et quandiu de hac voluntate dantis non constat. *Confer Ballerinium in *Prælect.*, cit. cap. 2, § 11, num. 4, ubi hoc opportune monet: « Solum videndum, num donatio omnino liberalis vere fiat, ad quod dijudicandum observanda, quæ auctor monet, c. 7, § 6 et 7, ex quibus pleraque, quæ vulgo dicuntur, et putantur dona, dona vere liberalia non esse cognosces. Eo enim fere consilio mutuatarius donat « ut mutuum sibi datum longiori tempore retineat, vel ut iterum in futuro consimile mutuum, si eguerit, sibi fiat ab illo; seu quia veretur mutuantis offensam, scilicet ne reputet eum ingratum, si sibi ultra redditionem mutui nihil impendat: quæ singula liberalem donationem prorsus excludunt, ut S. Bernardinus monet tit. 2, serm. 36, art. 3, c. 4. »

(38. E contra si mutuatarius det aliquid ultra sortem tanquam ex debito ratione mutui, et mutuator accipiat bona fide tanquam sibi gratis, et mere liberaliter donatum, est quidem usura materialis, cum datio utpote involuntaria absque animo donandi non fuerit sufficiens ad transferendum dominium; at non est usura formalis completa, nec obnoxia restitutioni, si lucrum sic bona fide acceptum, sit etiam bona fide consumptum, nec inde mutuator factus sit ditior; si autem cesset bona fides mutuatoris, ex quo expost cognoscat mutuatarium, non gratis, et liberaliter, sed tanquam ex debito ratione mutui dedisse illud auctarium, tunc evadit usura formalis restitutioni obnoxia, quia cessante bona fide, et tali veritate comperta, jam deest mutuatori justus titulus retinendi illud auctarium, adeoque illud restituere debet, et si bona fide consumpsit, restituere tenetur id, in quo inde factus est ditior; et si in nullo sit inde factus ditior, rursus nihil restituere tenebitur, juxta dicta de restitutione facienda a possessore bonæ fidei sub verb. POSSESSOR BONÆ, ET MALÆ FIDEI. Sic doctores supracitati, et alii passim.

(39. Si dubium sit, an mutuatarius dederit illud auctarium gratis, et mere liberaliter, vel an tanquam ex debito ratione mutui, debet fieri sufficiens inquisitio de intentione dantis, et si percipiatur dedisse gratis, et mere liberaliter, potest retineri illud auctarium; et e contra restitui debet, si percipiatur, illud dedisse tanquam ex debito ratione mutui. Si autem mutuatario jam mortuo, seu alias ejus intentio interpellari non possit, resolvendum est ex circumstantiis, nempe quod dederit gratis, et mere liberaliter, si mutuatarius erat dives, liberalis, magnificus, et benelicus, si dederit hilariter, et hujusmodi; et aliunde mutuator nec explicite, sed implicite aliquid petierit et tunc ipse mutuator non tenebitur ad restitutionem. Et e contra, quod dederit tanquam ex debito ratione mutui, si mutuatarius erat inops, parcus, avarus, si mœste, et moleste dederit, et hujusmodi, et tunc mutuator tenebitur ad restitutionem. Et tandem si omnibus attentis, adhuc restet dubium mere negativum, tenebitur mutuator ad restitutionem; et si dubium fuerit positivum ob rationes utrinque probabiles, ac conjecturas, et circumstantias utrinque rationabiles, ac verisimiles, non tenebitur probabiliter (150) mutuator ad restituendum illud auctarium sic acceptum. Sic Sporer, *loc. cit.*, num. 80; Lugo, *loc. cit.*, n. 32; Viva, *loc. cit.*, sub num. 10, vers. *Ad primum*; La Croix, lib. III, part. II, n. 922, et alii contra alios. Et ratio a pari est de eo, qui cœpit possidere rem aliquam bona fide, et deinde superveniens dubium, an ea res

(150) Meminerit lector canonici illius axiomatis: *In dubiis tutior pars est eligenda;* dubium autem est, ubi *rationes utrinque probabiles, et circumstantiæ utrinque rationabiles* occurrunt. Ac ne ille quidem tutus est, qui cœpit possidere rem aliquam bona fide, et deinde superveniens dubium, an ea res sit aliena, superare non potest. Etenim « probabilius est cum Soto lib. IV *De justit.*, q. 5, 2, 4, quod quando dubium supervenit possessioni bonæ fidei inchoatæ, illam interrumpat, donec perseveret; et nisi possit prudenter deponi, obliget possessorem ad restituendum pro rata. Ratio primæ partis est, quia cum tali dubio discreto, fundato et probabili, nequit amplius subsistere bona conscientia, et fides, quod res sit mea. Nam dubium illud est vulnus quoddam conscientiæ, illam prudenter inquietans: igitur hæc non subsistit sana et quieta, et quamvis non sit mala, profecto neque bona, et integra: non ergo sufficit ad continuandam præscriptionem, sed illam interrumpit. » Ita Cuniliati tract. 9 *De VII Decal. præcepto*, cap. 16, num. 3. Ubi vero locum habeat axioma illud: *Melior est conditio possidentis*, alibi expositum fuit.

Digitized by Google

sit aliena, superare non potest: in tali enim dubio melior est conditio possidentis, per claros textus in l. *Nemo* 126, § 2, ff. *De regul. juris;* l. *In pari causa* 128, ff. eod., cap. *Quod autem* 5, De jurepatronat., cap. *In pari* 65, De regulis juris, in 6.

(40. Si mutuatarius det aliquid ultra sortem, eo quia timet se alia vice, cum indigebit, non accepturum mutuum, vel ne videatur, aut vocetur ingratus, tunc mutuans probabilius tenetur ad restitutionem. Sic Cajetanus, Molina, Navarra, Navarrus, S. Antoninus, Angles, Diana, et plures alii, quos affert Salas, dub. 6, n. 1; Lugo, *l. c.*, n. 34, pro hac sententia, quamvis teneant sententiam contrariam. Sic etiam Viva, *loc. cit.*, n. 10, in fine, dicens contrariam sententiam solum speculative esse probabilem, non tamen practice, et sic alii plures. Et ratio est, quia cum mutuatarius solvit auctarium ob dictum metum, fere semper putat, injustum metum gravem sibi incuti, et idcirco non gratis, et mere liberaliter, sed coacte ductus tali injusto metu; adeoque cum talis datio fuerit secundum quid involuntaria absque animo donandi, et insufficiens ad transferendum dominium, tenebitur mutuans ad restitutionem; non sic autem si metus fuisset levis, nec causam dedisset tali dationi, quia tunc tale auctarium censetur gratis, et mere liberaliter datum, sicque retineri posset a mutuatore.

(41. Contraria autem sententia est vere probabilis, eamque defendunt Sporer, *loc. cit.*, n. 81; Salas, *loc. cit.*, num. 3; Lugo, *loc. cit.*, n. 35, cum multis aliis ibi citatis, licentibus, non committi usuram nisi detur, vel accipiatur ut pretium mutui, vel tanquam debitum ex justitia; quibus favet etiam La Croix, *loc. cit.*, num. 923. Et ratio est, quia mutuatarius dando ex tali timore, non dedit ut pretium mutui (151), sed ut motivum habendi benevolentiam mutuantis, cum quilibet ex gratitudine donans inducatur ad donandum metu, ne notam subeat ingrati, et tamen liberaliter donat, quamvis donatio non sit ita spontanea, ac si ex effectu benevolentiæ procederet. Tum quia sicuti non est Simonia (152), quando nullo prævio pacto confertur beneficium famulo ab episcopo timente, ne alioquin famulus tædio affectus ab ejus obsequio discedat, nec famulus, licet hoc sciat, Simoniace accipit beneficium, quia revera nullum ibi intervenit pretium, sed solum conciliatio novæ benevolentiæ; ita nec intervenit usura in hoc casu.

(42. Usura est, si mutuans det mutuum mutuatario cum pacto, ut ei remittat obligationem restituendi, non solum bona fortunæ, sed etiam famam, quam antea injuste læserat. Lessius, lib. II, cap. 20, dub. 7; Lugo, *loc. cit.*, num. 37; Sporer, *loc. cit.*, num. 85; Laym., lib. III, tract. 4, cap. 16, num. 2, et alii passim. Et ratio est clara, quia talis obligatio est mutuatario onerosa et molesta, sicque ejus condonatio est pretio æstimabilis adeoque, etc.

(43. Item usura est, si mutuet cum pacto, ut mutuatarius abstineat ab actione injuriarum, quam contra ipsum juste intentare posset. Cessio enim talis juris intentandi actionem injuriarum, et exigendi satisfactionem a judice est vere pretio æstimabilis, adeoque, etc. Sic quamvis possit mutuans mutuare suo inimico, a quo timet vindictam cum pacto, ut desistat a vindicta injusta, vel injusto modo intentata, verbi gratia propria auctoritate, seu ut desistat ab odio, ab inimicitia, et hujusmodi, cum sic petat, quod inimicus ei antea debet, sive ex charitate, sive ex justitia, et sic non imponat ei novam obligationem, novumque gravamen: tamen non potest sic mutuare cum pacto, ut desistat a vindicta, seu satisfactione justa, quam potest exigere ab auctoritate publica, seu judice, cum sic imponat illi novum gravamen vere pretio æstimabile. Sic supra citati doctores, et alii fere communiter.

44. Usura vera est quidquid pretio æstimabile pacto expresso, vel tacito exigitur, et recipitur vi mutui per se tanquam debitum ex justitia, seu tanquam pretium mutui. Unde mutuans cum pacto, ut mutuatarius ei vendat res suas etiam justo pretio, vel ut emat res ab ipso, vel ut utatur ejus molendino, seu frequentet ejus officinam, vel ut patrocinetur suæ causæ, vel ut conducat ejus prædium, vel ut restituat in alio loco, vel ut restituat partem in pecunia, partem in mercibus, vel ut eum eximat a gabellis, vectigalibus, seu tributis, vel ut ei præstet munus a lingua, a manu, ab obsequio, et his similia, committit usuram, quia obligatio civilis quoad omnia adimplenda est pretio æstimabilis, cum sic imponatur mutuatario onus aliunde indebitum, et privetur sua libertate. *Communis.*

(45. Item usura est mutuare cum pacto, ut mutuatarius teneatur fidejubere pro mutuante, vel suis. *Vide* verb. MUTUUM, n. 28.

46. Mutuare frumentum, vel vinum de præsenti, quo minus valet cum pacto, ut restituantur in eadem quantitate pro tempore, quo prævidetur certo, vel quasi certo pluris valiturum, est usura. *Vide* d. verb. MUTUUM, n. 29.

(47. Non est tamen usura, si sit æquale dubium, an pro tempore restitutionis sit valiturum pluris, vel minoris? Vide *ibid.*, n. 30.

(48. Sic pariformiter est dicendum de pecunia mutuata cum pacto, ut restituatur in

(151) Etsi non dederit ut pretium mutui, non tamen ex mera liberalitate, et gratitudine vere libera tradidit, quod ad donationem requiritur. Igitur hoc donum inter usuram similiter est recensendum, patique restituendum ratione. *Vide* Ballerinium, *loc. cit.*, c. 11, n. 4 seqq.

(152) Cum Simonia, fatente auctore, **munera ob obsequio committatur**, nescio quomodo a Simonia absolvat episcopum, qui beneficium famulo conferat « ne alioquin famulus tædio affectus ab ejus obsequio discedat. »

Digitized by Google

eadem omnino specie, et numero pro tali certo tempore. Vide *ibid.*, n. 31.

(49. Excipe tamen, nisi ipse mutuator talem pecuniam, tale vinum, tale frumentum, etc., servaturus esset usque ad illud tempus, quo pluris distrahere potuisset. Vide *ibid.*, n. 32.

(50. Contractus ille, qui vulgo dicitur *a godere*, quo scilicet aliquis dat sufficientem pecuniam alteri, ut ipse quandiu utitur dicta pecunia, cedat illi domum, vel alteram fructiferam rem interim fruendam, quomodo possit ab usura excusari? Vide *ibid.*, n. 49.

(51. Qui recusat mutuare pecuniam, sed ipsam tradit indigenti dicendo, quod emit ab ipso suas vaccas, et easdem ei locat pro pensione annua ei solvenda, excusatur communiter ab usura, si ille alter de facto habeat dictas vaccas utiles, et serventur conditiones requisitæ ad contractum justæ locationis. Secus vero non. Vide *ibid.*, numer. 50.

(52. Ab usura excusatur, qui a se mutuum petenti tradit pecuniam dicendo, quod tali pecunia conducit suas operas ad futuram messem, seu vindemiam. Vide *ibid.*, n. 51. *Confer notam theologi Romani ad verb. MUTUUM, n. 50 *.

(53. Ementes res minori pretio quam valeant, quando excusentur ab usura, et restitutione, vel non? *Vide* verb. CONTRACTUS EMPTIONIS, art. 2, per tot.

(54. Ementes chirographa, et aliena credita minori pretio quam valeant, quando excusentur ab usura, et restitutione, vel non? Vide *ibid.*, a n. 19 ad 28.

(55. Item usura est rem plus justo pretio, id est supra pretium summum vendere sine justo titulo ob solam dilatam solutionem. *Vide* verb. CONTRACTUS emptionis, art. 3, a n. 1.

(56. Emere rem sine justo titulo infra pretium infimum ob solam anticipatam solutionem, est usura, Vide *ibid.*, n. 28.

(57. Venditores quando excusentur ab usura, et restitutione, vel non? Vide *ibid.*, per tot.

(58. Contractus *mohatra* est usurarius. Vide *ibid.*, num. 56.

(59. An mutuans possit ex contractu usurario celebrato percipere, et retinere lucrum, quod ex alio justo contractu (quem celebrasset, si scivisset) recipere, et retinere potuisse, variant doctores. Aliqui enim male putant, posse illum tale lucrum percipere, et retinere, etiamsi mala fide dictum contractum usurarium celebraverit: sic Vericelli, apud La Croix, lib. III, part. II, n. 924, quod tamen, ipso teste, merito negant Tambur., lib. VIII, tract. 3, c. 8, § 3, n. 23, et Sporer, *loc cit.*, n. 106. Alii generaliter tenent, posse sic mutuantem tale lucrum percipere, et retinere, si bona fide dictum contractum usurarium celebravit. Sic Sa, verb. *Usura*, num. 8, expresse dicens: « Qui facit contractum usurarium bona fide credens justum, potest tantum lucri retinere, quantum acquisivisset alio quin per contractum licitum; » et sequuntur Tannerus, 2-2, disp. 4, quæst. 7, n. 99; Diana, part. I, tract. 8, resol. 47. Alii defendunt posse dictum sic bona fide mutuantem retinere tale lucrum, si mutuando intenderit, et expresserit se velle contrahere omni meliori modo: ita cum aliis Lessius, lib. II, cap. 20, dub. 12; Sporer, *loc cit.*, n. 109, dicens, id probabilissime esse licitum. Alii docent, tale lucrum posse recipi et retineri, saltem si mutuans sciverit illum modum juste contrahendi, et mutuatarius etiam censeatur consensisse; secus autem non. Ita Lugo, disp. 25, sect. 9, num. 182 et seq.; Sporer, *loco cit.*, num. 106, dicens, quod sic optime sentiat Lugo, quibus duabus ultimis sententiis favet La Croix, cit. lib. III, part. II, n. 144 et 924, cum aliis allegatis. Et ratio inter alias istorum est, quia sic mutuans, ac contrahens bona fide, intendens interim, et exprimens, se velle celebrare contractum omni meliori modo, habet veram voluntatem celebrandi contractum, qui licite fieri possit; ergo tunc virtualiter illum celebrat, maxime si tunc sciat illum modum juste contrahendi, et mutuatarius etiam censeatur consentire, uti rationabiliter consentire censendus est, cum rationabiliter debeat potius consentire in contractum justum, et justo titulo celebratum, quam in contractum injustum, et celebratum titulo injusto; adeoque cum adsit sufficiens utriusque voluntas cum titulo justo implicite saltem contento, jam adest totum id, quod necessarium est ad juste contrahendum et lucrandum, adeoque, etc.

(60. Alii tandem sustinent, quod regulariter loquendo non possit sic mutuans in resolutione contractus usurarii quamvis bona fide initi tantum retinere, quantum in alio contractu justo, v. g. emptionis, census, societatis, et hujusmodi acquisivisset. Sic expresse sapientissimus Rosignolus, tract. *De contractibus*, contract. 3, *De mutuo et usuris*, disquisit. 6, § 6, num. 2 et seq., et alii. Et ratio eorum inter alias est, quia contractus secundum se usurarius est ipso jure nullus ex dictis *supra* a num. 6, ergo nullum potest parere interesse; contractus enim nullus perinde est, ac si non esset contractus, cum paria sint non esse, et nullum esse; arg. leg. 1, *Duo sunt Titii*, ff. *De testamentaria tutela*; et idem sit aliquid non esse factum, et nulliter factum, l. *Si se non obtulit* 4, § 6, ff. *De re judicata*. Quod autem nullum est, nullum producit effectum, cap. *Illud* 8, De jurepatronat. Et non entis nulli possunt esse fructus, nullæque qualitates, arg. l. *Ejus qui in provincia*, ff. *De rebus creditis, si certum petatur*, l, 1 et 2, *De usufructu*, adeoque, etc.

(61. Nec valet dicere, quod quamvis non subsistat dictus contractus usurarius in ratione contractus talis, sub qua expresse fuit celebratus, subsistat tamen in ratione alterius contractus liciti implicite voliti ab ipso contrahente, quandoquidem si scivisset contractum juxta talem modum non esse validum, aliq modo valido contraxisset. Non valet, inquam, quia hoc modo aperiretur

Digitized by Google

via infinitis usuris, panderetur enim aditus cuicunque usurario, et invalide contrahenti aliquid ex contractu usurario, et invalido, ac infructifero lucrandi, cum semper posset dicere: Si scivissem, alio modo licito contraxissem.

(62. Hinc quamvis non sit improbabilis (153) sententia Lessii, Lugonis, et Sporer, sub num. 59 adducta, in praxi tamen non est facile concedenda, ut dicit ipsemet Sporer, *loco cit.*, num. 105, sic expresse habens: « Id in praxi non facile concedendum, approbant omnes etiam citandi, et simpliciter non licere, supponere videntur doctores communiter. Tum quia, ut testatur dictus Pater Rosignolus cit. § 6, in fine, ita pluries fuit judicatum in excellentissimis Mediolani, et Taurini senatibus in contractibus censualibus, aliisque invalidis, vel ex defectu solemnitatis requisitæ, vel ex quolibet alio capite, qui senatus coegerunt, vel fructus ex talibus contractibus invalidis perceptos, restituere, vel computare in sortem. » Hæc ille.

(63. Contractus vulgo dictus trium contractuum an sit usurarius, vel non: *Vide* verb. SOCIETAS, seu SOCIETATIS CONTRACTUS a num. 3 ad 11.

(64. Notarii, seu tabelliones conficientes instrumenta usuraria per modum contractus liciti suppressa usura, itemque testes subscribentes, peccant mortaliter contra justitiam, et ad restitutionem obligantur saltem secundo loco, si usurarius non possit, aut non velit; sic etiam consulentes, et persuadentes ad usuras exigendas. Item scienter dantes pecuniam usurario ad exigendas usuras. Item judices, et domini compellentes ad solvendas usuras, vel impedientes quominus solutæ usuræ repetantur, vel restituantur, in quos est excommunicatio latæ sententiæ in Clementin. *Ex gravi*, unic. *De usuris*. Item omnes ministri principales usurarii ad usuras concurrentes, ut negotiorum gestores, proxenetæ, factores, correspondentes, et hujusmodi. Item denique omnes efficaciter cooperantes ad usuras exigendas, et solvendas peccant mortaliter contra justitiam, et ad restitutionem obligantur, etiam quisque in solidum in defectu aliorum. Sic doctores communiter. Et colligitur ex cit. Clementin. *Ex gravi* unic, *De usuris*; concil. *Mediolanen.* 1, tit. *De usuris*, ibi: « Tabelliones, qui instrumenta confecerint, proxenetæ, usurarum, aut lucri participes, ministrique omnes horum scelerum, et pœnis a jure statutis, et ecclesiasticis censuris puniantur. » Item ex concilio *Remensi*, habito anno 1583, a Ludovico cardinali Guisio, et a Papa Gregorio XIII approbato tit. *De fœnore*, ibi: « Actuarii, seu notarii usurarum, proxenetæ, omnesque qui contractibus usurariis aliquam operam, vel consensum præbent, ejusdem criminis censeantur esse participes. » Imo de notariis, seu tabellionibus insuper rigidissima pœna habetur in jure statuta, l. *Jubemus* 12, § 3, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*, ibi: « His tabellionibus, qui hujusmodi contractuum vetitorum ausi fuerint instrumenta conscribere, irrevocabilis exsilii animadversione plectendis. »

(65. Mutuatarius, qui absque justa causa ab usurario etiam parato petit mutuum sub usuris, peccat mortaliter peccato scandali: *Communis*. Præbere enim sine justa causa alteri occasionem peccati mortalis, seu ruinæ spiritualis est peccatum mortale scandali.

(66. Non peccat autem mutuatarius, si ab usurario petat mutuum ob aliquam justam causam non solùm necessitatis, sed etiam veræ et evidentis utilitatis (154): *Communis*. Et ratio est, quia mutuatarius potest uti jure suo petendo id quo indiget, et quod alter sine peccato facere potest. Quod autem alter non sit facturus sine peccato, non sequitur ex petitione mutuatarii, sed ex spontanea malitia mutuatoris.

(67. Mutuatarius non peccat post acceptum jam mutuum sub usuris usuram solvendo, si non possit sine gravi incommodo solutionem denegare: *Communis*.

(68. Non tenetur tamen mutuatarius solvere veras usuras lucratorias, etiamsi eas solvere promiserit, nisi sub juramento ad eas solvendas se obligaverit: *Communis*, textu expresso in cap. *Debitores* 6, De jurejurando, ibi: « Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt domino reddere juramentum.

(69. Mutuator autem cogi potest, ut dictum juramentum, et per consequens etiam usurarum solutionem remittat: *Communis*, textu expresso in cap. 1, *De jurejurando*, ibi: « Mandamus, quatenus creditores ad juramenta super usuris sibi præstita relaxanda ecclesiastica districtione cogatis. »

(70. Et in casu, quo mutuatarius vi juramenti dictas lucratorias usuras jam solverit, potest illas in judicio petere, debetque

(153) Quomodo improbabilis non est sententia, juxta quam agere *non licere*, *supponere videntur doct. communiter?*

(154) Non aliam causam, qua mutuum petere sub usuris liceat, S. Thomas quam subventionem propriæ, vel alienæ necessitatis agnoscit. Nam 2-2, quæst. 78, art. 4, in corp. scribit, hoc solo pacto legitimari posse, ut quis inducat aliquem ad mutuandum sub usuris. Hinc Antoine, *loc. cit.*, quæst. 18, resp. 2, « Seclusa, ait, necessitate saltem rationabili, non licet mutuum petere ab usurario, et accipere sub usuris. Quia lege charitatis quisque tenetur sub mortali impedire peccatum mortale proximi, ejusque executionem, quando sine notabili suo incommodo, seu damno id potest. »—« Mercatores dando usuras peccaverunt, tanquam occasionem peccandi usurariis præbentes; cum necessitas, quæ ponitur, ut scilicet honorabilius vivant, et majores mercationes faciant, non sit talis necessitas, quæ sufficiat ad excusandum peccatum prædictum; » ait S. Thom. opusc. 67, *De empt. et vendit.* Sive rectius auctor opusculi illius S. Thomæ perperam tributi.

Digitized by Google

mutuator ad eas mutuatario denuo restituendas compelli: *Communis*, textu expresso in cit. c. *Debitores* 6, De jurejurando, ibi: « Et cum usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt ecclesiastica severitate (si necesse fuerit) compellendi. »

(71. Et dato, quod mutuatarius etiam jurasset, se non repeliturum usuras solutas, nihilominus mutuator compelli potest, ut vel juramentum remittat, vel ab usurarum exactione desistat, vel poterit, non obstante hujusmodi juramento, per judicem ex officio compelli ad restituendas usuras jam solutas: *Communis*, textu expresso in cap. *Tua dudum* 13, De usuris, ibi: « Nos igitur respondemus, ut usurarios ipsos modo prædicto per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas ante usurarum solutionem ab earum exactione desistere vel restituere ipsas, postquam fuerint persolutæ, ne de dolo et fraude contingat eos commodum reportare; »juncto ejus summario sic dicente: « Non obstante juramento de non repetendis usuris per debitorem præstito, potest judex ex officio suo usurarium ad restituendas usuras compellere. »

(72. Fuit *supra*, num. 68, notanter dictum non teneri mutuatarium solvere *veras usuras lucratorias*, quia ad solvendas usuras compensatorias, seu restauratorias, et usuras punitorias, seu moratorias tenetur in utroque foro, cum ex dictis *supra*, num. 21 et 22, illæ sint omnino licitæ, et consequenter debitæ.

(73. Usurarius non acquirit dominium usurarum seu rerum per usuram acceptarum, nisi res usu consumptibiles, seu functionem recipientes, ut pecunia, frumentum, vinum et hujusmodi, ita commistæ sint cum rebus ipsius propriis, ut nullo modo discerni possint: ita S. Thomas, 2-2, quæst. 78, art. 3 ad 3; Covarruv., lib. III *Variar. resolut.*, c. 6, n. 3; Layman, lib. III, tract. 4, cap. 16, n. 7; Silvester, verb. *Usura*, quæst. 1; Sporer, *loc. cit.*, n. 17, testans de communiori, et sibi vera omnino sententia DD. plurimorum, quos congerunt, et sequuntur Molina, Lessius et Tambur. ibi citati; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 167, testans de communi aliorum contra Glossam in cap. *Si quis usuram* 14, quæst. 4, et quosdam alios. Et ratio est, quia ad acquirendum rerum dominium requiritur aliquis justus, et sufficiens titulus, ut concedunt omnes etiam adversarii, sed hic nullus adest justus titulus, ergo, etc. Probatur minor: talis justus, et sufficiens titulus transferendi dominium in usurarium mutuatorem non posset esse, nisi ipsa datio, seu solutio mutuatarii simpliciter voluntaria, etsi cum admisto involuntario secundum quid, prout assignant ipsi adversarii; atqui ipsa datio non est sufficiens ad transferendum dominium, quia licet illa solutio esset voluntaria simpliciter, et solum miste involuntaria, seu secundum quid, ut dicunt adversarii, esset tamen solum voluntaria quoad traditionem, non vero quoad translationem dominii; nam mutuatarius usuras tradens non præsumitur velle conferre majus jus mutuanti, quam debeat, et ipsi de jure competat, sed ipsas ei intendit tradere eo modo, quo ipsi debentur: cum ergo ei nullo justo titulo ad validam dominii translationem requisito debeantur, sed potius ipsas nullatenus exigere possit, et si jam sic receperit, seu exegerit, restituere teneatur, per textus expressos in cap. *Cum tu* 5, cap. *Tua* 9, cap *Consuluit* 10, cap. *Quam perniciosum* 11, cap. *Post miserabilem* 12, cap. *Tua dum* 13, et cap. *Quia frustra* 14, De usuris, cap. 1 et 6 *De jurejurando*; cum similibus, sequitur manifeste, quod in ordine ad talem translationem dominii illa solutio, seu traditio mutuatarii sit insufficiens, per text. in l. *Nunquam* 31, ff. *De acquirendo rerum dominio*, ibi: « Nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita si venditio, aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur. »

(74. Si tamen supradictæ res per usuram acceptæ ita commistæ sint cum rebus propriis, ut nullo modo discerni possint, tunc usurarius acquirit quidem verum dominium ratione commistionis, seu confusionis, vel specificationis, sed ita debile et infirmum, ut teneatur ad restitutionem, seu compensationem in æquivalenti ratione injustæ acceptionis. Sic Sporer, *loc. cit.*, n. 115; Lugo, disp. 25, sess. 11, n. 206, cum S. Thoma et pluribus aliis ibi citatis; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 166, testans hanc esse communem et certam per text. in § *Si duorum* 27, et § *Quod si frumentum* 28, instit. *De rerum divisione*, et acquirendo ipsarum dominio, l. *Si alicui* 78, ff. *De solutionibus*, ibi: « Si alieni nummi inscio, vel invito domino soluti sunt, manent ejus, cujus fuerunt: si misti essent, ita ut discerni non possent, ejus fieri, qui accepit, in libris Gaii scriptum est. » Et ratio est, quia dicta admistio, seu confusio per citata jura, sicut et specificatio per text. in § 25, instit. *De rerum divis.*, est justus titulus acquirendi rerum dominium, nec vitiatur per aliquem specialem modum, quo acquiratur res, per d. admistionem, seu confusionem, vel specificationem acquiritur; semper enim supponitur res esse aliena, quæ confunditur, seu commiscetur, sive ergo illa res sit per actionem furtivam, sive per usurariam acquisita, dum ita commiscetur, seu confunditur cum propriis, ut discerni seu separari ab ipsis nullo modo possit, non est eadem res in individuo restituenda, cum sic transierit in dominium commiscentis, seu specificantis, sed bene in æquivalenti, ratione injustæ acceptionis, sicuti quando res alterius jam est consumpta.

(75. Hinc usurarius tenetur restituere omnia acquisita per usuras usque ad æqualitatem damni illati; nempe primo ipsasmet res in individuo, vel in se adhuc discernibiliter exsistentes, vel in æquivalenti, si commistæ cum suis indiscernibiliter exsistant; cum per injustitiam eas acceperit. Secundo si res per usuram accepta erat secundum se fructifera, tenetur restituere una cum illa etiam omnes fructus ex ipsa per-

Digitized by Google

ceptos, detractis expensis, et æstimatione laboris ac industriæ, cùm tales fructus ad mutuatarium tanquam dominum rei pertineant; § *Si quis a non domino* 35, institut. *De rerum divisione*. Imo usurarius tenetur restituere ipsos fructus ex re usurarie acquisita perceptos, quamvis dominus, seu mutuatarius per negligentiam suam illos fructus non percepisset, si rem suam habuisset, detractis tamen ut supra expensis, et æstimatione laboris ac industriæ. Et ratio est, quia omnis res de se fructifera suo domino fructificat, cit. § *Si quis a non domino* 35, institut. *De rerum divisione*. Insuper tenetur usurarius restituere etiam fructus, quos ipse per incuriam non percepit, altamen percepisset mutuatarius, si rem suam de se fructiferam habuisset. Et ratio est, quia ipse usurarius per injustam acceptionem et detentionem fuit iniqua causa amissionis fructuum, quos percepisset mutuatarius, si ille rem usurariam non detinuisset. Nullos tamen fructus restituere tenetur usurarius, si ex re usurarie accepta nec ipse fructus aliquos percepit, nec mutuatarius propter similem negligentiam fuisset percepturus. Et ratio est, quia nec ipse usurarius in data hypothesi e fructibus rei usurariæ factus est ditior, cum nullos ex ipsa perceperit; nec quoad ipsos damnum aliquod intulit mutuatario, cum, ut supponitur, nullos fructus fuisset ex ipsa percepturus.

(76. Si autem res per usuram accepta non erat secundum se fructifera, et ex detentione ipsius nullum emergat damnum, vel lucrum cesset mutuatario, fructus ex illa percepti fiunt, quoad dominium ejusdem usurarii; nec restituendi sunt mutuatario: *Communis*, per clarum textum in l. *Qui aliena* 8, cod. *Si quis alteri, vel sibi*, ibi: « Qui aliena pecunia comparat, non ei, cujus nummi fuerunt, sed sibi tam actionem empti, quam dominium, si ei fuerit tradita possessio, quærit. » Et ratio est, quia quando res non est secundum se fructifera, fructus, qui ex ipsa percipiuntur, non sunt fructus rei, sed solius industriæ et personæ, adeoque non domino rei, sed personæ applicanti industriam cedere debent. (77. Hinc res ipsæ, quas usurarius sibi emit, verb. grat. pecunia usuraria, quamvis non permistæ, nec confusæ cum rebus propriis ipsius usurarii, transeunt in dominium usurarii, ut concedunt communiter doctores, etiam illi, qui negant dominium usurarum acquiri ab usurario. Et ratio est, quia res per pecuniam usurariam emptæ non sunt fructus pecuniæ, utpote ex se steriles, sed sunt fructus industriæ, seu voluntariæ emptionis, et negotiationis susceptæ, quæ emptio, seu negotiatio, cum sit tota ipsius usurarii, ideo ipsæ res in ipsius usurarii dominium transeunt, ut clare habetur ex citat. leg. *Qui aliena* 8, cod. *Si quis alteri, vel sibi*. Quare etiam fur, id quod ex re furtiva negotiando acquirit, sibi, non domino acquirit, leg. *Qui vas* 48, § 7, ff. *De furtis*. Item depositarius id quod ex re deposita negotiando acquirit, sibi, non deponenti, acquirit, leg. *Si ex pecunia* 6, cod. *De rei vindicatione*. Item uxor id, quod ex re mariti defuncti ad filium pertinente negotiando acquirit, sibi, non filio acquirit; leg. *Si pecunia* 1, cod. *Si quis alteri, vel sibi*.

(78. Item si usurarius res per usuram acquisitas vendat, pretium illarum quoad dominium sibi acquirit, et non mutuatario, sicuti fur vendens res furtivas, earum pretium quoad dominium sibi, et non domino acquirit. Remanente semper tamen obligatione restituendi pro re usuraria, vel furtiva in æquivalenti, et damna inde secuta mutuatario, vel domino compensandi: *Communis*, per clarum textum in l. *Qui vas argenteum* 48, ff. *De furtis*, § 7, ibi: « Cum fur rem furtivam vendidisset, eique nummos pretii dominus rei per vim extorsit, furtum eum nummorum fecisse recte responsum est. Idem etiam vi bonorum raptorum actione tenebitur; quod enim ex re furtiva redigitur, furtivum non esse nemini dubium est; nummus ergo hic, qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus. »

(79. Etiam Judæi tenentur restituere usuras extortas a Christianis, et ad id compellendi sunt per subtractionem communionis Christianorum, vel alias per principes, et potestates sæculares: *Communis*, per textus expressos in cap. *Post miserabilem* 12, et cap. *Quanto amplius* 18, De usuris. Vide *supra*, n. 9, 10, 11, 19 et 20.

(80. Obligatio restituendi usuras transit ad hæredes usurariorum, non tantum suos, sed etiam extraneos: *Communis*, textu expresso in cap. *Tua nos* 9, De usuris, ibi: « Respondemus, quod filii ad restituendas usuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur. Idipsum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum. »

(81. Non tenentur tamen hæredes restituere ultra vires hæreditatis: *Communis*, argum. cap. *In litteris* 5, De raptoribus, ibi: « Hæredes ejus moneas, et compellas, ut his, quibus ille per incendium vel alio modo damna contra justitiam irrogaverat, juxta facultates suas, id est defuncti, ut ibidem recte advertit Glossa verb. *Facultates*, condigne satisfaciant: » concordat l. *Ex qua* 149, ff. *De regul. juris*, ibi: « Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet. »

(82. Tenentur vero hæredes usurarii restituere, quamvis res usuraria ad eos in natura non devenerit, nec per illam hæreditas illorum fuerit aucta: sic Engel, lib. v *Decret.*, tit. 19, *De usuris*, § 3, n. 3; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 175; Canisius, *ibid.*, cap. 7, n. 4, et alii. Et ratio est, quia hæredes ad exonerationem conscientiæ tenentur pro viribus hæreditatis satisfacere omnibus illis, quibus per defunctum aliquod damnum illatum est, etiamsi ex tali damno hæreditas aucta non sit, arg. c. *Parochiano tuo* 14, De sepulturis, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Sed ejus hæres*, et cap. *In litteris* 5, De raptoribus, cum Glossa, *ib.*, verb. *Hæredes*.

Digitized by Google

(83. Restitutio ab usurario, seu ejus hæredibus facienda est illis, a quibus usuræ extortæ fuerunt, vel eorum hæredibus, si existent, vel si non exstent, seu non sint superstites, pauperibus: *Communis*, textu expresso in cap. *Cum tu* 5, De usuris, ibi: « Cogendi sunt per pœnam, quam statuimus in concilio, eas his, a quibus extorserunt, vel eorum hæredibus restituere, vel (his non superstitibus) pauperibus erogare. »

(84. Paupertas usurarium et hæredes illius excusat a restitutione, donec ad pinguiorem fortunam pervenerint: *Communis*, per text. in l. *Nam is* 6, ff. *De dolo malo*, ibi: « Nam is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam adversarii inanis actio est, » et cit. cap. *Cum tu* 7, De usuris, ibi: « Dummodo in facultatibus habeant, unde ipsi possint eas restituere.... Illi autem, qui non habent in facultatibus, unde usuras valeant restituere, non debent ulla pœna multari, cum eos nota paupertas evidenter excuset. »

(85. Ad restitutionem obligat, nedum usura realis, sed etiam mentalis, si aliquod intentum lucrum ratione mutui sit subsecutum. Unde mutuator, qui intendens lucrum recipere vi mutui, licet sine pacto externo, contrahit usuram mentalem, si inde aliquid accipiat ultra sortem, quod mutuatarius non gratis, nec ex mera liberalitate, sed tanquam debitum ratione mutui dedit, tenetur etiam in foro conscientiæ ad ejus restitutionem: *Communis*, textu expresso in cap. *Consuluit* 10, De usuris, ibi: « Hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cum omnis usura, et superabundantia prohibeatur in lege) judicandi sunt male agere, et ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi. »

(86. Si autem mutuatarius omnino gratis, et ex mera gratitudine, ac liberalitate aliquid dederit ultra sortem, nulla est obligatio id restituendi, quamvis mutuator mente intenderit tale lucrum primario, et principaliter, ita ut non fuisset mutuaturus, nisi ob perspectam mutuatarii gratitudinem ac liberalitatem tale lucrum sperasset. Licet enim non velle mutuum dare nisi iis, quos speratur fore gratos, possit spectare ad avaritiam, non tamen spectat ad usuram, cum sic nihil intendatur, neque recipiatur ratione mutui, sed omnino gratis, et ex mera gratitudine ac liberalitate, seu benevolentia mutuatarii, adeoque non interveniat vera et propria usura mentalis. Sic Pirhing, lib. v *Decretal.*, tit. 19, n. 133, cum Navarro, Molina, Azorio, Lessio, card. de Lugo ibi citatis, et alii communiter; Reiffenst., *ibid.*, num. 178, testans et ipse de communi aliorum; Sporer, *loco cit.*, n. 177, et alii passim.

(87. Advertendum est hic ad uberiorem usuræ mentalis intelligentiam, quod pro usura mentali non intelligitur nudum propositum, seu sola voluntas usuras accipiendi, vel exigendi, prout præscindit ab omni actu externo (tale enim propositum potius est, et dicitur usura interna, quam usura mentalis); sed intelligitur, et accipitur pro actu externo, quo mutuum datur cum spe et intentione accipiendi lucrum ex mutuo, quamvis sine ullo pacto externo, argum. cap. *Consuluit* 10, De usuris.

(88. Usurarii ultra supra recensitam obligationem restitutionis subjacent etiam variis pœnis contra ipsos, tum in jure civili, tum in jure canonico statutis. Prima igitur eorum pœna est, quod usurarii manifesti, seu notorii sunt ipso jure infames, cap. *Infames* 2, § *Porro* in fine, caus. 3, q. 7, cap. *Dilectus* 13, De excessib. prælator., cap. *Improbum* 20, cod. *Ex quibus causis infamia irrogatur.*

(89. Secunda pœna est, quod usurarii notorii, seu manifesti, si clerici sint, et moniti non desistant, ab officio et beneficio sint suspendendi ac deponendi, cap. *Episcopus* 1, cap. *Quoniam* 2, et c. *Si quis* 5, dist. 47, cap. *Si quis* 4, et cap. *Quoniam* 8, caus. 14, q. 4, cap. *Præterea* 6, De usuris, cap. *Inter dilectos* 11, De excessib. prælator. Et a fortiori clerici usurarii manifesti repellendi sunt a sacris ordinibus suscipiendis, et ab officiis et beneficiis obtinendis, cap. *De Petro* 4, dist. 47, et omnibus citatis juribus, quibus statuitur tales clericos privandos esse officiis, et beneficiis obtentis, adeoque multo magis repellendos ab obtinendis. Tum quia tales manifesti usurarii sunt infames per jura citata *supra*, n. 87. Infamibus autem portæ dignitatum patere non debent, textu expresso in c. *Infamibus* 87, De regul. juris, in 6, ibi: « Infamibus portæ non pateant dignitatum. »

(90. Tertia pœna est, quod usurarii notorii, seu manifesti, si laici sint, excommunicari debent usquedum debite satisfecerint, cap. *Præterea* 7, De usuris, et ipso facto irregulares exsistunt, cap. *Maritum* 2, dist. 33, c. *Seditionarios* 8, dist. 46.

(91. Quarta pœna est, quod usurarii notorii, seu manifesti non admittantur ad communionem altaris, id est ad perceptionem sacramenti Eucharistiæ, textu expresso in cap. *Quia in omnibus* 3, De usuris, ibi: « Constituimus, quod usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris. »

(92. Quinta pœna est, quod manifestorum usurariorum oblationes non possint recipi, textu expresso in cit. cap. *Quia in omnibus* 3, De usuris, ibi: « Sed nec oblationes eorum quisquam accipiat. » Usurarii enim æquiparantur raptoribus, cap. *Si quis* 10, caus. 14, q. 4, et oblationes raptorum non sunt recipiendæ ab Ecclesia, capit. *Minor* 8, caus. 17, q. 4, cap. *De viro* 17, caus. 12, qu. 2, cum Deus sit *odio habens rapinam in holocausto*, ut expresse habetur *Isaiæ* cap. LXI, vers. 8.

(93. Sexta pœna est, quod testamentis manifestorum usurariorum nullus possit interesse, et quod ipsorum testamenta sint ipso jure irrita, nisi ante mortem restituerint, quæ per usuras acquisita sunt, vel de eorum restitutione idoneam cautionem (per pignora videlicet, aut fidejussores) dederint,

Digitized by Google

textu expresso in cap. *Quanquam* 2, De usuris in 6.

(94. Septima pœna est, ut nullus usurarios manifestos, seu notorios ad confessionem admittat, aut illos absolvat (etiam ab aliis peccatis), antequam vel restituant usuras, vel de satisfaciendo pro viribus suarum facultatum prædicto modo cautionem præstent, cit. cap. *Quanquam* 2, De usuris in 6.

(95. Octava pœna est, quod si usurarii manifesti, seu notorii in eo peccato decesserint, Christiana et ecclesiastica careant sepultura, cap. *Quia in omnibus* 3, De usuris, et tit. *cap. Quanquam* 2, De usuris in 6, ubi etiam additur, quod omnes religiosi, et alii, qui manifestos usurarios ad ecclesiasticam sepulturam admittere ausi fuerint, pœnam in decreto Lateranensis concilii contra usurarios edito promulgatam incurrant, nempe pœnam suspensionis statutam in capit. *Quia in omnibus* 3, De usuris. Et postea in concilio Lugdunen. relato in Clementina 1, *De sepulturis*, statutum fuit: ut qui usurarios manifestos scienter sepelire præsumunt, ipso facto sint excommunicati, nec absolvantur, nisi prius ad arbitrium diœcesani episcopi competenter satisfactionem exibuerint.

(96. Insuper præcipitur omnibus dominis locorum, et universitatibus, ne permittant alienigenas in terris suis conducere domos ad exercendas usuras, vel conductas habere, et ne quis eis ad hoc domos locet. Qui contra fecerint, si sint ecclesiastici majores, ut patriarchæ, archiepiscopi et episcopi, suspensionis; si vero sint minores personæ singulares, excommunicationis; si collegium, vel universitas, interdicti sententiam ipso facto incurrant. Et si per mensem in ea perstiterint, ipsorum terræ sunt interdictæ, dum ibi dicti usurarii habitant; si vero sint laici, debent ab ordinario per censuram ecclesiasticam compelli ad cessandum ab hujusmodi excessu, textu expresso in cap. *Usurarum voraginem* 1, De usuris in 6.

(97. Prælerea officiales communitatum facientes, aut dictantes, vel scribentes statuta super usuris solvendis, non repetendis, vel non restituendis, vel judicantes secundum illa, vel non delentes illa, si possunt, intra tres menses de libris communitatum, vel illa servantes, sunt excommunicati, textu expresso in Clementina *Ex gravi*, unic. *De usuris*.

(98. Usurarii præter supradictas pœnas a jure statutas, etiam aliis pœnis arbitrariis, et extraordinariis puniri possunt a judice tam ecclesiastico quam sæculari, præsertim vero pecuniaria, ut in eo, in quo peccarunt, multentur : Tholosan., lib. III *De usura*, cap. ultim., n. 4 et 7; Pirhing, *loc. cit.*, num. 172; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 188, notantes, quod juxta constitutiones imperii multantur usurarii amissione quartæ partis de sorte principali. Sic etiam Gail., lib. II, observ. 4, num. 1. Vel etiam publicationem bonorum, ut notant Tholosan, ' c., n. 8; Pirhing. *l. c.*, n 172, et alii.

(99. Ut usurarii incurrant supradictas pœnas, debent esse manifesti, seu notorii jure, vel facto. Illi autem sunt usurarii manifesti, et notorii jure, seu notorietate juris, qui in judicio hoc crimen confessi sunt, aut de illo fuerunt convicti, et condemnati, arg. cap. *Quæsitum est* 10, De cohabitat. clericor. et mulierum, ibi : « Notorium per sententiam, seu per confessionem factam in jure. » Illi vero sunt usurarii manifesti, et notorii facto, seu notorietate facti, qui ita palam, et evidenter exercent usuras, ut nulla tergiversatione id negare et celare valeant, arg. cit. cap. *Quæsitum est*, ibi : « Aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit, » et capit. *Olim* 24, De verbor. significat., ibi : « Aut evidentia rei, quæ nulla possit tergiversatione celari. »

(100. Judex criminum usurariorum quoad censuras, et privationes ecclesiasticorum beneficiorum est solus ecclesiasticus : *Communis*, arg. c. *Decernimus* 2, c. *Qualiter et quando* 17, De judiciis, cap. *Nullus judicum* 2, De foro competenti, cap. *Later* 5, et *Causam quæ inter* 7, Qui filii sint legitimi, cum similibus. Et ratio est, quia ille est judex quoad censuras, et privationes ecclesiasticorum beneficiorum, ad quem spectat imponere dictas pœnas : sed id spectat ad solum judicem ecclesiasticum, cum potestas ferendi censuras sit solummodo penes Ecclesiam, juxta illud *Matth.* XXVI : *Quæcunque alligaveris super terram*, etc. Et : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, hoc est a fidelium communione segregatus, ut explicant omnes, ut etiam ad solum judicem ecclesiasticum spectat imponere privationem ecclesiasticorum beneficiorum, arg. cit. *Juribus*, ergo, etc.

(101. Judex autem criminum usurariorum quoad alias pœnas potest esse tam laicus quam ecclesiasticus, et datur locus prævention, non solum quando est quæstio *facti*, seu quando crimen liquido usurarium est, sed etiam quando est quæstio *juris*, seu quando disceptatur, an hic, vel ille contractus usurarius sit, nec ne ? Est communis, quoad primam partem, nempe quoad casum, in quo est sola quæstio *facti*, cum sic omnes concedant esse crimen misti fori, id est tam sæcularis quam ecclesiastici : et patet clare ex cap. *Post miserabilem* 12, De usuris. Quoad secundam vero partem, nempe quando est quæstio *juris*, defenditur a Farinacio, *Prax. crimin.*, q. 8, n. 140, concl. 4 ; a Menochio, *De arbitr. judic.*, casu 398, n. 4; Molina tract. 2, disp. 333, in princip.; Covarr., lib. III *Variar. resol.*, cap. 3, n. 1; Silvestr., verb. *Usura* 9, in princip.; Canisio, tract. *De usuris*, capit. 9, num. 4; Rossignol., contract. *De mutuo, et usuris pranol.* 16, num. 2; Pirhing, lib. V *Decretal.*, tit. 19, n. 149; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 193 et seq., et aliis pluribus contra Glossam in cap. *Cum sit* 4, verb. *Malefactores*, De foro competent. Clarum verb. *Usura*, num. 8, et nonnullos alios volentes cognitionem quæstionis *juris* de

Digitized by Google

hoc crimine soli judici ecclesiastico competere. Et ratio nostræ conclusionis est, quia crimen usuræ, non solum est prohibitum jure ecclesiastico, seu canonico, sed jure divino et naturali, ut patet ex dictis supra a n. 6. Nec plus spiritualitatis in se habet quam homicidium, furtum, adulterium, et similia delicta, quæ sunt contra justitiam, et prohibita lege divina et naturali; atqui de his criminibus potest cognoscere, et de facto teste experientia quotidiana cognoscit judex sæcularis inter laicos, ergo etiam de crimine usuræ. Tum quia, ut fuit dictum *supra*, n. 15, usura si sit in maxima quantitate est prohibita etiam jure civili, ut patet ex l. *Eos qui* 26, cod. *De usuris*, et l. *Placuit* 29, ff. eod., adeoque, etc. Tum etiam quia in jure canonico nullibi invenitur interdicta judici laico cognitio usuræ in casu quæstionis *juris*, sed positive concessa in cap. *Post miserabilem* 12, De usuris, ubi sine distinctione inter quæstionem *juris*, et *facti* conceditur potestati sæculari facultas cognoscendi et judicandi usuras. Ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; cap. *Quia circa* 22, De privileg., l. *De pretio* 8, ff. *De publicana in rem actione*, l. *Non distinguemus* 32, De reception. arbitr., l. *Præses* 3, ff. *De offic. præsidiis*; adeoque, etc.

(102. Ad exterminandas usuras plura declaravit Benedictus XIV, tom. I, constitut. 143, incip. *Vix pervenit*.

(103. Et primo, omne lucrum ex mutuo ratione mutui, usurarium et illicitum esse.

(104. Secundo, ad usuræ labem purgandam nullum accersiri posse subsidium, vel ex eo quod id lucrum non excessivum et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit.

(105. Vel ex eo quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives exsistat, nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus.

(106. Tertio, quanquam una cum mutui contractu possint quandoque alii tituli, ut aiunt, forte concurrere ipsi mutuo extrinseci, e quibus justa oriatur causa aliquid ultra sortem ex mutuo debitam exigendi; attamen falso et temere affirmari dicit ejusmodi titulos semper reperiri, ac ubique præsto esse, ita ut illorum ratione, quotiescunque pecunia, frumentum aliudve id generis alteri cuicunque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque recipere.

(107. Alia præterea edixit, atque in contractibus servanda enixe commendavit, uti patet in ipsa constitutione ut ibidem, (108. ubi a numer. 9 ad 12, insuper refelluntur Judæi sibi dictitantes licitum esse, usuras a Christianis inter quos degunt, exigere. Et *ibid.*, n. 19, (109. ubi quod principes tenentur usuras prohibere etiam Judæis in suis ditionibus degentibus, et contravenientes punire, ut qui ad legis divinæ et naturalis observantiam nequeunt reduci virtutis amore, ab ejus transgressione absterreantur saltem formidine pœnæ, uti ad id teneri principes Christianos suis edictis, et episcopos suis constitutionibus. (110. quibus severe prohibeantur Judæi Christianorum loca incolentes, ne ratione mutui quidquam a Christianis extorqueant et certa simul præscribatur quantitas lucri, ultra quam nihil impune exigere possint ex aliis contractibus cum Christianis initis, recte, et erudite suo more pluribus adductis docet idem Benedictus *Desynodo diœcesana*, lib. VII, cap. 47, n. 12 et 13, concludens ita nuperrime statuisse episcopum Pisauriensem in sua diœcesana synodo habita 1742, tit. 4, num. 17, cujus exemplum poterunt alii episcopi imitari.

(112. Sed operæ pretium est integram afferre ipsam constitutionem, quam in forma encyclicæ ad omnes ordinarios Italiæ direxit Pontifex, ut sequitur.

Hanc constitutionem videre est in *Addit. Casin.*, sub verb. MUTUUM ad calcem tom. V, pag. 1881, not. 188.

(113. Alia ad rem *vid.* verb. DEPOSITUM; verb. HEBRÆUS; verb. HYPOTHECA; verb. MUTUUM.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(114. Prohibitio usurarum an sit juris divini, an humani tantum, et an sit juris divini naturalis, an juris divini relativi tantum, expendere non est hujus loci.

(115. Illud est hic haud prætereundum, quod non solum ex mutuo, sed et ex quocunque alio credito mere pecuniario, regulariter vetitum est quidquam ultra sortem accipere, non concurrentibus notissimis requisitis. Castrensis in l. *De eo quod certo loco*.

(116. Quod vero attinet ad primum requisitum repositum in interpellatione debitoris, supplere ipsum solet conventio interesse ratione lucri cessantis, et damni emergentis, ut respondit Rota *in Romana pecuniaria*, 20 Martii 1747, et *in Confirmatoria*, 6 Februarii 1748, § 12, *cor. Em. Bussio*.

(117. Quod concernit alterum requisitum constitutum in solito negotiandi, ipsum probatione non indiget, ubi agitur de mercatoribus, argentariis, etc., ut respondit idem tribunal Rotæ *in* dict. *Romana pecuniaria*, 20 Martii 1747, et *in Confirmatoria*, 9 Decemb. 1748, § 12, *cor. Em. Bussio*. Confer etiam idem sacrum tribunal in Mediolan. seu Lauden. *Pecuniaria*, 25 Aprilis, § 11, *cor. illustriss. Caprar. Alm. urb. gubernatore*.

(118. Quoad tertium demum requisitum promptæ occasionis, opinio Rotæ est, quod ad ipsum probandum non sufficiat affluentia negotiorum, quæ in magnis civitatibus esset, sed probanda est individua occasio, eaque in actu proximo, quæ ob non exactum creditum ad exitum perduci nequivit, exindeque creditori vel certum damnum emerserit, vel certum lucrum cessaverit; *Vide* de-

Digitized by Google

cisiones *in Melevitana pecuniaria*, 11 Februarii 1718, § *Quandoquidem*, et seq., et *in Confirmatoria, cor. Lancett.*, decis. 1181, n. 11, ubi tanquam vaga et generalis rejecta fuit occasio investiendi pecunias super quadam massa frumentaria erecta in insula Melitæ; et *in Romana pecuniar.*, 20 Martii 1747, § 5, et plurib. seq., et *in Confirmatoria* 11 Febr. 1748, § 13 et seq., *cor. Em. Bussio*, ubi probatum non fuit, dijudicandum tertium hoc requisitum ex hoc, quod creditor esset argentarius, æs alienum interim contraxisset, et litteras cambii trahere insuper potuisset.

(120. In allegata vero supra *Mediolanen. seu Lauden. Pecuniaria* constare ex eo existimatum fuit de hoc tertio requisito, quod de præciso tempore contractus in civitate Mediolani duæ publicæ ædes præmissis publicis edictis pecunias sub titulo et contractu subventionis recipiebant ab omnibus deferentibus cum interesse librarum quatuor in singula centum, ut ex § 14 ejusdem.

APPENDIX

Ad verb. Usura *ex editione Romana.*

(121. Inter quæsita proposita sacræ congregationi de Propaganda fide a missionariis Sinarum, nonnulla reperiuntur ad usuram spectantia, quæ hic traduntur cum responsionibus Patrum Qualificatorum S. Officii, quibus ab eadem sac. Congregatione demandata fuerunt, ut votum suum aperirent. Eorum responsa approbata fuerunt in congregatione generali, die 12 Septembris 1645. Porro quæsita, et responsa sunt sequentia, prout impressa reperiuntur typis ejusdem sacræ Congregationis.

(122. « In præfato regno lege stabilitum est, ut in mutuo triginta pro centum accipiatur absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis; quæritur utrum Chinensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum incessans aut damnum emergens, prædictam pro centum, triginta quantitatem regni lege taxatam, accipere; et causa dubitationis est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet, quod qui accipit mutuatum, fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram judice repetere, vel propter alia hujusmodi.

(123. « Censuerunt ratione mutui immediate, et præcise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem; si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, et probabilitatis, ac servata proportione inter periculum, et id quod accipitur.

(124. « In universo Chinarum regno domus publicas usuris deputatas reperiri res est usitata, in quibus usurarii publici, facta sub pignorum cautione, pecuniam suam sumpto lucro, ad usuram dare solent, ea tamen conditione, ut pro uno ducato singulis mensibus tantum quid accipiant, et si tantis elapsis annis pignorum dominus pro iisdem recuperandis pignoribus, soluta principali pecunia cum lucro non redierit, actionem et dominium, quod habebat in suis pignoribus illico amittat. Istæ autem domus, reipublicæ necessariæ sunt, et quamvis usurarii vitam usurariam dimittere velint, a non desistendo a prædictis usuris, judicis auctoritate compelluntur. Quæritur utrum, si hujusmodi usurarii converti velint ad fidem, possint baptizari manendo in suo statu usurario propter causam supradictam; vel quidnam in tali casu agendum sit?

(125. « Censuerunt, Chinenses in statu usurario permanentes, baptizari non posse: si vero judicis auctoritate compelluntur ad proprias pecunias mutuandas, posse aliquid accipere, etiam recepto pignore ultra sortem principalem, tum ratione oneris, quod subire coguntur, tum ratione curæ in custodia pignorum, lucri quoque cessantis, et damni emergentis: tempore autem præstito, si ex venditione pignorum aliquid supersit sortis principalis, et lucro ex causis prædictis juste acquisito, domino pignoris esse restituendum.

(126. « Utrum prædictorum usurariorum filii, si quando in hæreditatibus eorum succedunt, jam Christiani exsistunt, teneantur ad restitutionem eorum, quæ pater ex usuris accepit, in toto, vel in parte, juxta male acceptorum excessum, et si hujusmodi usurariorum filii hæredes, jam Christiani, a republica, vel a judice compellantur ad publicas usurarum domus patrum aperiendas et sustentandas; quid in hoc casu ministri Evangelii pro sanandis istorum conscientiis, facere debent?

(127. « Censuerunt, filios hæredes usurariorum teneri a patribus ex usuris illicite acquisita restituere, certis quidem dominis, si certi sunt, sin minus juxta regulas a doctoribus traditas; actualem vero restitutionem a doctis, piis et prudentibus viris esse dirigendam. Quoad secundam partem hujus dubitationis, jam responsum est in proxime superiori resolutione. »

* *Novissimæ animadversiones in superiorem articulum.*

(128. Theologus, qui in Ferrarianæ Bibliothecæ editione in hac ipsa urbe anno 1761 curatæ, auctoris opiniones, quæ laxæ videbantur, opportunis animadversionibus castigavit, in not. ad verb. *Mutuum*, num. 37. « Novum, inquit, de mutuo articulum addere constitueram, in quo fusius et clarius mutui naturam ac proprietates exponerem, quo facilius lectores possent ex perspicua mutui notione intelligere, quid mutuo intrinsecum, quid extrinsecum sit, atque usuras non apertas tantum, sed etiam occultas et palliatas agnoscere, et devitare. Sed cum pleraque ex iis, quæ dicturus eram, ad usuram pertinerent, novum hunc articulum septimo adjiciendum tomo stabilivi, in quo de usura ex professo disputatur. » Verum non modo tomo septimo novum de usura articulum non adjecit, sed ne ullam quidem ad auctoris articulum notam apposuit. Igitur quod ille omisit, in hac editione supplebimus

Digitized by Google

(129. Ne tamen lectoribus molesti simus, ea tantum referemus, quæ tradit P. Antoine, in tract. *De contractibus*, cap. 3, *De conditionibus requisitis*, ut liceat ultra sortem aliquid exigere ratione damni emergentis, lucri cessantis, et periculi; ac pacisci, ut mutuatarius, si ad terminum præstitutum non restituerit, aliquid solvat in pœnam suæ moræ.

(130. Igitur Antoine, cap. cit., quæst. 3, postquam, resp. 1 demonstravit, duos esse titulos extrinsecos mutuo, ob quos liceat aliquid ultra sortem exigere, damnum emergens, et lucrum cessans, resp. 2, inquit : « Ex communi sententia ut possit juste aliquid ultra sortem exigi ob damnum emergens, quinque requiruntur : 1° Ut mutuum sit vera causa damni, alioqui fictus esset titulus, et vera usura. 2° Ut damnum proponatur mutuatario, nam libere consentire debet in illam compensationem mutuo extrinsecum; alioqui admonitus posset forte alibi sibi providere sine hoc onere. Quare si admonitus non fuit, non tenetur damnum compensare, etiamsi postea eveniat, modo non fuerit per moram culpabilem causa illius : nam tunc non tenetur ratione culpæ, neque rei acceptæ, neque pacti additi mutuo, neque etiam contractus mutui; mutuum enim est contractus stricti juris, ex natura sua obligans solum ad reddendam sortem. 3° Ut auctarium non sit majus damno orto ex mutuo : alioqui excessus esset usurarum, nam exigeretur ratione mutui, et sine justo titulo. 4° Ut compensatio non exigatur ante tempus, quo damnum eventurum prævidetur, quia tunc solum urget titulus. 5° Ut alter non cogatur ad aliquid solvendum, quidquid evenerit, si velit se obligare ad solvendum totum damnum emergens, quod reipsa continget : alioqui ei imponeretur onus, ad quod ex mutuo non tenetur, cum solum possit obligari ad reddendum mutuantem indemnem. »

(131. Mox, resp. 3, subdit : « Ut auctarium juste exigi possit ob lucrum cessans, ex communi sententia requiruntur hæ conditiones : 1° Ut mutuum sit vera causa, cur lucrum cessat : ac proinde ut mutuans ante petitum mutuum habeat facultatem proximam lucrum ex pecunia faciendi alia via justa, et pecuniam, quam mutuat, jam destinarit negotiationi, vel contractui justo quæstuoso, nullasque alias habeat pecunias otiosas, id est non destinatas lucro justo faciendo, nec familiæ sustentationi, nec filiarum doti, nec provisioni casuum fortuitorum, quos prudens paterfamilias cavere debet. Nam revera lucrum ei non cessat ob mutuum, qui antequam peteretur, non destinaverat pecuniam suam negotiationi vel emptioni rei frugiferæ, vel censui, vel societati, aut non habebat facultatem proximam justum lucrum ex pecunia faciendi, aut habebat alias pecunias otiosas. Nam tunc ex pecunia, quam mutuat, nullum lucrum fecisset; ideoque talis nihil potest exigere ratione hujus tituli, utpote non exstantis. Idem dic de eo, qui abstinens a negotiatione, interim se applicat alteri rei nec molestiori, nec nimis quæstuosæ, cui vacare non potuisset negotiando : nam lucrum cessans per omissionem negotiationis compensatur per aliud lucrum, quod negotiando consequi non potuisset; et sic ei lucrum non cessat ex mutuatione, quæ revera ab æquali lucro eum non impedivit. 2° Ut lucrum sit certum, aut probabile : nam si sit solum possibile, non est pretio æstimabile, cum mere possibilium ratio non habeatur, et in æstimatione morali potentia remota lucrandi ex pecunia nihil addit pecuniæ spectatæ secundum se. 3° Ut moneatur mutuatarius de lucro cessante, et in illius compensatione consentiat : alioqui ad illam non tenebitur, nisi per moram culpabilem solvendi fuerit illius causa, ob rationem supra dictam; quia onus extrinsecum contractui imponi non potest contrahenti sine illius consensu. 4° Ut non exigatur totum lucrum quod speratur, sed solum quantum spes illius judicio prudentum valet, deductis sumptibus, et æstimatione periculi ac laboris. Nam res solum sperata non est tanti valoris, quanti habita in seipsa, seu jam exsistens, propter pericula, et impedimenta, quæ venire possunt : sic semen sparsum in agro minus valet, quam messis ipsa, quæ speratur. 5° Ut lucri cessantis compensatio non exigatur statim dato mutuo, sed solum pro tempore, quo lucrum fuisset; nam qui, verbi gratia, mutuat centum, et statim accipit decem pro lucro cessante, jam non mutuat alteri centum, sed solum nonaginta; solum enim nonaginta retinet mutuatarius, et tamen mutuans tantumdem exigit pro lucro cessante ex nonaginta, quantum ex centum; quod est injustum et usurarium, cum tunc lucrum ei solum ex nonaginta cesset. Præterea quod pro interesse solvitur, eidem subrogatur; et ejus, quod nondum exstat, subrogatio exigi non potest. His adde, ut quis excusetur usura coram Deo ratione hujus tituli, requiritur, ut mutuet animo gratificandi proximo, non autem spe commodioris lucri. Nam si mallet mutuare quam negotiari, intenderet principaliter lucrum ex mutuo, et sic peccaret. Quare, ut ait Sylvius, requiritur, ut is qui mutuat, non sponte subtraxerit suam pecuniam a negotiatione prius quam mutuet, intendens proprium commodum, et malens mutuare cum certo lucro, quam negotiari cum incerta spe lucri : sic enim ficte pacisceretur de lucro cessante, cum pecunia jam subtracta sit a potentia lucrandi, utpote nec secundum voluntatem ejus exposita negotiationi, aut destinata contractui justo quæstuoso, atque adeo lucrum, si quod cessat, non cessat ex mutuo, sed ex eo quod negotiari noluerit, aut aliter contrahere. Idem docet Totelus, asserens doctores convenire, quod cum quis sponte alteri offert suas pecunias mutuo, nec coactus nec rogatus, non potest licite lucrum ab alio exigere, cum ipsi sponte suas pecunias a negotiatione auferat. »

(132. Inde, quæst. 14 : *An liceat aliquid*

Digitized by Google

ultra sortem exigere ratione periculi ejusdem sortis ? resp. 1, evincit, nihil licere exigere a pauperibus ratione periculi sortis, orti ex eorum inopia : deinde responsione, « Multi docent, inquit, licere aliquid ultra sortem pacisci, et exigere ratione periculi mutuo extrinseci... Idem dicunt de extraordinariis facultatibus, laboribus, impensis, molestiis probabiliter in recuperanda sorte subeundis ex culpa mutuatarii, eo quod hæc sint mutuo extrinseca, et pretio æstimabilia. Sed ut hoc titulo aliquid possit juste exigi, has requirunt conditiones: 1° Ut periculum sit vere probabile, et extrinsecum mutuo, ne hoc prætextu pallientur usuræ : quale non est, quoties mutuatarius est industrius, verax, justus, etc., de quo non datur prudens præsumptio, quod non sit soluturus. 2° Ut in hoc auctarium consentiat mutuatarius. 3° Ut mutuans non compellat illum ad secum paciscendum de periculo, sed ei relinquat libertatem assecurandi sortem per pignus, hypothecam, vel alium fidejussorem ; alioqui sine causa imponeretur illi onus pretio æstimabile, ad quod non obligatur, quod est usurarium. 4° Ut non plus exigatur, quam judicio communi prudentum valeat tale periculum subeundum, habita ratione quantitatis summæ mutuatæ, et magnitudinis periculi, servataque proportione inter periculum et auctarium. »

(133. Postremo, in resp. ad quæst. 13, statuit ex communi sententia per se licitam esse in mutuo pactionem, ut mutuatarius, si ad terminum præstitum non restituerit, aliquid solvat in pœnam suæ moræ positis certis conditionibus. Conditiones porro sunt istæ : « 1° Ut id non fiat in fraudem usurariam, sed ex sola voluntate sortem suam tempore statuto recuperandi. Unde si non cures, utrum solvatur tali tempore, an non ; vel si optes non solvi ; vel si eum terminum, intra quem scis mutuum reddi non posse, constituas, tunc pœna apposita est velamen usuræ, et revera lucrum ex mutuo principaliter intendis. 2° Ut debitor vere sit in culpa, non solvendo notabili tempore post transactum terminum : nam sine culpa nulla potest juste imponi, nec exigi pœna, ex l. 22, cod *De pœn.*, et cap. 2 *De constit.*, ibi : « Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit. » Hinc pœna non debetur, si debitor sine sua culpa tempore præfinito non solverit propter moralem impotentiam, hoc est difficultatem tantam, ut creditor censeatur rationabiliter invitus circa solutionis dilationem. 3° Ut pœna sit moderata secundum mensuram culpæ et rei mutuatæ : alioqui esset injusta, et inique cogeretur alter in eam consentire, ideoque non potest peti quoad excessum. Hinc pactum, ut pignus sit creditoris, si certo tempore debitor non solverit, est prohibitum, l. 1 et 3, cod. *De pact. pignor.*, et c. 7, *De pignor.* Quod si pars debiti solvatur, non potest tota pœna exigi, sed tantum pro ratione partis non solutæ, cap. 19, *De pœnis.* Idem dic, si mora non sit notabilis ; nam si per biduum, vel hebdomadam ultra terminum præfinitum solutio differatur ordinarie, non debet æstimari culpa digna pœna constituta saltem tota.

(134. Cæterum Ballerinius in prælect. de usura præmissa secundæ parti *Summæ theologicæ* S. Antonini, edit. Veron., cap. 5, § 26, hanc propositionem statuit : « Periculum sortis, seu capitalis in mutuo æstimabile non est, ideoque justus lucri titulus non potest. » Cui hanc § 27, subjicit : « Difficilis exactio sortis, ac expensarum, vel damni alicujus ob eamdem subeundi periculum æstimabilia quidem sunt, quatenus justam expensarum, et damni æstimationem restaurationis nomine præstituunt ; quatenus autem eo titulo certum aliquod lucrum supra dictam æstimationem creditori provenit, titulus est palliatus, qui ab usura vindicari non potest. » In cujus quidem propositionis seu explicatione, seu confirmatione, § 2 et 3, exponit responsionem ad 1, ex quæsitis de usura S. congregationi de Propaganda Fide propositis, quæ in Veneta editione anni 1777, articulo huic primum addita fuerunt, ut Appendix ex edit. Romana, in qua tamen eam reperire non potui. Sic autem habet : « Nonnulli... hac auctoritate potissimum moti, probabile et extraordinarium perdendi capitalis periculum in quæsito, uti putant, expressum iis verbis, quæ debitoris *fugam* indicant, tanquam justum lucrandi titulum a Congregatione approbatum inculcant. At ex tribus periculorum capitibus, quæ in quæstione proposita recensentur, duo postrema ad difficilis exactionis expensas, et moræ damna manifestissime pertinent, nimirum *quod debitor tardet in solvendo*, *vel quod necessarium sit coram judice repetere.* Solum de primo, quod in debitoris fugam rejicitur, ambigi potest. Verum non amissionem debiti necessario significat, quod si per fugam pereat, nunquam sane fiet, ut *aliquid recipiatur ratione periculi* : sed ad expensas referri potest, quatenus fugientem quærere, ut ad restitutionem compellatur, expensas sæpe maximas devorat. Aliunde debitoris fuga, inter ea particula est, quæ in contrahendo particulari mutuo uti possibilia ad summum concipiuntur, non autem uti probabilia, quæ pretio æstimari non posse ostendimus § 27, num. 3. Enimvero fugam (l. 1, tract. 9, num. 4) S. Zeno nominatim appellat inter cætera, quæ *debitorem extorquet*, ut ne hac de re lucrum a creditore perceptum ab usura vindicandum existimarit : in Scriptura pariter cum malitia debitorum creditum decoquentium reprehenditur *Ecclesiastici* XXIX, nec lucro tamen usuræ damnando, parcitur ; fuga, quæ præcipuum decoquentium medium semper fuit, lucri justi titulus non agnoscitur. Id tandem periculum omni ævo commune nunquam æstimarunt SS. Patres, ut num. 1, § 27, observavimus. Itaque ne quid sacra Congregatio probasse dicatur contra tantam auctoritatem, ea aut non probavit periculum ex fuga, sed alia duo tan-

Digitized by Google

tem, ac cætera indicio tacta iis verbis, *vel propter alia hujusmodi*; aut illud ita probavit, ut non ad capitalis perdendi periculum, sed ad expensas, et damna in recuperando capitali subeunda retulerit. In responsione quidem ipsius congregationis nullius periculi in quæstione memorati distincta fit mentio, sed in genere pretium approbatur, ejus periculi, quod æstimabile sit; et sicut nihil deciditur circa quantitatem pretii proportionati, ita nec circa quantitatem periculorum, quænam æstimabilia sint, vel non. Id judicii, et æstimationis theologis relinquit dijudicandum, ita ut nihil certi, pro hoc vel illo periculi capite, num, et quantum æstimabile sit, definitum dici queat. Igitur hoc congregationis decretum, cum nihil pugnat adversus dicta § 26, tum ad expensarum, ac damni periculum æstimandum pertinet, de quo hac in propositione statuimus. » *Vide* quæ subdit n. 3 et 4.

(135. Hæc illa sunt, quæ auctoris de usura articulo subjicienda duximus, ut lectores a laxis opinionibus, quas ex casuistis plerisque Lucius proposuit, sibi caverent. Qui plura cupit, legat præter Antoine, et Cuniliati locis citatis, Colet in *Continuatione Prælectionum theologicarum Honorati Tournely*, tract. *De contractibus*, part. II, cap. 2 et 3, et Concinam, in *Theolog. Christ. theologico-morali*, in tract. *De justit. et jure*, lib. III, diss. 3. Si quis autem controversiam hanc totam penitus scrutari voluerit, consulere poterit opera ab eodem Concina, et Petro Ballerinio adversus veteres, novosque usurarum patronos vulgata, quorum titulos damus. Petri Ballerinii prælectio *De usura*, quæ num. 2, est ex *Prælectionibus* ejusdem, part. II *Summæ theologicæ* S. Antonini præmissis. Ejusdem, *De jure divino et naturali circa usuram libri sex, in quibus adversus hæreticos usurarum patronos tum recentes, tum antiquiores catholicum præsertim dogma fuse defenditur. — Præmittitur Præfatio cum historia de origine, auctoribus, et varietate hæresis impugnandæ, unde contra illam magnum vel ex novitate præjudicium exsurget*, Bononiæ 1747. Ejusd. *Vindiciæ juris divini ac naturalis circa usuram, quæ veluti liber septimus haberi possunt adversus Opus novissime editum de usuris licitis et illicitis, Nicolai Brædersen. — His vindiciis, capite ultimo, inseritur peculiaris dissertatio de concilio Viennensi sub Clemente V ejusque decretis*, Bononiæ 1747. Ejusd. *Appendix trium Opusculorum in materia usurarum : 1° De montibus pietatis; 2° De pecunia in negotiationem tradenda, ac de licito, vel illicito ex eadem lucro; 3° De inani contractuum implicitorum systemate, quo omnes fere contractus, reipsa fœneratitios, ab usura purgare nonnulli theologi contendunt*. Ejusd. *La dottrina della Chiesa cattolica circa l'usura dichiarata, e dimostrata contro le pretese della novella opera intitolata : Dell' impiego del denaro libri tre*, Verona 1744. — *Si danno per appendice alcuni ecclesiastici documenti molto importanti*, seconda ediz., Bologna 1747.

Opera autem a Concina de hoc argumento edita hæc sunt : *In epistolam encyclicam Benedicti XIV adversus usuram Commentarius, quo illustrata doctrina catholica, Nic. Brædersen, ac aliorum errores refelluntur*, Romæ 1746; 2° *Usura contractus trini dissertationibus historico-theologicis demonstrata adversus mollioris ethices casuistas, et Nic. Brædersen. — Accedunt appendices duæ ad Commentarium auctoris adversus usuram*, Romæ 1746; 3° *Esposizione del dogma, che la Chiesa romana propone a credersi intorno l' usura colla confutazione del libro intitolato : Dell' impiego del denaro*, Napoli 1746.

USUSFRUCTUS, USUS.

Hæc porro expendenda ad rem veniunt.

(1. Usufructus est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia. *Communis*, textu expresso in l. *Usufructus* 1, ff. *De usufruct.*, et instit. eod. tit. (2. Usus autem est jus utendi tantum rebus alienis, salva earum substantia : *Communis*, per text. in l. *Cui usus* 2, ff. *De usu et habitatione*, et instit. eod. tit., § 1 et seq.

(3. Unde minus juris est in usu, quam in usufructu : cui enim usus alicujus rei legatus est, uti quidem potest, frui vero eadem non potest, textu expresso in cit. l. *Cui usus* 2, ff. *De usu et habitatione*, ibi : « Cui usus relictus est, uti potest, frui non potest, » et instit. eod. tit., § 1, ibi : « Minus autem juris est in usu, quam in usufructu, nam is, qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius habere intelligitur, quam oleribus, pomis, floribus, feno, stramentis, et lignis ad usum quotidianum utatur. In eoque fundo hactenus ei morari licet, ut neque domino fundi molestus sit, neque iis per quos opera rustica fiunt, impedimento, nec ulli alii jus quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest; eum is, qui usumfructum habet, possit hæc omnia facere.

(4. Ubi, ut vides, in hoc potissimum differt usuarius ab usufructuario, quod usuarius habet tantum jus utendi re aliena, et percipiendi solos fructus necessarios ad suum, suæque familiæ, et hospitum victum, seu usum quotidianum, non tamen potest omnes fructus percipere, eosque suo arbitratu vendere, seu alienare. Usufructuarius autem habet jus utendi re aliena, et percipiendi omnes ejus fructus, eosque suo pleno arbitrio vendere, donare, et quocunque modo alienare. Hinc ille, cui usus duntaxat horti relictus est, potest quidem in ipso deambulare, poma, olera, et alia, quæ ibi nascuntur ad suum, suæque familiæ, et hospitum victum, seu usum quotidianum accipere, et eos pro suo arbitrio vendere.

Digitized by Google

donare, seu alienare, sicuti potest is, cui ususfructus horti relictus est. Similiter ille, cui relictus est solus usus vaccarum et ovium, potest quidem illis uti ad arandum, stercorandum, et hujusmodi; non tamen potest percipere illarum fetus, vel lanam, neque lac, nisi in modica quantitate, et quatenus ad victum quotidianum indiget, nec ullimode potest alienare, ut totaliter potest ille, cui relictus est ususfructus, ut clare patet ex adductis juribus, et tot. tit., ff. inst. *De usu et habitatione*, ubi varia alia exempla ad id afferuntur, et concordat tot. tit., ff. et instit *De usufructu*. *Vide* d. verb. DOMINIUM, art. 1, n. 12.

(5. Ususfructus proprie nequit constitui in rebus unico usu consumptibilibus. *Vide* d. verb. DOMINIUM, art. 1, num. 13. (6. Quasi ususfructus tamen etiam in his constitui potest. Vide *ibid.*, num. 14, et hic *infra*, 56.

(7. Usus generatim loquendo est duplex, scilicet usus *facti*, et usus *juris*. Vide *ibid.*, num. 15 et 16, ubi ostenditur quid sit uterque.

(8. Datur alius quoque usus quasi juris permissivi, vel potius usus facti simplex ac licitus omnino dependens a voluntate domini proprietarii. Vide *ibid.*, n. 17.

(9. Hinc usus simplex facti potest separari, et de facto separatur a dominio rei etiam unico usu consumptibilis. Vide *ibid.*, num. 18.

(10. Affertur, et solvitur notabilis instantia. Vide *ibid.*, n. 19 et 20.

(11. Ususfructus bonorum adventitiorum filii pertinet ad patrem, l. *Res quæ* 1, cod. *De bonis maternis*, l. *Cum oportet*. 6, et l. *Cum non solum* 8, cod. *De bonis quæ liberis*, et § 1, instit. *Per quas personas*.

(12. Vivente tamen avo paterno bona adventitia nepotum quoad usumfructum non pertinent ad patrem, sed ad ipsum avum paternum, ut clare evincitur ex cit. l. *Cum oportet*, in princ., cod. *De bonis quæ liberis*. Et ratio est, quia fundamentum, et radix acquisitionis talis ususfructus est patria potestas: in hoc autem casu patria potestas, saltem in actu, non residet apud patrem, cum et ipse sit sub potestate patris sui, qui est avus respectu nepotum ex filio, adeoque ususfructus bonorum adventitiorum nepotum pertinet ad ipsum avum, non ad patrem.

(13. Ususfructus hæreditatis relictæ filio, sive a matre, sive ab alio sub hac lege, ut in ea nihil juris acquirat pater, non spectat ad ipsum patrem, sed pleno jure ad filium: sic expresse evincitur ex aut. *Excipitur*, cod. *De bonis quæ liberis*. Et ratio est, quia unusquisque potest rebus suis imponere quamlibet legem sibi bene visam, dummodo juribus non obsistat. Talis autem hic imposita lex non obsistit juribus concedentibus patri usumfructum in bonis adventitiis filiorum, quia talia jura non sunt prohibitiva, adeo ut explodat pacta, et leges, quæ a voluntate testatorum apponi possunt, sed est solum dispositiva, ut ususfructus, quando aliud a testatore non fuit appositum, acquiratur patri.

(14. Pater non acquirit usumfructum in hæreditate adita a filio contra voluntatem ipsius patris, sic clare habetur ex l. *Cum non solum* 8, in princ., § 1, vers. *Sive e contrario*, ff. *De bonis quæ liberis*. Et ratio est, quia omnino dissonum rationi videtur, quod pater commodum, et usumfructum earum rerum acquirat, quarum acquisitioni ipse resistit, arg. c. *Ex eo* 38, De regul. juris in 6, ibi: « Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus exstitit impugnare, » l. *Papinianus* 8, § 14, ff. *De inofficioso testam.*, cum similibus.

(15. Ususfructus in bonis adventitiis filii per professionem patris transit in monasterium (si sit capax successionis), quousque pater vixerit. Sic communius doctores tum juristæ, tum theologi per textum in authentica *Ingressi*, cod. *De sacrosanct. ecclesiis*, ubi habetur, quod ingrediens, et profitens religionem, se, suaque jura, et bona dedicat Deo: cum ergo pater quoad vixerit, habeat jus ad usumfructum in bonis adventitiis filii, ex allatis juribus *supra*, num. 11, si ipsum ante professionem non renuntiaverit, transfert secum ad religionem, seu monasterium, si sit capax successionis. Si autem religio, seu monasterium sit incapax successionis, tunc ususfructus exstinguitur, et cum proprietate filii, seu domini consolidatur. Vide *infra*, n. 63 et 64.

(16. Per professionem filii in religione pater non amittit usumfructum in bonis adventitiis ejusdem filii, sed eum retinet, quousque ipse pater vixerit. Sic doctores fere communiter contra paucos. Et ratio est, quia per mortem naturalem filii, cujus erant bona adventitia, non exstinguitur in patre jus ususfructus, per text. in l. *Si patri tuo* 3, cod. *De usufructu*, § 1, ibi: « Usufructuario autem superstite, licet dominus proprietatis rebus humanis eximatur, jus utendi, fruendi non tollitur; » adeoque neque dictum jus ususfructus in patre exstinguitur per mortem civilem filii religionem profitentis.

(17. Ob delictum enorme filii, per quod solvitur patria potestas, pater non amittit usumfructum in bonis adventitiis ejusdem. Sic Molina, tom. I, *De justitia*, tract. 1; disp. 9, vers. *Ab hac regula*, et disp. 229, vers. *Tertius modus*; Castrop., p. 1, tract. 4, disp. 3, punct. 10, nu. 18; Sanchez, in *Summa*, lib. 11, cap. 16, n. 29, et alii plures. Et ratio est, quia in confiscatione bonorum adventitiorum filii non venit ususfructus jam ante perfecte acquisitus a patre, cum ob iniquitatem filii non debeat pater jure suo, quod perfecte quæsivit, privari. Peccata enim suos debent tenere auctores, l. *Sancimus* 22, cod. *De pœnis*, capit. *Quæsivit* 2, *De his quæ fiunt a majori parte capituli*. Nec debet aliquis alterius odio prægravari, capit. *Non debet* 22, De regul. juris in 6, l. *Non debet* 74, ff. *De regul. juris*. Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, c. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus.

(18. Pater ob transitum ad secundas nu-

Digitized by Google

ptias de jure communi non privatur usufructu bonorum adventitiorum filiorum prioris matrimonii. *Vide* verb. PATER, n. 6 et 7.

(19. Pater potest usumfructum bonorum adventitiorum filii eidem remittere : *Comm.* per text. in l. *Cum oportet* 6, § 2, vers. *Sin autem res*, cod. *De bonis quæ liberis.* (20. Et talis remissio nequit revocari, nec in vita, nec in morte remittentis, arg. cit. l. *Cum oportet.* Sic doctores magis communiter contra alios volentes talem remissionem revocari vivente patre donante, seu remittente, et solum confirmari morte ipsius patris donantis, seu remittentis, per text. in l. *Donationes* 25, cod. *De donationibus inter virum et uxorem.* Et ratio nostræ conclusionis est, quia illa remissio non est vere et proprie donatio, cum non sit de re, quæ sit sub plena potestate et dominio ejusdem patris, citata autem l. *Donationes* procedit solum de veris et propriis donationibus inter patrem et filium, inter maritum et uxorem, quæ speciali jure interdicuntur ob rationes ibi allatas, qualis, ut diximus, non est illa remissio ususfructus, cum ipsa proprie dicenda sit consolidatio ejusdem cum proprietate competente ipsi filio.

(21. Ususfructus bonorum dotalium pertinet totaliter ad maritum, quandiu matrimonium consistit, textu expresso in l. *Dotis fructum* 7, ff. *De jure dotium*, ibi : « Dotis fructum ad maritum pertinere debere æquitas suggerit; cum enim ipse onera matrimonii subeat, æquum est etiam fructus percipere. »

(22. Ad quem autem spectet, et transeat ususfructus dotis, cum solvitur, vel separatur matrimonium, *Vide* verb. Dos, art. 1 et artic. 3, et discurre pariformiter, sicut ibi.

(23. Ususfructus rei potest esse materia dotis, seu tradi in dotem. Sic expresse habetur ex l. *Dotis fructum* 7, § 2, l. *Si ususfructus* 66, ff. *De jure dotium*, l. *Usufructu* 57, ff. *Soluto matrimonio*, l. *Si socrus* 18, et l. *Pro oneribus* 20, cod. *De jure dotium.* Et ratio clara est, quia ususfructus ipse potissimum potest deservire ad sustinenda onera matrimonii.

(24. Si uxor fuerit proprietaria, et dederit in dotem solum usumfructum, retenta sibi proprietate, soluto matrimonio, ille ususfructus immediate, et ipso jure redit ad uxorem tanquam dominam proprietatis. Colligitur clare ex citat. l. *Si ususfructus* 66, ff. *De jure dotium*, ubi dicitur, quod ususfructus concessus in dotem ab alio domino proprietatis, post divortium non revertatur ad uxorem, utpote non dominam proprietatis, sed ad ipsum dominum proprietatis : ergo cum in nostro casu ipsa uxor fuerit domina proprietatis, ususfructus, dissoluto matrimonio, illico revertitur ad ipsam, et consolidatur cum proprietate.

(25. Si vero illum usumfructum concesserit in dotem aliquis extraneus, sibi retenta proprietate non redit ipse, soluto matrimonio, ad uxorem, sed ad dictum proprietarium, textu expresso in lege citat. *Si ususfructus* 66, ff. *De jure dotium*. ibi : « Quoniam diximus usumfructum a fructuario cedi non posse, nisi domino proprietatis, et si extraneo cedatur, id est ei, qui proprietatem non habeat, nihil ad eum transire, sed ad dominum proprietatis reservatum usumfructum. »

(26. Quomodo autem in tali hypothesi sit consulendum eidem uxori, ne, post solutum matrimonium indotata remaneat, habetur in cit. l. *Ususfructus* 66, ff. *De jure dotium*, et in l. *Usufructu* 57, ff. *Soluto matrimonio*. Vide *ibi.*

(27. Usufructuarius fructus omnes ex re fructifera percipere potest, etiam pensiones, ac redditus ex ædificiis, ex areis, et hujusmodi, textu expresso in leg. *Usufructu legato* 7, ff. *De usufructu*, ibi : « Usufructu legato, omnis fructus rei ad fructuarium pertinet ; » et ibidem § 1, subjungitur : « Quicunque redditus est, ad usufructuarium pertinet, quæcunque obventiones sunt ex ædificiis, ex areis, et cæteris, quæcunque ædium sunt : » et concordat lex *Item* 9, ff. eodem, ibi : « Item si fundi ususfructus sit legatus, quidquid in fundo nascitur, quidquid inde percipi potest, ipsius fructus est. » Et idem habetur in l. *Arbores* 59, § 1, ff. eodem.

(28. Item si apes in eo fundo sint, ad usufructuarium pertinet earum fructus, textu expresso in citat. l. *Item*, § 1, ibi : « Et si apes in eo fundo sint, earum quoque ususfructus ad eum pertinet. »

(29. Item si in eo fundo sint lapidicinæ, cretifodinæ, arenifodinæ, et hujusmodi, potest usufructuarius eruere lapides, arenas, metalla, etc., ita tamen ut agriculturæ nihil obsit, textu expresso in citat. l. *Item*, § 2, ibi : « Sed et si lapidicinas habeat, et lapidem cedere velit, vel cretifodinas habeat, vel arenas, omnibus his usurum Sabinus ait quasi bonum patremfamilias ; quam sententiam puto veram. » Et ibidem, § 3, subditur : « Sed si hæc metalla post usumfructum legatum sint inventa, cum totius agri relinquatur ususfructus, non partium, contineantur legato : » et idem expressius habetur in l. *Si cujus rei* 13, § 5, ff. eod., ibi : « Inde quæsitum est, an lapidicinas, vel cretifodinas, vel arenifodinas ipse instituere possit. Ego vero puto etiam ipsum instituere posse, si non agri partem necessariam huic rei occupaturus est. Proinde venas quoque lapidicinarum, et hujusmodi metallorum, inquirere poterit... et cæterorum fodinas, vel quas paterfamilias instituit, exercere poterit, vel ipse instituere, si nihil agriculturæ nocebit. »

(30. Item ad usufructuarium spectat quoad usumfructum incrementum alluvionis, si sit latens. Si vero sit patens, ad dominum proprietarium, textu expresso in cit. l. *Item*, § 4, ibi : « Huic vicinus tractatus est, qui solet in eo, quod accessit, tractari, et placuit, alluvionis quoque usumfructum ad fructuarium pertinere. Sed si insula juxta fundum in flumine nata sit, ejus usumfructum ad fructuarium non pertinere Pegasius scribit ; licet proprietati accedat : esse enim

Digitized by Google

veluti proprium fundum, cujus ususfructus ad te non pertineat. Quæ sententia non est sine ratione, nam ubi latitat incrementum, et ususfructus augetur; ubi autem apparet separatum, fructuario non accedit. » *Vide* verb. Dominium, art. 3, num. 46, ad 50.

(31. Item ad usufructuarium spectant venationes et piscationes, textu expresso in cit. l. *Item*, § 5, ibi : « Aucupionum quoque, et venationum redditus Cassius ait, l. VIII *Juris civilis*, ad fructuarium pertinere; ergo et piscationum. »

(32. Usufructuarius potest fructus, vel utilitates rei fructiferæ alteri donare, locare, vendere, concedere etiam invito domino, seu proprietario rei; dummodo tamen ususfructus, seu ipsum jus percipiendi fructus semper maneat penes ipsum usufructuarium, cujus nomine alter fructus percipere potest. Sic habetur ex leg. *Arboribus* 12, § 2, ff. *De usufructu*, et de communi testantur Sporer tom. I, tract. 8, in *Complement. VII præcept. Decalog.*, cap. 1, sect. 1, numer. 22; Layman. lib. III, tract. 1, cap. 6, numer. 4, et alii.

(33. Notanter autem dicitur : *Dummodo tamen ususfructus, seu jus percipiendi fructus semper maneat penes ipsum usufructuarium*, etc., quia non potest ipsum usumfructum formalem transferre in alium extraneum a proprietario, ita ut ipse extraneus sit formaliter proprio nomine usufructuarius, per textum in § *Finitur autem* 3, instit. *De usufructu*, ibi : « Nam cedendo extraneo nihil agitur : » et in leg. *Si ususfructus* 66, De jure dotium, ibi : « Quoniam diximus usumfructum a fructuario cedi non posse, nisi domino proprietario, et si extraneo cedatur, idest, ei, qui proprietatem non habeat, nihil ad eum transire, sed ad dominum proprietatis reversurum usumfructum. »

(34. Usufructuarius tenetur rem proprietatis diligenter conservare, et ea tantum ratione uti, qua bonus, ac diligens aliquis paterfamilias propriis suis domesticis rebus uteretur : leg. *Sed cum fructuarius* 66, ff. *De usufructu*, ibi : « Debet enim omne quod diligens paterfamilias in domo sua facit, et ipse facere. » Nullimode enim potest ipsam rem proprietatis deteriorare, textu expresso in leg. *Si cujus rei* 13, § 4, ff. *De usufructu*, ibi : « Fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet, meliorem facere potest; » et patet ex ipsamet definitione ususfructus tradita supra num. 1, per præcisa hæc verba : « Ususfructus est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia, » l. *Ususfructus*, et instit. eod. tit.

(35. Unde non licet usufructuario arbores frugiferas succidere, neque villam in fundo diruere, nec quidquam facere in perniciem proprietatis, textu expresso, in leg. *Si cujus rei* 13, § 4, ff. *De usufructu*, ibi : « Non debet neque arbores frugiferas excidere, neque villam diruere, nec quidquam facere in perniciem proprietatis. »

(36. Item non licet immutare id, quod alicujus prædii decorandi causa, vel meræ voluptatis gratia positum est, sicque nequit cujusdam aditus arbores succidere sub prætextu pinguioris reditus promovendi, ibidem sementem frumenti faciendo, vel vineam instituendo, textu expresso in cit. leg. *Si cujus rei*, § 4, ibi : « Et si forte voluptarium fuit prædium, viridaria, vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosis opacas, atque amœnas habens, non debebit dejicere, ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quid, quod ad reditum spectet. »

(37. Potest tamen usufructuarius immutare alicujus fundi qualitatem, si ipsa decorandi prædii, vel voluptatis gratia non fuerit posita, et ex tali immutatione, v. g. de silva in vineam, in agrum, in pratum, et hujusmodi melioretur evidenter proprietas, textu expresso in cit. leg. *Si cujus rei*, § 5, ibi : « Et si forte in hoc, quod instituit, plus redditus sit, quam in vineis, vel arbustis, vel olivetis, quæ fuerunt, forsitan hæc dejicere poterit, siquidem ei permittitur meliorare proprietatem. »

(38. Quamvis usufructuarius non possit arbores fructiferas succidere, potest tamen eas, ac alias mortuas sibi applicare; dummodo totidem alias in earum locum substituat, textu expresso in leg. *Agri*, 18, ff. *De usufructu*, ibi : « Agri fructu legato in locum demortuarum arborum, aliæ substituendæ sunt, et priores ad fructuarium pertinent. »

(39. Si autem magna quantitas arborum ex silva vi ventorum, seu violento tempestatis impetu dejiciatur, tunc ipsæ arbores utpote notabiliter partem fundi efficientes, debentur proprietario suis sumptibus exportandæ sine ullo incommodo usufructuarii. Colligitur ex lege *Proculus* 19, § 1, ff. *De usufructu*, ibi : « Si arbores vento dejectas dominus non tollat, per quod incommodior (is) sit ususfructus, vel iter, suis actionibus usufructuario cum eo experiendum; » et concordat etiam l. *Arboribus evulsis* 12, ff. eod., ubi usufructuario conceditur solum facultas adhibendi ex dictis evulsis arboribus, quod ad refectionem ædificii usufructui obnoxii, et merum suum usum (si non habet unde utatur ligno) sunt necessariæ, ibi : « Arboribus evulsis, vel vi ventorum dejectis usque ad usum suum, et villæ posse usufructuarium ferre. Labeo ait : « Nec materia eum pro ligno usurum, si habeat, unde utatur ligno. » Quam sententiam puto veram, alioquin, et si totus ager sit hunc casum passus, omnes arbores auferret fructuarius; materiam tamen ipsum succidere, quantum ad villæ refectionem, putat posse. Quemadmodum calcem, inquit, coquere, vel arenam fodere, aliudve quid ædificio necessarium sumere. »

(40. Usufructuarius ædium, quamvis possit fenestras ad lumen necessarias aperire, colores, et picturas, et marmora immittere, et quidquid ad domus ornatum conducit, facere, non tamen potest dictas transformare, vel conjungere, aut separare, nec aditus, porticusve vertere, vel refugia aperire, vel atrium mutare, vel viridaria ad alium mo-

Digitized by Google

dum convertere; excolere enim, quod invenit, potest, qualitate ædium non immutata. Item nequit ædificium altius tollere, nec domum per cœnacula, et diversoria dividere, etc., textu expresso in cit. l. *Si cujus rei* 13, § 7 et 8, ff. *De usufructu*.

(41. Usufructuarius, cui legatus est ususfructus specialiter alicujus domus, si ipsa incendio casuali, vel alias consumpta fuerit, nequit sibi vindicare ligna, et cæmenta, quæ de eadem derelicta sunt, nec disponere potest de ipso solo, in quo domus erat constructa, textu expresso in l. *Quotiens* 34, § 2, ff. *De usufructu*, ibi : « Si ædes incensæ fuerint, ususfructus specialiter ædium legatus peti non potest ; » et concordat § *Finitur autem* 3, instit. *De usufructu*, ibi : « Eo amplius constat, si ædes incendio consumptæ fuerint, vel etiam terræmotu, vel vitio suo corruerint, exstingui usumfructum, et ne areæ quidem usumfructum deberi, » et l. *Repeti potest* 3, § 2, ff. *Quibus modis ususfructus amittitur*, ibi : « Certissimum est, exustis ædibus, nec areæ, nec cæmentorum usumfructum deberi. » Et ratio clara est, quia cum talis ususfructus sit specialiter constitutus in dicta domo, eo ipso, quod domus perit, ipse prorsus dissolvitur, neque ullum effectum consequitur, nec quantum ad ligna, ac cæmenta, nec quantum ad ipsum solum domus. Est enim, ut expresse habetur in l. *Est enim* 2, ff. *De usufructu*, ibi : « Est enim ususfructus jus in corpore, quo sublato, et ipsum tolli necesse esse. »

(42. Si autem ei legatus esset ususfructus universitatis bonorum, tunc usufructuarius posset jus suum vindicare tum in ipso solo, in quo constructa erat domus consumpta, tum etiam in ipsis lignis, ac cæmentis superstitibus tanquam in rebus, quæ venirent in partem prædictæ universitatis bonorum, textu expresso in cit. l. *Quotiens* 34, § 2, ff. *De usufructu*, ibi : « Si universorum bonorum, ac singularium rerum ususfructus legetur, hactenus interesse puto, quod si ædes incensæ fuerint, ususfructus specialiter ædium legatus peti non potest, bonorum autem usufructu legato, areæ ususfructus peti poterit, quoniam qui bonorum suorum usumfructum legat, non solum eorum, quæ in specie sunt, sed et substantiæ omnis usumfructum legare videtur, in substantia autem bonorum etiam area est. »

(43. Idem quoque dicendum est de usufructuario, cui legatus est ususfructus fundi ruralis, in quo constructa sit villa, seu domus, et ex aliquo casu destruatur ; tunc enim usufructuarius jus suum conservabit in ipsa area, quæ relinquetur, cum sit quædam quasi accessio, atque in partem veniat universi prædicti boni, textu expresso in l. *Fundi*, ff. *Quibus modis ususfructus amittitur*, ibi : « Fundi usufructu legato, si villa diruta sit, ususfructus non exstinguetur (quia villa fundi accessio est) non magis quam si arbores deciderint. » Et concordat l. *Sed et eo* 9, ff. eod., ibi : « Sed et eo quoque solo, in quo fuit villa, uti, frui potero. »

(44. Usufructuarius tenetur suis sumptibus ædificia reficere quoad usque sarta tecta habeat : at vero si qua vetustate corruerent, non teneretur ille suis impensis reficere. Imo si quid ultra quam impendi debeat, impenderit, poterit illud juridice a proprietario repetere, l. *Usufructu* 7, § 2, ff. *De usufructu*, ibi ; « Quoniam igitur omnis fructus rei ad eum pertinet, reficere quoque eum ædes per arbitrum cogi Celsus scribit lib. XVIII *Digestorum*. Hactenus tamen ut sarta tecta habeant. Si qua tamen vetustate corruissent, neutrum cogi reficere. » Et l. *Eum ad quem* 7, cod. *De usufructu et habitatione*, ibi : « Eum ad quem ususfructus pertinet, sarta tecta suis sumptibus præstare debere, explorati juris est. Proinde si quid ultra quam impendi debeat, erogatum potes docere, solemniter reposces. »

(45. Usufructuarius, cui legatus est ususfructus gregis, v. g. mille vervecum ad certum tempus, tenetur dicto tempore elapso eumdem vervecum numerum proprietario consignare, et in locum capitum defunctorum alia capita supplere, textu expresso in l. *Vetus fuit* 68, ff. *De usufructu*, ibi : « Plane si gregis, vel armenti sit ususfructus legatus, debebit ex adgnatis gregem supplere, id est in locum capitum defunctorum. » Et concordat l. *Quid ergo* 7, § 2, ff. eod., ibi : « Si decesserit fetus, periculum erit fructuarii, non proprietarii, et necesse habebit alios fetus submittere. Unde Caius Cassius lib. VIII, scribit, carnem fetus demortui ad fructuarium pertinere. »

(46. Si vero ususfructus totus esset constitus in quibusdam solis singularibus animalibus, quæ non possent alia producere, ut muli, seu in uno duntaxat equo, tunc usufructuarius teneretur solum ad reddendum, quod elapso tali tempore superstes adesset, nec obligaretur ad id, quod citra illius culpam interiisset, supplendum, cit. l. *Quid ergo*, § 3, ibi : « Sed quod dicitur debere eum submittere, toties verum est, quoties gregis, vel armenti, vel equitis, id est universitatis ususfructus legatus est. Cæterum singulorum capitum nihil supplebit. »

(47. Usufructuarius incipit usum capere a momento, quo testator mortuus est. Unde si testator reliquerit pendentes fructus jam maturos, eos percipit usufructuarius, textu expresso in l. *Si pendentes* 27, ff. *De usufructu*, ibi : « Si pendentes fructus jam maturos reliquisset testator, fructuarius eos feret, si die legati cedente adhuc pendentes deprehendisset, nam et stantes fructus ad fructuarium pertinent. »

(48. Ad usufructuarii hæredes spectant ligna reperta jam succisa in sylva cædua, sicuti et frumenta jam demessa, ac alia hujusmodi jam succisa, et adhuc in fundo ususfructus exsistentia. Ad proprietarium autem spectant solum ea quæ adhuc remanent succidenda, vel demetenda die decessus ipsius usufructuarii, textu expresso in

Digitized by Google

l. *Si fructuarius* 13, ff. *Quibus modis fructus amittitur*, ibi : « Si fructuarius messes fecit, et decessit, stipulam, quæ in messe jacet, hæredis ejus esse. Labeo ait : Spicam, quæ terra teneatur, domini fundi esse, fructumque percipi, spica, aut feno cæso, aut uva edempta, aut excussa olea ; quamvis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta sit. Sed ut verum est, quod de olea excussa scripsit, ita aliter observandum de ea olea, quæ per se decideriit. Julianus ait : Fructuarii fructus tunc fieri, cum eos perceperit, bonæ fidei autem possessoris mox quam a solo separati sint. » Et concordat l. *In singulos* 8, ff. *De annuis legatis*, ibi : « Cum fructuarius etiamsi maturis fructibus, nondum tamen perceptis, hæredi suo eos fructus non relinquet. »

(49. Si ususfructus sit relictus pluribus usufructuariis conjunctim, uno eorum decedente, ejus portio accrescit aliis, et non revertitur ad proprietarium, textu expresso in l. *Quoties* 1, ff. *De usufructu accrescendo*, ibi : « Quoties ususfructus legatus est, ita inter fructuarios est jus accrescendi, si conjunctim sit ususfructus relictus. » Et concordat l. *Si mulieri* 8, ff. eod., ibi : « Si mulieri cum liberis suis ususfructus legatur, amissis liberis, ea usumfructum habet, sed et matre mortua, liberi ejus nihilominus habent jura accrescendi. » E contra autem si ususfructus sit relictus pluribus non conjunctim, sed separatim, assignata cuique sua distincta portione, textu expresso in cit. l. *Quoties*, ibi : « Cæterum si separatim unicuique partis rei ususfructus sit relictus, sine dubio jus accrescendi cessat. »

(50. Usufructuarii hæres non tenetur restituere proprietario fructus, quos defunctus collegerat, antequam essent maturi, textu expresso in l. *Si absente* 48, § 1, ff. *De usufructu*, ibi : « Silvam cæduam, etiamsi intempestive cæsa sit, in fructu esse constat, sicut olea immatura lecta. Item fenum immaturum cæsum in fructu est. » Et concordat l. *In fructu* 43, ff. *De usu et usufructu*, ibi : « In fructu id esse intelligitur, quod ad usum hominis inductum est ; neque enim maturitas naturalis hic spectanda est, sed id tempus, quod magis colono, dominove cum fructum tollere expedit. »

(51. Usufructuarius potest interrumpere locationem factam a proprietario, textu expresso in l. *Arbores* 59, § 1, *De usufructu*, ibi : « Quidquid in fundo nascitur, quidquid inde percipitur, ad fructuarium pertinet, pensiones quoque jam antea locatorum agrorum, si ipsæ quoque specialiter comprehensæ sint, sed et ad exemplum venditionis nisi fuerint specialiter exceptæ, potest usufructuarius conductorem expellere. »

(52. Hæres, seu legatarius testatoris tenetur præstare usufructuario viam, et transitum necessarium ad utendum suo usufructu, textu expresso in l. *In fundo* 1, § 1, ff. *Si ususfructus petatur*, ibi : « Ususfructus legatus adminiculis eget, sine quibus uti, frui non potest, et ideo si ususfructus legetur, necesse est tamen, ut sequatur eum aditus. » Et *ibidem*, § 2, subjungitur : « Sed si ususfructus sit legatus, ad quem aditus non est per hæreditarium fundum, ex testamento utique agendo fructuarius consequetur, ut cum aditu sibi præstetur ususfructus. » Et *ibidem*, § 2, additur : « Utrum autem aditus tantum, et iter, an vero et via debeatur fructuario, legato ei usufructu, Pomponius l. v, dubitat ; et recte putat, prout ususfructus perceptio desiderat, hoc ei præstandum. » Et concordat l. *Damna* 15, § 1, ff. *De usu et usufructu*, ibi : « Si fructuarius ad fundum, aliunde viam non habeat quam per illum fundum, qui legatus est, an fructuario servitus debeatur ? Respondit : Quemadmodum si in hæreditate esset fundus, per quem fructuario potest præstari via, secundum voluntatem defuncti videtur id exigere ab hærede ; ita et in hac specie non aliter concedendum esse legatario fundum vindicare, nisi prius jus transeundi usufructuario præstet. »

(53. Usufructuarius tenetur ad sustinenda, et solvenda omnia onera rerum, quarum usufructu gaudet, uti sunt tributa publica, vectigalia, census, pensiones, omnesque aliæ obligationes, etiamsi prædicta omnia post institutum usumfructum supervenissent. *Communis*. per textum expressum in l. *Si pendentes* 27, § 3 et 4, ff. *De usufructu*, et l. *Quæro* 18, ff. *De usu et usufructu*. Et ratio clara est, quia secundum naturam est, quod qui sentit commodum, sentiat et onus, per text. in l. *Secundum naturam* 10, ff. *De regul. juris*, et cap. *Qui sentit* 55, De regulis juris in 6.

(54. Dominus, seu proprietarius nihil potest nec addere, nec minuere, aut mutare in locis, aut in rebus obnoxiis usufructui, id est neque inutile aliquod ædificium demoliri, aut altius tollere, aut sylvam quamdam excidere, nisi de consensu expresso usufructuarii, etiamsi per id fundus ususfructus redderetur evidenter melior : *Communis*, per textus expressos in variis legibus, et signanter in l. *Usufructu legato* 7, § 1, ff. *De usufructu*, l. *Sed si is*, § 7, ff. eod., l. *Si ab hærede* 2, ff. *Si ususfructus petatur*.

(55. Dominus, seu proprietarius, aut quis alius, ad quem spectat fundus ususfructus, de jure potest exigere ab usufructuario quascunque cautiones necessarias ad conservationem prædicti fundi, et integram restitutionem finito tempore ususfructus, et usufructuarius tenetur dictas cautiones ei præstare, nisi vi tituli sui ab hoc onere eximatur : *Communis*, per claros textus in l. *Si cujus rei* 14, ff. *De usufructu*, l. *Si cujus* 1, ff. *Usufructuarius quemadmodum caveat*, l. *De dic.* 8 § 4, ff. *Qui satis dare coguntur*, l. *Si ususfructus* 1, et l. *Usufructu* 4, cod. *De usufructu*, cum similibus.

(56. Et a fortiori idonea cautio exigi potest, et præstari debet in quasi usufructu earum rerum, quæ usu consumuntur, ut expresse habetur in l. *Sed de pecunia* 2, l. *Ergo cautio* 4, l. *Hoc senatus consultum* 6, l. *Si tibi* 6, l. *Si vini, olei* 7, l. *Tribus* 8, ff.

Digitized by Google

De usufructu earum rerum quæ usu consumuntur, et in c. *Dum constat* 8, De pignoribus. Quamvis enim in rebus usu consumptibilibus (uti sunt vinum, frumentum, oleum, vestimenta, quibus proxima est pecunia numerata, namque ipso usu assidua permutatione quodammodo exstinguitur, ut expresse habetur in § *Constituitur* 2, instit. *De usufructu*, et consumitur, si non in sua entitate, saltem in dominio) non possit proprie constitui ususfructus cum sit impossibilis earum usus, salva manente rei substantia, ex quo talis usus in consumptione consistat: quasi usumfructum tamen etiam in his constitui posse utilitatis gratia statutum est in l. *Senatus censuit* 1, et l. *Sed de pecunia* 2, cum aliis tot. tit. ff. *De usufructu earum rerum, quæ usu consumuntur*, et cit. § *Constituitur* 2, instit. *De usufructu*. Ea tamen conditione, ut si legetur alicui ususfructus omnium bonorum, aut quorumdam, quæ usu consumuntur, bona usu consumptibilia tradantur æstimata, et acquiratur ab usufructuario eorum dominium cum obligatione reddendi æstimationem, transacto tempore ususfructus, præstita ad id idonea cautione, ut patet in supra citatis juribus. *Vide* verb. DOMINIUM, art. 1, n. 13 et 14.

(57. Ususfructus finitur variis modis. Primo cessione mutua, utpote si aut usufructuarius cedat usumfructum proprietario, aut proprietarius proprietatem rei transferat in usufructuarium, textu expresso in § *Finitur* 2, instit. *De usufructu*, ibi : « Item finitur ususfructus si domino proprietatis usufructuario cedatur, vel ex contrario si usufructuarius proprietatem rei acquisierit, quæ res consolidatio appellatur. »

(58. Secundo finitur ususfructus, si res usuifructui obnoxia tota pereat, v. g. tota domus sit casuali incendio combusta, et hujusmodi : tunc enim non remanet ususfructus, nec quantum ad locum, in quo ipsa domus constructa erat, nec quantum ad ligna, et cæmenta aliasque res, ex quibus erat composita; l. *Quoties* 34, § 2, ff. *De usufructu*, l. *Repeti potest* 5, § 2, ff. *Quibus modis ususfructus amittitur*, et § *Finitur autem* 3, instit. *De usufructu*, cum similibus. Vide *supra*, n. 41, 42 et 43 et observa ut ibi.

(59. Tertio finitur ususfructus conditionis eventu, quando jus usufructu fruendi intra limites illius conditionis totum continetur, textu expresso in l. *Si sub conditione* 16, ff. *Quibus modis ususfructus, vel usus amittitur*, ibi : « Si sub conditione mihi legatus sit usus, medioque tempore sit penes hæredem, potest hæres usumfructum alii legare. Quæ res facit, ut si conditio exstiterit mei legati, ususfructus ab hærede relictus finiatur. »

(60. Quarto finitur, cum finitum est tempus, ad quod ususfructus alteri legatus, seu concessus est l. *Ambiguitatem* 12, cod. *De usufructu*, l. *Sicut in annos* 3, ff. *Quibus modis ususfructus, vel usus amittitur*, cum similibus.

(61. Quinto finitur, cum testator rem usuifructui obnoxiam in testamento relictam ante mortem nihil quidquam mutato suo testamento immutat, ut si alicui reliquerit usumfructum certi agri, et postea ipsum agrum in ædificium immutet, seu in eo ædificium construat, et hujusmodi : tunc enim talis immutatio aperte designat ipsius voluntatis immutationem, et legatum proinde penitus exstinguit, cum legatum illud totum pertineret ad agrum, qui non amplius exstat. Sic expresse habetur in l. *Repeti* 5, § 3, ff. *Quibus modis ususfructus, vel usus amittitur*, ibi : « Si areæ sit ususfructus legatus, et in ea ædificium sit positum, rem mutari, et usumfructum exstingui constat. » Et concordat l. *Quid tamen* 10, § 4, ff. eod. ibi : « Certæ silvæ usufructu legato, si silva cæsa, illic sationes fuerint factæ, sine dubio ususfructus exstinguitur. »

(62. Sexto finitur morte, tum naturali, tum civili usufructuarii : *Communis*, per text. in § *Finitur autem* 3, instit. *De usufructu*, l. *Si cui* 3, § 3, ff. *Quibus modis ususfructus, vel usus amittitur*, l. *Si patri* 2, et l. *Corruptionem ususfructus* 16, § 1 et 2 *De usufructu et habitatione*, cum similibus.

(63. Si usufructuarius fiat religiosus, et professionem emittat in religione incapaci bonorum stabilium in communi, tunc ususfructus exstinguitur, et consolidatur cum proprietate domini. Sic communis DD. sententia cum Layman, l. III, tract. 1, cap. 6, num. 6, vers. *Dico secundo*; Sporer, *loco cit.*, num. 44; Sanchez, lib. VII *Moral*, c. 13, n. 53; Azor., tom. II, lib. II, c. 22, q. 4; Molina, tom. I, tract. 2, disp. 9, et aliis. Et ratio est, quia ususfructus est jus personale, quod una cum persona exstinguitur, sive per mortem naturalem, sive per mortem civilem, qua persona fiat omnino incapax ususfructus, arg. § *Finitur* 3, instit. *De usufructu*. Atqui per professionem in religione incapaci bonorum stabilium in communi, persona professa fit omnino incapax ususfructus tam in propria persona, quam in communi, ut de se patet; ergo, etc.

(64. Si autem usufructuarius fiat religiosus, et professionem emittat in monasterio capaci bonorum stabilium in communi, tunc ususfructus devolvitur ad monasterium, quo contemplatione monachi frui poterit, quandiu is vivit. Sic tenent Sanchez, *loco cit.*, num. 47; Sporer, *loc. cit.*, n. 24; Layman, *loc. cit.*, vers. *Sed de aliis*; Molina, *loco cit.*, disp. 9, et alii passim, art. authent. *Ingressi*, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*. Et ratio est, quia per professionem in monasterio capaci bonorum stabilium persona retinet adhuc capacitatem ususfructus pro monasterio, cum in cit. authent. *Ingressi*, et authent. *De monachis*, § *Illud quoque* expresse dicatur, quod bona una cum persona, seu tanquam accessoria personæ tradi debeant monasterio.

Alia ad rem, *Vide* verb. BONA, DOMINIUM, MARITUS, MELIORAMENTA, PATER, UXOR.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(65. Posse patri in bonis adventitiis filii

Digitized by Google

prohiberi usumfructum, res est incontroversa. An autem sufficiat tacita prohibitio, et ex quibus colligi queat? *Vide*, si lubet, Andreol., controvers. 224, num. 3; cardinal. de Luc. *De servitut.*, discurs. 60, n. 2; Pasqual., *De patr. potest.*, part. I, cap. 3, n. 38; Castill., *De usufruct.*, cap. 3, n. 56 et seq.

(66. Hic vero expendendum est, an prohibito usufructu patri, nihilominus competat ei administratio horum bonorum, si filius ætatis defectu laboret? A Justiniano in Novell. 117, c. 1, § 1, constitutum est, quod testatori, vel donatori liceat destinare administratorem, et hac destinatione non facta, judici deferatur potestas administrationem destinandi. Sed in controversia remanet, an non huic curatori judiciali præferendus sit pater?

(67. Nihil sane de eo disposuit Justinianus, qui fortassis prævidit, patrem, adempto sibi usufructu, onus administrationis sponte declinaturum. Interim si pater velit administrare, hunc admittendum esse reor, cum satis sit quod remotus a lege haud sit, nec privatio usufructus privationem contineat administrationis, ad text. in leg., fin., § 1, cod. *De bon. quæ liberis.*

(68. Aliud vero erit, si testator patri administrationem quoque ademisset, ut firmant Hartman, Pistor., lib. IV, quæst 11, n. 13; Carpzov. *Jurisprud. forens.*, part. II, constitut. 16, defin. 11. Adde Castill., *De usufructu*, cap. 3, n. 59, et sequent.

UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.

Ex lib. III *Decretal.*, tit 12.

Commentarius et novus articulus editorum Casinensium.

(1. Cum beneficium detur *propter officium*, æquum profecto est, ut ubi transit ad successorem officium, et hujus obligatio, etiam beneficium, seu jus percipiendi redditus ecclesiasticos integre, et sine diminutione transeat; alias periculum foret, ne, his reservatis, aut diminutis, vel nullus idoneus inveniatur, qui onus, et officium beneficio sic diminuto adhærens acceptare vellet; vel si qui acceptarent, in ministerio ecclesiastico negligentius agerent. Hinc jure merito generalis regula traditur sub titul. cit. *Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.*

(2. Porro diminutio beneficiorum ecclesiasticorum sex præcipue modis fieri potest; nempe per *divisionem*, per *dismembrationem*, per *suppressionem*, per *unionem*, per *reservationem pensionis*, per *novi oneris impositionem*. De primis quinque actum est sub verb. DISMEMBRATIO, UNIO BENEFICIORUM, PENSIO: de impositione novi oneris hic aliquando fusius agendum.

(3. Et quidem impositioni novi oneris locus fit, quoties episcopus beneficiatum aliquo onere *reali*, vel *personali* gravare, aut partem reddituum beneficii sibi reservare præsumit. Et tale onus reale imponeretur obligando v g. beneficiatum, ut certam partem fructuum quotannis solvere, vel aliquid quidpiam pro semel, et semper præstare teneatur. Personale vero onus imponeretur, obligando v. g. beneficiatum, ut deinceps sacram Scripturam legat, catechesim habeat, plures Missas celebret ac antea fuerant præscriptæ, vel ut choro assistat, aut aliud hujusmodi præstet, quod ante hac non fuerat beneficio annexum.

(4. Jam vero omnino illicitum, atque prohibitum est beneficium conferre cum diminutione per novi oneris impositionem. Ita certa, et communis omnium, atque patet ex c unic. § *Omnibus ergo* hujus tit. juncto cap. *Prohibemus* 7, De censibus, ubi concil. Lateranense sub Alexandro III celebratum sic decrevisse legitur: « Prohibemus insuper, ne ab abbatibus, episcopis, vel aliis prælatis novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem fructuum suis usibus appropriare præsumant... Si quis vero aliter fecerit, irritum quod egerit habeatur. » Neque alia fuit mens Tridentini, prout ex cap. 5, sess. XXV, *De reformat.* liquido patet.

(5. « Unde beneficiati non sunt cogendi ad sustinenda onera, quæ in fundatione, vel institutione, aut statutis non reperiuntur, vel ad quæ ex antiquissima consuetudine non tenentur, prout refert decisum *in una Cremonen. Aldan.* » apud Barbosam *in Trident.*, cap. 5, sess. XXV *De reformat.*, n. 7.

(6. Atque id tantum juris fundamentum habet, ut nec equidem ex conjecturis, et *interpretative* argui possit de mente fundatorum pro novis oneribus imponendis, quemadmodum decrevit sacra congreg. Concil. apud Fagnanum ad cap. *Significatum*, De præbend., n. 5, in hæc verba:

« Cum episcopus Asculanus imposuisset onus paucæ eleemosynæ cuidam prioratui, quod est beneficium simplex, pro Missis bis in hebdomada celebrandis in cathedrali ecclesia; idque quia licet dictus prioratus actu ecclesiam non haberet cum tamen haberet redditus, et adessent vestigia veteris ecclesiæ, non erat verisimile, illam sine onere Missarum celebrandarum erectam fuisse, Congr. consulta, an id potuisset episcopus, respondit, nullum onus novum imponendum ex conjecturis verisimilibus. » Atque ita communiter DD. tenent; adeoque concludat de Fargna: « Episcopus neque ex verisimilibus conjecturis novum onus beneficiis imponere valet. » *De jurepatr.*, part. V, can. 11, cas. 1, n. 5.

(7. Imo etiamsi capellani, et beneficiati pro tempore novis oneribus hujusmodi per ordinarium impositis se submisissent, non exinde eorum successores obligati forent ad talia onera præstanda, ut sæpius censuit sancta congregat. Concil. *in Sarnen.*, Jul. 1690, et *in Asten.*, 14 Febr. 1699; apud Monacell. *Formul. pract.*, tom. III, part. III, tit. 2, form. 7, n. 21, p. 205. Quod idem tenuit non semel Rota apud de Fargna, *oper. cit.*, part. II, can. 27, cas. 4, n. 3 et seqq., per hæc verba: « Imo idem capellanus, aut beneficiatus non teneretur oneribus, et con-

Digitized by Google

ditionibus de novo super impositis satisfacere, etiamsi hæc in antecedentibus vacationibus fuissent ab ejus antecessoribus acceptata; quia isti jus non habebant obligandi se suosque successores, eisque irrogandi ullum præjudicium, Rota, decis. 452, n. 85, *coram Bichio*, decis. 494, n. 13, part. XVIII, tom. II recent. »

(8. Hinc porro est, ut ex mente sanctæ congr. Concilii ordinarius nec possit obligare capellanum ad celebrandum quibusdam statis diebus, aut quadam determinata hora, si id ex fundatione non constet, quemadmodum refert cit. Monacell. per sequentia verba : « Neque ab episcopo cogi possunt capellani, sed tantum hortari ad celebrandum certis diebus, et horis in cathedrali, in qua reperiuntur capellaniæ, si in fundatione hoc eis non reperiatur injunctum, sancta congregat. Concil., *in Pisauren.*, 6. Apr. 1647. » Tom. II. tit. 13, form. 2, n. 56, pag. 85.

(9. Quinimo « cum beatæ memoriæ cardinalis Borromæus vellet cogere obtinentes simplicia beneficia in parochialibus, ut per se, vel per substitutos deservirent, congregatio ab eo consulta respondit, non esse cogendos ad aliud, quam ad dicendas horas canonicas, nec teneri, si beneficia simplicia sint, deservire per se, nec per substitutum. » Apud Fagnan., ad cit. cap. *Significatum*, De præbend., n. 4.

(10. Ut merito concludat idem Monacellus : « ... Onera regulanda et implenda erunt juxta legem præscriptam in fundatione, quam ordinarius alterare non potest, nec beneficiato nova addere onera, etiam si patronus, seu exsecutor testamentarius consensum daret, ut pluries respondit præd. sac. congregat. Concil. et præcipue *in Ariminen.*, 23 Aprilis 1589; *in Comen.*, 25 *Martii* 1689; *in Sarnen.*, 3. Jul. 1690; *et in Asten.*, 14 Febr. 1699, quæ conclusio procedit etiam in collegiata ecclesia, canonicis cujus non potest episcopus onera addere præter in erectione demandata, ead. congreg. Conc., 17 April. 1603 : — tom. II, tit. 15, form. 1, n. 29, pag. 204 (155).

(11. Unde si de beneficiis juris patronatus agatur, apud DD. sententia est, quod « leges, conditiones, seu qualitates in limine fundationis appositas non potest patronus hæres, sive fundatoris successor alterare, aut eisdem derogare etiam cum consensu episcopi. Ita conformiter concil. *Trid.*, sess. XXV, cap. 5; cardinalis de Lucas, *De benefic.*, disc. 96, n. 6 et 7, citans Rotam *in Alexandrina decanatus*, 13 Junii 1598, *coram Orano*; et aliam Rotam, decis. 496, n. 9, part. I. recent.; Pyrrus Corradus, in *Prax. benefic.*, lib. II, cap. 10, n. 145 et seqq., ubi, sub n. 152 refert declarationem sacræ congregationis Concil. quæ cum inter alia interrogaretur : « An de consensu patroni possit dispensari cum minore viginti quinque annorum ad capellaniam simplicem obtinendam, ad quam ex fundatione est præsentandus sacerdos; » respondit : « *Ad quartum* : Hanc dispensandi facultatem episcopis post concilium non competere. » Concordat Fagnanus, in c. *Conquerente*, n. 24, *De cleric. non resident.*, pariter asserens, sacr. Congregationem censuisse; quod hodie ex decreto concil. *Trident.*, cit. sess. XXV, cap. 5, non sit in facultate ordinarii derogare qualitatibus in fundatione appositis, etiam de consensu patronorum. » Hæc Reiffenst., ad tit. *De præbend.*, § 4, n. 111.

(12. Additur notanter, *patronus* hæres, *seu fundatoris successor*; nam, quod patronus fundator adhuc vivens, ex justa causa, et cum consensu episcopi possit tollere, seu alterare conditiones, sive qualitates tempore fundationis appositas etiam ex post facto, censet Garcias, *De benefic.*, part. VII, cap. 1, n. 103, ibi : « De patrono fundatore clarum videtur posse tollere, et alterare conditiones, seu qualitates tempore fundationis appositas, etiam ex post facto cum consensu episcopi, uti volunt DD. » Atque hæc sententia tenenda, quamvis oppositum tueatur Pyrrus Corradus, *loc. cit.*, n. 137, « quia, inquit, concil. Trident. ac declarationes sacr. Congregationis non distinguunt inter patronum viventem, et defunctum, eo præsertim, quia per fundationem ab episcopo

(155) Clariss. Pirhing., ad tit. *De præbend.*, § 5, n. 66, in eam ivit sententiam, quod « potest episcopus cum consensu capituli sui, ex causa rationabili, onus aliquod spirituale licitum et honestum imponere beneficio, dum vacat, antequam alicui conferatur, ita ut tale beneficium ad quemcunque possessorem cum eo onere transeat, v. g. ut beneficiatus deinceps docere debeat sac. Scripturam, vel catechesim; idque sumitur ex cap. *Significatum*, De præb., ubi præpositus, et capitul. Ecclesiæ Insulanæ cuidam sacerdoti præbendam contulerat, cum eo onere, ut missam de B. Virgine quotidie celebraret, nisi corporis infirmitate gravatus esset. » Ita pariter tenet Azorius apud Leurenium, *For. benefic.*, part. I, quæst. 31, ubi sic is concludit : « In specie posse episcopum cum capituli sui consensu ex rationabili causa, dum vacat beneficium, ei adjungere onus, v. g. ut deinceps illud obtinens doceat Scripturam, vel catechesim. Item licet capellania ex prima fundatione unius tantum in hebdomada, aut duarum missarum onus habeat, ex justa causa, aut necessitate posse ab episcopo augeri hunc numerum Missarum, si nimirum redditus sufficiant, et Ecclesia frequentiori sacrificio egeat. Quod si tamen beneficium sit juris patronatus, adhibendum consensum patroni, qui illum rationabiliter negare non potest, ubi adest talis causa, vel necessitas. » Et idem scriptor, *ibid.*, part. II, quæst. 776, n. 2, sic habet : « Tradit Layman... posse episcopum ex rationabili causa beneficio, dum vacat, adjicere novum opus, v. g. ut beneficiatus deinceps habeat catechismum, ut capellania ex prima fundatione habens onus legendæ hebdomadatim unum tantum, vel duo sacra, dein habeat onus legendi plura sacra, si tamen redditus sufficiant, et Ecclesia indigeat frequentiori sacrificio... Verum (concludit Leuren.) hæc impositio oneris... ante collationem beneficii, seu antequam alicui conferatur facienda. » — Sed ex tot sanctæ congr. Concil. declarationibus hic supra allatis, et ex ipso textu *Trident.* sess. XXV, cap. 5, rectius tenendum est, episcopos id efficere non posse; sed in hoc, vel illo casu apostolicam Sedem pro beneplacito esse adeundam.

Digitized by Google

authenticatam, jam jus est Ecclesiæ acquisitum ; quod proinde ex post facto non amplius potest fundator eidem auferre, minuere, aut per novas conditiones infringere. » Et hæc posterior sententia, ut ait Reiffenst., *l. c.*, n. 113, « locum habere videtur, quando patronus ex intervallo vellet qualitates fundationis mutare in præjudicium Ecclesiæ, aut in præjudicium tertii tollendo jus quæsitum, » ut post Rotam decis. 137, n. 7 et seqq. part. LXXII recent., habet de Luca disc. 30, *De jurepatr.* 16, et disc. 16, eod. n. 2 et seq.; alioquin secus (156).

(13. Quæritur : utrum episcopus, vel alius collator possit redditus vacantis beneficii sibi reservare? « Respondeo *negative*, quinimo istud foret novum onus imponere beneficio, illudque diminuere. Ratio clara est, quia bona a mortuis Ecclesiarum rectoribus derelicta, seu tempore vacationis beneficiorum obvenientia, vel in utilitatem eorumdem expendi, vel futuris debent successoribus fideliter conservari, prout habetur cap. *Præsenti* 9, De offic. ordin., in 6. Atque jam ab antiquo statutum fuerat, can. *Quoniam quidam*, dist. 75, et cap. *Cum vos*, 4, De offic. ordin., ubi ideirco jubetur poni œconomus, qui vacante ecclesia, seu beneficio, fructus ipsius colligat, et eos aut in opus ecclesiarum, earumque utilitatem expendat, aut futuris successoribus fideliter reservet. Atqui istud non fieret, si episcopus, vel alius collator beneficiorum, horum fructus, seu redditus occupare, aut in suos usus convertere quoquomodo præsumeret, quod proinde in prælegatis sacris canonibus gravissime prohibitum fuit....

« Additur tamen in cit. c. *Præsenti* 9, De offic. ordinar. in 6, notabilis limitatio præmissorum, illis verbis : « Nisi de speciali privilegio, vel consuetudine jam præscripta legitime, seu alia causa rationabili (puta quia in limine fundationis concessum fuit) hoc eisdem competere dignoscatur, nempe episcopis, abbatibus, » etc.; quanquam etiam in hoc casu non sit licitum occupare quæcunque bona morientium rectorum, aut tempore vacationis beneficiorum obvenientia, sed illa solum, quæ supersunt, solutis debitis, atque ministrorum salariis, et hujusmodi, ut in cit. cap. *Præsenti* subjungitur ». Ita Reiffenst. ad tit. de quo supra, *Ut ecclesiastica benefic.*, etc., n. 8 et seq.

(14. Amplius : « Potest episcopus cum capitulo suo constituere, ut proventus beneficiorum vacantium retineantur ad tempus pro causa justa et necessaria. Ita textus in c. unic. h. t., § ult., et Gloss. fin. *ibid.*, et Innoc., Abbas, aliique passim, qui istud exemplificant in casu debitorum nomine Ecclesiæ contractorum, pro quorum solutione aliunde media non suppetunt, arg. cap. penult. *De verb. significat.*, ubi Papa pro exoneratione talium debitorum cuipiam episcopo indulsit, ut fructus beneficiorum in sua diœcesi vacantium biennio retinere posset, et hoc ipsum intelligi debet de cæteris Ecclesiæ necessitatibus, aliisque causis justis ac necessariis. » Reiffenst., *ibid.*, n. 10 (157).

(15. Item quæritur : Utrum a noviter receptis, seu admissis ad possessionem canonicatus, seu alterius beneficii, possit aliquid exigi, saltem exsistente statuto, vel consuetudine longæva? Respondetur a noviter recepto, seu admisso ad possessionem eccle-

(156) Ex sententia Schmalzgrueberi « Episcopus non potest qualitates, seu conditiones beneficii in prima fundatione appositas, etiam cum consensu patroni successoris mutare : intellige in totum, et in perpetuum, ac sine rationabili causa ; nam ex justa causa cum consensu successoris patroni voluntatem fundatoris per epikeiam interpretari, et interdum etiam pro una, et altera vice dispensare, et sic facere mutationem aliquam, quoad unam, vel alteram conditionem in prima fundatione appositam, potest ut contra Garciam probabiliter docet Layman. Ita Schmalzgrueber ad tit. *De jurepatr.*, n. 259. Sed ex iis, quæ hic supra dicta sunt, opinio Garciæ, quam vulgo DD. tenent, juris principiis magis suffulta videtur.

(157) « Si episcopus cum consensu capituli, non ex pacto, sed per auctoritatem, et potestatem suam ordinariam partem aliquam redditnum beneficii vacantis ob justam, et necessariam causam subtrahat, sibique ad tempus reservet, etiamsi id in ipsius episcopi conferentis commodum aliquo modo cedat ; v. g. ad solvenda debita episcopatus contracta nomine Ecclesiæ, et non suo privato nomine, id per se suapte natura Simoniacum non est. » Pirhing, ad tit., ut supra, *Ut ecclesiastica beneficia*, etc., num. 2. Eadem in terminis docet Leurenius, *For. benefic.*, part. II, quæst. 776, num. 2, ibi :

« De cætero non prohibetur episcopus, non quidem qua collator, sed potius qua judex ecclesiasticus, seu qua episcopus, non ex pacto, sed per auctoritatem suam ordinariam, quandoque ob rationabilem causam necessitatis hujusmodi aliquid imponere beneficio, v. g. pensionem jam impositam augendo, præsertim ubi majores nunc quam antea fructus ex beneficio proveniant... aut partem aliquam redditnum beneficii vacantis subtrahere, et ad causam piam, v. g. fabricam Ecclesiæ applicare, sibique ad tempus reservare, etiamsi id in ipsius episcopi conferentis commodum aliquo modo cedat, v. g. ad solvenda debita episcopatus contracta nomine Ecclesiæ, et non suo privato nomine, vel pro sua sustentatione. Quin (prosequitur Leuren) et in quibusdam Germaniæ locis, seu Ecclesiis vigere consuetudinem, ut ex beneficiis, v. g. parochialibus loco primorum fructuum, seu nomine annalis detur aliquid ad episcopales proventus augendos ; testatur Layman, ad cap. un. h. tit. *Ecclesiastica beneficia*, » etc.

Audiamus insuper Engel in hæc verba : « Poterit episcopus fructus beneficii vacantis pro utilitate Ecclesiæ expendere, vel pro solutione debitorum nomine ecclesiæ etiam cathedralis (non vero nomine proprio, nisi pro necessaria sui sustentatione) contractorum, vel ad aliam piam causam applicare... Sed hæc fructuum reservatio fieri debet ante, vel cum collatione beneficii : post collationem autem semel libere factam, sine consensu beneficiati recte non fieret, quia in jure quæsito alicui præjudicari regulariter non potest. Unde si causa aliqua necessaria urgeat episcopum ad conquærendam pecuniam, et nullum beneficium vacet, vel vacantium beneficiorum redditus sufficientes non sint, tunc ab omnibus clericis sibi subditis *charitativum subsidium exigere poterit.* » Ad tit. citat. *Ut ecclesiastica beneficia*, etc., n. 5.

Digitized by Google

siæ cathedralis, canonicatuum, vel aliorum beneficiorum nihil potest exigi, nec aliqua proventuum, seu fructuum deductio fieri, aut aliqua solutio, promissio, seu compensatio convertendorum in utilitatem aliorum canonicorum, seu beneficiariorum interponi; sed quæcunque talia in pios usus non convertenda, censentur illicita suntque prohibita, veluti habentia labem Simoniacæ pravitatis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem, non obstante aliquo statuto, ac consuetudine etiam immemorabili; ita *Communis*. Idque clare patet, ex concilio *Tridentino* sess. XXIV, cap. 14 *De reformat.*, ubi sancta synodus detestatur, atque episcopis aboleri mandat plurium Ecclesiarum constitutiones, pravasque consuetudines ut « in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, seu admissione ad possessionem alicujus cathedralis ecclesiæ, vel beneficii, certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesque illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur, Hæc, inquam, omnia detestatur sancta synodus, et mandat episcopis, ut quæcunque hujusmodi in usus pios non convertantur, atque ingressus eos, qui Simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant. » Reiffenst., *loc. cit.*, n. 12 et seq.

(16. Attamen « valida foret constitutio, seu consuetudo Ecclesiarum quæ imponit onus receptis ad beneficium conferendi aliquid quod non tendit in utilitatem canonicorum, seu collatorum beneficii, sed summodo in utilitatem Ecclesiæ, utpote ad conservandam ejus fabricam, vel sacristiam, aut quod convertendum est in augmentum cultus divini, aliosque pios usus, puta ad conservationem seminarii, vel pauperum eleemosynas, prout tum ex relatis verbis concilii argumento a sensu contrario desumitur, tum a sac. congregat. Concil. decisum refert Garcias, p. 8 *De benefic.*, cap. 1, n. 90. Ita tamen ut ista non exigantur pro ipsomet ingressu, seu admissione ad beneficium, sed ad alium finem pium recipiantur. » Sic Reiffenst. *loc cit.*, n. 14.

Idipsum docuerat Barbosa per hæc verba: « Valere tamen potest consuetudo, et similiter statutum laudabile admittendum est, per quod aliquid exigitur ab obtinentibus canonicatus, et quotidianas distributiones, quod non in ipsorum exigentium utilitatem, sed in Ecclesiam, aliosque pios usus convertatur, modo non pro ingressu ipso, et admissione, sed ad alium finem accipiatur. » *De canonicis*, cap. 15, n. 29.

(17. « Non censerem autem (sic idem Barbosa, *ibid.*) laudabiles consuetudines, quæ sunt pro instauratione, vel reparatione bonorum mensæ capitularis, cederent enim in utilitatem singulorum. » Et ut habet Reiffenst., *loc. cit.*, num. 15; « Secus foret dicendum de consuetudine illa, vi cujus canonici a noviter receptis reservarent, seu exigerent aliquid pro restauratione bonorum mensæ capitularis : cederet enim in utilitatem singulorum canonicorum, ac proinde non foret laudabilis, Garcias, p. VIII, cap. 1, n. 90, allegans declarationem sacr. Congregationis. »

UTENSILIA

Vide Decretum novissimum ad rem, ad calcem hujus tomi, verb. UTENSILIA.

(1. Utensilia sacra pro missa quotidiana taxata fuerunt a sacra congreg. Conc. ad rationem scutorum quatuor pro quolibet anno. Sic testatur Monacell., tom. IV *Supplement. ad tom. III*, n. 181, ubi sic præcise habet : « Quoad contributionem pro utensilibus sacristiæ sacra congreg. Conc., *in una Romana*, legati missarum pro archiconfraternitate S. Mariæ de Planctu sub die 26 Martii 1679, ita rescripsit : Taxandam esse eleemosynam ad rationem eleemosynæ manualis in Urbe currentis, detractis tamen ex iisdem introitibus hæreditariis scutis quatuor pro singula missa quotidiana ratione sac. supellectilium pro hujus missæ celebratione. » Legatum autem conceptum erat his verbis : « Di far celebrare tante messe l'anno, quante ne comporteranno li frutti della sua eredità. » Lib. XLIX *Decret.*, fol. 109.

(2. Parochi non tenentur subministrare capellanis, seu presbyteris in suis ecclesiis parochialibus celebrare volentibus paramenta, et alia necessaria; nec ad id possunt per episcopos cogi, sed tantum hortari. Sacra congreg. Episcop. et Regul., *in Montisalti*, 15 Maii 1699. Non obstante solito. Sacra congreg. Rit., *in Egitanien*, 10 Junii 1692, confirmata *in Suanen.*, 31 Maii 1698, apud Monacell., tom. I, tit. 10, formul. 18, num. 6.

(3. Utensilia sacra non tenetur rector ecclesiæ subministrare illis sacerdotibus, qui in eadem celebrant ex obligatione beneficii, seu capellaniæ : quatenus vero permittat, seu recipiat missas adventitias in sua ecclesia celebrari, tenetur ad dictam subministrationem; non potest demum cogi ad admittendas missas adventitias, nisi solutis sacris utensilibus; sacra congreg. Conc., *in Derthonen.*, 7 Julii 1726, ad 11 dub.; apud Ursayam, in 2, *Miscellan. sacro et profano* litt. V, n. 67. *Vide* ipsum etiam tom. VII, part. I, discept. 14, per tot.

(4. Ad dubium, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiæ, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, et similium, habetur responsio sacræ congregationis Conc., in ejusdem declarationibus confirmatis ab Innocentio XIII, constitut. incip. *Nuper a Congregatione* : ubi ad septimum expresse respondit; « Permittendum non esse, ut ecclesiæ, et loca pia,

Digitized by Google

seu illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum ecclesiæ, et loca pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum missæ sacrificio necessario sunt subeundæ, et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas. »

(5. Unde portio illa necessaria pro expensis manutentionis ut supra nullo modo est detrahenda ex massa communi eleemosynarum manualium missarum celebrandarum, sed ex eleemosyna cujuslibet sacerdotis celebrantis, ut patet ex sequenti declaratione Clementis XI, qui quamvis de anno 1720, noluerit concedere, ut ex numero missarum relictarum altari privilegiato archiconfraternitatis SS. Sacramenti, et quinque Plagarum, in ecclesia S. Laurentii in Damaso, et ad faciendam rem gratam dictæ archiconfraternitati applicare fecerit missas 40, pro illis quæ a sacristia ejusdem archiconfraternitatis celebratæ non fuerant ex titulo dictæ detractionis; tamen ad repetitas preces eidem Summo Pontifici porrectas idem hanc gratiam concessit d. archiconfraternitati, ut posset pro se retinere obolum unum ex eleemosyna sacerdotis pro dictis expensis sacristiæ, et sacrorum utensilium, ut refertur in Visitatione sacra, die 1 Septembris 1721, a cardin. Zondadario, §6, ibi: « Quoad missas adventitias satis provisum ex vivæ vocis oraculo S. M. Clementis XI, habito, a R. P. D. secretario hujus sacræ congr. mediante facultate concessa confratribus retinendi pro utensilibus obolum unum pro qualibet missa manuali, quod in posterum servari mandavit. »

(6. Cumque aliud esset ortum dubium circa intelligentiam dictorum verborum, illud penitus sublatum fuit mediante declaratione R. P. D. Pallavicini dignissimi secretarii sacræ congregat. Visitationis apostolicæ, sequentis tenoris. « Il bajocco si deve detrarre dall'elemosina del sacerdote, e non dalla massa comune dell'elemosine, come malamente facevano prima, e gli fu proibito, e con l'autorità del Papa si applicarono altrettante messe di una religione agli obblighi, che erano rimasti non soddisfatti. » Sic refert ad litteram D. Ursaya, tom. V, part. II, disceptat. 26, a n. 17 ad 21, ubi dicit, ita constare ex *biliето* ejusdem sibi uti priori d. archiconfraternitatis exhibito, quod a se in ejus archivo relictum fuit.

(7. Posse episcopos astringere capellanos, et beneficiatos (non censuris) ad providendum de proprio paramenta, respondit sacra congr. Episcop., *in Surrentina* 11 Aprilis 1589, apud Monacell. part. I, tit. 13, formul. 2, n. 56, in fine. *Vide* Ursayam, t. VII, part. I, disceptat. 14, per tot., ubi multa ad rem.

(8. « An autem manutentio altarium, quæ sunt de jure patronatus, ac ornamentorum necessariorum pro eisdem altaribus spectet ad ipsos patronos, aut ad ecclesiam, in qua dicta altaria sunt erecta, stante consuetudine, quod patroni nunquam fuerint coacti ad dictam manutentionem, sed eamdem impensam præstiterit dicta ecclesia, prout hodie supplet impensas mapparum, et omnium paramentorum sacerdotalium. Nec beneficiati, qui habent capellanias erectas in dictis altaribus, possunt eidem manutentioni concurrere, stante redditus tenuitate vix excedentis onera missarum, quæ dictis capellaniis annexa sunt? Respondit sacra congr. Conc., *in Urbinatensi*, sub die 10 Martii 1633, ad cap. 7, sess. XXI, et cap. 9, sess. XXII, teneri Ecclesiam ad tramites consuetudinis legitimæ, in reliquis prout de jure. » Sic apud Pignatell., tom. V, consult. 15, n. 1.

(9. In casu igitur, quo per tempus legitime præscriptum consueverit ecclesia subministrare manutentionem talium altarium, et providere de sacris utensilibus, tenetur id perseveranter adhuc præstare, argum. cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine. Tunc enim censetur ecclesiam fuisse a fundatoribus, seu benefactoribus sufficienter ad id dotatam, et dos ecclesiæ censetur etiam dos altarium.

(10. Si tamen ecclesia non sic consuevit dictam manutentionem, et provisionem de sacris utensilibus præstare, tunc cum non censeatur fuisse ipsam ad id sufficienter dotatam, potest fieri præceptum patronis beneficiorum, ut intra competentem terminum provideant altaria de omnibus necessariis, vel ut dotem præstent, seu augeant sub pœna privationis eorum juris, quo competente termino elapso, et non parito, ad privationem procedi potest. Hinc altaria inornata, et indotata posse ab episcopis, et regularibus concedi aliis patronis, qui eis provideant, si proprii patroni post tertiam monitionem cum aliquo intervallo, vel termino non adeo coarctato ab ordinario faciendam id præstare negligant, vel recusent, posseque in tali casu a regularibus, et aliis superioribus ecclesiarum de iis ad libitum disponi, scilicet dirui, vel aliis concedi, sæpe sæpius in facti contingentia respondit sacra congreg. Episcop., et signanter *in Mutinensi* 2 Maii 1602, et 2 Januarii, et 3 Julii 1602, et 16 Februarii 1603, et 9 Januarii 1604, et 9 Octobris 1618; apud Pignatel., tom. IX, consult. 82, num. 145.

(11. Et præceptum de dote augenda, seu de novo tradenda fieri quoque potest, etiamsi in fundatione fuerit sufficienter a patrono assignata; et deinde tractu temporis fuerit diminuta; seu penitus consumpta; et in tali casu, si antiquus patronus nolit ipsam dotem augere, seu de novo assignare, post trinam ut supra ei factam monitionem amittit juspatronatus; Fagnan., in cap. *Quoniam* 2, De jurepatronatus, n. 59; Reiffenstuel. lib. III *Decretal.*, tit. 28, n. 4;

Digitized by Google

Pirhing, *ibidem*, n. 9; Pignatell., tom. VI, consul. 15, n. 4, et alii passim.

(12. Et ratio clara est, quia patronus tenetur ad omnia onera altaris, seu capellæ, aut ecclesiæ, ut tradunt communiter doctores; cum justum sit, ut qui sentit commodum juris honorifici, sentiat etiam incommodum talium onerum, per text. in l. *Secundum naturam est* 10, ff. *Regul. juris*, et cap. *Qui sentit* 55, De regul. juris in 6. Inter ipsa autem onera venit obligatio capellam, seu ecclesiam restaurandi, ac etiam a fundamentis reædificandi, si aut collapsa fuerit, aut respective ruinam minetur, et ipsam sufficienter dotandi, seu de omnibus necessariis providendi; arg. *Novella* 66, cap. 2, cap. *Placuit* 1, caus. 1, quæst. 2; cap. *Piæ mentis* 26, caus. 16, qu. 7; cap. *Nemo* 9, dist. 1 *De consecrat.*; cap. *Cum sicut* 8, De consecrat. eccles., cap. *Quoniam* 3, et cap. *Nobis* 15, *De jurepatronat.*, cum similibus, juncto concilio *Trid.*, sess. XIV *De reform.*, cap. 12, et sess. XXI, c. 7. Et sic tenent Lambertin., *De jurepatronat.*, lib. I, part. I, quæst. 11, art. 7, n. 3, 5 et 7, et lib. III, qu. 7, art. 5, n. 1; Barbos., *Ad concil.*, sess. XXI, cap. 7, n. 8; et *De potest. episc.*, alleg. 64, n. 16, et alleg. 102, n. 10; Antonell., *De regimin. eccles.*, lib. I, cap. 2, n. 33; Sperell., dec. 60, n. 11 et seq.; Pitonius, *De controversiis patron.*, tom. I, alleg. 12, a n. 4 ad 8; card. de Luca, *De jurepatronat.*, disc. 52, n. 12; Ventriglia, in *Praxi*, part. II, annot. 18, n. 2, et annot 19, n. 33, et alii passim expresse dicentes, teneri patronum et reparare, seu restaurare, ac etiam, cum opus fuerit, a fundamentis reædificare capellam, seu ecclesiam, et ipsam providere de utensilibus, paramentis, calicibus, et omnibus aliis necessariis ad divinum cultum, et ad divina celebranda, cum sit onus de jure infixum ossibus patroni, sicuti est onus patrisfamilias providere filiam de sibi necessariis.

(13. Si vero patronus ab initio assignavit dotem ita abundantem, ut sufficiat, et pro sustentatione capellani, et pro reparatione ac manutentione capellæ, tunc nisi adsit contraria consuetudo, aut certa distincta portio reddituum assignata pro tali manutentione, et necessariorum provisione, tenebitur capellanus, seu beneficiatus ad ipsam manutenendam, et providendam de omnibus necessariis : Genuens., in *Praxi*, cap. 109, n. 13; Pignatell., tom. VI, consul. 15, n. 5; Sperell., decis. 68, n. 11; Ventriglia, cit. annot. 18, n. 10, et annot. 19, n. 33, et alii passim per text. in cap. *Si monachus* 22, caus. 16, qu. 1, cap. *Quicunque* 1, et cap. *De his* 3, De ecclesiis ædificandis, cum similibus, juncto concilio *Trid.*, sess. XXI, cap. 7, *De reform.* Et ratio est, quia beneficiatus æquiparatur in vita usufructuario, cap. *Præsenti* 9, De offic. ordinarii in 6; cap. *Requisitis* 15, De testamentis; cap. *Si quis* 5, De peculio clericorum. Usufructuarius autem tenetur ex fructibus res conservare in bono statu, et ad sartatecta; leg. *Usufructu legato* 7, § 2, ff. *De usufructu*, etc., leg. *Eum ad quem* 7, eod., adeoque, etc. Tum quia beneficiatus sub peccato mortali redditus beneficii suæ honestæ sustentationi superfluos tenetur erogare in causas pias, ex abunde probatis sub verb. BENEFICIATUS a n. 35. Inter causas autem pias respectu beneficiati potissima est reparatio, seu restauratio suæ capellæ, ac provisio de utensilibus, aliisque necessariis pro ipsa, adeoque, etc.

(14. Et dato, quod nec patronus, nec rector beneficii, aut ecclesiæ possint necessaria ministrare, et aliter necessitati provideri nequeat, tunc non potest converti in talem necessitatem pecunia, seu eleemosyna destinata pro celebrandis missis, ut voluerunt Riccius, decis. 123, part. II; Genuensis, in *Praxi*, cap. 54, n. 5, et alii, sed omnino celebrandæ adhuc sunt tot missæ, quot præscriptæ fuerint a fundatoribus, seu offerentibus eleemosynas, vel adeunda est Sedes apostolica pro provisione, juxta decreta sacræ congreg. Conc. de celebratione missarum, in responsione ad primum, et septimum, confirmata ab Innocentio XII, constit. incip. *Nuper*, ut recte observavit episcopus Lyciensis, in sua II *Synodo diœcesana*, § 2, in annot., et Pignatell., tom. VI, consult. 15, n. 5.

Si autem agatur de beneficiato, et ecclesia parochiali, et nec parochus, nec patronus possint ecclesiam reparare, ac de utensilibus et aliis necessariis ipsam providere, tunc compelli ad id possunt parochiani. Sic expresse statuit concil. *Tridentin.*, sess. XXI *De reformat.*, cap. 7, ibi : « Parochiani omnibus remediis opportunis ad prædicta cogantur. » Et ratio hujus obligationis est clara, quia parochiani percipiunt a prædicta ecclesia sacramenta, et divina, et hoc est opus publicum, et commune, ac concernens omnium utilitatem, et necessitatem. Et sic tenent doctores communiter. *Vide* verb. ECCLESIA, art. 4, n. 63 ad 73, ubi abunde assignatur, ad quos spectet obligatio reparandi, et providendi de necessariis ecclesias tum cathedrales, tum parochiales, ac simplices.

UXOR

Hæc ad rem notanda.

(1. Uxor per se loquendo tenetur potius cohabitare viro, quam hic illi; id est viri, non autem uxoris est eligere domicilium, seu locum ubi habitent ac simul vivant : *Communis*, quia ut scribit Apostolus, *Ephes.* VI, 22, *Vir caput est mulieris.* Unde ordinarie uxor tenetur sequi maritum justa de causa mutantem domicilium; (2. Dummodo illa mutatio non accidat uxori graviter incommoda, vel non sit aliter conventum in pactis dotalibus, seu contractu ante nuptias : *Communis*, per text. in cap. *Unaquæque* 3, caus.

Digitized by Google

13, qu. 2, ubi : « Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte; » et cap. *Pervenit* 1, De conjugio leprosorum, per verba adducenda infra num. 6. Sic novissime decrevit sacra congreg. Concil., *in Firmana* 22 Novemb. 1727, et 17 Ap. 1728, apud *Thesaurum resolutionum sacr. congregationis Concil.*, tom. IV.

(3. Dicitur autem notanter, quod « uxor teneatur sequi maritum justa de causa mutantem domicilium, » v. g. cum talis mutatio domicilii est necessaria ad gubernationem familiæ, vel ad conservandas res familiares, ad effugiendam hostilem insectationem, seu cum ad id cogitur ob morbum, inculpabile exsilium, et hujusmodi, vel cum a principe mittitur ad gubernationem quadriennem, decennem, etc., alicujus provinciæ, aut civitatis, et hujusmodi, quia revera in dictis casibus tenetur uxor ordinarie sequi virum, ut docent doctores communiter, arg. *Si quis necessitate inevitabili* 4, caus. 34, quæst. 2. Secus autem, si vir efficeretur vagabundus, et ante contractum matrimonialem non fuisset talis, quia tunc uxor non tenetur illum sequi hinc inde vagantem, ut fatentur omnes; recte tamen addentes, quod si vir more histrionum jam ante contractum matrimonialem vagari consuevisset, tunc teneretur eum sequi, quia censeretur approbasse consuetudinem, et practicos mores talis viri.

(4. Dicitur etiam notanter : « Dummodo illa mutatio non accidat uxori graviter incommoda, » quia uxor non censetur se obligasse ad sequendum cum tanto suo incommodo, vel periculo, v. g. salutis, vitæ, pudicitiæ, et hujusmodi, arg. cap. *Si quis necessitate inevitabili* 4, caus. 3, quæst. 2.

(5. Item dicitur notanter : « Vel non sit aliter conventum in pactis dotalibus, seu contractu ante nuptias; » quia si sic fuerit certus locus habitationi constitutus, non potest deinde maritus discedere, nisi gravis causa de novo superveniens, et ante non prævisa id necessario exigat. Et ratio est, quia « contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur » textu expresso in cap. *Contractus* 84, De regul. juris in 6, et pacta sunt omnimode servanda, cap. *Antigonus* 1, et cap. *Quatiter* 3, De pactis, cum similibus.

(6. Ita etiamsi uxor ex causa necessaria cogatur mutare domicilium, tenetur maritus eam sequi. Sic colligitur ex cap. *Pervenit* 1, De conjugio leprosorum, ibi : « Quoniam igitur cum vir et uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutius, mandamus, quatenus, ut uxores viros, et viri uxores, qui lepræ morbum incurrunt, sequantur, et eis conjugali affectione ministrent : » sollicitis exhortationibus inducere non postponas, et tenet Glossa, *ibid.*, verb. *Sequantur*, et communis doctorum, teste Gobat, tom. 1, tract. 10, casu 22, num. 756. Et ratio est, quia quod ad mutua obsequia conjugalia maritus et uxor pares sunt, nec ad imparia judicantur, textu expresso in cap. *Si quis uxorem* 4, caus. 32, q. 1.

(7. Conjuges enim æqua obligatione tenentur omni jure simul cohabitare in eadem domo, mensa, et lecto, ut tenent communiter doctores, recte advertentes, quod obligatio talis conjugalis cohabitationis complectitur tria officia, scilicet habitandi in eadem domo, accumbendi eidem mensæ, et cubandi in eodem lecto, ut optime unus pro omnibus scribit Castropal., *De sponsalibus*, disp. 3, punct. 5, § 1, ibi : « Certum est conjuges obligatos esse jure naturali, et divino simul habitare in eadem domo, ad eamdem mensam accumbere, et in eodem lecto jacere; quod si quis conjugum nolit hæc tria præstare, potest a judice ecclesiastico compelli censuris, et invocato auxilio brachii sæcularis; » per text. in c. *Litteras* 13, De restitutione spoliatorum. Unde. *Genes.* II, 24, dicitur : *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una.* Et in citat. capit. *Pervenit* 1, De conjugio leprosorum :

(8. « Cum vir et uxor una caro sint, non debet alter sine altero diutius esse. »

(9. Potest tamen inter conjuges divortium licite fieri quoad torum, et cohabitationem, justa aliqua interveniente causa. *Vide* verb. DIVORTIUM, n. 18.

(10. Causæ justæ faciendi tale divortium septem generatim assignantur. Vide *ibid.*, a numer. 19 ad 52, ubi omnes adducentur, et abunde discutiuntur.

(11. Afferuntur plures casus, in quibus propter adulterium nequit fieri tale divortium. Vide *ibid.*, a numer. 54 ad 59, et verb. ADULTERIUM, art. 3, per tot.

Propter adulterium spirituale, seu lapsum in hæresim, seu gentilismum alterius conjugum potest conjux innocens etiam propria auctoritate licite facere divortium quoad torum, et cohabitationem. Vide *ibid.*, n. 21.

(12. Cum hac tamen advertentia, quod si conjux innocens propria auctoritate, et sine judicio Ecclesiæ tale divortium fecit a conjuge in hæresim lapso, et ipse reus hæresis sese ab errore revocaverit, tunc tenetur eam iterum recipere, seu ad eum iterum redire. Vide *ibid.*, n. 22.

(13. Si vero conjux innocens judicio Ecclesiæ tale divortium fecit, non compellitur conjugem conversum recipere, seu ad eum redire, sed potest religionem intrare, si vult. Vide *ibid.*, n. 23.

(14. Si autem religionem ingredi noluerit, etiam hic redire compellitur. Vide *ibidem*, n. 24.

(15. Uxor adultera post pœnitentiam a marito recipienda est. *Vide* verb. ADULTERIUM, art. 4, a numer. 10.

(16. Uxor adultera separata, si impudice vivat, est punienda pœna mortis.

(17. Uxor adultera occidens fetum animatum, seu natum infantem, excommunicatur, et punitur ut homicida. Vide *ibid.*, n. 13.

(18. Uxor adultera, sicuti uxor sterilis, quæ artificiose sibi supposuit partum alienum, non tenetur cum periculo vitæ, et magnæ infamiæ manifestare prolem spuriam, seu dictum partum alienum ad reparanda damna legitimorum, seu aliorum, quibus mariti

Digitized by Google

hæreditas debebatur. *Vide* verb. ADULTERIUM, art. 5. a n. 9 ad 13.

(19. Tenetur tamen dicta uxor adultera, quantum in se est, procurare omni meliori modo, ut illatum damnum legitimis compenset. Vide *ibid.*, n. 12.

(20. Et si nullo alio modo tale damnum compensare possit, tenetur proli spuriæ persuadere, si aliunde idonea sit, ut statum ecclesiasticum, vel religiosum amplectatur, vel vitam cælibem ducat. Vide *ibid.*, n. 13.

(21. Uxor in adulterio deprehensa nequit a marito ob id occidi. *Vide* verb. ADULTERIUM, art. 2, a n. 10 ad 14; et alia ad rem *vide* verb. MARITUS, n. 11, 12 et 13.

(22. Uxor propter adulterium amittit dotem, et ejus proprietas transit ad maritum. Vide *ibid.*, n. 9, et verb. Dos, art. 1, num. 17, et art. 3, numer. 13.

(23. Et tunc si uxor propter adulterium sit rejecta a marito per divortium, et bona aliunde non habeat ad sui sustentationem, pertinebit ad judicem a marito necessaria obtinere, si dotem uxoris in delicti pœnam lucrari velit. Layman, lib. v, tract. 10, part. III, cap. 2, numer. 2, vers. *Adde secundo;* Molina, tract. 3, disp. 90, n. 7, et alii passim.

(24. Si uxor sine necessaria causa recedat, et divertat a marito, maritus non tenetur ei alimenta præstare, quamvis dotem ab ea acceperit: Layman, *loco cit.*, num. 2, vers. *Præterea;* Sanchez, lib. IX, disp. 4, num. 20, et alii passim. Et ratio est, quia qui non facit quod debet, non recipit quod oportet, arg. l. *Si ea conditione* 3, cod. *De conditionibus insertis;* uxoris autem officium est, ut maneat in viri consortio et obsequio, capit. *Hæc imago* 12, caus. 33, q. 5, et cit. jur. *supra*, num. 1 et 2. Unde si id præstare nolit, merito ei alimenta denegantur; secus vero si ob justam causam recederet, seu diverteret a marito, ut fatentur omnes.

(25. An, et quando dos quoad proprietatem, et usumfructum spectet ad uxorem, eamque ipsa repetere possit, vel non. *Vide* verb. BONA, art. 4, num. 2 ad 7, et verb. Dos, per tot., et signanter art. 1 et 3, verb. USUSFRUCTUS, a num. 21 ad 26.

(26. Quando uxor possit petere, et teneatur reddere debitum conjugale, vel non? *Vide* verb. MATRIMONIUM QUOAD DEBITUM CONJUGALE, per totum.

(27. Uxor, sicut et maritus exercens opus conjugii ob solam voluptatem non vacat culpa veniali. *Vide* verb. CONJUGES, n. 77.

(28. Uxor in actu conjugali cum suo marito se morose delectans in alio velut præsente peccat mortaliter; et addit speciem adulterii in confessione explicandam. Vide *ibid.*, num. 78, et verb. ADULTERIUM, art. 1, num. 7, et v. DELECTATIO MORÒSA, n. 26.

(29. Delectatio morosa de actu conjugii inter conjuges præsentes, dummodo absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale. Vide d. verb. CONJUGES, numer. 79, et verb. DELECTATIO MOROSA, n. 24.

(30. Imò conjux neque mortaliter peccat, si de maritali copula, altero conjuge absente cogitans, in re cogitata morose delectetur. *Vide* d. verb. DELECTATIO MOROSA, num. 15, et d. verb. CONJUGES, n. 90. *

NOTA ROM. THEOL.

* Quæ numeris 29 et 30 dicuntur, plena periculi sunt. Nam quis peccandi periculum excludat in conjugato, dum morose delectetur cogitando actum conjugii, sive copulam? venerea enim sensitiva delectatio nihil aliud est, nisi interna pollutionis inchoatio, quæ aliunde oriri non potest, quam ex seminis commotione, et fluxu. Id vero mortiferum est etiam in conjugibus, dum ad copulam non ordinetur.

RESPONSIO AUCTORIS.

Quæ numeris 29 et 30 profero, sub conditione produco, dico enim ibi expresse: « dummodo absit periculum pollutionis. » Sed ad rem vide quæ tradidi ibi, et verb. CONJUGES, n. 79 et 80, et verb. DELECTATIO MOROSA, a n. 24 ad 32, in fine, et verb. LUXURIA, a n. 88 ad 95.

(31. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi, quæ fiunt inter conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis in uno, vel altero, vel pertineant ad Sodomiam quamdam inchoatam, sunt peccata mortalia, alias non sunt nisi venialia. *Vide* d. verb. CONJUGES, n. 81, verb. LUXURIA, n. 89, verb. TACTUS, n. 12, 13 et 14.

(32. Conjuges an, et quando possint, vel non religionem ingredi. *Vide* d. verb. CONJUGES, a num. 3 ad 54.

(33. Maritus an, et quando possit, eum, vel sine licentia uxoris ad sacros ordines promoveri. *Vide* d. verb. CONJUGES, a num. 57 ad 72.

(34. Quid de conjugibus infidelibus, quando unus convertitur, et alter non, seu quando ambo convertuntur, et quid de eorum matrimonio, et prole. *Vide* d. verb. CONJUGES, a num. 35 et 45, verb. HÆRETICUS, a n. 10 ad 26, et verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, art. 1, n. 95 et seq.

(35. Plures uxores simul habere est prohibitum jure divino. *Vide* verb. POLYGAMIA, n. 7.

(36. Uxor an, et quas donationes possit facere marito, et maritus uxori. *Vide* verb. DONATIO, art. 2, a n. 13 ad 20.

(37. Uxor de quibus bonis habeat dominium, vel usumfructum, et de quibus, et quando possit disponere, et facere donationes, et eleemosynas, et succurrere suis parentibus, filiis, fratribus, ac sororibus. *Vide* verb. ELEEMOSYNA, n. 54.

(38. Uxor, sicut et maritus, quibus prius subvenire debeat in extrema, gravi, et communi necessitate. *Vide* verb. NECESSITAS, a n. 20 ad 37.

(39. Uxor quando possit, vel non, irritare vota mariti, et maritus vota uxoris. *Vide* verb. VOTUM, art. 4, a n. 45 ad 49.

(40. Uxor transiens ad secundas nuptias privatur tutela filiorum prioris matrimonii, textu expresso in l. *Matres* 2, cod. *Quando*

Digitized by Google

mulier tutelæ officio fungi potest, ibi : « Nam si malunt alia optare matrimonia, tutelam administrare non debent ; » et concordat authent. *Sacramentum*, et l. *Si pater* 3, cod. eod.

(41. Item perdit etiam curatelam eorum ; l. *Quod si nolit* 31, § 14, ff. *De ædilitio edicto*. *Vide* verb. NUPTIÆ, n. 18 et 19.

(42. Imo uxor transiens ad secundas nuptias amittit quidquid a priore marito prædefuncto donatione, testamento, aut quomodocunque acquisivit, et transfert quoad proprietatem ad filios prioris matrimonii, retento sibi solo usufructu, textu expresso in l. *Feminæ* 3, cod. *De secundis nuptiis*, ibi : « Feminæ quæ susceptis ex priore matrimonio filiis, ad secundas post tempus luctui statutum transierint nuptias, quidquid ex facultatibus priorum maritorum sponsalium jure, quidquid etiam nuptiarum solemnitate perceperint, aut quidquid mortis causa donationibus factis, aut testamento jure directo, aut fideicommisso, vel legati titulo, vel cujuslibet munificæ liberalitatis præmio ex bonis, ut dictum est, priorum maritorum fuerint assecutæ, id totum ita, ut perceperint, integrum ad filios, quos ex præcedente conjuge habuerint transmittant... Atque habeant potestatem possidendi tantum, atque fruendi in diem vitæ, non etiam alienandi facultate concessa. » Et concordant lex *Hac edictali* 6, § 1, cod. eod. *De indicta viduitate*, et authent. *De nuptiis*, § *Si vero expectes*, collat. 3 ; et tenent Sanchez, *De matrimon.*, lib. VII, disp. 88, n. 2 ; Joannes Angelus Bossius, *De matrimonio contract.*, cap. 11, num. 275 ; Rosignolus, in *Alias de matrimonio controversias*, contract. 15 *De matrimon. IV*, prænot. 5, n. 13 et seq. ; Busemb., et La Croix, lib. III, part. II, numer. 1163, et alii passim.

(43. Et si talis uxor transeat ad secundas nuptias elapso anno luctus, amittit insuper etiam usumfructum. Sic Baldus, l. I, n. 6, cod. *De secundis nuptiis* ; Surdus, *De alimentis*, titul. 7, qu. 23, num. 14 ; Sanchez, *De matrimon.*, lib. VII, disput. 87, n. 10 ; Joannes Angelus Bossius, *loc. cit.*, n. 266 ; Rosignol., *loco cit.*, prænot. 3, num. 25, et alii. Et ratio est, quia major est culpa transitus ad secundas nuptias durante anno luctus, quam ipso jam elapso, ut clare patet ex leg. 1 cod. *De secundis nuptiis*, et authent. *De secundis nuptiis*, § *Prima si quidem*, collat. 4, ubi uxor transiens ad secundas nuptias durante anno luctus incurrit infamiam juris, quam non incurrit uxor transiens ad secundas nuptias anno luctus jam elapso : ergo si uxor cum transit ad secundas nuptias jam elapso anno luctus, ubi est minor culpa, privatur sola proprietate, retento usufructu ; cum transit ad secundas nuptias durante anno luctus, ubi est major culpa, privanda est non solum proprietate, sed etiam usufructu.

(44. Cum pro dote uxoris nondum soluta a socero accipit maritus in pignus fundum fructiferum, cujus annui fructus superexcedunt interesse, quod juste exigere potuisset dictus maritus ratione dotis, tunc ille excessus fructuum super interesse dotis est restituendus socero, seu ejus hæredibus, vel computandus est in sortem. Sic Baldus, in l. *Cum quidam* 31, § 2, cod. *De jure dotium* ; Alexander, in l. *In insulam* 42, § 2, ff. *Soluto matrimonio* ; Lupus, *De usuris*, in l. *Curabit* 5, cod. *De actionibus empti* ; Rosignolus, *Contract.*, contr. 3. *De mutuo*, disquisit. 5, n. 2, et 3. Et ratio est, quia fructus pignoris respectu mariti pignoratitii est ad supplendum defectum fructuum, quos perciperet a dote, si ipsam habuisset, ut de se patet : ergo non debet extendi ultra valorem fructuum a dote percipiendorum. Cessante enim fine, ratione, et causa concessionis, cessare debet et ipsa concessio, cap. *Cum cessante* 60, De appellat., l. *Adigere* 6, § 2, ff. *De jurepatronat.* et restricta causa restringi debet et effectus, quem respicit eadem causa ; l. *In agris* 16, ff. *De acquirendo rerum dominio*, cum ratio concessionis, et legis sit anima ipsius concessionis, et legis, l. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnat.*, adeoque, etc.

(45. Uxor an possit sibi eligere sepulturam, et si non elegerit, ubi sit sepelienda. *Vide* verb. SEPULTURA, a n. 73 ad 80.

(46. Uxoris soror improprie dicitur cognata, sicuti etiam uxoris frater improprie dicitur cognatus, textu expresso in cap. *Quod autem* 5, caus. 36, q. 5, ibi : « Quod autem frater, sororve uxoris tuæ cognati tui dicuntur, æquivocationis jure fit, et necessitate vulgaris appellationis potius, quam ulla causa cognationis. » Et concordat cap. *Primo gradu* 6, eadem caus. et quæst., ubi assignantur nomina graduum superiorum, sive inferiorum, sive ex latere venientium. *Vide* ibi, ubi fuse de omnibus.

(47. Uxor, sicut et maritus, si in extrema necessitate baptizaret proprium filium, non impediretur debitum petere, textu expresso in c. *Ad limina* 7, caus. 30, q. 1.

(48. Nec uxor, et maritus peccant, si simul suscipiant, vel teneant alienum puerum in baptismo, nec prohibentur sibi debitum reddere : solo enim jure antiquo hoc erat eis vetitum propter cognationem spiritualem, quam tunc contrahebant, quæ cum modo sublata sit a concilio *Tridentino*, sess. XXIV, *De reformat. matrimonii*, non videtur quo jure prohibeantur tenere Navarr. in *Manual.*, cap. 22, n. 86 ; Sanchez, lib. VII, disput. 57, num. 5 ; Barbosa, *De offic. et potest episcop.*, part. II, alleg. 30, num. 57, et alii passim. Sanctus enim Pius V, constit. incip. *Cum illius vicem*, declaravit patrinum, et matrinam non contrahere inter se cognationem, nec impediri inter se conjungi.

(49. Uxor prægnans crebras et numerosas choreas ducens cum agitatione, ob periculum in quod injicit seipsam et fetum, regulariter non eximitur a peccato gravi. *Vide* verb. MATER, n. 12.

(50. Uxor notorie adultera cum solo consensu viri non potest religionem ingredi ; sac. congregat. Episc. et Reg., *in Romana*.

Digitized by Google

seu Florentina professionum, 16 Febr. 1704. Ponente card. S. Clementis, apud Ursayam in tom. II, part. v, discept. 24.

(51. Uxor inscio et invito marito regulariter loquendo non potest exponere ludo bona ejusdem mariti, nec bona dotalia, et communia; et si exponat, et amittat, sunt a victore restituenda. *Vide* verb. Ludus, n. 32.

(52. Et si exponendo ludo talia bona, quæ ignorante collusore alienare non potest, notabilem summam lucretur, tenetur eam restituere. Secus autem, si collusor fuerit conscius. Vide *ibid.*, n. 33.

(53. Uxor potest similia bona moderate ludo exponere, inconsulto et etiam irrationabiliter invito marito in pluribus casibus, qui assignantur. Vide *ibid.*, num. 34.

(54. Uxor potest de jure communi ludo exponere, inconsulto et invito marito, bona sua patrimonialia non data in dotem, et bona paraphernalia. Vide *ibid.*, num. 35.

(55. Super extractione clerici conjugati facta ad formam bullæ causa uxoricidii cum propinatione veneni, et prætensa qualitate proditionis, injungitur episcopo, ut perficiat processum, et transmittat, et interim caute custodiat : sacra congregatio Immun., *in Ostunen.* 23 Februarii 1696, lib. I *Decretor.* Vall., pag. 172.

(56. Uxores clericorum conjugatorum gaudent privilegio fori, et aliis exemptionibus competentibus suis maritis, durante illorum vita : sacr. congreg. Immun., *in Meliten.*, 20 Novemb. 1640, lib. III *Decr.* Paul., pag. 134; *In Oppiden.* 18 Julii 1662, lib. *Decret.* Rocci, pag. 415; *In Bisinianen.* 18 Novembr. 1653, lib. V *Decret.* Paul., pag. 24.

(57. Uxores clericorum conjugatorum gaudent privilegio fori, tam in civilibus, quam in criminalibus, ita ut nequeant carcerari, nec personaliter astringi a judice laico; non autem gaudent exemptione a gabellis, nisi adsit consuetudo, durante tamen vita clericorum, et cohabitatione cum ipsis : sacra congregat. Immun., *in Neriton.* 17 Januarii 1628, lib. I *Decretor.* Paul., pag. 80; *in Meliten.* 11 Januar. 1633, lib. II *Decr.* Paul., pag. 147.

(58. Uxores clericorum conjugatorum, et oblatorum habentium qualitates requisitas gaudent privilegiis, quibus gaudent earum mariti, vita istorum durante : sacra congreg. Immun., *in Baren.* 22 Septembr. 1648, lib. IV *Decretor.* Paul., pag. 59.

(59. Uxores clericorum Græcorum gaudent immunitatibus, exemptionibus, et privilegiis, quibus gaudent ipsi clerici durante vita ipsorum clericorum : sacra congreg. Immun., *in Una regni Neapolitani* 18 Februarii 1631, l. II *Decret.* Paul., pag. 96.

(60. Uxores, et filii clericorum Albanensium viventibus patribus gaudent privilegio fori, et exemptionum ipsis patribus competentium; mortuo vero patre, gaudent, si concurrat consuetudo, sacra congreg. Immunit., *in Rossanen.* 27 Maii 1654, lib. V *Decret.* Paul., pag. 42, et 4 Sept. 1654, lib. *Decret.* Rocci, pag. 32.

(61. Uxores diaconorum Salvaticorum gaudent privilegio, et exemptionibus competentibus suis maritis durante eorum vita : sacra congreg. Immunit., *in Meliten.* 20 Novemb. 1640, lib. III *Decretor.* Paul., pag. 154, seu pro tempore, quo eorum mariti sunt diaconi Salvatici, *In Hyeracen.*, 4 Julii 1645, *ibi*, pag. 254.

(62. Uxor cursoris nuntiaturæ non gaudet privilegio fori : sacra cong. Immun., *in Florentina*, 15 Decemb. 1676, lib. I *Decret.* Altovit., pag. 1316.

(63. Causam uxoris fiscalis curiæ episcopalis cognoscat episcopus : sacra congreg. Immun., *in Fanen.* 22 Junii 1655, lib. V *Decret.* Paul., pag. 67.

(64. Contra uxorem, quæ blande extrahens maritum e loco immuni birruariis ab ipsa vocatis tradiderat, episcopus procedat sua auctoritate ordinaria : sacra congregat. Imm., *in Camerinen.* 13 Maii 1698, lib. II *Decret.* Vall., pag. 153.

(65. Uxorem, quæ occidit proprium maritum dormientem, et postea confugit ad ecclesiam, episcopus tradat curiæ sæculari : sacra congreg. Immunit., *in Cremon.* 27 Decemb. 1626, lib. *Scripturarum veterum*, pag. 77.

(66. Hic juvat ad eruditionem adducere, quæ de uxore, muliere, seu femina habet D. Ursaya, in *Miscellaneo sacro et profano* 1 et 2, litt. *F. M.* et *V*, ac in *Inst. crimin.*

(67. Pessima res uxor, poterit tamen utilis esse,
Si breviter moriens dat tibi quidquid habet.
(68. Ducere si quam vis, teneat P quinque puella :
Sit Pia, sit Prudens, Pulchra, Pudica, Potens.
(69. Ureris? uxorem ducas, non expedit uri;
Conjugis in gremio mortificanda caro est.
(70. Uxores ego tres vario sub tempore nactus:
Cum juvenis, cum vir, factus et inde senex.
Propter opus prima est validis mihi juncta sub annis:
Altera propter opes, tertia propter opem.

(71. Uxoris turpitudinis patronus ille est, qui celat crimen uxoris. Sanctus Hieronymus, *in Matth.* c. VII, relatus in canon. *Sicut crudelis* 32, q. 1.

(72. Uxorem qui pauper accipit, ter fit miser.

(73. Cum uxore bini sunt jucundissimi dies : alter quo ducitur; alter vero quo mortua effertur. *Philippid.*

(74. Uxor, amice, tibi semper mala, cum male tractas,
Fit pejor; sed fit pessima, quando bene.
Sed bona, si moriatur, erit, melior tamen, id te
Si faciat vivo, ac optime si propere.
(75. Imperet ipsa nihil, quidvis tamen impetret uxor.
Utere nec serva conjuge, nec domina.
(P. Casalich., *Nell' utile col dolce*, decad. 4, argut. 3.)

(76. Uxoris bonæ partes his verbis describuntur in *Tob.* X, 13 : *Honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et seipsam irreprehensibilem exhibere.*

(77. Uxoris qualitates explicantur a Demosthene his verbis relatis a P. Casalich., *Nell'utile col dolce*, decad. 13, argut. 7 : Interrogatus Demosthenes qualem uxorem ducere oportet, respondit : « Divitem, ut te sustentet, nobilem ut ornet, juvenem ut ser-

Digitized by Google

viat, formosam ut placeat, et pudicam ne te fallat. »

(78. Uxorem pecuniosam si quis pauper duxit, non uxorem, sed dominam habet, cujus est famulus et servus. Strobulus apud P. Casalich., *loc. citat.*, decad. 15, argut. 7.

(79. Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? Uxori nubere volo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito.
Non aliter fuerint femina, virque pares.
(P. Casalich., *loco cit.*, decad. 13, argut. 7.)

(80. Ad rem. *Vide* verb. ALIMENTA; verb. ADULTERIUM; verb. BONA; verb. CONJUGES; verb. MATRIMONIUM *quoad debitum conjugale;* verb. DIVORTIUM; verb. FEMINA; verb. DOS; verb. DOMINIUM; verb. HÆRETICUS; verb. MATRIMONIUM *quoad impedimenta;* verb. MARITUS; verb. MATER; verb. MATRIMONIUM; verb. NECESSITAS; verb. PATER; verb. POLYGAMIA.

(81. Adam, Sampsonem, Petrum, Davidem, Salomonem
Decepit mulier, quis modo tutus erit?

(82. Mulier stuppa est, et homo titio; accedit diabolus, et uterque comburitur.

(83. Femina velut gutta nigra, corrumpit albam masculorum : sac. *Rota, in Imolen. Fideicommissi* 21 Martii 1729, § *Denique, coram Ratto.*

(84. Sola viro mulier spoliis exsultat adeptis,
Sola locat corpus, sola locanda venit.

(85. Absque femina si mundus stare posset, nostra conversatio non esset sine diis. Cicero secutus a Capon., controvers. 58, in princip.

(86. Ad dignoscendum viros a mulieribus jarvatis, optimum adducit modum ex Salomone Korman., *De virg. jur.*, c. 139, faciendi scilicet abluere faciem ab utrisque : feminæ siquidem molliter ac delicate vultus suos fricant; secus autem masculi.

(87. Uxorem ducens dicitur navigare : c. *Nos novimus* 2, caus. 17, q. 2, ubi Glossa verb. *Navigasti*, ait : « Sicut navigans subjicit se variis periculis, nec proprio motu regitur, sed ventis; sic ducens uxorem. »

(88. Uxor minori miseria deformis habetur, quam formosa servetur. S. Hieronymus relatus, et secutus a Nevizan., in *Silva nuptiar.*, lib. II, num. 94. Unde poeta :

(89. Ægre formosam poteris servare puellam :
Nunc prece, nunc auro forma petita ruit.
Femina molle genus, turpes proclivis ad actus,
Ni vir sit custos, ni pudor, atque metus.

(90. Femina suum retinet morem, semper hominem expellit e paradiso. Card. Bona in *Manuduct. ad cælum*, cap. 5, § 3.

(91. Feminas videre malum est, alloqui pejus, tangere pessimum. S. Augustinus apud Ursayam, *loc. cit.*, num. 128.

(92. Feminæ vox in hominibus solet esse mali hominis indicium, ex animadversis per Farinac., qu. 116, n. 170, ubi monet cavendum esse ab ipsis, quia ipse non semel, sed pluries ab hujus qualitatis hominibus fuit proditus. Ego tamen cum Laym., t. I, cap. 2, § 5 in fine, crederem id non esse generaliter verum, sed neque etiam generaliter falsum.

(93. Uxor, quando est pulchra, aufert nomen domus marito, quia dicitur : Eamus ad domum dominæ Tenerinæ, non autem ad domum domini Bonhomi ejus mariti : ut observat Nevizan., in *Silva nup.*, lib. II, verb. *Diviti non est nubendum*, n. 86, et Ursaya, *Institut. crimin.*, lib. IV, tit. 1, n. 85.

(94. Uxor eximens maritum de manu curiæ, et maritus uxorem, non dicitur committere crimen læsæ majestatis; unde debet puniri sola pœna extraordinaria : Conciol., *Allegat. forens.* 87, per tot.; Guazzin., *De defens. reorum*, defens. 5; Ursaya, *loco cit.*, l. II, tit. 1, n. 136 et seq.

(95. Privilegia mulierum inhonestarum referuntur ab Ursaya, *loco cit.*, lib. II, tit. 7, n. 18; Laym., t. II, cap. 20, § 1, n. 21 et seq., et secretaria Apollinis, fol. 456, ac si eisdem ab eodem Apolline concessa essent, cum sequentibus verbis : « Abbiamo determinato di concedervi alcuni privilegj, i quali agevolando le vostre fatiche, potranno rendere men fallaci le vostre arti, e sono questi, di poter rubare senza obbligo di restituzione; di fingere; dissimulare; di non dir mai la verità; di godere senza amare; di piangere quando volete; di trasformarvi quando vi pare; di chiedere senza discrezione; di togliere senza pietà; di celare l'odio sotto le lusinghe, di strapazzare i vostri amanti; e finalmente di vendicarvi insensibilmente dell'ingiurie, che vi fanno, facendoli restar pelati nella testa, e nella borsa nel termine di quaranta giorni. »

(96. De quibus præsertim verificatur celebre alphabetum sancti Antonini archiepiscopi Florentini in III part., titul. 1, cap. 24, id est Avidum animal, Bestiale baratrum, Concupiscentia carnis, Damnosum duellum, Æstuans æstus, Falsa fides, Garrulum guttur, Herinnis armata, Invidiosus ignis, calumniarum Kaos, Lepida lues, Monstruosum mendacium, Naufragii nutrix, Opifex odii, Prima peccatrix, Quietis quassatio, Ruina regnorum, Silva superbiæ, Truculenta tyrannis, Vanitas vanitatum, Xantia Xerxis, Ydolorum imago, Zelus zelotypus.

(97. Multæ tamen sunt honestarum mulierum prærogativæ : quamvis enim, ut habetur in adnotatione ad dec. 434, num. 43 et seq., *Rotæ recent.*, part. IV, tom. II, et apud Ursayam, *Institut. crimin.*, lib. IV, tit. 1, a n. 20; Jodocus Damboud., in tractat. comm. tit. *M*, vers. *Mulier philosopha*, testetur se ad hoc, ut aliquid diceret in honorem feminarum, revolvisse omnes juris civilis textus, ad effectum reperiendi, si in eis fieret mentio de aliqua muliere bona, et incidisse in textum incipientem : *Mulier bona* 72, ff. *De jur. dot.*, quem diligenter inspiciendo, reperisse verbum *bona* non esse casus nominativi, sed accusativi, dicendo : « Mulier bona sua omnia in dotem dedit; » et sic in toto corpore juris civilis mulierem

Digitized by Google

bonam invenire non valuisse; invenisset tamen, et quidem copiose in sacra Scriptura, et in jure canonico, si ulterius quæsivisset, ut videre est in *Eccli.* XXV, 1, 3, 18 et 21; et XXXVI, 26; et apud D. Paulum *I Cor.* VII, 14; et in canon. *Quod autem* 1, caus. 28, quæst. 1, et alibi. Unde merito advertit Nevizan., in *Silva nupt.*, lib. IV, sub n. 95, mulieres multas habere prærogativas, quæ copiosius scriptæ reperirentur, si ipsæ scriberent, ut faciunt viri, ad quem effectum applicari potest lepidum dictum illius philosophi, qui teste de Rub., in *Addit. ad dec.* 341, n. 54, part. IV, tom. II, *Rotæ recent.*, observando in magna tabula depictos multos leones ab hominibus dilaceratos, prorupit in hæc verba: *Oh, si leones pingere scirent!* De quibus selectissimis, et laude dignissimis mulieribus late agit Zaul., tom. I, rub. 16, n. 58 et seq. et latius le Moyne, in lib. cui titulus: *La galleria delle donne forti*, Mutinæ impresso anno 1701; et prius per auctorem Gallice typis dato. Vide etiam Chrystophorum Bronzini, in tract. *Della dignita delle donne*, anno 1624 impresso Florentiæ, ubi suis pro eximiis excellentiis ac prærogativis merito usque ad sidera extolluntur.

(98. Uxorem ducendi curiosus et scandalosus modus in regno Congi indicatur, et refertur a Patre Joanne Francisco Romano Capuccino in libro, cui titulus: *Breve relazione del successo della missione nel regno del Congo*, impresso anno 1648 in typographia sacræ congregationis de Propaganda fide c. 9, di alcune usanze molto dannevoli, che ritengono i naturali di Congo fol. *mihi* 77, sequentibus verbis: « Una di dette male usanze, che sono in quei popoli, e, che quando si vogliono accasare, pigliano le moglie a prova. Va un giovine dimandarla figlia al padre, ed alla madre con pretesto di volerla pigliare per moglie, e dargli la dote che li conviene, essendochè tra essi è questo costume, che il marito dà la dote alla moglie, e non il padre, e la madre; essi gliela consegnano molto di buona voglia, ed il giovine la conduce a casa sua, e dopo averla tenuta due, o tre anni, se gli piace, e si confà col suo umore, si accasa con essa; quandochenò, la rimanda a casa di suo padre: e la medesima libertà ha la donna con quello, che la piglia, che se non li gusta d'accasarsi con esso lui, se ne può ritornare a suo piacere alla casa paterna. Questa usanza sì perniciosa è difficilissima da levarsi, perchè dicono essi: Ho io da obbligarmi a stare tutto il tempo della vita mia con Donna, che non conosca qual sia, e di che condizione? È vero, che mi posso informare, e da parenti, o da altre persone, che conoscono la giovine, ma essi mi possono ingannare, dicendomi una cosa per un'altra, a fine, che la prenda per moglie; e per tanto senza tal esperienza piuttosto non voglio accasarmi, che ponermi a rischio di avere un continuo inferno in mia vita. Da questa usanza si perniciosa ne siegue, che la giovine in tal modo ripudiata, ordinariamente non trova più chi la voglia prender per moglie, e i figli nati da essa vanno come bastardi dispersi quà, e là, senza veruna educazione. Di più ne siegue, che stanno gli anni, e anni in stato di concubinato, poichè il marito dovendo dare la dote alla moglie, non si può indurre a questo passo, ma va sempre procrastinando di anno in anno, ed a perseverare in quel cattivo stato talvolta 25 e 30 anni. » Hæc ille, ut refert Ursaya, *Instit. crim.*, lib. IV, tit. 4, n. 173.

(99. Uxor in potestate mariti est juxta legem Moysi. Bened. XIV, tom. II, constit. 2, tit. 28, incip. *Postremo mense*, § 59.

(100. Ideo maritus a Judaismo ad Ecclesiæ fidem conversus, eam ad baptismum offerre potest. Idem, *ibid.* *Vide* tom. III, verb. HEBRÆUS, ubi multa ad rem; et verb. GRÆCI.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(101. Vide *Additiones* ad verb. FEMINA. Cæterum quæ auctor a n. 66 ad 98, adducit, insulsa, ridicula, et religioso viro prorsus sunt indigna.

RESPONSIO AUCTORIS.

(102. Attamen, quæ hic tanquam insulsa, ridicula, et religioso viro prorsus indigna traducuntur, ea a sapientissimis, gravissimis et religiosissimis desumpta auctoribus in rem meam derivavi. Quæ enim tradidi a n. 66 ad 70, accepi jam tradita a celeberrimo Ursaya causarum tum civilium, tum canonicarum, seu ecclesiasticarum, ac religiosarum patrono, et Romæ, ac alibi absque ulla censura pluries edita, probata, et approbata ab omnibus, ad quos spectat. Quæ, n. 71, a S. Hieronymo relat. in canone *Sicut crudelis* 32, q. 1. Quæ n. 72, 73, a dicto D. Ursaya, et *Philippid.* Quæ n. 74 et 75, a P. Casalich, religiosissimo viro. Quæ n. 76, habentur expresse in sacra Scriptura, *Tobiæ* X, 13. Quæ n. 77, 78, 79, a dict. P. Casalich. allegante ad id respective Demosthenem et Strobulum. Quæ a n. 80, a citatis in allegatis ibi respective titulis. Quæ n. 81, 82, a dicto D. advocato Ursaya. Quæ n. 83, a sacra Rota Romana *in Imolen., fideicommissi*, 28 Martii 1729. Quæ, n. 84, ab allegato Ursaya. Quæ n. 85, a Cicerone secuto a Capon., controvers. 58, in princip. Quæ n. 86, ex Salomone apud Kormann. *De virg. jur.*, cap. 189. Quæ n. 87, ex canone *Nos novimus* 2, caus. 17, q. 2, et ibi Glossa, verb. *Navigasti*. Quæ n. 88, ex S. Hieronymo relat. et secut. a Nevizan., in *Silva nuptiar.*, lib. II, cap. 94. Unde canit poeta, ut ibi, n. 89. Quæ n. 90, ex cardinal. Bona piissimo religioso in *Manuduct. ad cælum*, cap. 5, § 3, in fine. Quæ, n. 91, ex S. Augustino, allegat. ab Ursaya, *loc. cit.*, n. 128. Quæ n. 92, ex Farinac., qu. 116, n. 170; et Laym., tom. I, cap. 2, § 5, in fine. Quæ n. 93, ex Nevizan., in *Silva nuptiarum*, lib. II, n. 86, et Ursaya *Instit. crimin.*, lib. IV, tit. 1, n. 85. Quæ n. 94, ex Conciol., *Allegat. forens.* 87 per tot.; Guazzin., *Ad defens.* 5, cap. 5; Ursaya, *loc. cit.*, lib. II, tit. 1, n. 136 et seq. Quæ n. 95, ex Laym., tom. III, cap. 20, § 1, n. 21 et seq.; Ursaya, *loc. cit.*, lib. II, tit. 7.

Digitized by Google

n. 18; et secretaria Apollinis, fol. 456. Quæ n. 96, ex S. Antonino clarissimo lumine præclarissimi ordinis Prædicatorum in III part., tit. 1, cap. 24. Quæ n. 97, ex *Adnotat. ad decis.* 431, n. 43 et seq. Rotæ Romanæ recentior., part. IV, tom. II; Ursaya, lib. IV, tit. 1, a n. 20; Judoco Damboud, *in tract. Loc. comm.*, litt. *M*, vers. *Mulier philosopha.* Ex *Ecclesiastico*, cap. XXV, n. 1, 3, 18, 21, et cap. XXXVI, n. 26. Ex Apost., *I Cor.*, cap. VII, n. 14; et ex canon. *Quod autem* 1, caus. 28, q. 1. Quæ n. 98, ex relatione Patris Joannis Francisci Romani Capuccini in libro, cui titulus : *Breve relazione del successo della Missione nel regno del Congo*, impresso in typographia sacræ congregationis de Propaganda fide, cap. 9. Quæ sacra congregatio certe non permisisset talis libri editionem, si insulsa, ridicula, et religioso viro indigna commenta continuisset. Patent itaque fontes, unde hausi doctrinas, *locis citatis*, ab additore improbatas; hi sunt : S. Scriptura, SS. canones, sac. Rota Romana, SS. Patres, religiosissimi auctores, selectissimi jurisperiti, et liber impressus in typographia sac. congregationis de Propaganda fide Ad hæc, quid de oppositoribus esset mihi dicendum? Nihil aliud dicam ego, quam ut a Deo benedictionibus repleantur.

(103. Quantum ad reliquas varias arias probabilismum respicientes, et censura notatas propositiones, non est, quod in his nec tantisper immorer, nec quid modicum proferam, cum tot eximii, et præstantissimi auctores, omni exceptione majores de illis hinc inde, pro, et contra tot volumina ediderint, ut fere totus repletus sit orbis. Eo vel maxime quod ego non sim secutus, nisi illas opiniones probabiles, quæ sunt vere, et solide tales fultæ gravi et prudenti pondere rationis, et auctoritatis; et in pluribus illas solummodo sim amplexus, quæ mihi videbantur nedum vere probabiles, sed etiam probabiliores, ac quædam veluti certæ, ut totum meum opus integre ex omni parte, et attente, juxta pro similibus tradita a Benedicto XIV in constitutione : *Sollicita ac provida*, § 18, percurrenti, et scrutanti satis superque patet. Unde laudatus perennis memoriæ Benedictus XIV, in dicta constitut. *Sollicita, ac provida*, § 17, ad nostrum intentum sic tradit : « Hoc de cætero cogitantes, non paucas esse opiniones, quæ uni scholæ, instituto, aut nationi certo certiores videntur, et nihilominus sine ullo fidei, aut religionis detrimento ab aliis catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppositæque defenduntur, sciente, et permittente Apostolica Sede, quæ unamquamque opinionem hujusmodi in suo probabilitatis (N. B.) gradu relinquit. » Et idem sapientissimus Pontifex in *Præfatione* tom. I *De synodo diœcesana*, § *Porro*, sic præcise addit : « Porro in novissimis hisce additionibus usitatam semper nobis scribendi rationem secuti sumus, nihil scilicet pro certo ac definito venditantes, quod reipsa definitum non sit; nihil contumeliose jacientes in alios, quantumvis ab opinione nostra dissentiant. Id enim homine Christiano indignum, et honesto viro indecens existimamus. Neque vero minus valide unumquemque sententiam suam tueri posse censemus, si ab aliorum contemptu et injuria abstineat. »

(104. Hic lubet ad rem nostram adducere etiam canonem *Ego talis* 6, distinct. 9, ubi ex verbis S. Augustini sic expresse traditur : « Alios autem (auctores) ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios auctores, vel probabiles (N. B.) rationes, quod a vero non abhorrent, persuadere potuerunt. » Unde ipsemet S. Augustinus circa sibi propositam quæstionem, an sit celebrandum, et communicandum jejune, in epistola 118, *Ad Januarium*, quæ exstat in tom. II editionis Lugdunensis sumptibus Joannis Radisson 1664, pag. 179, in qua cum prius cap. 6, respondens Januario dixisset : « Et liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos : nunquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ quod a jejunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur. » Deinde *ibidem*, cap. 7, subjungit : « Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit (N. B.) ut uno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos afferri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini. . . Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus. » Quam epistolam allegans, et expendens cardinalis Bona *Rerum liturgicarum* tom II, lib. I, cap. 21, § 3, editionis Taurinensis 1749, ex typographia Regia, sic expresse tradit : « Quamvis enim Ecclesiæ more receptum esset, quod mysteria semper a jejunis celebrentur, nonnullos tamen probabilis quædam ratio delectavit, ut eo die, quo cœna Domini recolitur, post cibum afferri et accipi liceat corpus, et sanguinem Christi, tanquam in insigniorem commemorationem mysterii ab ipso post legalem cœnam constituti, quibus contradicere S. Pater non audet; » et opinio celebrandi, et communicandi post sumptum cibum in die Cœnæ Domini erat solum probabilis in concursu illius probabilioris, « sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit; » et tamen sanctus ille doctor hanc solummodo probabilem opinionem etiam in concursu illius probabilioris improbare non audet. « Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus; » et juxta adducta verba eminentissimi cardinalis Bonæ, quibus (id est sequacibus opinionis solum probabilis) contradicere S. Pater non audet. Hinc quid de mente tanti eximii, et sancti doctoris Ecclesiæ luminis, sit ex his inferendum, satis superque patet.

Digitized by Google

Cæterum in omnibus, et per omnia, ut jam toties protestatus sum, sanctæ Romanæ Sedis certissimo, ac firmissimo judicio me submitto semperque submittam; sicuti etiam volo, et statuo; ut si quæ apostolicis, seraphicisque sanctionibus, præsertim in novissimo generali capitulo Mantuæ celebrato diebus 29 et 30 Maii anni 1763 editis, minus consona hic in apologeticis responsionibus, et in reliquo opere meo tradita reperiantur, ad earum mentem et sensum penitus revocentur, intelligantur, et retineantur.

ANIMADVERSIO IN RESPONSIONEM AUCTORIS.

Quid de propositionibus probabilismum respicientibus ab auctore ut plurimum relatis, sæpe etiam approbatis censendum sit, æqui lectores statuere per se facile poterunt, si et Romani theologi, et nostras ad illas adnotationes perpenderint. Cæterum non est, cur miremur ab homine, a teneris, ut aiunt, unguiculis probabilistarum systemati addicto, habitas ut vere, ac solide probabiles, nimirum gravi et prudenti pondere rationis et auctoritatis fultas opiniones, quæ cum oppositis comparatæ probabiles nec essent, nec viderentur. Ut enim Horatius *Epistolarum* lib. I, epist. 2, verissime scripsit:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu. . . . . .

In auctorem tamen nostrum non cadit, quod Horatius idem *Epistolarum* lib. II, epistola 1, de quibusdam ait, perstare illos in sententia :

Vel quia nil rectum, nisi quod placuit, sibi dicunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, et quæ
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Etenim ipse, ut catholicum, et religiosum hominem decebat, « si quæ apostolicis seraphicisque sanctionibus præsertim in novissimo Generali capitulo Mantuæ celebrato diebus 29 et 30 Maii anni 1762, editis (in quibus sanctionibus mandatur, et præcipitur sacræ theologiæ lectoribus, aliisque omnibus, quatenus doctrinas tutiores et probabiliores semper doceant, et amplectantur (ut ex decreto 3, in eo capitulo generali sess. XV habito, die 6 Junii 1762 promulgato, quod legitur verb. *Opinio probabilis*, num. 14, constat) minus consona... in apologeticis responsionibus, et in reliquo opere suo tradita reperirentur, ad earum mentem et sensum penitus revocari, intelligi, et retineri voluit. Qua quidem declaratione probabilismum, omnesque opiniones minus probabiles, quas vel retulit, vel docuit, vel adversus Romanum theologum defendendas suscepit, improbasse ac rejecisse censendus est. Illud fortasse mirum alicui videbitur, eamdem in hac responsione, in qua ejusmodi declarationem edidit, nihilominus protulisse testimonia Benedicti XIV et S. Augustini, quæ a probabilistis afferri solent, ut fucum imperitis faciant. Nam qui illa accurate expenderit, profecto intelliget nihil inde extendi pro systemate probabilistarum posse. Etenim Benedictus XIV, in const. *Sollicita*, relinqui a Sancta Sede in suo probabilitatis gradu unamquamque opinionem de qua catholicæ scholæ, instituta, nationes inter se certant, dicit; fas esse opiniones minus probabiles, quæ probabilioribus ita cognitis, atque existimatis aut docere, aut sequi non dicit; quinimo oppositum aperte docet. *Vide* Romani theologi not., ad verb. CONFESSARIUS, art. 1, num. 58. S. Augustinus autem rationes probabiles eas tantum duxit, ex quibus efficitur, ut opinio nobis probanda videatur, quales certe non sunt illæ, quæ gravioribus rationis, auctoritatisque momentis eliduntur; nec illi unquam putavit fas esse, cum de æternæ salutis negotio agitur, incertis sese opinionibus committere. » Si dubium haberet, » inquit l. 1 *De baptismo contra Donatistas*, cap. 3, n. 6, « non illic recte recipi, quod in Eccles. catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta præponeret. » Et cap. 5, num. 6: « Accipere in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum? » At enim sanctus doctor contradicere non audebat illis, qui « non certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit; tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos afferri et accipi licere corpus et sanguinem Domini » probabili ratione delectati opinabantur. Fateor. Quid igitur? Num licere opinionem minus probabilem pro libertate, abjecta opposita probabiliori pro lege, amplecti existimavit? Nihil minus. Nam qui illud opinabantur, opinione se vere probabili, non minus probabili præ probabiliori niti opinabantur: eumque casum sanctus doctor ex *illorum genere esse* existimavit, *quæ per loca, et regiones* variarentur. Ita cardinalis Bona, *loc. cit.* ab auctore. Confer Berti, *De theologicis disciplinis*, lib. XXI, cap. 15, in quo de sancti Augustini, in hac quæstione, sententia accurate disputat. Mitto alios, quos recensere facile possem.

* Vide *Additiones Casinenses* sub verb. OPINIO PROBABILIS, et secundum ibi tradita expende, quæ hic in Lucium nostrum animadversa sunt *.

XENIA

Hæc ad rem.

1. Xenia illa, seu dona, aut munera dari solita per cardinales absentes noviter promotos cubiculariis participantibus, seu cameræ Pontificis, si contingat obitus Papæ, qui illos creavit, antequam secuta sit consignatio birreti, munerumque receptio, dividenda sunt inter cubicularios utriusque Pontificis, nempe illius, qui illos cardinales creavit, et successoris. Si vero consignatio birreti, et munerum receptio sequuntur vi-

Digitized by Google

vente Pontifice illo, qui dictos cardinales creavit, tum integraliter spectant ad cubicularios pontificis præmortui. Sic D. Ursaya, *Instit. crimin.*, lib. II, tit. 2, n. 57, testans ita conciliari doctores, qui videntur in hoc inter se contrarii, adducitque pro se Pitonium, tom. II, discept. 51, per tot.; et emin. cardin. Petram, tom. IV *Comment. ad constit.* 1 *Eugenii IV*, n. 23. Vide ipsos, *loc. cit.*, ubi referunt ad rem varios casus.

(2. *Xenia et dona excæcant oculos judicum* (*Eccli.* XX, 31).

(3. Unde judex tenetur abstinere a receptione munerum, tum jure divino, tum jure humano. *Vide* verb. JUDEX, num. 33 et 34.

(4. Judex contra supradictas prohibitiones accipiens notabilia munera peccat graviter, et tenetur ad restitutionem. Vide *ibid.*, num. 35.

(5. An talis restitutio sit pro foro conscientiæ facienda ante sententiam condemnatoriam, vel declaratoriam delicti. Vide *ibid.*, n. 36.

(6. Quantum ad hoc pro certo tenendum est, quod ea, quæ ad redimendam vexationem, aut sententiam injustam, aut aliter involuntarie data sunt, debent a judice restitui ante omnem sententiam. Vide *ibid.*, num. 37.

(7. Judices videntur a jure reddi inhabiles ad acquirendum munerum receptorum dominium. Vide *ibid.*, num. 38.

(8. Nec ex consuetudine possunt judices illa acquirere, et retinere. Vide *ibid.*, n. 39.

(9. Ubi vero jura non reddunt judices inhabiles ad acquirendum tale dominium, stante consuetudine legitime præscripta, sciente superiore, et non contradicente, possunt judices sæculares sponte oblata recipere. Vide *ibid.*, num. 40.

(10. Potest tamen judex recipere a partibus sponte oblata leviora munuscula, pro quibus non est periculum, quod perverta-tur, seu corrumpatur ipsius judicium. Vide *ibid.*, num. 41.

(11. Judex ecclesiasticus, sive ordinarius, sive delegatus nihil recipere potest sportularum nomine. Vide *ibid.*, num. 42.

(12. Judex laicus delegatus potest exigere sportularum nomine etiam quotam pecuniæ. Vide *ibid.*, num. 43.

(13. Judex autem laicus ordinarius nequit aliquid recipere sportularum nomine. Vide *ibid.*, num. 44.

(14. Si judex, sive ordinarius, sive delegatus, sive ecclesiasticus, sive sæcularis non habeat sibi assignatum stipendium, nec congruam sustentationem, poterit pro judiciis sibi commissis exigere sportulas, sive honoraria. Vide *ibid.*, n. 46.

(15. Ubi exstat consuetudo, possunt judices accipere saccharum, ceram, coccholatam, etc., in diebus natalitiis, vel alio anni tempore, quæ consuetudo viget in urbe Romæ, ut est omnibus notorium, teste D. Ursaya, *Instit. crimin.*, lib. II, tit. 2, num. 51 et seq., ubi subjungit, quod licet omnia ista munera, sive esculenta, et poculenta, sive saccharum, cera, etc., accipi possint a judicibus, ut expresse habetur in constit. Innocent. XII, incip. *Sacerdotalem, et regiam*, § *Porro*, ibi: « Porro xenia solita esculenta, et poculenta, quæ judicibus, ministris, et officialibus Romanæ curiæ exhiberi consueverunt, minime prohibita fuisse, nec prohiberi decernimus: » magis iidem judices æstimantur, si illa non accipiant, quia litigantes, qui eis unam gallinam dant, illam dant cum intentione, ut habeant ab eis bovem, quodque rustici dicere solent, quod munus intrat per portam judicis, et diabolus per fenestram. Sic cum pluribus aliis ibi allegatis expresse D. Ursaya, *loc. cit.*

(16. Auditores Rotæ accipientes aliquod munus a notariis ratione officii incurrunt excommunicationem, et tenentur ad restitutionem in duplo erogandam pauperibus. *Vide* verb. AUDITORES, numer. 62.

(17. Imo auditores Rotæ nihil recipere possunt, neque per alium a litigantibus. Vide *ibid.*, num. 63.

(18. Solent tamen ab istis recipi munera quædam solita pro festis natalitiis, et Kalendis Augusti. Quæ munuscula solent etiam mitti advocatis, et procuratoribus per litigantes, quæque uti consueta debent bonificari agenti causarum. Vide *ibid.*, num. 64.

(19. Episcopus non potest recipere munera occasione receptionis habitus, seu emissionis professionis monialium. *Vide* verb. EPISCOPUS, art. 6, num. 107.

(20. Episcopus et quilibet alius superior ordinarius in his transgressor tenetur ad restitutionem, et si munus excedat summam decem ducatorum, nequit absolvi neque a summo pœnitentiario, nisi facta prius restitutione. Vide *ibid.*, num. 108. Imo Pignatell., tom. IX, consult. 144, ex variis decretis sacræ cong. Episc. vult, quod episcopus non debeat, nec possit recipere dona, seu munera a suo clero, et ipsum sequitur Ursaya, *loc. cit.*, num. 46. *Vide* ipsos.

(21. Quoad ea quæ possunt et debent necessario observare regulares circa largitiones munerum, *vide* verb. REGULARES, art. 1, num. 67, ubi ad id afferuntur constitutiones Clementis VIII, et Urbani pariter VIII.

(22. Recipientes munera a regularibus contra præscriptum dictarum constitutionum, quicunque sint sive regulares, sive sæculares, in neutro foro absolvi possunt ante factam restitutionem. Vide *ibid.*, n. 68.

(23. Et si munus excedat summam decem scutorum, neque possunt absolvi a summo pœnitentiario. Vide *ibid.*, n. 69.

(24. Quoad personas quæ donare possunt, vel non? et in qua quantitate? *Vide* verb. DONATIO, art. 2, per tot.

(25. Munera non sunt recipienda, neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus, textu expresso in l. *Solent* 6, § 3, *De officio proconsulis.*

(26. Munera accipere a nemine inhumanum est, passim vilissimum, et omnia avarissimum, textu expresso, in cit. l. *Solent* 6, § 3, ibi: « Nam valde inhumanum est a nemine accipere, sed passim vilissimum est, et omnia avarissimum. »

Digitized by Google

(27. In muneribus dandis, et accipiendis attendi debent quatuor ista assignata a Glossa in capit. *Etsi*, quæstione 18, verb. *Muneribus*, *De Simonia*, duobus sequentibus versiculis, ibi :

(28. Muneribus dandis attendas quatuor ista :
Qui dans, quisque petens, quæ res, quæ causa petendi.
Munera, crede mihi, placant hominesque, deosque :
Placatur donis Juppiter ipse datis.
(Ovid., apud Ursayam *Miscell.* 1 *sacr. et prof.*, litt. *M*, n. 360.)

(29. Alia ad rem. *Vide* verb. DONATIO, verb. JUDEX ; verb. MONIALES ; verb. REGULARES ; verb. VOTUM.

(30. *Victoriam et honorem acquirit, qui dat munera : animam autem aufert accipientium* (*Prov.* XXII, 9).

(31. *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* (*Psal.* XXV, 10.)

ZELOTYPIA

Hæc ad rem notanda.

1. Zelotypia est dolor, seu ægritudo animi ex eo proveniens, quod alter potiatur eo quod quis concupiscit, vel potitur : Ursaya, *Institut. crimin.*, lib. III, tit. 3, num. 54. Seu est ægritudo animi ex eo proveniens, quod quis timet, ne alteri adsit, quod cum nemine velit habere commune, Chrysippus secutus a Cyriac., controv. 172, n. 77 ; Ursaya, *Miscellan.* 2 *sacro et profan.*, litt. *Z*, n. 2.

(2. Mulieres facile zelotypiæ morbo laborare solent, et referuntur aliqua exempla ab Ursaya, *Instit. crimin.*, lib. II, tit. 4, n. 104, et lib. III, n. 4. Vide *ibi*.

(3. Maritus uxorem non bene conversantem zelotypiæ causa domi ut in carcere retinere potest : cap. *Placuit* 10, caus. 33, q. 2 ; Guazzin., *Ad defens. reor.*, defens. 5, cap. 7, num. 5 et 12, ubi de viro uxorem ob zelotypiam in vinculis detinente ; Ursaya, *loco cit.*, lib. IV, tit. 3, n. 23.

(4. Zelotypia magnum est copulæ argumentum ; Scalon., *De testament.*, lib. III, cap. ult., sect. 2, n. 30, ubi refert, et sequitur vulgatum illud : « Res est solliciti plena timoris amor ; » Ursaya, tom. VII, part. II, disceptat. 22, n. 38 ; Panimol., decis. 93, annot. 1, num. 16 ; Rota, *in Senogallien. legatorum* 13 Junii 1679, verb. *Sed etiam*, *coram Molin.*

(5. Ex zelotypia alterius amoris ortum habere solent amatoria sortilegia : Denet., in *Examin. episcop.*, lib. VI, cap. 34, num. 10 et seqq. ; Ursaya, *Instit. crimin.*, lib. III, tit. 3, num. 53, cum aliis allegatis.

ZINGARI, ZINGARÆ.

Lubet sequentia tradere.

(1. Zingari, vel zingaræ, qui vel quæ se jactant divinare bonam, vel malam fortunam, et in dies ab idiotis præsertim, et plebeis passim de sua sorte consuluntur, si admisceant res sacras, et assertive pronuntient cordium secreta, sortilegium committunt, et possunt ab inquisitoribus puniri : Villadiego, in *Politic.*, cap. 5, § 20, num. 30 ; Diana, tom. V, tract. 10, *De S. offic.*, resolut. 112, per tot. ; Nicol., in *Floscul.*, verb. *Inquisitor.*, num. 1 ; Raynald., tom. I, ad c. *Supplet* 5, n. 496 ; Pignatell., tom. VIII, consult. 64, num. 45, et alii passim. (2. Secus autem, si non admisceant res sacras, nec assertive pronuntient cordium secreta ; Bordon, in *Manual. S. offic.*, sect. 34, num. 68 ; Ursaya, *Institut. criminal.*, lib. III, tit. 3, num. 44, 45 et 46, et alii. Et ratio est, quia eorum prædictiones, et divinationes fere ab omnibus ordinarie cum risu accipiuntur, nec eis præstatur aliqua firma fides, quod observat pariter Carena De inquisit., part. II, tit. 12, n. 164, et alii passim, notantes, quod nemo est tam simplex, ut firmam fidem præstet Ægyptianis, vulgo dictis Zingaris.

(3. Tam zingari, vel zingaræ, ut supra divinantes, et prædicentes, quam omnes alii ipsos, vel ipsas consulentes peccant mortaliter, si fiat cum firma fide, vel scandalo ; si vero fiat propter solam curiositatem, vel animo ridendi, ut communiter fieri solet, peccant tantum venialiter : Filliuc., tract. 24, num. 135 ; Lupus, pag. 323, difficul. 2 ; Busembaum, *Medull.* lib. III, tract. 1, dub. 2, n. 10 ; Sanchez, et alii passim.

(4. Zingari sunt testes idonei ad probandum statum liberum aliorum zingarorum, matrimonium contrahere volentium : sacr. congreg. Conc., *in Fundana visitationis sacrorum Liminum*, 19 Decembr. 1682, lib. XVI *Visitat. sacror. Limin.*, fol. 96 ; apud Ursayam in *Miscellaneo* 1, litt. *Z*, num. 2.

(5. Emens rem a zingaris tenetur illam absque restitutione pretii vero domino restituere : Ursaya, *Instit. criminal.*, lib. II, tit. 8, n. 53 ; Bertazol., *Consil. crimin.* 43 ; Pignatell., tom. VIII, consult. 64, num. 41, et alii : et ratio est, quia emptio, vel est facta scienter, et est nulla, l. *Si in emptione* 34, § 3, ff. *De contrahenda emption.* ; vel ignoranter, et non transfertur rei emptæ dominium in emptorem, l. *Rem alienam* 28, ff. eod., ubi Glossa, et doctores passim. Quinimo ex tali emptione nec oritur usucapiendi conditio, § *Furtivæ* 2, institut. *De usucapionib.* (6. Viget enim contra zingaros furti præsumptio, cum ipsi, ut eorum filii facilius furentur, doceant illos, permissum esse ab eorum lege quolibet die certam summam furari, quod scivit in examine ab uno ex eisdem processato de furto : Cosp., *Nel giudice criminal.*, part. III, cap. 46, num. 10, teste Ursaya, *Instit. crimin.*, lib. III, tit. 3,

Digitized by Google

num. 48, citans Crusium *De indic. delictor.*, part. II, cap. 22, num. 36, et Raynald. tom. III, cap. 26, § 15. (7. Unde ipsi etiam pro minimis furtis, puta gallinarum, puniri debent; De Angel., *De delict.*, part. I, cap. 6, num. 13; Ursaya, *loc. cit.*, lib. II, tit. 8, n. 13; Raynald., *loc. cit.*, n. 3, et alii.

(8. Zingari præsumuntur mali homines: Florell., *in vot. edit. in Perusina falsæ monetæ* 24 Novembr. 1711, § *In oppositum*; Ursaya, *loc. citat.*, num. 53; Raynaldus, *loc. cit.*, num. 2, ubi cum aliis asserit, ipsos semper male agere in locis, ubi sunt, et ex raptu, latrociniis, proditionibus, deceptionibus turpem quæstum facere. His enim de causis legimus jussos esse a Germania discedere provido edicto Caroli V imperatoris anno 1549, veluti exploratores et proditores Christianorum regnorum missos a Turcis, c. Gregor. *Syntagm. jur.*, lib. n fin.

(9. A regno quoque Neapolitano, ubi sine licentia morabantur, ac furtis, et latrociniis cuncta compleverant, pragmaticis sanctionibus jussi sunt discedere 16 Octobr. 1568, 14 Septembris 1596, et 12 April. 1685, ut refert Pignatell., *loco cit.*, n. 44. Et sic etiam bannitos esse a toto Statu ecclesiastico, Bononiensi, et Neapolitano tradit Raynald., *loc. cit.* (10. Ubi n. 4, refert ab aliquibus vocari descendentes, ac posteros Caini, vagos et extorres propter illius peccatum; (11. et ab aliis dici errones, eo quia majores sui Deiparam Mariam, cum ex Judæa propter Herodis persecutionem in Ægyptum fugeret, hospitio excipere recusarunt: quæ tamen falsa esse ostendit. Quamvis, *ibid.*, n. 6, asserat, quod in Turcia hujus gentis mulieribus licitum est ex privilegio publice impune se prostituere.

ZIZANIA.

Hæc porro de hac materia.

(1. Beatam, inquit clarus jurisconsultus Joannes Petrus Beuniza in dissertatione *De vera religionis libertate in tritico per zizania non suffocanda vindicatata*, beatam non ita semper rempublicam tenere contingit iis, qui τὸ Κύριον exercent, ut ab omnibus subditis sanctissimæ Triadi in illius fidei confessione rite serviatur, cujus veritas a primis initiis tot divinitus demonstrata signis, tot martyrum testata sanguine, tot manifestata prodigiis, per orbem universum diffusa, crevit adversis, inclaruit persecutionibus, per hæreses omnibus retro sæculis pressa, nunquam tamen oppressa succrexit, nec ab ipsis inferorum portis superabitur. Exsurgunt subinde homines novitatis avidi, scientiæ inanis vento turgidi, religione, nisi quam sibi finxere, vacui, ab avita fide devii, miscent turbas, spargunt dogmata, incendunt populos, malum sub cineribus gliscens advertit nemo, aut si adversum fuerit, et ii, quibus illud opprimendi negotium datum, id ipsum mollibus sententiis, aut etiam occultis machinationibus alunt, eo facile excrescit multitudo in sectam cæce ruentium, ut absque discrimine, et convulsione salutis publicæ, id est, absque præsentissimo totam rempublicam perdendi periculo deinceps coerceri haud possit. Hinc præstat, diversitatem religionum tanquam κακὸν ἐν κείμενον seu medium servandi totum, princeps toleret, condonet tempori, et e duobus malis minus eligat.

(2. Docet hoc ipse Christus Dominus, *Matth.* XIII, 34 seq., sub parabola, quam confluentibus turbis in littore maris Galilææ de patrefamilias, cum inimicus homo agro bene culto, et seminato noctu superseminasset lolium, prohibente servis, ne zizania evellerent, ne evellendo zizania, evelleretur simul cum eis et triticum, et ex adverso præcipiente: *Sinite utraque crescere*, id est, zizania, et bonum semen, *usque ad messem*. Hac ipsa parabola scio abuti plurimos pseudo-politicos volentes evincere reges, ac principes (qui per patrisfamilias vocabulum hic indigitantur) posse semper et indistincte permittere, ut diversæ religiones, quarum una vera sit, reliquæ falsæ, simul in eodem territorio, sicut zizania et triticum in eodem agro succrescant. Atque sub hoc scuto, teste Paulo Diacono, lib. XXIV, sese latere tutos, et tectos jam plurimis ante sæculis existimarunt Manichæorum, Paulinianorum, et Attinganorum patroni, cum in prædictos sectarios Michael Balbus imperator pœnam capitalem promulgasset, sentientes, omnes in Christum credentes juxta apostolum, *Joan.* III, 15, salvari posse; et tametsi ab Ecclesia nonnullis opinionibus dissentirent, suæ conscientiæ relinquendos esse. Verum si una unica duntaxat fides est, extra quam nemo salvari potest, qua ratione stare poterit, ut, cum tot religionibus una fides læditur, et toto cœlo ab invicem hi et illi discrepant in substantialibus articulis, in unius tamen fidei confessione dici queant consonantes, et unius Ecclesiæ, a cujus unitate voluerunt esse separati, membra haberi mereantur? Nam et tanquam infidelis reprobandus est, ille, qui vel in uno dogmate obedientiam Ecclesiæ denegaverit, juxta illud *Jacobi* II, 10: *Quicunque legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

(3. Proinde princeps lege Dei victurus, in suo territorio orthodoxos, et adversam religionem profitentes æqua lance fovere non potest, tametsi sub hac vulpina pelle sese clandestine insinuent, quasi a religione orthodoxa in nonnullis duntaxat discrepent. Non ita administrare suas provicias debent principes Christiani, ut omnem quoad suos subditos curam religionis abjiciant, tanquam nihil ad se pertinentem, et usurpent illud Donatistarum: *Quid imperatori cum*

Digitized by Google

Ecclesia? quod tantopere reprehendit S. Augustinus lib. II *Cont. litt. Petiliani*, cap. 92: Omnino interest regnantis, rescribente Theodosio imperatore ad Cyrillum, « ut non solum pacifice, sed et pie subditi vivant. » Idem censuere Theodosius et Honorius ad Marcellinum: « Non aliud, aut belli laboribus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi (N. B.) ut verum Dei cultum orbis nostri plebs devota custodiant. »

(4. Redeo ad parabolam. In ea se offerunt ministri patrisfamilias, hoc est reges, et principes, qui Dei vices in terris obeunt, promptos ad evellenda zizania (N. B.) si ea eradicanda esse paterfamilias judicaverit; ita enim ad eum servi: *Domine, nonne bonum semen seminasti? unde ergo habet zizania?* Et postquam responsum retulere: *Inimicus homo hoc fecit*, dixerunt: *Vis, imus, et colligimus ea?* At noluit paterfamilias, ne servi forte colligentes zizania, eradicarent simul cum eis et triticum, ubi bene adverti ad causalem est necesse, quæ est, ne servi, scilicet reges, et principes, dum zizania et lolium, id est falsas sectas radicitus exstirpare nituntur, etiam triticum, id est veram religionem affligant, et de medio tollant; ut a contrario, si cesset periculum, si metus iste non subsit, sed omnino de frumentorum certa stabilitate securitas maneat, ex mente patrisfamilias zizania sint eradicanda, falsæ religiones eliminandæ, hæretici ad veram fidem compellendi, juxta oraculum Christi: *Compelle intrare.* (*Luc.* XIV, 23.) Præsertim cum infelix lolium præ herbis salubribus soleat pullulare, ex quo periculum oritur, ne triticum a zizaniis, si in eodem agro succrescant, et vera religio a sectis, si in eodem regno tolerentur, sensim suffocentur.

(5. Hoc metuendum esse, quilibet facile intelliget, qui consideraverit, ipsa docente æterna Veritate, *Matth.* XVII, 14: angustam esse portam, et arctam viam, quæ ducit ad vitam, id est veram religionem austeram esse, et carnis sensualitati contrariam, ideoque difficultate maxima hominum animis inseri; spatiosam esse viam, quæ ducit ad perditionem (*Ibid.* 13,) hoc est sectariorum dogmata ad speciem plausibilia videri, et plerumque ad libertatem vitæque licentiam carni blandientem, ad quam homines non minus propendent, quam lapis ad lapsum, studiose esse composita: ideoque nisi potestas aliqua obsistat, avide recipiuntur, et pertinacius retinentur. In ejusmodi igitur casibus obstandum principiis, ut opprimatur gliscens doctrina erronea in scintilla, ne, dum lenitati studetur, mollioribus consultis commune incendium foveatur, et noceatur bonis, dum nocentibus parcitur.

(6. Contra pugnant Christophorus Matthæus Pfaffius in dissertatione theologica *De zizaniis non evellendis;* Joannes Christophorus Balter, in disquisitione *De libertate religionis*, aliique Protestantes. Sed Pfaffium potissimum audiamus: « Quis, inquit, coram Deo hæreseos reus sit, authentice nemo mortalium decidere valet in terris, ubi veritatem quisque se sequi credit, et demonstrationis tam ambigua hic penes plerosque lux, et sub judice lis anceps est. Prævidit diversas in sententias de fide abituros aliquando Christianos optimus maximus Salvator, et si eradicaturi se invicem dissentientes essent, Ecclesiam in speluncam latronum degeneraturam. » Addit deinde: « Huic malo Christus positurus obicem, legem hanc prohibitivam in Evangelio dedit, reprimeret ut inconsultum male sapientium zelum, ostenderetque esse hoc divinæ majestatis reservatum jus, sententiam authenticam in judicio extremo et dicendi et exsequendi. » Unde concludit: « Si solis angelis messoribus jus eradicandi in extremo judice hæreticos competit, si divinum hoc jus reservatum est, magistratui sane politico in hoc mundo non competit: ergo tolerandi illi, nec evellendi sunt pœnis civilibus, vel capitalibus. »

(7. Respondet his Banniza 1, indirecte, retorquendo: « Certe, quis hæreseos reus sit, authentice decidere nemo valet, ubi veritatem quisque se sequi credit, et demonstrationis tam ambigua hic penes plerosque lux, et sub judice lis anceps est. Ergo cuivis permittenda quævis: ergo etiam error, superstitio, idololatria, et cætera religionis ludibria vana, atque impia eodem jure toleranda, etiam cum justo metu, ne veræ nitor religionis vicinitate sacrilegii contaminetur; ergo eodem modo ab evellendis zizaniis abstrahenda manus, uti ab evellendo tritico etiam cum periculo, ne triticum per zizania suffocetur. Sequela est cunctis apostatis, hæresum architectis, idololatris, et atheistis favorabilis, adeoque scandalosa, et certo falsa. Ergo et antecedens, unde sequitur. » Item: « Demonstrationis tam ambigua hic penes plerosque lux, et sub judice lis anceps est, scilicet quænam sit vera religio: » ergo religio salvifica non est *Civitas supra montem posita*, sed *absconsa:* non est *lucerna supra candelabrum*, sed *sub modio posita.* (*Matth.* V, 14, seq.) Ergo a Christo non est certo determinata semita salutis: ergo de fide, et in fide sumus minime certi: ergo nobis desunt sufficientia media ad salutem, quæ omnia etsi de protestantica D. Pfaffii religione, ubi nullus judex, certitudo nulla, admodum verificentur; tamen ab ipsismet sanioribus Aug., *Conf.*, addictis ut paradoxa rejiciuntur. Et quid posset esse ad indifferentismum conducibilius?

(8. Directe deinde negando bis supposita; in primis, quod ad sequendam, vel retinendam religionem judicium humanum sufficiat; nam requiritur divinum, verbo Dei expressum. Deinde, quod lis anceps sit, quænam sit vera, et unice salvifica religio, Christo, ejusque verbo juxta Ecclesiæ infallibilis sensum intellecto, veram fidem, fide divina credibilem, certissime demonstrante. Cumque fatente ipso Pfaffio de ejusmodi zizaniis Christo sermo fuerit, quæ dignovere servi, possunt utique zizania dignosci a tritico, hoc est vera religio a falsis;

Digitized by Google

qui ergo asserere potuit : certe quis hæreseos reus sit, authentice decidere nemo valet? contradictionis vitio hæc asserta laborant, sed et manifesti erroris. Item ex verbis : « Veritatem quisque se sequi credit, et demonstrationis tam ambigua hic penes plerosque lux est » colligitur D. Pfaffium forte de illo genere hominum esse, qui nulla auctoritate moveantur, qui nihil credunt, nisi quod argumentis invincibilibus verum esse didicerint. At nihil novum nobis ille proponit ; jam multo ab hinc tempore ab iis, qui extra Ecclesiam sunt, hoc loquendi idioma percepimus.

(9. Sed nonne tanta libertas, seu potius licentia credendi a primordio reformationis (ut vocant) in tantam continuo confusionem erupit, ut vereri non immerito, qui uni parti adhærebant, debuerint, processu temporis, tot futuras religiones, quot erant regiones, tot credentium diversa corpora, quot urbes, et familiæ, et pene quot capita? Intervallo enim tam modico Lutheri asseclæ in tot se schismata disciderant, ut nisi modus denique positus esset, totum sic dictæ reformationis mysterium in primo sui exordio dissolutum fuisset.

(10. Qui autem hodie, prout DD. Pfaffio, et Balsero bonum videtur, nulla penitus auctoritate stringuntur, sed prout judicio humano, et ingenio quisque proprio sibi formam credendi præscripserit, sic credunt, illi in tantam confusionis abyssum feruntur, ut syncretismum induentes, religionem susque deque habeant. Eorum nonnulli pro arbitrio Scripturas sacras interpretantur, aut omnino ex iis expungunt, reformant, vilipendunt, et in nihilum redigunt. Sunt iterum alii, qui deploranda animi cæcitate ipsum adeo baptismi sacramentum non necessarium docent, atque ita, quod hactenus cum tanta religione observatum est tanquam primum Christianitatis fundamentum, ad interitum sui, suorumque, e pectoribus eliminant. Nota loquor, et ea, quæ dudum Protestantium viri cordati, quosque Augustana confessio tenet, e medio tolli magnopere vellent, et ut fiat, magnis viribus allaborarunt. Non ergo me pudet in eorum numero censeri, qui almæ antiquitati, sanctæ puritati, sinceræ veritati, universoque catholico corpori, summisque capitibus se submittunt.

(11. Denique, inquit doctissimus Banniza, pro resolutione objectionis primæ finaliter adhuc addimus, et monemus, haud esse metuendum, quin « Ecclesia in speluncam latronum sit degeneratura, » si ut recte statuit *Tridentinum*, sess. XXIV, viri pietate morum, scientia, et doctrina Evangelii, historiæ ecclesiasticæ, ac conciliorum fide præstantes eligantur, qui a via veritatis aberrantes suaviter reducant telis doctrinæ, pietatis, et sapientiæ ; cum pertinacibus intrepide, cum falso zelo illusis pie, ac benigne, cum frigidis serio, cum dubiis clare, ac confidenter, cum omnibus discrete, et prudenter tractare studeant, ac norint, et quibus vera sæpius religio calumniose depingitur, falso præconceptas opiniones adimere allaborent.

(12. Ad id vero, quod a Pfaffio additum vidimus, respondet : 1° Idem præclarus jurisconsultus, distinguendo : Christus legem hanc prohibitivam de zizaniis non evellendis in Evangelio dedit, *absolute* nego. *Conditionate* tantum, ne cum zizaniis evelleretur simul et triticum, atque ut si cesset hoc periculum, zizania sint eradicanda, concedo antecedens. Distinctionis ratio patet ex dictis, num. 4. Respondet 2° indirecte, retorquendo in adversarium, quæ adjecit : « Divinæ majestati reservatum jus est, sententiam authenticam in judicio extremo et dicendi, et exsequendi ; » non tantum in hæreticos, sed etiam in quoscunque scelestos et peccatores ; ergo magistratui politico in hoc mundo non competit facinorosis pœnas irrogare capitales, quod vellent Anabaptistæ, Sociniani, et fanatici ; neutiquam Tubingensis cancellarius Pfaffius, si sapit. Deinde, quod probe notandum est : et humanæ majestatis jus est, non quidem religionem quamcunque suæ qualicunque contrariam exterminandi, sed religionem veram defendendi, propagandi, etsi non armis cogendo infideles, attamen armis fideles protegendo, desertores, apostatas, hæresiarchas, tanquam lupos, et reipublicæ perturbatores arcendo, et coercendo.

(13. Urget tamen Pfaffius prohibitionem Salvatoris generalem ex hoc factam capite, quia præviderat ille, fore, ut in dijudicatione tritici et zizaniorum tantopere olim errarent homines, loco zizaniorum, vel cum zizaniis evulsuri triticum. Monet præterea verba textus esse plane emphatica : *Sinite utraque crescere usque ad tempus messis.* Eodem, ait, itaque modo ab evellendis zizaniis abstrahenda manus est, uti ab evellendo tritico : maxime, cum, si violentis modis eradicarentur dissentientes in fide, nullaque ipsis subinde concederetur tolerantia privilegiata, excitarentur bella, ipsos quoque eradicatores internecioni datura.

(14. Verum frustra hæc omnia ; licet etiam prohibitio patrisfamilias : *Nolite colligere zizania*, quoad externam verborum figuram sit generalis, ex mente tamen expressa *ne eradicetis simul cum eis et triticum*, hanc suscipit limitationem, ut si possint zizania absque tritici simul destruendi periculo exstirpari, sint eradicanda. Quod autem modo dixi de prohibitione patrisfamilias, eam non esse absolutam, sed conditionatam, ἀναλογικῶς quoque ad ejusdem præceptum : *Sinite utraque crescere*, traductum volo. Ut enim verba textus emphatica sint, ex iis non sequitur eodem modo ab evellendis zizaniis abstrahendam esse manum, uti ab evellendo tritico. Non significant illa verba : *Sinite*, etc., eodem pretio, et loco utraque, hoc est zizania, et bonum semen habere, etc. Equidem non sunt evellenda zizania, si absque periculo eradicandi simul et tritici, evelli non possunt, nimirum, si vel dignosci nequeant, prima enim germina zizaniorum, et tritici similia sunt :

Digitized by Google

vel si discernantur equidem, radicibus autem tritici mistæ et zizaniorum radices sint, ut unis evulsis evellantur et alteræ. Sed præstabit ipsam Bannizæ dissertationem consulere a Cl. Antonio Schmidt recusam, tom. III sui *Thesauri juris ecclesiastici*, pag. 464 seqq. *Vide* etiam, quæ a nobis dicta sunt supra verb. TOLERANTIA RELIGIONIS.

APPENDIX

SACRARUM CONGREGATIONUM DECRETA

PRO REBUS NOTATU DIGNIS JUXTA SERIEM VOCUM HUJUS SEPTIMI TOMI DIGESTA

S

SACRAMENTUM

SACRÆ PŒNITENTIARIÆ RESPONSUM.

Beatissime Pater : N. confessarius in Galliis, S. V. humillime consulit, num ipse queat et debeat absolvere illos ecclesiasticos qui se subjicere recusant condemnationi, quam Sancta Sedes edidit, quatuor celeberrimarum propositionum cleri Gallicani. Ita multæ tollentur questiones, et conscientiæ quiescent. — Respondit per sacram Pœnitentiariam, ut sequitur : « S. Pœnitentiaria, diligenter perpensa proposita quæstione, respondendum censuit, Declarationem conventus Gallicani anni 1682, ab Apostolica Sede improbatam quidem fuisse, ejusque conventus acta rescissa, et nulla atque irrita declarata, nulla tamen theologicæ censuræ notam doctrinæ Declaratione illa contentæ inustam fuisse : propterea nihil obstare, quominus sacramentali absolutione donentur sacerdotes illi, qui bona fide, et ex animi sui persuasione doctrinæ illi adhuc adhærent, modo absolutione digni aliunde videantur. Datum Romæ, in sacra Pœnitentiaria, die 27 Sept. 1820. Michael cardinalis de Petro, Major Pœnitentiarius. »

SEDES

SACRÆ CONGREGATIONIS RITUUM DECRETUM.

Tolerari non debet consuetudo, sive corruptela, occasione concionum sedere in gradibus altaris majoris terga vertendo SS. Sacramento, sit, vel non expositum, die 20 Sept. 1806.

SUSPENSIO (158)

T

TABERNACULUM

SACRÆ CONGREGATIONIS RITUUM DECRETUM.

Eliminandos abusus superimponendi sanctorum reliquias, piasque imagines tabernaculo, quo augustissimum Sacramentum asservatur. — S. R. C., die 31 Martii 1821.

SACRÆ CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETUM.

Si quandoque privata ex causa SS. Eucharistia exponenda videbitur, tabernaculo nunquam extrahatur ; sed pyxis velata

(158) Non possunt episcopi inconsulta Sede Apostol. omnibus simul unius conventus confessariis, jam a se, vel a suis antecessoribus approbatis adimere facultatem audiendi confessiones, licet ex rationabili causa aliquos suspendere eis liceat ex Const. *Superna* Clem. X. Si tamen omnes simul suspenderentur, crederem eos interim tuto audire non posse confessiones, cum censuræ etiam nullæ, puta ex defectu jurisdictionis, timendæ sint, saltem in foro externo, propter scandalum, populo non certiorato de earum nullitate. Sic doctissimus Giraldi, *Exposit. jur. Pontific.*, lib. I *Decret.*, tit. 31, append. 3, n. 6, pag. 121.

Digitized by Google

in aperto ejusdem tabernaculi ostio cum assistentia alicujus sacerdotis stola, et superpelliceo induti, et cum sex saltem luminibus cereis collocetur. Quod idem in ecclesiis regularium servari mandamus. Die 9 Decemb. 1820.

TERTIARII, TERTIARIÆ

Instructio edita a sacra Congregatione de Propaganda fide quoad Tertiarias, præsertim pro sacrarum Missionum regionibus.

«Cum diuturna experientia eminentissimi PP. non sine gravi mœrore edocti sint, non levia inter ordinarios locorum, et superiores regularium de Tertiariis, earumque exemptione, ac juribus in dies oriri dissidia, ea potissimum causa, quod Pontificum Constitutiones omnes hac de re non satis sint notæ, ac privilegia a Sede Apostolica Tertio ordini concessa non probe intelligantur: ne malum hoc diutius perseveret, in locis præsertim Missionum, in quibus pacis, et concordiæ vinculum inter clerum sæcularem et regularem maxime conservatum oportuit ad cavendum a fidelium scandalis, ab infidelium blasphemiis, et ab hæreticorum, schismaticorumque calumniis, iidem eminentissimi PP. in congregatione generali habita die 2 Augusti 1762, provide decreverunt, instructionem aliquam esse adornandam, in qua excerpta veterum decretorum summa, et norma in causis occurrentibus ab omnibus servanda contineatur.»

« Pro cujus decreti exsecutione, ut ordine procedatur, primo illud præ oculis habendum, hic non agi de Tertiariis, quæ Latini ritus non sint; hujusmodi enim mulieres e missionariis Latinis cujusvis ordinis aut instituti, minime licere ad habitum Tertii ordinis suscipiendum admittere; quinimo et admissæ si quæ fuerint, ab iisdem missionariis curandum esse, ut quantocius susceptum habitum deponant sub pœnis Apostolicæ Sedis arbitrio subeundis, jam declaravit sacra congregatio decreto edito in congregat. gen. sub die 9 Maii 1757, et a san. mem. Bened. XIV approbato, quod sic se habet:

« Referente eminentissimo et reverendissimo Domino Domino cardinali Tamburino ponente, litteras R. P. D. Patriarchæ catholici Armenorum Ciciliæ, quibus querebatur, Patres Terræ Sanctæ plures mulieres Armenas ad habitum Tertii ordinis admisisse, easque insolita in illis regionibus veste indutas incedere, aliaque in iisdem litteris plane exposita peragere, unde gravia mala, scandala, et incommoda oriebantur; ideo orabat, ut aliquod opportunum remedium adhiberetur; eminentissimi Patres, re mature perpensa, censuerunt, consulendum esse Sanctissimo, ut præcipiat Patribus Terræ Sanctæ, aliisque religiosis viris cujuscunque ordinis, et instituti, ne mulieres cujuscunque ritus Orientalis admittant ad habitum Tertii ordinis, vel ad alium quemcunque ejusmodi; admissas vero habitum jam receptum quamprimum deponere, et veste illius regionis, in qua degunt, communi uti omnino curent, sub pœnis Sanctitati Suæ bene visis.

« Facta autem per R. P. D. Nicolaum Antonelli secretarium sanctissimo Domino nostro in audientia eodem die habita de supradictis omnibus relatione, Sanctitas Sua sententiam sacræ congregationis in omnibus approbavit, eamque servari mandavit sub pœna privationis vocis activæ, et passivæ, non obstantibus Apostolicis constitutionibus, statutis, consuetudinibus etiam auctoritate Apostolica confirmatis, aliisque in contrarium quibuscunque. Datum Romæ, die et anno, quibus supra.»

« Cum igitur ad unius Latini ritus mulieres, regularium circumscripta facultas intelligatur, pronum est, habitum Tertii Ordinis professas, duas in classes referre: alteram earum, quæ simul collegialiter vivunt, alteram vero earum, quæ seorsum suis in domibus degunt.

« Quoad primas explorata res est, privilegiis Tertii ordinis minime frui etiam illas, quæ votum simplex castitatis emiserint, nisi vota solemnia nuncuparunt, et clausuram sancte religioseque custodiant: quamvis enim ejusmodi privilegiis olim fruerentur vigore constitutionum Leonis X, quarum altera incipit: *Dum intra*, altera incipit: *Nuper*, ea tamen privilegia diserte revocata leguntur a san. mem. Pio V, constitutione quæ incipit: *Cura pastoralis officii*, in qua districtius cautum est, ne Tertiariis, quæ vota solemnia non emittunt, et clausuræ lege obstrictæ non sint, usquam collegialiter vivere liceat; quod etiam a Gregorio XIII, plane confirmatum est constitutione, quæ incipit: *Deo sacris virginibus*.

« Fatendum quidem est, his non obstantibus, et hactenus fuisse, et adhuc esse conservatoria quædam, ubi Tertiariæ collegialiter vivunt, etiamsi nec solemnia vota emittant, nec clausuræ lege teneantur; at cum ea ab Apostolica Sede tolerata, non approbata esse intelligantur, ut religiosæ domus canonice erectæ haberi non possunt, sed potius ut domicilia fundata contra mentem Sedis Apostolicæ, et contra decreta Pontificum Pii V et Gregorii XIII. Ideoque certis privilegiis, quæ nonnisi clausis Tertii ordinis monasteriis propria sunt, carere omnino necesse est: quomodo enim Apostolicæ Sedis indultis et gratiis frui possent, quæ contra ejusdem Apostolicæ Sedis mentem sine clausura et votis solemnibus adhuc tamen collegialiter vivunt? Sequitur ergo, hujusmodi Tertiarias jurisdictioni ordinarii integre solideque subjectas manere.

Digitized by Google

« Quod huc usque deductum est juxta doctorum omnium sensum, luculentissime docuit san. mem. Benedictus XIV, *Institut. eccles.* 105, num. 76, ac constanti stylo rescripsere sacræ Urbis congregationes, quarum celebriora duo afferre decreta abs re non erit. »

« Primum nempe sacræ congregationis Concilii, *in una Lauden.* die 27 Maii 1677. In qua quidem causa, cum de Tertiariis oppidi Cottonei vota quædam simplicia castitatis, paupertatis et obedientiæ emittentibus, sine solemnitate tamen, et sine clausura, ageretur, proposito dubio : « An « mulieres hujusmodi subsint visitationi, « et correctioni episcopi? sacra congrega- « tio, audito procuratore generali Patrum « reformatorum Sancti Francisci, sub quo- « rum cura vivebant, respondendum cen- « suit *Affirmative.* »

« Alterum vero est sacræ congregationis Concilii, *in una Lunen. Sarzanen.*, die 30 Januarii 1723. In qua quidem cum de mulierum, assumpto habitu Tertii ordinis Sancti Francisci, collegialiter in conservatorio Massæ viventium, exemptione disceptaretur, sacra congregatio de more rescripsit : « Conservatorium esse subjectum omnimo- « dæ jurisdictioni episcopi, citra tamen ap- « probationem sacræ congregationis quoad « dictum conservatorium : » in quo quidem decreto, eodem temporis, ac loci vestigio, quo ejusmodi mulieres subjectæ declarantur omnimodæ jurisdictioni episcopi, ne probari sub ea forma viderentur hujusmodi conservatoria, verbis adjectis, *citra approbationem*, solertissime cautum est; adeo sacræ congregationis mens ab ejusmodi collegiis sine votorum solemnitate, et sine clausuræ lege fundatis vel ipsa specie probandis aliena est.

« Disciplinam hanc aliquantulum immutavit Benedictus XIII, nonnullis constitutionibus editis, nimirum ea, quæ incipit : *Paterna*, altera, quæ incipit : *Exponi nobis*, tertia denique, quæ incipit : *Pretiosus*, quarum dispositione Tertiariæ, quæ sine solemnibus votis, et sine clausuræ lege collegialiter viverent, a jurisdictione episcoporum subductæ, in jurisdictionem, et curam Superiorum ordinis redierunt; at vix defuncto laudato Pontifice, ejus successor Clemens XII, constitutione, quæ incipit : *Romanus Pontifex*, sublatis iterum ejusmodi gratiis et privilegiis, pristinam de Tertiariis ordinario subjectis disciplinam restituit; in ea quippe sic expresse habetur : « Sta- « tuimus, et decernimus de omnibus, et « singulis prædictis litteris, et constitutio- « nibus, quæ ab eodem antecessore nostro « Benedicto prodierunt, nec non de omni- « bus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, « exemptionibus in iisdem contentis eam « deinceps decisionem ac judicium etiam « in foro conscientiæ habendum, quod sive « ex jure communi, sive ex concilio, sive « ex decretis et constitutionibus aposto- « licis, sive ex aliis legitime habebatur, « antequam eædem litteræ, et declarationes « ab eodem Benedicto concessæ fuissent, « perinde scilicet ac si illæ non emanassent; « ad quam dispositionem, ejusque pristi- « num statum, ac terminum omnia superius « enuntiata omnino reducimus, et reducta « esse volumus; ita ut in posterum su- « pradicti ordines regulares earumdem lit- « terarum et constitutionum usu, commodo, « et effectu penitus carere debere intelli- « gantur. » Ex quibus sane verbis colligit Benedictus XIV, *Institut. eccles.* 105, num. 76 : Redit in pristinum ordinariorum jurisdictio supra Tertiarias collegialiter sine votorum solemnitate, et sine clausuræ lege viventes; eademque de causa ut nobis subjectas eas libere visitavimus.

« Gradum nunc faciendo ad alteram Tertiariarum classem, quæ seorsim suis in domibus degunt, majoribus privilegiis olim gavisas eas fuisse compertum est, inter quæ præcipua numerantur : 1° privilegium fori, quod tamen locum non habet in locis missionis, ubi vix religio toleratur; 2° ut Patribus illius ordinis, cujus regulam profitentur, sua peccata in sacramento pœnitentiæ aperire liceret, quanquam ab ordinario non approbatis; 3° ut communionem Paschalem in eorumdem regularium ecclesia recipientes, præcepto Ecclesiæ satisfacerent; 4° ut ab iis etiam Viaticum, atque extremam unctionem in exitu vitæ possent percipere. Hæc tamen omnia successivis temporibus a Summis Pontificibus, atque a sacris Cardinalium congregationibus, pluribus editis constitutionibus, et decretis, penitus sublata, atque ad terminos juris communis redacta sunt, ut late Fagnanus, in cap. *Omnis*, num. 64, *De pœnit. et remiss.* ex S. C. rescripto refert his verbis : « Cum fratres « monasterii Sancti Dominici de Lugo Imol. « diœcesis declarari postulassent, an ipsis « liceret præsertim ex suis privilegiis au- « dire confessiones virorum, et mulierum « professorum tertii ordinis Sancti Domi- « nici, eisque in Paschate sacramentum Eu- « charistiæ ministrare, Viaticum præbere, « atque extremam unctionem ministrare; « sacra congregatio consideravit, præsuppo- « sito, quod hujusmodi professi eodem jure « censeantur cum aliis professis tertii ordi- « nis Sancti Francisci, de quibus in gloss. « in Clem. *Cum ex eo*, De sentent. excom- « municat., eorum non esse aliquam reli- « gionem, seu modum quemdam vivendi « approbatum a Sede Apostolica, nec dici « plene translatos ad ordinem, ita ut desi- « nant esse de sæculo. card. in Clem. *Per* « *litteras*, num. 9, De præb. Quod cum ita « sit, non magis horum, quam aliorum sæ- « cularium confessiones prædictos religio- « sos audire posse, juxta cap. 15, sess. XXIII, « ubi privilegiis quibuscunque derogatum « est, et amplior derogatio habetur in Bulla « Pii IV revocatoria omnium privilegiorum « sub quibusvis formulis, in his, quæ sacro « Tridentino concilio sunt contraria; ex quo « sequitur, tales religiosos non esse pro- « prios sacerdotes horum professorum; ac « proinde non posse eisdem sacramentum

Digitized by Google

« pœnitentiæ, vel Eucharistiæ in Paschate « ministrare, juxta cap. *Omnis utriusque « sexus*, De pœnitent. et remiss., idemque « juris esse de Viatico : siquidem præce- « dente confessione exhiberi debet cap. 7, « *De præpar. quæ adhibenda est*, etc., sess. « XIII, in decreto *De sanctissimo Eucharistiæ « sacramento*. De extrema unctione non esse « judicium congregationis, sed tamen con- « stare ejus administrationem, sicut aliorum « sacramentorum, pertinere ad parochum, « de cujus parochia dicuntur esse tales pro- « fessi, nisi speciali privilegio sint exempti. »

« Latius hoc ipsum Benedictus XIV, ex Pontificum constitutionibus inter se collatis, et S. C. decretis, deducit *Institut. eccl.* 105, num. 67, et sequent. his verbis : « Si Leo- « nis X constitutio vim totam et integram « obtineat, hæ Tertiariæ privatim vitam « agentes, ab episcopi jurisdictione prorsus « immunes esse deberent ; eos sibi confes- « sarios deligere possent, qui ad monialium « confessiones, non vero sæcularium exci- « piendas probantur : ad parochiam acce- « dere non tenerentur, ut Paschali præcepto « satisfacerent : tandem a præfectis suis re- « gularibus extremam unctionem percipere, « et post mortem in Ecclesia sui ordinis se- « peliri jure possent ; sed aliter se res ha- « bet : nam Leonis X constitutio ad certos « quosdam limites est redacta a Summis « Pontificibus, qui deinde Sedem apostoli- « cam tenuerunt. Cum hæ mulieres revera « non habeantur regulares, eo quod tribus « votis solemnibus non astringantur ; ideo « non censentur immunes illo modo ab epi- « scopi facultate... » Insuper de his mulieri- bus Tertiariis hæc sac. congregatio Concilii decernit : « Sacra congregatio Cardi- « nalium concilii Tridentini interpretum sæ- « pius respondit, minime posse sacerdotes « regulares mulierum Tertii ordinis, quas « de pœnitentia, vel *pinzocheras* vocant, « confessiones sacramentales audire, nisi « fuerint ab ordinario approbati ad confes- « siones personarum sæcularium audiendas, « quemadmodum nec posse illis sacrosan- « ctum Eucharistiæ sacramentum admini- « strare in die Paschatis Resurrectionis san- « ctissimi Domini Nostri Jesu Christi. » Item ex epistola sacræ congregationis pro causis episcoporum, et regularium constitutæ, ad episcopum Mutinensem die 17 Junii, anno 1639, hæc in ipsas Tertiarias sancita deprehenduntur : « Circa Tertiariam simili- « ter censuerunt (nempe cardinales sacræ « congregationis) permissum haud fuisse « fratribus ejusdem monasterii ob quodcun- « que privilegium ordinis administrare ipsi « sacramentum divinæ Eucharistiæ, et ex- « tremæ unctionis, neque ejus cadaver domo « efferre indicata funebri pompa, sine paro- « cho, aut sine ipsius licentia : nam hæc « revera ad parochos pertinent, qui debent « assiduo, sed hoc præsertim tempore, co- « gnoscere, juvare, accuratoque studio fide- « les sibi traditos instituere. Accedit, quod « Tertiaria licet nuncupatis votis, claustro « non tenebatur, sed domi suæ intra Parochi « ejusdem ditionem habitabat. »

« Possunt tamen earum cadavera sepeliri in ecclesiis sui ordinis, si locus Tertiariis designatus seorsum exsistat : sin minus, in parochiali ecclesia, ut cæterarum cadavera, sepelienda sunt.

« Lucrantur etiam indulgentias, gaudentque aliis spiritualibus gratiis ordini adnexis, quem profitentur, statim ac ad habitum tertii ordinis, ac ad votum simplex castitatis a superioribus regularibus admittuntur, quibus hanc facultatem ex Apostolicæ Sedis indulto reservari compertum est.

« Non tamen ad omne mulierum genus hæc facultas extenditur, sed ad eas duntaxat, quæ conditiones a sacris congregationibus rite præscriptas habuerunt : nimirum ut honestis, probisque moribus fulgeant, ut annos quadraginta saltem attingant, ut necessaria ad congruam vitæ sustentationem bona possideant, ut nonnisi cum consanguineis vel affinibus in primo gradu cohabitent.

« Hujusmodi autem conditionum examen, et judicium non ad superiores ipsos regulares, sed ad locorum ordinarios pertinere Summi Pontifices decreverunt ; adeo ut recte subjiciat Benedictus XIV, *loc. cit.* : « Quare « si quod proprium est, unicuique tribua- « tur, ad præfectum regularem spectat reli- « giosum habitum his mulieribus impertiri : « ad episcopum vero facultatem tradere, et « præscriptas conditiones accurato examine « cognoscere. »

« Hæc omnia, quæ exacte tradit Benedictus XIV, c. *Institut.* 105, sacræ congregationis Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ decreto edito sub die 10 Decembris 1616, disertissime sanciuntur ; sic enim § 5 : « Præterea si contingat, aliquas « ex prædictis Tertiariis sine sepulturæ « electione decedere, eas sic decedentes ita « demum in ecclesiis ordinis, cujus habitum « assumpserunt sepelire debeant, si in ipsis « earum communis sepultura reperiatur ; « sin minus, in ecclesiis parochialibus se- « peliendas esse decernit. » Superioribus autem regularibus sufficienti facultate ad id a sancta Sede Apostolica suffultis (Cappucinis exceptis) libere mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere ; non autem ad habitum admittendas, et recipiendas esse, nisi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, ac in ætate saltem quadraginta annorum constitutas, quæ de proprio habeant, unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris, quam consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent, et ab ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis prævio examine diligenti sibi constiterit.

« Universa hæc iterum a sacra congregatione Concilii confirmata sunt ; nam episcopo Mazaræ quærenti, anno 1727 : Quænam sint conditiones requisitæ, ut regulares habeu-

Digitized by Google

tes facultatem dandi habitum suæ religionis mulieribus non collegialiter viventibus, dictum habitum dare possint, et an examen dictarum facultatum pertineat ad episcopum? sacra congregatio Concilii respondit: « Examen facultatum concedendi habitum « pertinere ad Sedem Apostolicam, examen « conditionum quoad mulieres vestiendas « et licentiam vestiendi pertinere ad ordi- « narium, et conditiones vestiendarum esse « expressas in decretis generalibus alias « editis, et hæc decreta esse omnino ser- « vanda. »

« Ad normam hujusce decreti subjecta hac formula episcopi uti consueverè, qua mulieri facultatem assumendi habitum Tertii ordinis concedere testificantur.

« Dilectæ nobis in Christo N. salutem, et « benedictionem in Domino. Ut tu, quæ bo- « nis moribus imbuta, bonæque frugis, ac « laudabilis vitæ exsistis, in ætate annorum « quadraginta constituta, propria bona, ex « quorum fructibus honeste vivere vales, « possides, et non cum aliis viris, quam « cum tuis consanguineis, vel affinibus in « primo gradu constitutis habitas, prout hæc « omnia nobis prævia informatione constare « fecisti, habitum Tertii ordinis S. N., quem « postulasti, suscipere possis per R. P. N. « ordinis provincialem, illum tibi conferendi « licentiam et facultatem concedimus et « impertimur. In quorum, etc. Datum, etc.

« N. *episcopus N.* »

« Ex quibus omnibus consequitur, quam recte sacra congregatio de Propaganda fide in congregatione particulari habita die 31 Augusti 1761, per modum decreti generalis servandi in toto regno Hiberniæ inter alia rescripserit pro Tertiariis nullo modo licere regularibus admittere ad habitum, nisi servatis servandis, et de licentia ordinarii: aliter admissas declaretur ab episcopis, nec esse Tertiarias, nec ullis gaudere privilegiis, aut indulgentiis.

« Etiamsi vero ejusmodi casus occurrere aliquando possit, in quo potius expedire videatur adolescentulam aliquam habitu Tertii ordinis ante præfixam ætatem, quodam veluti tegumento securitatis assumpto a periculis liberare, quam medias inter insidias inermem relinquere: non ideo sequitur fas esse superioribus regularibus sine licentia episcopi, vel vicarii Apostolici puellas ad habitum suscipiendum admittere: consulant ipsius in hujusmodi casibus loci ordinarium, qui se facilem pro sui prudentia, atque adeo conscientia, motus ipsius periculi gravitate, præbebit. Nec expedit semper in adolescentulis votum castitatis cum habitus susceptione conjungi, quin potius ad ætatem provectorem quandoque differri; ab ea quippe longius abesse illa, sive pericula, sive scandala, quæ ferventiori, quam prudentiori zelo agitante, possunt oriri.

« Hæc habet sacra congregatio, quo dissidia ac jurgia hisce de rebus in posterum tollantur, iisque sublatis, unitas spiritus, et vinculum pacis inter operarios vineæ Domini conservetur. Et ut maxima, quæ in terris a Domino relicta est, potestate roborentur, SS. D. N. P. Clementi XIII, feliciter regnanti legenda, consideranda, probanda curavit, et idem SS. D. hæc omnia lecta, considerata, probata, auctoritate apostolica confirmavit.

« Confidit in D. J. sacr. congregat. hinc superioribus regularibus ad normam instructionis hujusce ambulantibus, inde locorum ordinariis, et vicariis apostolicis ad aliorum jura servanda sollicitis, collatis utrinquè studiis, illud concordiæ gluten coaliturum, quo, qui ex adverso sunt, nihil habentes malum dicere de eis, vereantur magis, et domus Dei, quæ est Ecclesia, ipsa unitate terribilis, ut castrorum acies ordinata, fideles lætitia, infideles, hæreticos, schismaticos rubore suffundat.

« Quam sacr. congregat. instructionem Sanctissimo Domino Nostro Clementi XIII, per me infrascriptum secretarium ejusdem sacræ congregationis relatam in audientia habita die 16 Januarii, anno 1763, Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, et omnino servari mandavit. Datum ex Ædibus sacræ congregationis die 17 mensis et anni quibus supra. »

M. Marefuscus, *secretarius*.

V

VICARIUS GENERALIS

SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS DECRETUM.

Capitulum cathedralis Isernien. S. Rit. C. sequentia dubia enodanda proposuit. 1° An vicarius generalis ad cathedralem cum episcopo accedens, in pontificalibus, aliisque sacris functionibus uti possit, eique apponendum sit stratum, et pulvinar? 2° An eidem vicario generali accedenti vel ad dandum canonicis possessionem, vel alia quacunque de causa, præstanda sit honorifica associatio duorum canonicorum? 3° An eidem, ut in dubio 2 accedenti ministrandum sit ad fores ecclesiæ aspersorium ad instar episcopi? S. Rit. cong. in ordinario cœtu ad Quirinale adunata respondit, *Negative* in omnibus ad formam decretorum, nimirum, *ad primum*, juxta decretum *in una urbe Venetana præeminentiarum*, diei 3 Augusti 1737; ad dubium 5, quo nec pulvinar, nec stratum vicario generali deberi statuitur; et confirmatur *in una Melphiten. Præeminentiarum*, diei 10 Decemb. 1740, ad dubium 7. — *Ad secundum, et tertium*, juxta decretum

Digitized by Google

in una Vercellen., diei 7 Augusti 1655, quo injungitur, nullo modo vicario generali competere honorificam associationem cleri corum, et beneficiatorum, aut ministrationem aspersorii per canonicum, die 17 Jul. 1730, *In Isernien.*

VOTUM (199).

Supplem. ad art. I *verb.* VOTUM, *n.* 119.

USUS MAGNETISMI.

SACRÆ CONGREGATIONIS SANCTI OFFICII, AC S. POENITENTIARIÆ RESPONSA.

Quæsitum fuit, utrum magnetismus generatim acceptus, et in se, habendus sit licitus, an illicitus? Congregatio generalis S. Officii 23 Junii 1840, respondit: « Consulendos probatos auctores, cum hac advertentia, quod, remoto omni errore, sortilegio, explicita, aut implicita dæmonis invocatione, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocunque pravum. Applicatio autem principiorum, et mediorum pure physicorum ad res, aut effectus mere supra naturales, ut physice explicentur, non est, nisi deceptio illicita, et hæreticalis. »

Cum dein eadem quæstio proposita fuisset variis induta circumstantiis, et casibus, non raro, ne dicam, semper, in magnetismi usu incidentibus, qui nempe favent incredulitati et corruptelæ, tam sancta congregatio prædicta 21 April. 1841, probante Gregorio XVI, quam S. Pœnitentiariæ 1 Julii ejusdem anni, expresse declararunt: « Usum magnetismi, ut fuit propositum, non licere. »

UTENSILIA, SEU PARAMENTA

SACRÆ CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULAR. DECRETA.

R. P. D. Caliendi, anno 1845 a Ripana ad Feretranam ecclesiam translatus, e vita decesserat, nullo confecto inventario sacrorum utensilium, ac paramentorum, prout, diserte jubet sanctissimus D. N. Pius PP. IX, suis apostolicis litteris die 1 Junii 1847, incip. *Cum illud plurimi.* Ejusdem episcopi hæredes, et canonici Feretranæ cathedralis, Pianæ constitutionis usque tum ignari, amice convenerunt, ut maxima pars utensilium, quorum exstabat specifica nota, cathedrali cederet; eam tamen adjecerant hinc inde protestationem, ut reddi deberet, si quid indebitum alterutra pars accepisset.

Deinceps memorati hæredes cognitionem nacti Pianæ legis, omnium utensilium restitutionem a canonicis juridice petierunt. Hi, ut litium et expensarum periculo sese eriperent, omnia utensilia hæredibus tradiderunt, ac S. C. supplicarunt, ut illius traditionis actum sua auctoritate confirmaret.

Sacra congregatio rem rite disceptari mandavit. Quapropter hæredes Caliendi, ut sua jura defenderent, opponebant testimonium plurium hominum, qui eadem utensilia jam penes episcopum Caliendi exstitisse testabantur, ex eo tempore, quo ad Feretranam se contulerat ecclesiam. Accedebant etiam acceptilationes aliquorum opificum, ex quibus jam ab anno 1845, nonnullas res confectas fuisse constabat.

Canonici, itemque episcopus successor, qui cathedrali favebat, Piana dispositione se tuebantur, qua cautum est, ut episcopi inventarium in authentica forma conficiant, « ne alias præsumi debeat, ea omnia ex redditibus ecclesiæ comparata fuisse. »

Sacra congregatio juxta doctrinam ab auctoribus traditam et nominatim a Reifenst., lib. II *Decr.*, tit. 25, § 2, perpendebat ex inventarii omissione emergere præsumptionem juris et de jure favore cathedralis, quæ plene pro veritate esset habenda., *l. cit.*, n. 52. Nihilominus juxta eorumdem auctorum animadversiones generalis hæc regula fallit, quotiescunque cæteroquin evidens veritas aliud aperte doceat; ac nominatim quando adversarii eidem evidentiæ non refragantur, *loc. cit.*, num. 57, vel duo, aut tres testes summæ fidei contra præsumptionem testimonium ferunt, *ibidem.*

Partibus auditis, reque de more discussa in generalibus comitiis diei 4 Aprilis 1851, *in Feretrana Spolii*, eminentiss. Patres hæredum petitioni arriserunt. Proposito enim dubio.

« An, et quomodo apostolica sanctio concedenda sit actui traditionis a capitulo factæ favore hæredum episcopi Caliendi de rebus designatis in speciali nota? »

Rescriptum prodiit.

Affirmative facto verbo cum SS. ad cautelam.

Et SS. resolutionem approbavit, et ad mentem; mens est. « che si scriva al Vescovo, che il S. Padre gradirebbe, che si rilasciassero dai sigg. Caliendi almeno i paramenti sacri segnati negli ultimi 13 articoli della nota speciale alla povera cattedrale di Montefeltro. »

(199) « Sacra congregatio interrogata circa duos, qui contraxerunt (matrimonium) sub pacto expresso nunquam consummandi, juri renuntiantes in corpora, merito respondit, eos invalide contraxisse, quia etiam potentiam (coeundi) sic excluserant. » Apud Scavino, *Theol. mor.*, De matr., disp. 1, cap. 1, art. 1, q. 4 vers. *Quia tamen*

Digitized by Google

ALIUD EJUSDEM CONGREGATIONIS DECRETUM.

C. M. Emin. Reverend. card. Ostini, cum Æsinæ episcopali Ecclesiæ præesset, perpendens animo quæstiones, quæ super facultate testandi de sacris utensilibus ac paramentis, quæ emin. Patribus cardinalibus episc. seu abbatibus conceditur, identidem exoriebantur, nonnulla dubia, quæ totum controversiæ negotium continerent, sacræ congr. Episc. et Regularium dirimenda proposuit. Hisce dubiis alia accesserunt super rebus quæ inter sacra utensilia, ac paramenta recensendæ sunt, juxta constitutiones S. Pii V quoad episcopos, et Urbani VIII circa cardinales. Adnotatum enim fuerat, frequentissime disputari circa divisionem sacrorum utensilium inter ecclesias, quæ vel insimul, vel successive ab episcopis administrantur: hinc quærebatur, qua ratione certo dignosci posset, an, et quæ sacra utensilia episcopus privato suo peculio, vel potius ex ecclesiæ redditibus comparasset.

Sacra congreg. primum exquiri mandavit sententiam eminent. ac reverend. cardinalis secretarii brevium, itemque R. D. P. sacristæ Pontificii, ac deinde totam rem consultori remitti jussit, qui omnia controversiæ capita ad legum ecclesiasticarum trutinam expenderet, quidque singulis de rebus opinaretur, enucleate proferret. Consultor *universam* rem non sine multa doctrina, ingenioque discussit, congruasque responsiones suis innixas argumentis ad singula dubia eminentiss. judicum auctoritati, prudentiæque subjecit.

Dubia his erant concepta formulis:

« An cardinales episcopi residentiales, vel abbates *Nullius*, comprehendantur in constitutione S. Pii V, incipiente *Romani Pontificis.* »

Quatenus negative:

« An per præsentem (quæ nempe adhibebatur tempore propositæ causæ) formulam Brevis, quæ facultatem testandi facit, subjecti intelligantur. »

Quatenus affirmative:

« An dicti cardinales episcopi testari possint ad favorem ecclesiæ titularis de aliqua supellectili sacra, vel utensili, et de quali. »

« An SS. supplicandum sit, ut dignetur præscribere reformationem dicti Brevis, et quænam esse queat hujusmodi reformatio; et an eadem extendi debeat ad indulta jam concessa per appositam declarationem. »

« Quænam sint in specie res sacræ comprehensæ in constit. S. Pii V, quæ cathedralibus ecclesiis debitæ sunt; et quænam sint illæ comprehensæ in const. Urbani VIII ad sacellum Pontificium pertinentes, habita ratione earumdem provenientiæ, et usus profani, cui ipsæ sunt communes; et an comprehendantur cruces pectorales sine sacris reliquiis. »

« Quomodo peragenda sit divisio sacrorum utensilium, quando episcopus successive pluribus ecclesiis præfuisset. »

« Quomodo facienda sit eadem divisio, quando episcopus præfuerit pluribus ecclesiis vel unitis, vel datis in perpetuam administrationem cum capitulo et cathedrali distincta. »

« An locus sit divisioni in casu, quo episcopus defunctus translatus fuerit ab una ad alteram ecclesiam, et constet, eumdem acquisivisse omnia sacra utensilia ex redditibus alterutrius ecclesiæ; an potius eadem sacra utensilia pertinere debeant ad illam ecclesiam, cujus ex fructibus eadem acquisita fuisse constet? »

« An, et quæ regula statuenda sit, ut impediatur, ne in casibus divisionis quæstiones exoriantur ob incertitudinem provenientiæ eorumdem sacrorum utensilium? »

« An annuli episcoporum, et cardinalium comprehensi sint in respectivis constitutionibus S. Pii V et Urbani VIII? »

Sacra congreg. Episc. et Regularium. Ponente laudato emin. ac reverend. card. Ostini, cui paulo post præfectura ejusdem sacræ congr. demandata fuerat, in comitiis generalibus habitis die 9 Augusti anni 1844, proposita causa cum titulo: « Æsina super facultate testandi de sacris utensilibus, quæ eminen. PP. card. episc. seu abbatibus conceditur, et super rebus, quæ inter sacra utensilia recensendæ sunt, » in votum consultoris quoad singula dubia descendit. Re ad S. M. Gregorium XVI, juxta morem a R. D. P. secretario sacræ congreg. relata, Summus ille Pontifex, quoad vixit, supersedendum putavit. At vero eidem suffecto S. D. N. Pio Papa IX, quam ad Ecclesiæ bonum Deus incolumem diutissime servet, Sanctitas Sua, juxta ea, quæ in secundo dubio proponebantur, et a sacra congreg. de voto consultoris sancita fuerant, Apostolicas litteras in forma brevis super universa ea re promulgare non dubitavit. Quibus quidem in litteris cum responsa ad singula dubia, absque ulla fere immutatione referantur, ab iis hic exscribendis abstinemus, ac potius suis ipsis verbis damus memoratas litteras, quæ sic se habent.

Sanctissimi domini nostri Pii divina Providentia Papæ IX, litteræ Apostolicæ, quibus aliqua dubia circa S. R. E. cardinalium, et episcoporum utensilia declarantur.

« PIUS PP. IX.

« *Ad perpetuam rei memoriam.*

« Cum illud plurimi referat, ut in Apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus, quæ animos torqueat, ac controversias excitet, idcirco si quam exsistere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas nostras libenter intendimus. Jam vero præter indultum testandi de propriis bonis, quod venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Sancta hæc Sedes tribuere solet per Apostolicas litteras in forma brevis incipientes, *De benignitate Sedis Apostolicæ*, iisdem per alias similes

Digitized by Google

litteras in forma brevis, quarum initium, *Cum fel. rec. Urbanus VIII*, facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicujus ecclesiæ, seu capellæ, vel loci pii, non obstante constitutione Urbani VIII, *Æquum est*, edita die 24 Julii 1642, qua sacra cardinalium utensilia Pontificio sacrario attribuuntur. Verum cum in memorato postremo brevi, etiam quando agitur de cardinalibus archiepiscopis, episcopis et abbatibus ex quodam invecto usu addi consueverit clausula : « Salvaque in præmissis « quoad ecclesias cathedrales, metropolitanas, aut patriarchales, quibus præfueris, « seu quas alias ex concessione, vel dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, « dispositione constitutionis fel. rec. Pii « PP. V anno 1567 tertio Kalendas Septembris anno secundo, » sæpe sæpius dubia exorta sint circa interpretationem, et vim hujusmodi reservationis, eo vel magis, quod in superius memorato Brevi, *De benignitate Sedis Apostolicæ* præfatæ S. Pii V constitutioni in ea parte, quæ sacra utensilia respicit, aperte derogetur. Si namque Romani Pont. cardinalibus quoque archiepiscopis, episcopis et abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum, et illusorium foret, quatenus adjecta clausula eam vim haberet, quam verba præ se ferunt. His quoque accedebat, quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant, cardinales, utpote qui in memorata S. Pii V constitutione speciatim nominati non sint, ex lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur. Quæ cum ita essent, ven. frater noster Petrus cardinalis Ostini, nunc episcopus Albanensis, qui tunc temporis episcopalem Ecclesiam Æsinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI, prædecessore nostro, ut rem certo definiret, atque expresse declararet, an cardinales episcopi, seu abbates *Nullius* in Apostolicis memoratis litteris S. Pii V prædecessoris nostri comprehendantur, ac statueret, quænam sacra ornamenta, et supellectiles, et utensilia S. R. E. cardinalium ad sacrarium Pontificium ex memorata constitutione Urbani VIII, et quænam patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et abbatum *Nullius*, sive cardinalitia dignitate fulgeant, sive illa careant, ad ecclesias cathedrales ex superius citata sancti Pii V constitutione revera spectent, et quomodo facienda sit divisio sacrarum supellectilium et utensilium, quando episcopus, sive successive, sive simultanee plures Ecclesias gubernaverit. Nos igitur, qui in memorati decessoris nostri P. M. Gregorii XVI, locum, licet immerentes, suffecti sumus, ad præcidendas omnes hac super re dubitationis, ac controversiæ causas, de consilio VV. FF. nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositorum, hæc, quæ sequuntur, auctoritate nostra Apostolica decernimus, et mandamus : 1° Cardinales episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in constitutione S. Pii V, incipiente : *Romani Pontificis*, exceptis tamen cardinalibus episcopis suburbicariis, necnon exceptis pariter cardinalibus abbatibus *Nullius*, qui in Romana curia morantur, quorum sacra utensilia, attenta citata constitutione *Æquum est*, Urbani VIII prædecessoris nostri, ad Pontificium sacrarium spectabunt. 2° Firmis remanentibus clausulis derogatoriis constitutionis S. Pii V, cujus initium : *Romani Pontificis providentia*, in litteris in forma brevis incipientibus : *De benignitate Sedis Apostolicæ*, appositis in altero brevi quod incipit : *Cum fel rec. Urbanus VIII*, auferatur clausula, qua salva edicitur eadem Piana constitutio, *ejusque* loco substituantur ea, quæ sequuntur : « Quod si Ecclesiis abbatialibus, cathedrali- « bus, metropolitanis, patriarchalibus præ- « fueris, seu quas alias ex concessione et « dispensatione Apostolica in titulum, ad- « ministrationem, seu commendam obtinue- « ris, te vehementer hortamur, prout jam « Benedictus XIV, prædecessor noster in « sua constitutione incipiente, *Inter arduas*, « cardinales hortabatur, ut in prædictis rebus « disponendis eas Ecclesias præ oculis ha- « beas, cæterisque præferas. » Quæ vere hoc in articulo præscripsimus, ea ad singulos cardinales extendimus, qui ante præsentium litterarum publicationem enuntiatam testandi, ac disponendi facultatem obtinuerint, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent. 3° Sacra utensilia, quæ vigore constitutionis S. Pii V, incipientis : *Romani Pontificis* (160), ecclesiis cathedralibus debentur, hæc esse dicimus : Mitras scilicet,

(160) Ea tenor Pianæ const. : « Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea sollicitudinis suæ partes potissimum convertit, per quæ singulis Ecclesiis debita obsequia, et opportuna subventionis auxilia minime subtrahantur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli patriarchæ, archiepiscopi, episcopi et abbates, seu commendatarii, ac alii beneficia ecclesiastica obtinentes, proprii honoris, et salutis immemores, etiam prætextu facultatum testandi eis per Sedem Apostolicam concessarum, in eorum ultimis voluntatibus res sacras ac vasa, ornamenta et paramenta ecclesiastica, aliaque cultui divino dicata quandoque ex fructibus ecclesiasticis per eos acquisita, non ecclesiis, et monasteriis, ac beneficiis, quibus præfuerunt, seu a quibus proventus ecclesiasticos, et stipendia acceperunt, prout rationi et honestati consentaneum foret, sed aliis locis, etiam aliquando non piis, ac interdum eorum consanguineis et affinibus reliquere, ac cameræ Apostolicæ collectores, prætextu, quod illa sub appellatione spoliorum veniant, tanquam ejusdem cameræ spolia exigere, et percipere non erubescant in maximum religionis dedecus ac ecclesiarum, monasteriorum, et beneficiorum eorumdem detrimentum, ac relinquentium animarum periculum, scandalumque plurimorum : Nos abusibus scandalisque hujusmodi providere, ac singularum ecclesiarum, et monasteriorum, ac beneficiorum indemnitati, animarumque quorumlibet saluti consulere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, ordinamus, decernimus et declaramus, quod de cætero omnia, et singula paramenta, ac vasa, necnon

Digitized by Google

planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, missalia, et gradualia, ac cantus firmi, et musicæ, aliique quomodolibet nuncupati libri, et aliæ res sacræ, etiam auri et argenti, ac quæcunque alia bona per quoscunque patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates, seu commendatarios, et alioscunque, quæcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica, cum cura, et sine cura, sæcularia, et quorumvis ordinum regularia in titulum, vel commendam, aut alias quomodolibet obtinentes quocunque nomine, vel titulo censeantur, etiam si de illis, et eorum qualitatibus specialis et expressa mentio habenda foret, ad usum, et cultum divinum etiam in eorum privatis ædibus, et capellis, vel oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta sub quibusvis facultatibus testandi, et alias disponendi, de bonis per eos ex altari, vel alias quomodolibet acquisitis per quoscunque Roman. Pontific. prædecessores et successores nostros, ac Nos sub quibusvis tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, et concedendis nomine comprehendantur: nec sub appellatione spol. veniant, sed ad singulas ecclesias, monast. etiam conventu carentia, et beneficia hujusmodi in quibus resederint, aut quibus præfuerint, seu quæ alias obtinuerint, omnino spectent, et pertineant, ac spectare et pertinere, illaque post eorum obitum eisdem ecclesiis, monasteriis et beneficiis etiamsi in Rom. curia, ac procul ab illis decesserint, vel ad illa nunquam accesserint, etiamsi antea ecclesiarum, et monasteriorum regimini cessèrint, vel beneficia hujusmodi renuntiaverint, eo ipso applicata, et incorporata sint, et esse censeantur. Ita quod liceat, illis defunctis, in eisdem ecclesiis, monasteriis et beneficiis successoribus, ac ecclesiarum, et monasteriorum hujusmodi capitulis, et conventibus respective illa propria auctoritate libere apprehendere, ac eorum ecclesiis, et sacristiis applicare, et incorporare, ac quæcunque donationes, ac relicta, et legata, testamenta, et codicilli, et aliæ ultimæ voluntates seu spolia desuper contra præsentis constitutionis nostræ tenorem quomodolibet pro tempore facta, quo ad præmissa nulla, et invalida, nulliusque roboris, et momenti exsistant, et personis, etiam ecclesiasticis, seu locis etiam piis, aut ecclesiasticis aliis quibuscunque, in quarum, seu quorum favorem pro tempore facta fuerint, minime suffragentur, nec per ea eisdem personis, seu locis, vel aliis ecclesiis hujusmodi aliquod jus in rebus prædictis, vel ad illas acquiri possit. Quinimo res sacras, ac alia bona prædicta, quocunque nomine, vel titulo pro tempore detinentes, ad illa ecclesiis, et monasteriis, ac beneficiis per defunctos quomodolibet acquisitis, ut præfertur, juxta præsentium tenorem realiter, et cum effectu restituendum, et consignandum, quibusvis dispositionibus de illis in contrarium quomodolibet factis minime attentis, omnino teneantur, et ad id per censuras, et pœnas, etiam furti, et sacrilegii, ac alia juris, et facti remedia opportuna cogi, et compelli possint, et debeant. Insuper ne deinceps contingat insolentia spoliorum cameræ Apostolicæ collectorum, vel subcollectorum aliquas ecclesias, nec hominum quemquam damno, et injuria affici, nec cuiquam de cætero vertatur in dubium, quæ res habendæ sint nomine spolii, simili modo statuimus, decernimus et declaramus, quod quæcunque scamna, cathedræ, arcæ, et etiam ligneæ, vel lapideæ, etiam marmoreæ mensæ, et tabulæ, ac quæcunque dolia, seu vasa vinaria, et alia similia supellectilia domestica per quosvis presbyteros, seu clericos ab humanis pro tempore decedentes tempore eorum obitus in ecclesiis, seu eorum domibus ecclesiarum earumdem, vel alibi ubivis locorum relicta, etiamsi ex fructibus, et proventibus beneficiorum, quæ dum viverent obtinebant, acquisita fuerint, sub spoliorum appellatione minime veniant, nec pro spoliis ullo modo reputari possint, præterea quod nullum spolium cameræ præfatæ fieri, nec quidquam a quibusvis spoliorum cameræ hujusmodi collectoribus, vel subcollectoribus exigi possit per obitum illius, qui, dum viveret, unum, vel plura beneficia ecclesiastica obtinuerit, cujus, vel quorum insimul fructus, redditus et proventus, triginta ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excesserint, aut qui pensiones annuas super quibusvis fructibus ecclesiasticis usque ad dictum valorem annuatim perceperit, dummodo tamen is se ab omni illicita negotiatione, et a sacris canonibus prohibita abstinuerit. Ita quod si quis dictorum collectorum aliquid ex bonis quorumvis defunctorum, qui similia beneficia obtinuerint, seu similes pensiones perceperint, prætextu spoliorum ejusdem cameræ percipere, aut alias contra præsentes nostras litteras, attentare præsumpserit, ad totalem bonorum per eum perceptorum restitutionem teneatur, ac ad id via juris etiam per similes censuras et pœnas cogi et compelli possit, et debeat. Districtius inhibentes quibusvis cameræ præfatæ spoliorum collectoribus nunc, et pro tempore exsistentibus, et sub indignationis nostræ, et privationis eorum officiorum pœna, ne in ornamentis, et paramentis, ac vasis, et libris præfato cultui divino dicatis, ac aliis rebus sacris, necnon supellectilibus præfatis quomodolibet se intromittant, nec in eorum inventariis tanquam spolia redigant, seu describant, sed ornamenta, et paramenta, necnon vasa, et libros, aliaque divino cultui dicata hujusmodi ecclesiis, et monasteriis, capellis, et aliis beneficii hujusmodi, eorumque rectoribus, et aliis præfatis libere dimittant, et consignent, ac consignari faciant, cum effectu, ac suppellectilia prædicta in locis ubi constiterint, relinquant, ac decernentes, sic in præmissis omnibus, et singulis per quoscunque judices, et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, quidquid secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis curiæ causarum cameræ Apostolicæ generali auditori, et singulis locorum ordinariis, ac majorem dignitatem, post Pontificalem in universis ecclesiis cathedralibus, et metropolitanis pro tempore obtinentibus, per Apostolica scripta, motu simili mandamus, quatenus, ipsi, vel duo, aut unus eorum præsentes litteras, et in eis contenta quæcunque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte quorumcunque in præmissis interesse habentium, ut præfertur, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes litteras, et in eis contenta quæcunque firmiter observari, ac singulos, quos litteræ ipsæ concernunt illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus Apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiarum, et monasteriorum hujusmodi juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, facultatibus testandi, aliisque privilegiis indultis, et litteris Apostolicis, quibusvis concessis approbatis, et innovatis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, et expressa mentio facienda esset, illorum tenores pro sufficienter

Digitized by Google

libros Pontificales, alterum, cui titulus *Canon Missæ*; item calices, patenas, pixides, ostensoria, thuribula, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus, et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem, faldistorium, aliasque res sacras, sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quæ sunt etiam ex eorum natura usui profana congrua; dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui, sacrisque functionibus fuerint destinata: exceptis annulis, et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cujusvis generis, quæ legitime probentur ab episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad ecclesiam non pertinentibus, neque constet ecclesiæ fuisse donata. Volumus propterea teneri, ac debere episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant, quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quæ ex ecclesiæ redditibus, et proventibus sibi compararunt, ne alias præsumi debeat ea omnia redditibus ecclesiæ comparata fuisse. Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. cardinalium ad sacrarium sacelli Summi Pontificis spectanctia, nullam haberi volumus rationem qualitatis, et naturæ redditiuum, quibus comparata fuerint, et præter ea, quæ in constitutione Urbani VIII, incipiente: *Æquum*, in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus, sandalia, chirothecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pyxides, ostensoria, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, vasa sacrorum oleorum, et urceolos cum pelvibus ac tintinnabulo, tandem baculum pastoralem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum, et his similia, exceptis annulis, et crucibus pectoralibus, etiam cum sacris reliquiis. 4° Quando episcopus duas, vel plures ecclesias successive rexerit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter ecclesias cathedrales, habita ratione fructuum, ac temporis juxta constitutionem S. Pii V, incipientem. 5° Ubi vero aliquis episcopus simul præfuerit duabus, vel pluribus ecclesiis unitis, vel in perpetuam administrationem concessis, quæ habeant capitulum, et cathedralem ecclesiam propriam, ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus æquis partibus singulis ecclesiis cathedralibus, quatenus earumdem ecclesiarum *unitarum*, seu in perpetuam administrationem *concessarum* redditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituant; si vero redditus divisi fuerint ac separati, divisionem fieri volumus singulis ecclesiis cathedralibus proportionaliter ratione fructuum. 6° Quod si constet episcopum, qui per translationem duabus ecclesiis successive præfuerit, comparasse sibi omnia sacra utensilia redditibus tantum unius ecclesiæ, nulli divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad ecclesiam cathedralem tantum spectabunt illius diœcesis, ex cujus episcopalis mensæ redditibus fuerint acquisita. Hæc volumus, et mandamus, decernentes, has litteras firmas, validas atque efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, eisque ad quos spectant, seu spectabunt, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscunque judices ordinarios et extraordinarios judicari, ac definiri debere, irritumque, et inane quidquid secus super his a quoquam quovis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non *obstantibus*, si opus fuerit, nostra, et cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, atque in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque etiam speciali, et individua mentione, ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscunque.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 1 Junii 1847, Pontificatus nostri anno primo.

« ALOYSIUS CARD. LAMBRUSCHINI,
a brevibus apostolicis. »

**Vide* verb. SPOLIUM per tot ubi multa ad rem*. »

expressis habentes, illis in reliquis suo robore permanentibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod si aliquis ex patriarchis, episcopis, abbatibus, seu commendatariis, et aliis beneficiatis præfatis pluribus ecclesiis, seu monasteriis, pro tempore, vel successive præfuerit, seu plura beneficia obtinuerit, ornamenta et paramenta, ac res, et bona prædicta ad illa omnia habita ratione fructuum, et temporis, quo eadem beneficia possedit, omnino pertineant, et proportionabiliter inter ea dividantur, quodque præsentes litteræ in cancellaria nostra Apostolica, et acie Campi Floræ de more publicentur, et inter constitutiones perpetuo valituras describantur, etc. Nulli ergo, etc. Datum Romæ, etc., die 18 septembris 1567. »

FINIS TOMI SEPTIMI.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google